
37
36 C
4



CAII SVETONII
Tranquilli duodecim Cæſares,

CVM

PHILIPPI BEROALDI
Bononienſis, Marcíque item Antonii Sabellici Commentariis, & Bapt. Aegnatii, aliorúmque doctorum virorum annotationibus.







LVGDVNI,
APVD IOANNEM FRELLONIVM
M. D. XLVIII.

Cum priuilegio Regis.



C. SVETONII TRANQVILLI VITA.

CAIVS Suetonius Tranquillus patrem habuit Suetonium, cognomento Lenem, tertiædecimæ legionis tribunum, & Augusticlauium, qui interfuit bello Othoniano. à patre filius Tranquilli cognomen accepisse creditur. Nam cùm ille Lenis sit cognominatus, hic eodem significato, non eodem verbo dictus est Tranquillus. Floruit sub Adriano, vtpote illius magister epistolarum. verùm fortuna, quæ lubrica est, refragante, successor ei mox datus: quòd apud Sabinam Imperatoris vxorem familiariùs egisse ferebatur, quàm reuerentia domus aulicæ postularet. Vsus est contubernio Plinii posterioris: à quo in epistolis admonetur ad volumina edenda, quæ perfecta, absolutáque appellat. Cùm esset vir doctrina compositiore, & elegantia floridiore præditus, scripsit libellum de Grammaticis & Rhetoribus: quem diuus Hieronymus secutus est, texens catalogum scriptorum ecclesiasticorum. De genere vestium, de ludicra historia libros concinnasse memoratur: quorum testimonio vtuntur eruditi. Idem de vitiis corporalibus, & de prætoribus volumina condidit luculenta: in primis verò ad posteros transmisit duodecim Cæsarum vitas, valde quidem probandas, graphicéque conscriptas: in quo styli genere primas confessione eruditorum haud dubiè occupauit. Opus est emunctum, refertúmque eruditione haudquaquam triuiali, & compositissimo ordine distinctum. vnde emendatissimus, ac candidissimus scriptor meruit appellari: cui, vt scribit Flauius Vopiscus, familiare fuit amare breuitatem. Ausonius in epistolio ad Paulinum librorum meminit, quos numero treis Suetonius de regibus scripsit. In hoc verò Cæsarum opere, quod eruditorum manibus continenter teritur, est oppidò quàm tersus, & synceríssima scriptione præcellens: adeò, vt de Suetonio dicere meritò possimus id, quod Zeusis pictor de se ipso prodidit: Inuisurum aliquem faciliùs, quàm imitaturum.

ANGELI POLITIANI
PRAEFATIO IN CAIVM SVETONIVM.

NTER omne scriptorum genus, quibus vel Græcæ, vel Romanæ literæ floruerunt, ii mihi haud dubiè de humanis rebus egregiè meriti esse videntur, per quos aut excellentium populorum, aut summorum principum, aut omnino illustrium virorum res gestæ fidelibus historiarum monumentis commendatæ sunt. Posuere enim in medio nobis vitam, mores, factáque illorum, consilia item, atque euentus rerum, in quæ omnis posteritas, tanquam in exemplar, inspicere, vnde ea capere, atque haurire documenta posset, per quæ vel publicis, vel priuatis rationibus consuleretur. Nam & iuniores ex historia multiplici quadam exemplorum copia ad vitam redduntur instructiores, & maioribus natu viris multò plus inde peritiæ suppeditatur, quàm quantum longissima hominis ætas afferre potuerit. Itaque L. Lucullum scribit Cicero cùm esset Romæ ad bellum Mithridaticum profectus, rei militaris omnino rudis, tantam tamen inter nauigandum, qua percunctandis peritioribus, qua rebus gestis legendis operam posuisse, vt cùm in Asiam planè dux factus peruenisset, tantus in omni genere belli extiterit, vt maximi illius regis confessione, atque indicio, omnibus quorumcunque seculorum Imperatoribus anteferretur. Alexander autem Seuerus Romanus princeps, quoties sibi deliberandum de negotio bellico foret, peritos historiæ homines in primis consulebat, neque id iniuria. Si enim sapientiam, quod (ait Afranius) vsus quidem genuit, mater autem peperit memoria, quínam tandem sapientiores, vel esse, vel haberi debent, quàm ii, qui non ætatis vnius, atq; vrbis, sed omnis æui, omniúmq; nationum facta, atque mores animo & memoria cõprehenderunt? Zenobia quoque illa, quæ post Odenatum maritum Imperatoria occupauit insignia, diúque Romanis principibus insultauit, non solum Græcè Latinam historiam perdidicerat, verùm Alexandrinam etiam, atque Orientalem, breue ipsamet in compendium redegerat. Quo minus mirandum sit, non virtutem modò, & consilium, scientiam præterea gerendi Imperii, sed authoritatem quoque ei tantam superfuisse, vt se non Arabes vnquam regnante, & fœmina, & barbara, non Saraceni, non Armenii commouerent, vt suspicari quidem possimus tale illi quiddam mulieri contigisse, quale de hominis rustici vxore fertur in fabulis. Agricola, inquiunt, deformi facie metuens, ne sibi cõsimiles liberi gignerentur, hoc remedium commentus est, domi imagines egregiè formosas collocauit, in eas aspicere vxorem quàm minimè conniuentibus oculis assiduè iussit. Ita de se quàm pulcherrimam sobolem propagauit. Eodem hæc videlicet pacto fœmina insignis, magnam virorum excellentiam similitudinem contraxerat, quorum sibi exempla ad imitandum proposuerat, quorũ assiduè facta, & mores in historia ipsa, quasi in tabula aliqua, aut speculo contemplabatur. rectè enim eam Cicero temporum testem, lucem veritatis, vitam memoriæ, nuntiam vetustatis appellat historiam. Ea est vna, cuius ope aduersus omnem Fortunæ temeritatẽ, quasi Vulcaniis armis muniti sumus, atque armati, ea quoque nobis præstat, vt, quod ad rerum cognitionem attinet, superioribus etiam vixisse ætatibus videamur: neque non tamen & illud historiæ ingens est meritum, quod & bonos viros laudando extollit, & improbos vituperando detestatur, sola deniq; & custos est fidissima temporũ, & ipsa à tẽporibus quasi mutuò referentibus gratiã custoditur. Negãt sanè philosophi quidam, appetendã gloriam esse, eámq; rectiùs à virtute velut minimè necessariã negligi autumant. virtus enim, inquiunt, ipsa sibi est pretiũ, ipsa est per sese nullis extrinsecus illecebris expetenda. Atq; hæc illi cùm scribunt, suũ tamen eis libris nomen inscribunt. Idq; vel maximè tũ captant, vnde exterrere alios enitũtur: nemo est enim tam cornea fibra, (vt ait Persius) quin dulcedine aliqua laudis titilletur: nemo tam penitus frontẽ vel prostituit, vel amisit, quin metu infamiæ aliquo vellicetur, quocirca rectè illa apud Prodicũ Chium virtus, quemadmodũ quidem Xenophon Socraticus meminit, iis ad se Herculem illecebris contradicente voluptate conatur attrahere, vt inter prima decus ei, honorémque polliceatur, Per me, inquit, Iuuenes seniorum laudibus gaudent. Seniores ipsi iuuenum honoribus lætantur. Iucundè præterita meminerunt, suauiter in præsentibus agũt. Per me Diis amici, chari amicis, patriæ honorabiles sunt: vbi autem vita excesserunt, non obscuri, non inglorii iacent, sed perpetua memoria celebres vigent. Eadem quoque apud Silium Virtus ait:

Mecum honor, & laudes, & læto gloria vultu,
Et decus & niueis victoria concolor alis,
Me cinctus lauro perducit ad astra triumphus.

Neque enim existimandum est, aut hunc ipsum Herculem, cuius egregia toto orbe terrarum facinora celebrantur, aut heroas cæteros tanta illa fuisse pericula subituros, tãta adituros certamina, si suarum memoriam rerum iuxta secum intermorituram putassent. Pulchrè itaque Valerius Flaccus de suo agens Iasone ad hunc modum exclamat:

-Tu sola animos, mentémque peruris
Gloria te viridem videt, immunémque senectæ

Phaſidis in ripis ſtantem,iuuenéſque vocantem.

Ego verò etiam conditas à primordio vrbis,etiam poſita ciuitatibus iura,etiã multa in vſum hominum innenta,atq; excogitata ſola gloriæ cupiditate crediderim, quam niſi eſſe ciuibus neceſſariam, veteres Rerumpublicarũ gubernatores exiſtimaſſent,nunquàm tanta eius fométa,tot coronas,trophæa,palmas,tot arcus illos,magnificóſq; trinmphos poſuiſſent. Itaq; videre eſt noſtris his calamitoſiſsimis temporibus etiam cum virtutis fructu virtutẽ propè ipſam intercidiſſe. nam quis eam,quæſo, amplectatur,vt Iuuenalis inquit,præmia ſi tollas? Præmium autem quidnam eſt honeſtius veræ virtutis,quàm ipſa gloria ? quæ vt in reliquis monumentis temporarium aliquod habere diuerſorium poteſt,ita in excellentium hiſtoricorum libris perpetuũ ſibi domicilium fabricata eſt.nam oratorem quidem facilè,vt omnia extollẽtem in maius auerſeris,hiſtoria, ſi quid vel gratiæ,vel offenſæ dederit,ſuum iam nomen non retinebit. Quam ob rem , vt certior, veriórque in ore muliebri,ingenuus & natiuus color,quàm vel ceruſſa,vel purpuriſſo illitæ buccæ: ita hiſtoriæ ſyncerum teſtimonium fucoſis oratorũ præconiis diuturnius,quod ſcilicet & Cicero ipſe intelligens,bellè agit cum Luceio,ſui vt rumores monumẽtis illius commendentur. Et Plinius Iunior homo ætate ſua inter primos eloquẽs habitus,optat Cornelii Taciti inſeri hiſtoriis, quòd immortales futuras eas auguraretur. Sed neque orator quiſquam vel mediocris ſine exemplorum varietate vnquam fuerit,quod ſine ipſis (vt ait Cicero)nihil rectè docetur, neq; hiſtoriæ munus implere alius,niſi eloquentiſsimus,poterit. Itaque & Plinius idem dies,noctéſque cogitare ſe ſcribit,qua ſe quoq; poſsit tollere hnmo,id autem ſolam propè hiſtoriam polliceri,beatóſq; putat,quibus deorum munere datum eſt,aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda , beatiſsimos, quibus vtrunque: atque vtinam Ciceroni quoque ipſi parere aliquando hiſtoriam licuiſſet, quam tunc præcipuè egregium illud ingenium parturiebat,cum ſcelere inimicornm caruit rebns humanis,talem iam illam,quantum auguror,haberemus, qualem adhuc ne ſuſpicari quidem poſſumus. Nam ſi iu orationibus illis ſuis,vbi omnia ad præſcriptum dicerentur , ita ſunt quædam breues inſertæ narrationes per omneis ductæ ſenſus,atque affectus,vt non dici res illæ,ſed planè geri,atque eſſe oculis ſubiectæ videantur,qnantò vberiora tandẽ,amplioráq; omnia in liberrimo illo hiſtoriæ campo, quaſi in Olympiaco curriculo apparuiſſent , cùm forenſi aſperitate carens oratio fuſo,atq; æquabili ſuo quodam tractu deferentur, cùm crebrioribus vti & ſenſibus,& aculeis,liberioribúſque verbis,figuris remotioribus,& ad poeticam ſublimitatem quàm proximè accedentibus liceret,cúmque omne argumentum magis ad memoriam poſteritatis,famámque ingenii,quã ad præſens iudicium ad exponendam rem geſtam,quàm ad fidem faciendam componeretur. Et quoniam dicendo prouecti ſumus,vt de ſtylo etiam ipſo hiſtorico meminerimus, non alienũ fortaſſe videri poterat,reliqua etiam,quæ eſſent in hoc opere obſeruanda,quæq; item fugiẽda præcipere,quo vtendum principio , qui tenor rebus,qui modus accommodandus,quæ ſubticenda,quibus immorandum,quæ carptim tantummodo perſtringenda,quo pacto fieri fides , quóque modo vacare omni ſuſpicione author poſsit,quæ ſint omnino in temporum ordine, locorũ deſcriptione,cauſis,conſiliis,euentibus,rebus ipſis geſtis explicandis,obſeruanda,quid ſpectare in primis authorem,à quibus auocare animum,quantum vtilitati ſeruire,quantum indulgere voluptati oporteat. Verùm hæc,aliáque impræſentiarum breuitatis ſtudio,ſpatiíſque, (vt Vergilius ait) excluſus iniquis prætereo,atque aliis pòſt commemoranda relinquo. Iam nec poeticen quidem,ſi ad gloriam ſpectes,vlla ex parte cum hiſtoria cõtuleris,quippe cui aut omnino fides abrogetnr,aut tum denique habeatur,cùm ſeſe maximè ad hiſtoriæ imitationem cõformet,& is haberi ſummus poetarũ debet,qui quàm facillimè quorũ velit auditoribus faciat fidem. Quapropter, & Muſæ quoq; ipſæ apud Heſiodum in libro eo,qui de deorum generatione inſcribitur, ad hunc ferè modum de ſe prædicant. Nam verſiculos ipſos,etſi fortaſſe inconditè,ad vnguem tamen Latinè exprimere conabor. Scimus falſa quidem narrare ſimillima veris. Scimus item,quoties libitum eſt,& vera profari. Sed & legũ latores,quanquàm ciuitatibus iura inſtituant,niſi hiſtoriam planè tenuerint,mendoſè ſuum officium faciant,neceſſe eſt. Vt enim pictor quidam interrogatus quónam potiſsimùm magiſtro profeciſſet,populum digito demonſtrans, Illo,inquit:ſic is,qui leges ferat, in ipſos hominum cœtus diligentiſsimè inſpicere,tanqnam in exemplar debet,vt ex ſingulorum morihus, quæ ad communem omnium vtilitatẽ pertineant,eliciat. Eaq; in vnũ contracta,& emendata, tum deniq; in medium proferat,atq; promulget. Ac neq; ipſas quidẽ quamlibet ſacroſanctas leges,quod mihi pace omniũ dixiſſe liceat,neq; ipſas,inquam,leges vtiliores eſſe hominũ generi, quàm monumenta hiſtoriarum temerè conceſſerim. Nam cùm ſit finis idem legum latori poſitus,& hiſtorico,cúmque eundem quaſi in ſcopulũ vterq; aſpiciat,videlicet vt quàm optimis morihus inter ſe homines agant,tantò tamen eſſe rerum geſtarum conditoris præſtabilius officium videtur, quàm legiferi,quantò doceri hominem,quàm puniri,atq; torqueri præſtat. Ad hæc philoſophia quoq; ipſa,neq; de moribus agere,neq; de domeſticarũ,publicarúmq; adminiſtratione rerũ ſine exemplorum multiplici copia,varietatéq; ſatis poſſit. Id ſi cuiquã incredibilius videatur,maximorum, clariſsimorúmq; de ea re philoſophorũ libros,atq; in primis Ariſtotelis in manus ſumat. In quibus nullum ferè,aut præceptum,aut documentum inueniet, quod non ex ipſa hiſtoria , tanquam è capite,venáque perenni,& fonte aliquo vberrimo emanauerit : rerum verò naturam quo pacto tractabit is,qui ipſam Naturæ hiſtoriam non calleat? Negent fortaſſe id arguuli quidam noſtræ ætatis philoſophi,vt qui nec Plinii ſingulare opus de eo negotio comprobent. Idcirco videlicet,

quia

quia eſt elegantiſſimè ſcriptum, nec Ariſtotelis hiſtoriã De animalibus euolnant, quia Latinè iam & ipſa, Theodoro Gaza interprete, cœpit loqui, ii mihi ſimiles eſſe videntur ſeruis, qui dominorum hæreditate facti repentè diuites, neque quo pacto induenda ſit berilis veſtis, neq; omnino ipſius tenere ordinem norunt, ſed ſæpe apro, aut lepore turdóque fortè, aut ficedula in menſa poſitis, ipſi tamen ius aliquod fatuum, aut pulmentum, & ſordidiſsima quæq; cibaria magna ingluuie deuorant. Atq; vt prægnantes mulierculæ, cùm circa tertiũ ferè à conceptu menſem morbo eo laborant, quem Græci medicinæ authores κίτταν, id Latinè pica eſt, appellauerunt, vtiles quidẽ, conſuetóſq; cibos aſpernantur, cretã verò, & extinctos carbones, aut rudera aliqua auidiùs comedũt, quòd multa videlicet in ſtomacho excrementa malè concocta habeant. Ita ii noſtri bene quidem palliati philoſophi, cùm ſint & ipſi corruptiſsima illa ſua diſciplina imbuti, elegãteis quidem, benéq; ſentienteis ſcriptores, vtpote ſui diſsimillimos, iure faſtidiunt: inquinatiſsimũ autem quenque authorũ maximè quaſi blandũ filiolum amplectuntur. Libuit mihi aliquando excutere ſcrupuloſiùs cõmentaria in Ariſtotelẽ nonnulla, quæ iſti inter prima adamãt, ipſis etiam Getis barbaxiora. Deus bone, quæ monſtra in illis, quæ portenta deprehendi, quàm aut omnino nihil ſentiũt, aut contra eum ipſum, quem interpretabantur ridiculè ſentiunt! Contuli & Græcum Ariſtotelem cum Teutonico, hoc eſt, eloquentiſſimũ cum infantiſſimo, & elingui. Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo! Vidi eum, vidi, & vidiſſe pœnituit nõ conuerſum è Græco, ſed planè peruerſum, ſic, vt ne minimum quidem alterius veſtigium in altero appareret, nihilò tamen ſecius, quæ eſt hominibus duritia oris, arrogare ſibi venerandũ philoſophi nomen haud erubeſcũt. Sed quorſum ego hæc? cùm ſint, vel iſti in primis, quibus inſania in gymnaſiis ſint poſita præmia, vt tanta mercede Latini homines nihil ſapere diſcant etiam à barbaris, cùm iaceant, prò dedecus, & neglectui habeantur bonæ, hoc eſt, Romanæ literæ, & quæ exerere caput, atque attollere paululùm oculos ſuperiore ſeculo cœpiſſent, neminem iam reliquum, aut ſanè quàm paucos habent, qui ſubleuare eas, qui erigere proſtratas conentur. Quæ quidem laus propria eſſe veſtræ huius Reipublicæ debuit Florentini, vt qua in ciuitate nuper eæ ſunt renatæ literæ, in eadem etiam alerentur, adoleſceréntque, priſtinúmque vigorem aliquando, atque antiquam virtutem recuperarent. Sed redeo vnde digreſſus ſum, ne ipſa quidem philoſophia, inquam, ſine hiſtoriæ adminiculo ſuũ curſum tenebit vnquam, non magis, quàm ſine velis nautæ, atque remigio, vtque valentius, efficaciúſque docendi genus per exempla, quàm per præcepta eſſe nemo non fateatur, ita prolixius humanum genus hiſtoria, quàm philoſophia demeretur. Ac philoſophiam quidem multi ceu prorſus inutilem, & neque imperantibus, neq; Rempublicam adminiſtrantibus accommodatam reprehenderunt, multi etiam grauiùs inſectati verbis inceſſerunt, nõnulli autem, inter quos Cicero, propugnarũt: hiſtoriam nemo agit ream, nemo offendit, nullius quippe patrociniũ, quæ ſit innocẽtiſsima, deſiderat, nullis peti maledictis potuit, quæ præclariſſimè de vniuerſo hominũ genere ſit merita. Agè verò quid dicam de artibus cæteris? quarum partim ad felicitatem nihil pertinet, partim (vt inquit ille) plus aloes quàm mellis habet, neq; tantos vſus hominibus, quanta affert detrimenta, quædam etiam docent, non tam quo pacto erigere verũ poſſis, atq; fundare, quàm quomodo proſternere ac demoliri. Hiſtoria & felicitatem participat nobis, & citra vllum nocumentum prodeſt homini, & veritatem ipſam velis, equiſq; (quod aiunt) inter prima proſequitur, quapropter, vt in pauca conferã, verè hoc mihi videor eſſe dicturus, nullius aut facultatis, aut diſciplinæ tantam vtilitatem, quantã hiſtoriæ exiſtere. Nam cùm perpetua ſtigmata inurat improbis, cùm ſempiterna gloria afficiat bonos, illos à malis artibus metu dedecoris abſterreat, hos ad præclara facinora ſpe laudis adhortetur, magna meritò ex parte præſtantiſſima quæq; excellentium virorũ opera, dicta, factáq; ipſi accepta referentur hiſtoriæ. Sed quoniam de ea vniuerſa ſatis (ni fallor) pro tempore locuti ſumus, pauca etiam de illuſtrium vitarum ſcriptoribus perſequamur, qui mihi quidem tantò eos antecellere vidẽtur, qui multifariam illam hominũ, locorum, temporúmq; diuerſorũ, quaſi ſyluam in mediũ exponũt, quantò & diligentiùs ſingula quæq; exprimere, & faciliùs imitari, atq; effingere quàm vniuerſa quis poſsit. Itaq; nũquàm ego, aut Plutarchum minùs hominibus, quàm Herodotum, aut Suetoniũ, quàm Salluſtium fatear contuliſſe. Vt enim Sertorianus robuſtiſsimus miles totam ſemel equi caudam manu cõprehenſam auellere non potuit, quam deinde tamen lixa imbecillus ſetas ſcilicet ipſas ſingulatim carpens, paulo negotio depilauit: ita imitari congeſta in vnum varia exempla difficile ſit omnibus, ſeparata autem, atq; digeſta facilè cuiuis liceat. Authoris prætereà mens cogitata illa ſua rectiùs quaſi ſagittas collineabit, ſi ſenſum totum, atq; animum vnum ad argumentũ, atq; perſonam, vnámq; quaſi ad metam direxerit, quàm ſi eodem tempore diuerſas in partes circumegerit. Neq; autem maior continentibus illis ſcriptis voluptas ineſt, cùm nihil æquè hiſtoriæ lectorẽ afficiat, quàm varietas ipſa rerũ, in qua ancipites inſint hominum caſus, inexpectatíq; euentus: itaq; etiam quoquo modo ſcripta (vt Plinius inquit) delectat, quòd ſunt natura homines curioſi, & qui nuda etiam rerum cognitione capiãtur ea, quæ haud minùs hoc ſcribendi genere, quàm perpetuis hiſtoriis exprimuntur. Cætera verò ad ingenii modò oſtentationem pertinentia, neq; ſi adſint, aſperner, neq; ſi abſint, magnopere deſiderem. Vt enim Nicoſtrato illi ab Hercule oriũdo maximo quidẽ athletæ, ſed turpiſsima facie homini, nemo idcirco Mileſium illi Alcæum luctatorem & ipſum in ſtadio præpoſuerit, quòd eſſet adoleſcens formoſiſsimus (neque enim de forma illhic agitur, ſed de virtute) ita nec hiſtoria, ſi qua ei extrinſe-

cus ornamenta,velut equo phaletæ adiungantur,nudæ buic,atq; fobriæ,fuáſq; tantùm partis exe
quẽti anteferretur. Vt neq; citharœdum ſanus quiſquam optimũ eſſe eum affirmauerit,qui quàm
pulcherrimã purpurã ſit indutus,ſed cui & in fidibus,& in cãtu numerorũ, & modulationis ratio
conſtiterit. Ad illa mihi pro ſe quiſq; aduertat animũ,quantũ domeſtica in iis, interioráq; exem
pla,magis,quàm in ſuperioribus repræſententur, quæ mihi baud dubio multò eſſe cõducibiliora,
vtilioráq; videntur,quàm eorũ,quæ in foro,quæ in bello,quæ in luce,atq; in oculis deniq; homi
num gerantur. Altera enim perſæpe & ſimulata,& tẽporaria,altera propria ſemper,& perpetua eſ-
ſe ſolent. Nemo enim,quod in prouerbio eſt,diutiùs perſonam ferre poteſt. Atq; hæc ſingula ita
Suetonius hic noſter perſecutus in ſua biſtoria eſt,vt præter explicandi ſcientiã, qua mirificè eſt
vſus,etiam diligentiã nobis,fidémq;,& libertatẽ ſuam planè probauerit. Nulla in his libris ſuſpi-
cio eſt gratiæ,nulla ſimultatis,nihil ſtudio dictũ,nihil ſuppreſſum metu,rebus ipſis data omnia,ve
ritati in primis ſeruitum eſt,vt planè appareat ad perpetuam magis poſſeſsionem(vt Thucydides
ait) quàm ad intuitum hoc opus,pugnámq; præſentem cõparatum eſt. Nam qui aut fœdis aſſenta
tionibus,aut malignis obtrectatiunculis,ſupra quàm res ipſa poſtulet, quaſi ſeruire hiſtoriam co-
gunt,ii mihi haud minùs eam dehoneſtare videntur, atq; ii, qui Herculem ipſum depingant Ly-
diæ Ompbalæ in muliebri,& crocina tunicula famulantẽ,ſedentémq; cum lana,& colu inter an-
cillulas,cùm interim domina leonis induta ſpolium,clauam illius manu ſuſtineat,ac ſupplicantis
herois caput ſandalio cõmitiget:quam ob rem laudandus in primis Macedo Alexandet,qui Ari-
ſtobulo hiſtoriam de ſuis rebus geſtis inter nauigandum recitanti , vbi homo adulator multa ſu-
pra veritatẽ affinxerat,ereptum manibus librum in Hydaſpen fluuium demerſit, Et tu, inquiens,
ô Ariſtobule,eodẽ fueras pacto præcipitandus, qui iſto modo ſolus pro me depugnas , quíq; vel
iaculo ipſo interficias elephantos. Et iure id quidem : res enim ab aliis accipere ſcriptorẽ decet,
ipſum domo prudentiam,eloquentiámq; afferre. Nam vt Phidias,Praxiteles,Alcamenes,aliíque
inſignes ſtatuarii,non ipſi aurum,argentũ,ebur,reliquam materiã conficiebant,ſed ab Eleis puta,
Argiuis,Athenienſibus acceptã perpolibant,deſecabant,cõponebant,coagmentabant, formabãt,
auróq; inſpargebant,itaq; ſe præclarè artificio ſuo ſatisfeciſſe exiſtimabant: ſic eum profectò,qui
ſit res geſtas poſteritati cõmendaturus,redigere quaſi in quadram,quæ facta ſint, atq; in ordinem
oportet, eáque quàm maximè apertè,euidentérq; diſponere,ſic vt qui audiat,non tã excipere ſibi
auribus,quàm vſurpare oculis videatur. Atq; hanc in primis captare hiſtoricus laudem debet , vt
libertate vſus maxima in ſcribendo,vt neq; aſſentationi quaſi obnoxius,neq; obtrectationi quaſi
offenſus,ſed fidei ſeruiſſe,atq; incorruptæ veritati exiſtimetur,ne quid in eo ſeruile,néve quid ma
lignius deprehendatur,ſic vt nec vilis conditionibus ſolicitatus, neq; mercedula cuiquam aucto-
ratus,ſed ſui homo iuris,rectus,atq; intrepidus neutram in partẽ præponderet. Neq; enim debet
huius operis conditor,inaneis illos præſentium rumuſculos ſtatim quaſi manu pretium aucupari,
ſed ſolidum poſteritatis expectare iudicium. Id quod feciſſe Cnidium quendam architectum di-
cunt,qui fabricatus regi maximam illam,pulcherrimámq; in Pharo Aegypti turrem,vnde videli
cet nautis nocturna lumina oſtenderentur, ſuum quidem nomen in muri ipſius lapide clàm inci-
dit,calcem deinde ſuperinducẽs nomen inſcripſit Regis,fore id,quod accidit,auguratus, vt haud
multò pòſt literæ illæ cum lorica ſua defluerent,atq; inſculptũ ſaxo apparerẽt,Soſtratus Dexipha
nis Cnidius diis ſalutaribus ob nauigantes. Non igitur ſeculi tantùm ſui leuiſsimum captabat ap
plauſum,ſed ſibi in longum tempus,dum turris illa ſtaret,proſpiciebat. quod idem eſt in hiſtoria
aſpiciendum. Præſtare autem Hiſtorico perennem laudẽ veritas in primis poterit. Sunt enim po-
ſteri rerum ſcriptarum acerrimi iudices,& qui à falſis æquè diſcernant vera,atq; aurum purum fa
cilè peritus argentarius ab adulterino dinoſcat. Quocirca tantum abeſt , vt hic noſter quicquam
vel metu,vel ſtudio adductus,rebus ipſis detraxerit,vt Neruæ etiam, Traiani, Adrianíq; ſuæ æta-
tis Imperatorum vitas tacere præoptauerit,quàm aut periculoſè de viuentibus malè ſentire , aut
extollendo potentiores,parum videri liber,ſed neq; aut obſcœnitatis apud hunc quiſquã,aut cru
delitatis exempla reformidet. Siquidem & Lacedæmonii (vt eſt apud Plutarchum) ſoliti etiam
ſunt per feſtos dies bene potos ſeruos,atque ex eo parum ſui compotes, quos illi εἵλωτας vocabãt,
oſtendere inter conuiuia,atque illo pacto docere adoleſcẽteis,quantum in ſe mali ebrietas conti-
neret. Et Thebanus Giſmenias bonos iuxtà, malóſq; tibicinas diſcipulis oſtendens, Hoc modo,
aiebat,canere oportet,illo non oportet. videlicet collatæ vitiis virtutes,magis aliquantò,quàm ſi
ſeorſum inſpexeris,diluceſcunt. Fuere autem ex Romanis omnibus Imperatoribus nimis quàm
pauci probabiles,vt non ridiculè à ſcurra quodam mimico dictũ ſit,in vno annulo bonos omnes
principes perſcribi poſſe,atq; depingi. Cuius quidem rei multæ in promptu cauſæ ſunt,licẽtia in
primis,qua,(vt Comicus inquit)deteriores ſumus:rerũ deinde affluentia,quæ parens contumeliæ
eſſe ſolet. Itaq; feris tauris faſciculos è fœno antiqui paſtores alligabant cornibus,inſinuantes (vt
mihi quidem videtur) nulla adeò ab re alia nimiam illam ferociam,quàm ab ſaturitate proueni-
re. Vnde in prouerbium quoq; adducta res eſt,vt cùm cauendum à quoquam ſignificare velimus,
illum dicamus fœnum in cornu gerere. Poſt hæc amici,aulici,ſatellites,improbi,factioſi,deteſta-
biles,in quoduis facinus conſpirantes,vt verè ab homulio quodam dictum Traiano Imperatori
fuit,meliorem eſſe Rempublicam,& propè tutiorem,in qua princeps malus eſſet,quàm ea,in qua
ſint amici principis mali : vnus quippe à multis facilè corrigitur,multi ab vno ſuperari nulla ra-
tione poſſunt. Ad hæc ignoratio rerum omniũ. Pleriq; enim aut rapuerũt prius,quàm mererẽtur

Imper

Imperium,rem inuidiosissimam,aut ad ipsum tempestate quadam, quasi ad scopulum impegerūt, aut impositum sibi illud onus priùs,quàm vires consuluissent,subierunt. Quapropter vt homines equitandi parum periti,facilè ab equo sternace excutiuntur,ita ii sunt à principali solio nullo ferè negotio deturbati:vt à priuato adhuc Diocletiano verè videatur dictum, Nihil esse difficilius, quàm bene imperare. Sed de his hactenus. Nunc quæ de Suetonio ipso comperta habeamus, haud multa illa quidem,sed multo conquisita labore paucis perstringamus. C. Suetonio Tranquillo pater fuit Suetonius Lenis, Othonis Augusti clauius,& qui bello ad Bebriacum interfuerit tertiædecimæ legionis tribunus. Ipse Tranquillus Adriani principis epistolarum magister aliquādiu fuit, cui tamē successor à principe deinde est datus,quòd se apud vxorē Sabinam iniussu eius familiariùs egerat,quàm reuerentia domus aulicæ postularet. Hunc nōnulli inter grāmaticos recensent, ac declamatorē fuisse perhibent:egisse eundem etiam causas,de epistola quadā Plinii colligimus. Cuius tamen in recētioribus libris mendosa est inscriptio,Non Suetonio Tranquillo,sed Septitio Claro,qui præfectus prætorii apud Adrianum fuit. Nostræ lectioni vetustissimorum codicum fides adstipulabitur. Familiare ei Suetonio fuit amare breuitatem. Idem à Flauio Vopisco emendatissimus,& candidissimus scriptor appellatur. Libertas illa, qua malorum principum vitia persecutus est,etiam cuidam post eum magno stetisse dicitur:nam sceleftissimus Imperator Commodus,eum,qui Tranquilli librum vitam Caligulæ continentem legerat,feris obiici iussit,quòd eundem diem natalis ipse habuerat,quem & Caligula. Historia duodecim Cæsarum à Iulio in Domitianum vsque descendens,octo in volumina tantùm distribuenda est. Scripsit item permulta alia, vt de Græcorum lusibus librum vnum,de Romanorum certaminibus,& spectaculis duos,de anno Romano vnum,de signis,quæ in libris reperirētur vnum, ad hæc de Republica Ciceronis contra Didymum grammaticum,de vestium genere,atq; nominibus,de ominosis verbis,& vnde quæque fuerint appellata,de Roma ipsa,eiúsque institutis,& moribus libros annales,primū etiam stegma, seriémq; illustrium Romanorum,de quo scilicet volumine & diuus Hieronymus meminerit, de officiorum institutione,de prætoribus,cuius & quarto,octauóq; libro,nonnulla verba,& Priscianus adducit. Et scriptor alius de poetis,idémq; de triumphis agens, Tranquillum vtrobiq; allegat authorem. Scripsit etiam de vitiis corporalibus,vt meminit Seruius in Bucolicis. Extat prætereà, sed mutilum,atq; dimidiatum,quod ei quoq; adscribitur,opusculū de claris grāmaticis, & rhetoribus. Atq; hæc ferè sunt,quæ de authore hoc ex diuersis vel Græcis,vel Latinis scriptoribus primi nos (quod arroganter tamen dictum videri nolim) sed certè primi nos (absit inuidia) collegimus,primi quantum video in medium extulimus. Nam de his omnibus apud Domitiū quoq; ipsum Aristarchum alterū,vt isti volunt esse,mirum silentium est,qui tamen sinisteriora quædā de Suetonii moribus consectatur,Marii,nescio cuius,testimonium citans. Nos enim adulescentes,ipsum me sæpe audiri Domitium, cùm diceret habere se peculiarem Marii Rustici librum, quem cæteris incognitum secum de Gallia attulisset,qui tamen codex,ne extincto quidē illo,nunquàm comparuit. Atq; ego quidem studio incogniti mihi scriptoris incensus,etiam ad ipsius Domitii parentis Benaci lacus accolas accessi, omnémq; eius librorū supellectilem scrutatus, Mariū certè hunc Rusticum inueni nusquam. Itaq; neq; obfirmabo temere,quæ ille scribat, neq; vt cōmentitia refellam,quia neutram mihi in partem satis constat. Vos qui rem,qui hominem nostis,de eo pro arbitrio iudicaueritis. Scripsere,præter quos ipse adducit Suetonius, Augustorum temporum historiam,qui quidem extent,Græcè Dion,atque Herodianus, cuius in Alexandro & Maximino improbatur fides,pauca Plutarchus,nōnulla Procopius. Latini Cornelius Tacitus Suetonii æqualis,cuius ne libri lectorum incuria deperirent,iussit Imperator Tacitus in omnibus bibliothecis collocari,decéiésq; annis singulis publicitus describi:præter hunc Aelius Spartianus, Iulius Capitolinus,Lāpridius,Treuellius,Vopiscus,Marcellinus,ac si cui etiā addendi videntur,Orosius,Eutropius,Paulus,reliqui æuo interciderunt. Græci quidē Dexippus, quo etiam duce victi ab Athenienfibus sunt Gotthi,item Callicrates,Linus Græcorum longè doctissimus scriptor, alii etiam nōnulli,quos iussu Constantini principis Tacius Cyrillus è Græco in Latinū cōuertit. Latini Plinius,Iunius,Cordus loquacior pauld,& minutissima quæq; scrupulosiùs consectatus. Philippus item patris Alexandri libertus,qui & Alexandri quoq; ipsius itinera conscripsit Acholius. Præter hos Marius Maximus,Aelius Sabinus,Fabius Marcellinus, Theoclius Asclepiodotus, Astyanax, Cornelius Capitolinus,Gargilius Martialis,Suetonius Optatianus, qui Taciti Imperatoris vitā scripsit, ipse quoque Imperator Seuerus vitas bonorum principum versibus comprehendit. Et is, qui nulla fide historiam contexuerit Gallus Antipater. Hæc hactenus : reliqua, si videtur, altera commentatione transigemus.

ILLVSTRISSIMIS SAXONIAE DVCIBVS, FEDERICO SACRI IMPERII ELECTORI &c. EIVSQVE PATRVELI GEORgio, [redacted]

S. P. D.



T A B his viris, quos Fortunæ calculus Mundi gubernaculis admouit, Federice ac Georgi ducum incorruptiſsimi, haud exegerim anxiam, atque exactam ſcholaſticarum diſciplinarum cognitionem, in quibus qui conſenuerint, eos ferè ſenſu etiam communi carere videmus, tantum abeſt, vt tractandis rerũ habenis ſint idonei: ita vehementer ab iſtis diſſentio, qui reges prorſus ab omni librorum commercio, cen re noxia, ablegãt, perinde quaſi hoc demum verè regium ſit, nihil omnino vel ſcire, vel agere, præter aleam, venatus, moriones, & his etiam ſordidiores voluptates. Cum quibus enim amicis libentiùs confabuletur cordatus, & pius princeps, quàm cum iis, qui & ſemper præſtò ſunt, & ſapiunt plurimùm, & nihil loquũtur ad gratiam? Verùm nullis ex libris, mea ſententia, plus vtilitatis capi poſſit, quàm ex eorũ monumentis, qui res publicè, priuatímq; geſtas bona fide poſteris prodiderunt, præſertim ſi quis regalis philoſophiæ decretis imbutus huc acceſſerit. Etenim qui in hoc munere, rerũ gerẽdarum exemplũ, quàm geſtarum fidem ſpectare maluerunt, hactenus modò proſunt, quòd boni principis ſimulacrũ oculis ſubiiciunt, ſi qui tamen id ſcitè veréq; effinxerunt. Cæterùm ex bonæ fidei ſcriptoribus ſuper alias innumeras, hæc præcipua capitur vtilitas, quòd non alia res æquè vel bonorum regũ animos ad res cum laude gerendas accendit, vel tyrannorum cupiditates cohibet, ac refrænat, dum vtriq; cernunt horum literis ſuam vitam omnẽ mox in totius orbis, imò ſeculorũ omnium theatrum producendam, & quicquid nunc vel in abdito patrãt, vel adſcito fuco prætexũt, vel metu diſſimulari cogunt veriùs, quàm ignorari, paulò pòſt clariſſima in luce ſub oculos omnium traducendum, cùm iam metu pariter ac ſpe libera poſteritas, nec vllo corrupta ſtudio, magno conſenſu rectè factis applaudet, paríque libertate his diuerſa explodet, exſibilabítq;. Nec enim arbitror quenquam, non dicam principem, ſed tyrannum, ſic penitus omnem hominis ſenſum exuiſſe, vt vitam ſibi iucundam ducat, ſi norit ſuum nomen apud poſteros omniũ ætatum ac nationum animis tam inuiſum, & execrabile fore, quàm nunc eſt Neronis, Caligulæ, Heliogabali, Commodi, Domitiani, ac Iuliani: ad quorũ mẽtionem, ceu portẽtorum veriùs, quàm principũ, nemo iam nõ deſpuit, non abominatur, non deteſtatur. Nam Vitellius viuus etiam malè geſti Imperii pœnas dignas dedit, quas & Nero daturus erat, ni ſupplicii fœditate deterritus, ipſe ſui carnifex eſſe maluiſſet. Quod quidem exemplum vtinam in hæc vſq; tẽpora duraret, ſi quis (quod Deus omen auertat) ſimilis illorum exiſteret. Nunc enim nihil eſt impunitius, quàm quod nulla ſatis grauis animaduerſio penſare queat, malè obiti magiſtratus culpa. Iam in cæteris hiſtoriæ dotibus, quantum aliis quiſque tribuendum putet, ipſe viderit ſuo arbitratu. Illud opinor apud eruditos omnes in cõfeſſo eſſe, quod ad narrationis fidem attinet, primas deberi Suetonio: qui, vt quidam nõ infeſtiuiter dixit, prorſus ea libertate ſcripſit Cæſarum vitas, qua vixerunt ipſi. Propémodum æquarunt Suetonium hac ſanè laude, Aelius Spartianus, Iulius Capitolinus, Aelius Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio, Flauius Vopiſcus, licet eloquentiæ viribus, ſermoniſque politie multò inferiores. Próinde mihi quidem digni videbantur, vt eorum lucubrationes ſtudioſi ſumma fide ſeruarent, quorum fide factum eſt, vt tantarum rerum tam certa memoria duret in hanc vſque noſtram ætatem. Ac Suetonium quidem neſcio quo deo propitio, & antehac nõ ita paſsim deprauatum, nunc eruditorũ, meáq; opera purum, ni fallor, & integrũ habemus, ſuffragante mihi ad hoc negotii peruetuſto quodam codice, quem è bibliotheca monaſterii, apud Neruios olim, nunc Tornacenſes, vulgato cognomine diui Martini, nobis exhibuit nobiliſsimus ille Gulielmus Montioius, qui id temporis regias vices in ea vrbe gerebat. Reliquos, quoniam nullo huiuſmodi præſidio ſubleuabamur, quod vnum licuit, multò certè minùs deprauatos dedimus. Eóſq; omneis veſtri nominis lenocinio orbi commendare ſtudui, vel veſtro in me ſtudio, vel mei erga bonas literas animi propenſione vt id auderem prouocatus, quo videlicet viri imaginibus & opibus clari, magis ac magis in his philoſophari conſueſcant, & velut ad ſpeculũ vitam moréſq; cõponere. Primùm enim dum videmus mutatũ orbis Romani ſtatum, tanto ſanguinis humani impendio conſtitiſſe, ea res pium certè principem à temerè nouandis rebus deterrebit. Deinde ſpectare eſt operæpretiũ, quàm velut æſtuariis vicibus, Euripi cuiuſpiã ritu, res humanæ ſurſum deorſum voluantur, ni ſolida principum ſapientia, & incorrupta virtus fluxum hunc ſiſtat, inhibeátque. Quin & illud ſubit admirari, in tanto principum numero vix paucos extitiſſe tolerabiles, paucíſsimos probos, pleroſque non improbos modò, verùm etiam oſtenta mera, meráſque peſtes humani generis, multos etiam mẽte captos. O nouam ſeculi calamitatem, cùm vni furioſæ belluæ totus ſeruiret orbis, & ingemiſcens eandem caneret cantionem, quam ſeruus Carion apud Ariſtophanem ὡς ἀργαλέον. Et tamen huiuſmodi portenta, parricidiis, ſacrilegiis, inceſtis, breuiter nullo non dedecorum genere Impurata, tẽplis, aris, ac diuinis honoribus donabat hominũ adulatio, Fortunæ, vel magis

vel magis ſceleribus tribuens,quod eximiæ virtuti dari cõſueuit. Quis poſt hæc rectè factis graſſetur ad nominis immortalitatẽ,ſi cælum datur iis,qui indigni erant vt terram cõtingerent? Nã quòd Domitius & Commodus vterq; ſceleratiſsimus,Dei vocabulum vini etiam vſurparũt,quis non videt manifeſtariæ cuiuſdam inſaniæ fuiſſe veriùs,quàm impudentiæ?Porrò quibus de cauſis hoc acciderit vt tanta fuerit bonorum principum raritas, nondũ mihi ſatis liquet : ſiue quòd ipſa Fortunæ magnitudo plurimas res ſecũ deferr,quæ bene nata, rectéq; inſtituta ingenia queat corrumpere. Id quod faciliùs credet, qui perpenderit Neronis adoleſcentiam laudatiſsimæ indolis fuiſſe,& quo non alius adhuc fuit orbi peſtilentior,optimi tamen principis ſpem initio de ſe præbuiſſe. Tum ab hoc multò pòſt,Baſsianum Getæ fratrem,dum priuatus ageret,virum integrũ ac ſanctum peſsimum egiſſe principem: Siue quòd,vt quædam nauigia immodicè magna, vaſtáq; regi non queunt,ita totius orbis Imperiũ maius eſt,quàm vt vnius hominis animo ſuſtineri poſſit,cùm perdifficile ſit,domum etiam vnam rectè adminiſtrare. Itaq; qui maximè cupit optima, tamen Maronis illud interdum cogitur dicere, Fertur equis auriga,nec audit currus habenas. Quod,opinor,intelligens Octauius Auguſtus,vir eruditus ac perſpicax,& quod in priſcis Cæſaribus rarum comperies, perpetuò ſanus , non ſemel de deponenda Imperii mole cogitauit,& feciſſet,ſi nactus fuiſſet in cuius humeros citra publici ſtatus perniciem onus reclinare potuiſſet. Hanc ob cauſam poſteriores,negotiorum vndis impares,Imperii molem in plures partiri ſtuduerunt. Siue id iis rebus magis adſcribendum eſt,quas permultas quidem, at non omneis tamen,in Aureliano recenſet Flauius Vopiſcus. Et tamen in tanta malorum principũ turba reperias licet dignas ſancto principe cogitationes,audias voces abſoluto principe dignas, cõperias exempla in quibus nihil deſideres. Inter ethnicos inuenies, qui Chriſtiano animo Reipub.gererent Imperiũ non ſibi,qui tam laborioſæ adminiſtrationis non aliud ſpectarent præmiũ,quàm vt de rebus humanis bene mererentur,qui publicã vtilitatem liberorũ affectibus,imò ſuæ ſuorúmq; incolumitati præferrent. O nos felices,ſi Chriſtiani principes ſuæ quiſq; ditioni præſtarent animũ , quem Octauius iam confirmatus,quem Titi duo,quem Traianus,quem Antonini duo, quem Aurelius Alexander,orbi terrarũ præſtiterũt. Quin illud etiam mirãdum , reperros qui ad Imperatorẽ de Imperatoribus non ſolùm liberè, verumetiã contumelioſè ſcribere auderent. Nam id quidã exigunt,vt de iis quoq; qui Reipub.præſtiterunt , non principes,ſed tyrannos , honorificè mentiamur:id agentes ne quando libertatis exemplũ in ipſos recidat. Sed multò magis ad rem pertinet, in his cõtemplari nomen illud Imperii,quod & olim orbi ſacroſanctum auguſtúmq; fuit,& nunc etiamnũ multorũ affectibus religioſum ac venerabile eſt,cũ aliquot iam ſeculis nõ ita multùm ſuperſit,præter illuſtrẽ magni nominis vmbrã,quàm fœdis initiis in mundũ irrepſerit. Primùm in Iulio ſceleratè,mox in Octauio,Lepido & Antonio ſceleratiùs. Quid nõ poteſt Fortunæ libido in rebus humanis?Poteſtas ea quã poſteà diis æquauit hominũ cõſenſus,impietate,cædibus,parricidiis,inceſtis, tyrannide,condita, conſecratáque fuit. His felicibus auſpiciis cœpit illa regibus totius orbis adorata maieſtas. Ac ſceleratiùs ferè propagata fuit, quàm nata. Fœda barbarorum militum colluuies frequenter,non ſuffragiis, ſed inſanis tumultibus dominum orbi dabat. Nec alia ferè ſuccedendi lex,niſi mactato ſuperiore. His auibus olim auſpicabantur Imperium , quod nihilò ſecius tamen interim emendum erat, quanticunq; inexplebili militum auaritiæ libuiſſet. Nec ſatis erat in vnum ſæuire caput. Ad liberos,ad affines,ad amicos omneis crudeliſsima laniena proferebatur: ac ſæpenumero reciprocantibus,vt fit,vindictæ vicibus,quos viros,quas matronas efferа immanitas indignè laniabat? Sæpe pluribus hinc & hinc Imperiũ ad ſe trahẽtibus miſcebatur omnia. Ita ſemper ad nouũ Imperii ſucceſſorẽ,totus terrarũ orbis concutiebatur. Sũma rerũ in manibus erat nõ Senatus,non populi Romani,ſed mercenarii facinoroſíque militis. Nec aliter imperare licuit,neq; diutiùs imperare licuit,quàm illis belluis collibuiſſet, qui nec bonos, nec malos principes diu ferre poterãt. Alius parcior erat,alius profuſior,alius eruditior quàm vellẽt, alius matri obſequentior,alius militaris diſciplinæ tenacior, alius imbellis , alius immodicè bellator, alius in Senatũ propenſior,alii cognomẽ obſtabat militi parum gratioſum,alii affinitas. Quamlibet leuis cauſa ſatis erat iſtis ad iugulandũ orbis principem. Deniq; vt nihil eſſet cauſæ, expediebat illis ſubinde mutare principem. Inſatiabilis habendi fames ad res nouãdas incitabat. Trucidabatur vt inutilis,quẽ iam exuxerãt,accerſebatur alius qui exhauriretur,mox & ipſe trucidãdus. Atq; hiſce rebus factũ eſt,vt nonnullorũ Imperium paucis modò menſibus, nonnullorum paucisſimis etiã diebus finiretur:vt me quidẽ inter legendũ crebrò ſubeat admiratio,fuiſſe vllos, qui tum tẽporis vellẽt Imperii vices capeſſere, cùm tot exemplis didiciſſent,quibus legibus eſſet ſuſcipiendum. Et hoc honoris ſic venditũ,imò locatum, Imperium vocabant. O miſerũ ac deplorandum illorũ temporũ ſtatum. Oppreſſa Senatus autoritate,oppreſsis legibus,oppreſſa populi Romani libertate,ſic creato principi ſeruiebat orbis,princeps ipſe ſeruiebat iis , qualẽ nemo vir probus domi vellet habere ſeruũ. Imperatorẽ timebat Senatus. Imperator ſceleſtã illã militũ turbam formidabat: Imperator leges dabat regibus:at huic leges dabant conductitii milites. Summa rerum orbis ab armata paucorum temeritate pendebat. O magnificã & exoptãdam omnibus monarchiã. Et tamẽ neſcio quo pacto,velut ex cõpoſito cõueniebat inter Cæſares & milites Cæſarũ dominos,quos legimus aliquoties ſe decimari paſſos ab iis,quos mox erãt ſuo arbitratu iugulaturi,quaſi vices alternas inter ſe pacti,dominãdi,ac ſeruiẽdi. Nõ hoc eò dicitur,vt perſuadeã illegitimã fuiſſe Cæſarũ potẽtiã,cũ vi iureq; belli,atq; etiã ſcelere parta ditio paulatim cõſenſu multitu

dinis radieibus actis fiat legitima. Alioqui si quis ab extremis initiis repetat ditionum origines, pancas reperiet legitimè natas. Scitum est illud [illegible] de Catone, Qui non patitur mutari præsentem Reipublieæ statum, is mihi & vir bonus, & bonus ciuis videtur. Tectè confessus est, Iuliū per nefas occupasse monarchiam, non oportere tamen iam nouatum, & eonstabilitum Reipubli. statum, denuò nouari. Satis constat nullum Imperium neque patuisse latius, neq; mansisse diutius quàm Romanorū: quanquā hoc Imperium primitus penes Senatū, ac populū erat: nec subitò, sed paulatim ad vnum summa rerum attracta est. Nec Senatus tamē, nec Imperatorū quisquā totius orbis monarchiā tenuit. Nā præterquā quòd aliquot notæ regiones nunquā agnouerūt Romanū Imperiū, non minima pars orbis tum erat ignota, cùm prodigiosæ vanitatis haberetur antipodū mentio, & terra sic erederetur innatare Oceano, quemadmodū si pila innataret aquæ, colle tantū aliquo prominente. Deniq; cùm hodie reperiantur terræ incognitæ, quarū terminos nullus adhuc peruestigare potuit, cùm compertū sit, eas esse immensæ vastitatis. Sed Imperii Romani maiestas paulatim ad Euangelieæ lucis fulgorem, veluti Luna ad Solis splendorē elanguit. Tandem barbarorū inundationibus extinctum est, ae multis pòst seculis Romani pontifices restituerunt, sed nomē veriùs quàm rem. Quid enim aliud potuerūt? Certè eligendi ius à tumultuario milite ad certos principes rectè translatū est, qui summa, vt par est, religione, nullo mercedis interuentu darent orbi principē, quem seirēt rebus humanis maximè fore salutarē. Etenim si tot legibus mi naeissimis cautū est, ne Abbas, aut Episcopus eligatur vel pecuniæ, vel cuiuscunque sinistri affectus corruptela, quanta oportet esse integritate, qui suis calculis principem dant tam latè regnaturum? Alioqui longè præstabilius erat nasci principē, quàm per eorruptelā eligi. Ergo vt boni ciuis est præsentem Reipub. statum nolle mutari, ita boni principis est, iis legibus quibus suscepit administrare principatū. An vetus illud Imperiū quale fuit olim renouandū sit, nescio. Equidem non arbitror qnenquā esse cordatū virum, qui id optet, etiā si votis liceat restituere, tantum abest, vt quod iam multis seculis maxima ex parte sit antiquatū, extinctūmq;, magno rerum humanarū tumultu, summáq; Christiani sanguinis iactura, vindicādum ac reuocādum videatur: præsertim cùm inter ethnieos etiā hoc animo repertus sit Otho, vt potiùs duxerit spontanea morte vitam abrūpere, quàm Imperiū tot hominū vita mercari, vir vel ob hoc ipsum dignus Imperio, si fortuna virtuti faueret. An parū est suum quanq; regionē habere dominum, nisi singulæ rursus alium haberent dominū, cōduplicata populi seruitute? si summa rerū inciderit in principem improbum. Nec hæc dixerim quòd negem optimū esse Reipub. statū monarchiā, si modò is ad æterni numinis exemplū quantū potētia cæteris antecellit, tantūdem vincat & bonitate sapientiáq;: sed partim, quòd, vt sunt hominū ingenia, haud scio an huiusmodi quispiā possit cōtingere, partim quòd etiāsi maximè cōtingat, vix arbitror capacē esse tantæ ditionis vnius mortalis animū. Demū vt sit, quādo princeps tam procul agēs, puta Constantinopoli, cognoscet quid agatur apud Aethiopas, aut Gangen: & si cognouerit, quando mittet suppetias? Etenim qui vectigalibus exigendis tantū agit Imperatorē, is quiduis est potiùs, qnàm Imperator. Non admodū desiderabic orbis monarchā, si Christianos principes inter se iunget cōcordia. Verus & vnicus orbis monarcha CHRISTVS est, in cuius edicta si nostri principes cōsenserint, sub vno principe verè florebunt vniuersa: sin humanis cupiditatibus res gerētur, æterna rerū vicissitudine semper fluctuabimus, iactabimúrque. Et tamen maximā huius felicitatis partē ipsi nobis præstare possumus, si cōcordibus studiis ad id, quod per se optimū est, contendamus. Atque ego sanè ita demum arbitror feliees fore Respub. si principes sanctè Christianeq; instituti, simul atq; susceperint regnū, pariter & animum regno dignū suscipiant, publicis cōmodis metiantur cōsilia omnia, ab omni tyrānidis specie velut à peste quadam abhorreāt, ac pro se quisq; certet, quod sortitus est regni, non amplius, sed melius successori tradere; omnes pariter adnitātur, ne bellū vllum fit, potiùs quàm vt bello vincāt, neq; vllis sit opus copiis, magis quàm vt bis rebus sint instructi, pacis artibus magni videri studeant, quæ cōsiliis animíq; viribus cōstant. Equidem si quid nouari posit absq; rerum tumultu, iudicarim ad publicā orbis Christiani tranquillitatē magnopere pertinere, si certis fœderibus ex vsu publico sua cuiq; ditionis pomœrla præseribantur, quæ semel constituta nullis affinitatibus, aut pactis, vel eōtrahi possint, vel proferri, prorsus antiquato veterum titulorū iure, quos quisq; pro re nata, cùm bellum affectet, solet prætexere. Quod si quis fortè clamitet, ius nescio quod suū adimi prineipibus, is illud mihi secum reputet velim, num æquum censeat, ob huiusmodi iura, quæ siue habet aliquis fortassis, siue fingit, orbem Christianū impiis ac parricidialibus armis sine fine collidi, tot innoxios aut interimi, aut perdi, tot immeritas fœminas affligi corrumpiq;, deniq; totam illam malorum tragœdiam, quæ bellum omne secum defert, in vitam hominum inuehi. Nā bis fontibus omnia ferè bella, quæ nostra memoria vidimus, profecta esse constat. Verùm hæc non tantùm παρεργότερα videri possint, verumetiam impudētiùs ad vos scripta, prinelpes vt magnos, ita cum primis sapientes, ad hæc, quod est in ista fortuna ratissimū, librorum etiam præsidiis cum primis instructos. Siquidem tuas eximias Federiee dotes cùm sint insigniter insignes, nō mirum si famæ celebritas ad nos vsq; deuexit. Te verò illustrissime Georgi, patrueli laudatissimo per omnia similē ac verè germanū è propinquo cognoui, dū Phrysiā nobis finitimā administrares. Bene valete principes verè felices, stēmatis quidē illustrissimi, sed ornamētis animi longè illustriores. Istos animos vobis seruet CHRISTVS Optim. Max. vos orbi Christiano, vestríq; similes nobis cōplures velit existere. Antuerpiæ Nonis Iuniis, M. D. XVII.

Erasm

[redacted]candido lectori S.



CVM hanc editionem iam adornassem, commodùm allatus est Suetonius Aldinis typis excusus, sed emendatus opera Baptistæ Egnatii, viri cum primis tum integri, tum eruditi. Nam vtrunque iuxtà requirendum arbitror in eo, qui veterum lucubrationes emendandas aut explicãdas suscipit. Atq; vtinam vt Suetonium, Aurelium Victorem, & Eutropiũ dedit, itidem & Aelium Spartianum, cæterósq; huic adiũctos nobis dedisset, in quibus nos permulta restituimus. Nam omnia quî poteram, nisi codicum antiquorum auxilio adiutus? Tametsi & in Tranquillo nonnulla restituimus, quæ Egnatium licet oculatissimum suffugerant. Velut in Cæsare Dictatore cap. XVIII. Eodem modo Nonium Quæstorem quòd compellari apud se maiorem potestatem passus esset, Modò expunximus ex fide vetustissimi codicis. Siquidem eodem hîc aduerbium est, vt subaudias coniecit. Sunt hoc genus & alia nõnulla, sed minutiora, quàm vt operæpretium sit singillatim recẽsere. Cæterùm quod in Othone Egnatius legendum putat τί γάρ με δεῖ καὶ τοῖς μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν, ab illo dissentio, quòd hæc ferè verba Beroaldus ab erudito quodam admonitus ex Dione huc transtulerit. Neque variant hîc quæ viderim exemplaria. Tantum in nonnullis pro αὐλοῖς vitiatum erat ἀσύλοις. Legendũ igitur haud dubiè, τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς; id est, quid mihi cũ lõgis tibiis? Qua de re copiosiùs nobis dictũ est in Adagiorum Chiliadibus. In Caligula pro nec dicendi finem factum, restitueramus ex exemplari peruetusto, nec licendi finem factum: etiam si pòst cõperi locum hunc à Budæo nostro correctum in Asse. Hoc admonere visum est, quò plus ponderis habeat Budæana castigatio, quanquã ea nullius vetusti codicis præfatur authoritatem. Porrò quod in Augusto legitur,

Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς τι ποιεῖτε, Id est, date plausum, & omnes vos cum gaudio quippiam facite. in quo & Egnatius hallucinatus est, ego, ni fallor, & vnus, & primus restitui, idque ex qualibuscunque vestigiis antiquissimi codicis. Legendum igitur ad hunc modum,

Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς, siue ἡμῖν, μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε. Id est, date plausum, & vos omnes, siue omnes nobis cũ gaudio plaudite. Est enim versus Trochaicus. In vetusto codice scriptũ videbatur κτυπεῖτε, vt sit trochaicus brachycatalecticus. certũ est esse clausulã Græcæ comœdiæ. Præcesserat antẽ in exẽplari nostro & alter huic similis Trochaicus, aut certè hemistichiõ, sed figuris elemẽtorum adeò deprauatis, vt quid scriptũ esset non quiuerimus cõiicere. Iam quod est in Vespasiano,

ὦ λάχης λάχης Ὅταν δ' ἀποθάνῃς αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς ἀρήσῃ κήρυλος.

Si quid suffragarentur exemplaria, lubens legerim ad hunc modum,

ὦ λάχης λάχης Ὅταν δ' ἀποθάνῃς αὖθις ἔσῃ κήρυλος. Id est,
O Laches, Laches, At vbi mortuus fueris, rursus eris Cerylus.

vt ὦ λάχης λάχης sit clausula prioris carminis, cui succedit integer Iambicus trimeter. tametsi hac de re nolim contendere. Cæterum de nummorum analogia, si quid à Budæo dissentit Egnatius, Portium suum secutus, quod nobis nec otium suppetebat, nec ad hunc laborem propriè pertinebat, nõ fuit studium excutere. Addidimus autem indicẽ, quo potissimùm annotauimus, si quid nouè, prætérque superiorum authorum consuetudinem, aut si quid etiam Græcanicè dictum est, ne nihil sit lucri, quod lectorem ad emendum inuitet. Nec hoc tamẽ solum accedet, quin & quicquid adiecit Egnatius, hîc habes, & prætereà nõnulla, quæ nos soli etiam restituimus. Bene vale.

Annotata in C. Suetonium Tranquillum PER DESIDERIVM ERASMVM ROTERODAMVM.

Circa

Deuot

Mansio

Terra

Annotatorum in C. Suetonium Tranquillum, per Des. Erasmum Roterodamum, Finis.

IOANNIS BAPTISTAE

Egnatii Veneti, in C. Suetonium Tranquillũ annotationes.

EGNATIVS LECTORI.



ON A B re futurum existimaui, quando hoc totum industriæ dicatum est à me bonis, ac literatis viris, si quos locos, aut in melius emẽdaui, aut dilucidius explicaui, subnecterẽ, eósq; nullo maiore verborum apparatu, aut copia publicarem, tũ quòd nec otii satis erat longe maioribus districto, tum quod ab ostentatione semper absui, quæ cùm in omni re odiosa sit, tum in rebus paruis odiosissima esse iure solet. Accedit ad hæc, quòd doceri tantum lectores hoc tempore volui, quos eò mihi æquiores futuros arbitrabar, quò maturius illos dimisissem, properantes videlicet & in hæc, vt ex iusto itinere viatores, otii causa diuertentes.

EX D. CAESARE.

FOrum de manubiis inchoauit, cuius area super H-S millies constitit.] Tametsi Latini scriptores ad hanc diem corruptissimi magna ex parte sint, quædam etiã adeò obscura, vt nec ab eruditioribus intelligi queant: ea tamen pars, quæ ad numeros spectat, & corruptissima ad nos transiit, & nullis adhuc satis cognita, aut percepta videri poterat. Attulit autem huic malo opem primus (quod ipse sciam) Leonardus Portius, Vicẽtinæ nobilitatis præcipuum decus, libello iam abhinc quinquẽniũ huic vni rei destinato, in quo summa breuitate, & dilucidirate priscos numeros, argenti, & auri vsum apud veteres, numismata, & eorum pretium ac nomina attigit. Quæ palma tantò illum illustriorem fecit, quãtò res obscurissima illustrata eius opera plus negotii habuit. Quotus enim quisq; ex iis, qui humaniores literas profitentur, fuit, qui rem tam perplexam attingeret? Quis cùm ad hanc partem venisset, aut codicum fidem non requireret, aut rem omnem planè non dissimularet? sed nec ipsi authores satis cõstantes erant, & notæ, rerumq; vocabula sic vel corrupta, vel perplexa, vt desperata semel re, iã neglectui haberetur, patrocinante sibi adinuicẽ multorum inscitia, quæ tacito præiudicio summam causæ difficultatem prætẽdens, Areopagitarum more in centum annos rem acquirendam pronuntiaret, vt huiusmodi cunctatione nec ipsa se proderet, & differendo inexplicabile negotiũ relinqueret. Nos igitur, vt ingenue fateamur, Portium secuti, mille H-S, non millies legendũ existimamus, quoniã ea summa fidem omnem excedat: nam si millies H-S leges, erit tanta pecuniæ vis profusa, vt iniri ratio vix possit: sed & à Plinio dissentiet, qui de hac Cæsaris magnificẽtia loquens, ita scripsit: Pyramides regum miramur opera, cùm solum tantum foro extruendo H-S mille ducentis Cæsar Dictator emerit, hoc est xxx. aureorum nostratium. Qua de ratione aliâs inferius.

Idem Tranquillus sic de triũpho Cæsaris scribit: Ascenditq; Capitolium ad lumina xl. elephantis dextra, atq; sinistra lychnos gestantibus.] Nos pro lychnis lychnuchos substituimus, & veterum codicũ fidem secuti, & vim verbi. Primùm enim vsitatũ hoc Græcis est verbum, Athenæi authoritate, quæ lucernã significet, vel Alexidis Comici poetæ testimonio in Midone: ὃς πρῶτος ἐγὼ μετὰ λυχνοῦχον περιπατῶν τῆς νυκτὸς, ἦν τις κηδεμὼν τῶν δακτύλων. Hoc est,

Qui nocte lychnuchum ambulans gessit manu,
Profectò digitis plurimùm is cauit suis.

Nec Lucret. aliud innuit pulcherrimis illis versibus,

Si non aurea sunt iuuenum simulacra per ædes,
Lampades igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis vt suppeditentur,
Nec domus argento fulgens, auroq; renidet,
Nec citharis reboant laqueata, aurataq; templa.

Hæc verò nominũ forma vsitata Græcis, vnde ceruchon, sceptuchõ, ophiuchõ. Iam & C. Plin. lyhnuchos pensiles dixit, quod & Hermolaus noster agnoscit, vetere etiam lapide suffragãte hoc titulo, Panthei cum suis paregeis, & cupidines duo cũ suis lychnucheis. Quod monimentũ cùm primus obseruasset Politianus vir eruditione multa, Tranquilli locum primus (vt opinor) emẽdauit, quare Crinitus docti & probi viri officio functus, veteri possessori fundum vendicauit, non multorum more.

Conuẽtibúsq; peractis Rauennæ substitit.] Citãtur à Cõmentariis in ostentationẽ veterũ authoritates, nec tamẽ satis eruditè adhuc (quod sciam) quid sit peragere conuẽtus explicant, nos ne non omnia cõmuni demus vtilitati, peragere conuẽtus nihil aliud esse contẽdimus, quã iurisdictionẽ legitimã absoluere per oppida ad id destinata, quæ quãdo in ea statis temporibus cõueniretur à prouincialibus causa iuris sui persequẽdi, conuentus dicerẽtur. repræsentãt autẽ hunc morem anno vertente religiosi fratres capitula appellãtes, repræsentãt etiã maximè omniũ Galli parlamentis iam quatuor institutis, quorũ præcipuũ vrbis amplitudine, & authoritate Parisiense habeatur. Iam & veterũ fuere vxoriæ stipulationes, quæ conuenire in manũ per coemptionẽ dicerentur, de quibus aliâs. Quid illud, quod postea sequitur: Sed ante alias dilexit Marci Bruti matrem, Cui & proximo suo consulatu sexagies H-S margaritã mercatus est.] Quæ summa centũ quinquaginta millia nostrorum aureorũ facit, quando ille Cleopatræ vnio centies H-S æstimatus sit, id est aureis ducentis quinquaginta millibus nostratibus. Sequitur non longe ab hinc locus vt maioris corruptionis, sic etiam induestriæ, cùm hactenus ita sit lectum.

Sed maxime dilexit Cleopatrã, cum qua & cõuiuia in primã lucem protraxit, & eadẽ naue, thalamoq; penè Aethiopia tenus Aegyptũ penetrauit.] Vbi pro Thalamoq;, thalamego legendũ esse nulli dubiũ esse possit. est aũt thalamegus nauis à Philopatore Aegyptio rege primùm fabricata, qua Nilũ, & Aegypti fossas nauigaret, eo vsu, vt intra thalamũ in regia sibi esse videretur, magnitudine semistadii, latitudine cubitorũ xxx. & amplius, nec longis nauibus, nec rotundis omnino similis, prora, puppiq; duplici, fundo lato planoq;, quali forma fluuiatiles sunt fere omnes. Strabonis interpres thalamiferas naues hasce appellauit, quibus Aegyptii frequẽter vterẽtur solatii causa. Visitur & Venetiis in patria nauis, huic Aegyptiæ persimilis, cui Bucentauro est nomẽ, qua Princeps, & Senatus vehi solẽt occursuri principibus viris augustissima specie. Plinius septimo, vitatæ nauis meminit, quam Græci, & Sophocles in primis (vti opinor) [illegible], dixere, qua & ipsa maiore ornatu spectaretur

tur, qua ferunt à Dionysio Platonem exceptũ, honoris gratia. Nec illud omittendũ est, in quod fœdissime apsi sunt interpretes vnius literæ additione, vbi enim aquilifer legendũ erat, aquilifero legerũt, sensu nullo, pariter & inepto. Tu itaque ita leges, vt aquilifer moranti Cæsari cuspide sit minatus, eo sensu, vt cum Cæsar inclinatã aciem restituere omnino vellet, ante constãtia fugientibus obstiterit, vt aquilifer deinenti enim Cæsari cuspide sit minatus, & alter in manu detinentis signum reliquerit.

Illud est quod Commentarii aut non obseruauerunt, aut minùs intellexerũt, vbi de auro promercali Tranquillus agit, occupato altero ex his in vi verbi explicanda, nec sensum satis attendere. Quid igitur est, quod Tranquillus dicat tanta auri copia abundasse Cæsarem, vt ternis millibus numûm aurũ promercale per Italiã prouinciasq; diuederet, an quaternis millibus legendũ est, vt argenti proportio ad aurum decupla fuerit? quaterna enim millia numûm argenteorum, centum aureos nostrates valent, nõ tamen solidos, id est dempto lagio, vt verbũ hoc vsurpem vulgare, an ternis omnino millibus tueare? vt hac ratione tria numûm millia septem libras, & selibrã conficiant, id est septuagintaquinq; Venetos aureos, vt tãtam auri vim ex Gallicis spoliis Romæ inuectã putes, vt auri pretium imminueretur, argenti cresceret. Nostra autẽ ætate auri mirũ in modũ creuit pretiũ, vt propè Plinianam analogiã æquet, qui eam proportionem argẽti ad aurum facit, quæ est quindecim ad vnũ, cùm iusta videatur ea, quę est duodecim ad vnũ.

Veteranis legionibus.] Quæq; sequuntur. Hic locus mutilatus videri potest vel Appiani lectione, ille nanq; de Cæsare Dictatore loquens, Statim, inquit, post triũphum quæcũque exercitui pollicitus fuerat, ampliore adhuc pecunia exoluit militi drachmarũ Atticarũ quina millia, Turmæ ductori bis totidem, Tribunis militũ, equitibusq; duplo maius, adhæc singulis ex populo minam vnam Atticam. Hæc Appiani verba dissentire à Tranquillo maxime videntur, nõ quòd in populi cõgiario non cõueniant. mina enim Attica, id est argentea libra Romana cccc. numos н·s valet, id est denarios centum. reliqua adeò discrepant, vt quod Appianus quina millia drachmarũ militi data à Cæsare dicit, equiti duplo maius, Tranquillus de pedite reticeat, de equite nõ conueniat, nam ex Appiani sentẽtia dena millia drachmarũ data equiti necesse est, quæ Trãquillus ad sena millia reducit. Nec mirum videri debeat, quod de magnitudine militaris donatiui referimus, cùm Plutarcho authore Antonius triumuir quina millia drachmarũ singulis militibus post aciem Philippensem dederit.

Inoleuit & ille iampridẽ error Tranquilli codicibus, nec satis à Cõmẽtariis animaduersus, vt vbi Attilii Electra citatur, Accii legeretur Fuit aũt vetus Comœdiarũ scriptor hoc nomine satis celebris, quẽ tamen vt duriusculũ Cicero in epistolis ad Atticum incessit. Sed & Licinius scriptorẽ ferreum appellare solitus est, quòd dum Tragœdias ex Sophocle in Latinum verteret, duriorẽ se præstaret. scripsit autẽ hic Electram ex Sophocle, vnde carmina illa in interfectores cantata Tranquillus scribit. Volcatius Sedigitus Attilium poetam Comicum maximè laudat, qui nescio an hic fuerit.

EX AVGVSTO.

SEnatorum censum ampliauit, ac pro octingentorũ milium summa duodecies H·S taxauit. Ingenui, inquit ille, est hominis, fateri, per quem didiceris: & me hercle hunc locum perobscurũ, nec vlli, quod legerim, cognitũ, Budæus ex Gallia vir à secretis Regis primarius feliciter attigit, cuius eò libẽtiùs mentionem facio, quòd annotationibus suis in Pãdectas antea satis celebris, & tralationibus quibusdã Plutarchi nobilis, nuper editis quinq; de Asse & partibus eius libris adeò clarus euasit, vt nõ possit non summopere ab omnibus cõmendari, qui duodecies H·S & centies & millies differre plurimũ à duodecim, centũ, & mille docuerit. cuius sentẽtiam eò libentiùs sequor, quòd nõ minus doctrinæ præ se fert quàm candoris. Erit hic igitur sensus, vt Augustus princeps ab octingentis H·S, quæ summa antea census erat Senatorii, ad mille ducenta reduxerit.

Stephanionẽ Togatariũ.] Vide ne multò melius Togatarii legas, & intelligas actorem vsitata loquẽdi figura, & Latina. Etiam sparsos de se in curia famosos libellos nec expauit.] Famosi libelli qui, qualesve sint, quàve afficiendi pœna, qui eos factitãt, iurisconsulti libro Digestorũ x l v i. illud ex eorũ lectione non prætermiserim. Verba Vlpiani sunt ex eodẽ libro, hęc autẽ sunt ferè: Quę ad infamiã alicuius fiũt, vt puta si quis ad inuidiã alicuius veste lugubri vtatur aut squallida, aut si barbam demittat, vel capillũ submittat, aut si carmen conscribat, vel proponat, vel cantet aliquid, quod pudorem alicuius lædat. Sed & Pauli verba ad hanc rem spectantia, quia digna memoratu sunt, sobiectã: Eum qui nocentem infamauit, nõ esse bonum, & æquum infamari. peccata enim nocentium nota esse, & oportere, & expedire. Primus autẽ Augustus cognitionem hanc sub specie legis eius, quæ de læsa maiestate quærit, exercuit.

Tyberium in foro lege curiata adoptauit.] Parco libenter viuentiũ nominibus, libentius autẽ mortuorũ Citantur nanq; à Cõmentariis passim authores, qui curiatæ legis meminerint, nec tamen quid illa sit, tãdem explicatur. Tu ex selectis nostris in Ciceronis epistolas, quæ primus ipse (quod sciam) ediderim, pete, nec enim iniucunda fuerint.

Verùm adhibito honoribus modo, bifariã laudatus est, pro æde D. Iulii à Tyberio, & pro Rostris veteribus.] Sic hactenus omnes. Tu ita castigabis, & pro rostris sub veteribus, qui locus erat in foro, quẽadmodum & sub nouis. Vtriusq; autẽ loci meminerũt veteres authores. Plinius libro xxxv. Hinc & ille iocus Marci Crassi agentis sub veteribus. & inferius, Mœniana, inquit, operiebat Serapionis fabula sub veteribus. Plautus: Sub veteribus ibi sunt qui dãt, quiq; accipiunt fœnore. De loco autẽ qui sub nouis dicebatur, Marcus Varro, Sub nouis, inquit dicta pars in foro, ædificiorum, quod vocabulum eius peruetustum, vt nouæ viæ, quæ via iandudum vetus est. Liuius quoque, Filiã Virginius seducit ad nutricẽ prope Cloacinam, ad tabernas, quibus nunc nouis est nomen.

Legauit Popu. Rom. ccccм. Tribubus xxxv. S·н, prætorianis militibus singula millia numorũ.] Hic locus, qui Augusti principis legata continebat, admonere quenuis vel oscitantẽ poterat, maximam esse summã pecuniæ, quæ populo, quæve plebi Romanæ legaretur. nam populo, id est, patribus, equitibus, & honestioribus plebeiis (hoc enim nomine hosce contineri, vel illa vsitata loquendi forma S. P. que Roma. ostendere potest) legatũ est ab Augusto ccccм. н-s. id est, decies centena millia aureorũ nostrorum, quod nos millionũ dicimus: plebi autem, id est, infimis plane hominibus, & mendicioribus xxxv. id est, octogintaseptem & amplius aureorũ nostratium. quod & Taciti verba in primo historiarũ planè significant, cùm scribit legata nõ vltra ciuilem modum, nisi quod pupulo & plebi ccccм. xxxv. prætorianarum cohortium militibus singula numûm millia, legionariis autẽ cohor-

tibus ciuium Romanorũ, trecenos numos viritim dedit. Quinetiã illud, quod sequitur, professus non plus peruenturũ ad hæredes suos, quàm millies & quingenties. si ad summã nostrã deducas, facient tricies octies & quinquagies millia aureorũ nostrorum, quãuis xx. proximis annis ex amicorũ testamentis percepisset trecenties milles, id est triginta & amplius millionia.

Priùs quàm ab Augusto principe salubri magis quàm ambitioso, discedat oratio, facturũ me operæ pretiũ existimaui, si cursim legionũ numerum, & prouinciarũ præsidia, Reges socios, Imperii amplitudinẽ ex Taciti historiarum libro quarto hic adnecterem, vt diligentioribus etiam satisfiat. Ille igitur in hunc sensum: Italiam binæ classes infero superoq; mari vtraq; præsidebant, Misenẽsis & Rauennas, seu & rostratæ naues ad Actium captæ, eam partem Italiæ tuebantur, quæ in Galliam Narbonensem vergens Alpes maritimas, & Foroiuliensem Coloniã spectat, legiones autẽ iuxta Rhenũ, quæ Gallos, Germanosq; coercerent octo, robur fere Imperii, cùm Hispaniæ treis tantum haberent. Africa quoque, nisi qua Iuba rex Mauros dono acceptos regebat, duas habuit, Aegyptus totid., quicquid verò terrarum tractus mari nostro, & Euphrate amne cingebatur, vastóque terrarũ sinu ambiebatur, quatuor legionibus parebat, regibus Hibero, & Albano sociis, hinc rursus Europa qua Thracia, & Illyricum magna ex parte protendebatur ad Danubii ripam, sex legionibus attinebatur, hoc ordine, vt Pannonia duas, duas Mœsi, totidem Dalmatæ haberẽt, cum in vrbe proptius miles Latio, Hetruriáq; fere delectus, duodecim cohortes, tres vrbanæ, nouẽ prætoriæ suis castris attinerẽtur, vt interim per prouincias idoneas sociæ alæ, & cohortiũ auxilia non deessent, variante earũ numero ex rerũ vsu. Erat igitur triplex classis parata, legiões autẽ numero septẽ & viginti, præter auxilia fere sociatũ gentium, ac regum totidẽ.

EX TYBERIO.

NAm & seruus Agrippæ Clemens nomine.] De hoc Clemente sic sese Tacitus secũdo: Audacia seruitii propè ciuilia arma resumpta, cùm Agrippæ Posthumi seruus Clemẽs nomine in Planasiã vectus Agrippã inde abducere, atque ad Germanicos exercitus comitari statuisset, sed onerariæ nauis mora præuentus, interfecto statim Agrippa cineres eius furatur, seseq; intra Hetruriæ secreta abdens, Agrippam esse simulat, cui nec forma, nec ætate absimilis erat. Qui rumor per Italiã vulgatus cùm ancipitẽ, anxiumq; Tyberiũ maxime haberet, tandem per Sallustii Crispi clientes duos vinctus ad Tyberiũ ducitur, à quo interrogatus quomodo Agrippa factus esset, & tu inquit, quomodo Cæsar, quem Tyberius clàm necari iussit, nec de authoribus amplius quæsitum.

Et duplex seditio, in Illyrico, & Germania.] Seditionẽ in Illyrico authore Tacito Percennius quidam theatraliũ operarũ dux mouerat acerrimã, cũ milites in singulos dies singulos denarios peterẽt, cùm antea denos asses accipere cõsueuissent: peterent etiã vt sextusdecimus annus stipendiorũ finem faceret, nec vltra sub vexillis haberetur, neve in alia castra translato militi, præmiũ pecunia solueretur, quãdo prætoriani, qui binos denarios acciperẽt, post sextũdecimum annum militia defungantur, nec tamẽ tantum periculorũ, aut laboris adirẽt. & paulò pòst: Tyberiũ latitantem, & ad singula panitẽtem, nuntii frequẽtes perpulere, vt Drusum filium cum primoribus ciuitatis, & cohortibus prætoriis dimitteret, qui profectus, & varie iactatus, vix tandẽ militum animos Percennio, & Vibuleno authoribus cæsis leniuit: relictis enim castris in hyberna concessere. Et mox idem author addit: Eadem causa Germanicos exercitus eodẽ fere tẽpore turbauit, petebãt & illi missionem, & præmia. Nec ipsius sedari animi eorũ potuere, quàm vicena stipendia meritis missio sit data, qui sena sena, exauctorati. Quinetiã miles in se ipsum sæuiit neq; non in ipsum Germaniũ, donec ablegata Treuiros Agrippina vxor animos eorũ mutauit. sic inferioris exercitus Germaniæ placatus, superioris miles maiore mole, quò grauiora in cẽturiones, in legatos populi Romani ausi fuerãt: nam Munatiũ Plancũ, agg ressi, qui legatus à Tyberio venerat, nõ priùs dimisere, quã ille Aquilã cõplexus religione se tueretur, ac ni Calphurnius Centurio subsidio affuisset, rarã etiã inter hostes exẽplo legatus populi Romani in castris, deorũ aras suo sanguine maculasset. Eos tandem Germanicus cõtracto exercitu, cũ pararet inuadere cõtumaces literis priùs ad Cecinnam missis admonet, sibi cõsulant, & resipiscãt: quod nisi faciãt, & authores seditionis tollant, venturũ se cum exercitu, & vsurum promiscua cæde. quæ literæ occulte signiferis, & aquiliferis lectæ perpulere legatum, vt statueret tẽpus cædis, sæuitumq; passim, quasi ciuili bello in sontes, & ignaros, nec satis noscentes quod cædis initium, aut quæ causa, quive finis foret, donec castra ingressus Germanicus oratione habita, cùm satis expiatũ diceret, eos in hostes duxit, vnde piaculum furoris sumerẽt, & hostes Rom. populi cædendo, & vulnera impiis pectóribus accipiendo. Hæc pluribus ex eo authore addenda curauimus, quò tota hæc pars clarior, illustriórq; fieret.

Libonẽ ne quid in nouitate acerbius fieret.] Is Libo e familia Scriboniorũ fuit, vnde & Scribonius cognomine dictus, qui per Firmiũ Catum Senatorem amicitia simulata deceptus, cùm magos super Imperio cõsuleret, & Chaldæorũ promissa, somniorũq; interpretes scrutaretur, dum proauũ Pompeium, amitam Scriboniã Augusti vxorem iactat, per eundẽ Catum post plures testes repertos, qui conscii forent, ad principẽ defertur, maxime Iunii cuiusdã indicio, qui tentatus fuerat vt vmbras infernas carminibus eliceret. Ipse igitur Libo, cũ Tyberius eum blãde interim appellaret, nõ vultu, non verbis commosior, quinetiã conuiuio adhiberet, & prætura ornaret, tãdem Senatus iudicio condẽnatus seipsum, cũ omnia priùs tentasset apud Tyberiũ, necauit, factũq; S.C. vt mathematici Italia pellerẽtur. Idem Tacitus secũdo.

Q. Haterio.] Is consularis vir, in Senatu decreti faciundi author fuit, ne vasa auro solida ministrãdis cibis fierent, neve serica vestis viros fœdaret. qui familia Senatoria ante excessum Tyberii decessit, eloquentia quoad vixit, celebrata, cũ tamen exigua scripserit, quippe qui impetu magis quàm cura valeret: nam vt in aliis studiũ ac meditatio plurimũ valet, sic Haterii profluẽs illud, ac canorum cum ipso obiit.

Religiosas vestes cũ instrumento omni cõburere.] Qui Vestas legendũ admonens, nimis anxiè, ne dicã superstitiose rem satis apertã in disquisitionẽ vocant.

Aboleuit & vim moresq; asylorum, quæ vsquam erant.] Cõmentarii ex iis, quæ videre legereq; potuerunt, nõ pauca. Nos ex eodem Tacito omnia pleniora faciamus. Ille igitur tertio in hunc fere sensum: Cùm cresceret Græcas per vrbes licentia asyla cõstituendi, quæ seditiones in dies alerent, placitum est vt singulæ ciuitates iura ac legatos mitterent, & cum multi venissent, qui summo studio certarent, fesso Senatu eorum multitudine, res ad coss. relata, factumq; S. C. quo modus præscriptus singulis est. Iussiq; ipsis in templis aras facere, neu religionis prætextu turbulẽtissima seditionibus fomenta præberet.

Maraboduũ & Rascupolim.] De Rascupoli Thrace ex

ce ex eodẽ Tacito copiosius hauries. Is autẽ Marabodũus diu apud Sueuos rerũ potitus magna apud suos gloria, mox Catualdæ iuuenis inter Gotthones nobilis vi pulsus ad Cæsaris misericordiã fugit, trãsmissóque Danubio magnifica de se in Senatu oratione habita, qua se Pyrrho, & Antiocho regibus æquaret, Rauennæ inglorius consenuit, nimia viuendi cupiditate imminuta vetere gloria.

Asellio Sabino H-S ducenta.] Hæc summa quinq; millia aureorũ nostratiũ valet.

Atalantæ tabulã, in qua Meleagro illa ore morigeratur, legarã, vt si offenderetur, pro ea decies H-S acciperet.] Decies H-S, non dena H-S significant, sed decies centena. Publicè munificentiã bis omnino exhibuit proposito millies H-S.] Hæc summa quinque & viginti centena millia facit nostratia, id est duo milliona, & dimidium.

Satis cõstat Cn. Lentolũ augurem.] Is est Lentulus, qui cõsularis vir triũphalia ornamẽta de Getis retulit, primò pauper, dein ad eò opulentus opibus innocenter cõparatis, & modeste habitis, vt quater millies H-S possederit. Condemnatã & generosissimã fœmininã Lepidam in gratiã Quirini consularis prædiuitis, & orbi.] Tacitus tertio: At Romæ Lepida Aemylia familia nobilissima L. Syllę, & Cn. Pompeii proneptis, defertur ad principẽ supposuisse partum Quirino coniugi, quin etiã obiecta adulteria & venena. Consultiq; Chaldæi de Cæsare. Tandẽ dãnata illa magna Quirini inuidia, prægrauante Tyberio, sed dissimulante, aquaq; & igni interdictũ, bona cùm publicari deberent, ne publicarẽtur Scauri gratia factum, qui filiã ex Lepida genuerat. & paulò pòst. Celebratũ est Sulpitii Quirini funus exequiis publicis. Tametsi nihil ille ad Sulpitiã familiã pertineret, qui Lanuuii ortus modicis parentibus, & opibus, militia clarus, & vehemens ingenio, cõsulatum sub Augusto meruerat, mox Cilicum castellis expugnatis, triũphi insignia meritus C. Cæsaris in Armenia comes, & Tyberii cultor, dum Rhodi ageret, hinc principi charus præpotente senecta, sed apud populum accusatione Lepidæ & sordibus, inuidiosa.

Etiam causam mortis fuisse ei per Cn. Pisonẽ legatum Syriæ fuisse creditur.] Is Piso Germanico datus est à Tyberio comes, & legatus, qui cum Plancina vxore adeò aperte simultates cũ Germanico exercuit, vt reperiæ sint reliquiæ solo, ac parietibus erutæ humanorũ corporũ, tabulæ etiã plumbeæ, quæ deuotiones, ac carmina in Germanicũ continerent. Donec accusantibus Trione, & Veranio, acerrimè autem omnium Vitellio, iudicio Senatus damnatus est, magis assentiẽte Tyberio quàm approbãte. Piso post dãnationem domi inuentus perfosso iugulo iacente humi gladio, cõcessa Plãcinæ vxori incolumitate ob preces Augustæ, & filio in decem annos relegato. Diuersus ab hoc fuit L. Piso, qui curator vrbis sub Tyberio principe fuit, biduo, duabúsque noctibus per potationem consumptis clarus, cuius (nisi fallor) constãtiã, & authoritatẽ in Senatu maxime Tacitus cõmendat.

Statuæ quidã Augusti caput depresserat.] Tu emẽdato dempserat. idẽ Tranquillus in Caligula: Diuinã maiestatẽ asserere sibi cœpit, datóque negotio, vt simulacra numinum religione, & arte præclara, inter quæ Olympii Iouis, apportarẽtur è Græcia, quibus capite dempto suũ imponeret. Seianũ res nouas molientẽ.] Is eodẽ Tacito genitus Vulsiniis est, patre Seio Strabone equite Romano, & à prima iuuẽta C. Cæsari Augusti nepoti percharus. Aduersa fama quasi Apicio stuprũ corporis vẽdidisset, mox defuncto C. Cęsare, Tyberio miris artibus insinuatus, adeò principẽ sibi obnoxiũ fecerat, vt callidissimũ, & obscurissimũ aliis, sibi vni incautũ reddiderit, laboris patiens, audaciæ nimiæ, simulator iuxtà & dissimulator, pro pudore, quẽ palã ostentaret, immensa opũ libido, nec minùs criminando, quàm adulando principi, & largitione, ac industria interdũ acceptus, his artibus sene circumuẽto, primò Drusum Tyberii veneno tollit dato per Lygdũ spadonem, vxore etiã Liuia auxiliãte, quæ illi per stuprum cognita fuerat: inde in Agrippinã, & eius liberos cõuersus, tacitis eam criminationibus inuoluit, vt tandem relegatã Tyberius interfici iusserit cum Nerõne filio, donec ille iisdẽ petitus artibus cũ filiis enectus sit, quorũ corpora in Gemonias sint abiecta. Nã Charidem.] Tu Chariclẽ emẽdato, de quo sic Tacitus: Erat medicus arte insignis, nomine Charicles, magis ad consiliũ, quàm ad vsum medicinæ, quã princeps omnino negligeret, familiaris. Is veluti negotiũ suum curaturus, dum cõmeatũ petit, venas pertentat: nec fefellit Tyberium, qui offensus, ac eò magis iram dissimulans, instaurari epulas iubet, eásq; protraxit, quasi honori proficiscentis amici id daret. Pars terram matrem.] Perbellè faciunt verba Plinii ex secũdo ad hunc Tranquilli locũ, quæ & subnectenda censui. Sequitur terra, cui tantũ nomen præcipuæ venerationis indidimus, matrem appellantes, cuius numen vltimum iam nemini imprecamur, rati graue nimis, ac noxium, ac si nesciamus irasci nunquàm solere, quæ sola natos homines excipiat, exceptos alat, & editos sustineat, nouissimè, cũ cætera nos omnia deseruerunt, vna adhuc complexa visceribus suis tanquam à reliqua natura neglectos retinet, nunquàm efficaciùs pietatẽ maternã ostentans, quàm cùm sacros nos morte etiam faciat.

EX CALIGVLA.

Legiones vniuersas excessu Augusti nũtiato.] Satis constat eodem Tacito, cũ Imperium Germanico omnes assererent concionanti, illũ quasi scelere suo contaminatum præcipitẽ tribunali desiluisse, ferrúmque in pectus adegisse, ni proximi sublatã in vulnus dextrã retinuissent, tametsi nõ defuerint, qui hortarentur vt feriret, qui etiã Clausidius quidam miles strictum gladiũ obtulit, addens vteretur eo, qui acutiùs penetraret: verũ cõposita seditione, in Germaniã ducto exercitu, bis acie Garmanos vincit, Varianos milites sepulturæ mãdat. Arminium præcipuæ apud Germanos famæ propter cæsum Quintiliũ cũ legionibus adeò fatigat, vt liberator ille Germaniæ pulsus, profugúsque tandẽ propinquorũ insidiis petitus occubuerit. Omnes Germanico corporis, animíque virtutes.] Nihil dici verius potuit: nã præter summã eruditionẽ, ingeniúmque ad poeticen etiã factũ, summa in eo comitas erga socios fuit, in hostes mãsuetudo, quos vicisse, & ad pœnitentiã versos satis habuit. His accedebat forma corporis egregia, visu, audituq; iuxtà venerabilis. Dũ fortunæ Imperatoriæ maiestatẽ retinet, inuidiã tamẽ & arrogantiã euitaret. Quare nõ Romanorũ solùm ingenti luctu, sed prouinciæ & circumiacentiũ populorũ, & hostiũ decessit. Tacitus.

Cordi Cremutii.] Tacitus Cornelio Cosso, & Asinio Agrippa coss. Cremutius Cordus postulatur nouo, ac tunc primũ audito crimine, quòd annalibus quos ediderat, dũ Brutũ, Cassiumq; laudat, Romanorũ vltimos eos appellasset. Accusatores autẽ erant Satrius Secundus, & Pinarius, ex intimis Seiani, quæ res exitiabilis reo erat. Cremutius igitur, cũ se corã Senatu defendisset, inde egressus vitã abstinẽtia finiit. cẽsuere patres libros per ædiles cremãdos. Sic dũ ingenium Cordi puniũt, maiorem illi gloriam astruxere.

Cũ lege Luciana apparatũ circi.] Emẽdauimus ex

codice manu scripto, cum elegantiam apparatus circi prospicere pauci ex proximis mœnianis possent, magna Cōmentariorũ socordia, qui rem nō aduerterint.

Datóq; negotio, vt simulacra numinum, religione, & arte, inter quæ Olympici Iouis, apportarentur egregia] Par error cum superiore. Quis enim non videre potuit non egregia, sed e Græcia legendum?

Quin & subinde iactabat exquisiturũ semel fidiculis de Cæsonia.] Et hic videre debuerant, se vel nō semel legendũ, vel semet: id quod codices manu scripti habeant. Vicies ac septies millies H-S Tyberii Cæsaris.] Hanc summã ingentem, ac supra fidē esse nemo dubitare potest, qui Tyberii principis tenacitatē, & opes Imperii Romani per tot annos ab eo cō gestas, & prodigũ Caligulæ ingeniũ æstimare non velit. Vicies igitur septies millies H-S si ad numisma nostrum rediges, sexagies septies millies mille aureos nostrates facit. Græci sex millia septingentas, & quinquaginta Myriadas aureorum dicerent.

Nec dicēdi fine factũ, quo ad tredecim gladiatores H-S nonagies ignoranti addicerētur.] Hũc locũ, dum imprimendũ curarem, non satis aduerterã, nunc licēdi finem factũ scribendum admoneo. Quid sit autē liceri, & quo sensu hic accipi possit, nemo non (vt opinor) statim aduerterit, nonagies aute H-S est summa pecuniæ nostratis ducenti viginti quinq; mille aurei Veneti. Cassius Chærea.] Hic ille est, qui Centurio Germanici exercitus, seditione, quam mouerant excessu Augusti nunciato, cùm eum peterent ad mortē milites, vti reliquos Centuriones, audacia singulari per medios ferro sibi viam patefecit, vnde & salutē adeptus est, magna Centurionũ aliorum parte cæsa.

EX CLAVDIO.

Legatóq; nō amplius quàm octingentorũ H-S prosecutus.] Multi vel apud hunc vnũ authore erant loci, vnde admoneri poterãt differentiæ in numeris, nisi planè conniuerent: nam hic octingenta sestertia modicum legatũ Augusti principis appares, plus autem vicies H-S, quod infra à Tyberio legatum dicat, multò aute plus octogies sestertiũ, quòd initu noui sacerdotii coactus est impendere, ex quo ad tantam rei familiaris angustiam decidit, vt in vacuum lege prædiatoria venalis diu pependerit. In delibatorio.] Adeò iam notũ esse poterat quid diribitoriũ sit, aut vnde dictum, vt qui delibatorio legant, parũ certè vidisse dici iure possint: nam & Dion in historiis Latinum nomen hac appellatione dixit. Iam verò & diribitores pro diuisoribus pecuniarũ Ciceroni notius est, quàm vt explicari latius debeat. Est autē Diribitoriũ publicæ ædes, in quibus exercitus recenserentur, & stipēdia militibus diriberentur, id est distribuerentur, in quibusdam Italiæ locis etiam vsitatę.

Constituit pro cōdione cuiusq; ciuis vacationem legis Papię Poppæa.] Quæ lex esset Papia Poppæa, vndéve dicta, mox planius. Illud interim admonere lecturos hæc volui, corruptã hactenus Tranquilli lectionem no, alteróve loco simili, nec legem Pompeiã legendũ, sed Papiam Poppæam iunctim, quo nō possum non mirari negligentiã multorũ, qui sine testibus in causa dubia, & incerta in forum descendãt. Fuit igitur Poppæus Sabinus consularis, ac triũphalis vir insigni memoria, auus maternus Sabinæ Poppææ. Vnde illa etiam dicta Poppæa: nam patrem Ollium honoribus nōdum functũ amicitiã Seiani sub Tyberio peruerterat. Hic igitur sub Augusto principe legem seuerissimã de maritandis ordinibus tulerat, qua sexagenarii tantum nō tenerētur: cui capiti postea à Claudio abrogatũ infrà Tranquillus afferat. Hæc autem iunctim Papia Poppæa dicta videtur, quòd cùm Papius legē contra adulteros tulisset, ac de matrimoniis etiam sanxisset, cuius & Ausonius præter alios meminerit, Sabinus Poppæus, eandem retractarit, grauioribusq; pœnis additis, sanxerit frequentãda matrimonia. Vnde & lex posteà à primò authore Papia dicta, posteà de Sabino Poppæo Papia Poppęa iunctim appellata est, quã Senior Augustus post Iulias rogationes in citandis cœlibũ pœnis, & augēdo ærario sanxerat. Hanc verò legē Tacitus frequēter citat, maxime in tertio Admoneri etiã poterãt saltem infrà, legē hãc non de ciuitate, aut aliquo iure alio, quàm de maritãdis ordinibus agere, cum Tranquillus dicat capiti legis abrogatũ à Tyberio, quasi sexagenarii generare non possent. Cæterũ instituti nostri nõ est acrius alio tum errata castigare, & eorum maxime, qui in Tranquillum scripsere cōmentaria, quorũ alter adeò breuis est, vt etiã intra Cōmētarii leges constiterit, alter adeò redundans, vt fabulari sæpe videri possit: ita fit, vt aliud agēdo, male interdũ agat, verũ ipsi viderint.

Capiti Papiæ Pompeiæ legit.] Idē error, atq; ideo ad superiorem normam redigendus. Aulo Plancio etiã orationem decreuit.] Hic est ille Aulus Plãcius, qui cōsularũ primus Britanniæ præpositus est, bello egregius: is redacta paulatim in prouincię formã proxima insulæ parte, Ostorio Scapulæ Imperium decedēs reliquit. Cuius & Tacitus meminit, sed & Tranquillus in Vespasiano, duas validissimas gentes, superq; viginti oppida, & insulã Vectem Britãniæ proximã in ditionem redegit, partim Auli Plancii consularis legati, partim Claudii ipsius ductu.

EX NERONE.

Nec antè cantare destitit, quàm inchoatũ absolueret nomon.] Hic desyderari interpretis diligētia potest: nam quid nomos esset tam nescit, quàm facile dissimulauit: significant autē apud Græcos nomi cùm multa alia, tum verò in musicis certam quandã legem, ac rationē canēdi, vt tamē tibicinũ & citharœdorũ præcipue sint, vnde & αὐλῳδικοὶ & κιθαρῳδικοὶ dicti: primus autē Terpander, authore Plutarcho, citharœdicos nomos instituit suis, atq; Homeri versibus male adiungēs. Clonas autē post hunc aulodicos inuenit, id est, tibiales, & ea quæ Græci προσῳδία appellant, quem posteà Polymnestus Colophonius imitatus sit, nomisq; posteà diuersa imposita sunt nomina, quæ ex Plutarchi libello, vbi musicã persequitur, quæras. Illud etiã scitu dignũ, ex Græcorum commentariis inuenias primos ad Apolline citharœdicos nomos inuentos, quibus ille & vitã hominibus produceret, & in multis canēdi suauitate feritate tolleret: vnde factum, vt Aristoteles est author, vt modi ac canēdi rationes quædã, quibus canentes vtimur, nomi iam vsitato Græcis verbo dicãtur. Verũ de his aliàs.

Si paulùm subbibisset, aliquid se suffertim tinniturum.] Nec scire fas est omnia, & lyncei etiã cæcutiũt: vbi tamē offucias facis, in eo reprehēdi dignus. Quis enim non stomachetur, quòd hoc in loco gannit interpres? Verùm ipse viderit. Ego suffertim lego, aduerbiumq; eadē forma statuto, quæ Latinis frequens, viritim, singillatim: significare autē hoc aduerbiũ puto, quod plenum & grãdius sit, huiusmodi sensu: promittebat Nero simul ac subbibisset, fore vt plenius & grandius tinniret. Suffertũ autem ac differtũ plenum significare Senecæ verba & Horatii probãt, vt alios mittã. Ille enim sole nubē suffertã dicendo, hic cauponibus & nautis differtum Appii forum, ostendunt plenitudinē hoc nomine intelligi: sed & Tacitus frequens differtum vsurpat pro maxime pleno.

Super ingenuorũ proagogia] Nũ pædagogia aut pederastiam, quod confinxit interpres, sed proagogia

legem

legēdū quinis vel mediocriter Ge]cas literas edoctus agnoscat. Sunt autē proagogia Græcis, quæ Latinis perductiones & quod illi προαγωγεύειν. nos perducere diximus, id est, lenocinari, & lenocinium facere: adeò autem & Latini & Græci scatēt hoc verbo, vt consultò exemplis abstineam, & alioqui admonere tantùm lectorem volumus.

In Tyridatē, quod vel vix credibile videatur, octingēta numū millia diurna erogauit.] Id est, vicena millia aureorū nostrorū, quemadmodum, quòd aleā luderet quadragenis in pūctum sestertiis, id est denis millibus in singula pūcta significat: quod autē addit abeū ei contulisse millies HS, innuit vigintiquinquies centena millia donata, vt non sit mirandum, quod Tacitus de eo prodiderit, quatuordecim annis, quibus in Imperio fuit, bis & vicies millies HS donationibus effudisse.

Armillata & phalerata Mazacum turba.] Si ex his nonnulli, qui nostra tēpestate aliquid scripsere, modestiam, atq; ingenuitatē retinere voluissent, profectò melius Latinæ rei cōsuluissent, nec multa inuertissēt. qualis est hic locus, in quo codices omnes Mazacū habēt, quod cùm illi non intelligerēt, amaxicorum, & mille alia huiusmodi monstra substituerūt: Ego Mazacū lego, & ex Cappadocia seruos, vnde ingens Romæ copia, interpretor, qui & Cappadoces appellātur ab Horatio eo versu, Eger æris Cappadocum rex. Dicti autem Mazacæ (vt arbitror) ab vrbe eorū regia Mazaca, quæ in medio totius Cappadociæ posita, cùm multis aliis indigeret, tamē propter situs cōmoditatem, & lignorum, ac lapidū, & herbæ copiam delecta ab his fuerat, in qua reges habitarent, vnde & mater vrbium ab his dicta, quæ tamen posteà sub Argæū montē posita, Cæsarea fit appellata, cui magnos Basilius posteà præfuit antistes. Erit igitur Trāquilli sensus, quòd Nero frequēti Cappadocū seruorum copia stipatus incederet, quos Mazacas ab vrbe eorū primaria etiam appellaret. Siquidē icunculam puellarē.] Perridiculum est, quod de acu, seu acūcula Commentarii ganniant. Tu icunculā legas ἀπὸ τῶν εἰκόνων forma diminutiua pro parua imaguncula. Iam & Plin. iconicos agnoscit duces. Quid sit autem εἰκὼν apud rhetores, non est præsentis loci, & res alioqui satis celebris.

EX GALBA.

VT secum vehiculo proximo decies sestertiûm in auro efferret.] Id est vigintiquinque millia aureorum.

EX OTHONE.

ANte paucos dies seruo Cæsaris pro impetrata dispensatione decies HS expresserat.] Nullus (vt opinor) locus expressiùs differentiam inter dena HS & decies HS aperit. Nam si idem significarēt, quo pacto quindecim spiculatoribus dena repræsentari poterant? decies igitur HS cùm quinque & viginti millium aureorum reddant summam, dena singulis numerata sunt, id est duceni quinquaginta aurei: sicque expensa ex ea summa quinque fere millia sunt.

Nec quicquā priùs pro potestate subscripsit, quàm quingenties sestertiûm ad peragendā aureā domū.] Id autē facit duodecies centena, & quinque millia aureorum nostrorum, quæ summa si cui incredibilis videatur, ad absolutionē domus, æstimet ille secū id magis mirum quod de M. Scauro Plin. scriptum reliquit, bis millies HS villæ incendio Scauro periisse.

EX VITELLIO.

A Carpathio vsque freto.] Quis nō videat nequaquam probari id posse, quod plerisque à Parthia arrideat, cùm freto Carpathio bene sanè legatur?

EX VESPASIANO.

ET tamen nec sic quidem pristinæ cupiditatis infamia caruit. Alexādrini Cybiosatem eum vocare perseuerauerūt cognomine vnius e regibus suis turpissimarū sordiū.] Erat certe officium boni interpretis, vt quinam hic tandem fuisset, aut vnde illi cognomen tam sordidū astructum esset, explicaret. Nos Cybium Plinio, Martiali cōcisam pelamydē appellari scimus, vnde frequens Plinio nominis vsurpatio inter præcipua salsamenta, corrupta etiam apud Varronem lectione. Credidit Festus dicta à cuborum similitudine, qui cùm æque in omnes partes pateant (quadratæ enim ad lusum aptæ sunt) ita etiā piscantes hoc genus pisces, aleam veluti ludāt. Hic autem quem Cybiotatē appellatum dicit Tranquillus propter eius illiberalitatem, non vnus fuit ex Ptolemæis regibus, sed e Syria ducēs originem, qui à filia maxima natu Ptolemæi Auletæ expulsi, à suis in virum accersitus, non multò pòst ab ipsa expellitur, cùm eius ignobilitatem, atque illiberalitatem pati non posset. Strabo. vnde illi ab ordinandis cybiis, quæ fortè ipsemet familiæ dispēsaret, meritò sordidissimum cognomentum adhæsit, quo & Vespasianū principem, vt sunt Alexandrini dicaces, propter eius auaritiam asperserūt, quemadmodum & Syriæ regi Physcō cognomētum fuit à crassiore intestino, quòd multa caperet. Illud etiā ex Athenæo addes, Salsamēta Græcis duū esse generū, horæa & thunnia, id est, è thynno, salsa caro thūnina vulgò dicta: Horæū verò quasi tempestiuum esse dictum, cuius macra pinguibus præferantur, cùm in thūniis macris pinguia præponātur, quæ cybia nuncupentur: horæa autē ex pelamyde, id est lutaria minore fiūt, thunnia ex maioribus. Sit autē idē vræū, de quo Plin. cū horæo, mox allās.

EX TITO.

CÙm ex instituto Tyberii.] Aurelius Victor ī hāc sentētiam, Dehinc cùm donata cōcessáve à prioribus principibus firmare insequentes solerent, simul vt Imperium cepit, talia possidentibus edicto sponte cauit, vel concessit.

EX DOMITIANO.

NAm venatores, gladiatorésque & noctibus ad lychnos.] Par error cum eo, qui in Cæsare Dictatore inoleuerat: restituenda igitur lectio, & lychnuchos legendum, vt admonui.

Edixit ne quis in Italia nouellaret, vtq; in prouinciis vineta succiderentur. Aliam Philostratus asserit edicti causam, præcipuè in Asia, quòd homines vino nimiū indulgētes, seditiones excitarēt, quare & Domitianus id etiā in tota Asia vetuerat. Verū Scopeliano sophista celeberrimo legationem cōmuni Asiæ nomine suscipiente, & restitutæ vites, & donatus est ille amplissimis à Domitiano muneribus, admirāte in primis viri copiam, & vbertatem dicēdi. Illud etiam scitu dignum, prouinciis quibusdā à Probo Imperatore concessum, vt vineas alerent.

Subsiciua, quæ diuisis per veteranos agris carptim superfuerant.] Quid subsiciuū seu subcisiuum, sit notissimum grammaticis est, subsicious autē ager, de quo hic agitur, Boethio is est, qui secundum proprias determinatiōes adscriptus in finibus suis tabulario Cæsaris infertur, & qui beneficio cōcessus, aut assignatus coloniæ fuerit, siue is proximus, siue longiùs positus, quem colonia in tabulario Cæsaris manu conditoris subscriptū habere debet. Item ager similis subcisiuus est, qui non assignatus Reipublicæ, populóque, aut coloniæ, cuius fine circundatur, remanet in eius potestate, qui assignare potuerit, hoc est principis. Vnde inter XXIII. controuersiarum genera, illa vel præcipua est, quæ de subsiciuis agris oritur.

Ad Inclytum Annibalem Bentiuolum, illustrissimi Ioannis Secundi Bentiuoli filium, Philippi Beroaldi Bononiensis Epistola.

CLARISSIMI philosophiæ conditores, inclyte Annibal Bentiuole, humanam felicitatem ex animi, corporisq;, ac externis bonis metiũtur, beatitudinémq; statũ bonorum omnium cõgregatione perfectũ esse definiunt, quæ & singularim, & in vniuersum cõtemplanti mihi liquet, illustrissimũ patrẽ tuum (absit inuidia verbo) esse felicissimũ, in quo & Naturæ dotes, & Fortunæ bona cumulatim cõgesta conspiciuntur. Nanq; prudentia, quæ ars vitæ est, propè singulari, consilióq; præsentissimo præcellẽs Reipub. Bononiensis habenas iam multos annos adeò callenter regit, adeò sapiẽter moderatur, vt nullius ciuitatis status sit fortunatior, vt illo gubernãte malè vehi nequeamus; vt illo clauũ regẽte nulla procella, nullus turbo sit Bononiensi cymbæ pertimescẽdus. Adhæc decor formæ, cõpactio firma mẽbrorum, succulenta proceritas, dignitas oris, sufflaua cæsaries longè, latéq; principẽ ostẽtant, & amabili quasi quadam maiestate cõdecorant, breuitérq; primigenia Naturæ, quæ vocãt, in eo vno absoluta identidẽ cum voluptaria admiratione suspicimus. De Fortuna verò, quæ, vt nõ inscitè autumat Theophrastus, vitã regit, quæ, vt inquit Caprius Plautinus, humana fingit, arctatq; vt lubet: & si timidè, cautéq; dicendũ est, dicã tamẽ, clarissimũ patrẽ tuũ ab ea tã molliter foueri, tã indulgẽter hilarari, vt Fortunę vel partus, vel alũnus meritò videri possit. L. Sylla apud Romanos felicis sibi cognomẽ adoptauit: Timotheus apud Græcos Eutyches, id est fortunatus Imperator dicebatur: Maximus verò pater tuus, nũquã à me sine honoris nominatione nominãdus, re, nõ verbo est L. Sylla felicior, & Timotheo fortunatior: cuius vt opes, affinitates, clientelas, potẽtiam, authoritatem, gloriam, cæteráq; id genus omittã, nónne illa vel summa felicitas est, quòd Reipublicæ Bononiẽsis animus est, illa corpus ipsius, quòd ab eius vita velut à filo pẽdet salus vniuersę ciuitatis, quòd à capite non possunt mẽbra diuelli citra perniciẽ: quòd nomen Bentiuolorum nõ minùs amabile est apud ciues tuos, quã olim apud Romanos Antoninorũ? Soleo equidẽ serrata Bentiuolæ gẽtis insignia non incõcinniter, opinor, herbã parietariã nũcupare, ex eo quòd in omnibus parietibus, in omni structura parietaria, in omnibus tam publicis, quàm priuatis ædificiis sculpta, cælata, picta cõspiciũtur, adeóq; simulacra serrulata intra omniũ ædes fauorabiliter correpserunt, vt penè simillimus sacrilego iudicetur, qui domi, velut in larario, nõ habuerit effigiem serræ prænitentis, cuius nomẽ adeò frequẽs, adeò plausibile est, vt quotidianis acclamationibus in ore vulgi fauẽtis audiatur: magnũ prorsus Fortunæ florẽtis indiciũ. Illud verò quale est, quantúmq; specimen raræ felicitatis, quòd summates, infimatésq;, quòd omnis ordo, omnis ætas splendidissimũ patrẽ tuum certatim assectãtur, prosequunturq;, matutini, postmeridianíq; deductores, reductorésq; haud dubiè officiosissimi. Quid multa? Hoc columẽ est, hæc nostrorũ fultura municipũ: ad hũc omnes dirigimur, ad hunc conuertimur: sub huius nutu regitur vita nostratium. Nec id immeritò: refertur enim ab illo nobis gratia prolixior. Nanq; quòd cum dignitate otiamur, quòd festa pace gaudemus, quòd longa felicitate florescimus, quòd opulentiis affatim suffarcinati vitam degimus beatam, omnia deniq; bona, quibus iam multos annos perfruimur, si benigni ratiocinatores esse voluerimus, vni beneuolentissimo patri tuo accepta referemus, qui optimi status author, qui florentis Reipublicæ tutor, qui dulcissimæ libertatis conseruator existit. Olìm Titus Flaminius Græciæ σωτὴρ ob salutem, libertatémq; præbitam, vocabulo Græco est appellatus: quid vetat & hunc nostrum Bononiæ σωτῆρα nuncupari? qui salutem nobis, libertatémque dedit, & quot diebus dat: qui patriæ exornator, amplificator, illustrator. Istã enim vrbẽ ædificiis vel nouis, vel refectis excoluit, adeò vt gloriari possit se lateritiã, fornicatam, exornatam relinquere, quam ligneã, luteámq; ac carie vetustatis inualidam acceperit. Hoc authore, quod nemo non nouit, Bononia exuto senio iuuenescit, & deterso situ recentatur, magísq;, ac magis in dies excolitur, adeò vt quæ priùs (neque enim diffitebor) sordida taberna visebatur, nunc inter pulcherrimas Italiæ ciuitates percẽseatur. Et cùm felicitas principum maxima sit, posse facere felicem: felicissimus est pater tuus, qui nos omneis facit felices, ac fortunatos: quo incolumi incolumes, quo felice felices nõ esse non possumus. E contrario cũ felicitatis pedissequa sit superbia, ipse mitissimus est, comissimúsq;. Ad quẽ ita faciles aditus sunt, ita libera alloquẽdi facultas, vt summi, infimi, seniores, iuniores indiscriminatim adeũtes admittãtur statim, & statim dimittãtur. Mira prorsus in principe auriũ patientia, qui in audiendis omniũ desideriis adeò expositus, adeò obuius est, vt qui dignitate summus est, is facilitate infimus videatur. Idẽ in cõponẽdis litibus, ac cõtrouersiis inter ciues æquissimus disceptator, in sedandis simultatibus, ac reconcillanda gratia optimus pacificator. Ex quo fit, vt cuncti veluti parentem publicum veneremur: &, quæ vera felicitas est, dignum felicitate censeamus. Cæterùm cùm beatitas mortalium mutila, ac manca sine liberis à conditore Peripateticæ sectæ nobilissimo iudicetur: in hoc quoque felicitas amplissimi parentis tui fit cumulatissima, qui vel sola sobole, quæ illi non minùs generosa est, quàm numerosa, potest videri beatissimus: cuius tu stirpis maximus natu, veluti lucidissimum sydus enitescis: qui corporis, ac Naturæ bona bellicis, politicísque virtutibus insigniter exornasti. Tu ab ineunte pueritia armorum peritus, & callens, dum audis disciplinam militarem præstare cæteris omnibus, dedisti in hasticis certaminibus documenta non modica excellentis generositatis. Tu prima militiæ rudimenta in Hetruriæ, Liguriæque confinio Florentinis approbasti, à quibus adolescentulus, imò puer adhuc, militari præfectura honoratus, id specimen virtutis dedisti, eam operam nauasti in bello aduersus Genuenses suscepto, vt Serzanam, quam vocant, tibi, tuæque virtuti acceptam retulerint, vtq; eiusce belli cõfecti gloria penes te vnum propè solida resederit. Vbi eo-

pisti noscere viros militares, nosci à viris militaribus. Vbi illud vtique gloriosum, quòd more
Carthaginiensis Annibalis militaria rudimenta puer in castrensi tentorio tolerasti: &, quod glo-
riosius est, sub te magistro, instar Magni Pompeii, qui percontantibus (vt mos est) censoribus an
omnia militaria munia obiisset: omnia respondit, & sub me ipso Imperatore. Post id tam auspi-
catæ militiæ tyrocinium ab Illustrissimis Mediolanensium principibus euocatus, fecisti secunda
stipendia non minùs honorata, nec minùs opulenta, quàm prima. Ecce autem nunc iterum Flo-
rentini te ad suam militiam reuocantes, ducatum militarem longè primo vberiorem, splendidio-
rémque dedere. Hinc tota ciuitas feruet bellico apparatu: vbique arma, & paludamenta militaria,
vbique equi bellatores conspiciuntur: vt ex more lustrationis ad diē condictam Florentinis ostē-
das tuos turmatim milites instructissimos, atq; ornatissimos. Cæterùm cùm res vrbanæ nō mino
res, quàm bellicæ existimentur, cùm splendor togæ non sit, quàm armorum, obsoletior, nō minùs
tu vrbica, quàm bellica laude præcellis, ante annos animúmq; gerēs, mentemq; virilem. Tu mode
ratione iam, & circūspicientia virtutes paternas effingis, ac repræsentas: iam in filio pater agnosci
tur: tibi soli, velut alteri Papyrio, cōcessum est vnà cum clarissimo parente curiā introire, consul-
tationibus Senatus interesse, decreta perpendere, silenda noste, & formulā administrādæ Reipub.
multò antè percipere. Ex quo fit, vt in te indoles veræ virtutis expressa splendescat, vt in adolescē
tulo præstantia altæ, ac generosæ mētis eluceat. Agè verò illud quàm inusitatum, quàm memorabi
le est, quòd proximo ab hinc triēnio vix agens vigesimum ætatis annum Cōsulari, ac penè Dicta-
toria dignitate decoratus gessisti magistratū, bimestrem quidē, sed omniū apud nos magistratuum
hauddubiè honoratissimū, amplissimúmque, quē vexilliferum iustitiæ vulgò nominitāt: quo qui-
dem magistratu edocuisti, vbi magna virtutis indoles enituisset, grandiorem ætatem expectari nō
oportere in honoribus vel amplissimis capiendis: quod & priscos illos Romanos, quorum exem-
plis, veluti norma, formatur vita mortalium, factitasse memoriæ proditum est: qui M. Valerium
Coruinum treis & viginti natum annos, qui superiorem Africanum, & Titum Flaminium admo-
dum adolescentes, posthabitis legibus annalibus, Consules renuntiauerunt, cùm ab excellenti, exi-
miáque eorum indole admonerentur, non in magistratibus dandis spectandos annos, sed pensitan
dam esse virtutem: cuius plerunque, quàm ætatis, cursus solet esse celerior. Consimiliter Senatus
noster, vtpote consultissimus, non in te spectauit ætatem, quem ante annos virtutibus fulgentem,
& moribus pollentem cōtemplabantur: sed sicut præter consuetudinem fuit, ætati iuuenili admi-
nistrandam Rēpublicam committi, ita præter consuetudinem iuuenilem fuit, tua in tractandis
Reipublicæ negotiis administratio, cunctis asserentibus, te expectationem vniuersorum probitate
vicisse. Nam cùm magistratus virum, virtutemque viri ostendere dicatur, tu amplissimo honore
præditus, in obeundis ciuilibus disceptationibus te moderatum trutinatorem, circunspectúmque
adeò præstitisti, vt virilis in non virili ætate maturitas, senilis in adolescente prudentiā conspice-
retur. Duo singularia Philoni contigisse à celeberrimis scriptoribus memorantur: prorogatio Im
perii non anteà in vllo facta, & exacto honore triumphus. Itidem duo Annibali Bentiuolo adhuc
peradolescenti peculiaria prouenisse. Non fando audiuimus, non legendo didicimus, sed præsen-
tes aspeximus, videlicet liberam more Senatorio in curiam itionem, & summum totius ciuitatis
magistratum. Cæterùm cùm in veteri prouerbio sit, pares cum paribus facillimè cōgregari: te ve-
luti principem iuuentutis affectatur populosus ordo iuniorum: sicut maximum patrem tuum se-
niores cateruatim prosequuntur. Pulchrum est profectò, & inspectione dignissimum, hinc clarissi
mum parentem inuisere stipatum cuneis virorum frequentiore comitatu certatim prosequentiū,
illhinc generosissimos filios cōferto adolescentiorum officiosorum agmine comitatos. Hāc ve-
luti peculiarem in Bentiuola gente beatitatem cismontani, transmontaníque suspiciunt, & præ-
conio laudis extollunt. Hanc vltroneam, propensamque vniuersæ ciuitatis officiositatem in pa-
trem, filiósque satis mirari non queunt, cum ducibus, cum dynastis, cum regibus affectatores eōdu
ctitil vix, contantérque obsequantur. Illud quoq; amoris ciuium, quo sepimento nullum firmius
est, in re specimē cōspicitur, quòd veluti vera parentis proles, dum per vrbem vel equitas, vel in-
cedis, acclamationibus puerilibus plausibiliter exciperis: quod tātò est syncerioris affectus indi-
cium, quantò simpliciora sunt ingenia puerorum, miniméque fucosæ simulationis. Quid memo-
rem quàm sis affatu blandus, cōuictu comis, indulgēs in tuos, facilis in omnes, in domestica verò
& interiore vita iucūdus, mitis, amabilis? Quid referā vt decorē corporis, & dignitatem formæ,
morum honestamentis exornes? vt vestitus nitore, & ornatus elegantia filium principis agas? pro-
fectò sicut addit virtuti forma suffragium, ita magnificus cultus addit homini authoritatem. Pre-
tereà habet quælibet ætas quiddam in degēda vita peculiare, vt alia studia puerum, alia iuuenem,
alia deceant senem. Iuueni illa conueniunt, quæ Horatianus versus sententialiter expressit:

Gaudet equis, canibúsq;, & aprici gramine campi.

Gaudes tu equitatione, quā Cyrus ille maximus, Persæq; cū primis approbabant. Oblectaris cani
bus venaticis, & aucupatoriis, qua exercitatione olim futuri duces imbuebātur, qua animus hila-
ratur, & vires corporis roborātur. Te iuuat interdum vrbis vmbraculum ruris apricitate mutare,
paulispérq; vrbanæ vitæ oblitū villicari, & ita ignaui mæroris tergere rubiginem. Nonnunquam
etiam peregrinaris, verùm (vt prouerbialiter dicitur) nō sine Theseo: hoc est, nō sine deliciis meis
Mino Roscio Senatore præstantissimo: quo cordatiorem, solertiorem, literatiorem (vt mea opi-
nio fert) patria nostra non habet: quē elegās spectator ingeniorum parēs tuus impensè diligit: quē
tota Bentiuola domus charissimum habet: qui anno proximo ob excellentē virtutem lectus fuit à

cunćto Senatu vnus oratorum in honoratissima illa legatione Romā ad salutādū reuerentissimè Pōtificem Maximū Alexandrum destinata : quæ vnius dexteritate in primis bene gesta est: in qua venerabilis Protonotarius Antonius Galeacius frater tuus specimē dedit circūspectæ probitatis: qui ętate puerili egit oratorē planè grauē, ac impetrabilē. Fui & ego quoq; in comitatu illius florentis legationis, speciatim euocatus à meo Roscio, qui mihi secundū te peculiaris est patronus: quo omniū hominū (Bentiuolos semper excipio) neminē pluris facio: qui à te tāti sit, quanti fieri debet syncerissimus, cōsultissimus, amabilissimus amicus. Præterea cùm iuuenē hilaritas deceat, neq; frui ętate, & Veneris tenere bigas turpe sit, nō incesso castigatione cēsoria, quòd es amorabūdus: cū peccatū id, si modò peccatū est, sit ignoscibile. Cōuenit enim, cōuenit vitā amœnare, &, vt inquit Matius, edulcare. Detur, vt indulgēter monet Arpinas Orator, aliquid ætati, sit adolescētia liberior, nō omnia voluptati denegētur, qua quidā sapiētes summū bonū metiūtur: vincat aliquādo voluptas rationē: eamus interdū quò itur: faciamus quod fit. Id autē à nobis irreprænsibiliter fiet, si illud aureæ mediocritatis saluberrimū in vita degēda tēperamētū amplexabimur, Ne quid nimis. Disciplina mehercule illa tetrica, & caperata Stoicorū, superciliosaq; seueritas cū suis cōditoribus obsoleuerūt. Quòd amas, quòd stipēdia facis in amoris cōtubernio, nō reprændo: fecimus & nos hęc iuuenes: & si quid faciā nūc quoq; quæris: Nō sumus osores: quid multa? Lectio te Suetonii docebit, Cæsarē Dictatorē, Octauiū Augustū, Titum Vespasianū, maximos, clarissimósq; Imperatorū amasios extitisse, nec minùs sub Cupidineo, quā Martio papilione meruisse, nec minùs frequentes fuisse Cupidinis, quā Mauortis asseclas. Quinetiā cognominis ille tuus Annibal ducū maximus, fuit amatoriæ militiæ auctoratus, cuius nomē, & egregia facinora cùm tibi animum ad virtutem bellicā accēdant, sic etiā illius exemplo nonnihil tēporis mansuetioribus Musis impartis : & sicut ille Sosilo Græcarū literarū doctore vsus esse fertur, ita tu me Latinarū præceptore, ac mōstratore vtens, subinde in teruisis, recolísq; non inuitus studia humanitatis: quo pastu animorū nullus potest esse cōditior, suauiórq;: modò seria, modò iocosa te iuuat ex nobis audire. Legimus modò historicō aliquid, modò poeticō: in primis erotica, hoc est, amatoria: nō tāquā exploratores trāseunter inspicimus, sed tāquā in cōmilitio Cupidinis educati haud dissimulāter accedimus. Sed cùm Historica omnis cognitio te delectet, cū primis lectio Trāquilli animū tuū capit, mulcet, amœnat: quod me potissimū ad hosce cōmentarios cudendos extimulauit, quos annua lucubratione elucubratos tibi ob id ipsum nominatim dedicaui, inclyte Annibal Bentiuole: & quia alumnus meus es, & patronus, & quia iam tēpus appetebat soluendi primā Bentiuolis meis pensionem, quibus multiiugā debeo, in quorum cōtubernio annos iam cōplusculos honestissimè dego, quibus vel notū esse tantūmodo, summus honor est. Postremò enarrationes de principibus dissertātes, cui cōuenientiùs dicari debebāt, quā principi, aut principis filio in paternas opes succedēti? qui ex hac lectione condisceret, quid deceat principē, quid dehonestet. Erit hoc præcipuè in cognitione huiusce scriptoris luculēti salubre, atq; frugiferum, nobiliū te exēplorū documēta veluti in illustri posita monumēto contēplari, quid imitandū, quid fugiendum sit, velut in speculo internoscere. Est mediusfidius lectio Suetonii Trāquilli, quod de Peripatetica disciplina prodidit Marcus Tullius, digna studiosis ingenuarum artium, digna eruditis, digna claris viris, digna principibus, digna regibus. Dicere solebat Cyprianus, Da magistrum: cū Tertullianū significaret: sine cujus lectione nullū diem præteribat. Tu quoq; diem nullū sine Trāquilli lectione præteriēs, dic promo librorū, Da magistrum. Et sicut Africanus Scipio Pædiā Cyri de manibus ponere nō solebat: sic tibi liber hic de manibus sine causa nō ponatur: sitq; velut enchiridiō, nunquā de tuis manibus recedēs. Hic te otiantē, villicantē, peregrinantē, militantem, velut iucūdus, omniūmque horarū comes continenter subsequatur. Ad hanc autem tam frugiferam, tàmque voluptariā Tranquilli cognitionē introducent te commētarii nostri, qui veluti duces, ac præcursores claustra repandent, calles referabūt, cliuosa præmolliēt, spineta succident, aspreta læuigabunt, salebras edomabūt: & ita moramētis omnibus repurgatis, viáq; molliore cōfecta, te decursis spatiis duodenis, omníque difficultate superata in vertice mollissimo sistēt. Equidē elaboraui in his commentariis exarandis, & pro virili parte contendi vt nodosa enodarē, implicita explicarem, obscura clararē, sinuosa corrigerem, maculosa emacularem: vsus interdum sum verbis vulgatioribus, quò res fieret lucidior, & enodatior. Nam qui explanationis lucem professus est, in his debet verbis, quæ sunt in vsu posita, versari, ne interpres egeat interprete: & quia solent parerga, quæ vocant, hoc est à proposito digressiones, quasi reficere, recrearéque lectorem iam lassescentem, dedi operam, & quidem ex industria, vt flosculis hinc & inde complusculis ex virore pratorum nondū conculcato decerptis insignirentur, vt loca quàm plurima ex innumeris scriptoribus subobscura, impromiscuáque veluti in transcursu explicarentur, quò vberiores fructus ex eorum lectione capi possent. In calce appendix est annotatiuncularū super rebus ignorabilibus. Sed nę ego inscitus, qui cōmentationes hasce tanquā filiolas videor exosculari, qui nugis lenocinium magis paro, quàm patrociniū. Quid vis fieri, mi clarissime alūne? sic iubet affectus Naturæ potētissimus, vt næuos etiā nostros, & cicatrices amemus. Ego planè his cōmentariis adiici posse nō pauca cōfiteor, cùm etiā hi, qui habiti sunt mortalium sapiētissimi, vt inquit verissimè Columella, dicātur multa scisse, nō omnia. Penè interruperūt lucubrationes nostras cōmentarii ab Antonio Sabellico nō indoctè, neq; ineleganter conscripti: qui huic labori meo haud dubiè consuluisset, nisi reliquisset aliquid, quo, vt inquit Boethius, se noster quoque labor exercere, atque parare potuisset : sed hæc, & id genus alia, quæ iam pridem edidi, conferenda, pensitanda, diiudicanda candidis lectoribus permitto : quos spero

ſi non laudabūt ingeniū.non vituperaturos induſtriā:ſi nō probabūt nomē conditoris,nō improbaturos nomē Annibalis,cui lucubrationes noſtræ nūcupatim dedicātur,& peculiariter adſcribūtur,vt ita auſpicatiùs,fauorabiliúsq; in publicū procedāt. Vni enim miſſæ,omnibus legētur, opinor. Tu verò,inclyte Annibal Bētiuole,accipe,quæſo,hilaro vultu,& animo hilariore commētarios hoſce,veluti pignus,& monumentū meæ erga te obſeruātiæ, quos in mille exēplaria trāſcriptos impreſſores diuulgauerūt:in quibus intereſſim,ſparſimq; monitiones inſerui (vt opinor)nō inſalubres,quæ te non dormitātē excitarēt,ſed currētē,vt aiunt,incitarēt. Munus eſt haudquaquā pretioſū,nec inficior:ſed quo nullū pretioſius à doctore diſcipulus , à cliēte patronus,à Philippo Beroaldo Annibal Bētiuolus accipere nec debeat,nec velit,nec poſſit. Exiſtimabo me feciſſe operæpretium,& fœtoſā edidiſſe fœturā,ſi tibi,& propter te aliis viſa fuerint hæc neq; nauſeoſa,neq; faſtidiēda. Vituperones verò,& inuiſores,quorū linguæ cote liuoris acuminatæ ſūt,qui tātū legūt vt carpant,nihil moror:cū id genus homines,vt inquit veriſſimè Sidonius,nō literis vtantur,ſed abutantur. Verùm vt ex carceribus ad metas aliquando decurrat character epiſtolicus,abſoluatq; ſuum penſum,iam vale mi Patrone iucundiſſime,& Philippi tui memor viue optantis fortunam Bentiuolorum quàm florentiſſimam permanere.

Subiunximus Epiſtolæ breuiarium rerum aliquot memorabilium , quæ cuique commentario inſunt explicatæ, penſitatæq; ſubtiliùs,quàm literatores agnoſcant: vt ex his iam ſtatim declaretur,quid de totis commentariis curioſus lector coniectare debeat,& ſperare poſſit.

In Cæſare Dictatore.

In Tyb

PHILIPPI BEROALDI VITA PER BARTHOLOMAEVM BLANCHInum Bononiensem ad Camillum Palæottum.



RIGO Philippi Beroaldi vetustissima est, sicuti in quadã Epistola ad me, Beroaldus ipse commemorat. Philippo pater Ioannes fuit, mater Castorea san ctissima fœmina. Natus est Bononiæ septimo Idus Nouembris, anno à partu Virginis tertio & quinquagesimo supra millesimũ & quadringẽtesimũ. Quarto ætatis anno patrẽ amisit, educatúsq; honestè sub matre vidua, vnà cũ duobus fratribus, Antonio natu maiore, ac Ioãne Architecto posthumo. Matrẽ, ne à sãctissimis Naturæ legibus discederet, religiosissimè coluit quæ senex admodũ decessit. Vbi egressus est annos, qui nutricum fouentur auxilio, puer literarum studiis, quibus ætas illa impartiri debet, eruditus fuit. Marianum, deinde Matthæum, clarissimos tunc grammaticæ magistros audiuit. Primò bonæ indolis puer apparuit, in quo virtutes cum ætate creuerunt. Amor laudis acuebat eum ad cupiditatem literarum. Erat præterea in puero summa ingenii docilitas, ac innata quædam suauitas oris, vocisque. Memoria autem tanta, vt omnia legisse, omnia meminisse videretur: quæ sicut in paruo tenacissima fuit, ita iam ætate prouectus firmauit eam, atque aluit assiduo studendi, docendique vsu. Exacta pueritia sub Francisco Puteolano poeta inclyto creuit, quem assecutus est mira studiorum cupiditate, & quodam ardore iuuenili. Studia literarum Bononiæ primùm vixdum annos pubertatis egressus, mox Parmæ, atque inde in gymnasio Parrhisiorum celeberrimo, frequenti professus est auditorio. Ad postremum honorificè reuocatus in patriam vsque ad supremum vitæ diem, maxima gratia, & Venere legit, ita vt eius fama cresceret quotidie. Bentiuolorum rogatu, iam quatuor & quadraginta annos natus, Camillam Vincentii Palæotti Iuris periti filiam in matrimonium accepit, ex qua liberos quatuor tulit: mares suscepit duos, totidémque fœminas. Quorum vnus tantùm superstes patri fuit, nomine Vincentius, reliqui infantes adhuc rapti. Huic mulieri cuncta bona à Natura data sunt: Forma honesta, venustàque, sermo comis, nec absurdum ingenium, nobilitas, sanctimoniáque insignis. Cum marito sine vlla querela vixit. Denique quicquid in egregiam fœminam laudis dici potest, in hac sit beneficio Naturæ collatum. Cum Mino Roscio Senatore ingenii iucundi, & elegantis viro, quem puerum in ludo cognouerat, adeò vixit coniunctissimè, vt ad vltimum vitæ finem amicitia eorum durauerit. Tantáque fuit inter eos concordia, vt alter alteri (quanuis semper honesta cupiebant) nunquàm repugnauerit. Huius viri mortem commodissimè Beroaldus ipse prosecutus est, in eo libello, qui Symbola Pythagoræ inscribitur. Fuit autem Minus vir domi, forísque conspicuus, ac mira eius facundia populo gratus, Bentiuolísque. Fortunis longè omnes in ciuitate nostra (Bentiuolos semper excipio) superauit. Nihil dulcius ingenuo eius animo fuit, quàm videre plenam semper domum concursu doctissimorum hominum. Codri quoque Oratoris clarissimi, cuius vitam superioribus annis memoriæ mandauimus, intima familiaritate vtebatur. Franciam insuper meum mel, meásque delicias, magnum inter præcipuos aurificem, & in pingendo longè citra æmulum validum, fraterna charitate dilexit. Fuit etiam amicissimus Angelo Politiano, & Pico Mirandulæ rari exempli viro: qui cùm ab amicis rogaretur, quidnam de Beroaldo sentiret, memorabilem illam, meritóque celebratam hominũ memoria vocẽ, respondebat, Beroaldũ sibi videri viuã quandam loquentem Bibliothecã. Cæterùm non ab re erit, excedere paululùm ad enarrandã breui compendio huius Pici vitam. Ioannes Picus Mirandulanus nobilitate familiæ, fortunísque satis cognitus, tantam in omni literarum genere laudẽ consecutus est, vt cæteris omnibus, qui nostro præcepta sapientiæ tradiderunt æuo, fulgore quodam suæ claritatis (venia cæterorum) tenebras induxerit. Quinque linguarũ notitiam habuit, quibus in singulis cùm multùm emineret, vbi tamen excelleret potissimùm, ambigebatur. Reliquit non mediocrem Syluam suorũm ad posteros monumentorum, quæ nunc in manibus hominum habentur: plura & meliora scripturus, nisi properata mors viro fecisset iniuriam. Extinctus est enim in summo perfectissimæ laudis splendore, secundum ac trigesimum ætatis annum agens. Vir profectò supra humanũ fastigiũ magnitudine ingenii præditus. Aderant necnon fortuita. Corpus procerum, decoram faciem honestabat flaua cæsaries, comis tum sermo, tum etiam congressus. De viro hoc qui plura scribit, se ipsum potiùs onerat, quàm honorat: quia laudes eius quisquam enumerare haud satis dignè nunquàm posset. Hactenus de Pico. Fuit præterea Beroaldus noster vir ingenii præstãtis, multiplicis doctrinæ, memoriæ verò infinitæ rerum innumerabiliũ. Quod sanè ex eius appatet scriptis. Euolue diligẽter cõmentaria in Apuleiũ, amplius, quod desideres, nihil erit. Præterea comi, facilíque natura. Si quis de eo malè sentiret, susq; dèq; ferebat: pari animo cuiẽdabat, quæ bene reprehensa ab vno quoque viderentur. Illud de viro hoc dicere satis habeo, quòd in vita sua nulli maledixit vnquã, neq; alienã existimatiõnẽ apud se lacerari passus est. Erat enim natura lætus, sic vt vultum nunquàm mutauerit mœrore vllo. Super mẽsam semper comissimus, multa ioco transigebat. Continuabatur assiduè, præsertímq; cum Roscio suo: cuius mihi memoria sacrosancta est, ac Bẽtiuolis, à quibus quæcunq; peteret, repulsam nunquã habuit. Lautus in victu: quippe qui pluribus semper

eibis

cibis vteretur:& quoties otiũ esset, alea quidẽ se oblectabat, cæterũ ex ipso lusu rarò lucratus est: Nã cùm minùs prosperiore vteretur fortuna, grandẽ quandoq; pecuniã amittebat. Profusissima libido in fœminas Beroaldo, cætera viro sancto ac integro obiici potest. Matronas aliquot nobilitate familiæ, fortunisq; satis cognitas solicitauit ad stuprũ: hisq;, quia sumptuosus in tali libidinũ genere erat, potitus est. Verũ hęc, cũ adhuc permaneret in cælibatu. Scripsit multa, quãuis annũ ętatis quinquagesimũsecundũ nondũ attigerit. Primũ Annotationes in Pliniũ, cũ publicè profiteretur Parmæ, vixdũ expleto ætatis suæ vndeuigesimo anno. Post hæc Seruii correctiones, in Propertiũ Cõmẽtaria, cũ centũ Annotationibus. Itẽ Orationes quasdã dispersim habitas, ĩ iustũ volumen redegit. Scripsit itidẽ Cõmentaria in Suetoniũ, in Thusculanas Quæstiones. Post hæc sextũ & quadragesimũ ætatis annũ gerẽs, celeberrima illa in Asinũ Aureũ Cõmentaria cõponere instituit, absoluitq;. Scripsit quoq; Annotationes in Philippicas, quas Benedicti Hectoris Bibliopolæ nomine mihi dedicauit. In Columellã nostrũ annotationes cõplurimas edidit. Cõposuit & variæ eruditionis aliquot opuscula: De felicitate: Declamationẽ Philosophi, Medici, & Oratoris: De optimo statu: Septẽ Sapientũ sentẽtias: Quorũ præcepta quasdã vitæ leges existimamus. Itẽ Ebriosi, Scortatoris, Aleatoris declamationẽ. Libellũ vnũ cõposuit, cui titulus est, Symbola Pythagoræ. Extat & alter æquè modicus prouerbiorũ. Nouissimè de Terræmotu, Pestilẽtia, ac Galeni correctiones scriptũ reliquit. Poeticã vix attigit. In hẽdecasyllabis multũ, & veræ gloriæ meruit. Quosdã præteritos errores postremis scriptis suis dãnauit. Literis verò Græcis leuiore studio operam dedit, & quidẽ adhuc puer. Filo scribẽdi docto vsus est, cõpto, expolito, lectóq; florũ genere ornato: sed qui numeris omnino careat: nec mirũ, nõ omnia possumus omnes. Cæterũ hoc fermè dicẽdi genere multi nostro sunt æuo, qui vtãtur, viri alioqui docti, & in plurimis admirãdi: excusãtur vitia cõsuetudine, aut authoritate. In eius certè scriptis deprehẽdere licet, nõ vllius ingenuæ artis scientiã ei defuisse: ita omniũ rerũ sciẽtia exũdat illa immortalis, æternáq; memoria. In commentandis, exponendísq; authorũ sensibus inter cæteros adeò fuit eminẽtissimus, vt Codrus Vrceus Orator, nostra homo memoria acri iudicio, magna doctrina, beatissimáq; rerũ, verborúmq; copia præditus, per exellentiã quandã Beroaldũ cõmentatorẽ Bononiensem appellare consueuerit: Legẽ enim quandã cõmentãdi nõ seruasse modò affirmabat, sed propè cõstituisse. Forma fuit iusta, facie paulò oblõga, exilíq;, prægrãdibus oculis ac nigris, capillo raro, caluóq; plurimũ capite, colore inter aquilũ, & candidum, gracilitate maxima ceruicis, ac totius corporis, ore aliquãtò pleniore. Natus annos duodeuiginti periculosam valetudinẽ expertus est, ad desperationẽ vsque medicorũ laborãs. Creditũ est, sanguinis detractione curatũ, pristinã recuperasse valetudinẽ. Sæpissime etiã hæmorrhoidum morbo infestabatur, nõ sine maxima sanguinis profusione: postremò sanguinis profluuio cohibẽdo, admoto cõsensu Medicorũ igne sanatus est. Omnibus tum fermè annis, certo tẽpore febri implicabatur. Seruãdæ valetudinis causa, quoties à bile inquietabatur, cibo se abstinebat. Tuebatur etiã salubritatẽ suã assidua ante cibũ deãbulatione: Nam celeri adeò deãbulabat gradu, vt subsequẽtes plerũq; defatigaret. Frigora quidẽ facilè, sed ęstus difficillimè tolerabat. Valetudine perprospera vsus est, extremo vitæ tẽpore, excepto quòd annũ antè quã moreretur, questus est biduo de ischiaco dolore. Maligno febris ardore implicitus decessit XVI. Calen. August. annũ agẽs ætatis quinquagesimũprimũ, supérq; mẽses octo, ac dies nouẽ, relicto impubere adhuc filio Vincẽtio, & Vxore Camilla, vnà cũ duobus fratribus Antonio natu maiore, ac Ioãne Archit ecto posthumo. In summo publico luctu funeratus est, magna impẽsa, ac solẽni prosequentiũ põpa. Ciuitas enim omnis in funere ornãdo, magno studio certatim progressa est. Cadauer eius pro tẽplo diuæ Virginis extra mõtanã Portã asportatũ est. Ante paucos, quã obiret, dies, vocata ad se cõiuge dulcissima, Numina genialis tori testatur, se matrimoniũ seruasse illæsum: impatiẽtiùs dolentẽ cõsolatur, orátq; tẽperaret dolori, ac desideriũ sui in cõtẽplatione rectè factorũ, scriptorúmq; suorũ solatiis honestis toleraret. Extremo vitæ tẽpore ad honestũ dignitatis gradũ nõ ambitio, sed boni mores, & spectata inter cæteros virtutis eminẽtia virũ perduxit: in amplissimo etenim sexdecimuirorũ ordine cõsensu Senatus à secretis electus est, magno eius honore, nec minori emolumẽto. Scholã eius clari genere, fortunísq; viri frequẽtarũt: ad quẽ audiẽdũ vndiq; ex lõginquis regionibus cõfluebãt. Sũt & alii doctissimi eius discipuli, nobis admodũ familiarissimi, qui (modò vita supersit) præstãtissimi Præceptoris gloriã æquabũt. Profitebatur autem hora diei ferè tertia frequẽti audiẽtiũ turba. Pronũtiabat dulci, claráq; voce, ac iucũda, & ad auditũ accõmodata, recta facie, nec minùs decoro corporis motu, ac decẽti actu. In elucidãdis verò scriptorũ sẽsibus tãta ingenii dexteritate vsus est, vt omnibus pariter audiẽtibus satisfecerit sẽper. Adeóq; magna in literis eius fuit authoritas, vt nõ ab homine, sed à Deo respõsa dari viderẽtur. Huius viri inter multas egregias, & istud memorabile fuit, quòd indefessus à mane ad vesperas post publicas lectiones priuatas etiãtũ legebat. Me quidẽ adolescentulo, memoria repeto, singulis diebus nouẽ lectiones legere solitũ: nec vnquã de mercedibus pactus est: eóq; plura ex liberalitate discẽtiũ cõsecutus. Hũc quæstũ sine crimine sordiũ fecit: quia tũc tẽporis res familiaris ad vsus necessarios nõ homini ad plenũ suppetebat. Sic etiã Socrates, quasi quidã philosophorum Deus, sic Chrysippus, sic Cleãthes mercedes à discipulis acceptauerũt. Vixit paruo contẽtus. Pecuniæ, quę nimis in hominũ animis potest, minùs erat cupidus. Procul dubio hic à diuitiis possessus nõ est, sed possedit diuitias. Sacris etiã per omnẽ vitã intẽtus, vt bonũ ageret Christianũ, fatigabat Deũ, festos dies religiosissimè celebrãs. De æternitate animorũ sæpissime disseruit: cuius hæc erat sententia, Animos hominum esse sempiternos, & bonarum rerum sensum manere perpetuó.

INDEX EORVM, QVAE IN HOC OPERE DIGNA NOTATV

visa sunt, in quo numerus prior paginam, posterior locum ipsum designat: a autem priorem cuiusque paginæ columnam, b verò posteriorem denotat.

Fasc

Fri

Histr

Index Alphabeticus.

Merc

Otho

Parthi

Philip

Poppea

Prin

Reor

Senex

Topiar

D. Magni Ausonii Poetæ, virique Consularis, De XII. Cæsaribus per Suetonium Tranquillum scriptis.



Aesareos proceres (in quorum regna secundis
Consulibus dudum Romana potentia creuit)
Accipe bisseuos: sua queuq; monosticha signant.
Quorum per plenam seriem Suetonius olim
Nomina, res gestas, vitámque, obitúmque peregit.

Monosticha de ordine duodecim Imperatorum.

Primus regalem patefecit Iulius aulam
Cæsar, & Augusto uomen transcripsit & arcem.
Priuignus pust hunc regnat Nero Claudius, à quo
Cæsar, cognumeu caligæ cui castra dederunt.
Claudius hinc potitur regno: pust quem Nero sæuus
Vlumus Aeneadûm, post hunc tres, nec tribus annis:
Galba senex frustra socio confisus inerti:
Moliis Otho, infamis per luxum, degener æui:
Nec regno dignus, nec morte Vitellius vt vir.
His decimus, fatóque accitus Vespasiauus:
Et Titus Imperii felix breuitate: securus
Frater, quem Caluum dixit sua Roma Neronem

Tempus Imperii XII. Cæsarum.

Iulius, vt perhibent, diuus trieteride regnat.
Augustus post lustra decem sex prorogat annos.
Et ter septenis geminos Nero Claudius addit.
Tertia finit hyems grassantia tempora Caii.
Claudius hebdomadē duplicem trahit: & Nero dirus
Tantundem: summæ Consul sed defuit vnus.
Galba senex, Otho lasciue, & famuse Vitelli
Tertia vus Latio regnantes uesciit æstas,
Interitus dignos vita properante probrosa.
Implet fatalem decadem sibi Vespasianus.
Te duminante Tito cingit noua laurea Ianum,
Quindecies sæuis potitur dum frater habenis.

De moribus eorum.

Iulius interiit Cæsar grassante Senatu.
Addidit Augustum diuis matura senectus.
Sera senex Capreis exul Nero fata peregit.
Exegit pœnas de Cæsare Chærea mullis.
Claudius ambiguu conclusit fata veueno.
Martíque cida Nero proprio se perculit ense.
Galba senex periit sæuo prostratus Othone.
Mox Othu famosus, clara sed morte potitus.
Prodiga succedunt perimendi sceptra Vitelli.
Laudatum Imperium, mors lenis Vespasiano.
At Titus orbis amor rapitur florentibus annis
Sera grauem perimunt, sed iusta piacula fratrem.

Tetrasticha, à Iulio Cæsare vsque ad tempora sua.

Nunc & prædictos, & regni surte sequentes
Expediam, series quus tenet Imperii.
Iucipiam ab Diuo, percurrámque urdiue cunctos,
Noui Romanæ quos memor historiæ.

Iulius Cæsar.

Imperium biuis fuerat solenne quud olim
Consulibus, Cæsar Iulius obtiuuit.
Sed breue ius regni sula trieteride gestum,
Perculit armatæ factio sæua togæ.

Octauius Augustus.

Vltor, successórque dehinc Octauius idem
Cæsar, & Augustus uumine nubilior.
Longæua, & nunquàm dubiis violata potestas
In terris positum credidit esse deum

Tyberius Nero.

Prænomen Tyberi nactus Nero prima iuuentæ
Tempora laudato gessit in Imperio.
Frustrà dehinc solo Caprearum clausus in autro
Quæ prodiit vitiis, credit uperta locis.

Caius Caligula.

Post hunc castrensis caligæ cognomine Cæsar
Successit sæuu sæuiur iugenio.
Cædibus, incestísque dehinc maculosus, & omni
Crimiue pollutum qui superauit auum.

Claudius Cæsar.

Claudius irrisus priuato iu tempore vitæ,
In regno specimeu prodidit ingenii.
Libertina tameu uuptarum
Nou faciendo nocens, sed patiendo fuit

Nero Claudius.

Aeneadûm generis qui sextus, & vltimus heros,
Polluit, & clausit Iulia sacra Nero.
Numina quut pietas, tot habet quoque crimina vitæ.
Disce ex Tranquillo, quæ meminisse piget.

Sergius Galba.

Spem frustrate senex priuatus sceptra mereri
Visus es: imperio prudirus inferior.
Fama tibi meiiur iuueni: sed iustior ordo est,
Complacuisse dehinc, displicuisse priús.

Marcus Otho.

Aemula polluto gesturus sceptra Neroni
Obruitur celeri raptus Otho exitio.
Fine tamen laudandus erit, qui murte decora
Hoc solum fecit nobile, quòd periit.

Aulus Vitellius

Vitæ sors, mors fœda tibi, nec digne Vitelli
Qui fueris Cæsar: sic tibi fata placent.
Vmbra tameu breuis Imperii, qui præmia regni
Sæpe indignus adit, nuu nisi dignus habet.

D. Vespasianus.

Quærendi attentus, moderatu commodus vsu
Auget, uec reprimit Vespasianus opes.
Olim qui dubiam priuato in tempore famam
Par aliis princeps transtulit in melius.

Titus Vespasianus.

Felix imperio: felix breuitate regendi:
Expers ciuilis sanguinis: orbis amor:
Vuum dixisti moriens te crimen habere:
Sed nulli de te: non tibi credidimus.

Domitianus.

Hactenus edideras geminos gens Flauia iustos:
Cur duo quæ dederant, tertius eripuit?
Vix tanti est habuisse illos: quia dona bouurum
Sunt breuia: æternum quæ nocuere dolent.

Nerua

Nerua Imperator.

Proximus extincto moderatur sceptra tyranno
  Nerua senex, princeps nomine, mente parens.
Nulla viro soboles: imitatur adoptio prolem:
  Quam legisse iuuat, quam genuisse velit.

Traianus.

Aggreditur regimen viridi Traianus in æuo:
  Belli laude prior, cætera patris habens.
Hic quoque prolecarens, sociat tibi sorte legendi
  Quem fateare bonum, diffiteare parem.

Aelius Adrianus.

Aelius hinc subiit mediis præsignis in actis:
  Principia, & finem fama notat grauior.
Orbus & hic: sociátque virum documenta daturum,
  Adsciri quantùm præmineant genitis.

Antoninus Pius.

Antoninus abhinc regimen capit, ille vocatu,
  Consultúque Pius nomen habens meriti.
Filius huic fato nullus, sed lege suorum
  A patria sumpsit, qui regeret patriam.

M. Antoninus.

Pôst Marco tutela datur: qui scita Platonis
  Fecit ad Imperium, patre Pio melior.
Successore suo moriens, sed principe prano,
  Hoc solo patriæ, quòd genuit, nocuit.

Commodus Imperator.

Commodus insequitur pugnis maculosus arenæ:
  Threcidico princeps bella mouens gladio:
Eliso tandem persoluens gutture pœnas,
  Criminibus fassus matris adulterium.

Aelius Pertinax.

Aeli iudicio, & consulto lecte Senatus:
  Princeps decretis prodite non studiis.
Quòd doluit malefida cohors errore probato:
  Curia quòd castris cesserat imperio.

Didius Iulianus.

Dii bene quòd sceleris Didius non gaudet opimis,
  Et citò periuro præmia adempta seni.
Túque Seuere pater, titulum ne horresce nouantis:
  Non rapit Imperium vis tua, sed recipit.

Seuerus.

Impiger egelido mouet arma Seuerus ab Istro,
  Vt parricidæ regna adimat Didio.
Punica origo illi, sed qui virtute probaret
  Non obstare locum, cùm valet ingenium.

Bassianus Antoninus Caracalla.

Dissimilis virtute patri, & multò magis illi,
  Cuius adoptiuo nomine tu perhibes:
Fratris morte nocens, punitus fine cruento,
  In risu populi tu Caracalla magis.

Opilius Macrinus.

Princeps hic custos sumptum pro Cæsare ferrum
  Vertit in authorem cæde Macrinus iners.
Mox cum prole ruit: grauibus pulsare querelis
  Cesset perfidiam: quæ patitur, meruit.

Antoninus Heliogabalus

Tunc etiam Augustæ sedis penetralia fœdas,
  Antoninorum nomina falsa gerens.

Reliquum non extat.

DOMINO PROTHONOTARIO CARLEO CONSILIARIO & Eleemosynario Regis Christianissimi.



SAEPENVMERO mirari soleo quid in causa sit, quòd cùm corporis cultus, & in conquirendis voluptatibus diligẽtia finẽ nullum reperiat, tam citò literarum, & discendi studium effluxerit, vt paucos admodum videas, qui iustam ætatis suæ partem honestis artibus tribuendã putent. Ac mihi quidem principio in mentem venit, in Germania primùm, totóq; posteà Christiano orbe, ita varia de Religione dissidia, & ex iis tumultus exortos esse, vt perniciosa propémodum, & funesta disciplinarum cognitio censeretur. Sed cùm diligentiùs expenderem, hæc, quanuis sint grauissima, tanti tamen non fieri, vt non apud æquos etiamnum iudices, sin minus doctis sua præmia & authoritas, ac saltem literis suus honos & dignitas constet: paulò altiùs inuestigandum fuit cur nostrum hoc philosophari, quod ante annos aliquot plausibile, & potentissimis quibúsq; iucundissimum fuerat, nunc passim omnibus displiceret. An quòd fortasse, vt aliarum rerum est vicissitudo, & orbis quidam, ad cuius motum intorqueantur omnia, & interitum capiant, sic sua disciplinis sit senectus? & eò celerior, quò incitandis voluntatibus aptissimæ irrepunt faciliùs, & præcocem veluti quandam vitam sibi circunscribere videntur? At cùm nemo tam barbarus, aut efferatæ mentis reperiri possit, qui rationis & doctrinæ lumen non requirat: stultè faciunt, qui earum rerũ contemptionem, quæ Natura sunt omnibus iucundissimæ, in fati necessitatem conferunt. Atque ideo scrutari si diligenter volumus, quæ potissimùm labes virtutis igniculos extinguat, quos ex literis mens cõcipit, aut ingenitos alit & confirmat: in iis solis culpa hærebit, qui fumum ex luce (vt poeta inquit) dare cogitant: hoc est, honesti vim relinquunt, fucata quædam & inania consectantur. Neque verò pestis illa solùm in aulis principum grassatur, vbi ferè clarissimi quiq; ad omne assentationis specimen se venditant: sed in scholas quoq; & circulos serpit, ita docti dum rem facere student, aut blandè superbas aures deliniunt, aut improbis temerè assentiũtur. Quibus nihilò meliores sunt, qui in vmbra & otio vana quædam delirantium somnia pro certissima bene & beatè viuendi regula nobis obtrudunt: vtq; imperiti omnes facere solent, nihil rectè & ordine institui posse existimant, quod ipsi non præceperint. Nos quoque vereor ne consociatio & communitas illa, quæ ferè nostri generis hominibus cum doctis intercedere solet, paulò attentiores ad rem fecerit: ita paucos in tot Typographorum millibus reperias, qui ex animo adolescentium studia promouere velint. Suum cuique lucrũ est cordi, nihil solidi aut expressi quæritur, satis id vtile ducimus, quale quale sit, ex quo quæstus paulò proueniat vberior. Quæ omnia non eò pertinent, vt Stoicorum πρόνοιαν ab inferis excitare velim, quæ nobis in aliis hominibus alios mores effingat, aut eos, qui nunc sunt, non iustis laudibus dignos existimem: Sed

vt omnes

vt omnes morbi vim intelligant, & pro se postea quisque remedia adhibeat, atque auitam illam veræ gloriæ possessionem in gleba (quod dicitur) vindicet. Neque enim muliebriter conqueri viros fortes decet, neque Aiacis more apud Sophoclem, frustrà tempus lacrymando terere: verùm Homerici Achillis instar, dolere quidem νόσφι τῶν ἑταίρων, dum si vsu venerit vt nostra opera Respublica vti velit, non dicta modò, sed facta etiam præstemus. Qua in re si Hercule nobis opus est, aut alio quopiam numine ἐκ μηχανῆς: tu certè vnus satis habes præsidii ad ea omnia stabilienda, è quibus materiam, ac segetem gloriæ suæ, non literati tantùm, sed literæ quoque ipsæ haurire debent. Nam doctis eam authoritatem, cùm ex variis scriptorum tuorum monumentis, tum ex singulari morum candore, & perspecta vitæ integritate, constituisti, vt nullo se periculo aduersus inuidiam tueri possint. Quæ duo vt te bonis omnibus conciliant, & me, neque de facie quidem tibi notum, impulerunt, vt hoc quicquid est laboris, dedicarem, ita spero futurum vt pro tua apud Regem Christianissimum authoritate & gratia suus literis nitor & dignitas restituatur. De me hoc tibi polliceri habeo, quantum conniti studio, & non mediocri diligentia efficere potero, dabo operam, vt nihil nisi emendatum à nobis exeat, & quòd studiosis omnibus prodesse possit. Dominus noster Iesus Christus te conseruet, & tua consilia ad sui nominis gloriam, & veræ pietatis propagationem dirigat. Vale, Lugduni, nono Cal. Septemb. Anno Domini M. D. XLVIII.

Io. Frellonius.

Philippi Beroaldi Bononiensis Enarrationes in C. Suetonium Tranquillum.



AEGYPTII, Reges suos partim Pharaones, partim Ptolemaeos: Parthi, Arsacidas: Latini, Murranos: Albani, Syluios vocitauerunt: Romanorum verò Imperatores Caesares dicti: quod nomen tantò est quàm superiora nobilius, quantò Romanum Imperium caeteris regnis maius fuit, atque excellentius.

CAII SVETONII TRANQVILLI DE VITA DVODECIM CAESARVM, Liber primus.

Caesar Dictator.



ANNVM agens Caesar decimumsextum patrem amisit: sequentibúsque Consulibus, flamen Dialis destinatus, dimissa Cossutia, quae familia equestri, sed admodum diues praetextato despon sata fuerat: Corneliam Cinnae quater Consulis filiam duxit vxorem, ex qua illi mox Iulia nata est:

Igitur commentaturus Caesares duodecim à Trãquillo perscriptos videor esse facturus operaepretium, si quaedam explicauero ad Caesarum nomen, & originem conducẽtia: ne illotis (vt aiunt) pedibus protinus fores interpretationis ingrediar. Istę enim praefationes, vt inquit elegã ser Caius Iurisconsultus, & libentius nos ad lectionem propositae materiae perducunt, & eius euidẽtiorem praestant intellectum. Illum itaque, qui primus Caesaris nomen adeptus est, ab eo dictũ arbitrantur clarissimi scriptores, quòd caeso matris vtero sit natus: vel ab elephanto in pugna caeso, qui lingua Maurorum Caesar appellatur: vel quòd oculis fuerit caesiis, hoc est glaucis: vel à caesarie, cum qua natus prodiit. Plinius in VII. Nat. historiae tradit, quod memoratu dignum est, Scipionem Africanũ primùm fuisse dictum Caesarem, à caeso matris vtero: qua de causa & Caesones appellati. Plinianae sententiae Solinus adstipulatur: quam quidã aliter interpretantes conuellunt. Certe quacunque de causa Caesares nuncupati sint, hoc constat clarissimum, & duraturum aeternitate Mundi nomen istud effloruisse: quod non absurdè dici possit nomen super omne mortalium nomen. Iulius autem Caesar, qui Dictator perpetuo epitheto dicitur ab eruditis, à quo familia, & appellatio Caesarum deinceps propagata est, de quo in praesentia commentari auspicamur, non est natus caeso vtero materno, vt quidam malè sentiũt, sed matrẽ habuit Aureliam foeminam primariam, quam amisit eo tempore, quo gerebat bellum in Gallia: pater verò & ipse Caesar nuncupatus, praetura Rom. pop. functus obiit Pisis morte repentina, dum calceatur matutino. De cuius obitu neque Plutarchus, neque Trãquillus meminere: sed mẽtio fit ab vno, quod equidem sciam, Plinio, qui in VII. scribit haec: Nullis euidẽtibus causis obiere, dum calceãtur matutino duo Caesares, praetor, & praetura populi Romani functus Dictatoris Caesaris pater. Hic Pisis exanimatus, ille Romae. His adde vt nihil, quod nouerim, praeteream, Caesarem in munere patris funebri vsum esse omni apparatu arenae argenteo, tũcq; primùm visum feras argenteis vasis incessere. Sed iam verba ipsa Tranquilli enodare moliamur, quę nodosa esse videbũtur explicãtes: quae verò apertiora, & cognitu facilia praetereũtes. Sequẽtibúsq; consulibus.] Hoc est, sequenti anno: aetatis verò Cęsaris decimo septimo. Nãque anni apud Romanos à consulibus, qui magistratus est annuus, numerabantur. Lucanus: Annos à cõsule nomen habẽtes. Pacatus in Panegyrico: Consul creatur, habiturus est nomen annus. Flamen Dialis.] Flamines, sacerdotes dicuntur, à filo, quo cinctum caput habebant: & capite velato erant semper, vt interpretatur M. Varro. de quibus ita scribit Seruius: Flamines in capite habebant pileum, quod cùm per aestus ferre non possent, filo tantùm capita religare coeperunt: nam nudis penitus capitibus incedere nefas fuerat. Vnde à filo, quo vtebantur, flamines dicti sunt, quasi filamines: verùm festis diebus, filo deposito, pilea necesse erat accipere, ad eminentiam sacerdotii declarandam. Hoc idem in canonicis decretis scriptũ est dist. xxj. Graeci, authore Dionysio, flamines vocant [illegible]. Singuli flamines nomen habent ab eo Deo, cui sacra faciunt: vt Martialis, Vulcanalis, Quirinalis, à Marte, Vulcano, & Quirino. Dialis verò à Dio, id est, à Ioue dictus, quasi Iouialis sacerdos. De ceremoniis flamini Diali impositis scribit eruditè Gellius lib. IX. inter quas haec vna est: vxorem si amisit, flaminio, hoc est, sacerdotio decedit. Vxor autẽ flaminis Dialis Flaminica sacerdotissa

nuncupatur. Et Flaminia eius domus. Ordo sacerdotum apud Romanos hic erat: maximus putabatur Rex: deinde Dialis: post hunc Martialis: quarto loco Quirinalis: quinto loco Pontifex maximus. Itaque Rex supra omnes accubat: Dialis supra Martialem, & Quirinalem, & supra Pontificem maximum: perinde ac Dialis foret vniuersi Mundi sacerdos, qui appellatur dium. Flamini Diali sub dio vngi fas noo erat: eidem iurare non licebat, nec fermentum farinámve attingere: quarum rerum causas explicat Plutarch. in Problematis. Sensus Tranquilli est: Cæsarem agentem decimumseprimum ætatis annum aspirasse ad hoc sacerdotium, à quo mox aduersante Sylla repulsus est, vt tradit Plutarc. Destinatus.] Paratus, electus, designatus. A Pli. in Panegyrico, Destinario consulatus dicitur pro electione. Ab Apuleio inusitate magis, quàm ineleganter, dictũ est destinatũ pro alligatum. Sic enim ait in quarto de Asino aureo: Arreptum me loro quàm valido ad ansulam quandam destinatũ. Dimissa Cossutia.] Romæ fuerunt Cossi, Cossitii, Cossunii, & Cossuriani: quorum nominum vna, opinor, origo est à Cossis, qui vermes sunt e ligno editi: &, vt author est Pli. in xvii. Luxuria cossos roborum delicatiores adhibere cœpie iti cibo. Hinc luculenter Hieronymo dictum in libris contra Iouinianum: In Ponto, & Phrygia luxuria est comedisse xylophagion. Ita enim appellat cossos, vermes obesos ex lignorum carie enascentes, qui apud illos à patrefamiliàs in magnis reditibus computantur. A similitudine horũ cossorũ, homines rugosi corporis ab antiquis cossi dicti: vnde & Cossutiorũ nomen deduci videtur: ex qua familia fuit Cossutia hæc, quæ Cæsari puero desponsata, mox dimissa est ab eodẽ per renuntiarionem, quam interuenire oportet in sponsalibus discutiendis: in qua re hæc verba probata sunt, conditione tua noo vtar: Author Iurisconsultus titulo de diuortiis. Prætextato] Puero Cæsari. Est enim prętexta vestis poerorũ patririorum: dicta ab eo quòd purpura prætexitur. Vnde olim Papyrius cognominatus est Prætextatus, ob tacendi, loquendíque in prætexta ætate prudentiam: author Macrob. Hinc prætextati mores dicũtur à poëta Satyrico, & prętextatus sermo à priscis dictus, nihil obscœnitatis habens: quia prætextatis pueris nefas erat obscœno verbo vti. Est etiam prætexta gestamen magistratuum. Et ex regibus Romanis primus Tullus Hostilius toga prætexta vsus est: author Plinius. Fuit & in vsu prætexta pulla, id est, nigra: qua nulli alii licebat vti, nisi ei, qui funus faciebat.

M. ANTONII SABELLICI Ad Augustinũ Barbadicum, serenissimum Venetiarum principem, paraphraseos in Cæsarem Dictatorẽ parænesis prima.

ANnum agens Cæsar. Sunt, ni fallor, virtutes omnes in omnibus vt vitia, Augustine princeps Serenissime, verum non omnes in singulis: nulli enim hominũ vnquam vt eminentissimus ait poëta, cuncta dii dedere. Sed cùm ita sit, plures tamẽ in vno Cæsare Dictatore virtutes extitisse affirmare ausim, quàm in cęteris omnibus, quorũ à Tranquillo vitas eleganter scriptas accepimus: cui pudicitiæ parũ custoditæ fama detracta, qua ab ineunte adolescentia vsq; ad humilium personarũ exprobrationem deflagrauit, nihil meo iudicio defuit, quod & viro summo adesse oportuisset: in eo consilium, eloquentia, vigor, constantia militaris disciplinæ, omniumque altissimarum artium studium: &, quod ad gratiam conciliandam plurimùm valet, mira quædam liberalitas: quibus ille gradibus ex humili fortuna ad summum rerum humanarum peruenit fastigium. Sed quò plura, & maiora in eo extiterunt virtutum exempla, eò diligentiorem operã adhibuimus, vt ex locupletissima historiarum penu omnem rerum seriem tibi, iucundissime princeps, depromeremus: videbam enim fore, vt si vnius vitam tuæ amplitudini ex omni parte conspicuã fecissemus, fieret illi ad reliqua cognoscenda facilior accessus. Nunc quid sit quod ab adolescentia C. Cæsaris vitam scribere sit Tranquil. exorsus, in dubium venire potest: sunt qui coniectura haud inepta non oportuisse dicãt summi viri gesta, ab eius incunabilis, & infantiæ crepundiis confundi. Sed id Plutarch. in Alexandro, cui hunc nostrũ comparat, haud seruandum putauit: nisi quis eum regiam fortunam, in qua omnia multò, quàm in priuata, sunt illustriora, secutum dixerit. Annum sextumdecimum agens.] Quum sexdecim, scilicet annos esset Cæsar natus. Annus verò ab anno, vt Varro ait, id est, circulari Solis reuolutione: vel quia annũ Græci ἐνιαυτὸν dicunt. Parui circuli, ait Varro, annuli: magni verò circites, & anni dicebantur. Atteius Capito ab eo quod veteres an pro circum posuere, annum tradidit appellatum. Illi enim ambire, pro circum ire dixerunt. Cæsar.] Ab eo quod qui primus id cognomen tulit, cæso matris vtero sit editus: vnde & Cæsones. hæc Plin. Seruius, & Spartianus, de ratione nominis vterque plura. Patrem.] L. Cæsarem virum prætorium: qui cùm Pisis, vt Plin. scribit, mane calcearetur, repente obiit. Sequentibus consulibus.] sequenti anno. Martial. Bis iam penè tibi consul trigesimus instat. Omnis ferè annorum ratio consulum nominibus in Fastis continebatur. Flamen Dialis.] Iouis scilicet, à filamento: vel, vt Plutarch. placet, à pileo: quasi pilamen dictus. Destinatus.] Designatus: sed Syllæ Dictatoris potẽtia à petitione repulsum Plut. tradidit: nec placet quod quidã ad impetratam à populo petenti facultatem id referunt, vel quod pro collegio nominatum accipias, quod certo anni die fieri solitum, in epistolis Plin. scribit. Etenim non solùm gentilitiis hæreditatibus ab eodem est Sylla mulctatus, vt Tranquillus nõ multò pòst subiicit, sed & sacerdotio, quod vtique suffragio fuerat adeptus. Dimissa.] Repudiata. Familia equestri.] Honesto quidem loco, sed quia honestiore potuisset, diues adiecit. Prætextato.] Prætextatum adhuc habenti, ac per hoc poero. De prætextæ vsu teneræ ætati concesso, Macrobius, Plinius, & Plutarch. io Quæstiooibus abunde scribunt.

neq; vt repudiaret illã, compelli à Dictatore Sylla vllo modo potuit. Quare & sacerdotio, & vxoris dote, & gentilitiis hæreditatibus mulctatus, diuersarũ partium habebatur: vt etiam discedere è medio, & quanquàm morbo quartanæ agrauante, propè per singulas noctes commutare latebras cogeretur, séque ab inquisitoribus pecunia redimere: donec per virgines Vestales, pérque Mamercum Aemylium, & Aureliũ Cottam propinquos & affines suos veniam impetrauit. Satis

NEque vt repudiaret illam.] Plu. Cinnæ Dictatoris filiã Corneliã à Cæsare distrahere potitus rerum Sylla voluit: quod cùm aut metu, aut spe efficere nequiret, eius dotem publicauit. Repudiare est dirimere matrimoniũ diuortio. PHIL.

In rep

In repudiis autẽ, id est, in renũciationibus cõprobata sunt hæc verba: Res tuas tibi habeto. Tuas res tibi agito. Repudiũ Verrius ait dictũ, quod fit ob rem pudendam. A Dictatore Syl.] Mox suo loco dicemus de Dictatoris origine & nomine, & de Sylla Dictatore: ne indigesta fiat, & veluti confusanea interpretatio. Sacerd.] id est, flaminio illo Diali, de quo sũ dictũ. Gentilitiis hæreditat.] Gentilitia nomina dicũtur, quæ originem gentis vel familiæ declarãt. Vt scribit Dio. gentiles sunt, qui eodẽ nomine inter se sunt: vt Scipiones, & Bruti, ab ingenuis oriundi: quorũ maiorũ nemo seruitutem seruiuit: in quibus gentilitas peculiariter esse dicitur, cùm neq; seruorũ, neque libertinorũ gentilitas vlla sit, sicuti docet Boëthius in cõmentariis Topicor. Gentilitia nota à Liuio: gentilitia funera à Plinio nuncupantur. Gentilitium vocabulũ à gente, id est, natione, non à familia vsurpauit Gellius: inde Gentilitia sacra dicuntur à Liuio, quæ statuta sunt eidem genti. Sensus est Tranquillini, Iuliũ Cæsarẽ à Sylla mulctatũ fuisse hæreditaribus gentilitiis, à gente vxoris Corneliæ prouenientibus: vel gentilitiis, hoc est, familię suę, & gentis Iuliæ: quæ Iuliũ Ascaniũ authorẽ sui nominis nuncupat. Vt inquit Plut. Sylla dotẽ Corneliæ publicauit. Diuersarũ par.] id est, Marianarũ. Marianus fuit Cæsar, Syllanus verò Pompeius. Mulctatus.] Per punitionem mulctæ exutus, spoliatusque. Mulctam dici putant pœnã. M. Varro ait pœnã esse, sed pecuniariam. Idem, mulctæ vocabulũ non Latinũ, sed Sabinũ esse dicit. Suprema mulcta apud priscos erat in singulos dies triginta boum, & duarũ ouiũ. Minima autẽ, ouis vnius. De differentia mulctæ & pœnæ subtiliter scribunt Iurisconsulti titulo de verborũ significatione. Olim lex de mulctarũ æstimatione Romæ lata est, quæ fuit pergrata, vt docet Liui. in s s s s. A mulcta, æs mulctatitiũ dicitur, quod nomine mulctæ exigitur. Morbo quartanæ.] Scribit Plato in Timæo corpora mortalium laborare quartana febre, quando excessus fit elementi in homine terreni. Cùm enim terra quarto elementorũ gradu sit, temporis circuitu quarto feruet: hinc quartanas inuehit febres, quæ quidem longæ sunt, sed, vt ait Celsus, quartana neminẽ iugulat. Ab inquis.] Corneliũ significat, ducem militũ Syllanorũ: à quo deprensus duobus se talentis redemit. Donec per virg.] Solebant Romani in periculis, delictisque adhibere Vestales deprecatrices: vt ita venia fieret impetrabilior. Hinc ait Cice. in dissuasione legis agrariæ, si quid deliquero, nullæ sunt virgines, quæ me à vobis deprecentur. Hinc Messalina, cùm audisset Claudiũ maritũ ab Hostia redire festinantem ad ipsius vltionẽ, orauit Vibidiam virginum Vestalium vetustissimam, vt Claudii aures adiret, & clementiã expeteret. De dignitate sacerdotioq; Vestalium infrà suo loco affatim dicetur. Mamer.] Mamercus prænomen Oscum est, ab eo quòd hi Martẽ Mamertem appellant. Apud Liuiũ in quarto celebratur Mamercus Aemylius Dictator ex gente Mamerca: qui bello clarus, pace quoq; nõ spernẽdus legem tulit, vt censura, quæ prius erat quinquennalis, ne plusquàm annua, ac semestris foret. Quidam dicũt Aemyliam gentem à Mamerco appellatam, cui propter humanitatem ciuicã cognomen fuerit Aemylio: Græci enim Aemyliã vocant sermonis lepiditatem, atq; facundiam. Aurelium Cot.] Aurelia familia ex Sabinis oriũda à Sole dici creditur: cui peculiariter Romæ sacra faciebat. Antiquitus dicti Auselii, vt Valesii, Papysii: pro Aurelii, Valerii, Papyrii. Cotta autẽ dici videtur ab ira, quæ Græcè κότος vocatur. Et hoc est quod ait Quin. Grãmaticum scrutaturum origines nominum, vnde Scipiones, & Cottæ, & Serrani dicãtur. Aurelius Cotta affinis erat Cæsaris, vtpote cuius mater dicta sit Aurelia, ex Aureliorum familia. Ornatissimis viris.] Qualis erat Mamercus, Aemylius, & Aurelius Cotta. Pertinaciter conten.] Perseuerãter instarent. pertinacia à pertendendo dicitur: nã in quo nõ debet pertendi, & pertẽdit, pertinacia est: in quo verò oporteat manere, si in eo perstet, perseuerantia nũcupatur: author Varro. Expugnatũ.] Victũ Syllam precibus deprecatorum. Vincerent, ac sibi hab.] Verba sunt Syllæ ad eos, qui pro Cæsare deprecabãtur. Optimatum par.] Optimates sunt, qui in Republica versantes ita se gerũt, vt sua cõsilia optimo cuiq; probentur: de quibus ita scribit Cic. in oratione pro Sestio: Omnes optimates sunt, qui neq; nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impedio. Populares verò habebantur illi, qui ea quæ faciebant, quæq; dicebant, multitudini iucunda esse volebant. De his Priscianus in v. hæc: Optimates sunt, qui defendunt senatores: populares, qui defendunt populum. Dicebat igitur Sylla Cæsarem, vtpote popularem, & Marianum futurũ exitio optimatibus, qui fermè Syllani habebãtur. Multos Marios.] Scribit Plut. Syllã eos amentes esse dixisse, qui Cæsarem seruandũ asserebant, nisi in eo puero multos Marios inesse conspicarentur. Inimicitiarum autem Cæsaris, & Syllæ causa erat affinitas Marii, qui Iuliam Cæsaris amitam habuit vxorem.

Cinnæ quater cons.] Plu. eum dictatorem appellat. M. AN. Iulia.] Vt in Corneliorũ gente Corneliæ sunt dictæ, & in Aemyliorum Aemyliæ, ita & Iuliorum Iuliæ gentili nomine nuncupatæ, ob idq; Possidonius Romanas fœminas sine proprio nomine fuisse credidit, quia prænomen haberent, quod tum loco proprii esset. Sed Tarquinii vxor Tanaquil, Plin. authore, C. Cæcilia dicta est: sic & Acca Laurentia, & C. Terentia, in antiquis annalibus cum suis prænominibus sunt, vt Gellius scribit, relatæ. Plu. contra Possidonii opinionem duo dixit in Quæstionibus nomina Ro. fœminas habuisse, mares verò tria. A Dict. Syl.] Primus Ro. Sylla perpetuã induit Dictaturã, quũ ea alioqui dignitas semestris esset: verùm vltro tandem se potestate abdicauit: cui in ordinem redacto, cùm conuicium fieret ab ignobili adolescente, quasi diuinitus dixisse fertur: Fore, vt quicunq; post se eam dignitatem inuasisset, non nisi cum morte deponeret. Quod non multò pòst in C. Cæsare euenit. Sacerd.] Flaminio. Vxoris.] Corneliæ. Ad illud puto referendum, quod Sylla omnia Cinnę bona publicauit. Gentilitiis hæred.] Quę lege agnationis ad eũ peruenire potuissent: vnde illud, Si paterfamiliàs intestatus moritur, familia, pecuniaq; eius, agnatorũ, gentiliumq; esto. Mulctatus.] Mulctæ nomine priuatus. Mulctã Osci pœnã dixere, quia nõ singula, vt olim, sed multa simul eo nomine, vt Var.

constat Syllam, quum deprecantibus amicis & ornatissimis viris aliquandiu denegasset, atque illi pertinaciter contenderent, expugnatum tandem proclamasse, siue diuinitus, siue aliqua coniectura vincerent, ac sibi haberent, dũmodo scirent eum, quem incolumem tantopere cuperent, quandoq; optimatũ partibus, quas secũ simul defendissent, exitio futurũ: nam Cæsari multos Marios inesse.

existimat, à reo exigi occœperint: estq; delicti pecunia ria animaduersio, cùm pœna sit & capitis. Diuersarū par.] Marianarū, & ob id Syllæ inimicis. E medio.] Ex publico cōgressu. Quartanæ.] Febris scilicet. Pli. & Celsus Quartanas, & tertianas numero multitudinis frequentius vsurpāt. Quartanæ, inquit Celsus, sunt sim pliciores: incipiūt ferè ab horrore, deinde calor erūpit: finitaq; febre biduū integrū est, ita quarto die reuertitur. Aggrauante.] Affligente. Latebras.] Loca, quibus latere posset. Inquisitoribus.] Ad eū, & cæteros Marianos inquirendos missis. Redimeret.] Duobus talentis redemisse se Cæsarem à Cornelio Phagita inquisitorum duce Plutar. ait. Per virgines Vestales.] Cicer. Nullæ sunt, inquit, virgines, quæ me à vobis deprecentur, quasi per Vestales de reconciliatiōe ageretur. Cornelius ad hæc & Tranquillus in Vitellio authores sunt, hoc nomine vaserint legatis in Flauiana castra publicè missas. De Vestalium numero, & ministerio earum plura suo loco dicentur. Aurelium Cottam.] Hoc est, quod per propinquos, & affines dixit: nam & mater Cæsaris Aurelia dicta est. Deprecantibus.] Vel prece supplicium amolientibus: vt Ennius, Lethum, & inimicū deprecor. & Catullus: Totidem mox deprecor illi. Vel valde precantibus. Cice. Quàm multorum hic vitam à Sylla deprecatus est. Viris ornatissimis.] Siquidē Cotta prætor, & consul fuerat, Mamercus & ipse bello Marsico legatus. Liuius & Asconius sunt authores. Contenderent.] Obnixe peterent. Expugnatum.] Precibus victū. Eum.] Cæsarem. Optimatum.] Nobiliū studiis, potentiæ, factioni. Optimates, qui primū in ciuitate locum obtinēt: vel quòd opulentiores sint, & in maiore censu: vel quòd in primis oppressis opitulari possint. Defendissent.] Aduersus Marianos tutati essent. Multos Marios.] Multa consilia, & studia optimatibus inimica, qualia in Mario fuere. Luc. Multusq; in pectore vano est Annibal,

De prima Cæsaris militia. II.

STipendia prima in Asia fecit, Mar. Thermi prætoris contubernio: à quo ad accersendam classem in Bithyniam missus, desedit apud Nicomedem, non sine rumore prostratæ regi pudicitiæ: quem rumorē auxit intra paucos rursus dies repetita Bithynia per causam exigendæ pecuniæ, quæ deberetur cuidam libertino, clienti suo. Reliqua militia secundiore fama fuit: & à Thermo in expugnatione Mitylenarum ciuica donatus est.

PHIL. Stipēdia prima fecit.] Primūm militauit. Est enim stipendium à stipe appellatum, quòd per stipes, id est, modica æra colligatur: vt scribit Iurisconsultus ff. de verb. signifi. De stipendio militari ita scribit Varro lib. 1. linguæ Latinæ: Milites ærarii dicūtur ab ære, quòd stipendia facerēt. Hoc ipsum stipendium à stipe dictum, quòd æs quoque stipem dicebant. Stipem autem ipsum à stipando dicere cœperunt, propterea quòd in cella stipabant, id est compōnebant. Inde stipendiarii nuncupati, qui stipendium, hoc est, tributum pendebant: qui alio nomine vectigales appellantur, in qua re vulgus semidoctum hallucinatur, existimans stipendiarios dici milites, qui stipendium accipiunt: cùm tales proprio vocabulo mercenarii sint vocitandi.

Contubernio.] Castrensi verbo vsus est. Contubernium enim, vt docet Vege. in 1 1. de re militari, vocabatur manipulus, ab eo quòd coniunctis manibus pariter dimicabant: & propriè decem milites sub vno papilione degentes nominabantur contuberniū: quibus præerat decanus, qui caput erat contubernii. Vnde accipitur pro conuictu, & sodalitate. Inde contubernales vulgò sodales dicuntur: & contubernalitatem eleganter Cyprianus appellat ipsam sodalitatem.

M. Thermi.] Nescio an hic sit Marc. ille Thermus, ad quem Asiæ proprætorem extant M. Tullii epistolæ commendatitiæ, quibus eum laudat ab integritate, grauitate, atque clementia: sed erat illi non Marci prænomen, sed Quinti. Cæsar in 1. commentario belli ciuilis meminit alterius Thermi prætoris, qui quum esset Pōpeianus, ex oppido Tignio profugit, cognito Cie. aduentu, quē Cæsar miserat cū quinq; cohortibus. Milites in itinere à Thermo discesserūt: de quo Luc. in 11.

Iusque sui pulso iam perdidit Vmbria Thermo.

Ad accersendam.] Hoc est, euocādas naues. Accersere enim euocare est: arcessere verò aliquem accusare significat: & ab arceo nascitur. Nanque alium accusare, à maleficiis arcere est. Inde à Cic. dictum est: Arcessitur maiestatis, id est accusatur crimine læsæ maiestatis. Existimat Priscia. arcesso idem significare quod accerso, dictumque ab arcio verbo, quod nunc accio dicimus.

Apud Nicomedem.] Qui erat Bithyniæ rex, amicus Romanorū: qui olim raso capite sumpsit pileum, & se Romanorū libertum vocauit: sicuti meminit Plutar. in lib. de fortuna Alexandri. Desedit.] Mansit, commoratus est. Prostratæ.] Prostitutæ ad stuprum.

Bithynia repetita.] Sunt authores, transisse ex Europa populos nomine Thynos, à quibus appellantur Bithyni, & Bithynia, quæ regio est Asiatica. Claudia.

Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.

Exigendæ.] Repetendæ. Exigere enim est debitum repetere: aliàs excludere. Libertino clienti.] Non est mirandum, si Cæsar repetiit Bithyniam clientis libertini causa, cùm constet ex moribus pop. Romani secundū pupillos proximum locum clientes habere, qui sese in fidem, patrociniumque nostrum dediderunt. Vnde M. Cato ita scripsit: Aduersus cognatos pro cliente testatur: testimoniū aduersus clientem nemo dicit. Et Cæsar Dictator in oratione pro Bithynis adscripsit hanc clausulam: Clientes sine summa infamia deseri nō possunt, quibus etiā à propinquis nostris auxilium ferre constituimus. Romulus conditor vrbis instituit patronos omnia pro clientibus facere debere, quæcunque efficiunt pro filiis patres: clientes autem econuerso patronis suis ad filiarum dotem pecuniam contribuere. Nihilq; differebat clientium, patronorumq; coniunctiones à propinquorum necessitudinibus. Magna laus erat nobiliū, cliētes habere quàm plurimos. Inde extit illud Plautinū in Menæchmis: Clientes sibi volunt esse multos. Ab eodem Clienta mulier eleganti vocabulo nuncupatur. In expugnatione Mitylenarum.] Scribit Liuius lib. LXXXIX. Mitylenas in Asia expugnatas, dirutasq; fuisse, quæ sola vrbs post deuictū Mithridatem arma retinebat: est autem in insula Lesbo, iuxta Methymnā, clara Pittaco ex septem sapientibus vno, & Alcæo poëta. Pluraliter Mitylenas, & singulariter Mitylenē pronūtiant. Scribit Diodo. in v1. Mitylenen Macarei filiā vrbi nomen indidisse. Non omiserim hoc in loco quod Vitru. prodidit in primo, Oppidum Mitylenen

tylenen magnificenter quidem ædificatū fuiſſe, & elégãter, ſed poſitū non prudenter: in qua ciuitate, Auſter cùm flat, homines ægrotant: cùm Corus, tuſſiunt: cùm Septentrio, reſtituuntur in ſalubritatem. Cæſar in huius vrbis expugnatione meruit ciuicam coronam: quam ciuis ciui, à quo ſeruatus eſt in prælio, teſtem vitæ, ſalutisq; percepτæ dat: ea fit è fronde querna, quoniam victus, cibusq; antiquiſſimus ex quercu capi ſolitus ſit. Fit etiam ex ilice, quæ & ipſa arbor glandifera eſt. Vnde Cæcilius poëta comicus coronam ciuicā appellauit ilignā. Hac corona Lucius Gellius cenſuit donandum eſſe Ciceronem, quòd eius opera eſſet atrociſſima Catilinæ coniuratio detecta, vindicataque. De hac ita ſcribit Plinius in lib. XVI. Iligna primò fuit, poſteà magis placuit ex eſculo Ioui ſacra. Variatumq; & hoc cum quercu eſt, ac data vbiq; quæ fuerat, cuſtodito tamen honore glandis. Additæ ſunt leges arctæ, vt ſcilicet ciuis, qui ſeruatus eſſet, fateatur: aliàs teſtes nihil proſunt, vt ciuis fuerit. Auxiliaribus verò externis quanuis rege ſeruato, decus id non dant. Accepta corona ciuica licet vti perpetuó. Ludis ineunti ſemper aſſurgi etiam ab Senatu in more eſt: ſedendi ius eſt in proximo Senatui: vacatio munerum omnium ipſi, patriq;, & auo paterno datur. Plutarch. in Problematis, & in Coriolano, ideo exiſtimat hanc coronam dono dari ei, qui Romanum ciuem ſeruaſſet in prælio, quoniam Ioui ſacra quercus ſit, in cuius tutela ſunt ciuitates, & quia ex quercu antiquitus cibaria erant glandes: & facile militi fructum quercus exhibebat.

hoc Lucanus: Sternēre profectò, vt Catulò iacuit Lepidus. Periit autem in Sardinia, in quam fugerat, non tam morbo, quàm mœrore, quòd in literas quaſdam inciderat, ex quibus, vt inquit Plutarchus, vxorem cognouit adulteram. Mirum eſt, pariterque ſcitu dignum, quod tradit Plin. in lib. XXXVI. quòd non fuit Romæ pulchrior domus, quàm ipſius Lepidi: at eadem intra annos XXXV. centeſimum locum non obtinuit, adeò luxus cœpit inualeſcere.

Societate abſtinuit.] Noluit Cæſar Lepido ſe coniungere offerenti maria, & montes, & pollicitationibus ampliſſimis inuitanti, cùm videret eius ingenium ſocors, & minimè circunſpectum: & quia occaſionem, ex cuius momentis magnæ plerunque res agitantur, inuenerat minorem, quàm foret opinatus.

Cùm.] id eſt, partim.

Compoſita ſeditione ciuili.] Seditionem ſignificat, quam Romæ excitauerat Lepidus aduerſus collegam Catulum. PHIL.

Cornelium Dolabellam poſtulauit.] Duos eodem tempore fuiſſe & prænomine, & nomine, & cognomine Dolabellas tradit Aſconius Pedianus: quorum alterum Marc. Scaurus & accuſauit, & damnauit: alterum Cæſar accuſauit, nec damnauit. De quo nunc loquitur Tranquillus. Hoc ſcitu dignum eſt, quòd vno & vigeſimo ætatis anno Cæſar Dolabellam hunc accuſauit oratione luculenta: quam cum admiratione poſteri legebant: author Tacitus in dialogo de oratoribus. Poſtulare verò, ſignificat accuſare: in quo ſignificatu crebriter accipitur apud oratores: &, vt ſcribit Vlpianus Iuriſconſultus, poſtulare eſt deſiderium ſuum, vel amici ſui in iure apud eum, qui iuriſdictioni præeſt, exponere, vel alterius deſyderio contradicere. Qui autem poſtulare prohibebantur, lib. III. Digeſtorum copioſe traditum eſt.

Repetundarū.] Præſides prouinciarum accuſari ſolent repetūdarum à prouincialibus, quibus eripuerunt pecunias, aut vaſa, aut veſtem, aut frumenta, aut id genus alia. De qua re ità ſcribit Iuriſconſultus lib. XLVIII. Digeſtorum: Lex Iulia repetundarū pertinet ad eas pecunias, quas quis in magiſtratu, legatione, vel alio officio, miniſteriòve acceperit. Et paulò infrà apertius ita ſcriptū eſt: Lege Iulia repetundarum tenētur, qui cùm aliquā poteſtatem haberent, pecuniā ob iudicandum, vel non iudicandum, decernendùmve acceperint. Dicimus autem repetundarum, & de repetundis, per duos tantummodo caſus. Acilius Glabrio legem primus tulit de pecuniis repetundis: quæ Acilia dicta eſt, quæ, vt inquit Cicero, Lex ſocialis eſt, & tota ſociorum cauſa conſtituta.

De ſecunda eius militia, & reditu ipſius ad urbem. III.



Meruit & ſub Seruilio Iſaùrico in Cilicia, ſed breui tempore. Nam Syllæ morte comperta, ſimul ſpe nouæ diſſenſionis, quæ per Marc. Lepidum mouebatur, Romā properè rediit: & Lepidi quidem ſocietate, quãquàm magnis conditionibus inuitaretur, abſtinuit: cùm ingenio eius diffiſus, tum occaſione, quam minorem opinione offenderat.

De accuſatione Dolabellæ. IIII.



Caeterùm compoſita ſeditione ciuili, Cornelium Dolabellam conſularē & triumphalem virum, repetundarum poſtulauit: abſolutóque, Rhodum ſecedere ſtatuit, & ad declinandam inuidiam, & vt per otium ac requiem Apollonio Moloni, clariſſimo tunc dicendi magiſtro, operam daret. Huc dum hybernis iam menſibus traiicit, circa Pharmacuſam inſulā

PHIL. Meruit.] Militauit. Merere enim dicimus ſtipendii gratia militare. Luca. Aere merent paruo. M. Varro: Equo publico merent. Merere etiam ſignificat ſordidiſſimum quæſtum capere. Vnde meretrices, & meritorii pueri dicti. Interdum merere dicimus, pro mereri. Plaut. in Captiuis: Vale, atq; ſalue, & ſi aliter, vt dicam, meres. pro merearis

Sub Seruilio Iſau.] Seruilium illum ſignat, qui piratas deleuit: quo tempore cepit Iſaurum Pamphyliæ ciuitatem. De hoc intellexit Ouid. illo verſu:

Africa victorem de ſe vocat, alter Iſaurum:
Aut Cretum domitas teſtificatur opes.

Hic, vt teſtis eſt Euſebius chronographus, publico funere Romæ clarus fuit. De eodē ſic refert Ammianus Marcellinus: Hæ duæ prouinciæ bello quondā piratico cateruis miſtæ prædonum à Seruilio proconſule miſſæ ſub iugum, factæ ſunt vectigales.

Quæ per M. Lepidum.] M. Lepidus ſignatur, qui inuito Sylla, ſuffragante Pompeio, conſulatum adeptus eſt, qui cùm acta Syllæ iam defuncti reſcindere tentaret, bellum excitauit, & à Quinto Catulo collega ex Italia pulſus eſt. De

Absoluto.] scilicet, Dolabella. Fuit enim absolutus, quanuis ad damnationem peragendā complures Græciæ ciuitates testimonia Cæsari detulerint.

Apollonio Moloni.] Scribit Plutarc. Cæsarem condiscipulum fuisse Ciceronis sub Apollonio Molone: qui, vt author est Strabo, Alabandensis quidem fuit, sed Rhodi vixit, & ideò Rhodius nūcupatus. Cicero in Bruto testatur Apollonio Moloni, vtpote optimo dicendi magistro, recoquendū se dedisse. Sub quo cùm Fauonius parū profecisset, facetosa quadam annominatione dixit idem Cicero eum Rhodi molis potius, quàm Moloni operam dedisse. Quidā codices habent, Apollonio Molonis: videlicet filio ex locutione Græcis perquàm familiari, à quibus dicitur, Παυσανίας ὁ Πλειστώνακτος, Pausanias Plistonactis: & subintelligitur filius. [illegible]: & alia hoc genus sexcenta. Subscribit huic lectioni Plutarch. qui in vita Ciceronis Apolloniū hunc Molonis filiū fuisse indicat: sed cùm Apollonius quoq; Molo dictus sit, priorem lectionem magis probo, quæ celebratior est.

stulati: sed hunc Cæsar accusauit, quem damnare non potuit, quanquàm multi Græciæ populi testimonia, vt Plutarch. scribit, ei detulissent: alterum Marc. Scaurus: qui, vt damnaretur, effecit.

Consularem & triumphalem.] Qui non modò consul fuerat, sed triūphum etiam egerat.

à prædonibus captus est: mansítque apud eos, nō sine summa indignatione, propè quadraginta dies cum vno medico, & cubiculariis duobus. Nam comites, seruósque cæteros in initio statim ad expediendas pecunias, quibus redimeretur, dimiserat. Numeratis deinde quinquaginta talentis, expositus in litore non distulit, quin è vestigio classe deducta persequeretur abeuntes, ac redactos in potestatem supplicio, quod illis sæpe minatus inter iocum fuerat, afficeret. Vastante regiones proximas Mithridate, ne desidere in discrimine sociorum videretur, ab Rhodo, quò pertenderat, transit in Asiam: auxiliísque contractis, & præfecto regis prouincia expulso, nutanteis ac dubias ciuitates retinuit in fide.

Repetundarum.] Pecuniarū intellige: quo nomine pecuniæ, & alia quibus diuitiæ cōstant, continētur: sed siue nomen sit, siue aliud, duobus casibus repetundarum, & repetundis veteres plurimùm vsi sunt.

Apollonio Moloni.] Cui Cicero quoque, vt Plutarchus ait, operā dedit.

Pharmacusam insulā.] Circa Carpathum est ea insula, vnde & Carpathium mare.

Classe deducta.] Ex Milesio, vt Plutarchus ait, portu in altum ducta.

Circa Pharmacusam insulam.] Iuxta Atticam regionem, in Salaminiaco mari duæ sunt exiles insulæ, nomine Pharmacusæ: in quarum altera sepulcrum Circes visitur: author Strabo in IX. Pharmacusæ insulæ meminit nudo tantùm nomine Plinius in IIII. Natu. hist. Stephanus de Pharmacusa sic Græcè scribit: [illegible]. Id est, Pharmacusæ duæ sunt insulæ prope Salamina: est & alia supra Miletum, in qua Attalus occubuit.

Rhodum secedere.] Rhodos insula est in mari Carpathio, vt indicat Lucilianus versus:

Carpathium Rhodos in pelagus se inclinat apertū.

Soli sacra est, qui puellæ nomine Rhodiæ amore captus, Rhodum ab ea nominauit: vt refert Diodor. in V. Aurum Rhodi pluisse, ob felicitatem insulæ cecinit Pindarus: vbi studia liberalium artium, & in primis oratoriæ facultatis efflorruerunt. Vnde Cicero, & Quintilia. tria oratorum genera fuisse prodiderūt, Atticum, Asianum, & Rhodium: quod velut medium erat, & ex Attico, Asianoq; commistum. Meritò itaque Cæsar secessum elegit Rhodiensem, vtpote locum disciplinis ingenuis, faciendoque oratori accommodatum. Illinc enim multi memoratu digni extiterunt circa philosophiam, & oratoriam: Panætius, & Stratocles, & Andronicus. Rhodi quidem vixit Possidonius, & sophisticam Rhodi exercuit: fuit tamen Apamiensis ex Syria, quemadmodum Apollonius Molacus, & Molon: nam hi Alabandenses fuere. Prætereà Simias grammaticus, & Apollonius, qui Argonautica composuit, Alexandrini quidem fuere, Rhodii tamen vocati sunt.

M. AN. Cornelium Dolabellam.] Duo eodem tempore, vt Pedianus ait, fuerunt Dolabellæ, atque ambo po-

PHIL. A Prædonibus captus.] Scribit Plutarch. Cæsarem captum fuisse à Cilicibus piratis, cùm discederet à Nicomede Bithyniæ rege. Cato. Prædonulos dixit [illegible], id est, diminutiuè, quasi pusillos prædones.

Comites.] Appellatione comitis enim accipere debemus, qui sequatur: siue liber, siue seruus, siue masculus, siue fœmina sit: & ita comitem Labeo Iurisconsultus definit, qui frequentandi cuiusque causa, vt sequeretur, destinatus fuerit. Inter comites vtique & pædagogi erunt. Hoc tempore comes nomen est dignitatis: quod & vsurpat Ammianus Marcellinus, à quo largitionum comes dictus, qui præerat largitionibus Imperatoriis.

Ad expediendas pecunias.] Quas scilicet Milesii ei suppeditauerunt, vt redimeretur.

Talentis.] Talentum multiplex est: nanque talentum Atticum magnum octogintatres habet libras, paruum verò sexaginta: author Priscia. Scribit Seruius talentum apud Romanos esse septuaginta librarum. Varro autem talentum Atticum ait taxari sexdecim sestertiis. Plin. in XXXIII. ex authoritate Varronis tradit talentum Aegyptium pondo octoginta patere. De talento Attico Liuius describens fœdus, quod cum Antiocho & Romanis ictum est, ita prodidit: Talentum neminus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat. Erat autem talentum Euboicum, quod quatuor millia valebat denariorum Romanorum. Erat prætereà talentum Rhodium, quingentorū denariûm. Neapolitanum, sex denariûm. Syracusanum, trium denariûm. Rheginum, victoriati. Est autem victoriatus nummus argenteus victoriæ nota signatus: & inde nomen est. Hîc intelligimus Attica talenta numero quinquaginta fuisse numerata, quæ singula Romanis ponderibus pendant octoginta pondo, hoc est libras. Græci vocant τάλαντον, vnde πολυτάλαντος dictus diues, vt docet Pollux lib. IX. Onomastici.

E vestigio.] Statim.

Supplicio afficeret.] Cæsar piratas, à quibus captus fuerat, cùm in potestatem suam redegisset, quoniam suffixurū se cruci antè iurauerat, iugulari prius iussit, deinde

De tribunatu militum eius, & alijs gestis ipsius. V.



Ribunatu militum, qui primus Romam reuerso per suffragia populi honor obtigit, authores restituendæ tribunitiæ potestatis, cuius vim Sylla diminuerat, enixissimè iuuit. Lucio etiam Cinnæ vxoris fratri, & qui cum eo ciuili discordia Lepidum secuti, post necem consulis ad Sertorium confugerant, reditum in ciuitatem rogatione Plotia confecit, habuítque & ipse super ea re concionem.

deinde suffigi. Fenestella tamen in secundo Epitomarum prodidit piratas à Cæsare decollatos fuisse, hoc est securi cæsos, non suffixos patibulo. Apud illum enim, vt ait Diomedes, inuenitur quemadmodum Cæsar à piratis captus sit, vtq; eos posteà ceperit, & decollauerit.

Ne desidere.] Cessare, & per ignauiã deses, & cessator esse. Auxiliisque contractis.] Auxilia propriè dicuntur sociorum, cùm legiones ex Romanis constent. Inde scribit Vegetius li. i i. de Re militari: Auxiliares ex diuersis locis veniũt, & legionibus semper auxilia tanquã leuis armaturæ in legione iungebantur: vt in his prælijs di magis adminicula esset, quàm principale. Inde apud Historicos legionarii, & auxiliarii discretim producuntur.

Prouincia expulso.] Prouinciam intelligit Asiam, non eam, quæ tertia orbis pars significatur, sed alteram, quam Agrippa determinauit ab Oriente Armenia minore, ab Occidente Phrygia, Lycaonia, Pamphylia, à Septentrione prouincia Pontica, à Meridie mari Pamphylio. Regiones autem longè ab Italia acquisitæ bello, prouinciæ dictæ sunt: à porrò, vel procul vincendo: ad quas prætores quia cum officio mittebantur, officia quoque prouinciæ nominantur: author Donatus in commentario Phormionis. Ait Egesippus Romanos cùm in ius suum vincendo redigerent procul positas regiones appellauisse prouincias. A prouincia prouinciales deriuantur: quo antiquitus nomine omnes præter Italicos appellabantur: quod significare videtur Plinius lib. Epistolarum v i i i. scribens, Italicus es, an prouincialis? & Columella caput facit libro sexto Agricolationis, de cultura prouincialium vinearum: cùm alibi de cultura Italicarum scribat.

Regis.] Mithridatis.

M. AN. Supplicio.] quod fuerat interminatus. Cæsar eos in potestate redactos prius iugulari iussit, mox Pergami, quod se facturũ promiserat, cruci iugulatos affixit.

Nutanteis.] Instabiles, nec in fide mansuras.

Tribunatu militum.] Pedianus duo ait tribunorũ militum fuisse genera: vnum, quod Rufuli dicerentur, quique in exercitu creari soliti essent: alterum comitiorum, qui comitiis designarentur: de quo nunc. Sed hi consulari potestate creati sunt circa Veientani, Senonicique belli tempora: interdum & proconsularis, aut non multùm diuersa potestas data: quo fit vt tribunos fasces etiam procul Italia habuisse tradiderint quidam, vt Tyberiũ Neronem, qui posteà princeps fuit Rhodi: & M. Ant. qui ab Antonino Pio est adoptatus, tota Italia proconsulari imperio tribunum fuisse Capitolinus tradidit. Cuius vim.] Potestatem.

Sylla diminuerat.] Tulerat Sylla Dictator legem, vt Appianus scribit, qua cautum est, ne is qui tribunus plebis fuisset, magistratum illum amplius haberet. Liuius omnem ferendarum legum vim tribunis scripsit ademptam. Pedianus autem indicandi.

PHIL. Tribunatu militum.] Tribunorũ militarium duo sunt genera: alii Rufuli dicuntur, qui in exercitu creari solent. Alii sunt comitiati, qui Romæ comitiis designantur, author Asconius. Tribuni militaris officium est, vt miles veste nitidus, armis bene munitus, exercitationis vsu, & disciplina eruditus incedat: sicuti docet Vegetius in i i. de Re militari. Vegetio subscribit Iurisconsultus sic scribens titulo de Re militari: Officium tribunorum est milites in castris cõtinere, & ad exercitationem perducere, querelas cõmilitonum audire, valetudinarios inspicere. Olim Romæ tribuni militũ consulari potestate promiscuè ex patribus, ac plebe creati sunt: de quorum numero vario, & potestate, non pauca scribit Liuius lib. i i i. & v. ab vrbe condita. Alii fuerunt tribuni plebis: alii tribuni ærarii, dicti ab eo, quòd his attributa erat pecunia, quam militi redderent. Igitur Cæsar creatus tribunus militum, qui comitiatus dicitur, fauore populari iuuit authores restituendæ tribunitiæ potestatis. Qui autem fuerint isti authores, ambigitur. Ego existimo intelligendum esse peculiariter Pompeium: qui, vt scribit Plutarchus, apud plebem erat fauorabilis, propterea quòd tribunatum restituerat. Appianus in secundo bellorum ciuilium author est, Pompeium, cùm à Curione tribuno Senatus fuisset dissolutus, vehementer pœnituisse, quòd tribunitiam potestatem à Sylla imminutam, atque disiectam, denuò ipse in pristinum statum redegisset. Asconius Pedianus sic ait: Infractam tribunitiam potestatem à Sylla, restitutam à Cneo Pompeio apparet. Longe tamen differt tribunus plebis à tribuno militari.

Qui honos.] Magistratus.

Reuerso.] Cæsari.

Cuius vim Sylla diminuerat.] Scribit Cæsar in commentariis Syllam omnibus rebus nudasse tribunitiam potestatem, cui tantùm intercessionem liberam reliquerit. Quintus Cicero sic inquit apud Marcum Tullium fratrem libro tertio de Legibus: Quam ob rem in ista quidem re vehementer Syllam probo, qui tribunis plebis sua lege iniuriæ faciendæ potestatem ademit, auxilium ferendi reliquerit: Pompeiumque nostrum cæteris rebus omnibus semper amplissimis, summisque effero laudibus: de tribunitia potestate taceo, nec reprehendere libet, nec laudare possum vitia tribunatus. De hac eadem re ita refert Liuius volumine LXXXIX. Sylla tribunorum plebis potestatem minuit: & omne ius legum ferendarum ademit.

Enixissime.] Maximopere, validissimé.

Vxoris fratri.] Erat hic frater Corneliæ vxoris Cæsaris: vnde meritò Cæsar elaborauit, vt in vrbem redire posset.

Ciuili discordia.] Quæ inter Lepidum, & Catulum exorta est.

Post necem consulis.] scilicet Lepidi: de quo suprà dictum est.

Ad Sertorium confugerant.] Sertorius id temporis erat in Hispania Marianæ factionis propugnator: aduersus quem Sylla multos misit imperatores cum

De quæstura eius, & alijs gestis per eum. VI.

QVæstor Iuliam amitam vxorémq; Corneliam defunctas laudauit è more pro rostris: sed in amitæ quidem laudatione de eius ac patris sui vtraque origine sic refert: Amitæ meæ Iuliæ maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus coniunctum est. Nam ab Anco Martio sunt Martii reges; quo nomine fuit mater: à Venere, Iulii, cuius gentis familia est nostra. Est ergo in genere & sanctitas regum, qui plurimùm inter homines pollent, & ceremonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges. In Corneliæ autē locū Pōpeiam duxit Quinti Pōpeii filiā L. Syllæ neptē: cū qua deinde diuortiū fecit, adulteratam opinatus à Publio Clodio, quē inter publicas ceremonias penetrasse ad eam muliebri veste tam cōstans fama erat, vt Senatus quæstionem de pollutis sacris decreuerit.

exercitibus. Historia Sertorii notior est, quàm vt pluribus sit explicanda.

Rogatione Plotia confecit.] Lex, plebiscitum, priuilegium, rogationis nomine continentur. Est enim Rogatio quasi caput, & fons totius iuris popularis. Nam rogare populū, est agere cum populo: in qua re hæc erát verba solennia: Velitisne, iubeatisne Quirites, vt hoc, vel illud fiat? Vnde rogatio, quasi quædam interrogatio est. Inde Tranquillus rogationē Plotiam appellat legē latam à Plotio tribuno plebis: per quam Cæsar effecit, vt hi, qui cum Lepido fuerát, in patriā redire impune possent. Gellius in XII. noctium Atticarū meminit orationis, qua Cæsar Plotiam rogationem suasit, quāuis codices Gelliani ferme omnes non Plotiam rogationem habeát, sed Plautiam: verùm cùm Plotius dicatur, & Plautius, Plautiā rogationem legemus apud Gelliū: & ita conueniet cū Tranquillo. Habuit concionē.] Cōcio significat locū, suggestumq;, in quo verba fiūt: item cœtū populi assistentis: itē orationem ipsam, quæ ad populū dicitur: author Verrius Flaccus. Concio Græce *δημηγορία* nūcupatur. Hic concionem intelligit orationē Cęsaris, habitā ad populum.

M. AN. AVthores restituendæ tribu. po.] Pompeius secundo suo cōsulatu, quē cū Crasso gessit, tribunitiam potestatem populo restituit: cuius posteà rei constat eū sub initiū ciuilis belli pœnituisse. Post necem consulis.] Lepidi scilicet, quē in Sardinia defunctū diximus. Rogatione.] Lege, plebiscito. Plotia.] Clodiū, & Claudium veteres dixere: sic Plotiū & Plautium. Duorū Pedia. Plautiorū meminit, M. Plautii Syllani trib. ple. & P. Plautii Hipsei, qui in consulatu fuit Milonis cōpetitor: vtrius horum, an alterius Plautii rogatione Cæsar Cornelię vxoris fratri, & aliis exulibus reditū in vrbē fecerit, parū compertū habeo. Concionē.] Orationem ad populū. Orationis ipsius Gellius meminit: In oratione, inquit, C. Cæsaris, qua Plautiā rogationē suasit.

PHIL. QVæstor.] Quæstura primus erat honoris gradus apud Romanos: & prætorem quæstori suo parentis loco esse oportebat, sicuti Cicero in oratione pro Plācio, & in Verrinis scriptitauit. Quæstores autē dicti sunt à quærendo, qui conquirerent publicas pecunias, & maleficia. Dubiū est, Romulúsne, an Tullus Hostilius quæstores primos Romæ crearit. Ex quæstoribus quidā prouincias sortiebātur, & tam patritii, quàm plebeii indifferenter creabantur: de quibus multa Iurisconsulti prodiderunt. Author est Tacitus, viginti quæstores olim fuisse creatos, cùm stipendiaria iam esset Italia. Parrici quæstores antiquitus appellabantur, qui solebant creari causa rerum capitalium quærendarum: tales hac tempestate sunt Iudices maleficiorum quos vocant. Amitam.] Patris sororem, Marii vxorem: vnde amitini consobrini dicti, qui ex sorore, & fratre propagantur. Laudauit è more pro rostris.] Cum ex voto Camilli cratera aurea ad Apollinem Delphicū mittēda esset, cumq; parua auri copia foret in vrbe, tūc matronæ Romanæ inter se consultantes omnia corporis ornaméta aurea contulerunt, quod aurū fuit octo talētorum. Igitur Senatus referre volens his mulieribus honorem, decreuit, vt post mortē ita pro fœminis in funere celebrādo oratio funebris haberetur, sicuti pro viris habebatur: author Plutarch. in Camillo. A Plutarcho dissentit Liuius, qui scribit in v. ab vrbe condita, quòd cùm in publico deesset aurū, ex quo summa pactæ mercedis Gallis arcem Romanam oppugnantibus conficeretur, id à matronis fuisse collatū, prætereaq; institutū vt earū, sicut virorū, post mortem solennis laudatio esset. Pro Rostris.] Romæ ante curiā Hostiliā in foro Romani extructū suggestū adornauere ex rostris nauiū Antiatiū, rostraq; id templum appellauerūt, ex quo loco concionari solebāt: authores Liuius, & Mar. Varro. Pro Rostris dicitur, sicuti dixerunt veteres pro censu, pro tribunali, pro testimonio: vbi hæc particula, pro, ponitur pro in: aliâs significat ante: vt pro curia, pro mœnibus, ante curiam, ante mœnia: authores Festus, Diomedes, & Priscianus.

Vtraq; origine.] Materna, & paterna. Amitæ meæ Iuliæ.] Verba sunt Cæsaris, quibus Iuliam amitā, Marii vxorem laudauit oratione funebri. Ab regibus.] Propter Ancū Martiū. Cum diis.] Propter Venerē. Ab Anco Martio, sunt Martii reges.] Romæ familia fuit Martiorum, qui cognominati sunt Reges, propterea quòd ab Anco Martio quarto Romanorum rege erant oriundi. Inde aqua Martia à nomine Quinti Martii regis dicta est, qui fuit vnus ex hac familia: cuius meminit Plinius in XXXVI. In hac gente fuit Martius vates illustris: cuius carmina citant Liuius, & Macrobius. Fuit mater.] Martia significatur, quæ fuit mater Iuliæ Cæsaris amitæ. A Venere Iulii.] Venus ex Anchisa genuit Aeneā patrē Iulii Ascanii, à quo gens Iulia deducitur. In genere.] Amitæ Iuliæ materno, & paterno. Sanctitas regum.] Hoc refertur ad Ancum Martium regem Romanorum.

Et ceremonia deorum.] Hoc ad Venerem referendum est. Pollent.] Possunt: vnde Pollentia dea potentiæ colebatur à Romanis: cuius signum olim procidisse testis est Liui. lib. vndequadragesimo. In hanc sententiam ait Papinius, Sub regibus omnis terra.

Quorum ipsi in potestate.] Huic sententiæ quadrat illud Horatianum: Regum timendorum in proprios greges: reges in ipsos imperium est Iouis.

Quinti Pompeii filiam.] Meminit Asconius Quinti Pompeii, qui videtur fuisse frater Pompeiæ vxoris Cæ

ris Cæsaris: eum enim nepotem Syllæ ex filia fuisse referr,cuius neptis erat & ipsa Pompeia.

Inter publicas ceremonias.] Notissimum est quemadmodũ P. Clodius Ciceronis inimicus muliebri psaltriæ veste occultatus profanauit sacra Bonæ deæ: à quorum conspectu sic omnes viri ex ritu summouebantur, vt picturæ quoque masculorum animalium cõtegerentur. Deprehensus itaque Clodius in cubiculo puellæ, quæ ancilla erat Pompeiæ vxoris Cæsaris, quam efflictim deperibat accusatus fuit pollutarum ceremoniarum: quem tamen reatum euasit empto, constupratóque iudicio: authores Cicero, & Seneca. Publicas ceremonias intelligit sacra Bonæ deæ: quoniam id sacrificium pro populo fieri dicebatur: de quo ita scribit Cicero in oratione de Aruspicum responsis: Sacrificiũ Bonæ deæ fit per virgines Vestales, fit pro populo Romano, fit ab ea domo, quæ est in Imperio: fit incredibili ceremonia. Idem in epistolis ad Atticum de hoc toto negotio sic refert: Publium Clodium Appii filium te credo audisse, cum veste mulieris deprehensum domi Caii Cæsaris, cùm sacrificium pro populo fieret, eumque per manus Seruiliæ seruatum, & eductũ, rem esse insigni infamia. Idem mox in alia epistola: Credo, inquit, te audisse cùm apud Cæsarem pro populo fieret sacrificiũ, venisse eò muliebri indutum vestitu virum, idque sacrificium cùm virgines instaurassent, mentionem à Quinto Cornificio in Senatu factam. Hoc idem tradit Seneca libro XVI. Epistolarum ad Lucilium. Præterea popularia sacra sunt, vt ait Labeo, quæ omnes ciues faciunt, nec certis familiis attributa sunt: vt Fornacalia, Parilia, Laralia. Ceremoniæ autem à carendo dictæ: sicut religio à relinquendo. Nã vt inquit Massurius Sabinus, religiosum est, quod propter sanctitatem aliquam remotum, ac sepositum à nobis est: verbum à relinquendo dictum: tanquam ceremoniæ à carendo. Valerius autumat sacra ceremonias vocari à Ceritibus Hetruscis: quia sacra Romanorum infracto Reipublicæ statu perinde ac florente coluerunt. Quoniam incidit P. Clodii mentio, enarrandus est obiter locus ille ex epistola Ciceronis ad Lentulum: Qui non pluris fecerat Bonã deam, quàm treis sorores. Quæri enim & quidem anxiè solet ab eruditis, historia trium sororum, quas ita Clodius polluit, sicut ceremonias Bonæ deæ polluerat: ego, vt pro virili parte foueam studia studiosorum, cùm diligenter id inquirerem, reperi Clodium habuisse treis sorores, easque omnes constuprasse: quarum iunior

De gemitu eius apud statuam Magni Alexandri, & de somnio ipsius de matris nefario concubitu.

Cap. VII.



Væstori vlterior Hispania obuenit: vbi cùm mandato populi Romani iure dicundo conuentus circumiret, Gadesq; venisset, animaduersa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit: & quasi pertæsus ignauiam suam, quòd nihildum à se memorabile actum esset in ætate, qua iam Alexãder Orbem terrarum subegisset, missionem continuò efflagitauit ad captandas quàm primum maiorum rerum occasiones. In vrbe etiam confusum eum somnio proximæ noctis (nam visus erat per quietem matri stuprum intulisse) coniectores ad amplissimam spem incitauerunt, arbitrium Orbis terrarum portendi interpretantes: quando mater, quam subiectam sibi vidisset, nõ alia esset, quàm terra, quæ omnium parens haberetur.

nomine Clodia nupsit Lucullo, altera Terentia nominata, vxor fuit Martii regis, tertia nupsit Metello Celeri: Quadrans cognominata, ex eo, quòd quidam adolescens, qui eam amabat, pro argenteis nummis quadrantes æreos immisit in loculum puellæ, quæ cùm quadrantibus pro pretio concubitus illusa fuisset, quadrantis meruit cognomen: Author huius historiæ est Plutarchus in vita Ciceronis: sed nõ ea, quæ vulgò impressa legitur: illam enim scripsit Leonardus Aretinus vt conditor, non vt interpres.

Quæstionem.] Modò inquisitionem: aliás tormenta, apud Rhetores, Dialecticósq; alia res est quæstio.

Pollutis.] Contaminatis, violatis.

Quæstori vlterior Hispania obuenit.] Ex quæstoribus, vt scribit Vlpianus, quidam solebant prouincias sortiri: non enim omnes quæstores prouincias sortiebantur. Cæsar ex his Quæstoribus vnus fuit, qui Prouincias sortiuntur: cui Hispania vlterior obuenit: hoc est, sortitò obtigit: quæ, teste Plinio, Bætica est. Omnis enim Hispania in vlteriorem, citerioremque diuiditur. Citerior, eadem Taraconensis, ad Pyrenæa vsque iuga protenditur. Vlterior in duas per longitudinem prouincias diuiditur: hoc est, Bæticã, & Lusitaniam. PHIL.

Conuentus circumiret.] In hoc loco conuentus loca significant, in quibus populi iuris dicendi causa à magistratibus iuridicis congregantur: de quibus crebra est mentio apud historicos: & ita illud intelligendum est in quinto Commentariorum apud Cæsarem: His confectis rebus, conuentibusque peractis, in citeriorem Galliam reuertitur. In hoc eodem significatu accipitur illud poetæ Satyrici:

Nec per conuentus, nec cuncta per oppida curuis
Vnguibus ire parat nummos raptura Celæno.

Scribit Plinius in tertio, in Bætica fuisse iuridicos conuentus quatuor, videlicet Gaditanum, Cordubensem, Astigitanum, Hispalensem.

Apud Herculis templum Magni Alexandri imagine.] Gadibus templum fuit Herculis honoratum, in quo quidam columnas illas esse existimant, quæ Herculis columnæ nuncupantur: sunt autem ex ære, cubitorum octo longitudine: & Gades Herculi dicatas testatur Poeta in Priapeiis illo versiculo:

Gades Herculis humidumq; Tibur.

Hoc Herculis templum, de quo nunc loquitur Tranquillus luculentis versibus describit Silius Italicus, libro tertio Punicorum: de eodem sentit

De gestis per eum in urbe. VIII.



Decedens ergo ante tempus, colonias Latinas de petenda ciuitate agitantes adiit: & ad audendum aliquid concitasset, nisi consules conscriptas in Ciliciam legiones paulisper ob id ipsum retinuissent. Nec eò secius maiora mox in vrbe molitus est.

De suspicione coniurationis eius cum Crasso & Sylla. IX.



Siquidem ante paucos dies, quàm ædilitatem iniret, venit in suspicionē cōspirasse cum M. Crasso cōsulari, item Publio Sylla, & L. Antronio post designationem consulatus,

Liuius sic scribens lib. XXI. Annibal Gadeis profectus Herculi vota exoluit, nouisq; se obligat votis. Philostra. lib. VI. de Apollonii vita, prodidit multa de tēplo Herculis Gaditani. Gades autem insula est extra colūnas Herculeas: olim vno censu quingenti Gaditani censi sunt in ordine equestri. Cor. Balbus oppidum Gadibus condidit nomine Neapolim. Gaditani oriundi sunt à Tyriis: hinc Luca. Tyriis qui Gadibus hospes.

Ingemuit.] Paulùm dissentit Plutarchus, qui sic ait: Cæsar in Hispania cùm otium nactus res quasdā Alexandri pictas perlegeret, secū diu cogitabundus, dehinc illacrymasse traditur. Cuius rei causam admirātibus sociis, Nónne, inquit, iure dolendum arbitramini, quòd huius ætatis Alexander tot gentes suo subdidisset Imperio, qua nullum adhuc præclarum facinus ipse gesserim?

Pertæsus ignauiam.] Pertæsus, participium est, sine verbi origine, vt autumat Seruius: & regit genitiuū, sicut ex illo Vergiliano manifestum est:

Si non pertæsum thalami, tedæque fuisset. Regit etiam accusatiuum, vt ex hoc loco apertè dignoscitur: cuius testimonium citat Seruius. Atqui Aul. Gellius libro 1. noctium Atticarum vsus est hoc verbo pertædere, tanquam personali, sic scribens: Verbis eius defatigari pertæduissent. Scipio Africanus pertisum per i, literam dicitur enūtiasse: cuius meminit Lucilius, cùm ait: Quò facetior videare, & scire plus quàm cæteri, pertisum hominem, non pertæsum, dicere ferunt te.

Qua Alexander.] Decessit Alexander annos treis & triginta natus, cùm prius subegisset omnes fermè orientales nationes, & instar fulminis cuncta prostrauisset, oceanum quoque eremigasset. Seneca in 1. suasoriarum, non ineleganter inquit: Alexander orbi magnus est: Alexandro orbis angustus est. Etenim sicut historiarum conditores prodiderunt, cùm Anaxarchū philosophū audisset referentem innumerabiles esse Mundos: Heu me, inquit, miserum, quòd ne vno quidem adhuc sum potitus. Hinc nimirum illud exiit:

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

Missionem continuò efflagitauit.] In re militari multa sunt genera missionum: est enim honesta, quæ emeritis stipendiis ab Imperatore indulgetur. Est causaria, quæ propter valetudines à laboribus militiæ soluit: vnde causarii milites à Liuio dicti sunt. Et ignominiosa, cùm quis propter delictū sacramento soluitur: authores Iurisconsulti tit. de re milit. & in titul. de his, qui notan. infa. In hoc loco Cæsarem intelligimus missionem honestam flagitasse.

Continuò.] Statim.

Confusum somnio.] Plutarchus à Tranquillo dissentiens tradit Cæsarem ea nocte, quam insequutus est Rubiconis transitus, hoc vidisse somnium, vt scilicet per quietem matri videretur se permiscuisse infando concubitu: cùm mater autem cōmunis omnium terra significetur, sicuti Liuius, Plinius & Naso notificant, meritò interpretes somniorum dixerunt eo somnio portendi, quòd Cæsar terram matrem sua virtute subigeret, & orbi terrarum dominaretur.

Coniectores.] Interpretes somniorū, atque ominū coniectores vocantur, à coniectura, hoc est, directione quadā rationis ad veritatem: vnde & status cōiecturalis dicitur apud oratores, vt author est Quintilia. in 3. 1. Alio nomine tales, somniatores nūcupantur. De quibus ita in Deuteronomio scriptū est: Nō audies verba somniatoris. De cōiectore sic inquit Cicero: Defert ad cōiectorem quidā somniasse se ouū pendere ex fascia lecti cubicularis. Veteres authore Apuleio coniecturā diuinationis genus esse tradiderunt. Homerus in prima Iliados Rapsodia ὀνειροπόλον vocat coniectorem.

Omnium parens haberetur.] Terrā omniparentē idonei scriptores appellant. Plin. in 2. Terræ eximia propter merita cognomen indidimus maternæ venerationis. Lucretius in 2.

Quare magna deûm mater, matérque ferarum,
Et nostri genitrix hæc dicta est corporis vna.

Ouidius quoque in hanc sententiam ait:

Magna parens terra est. Appellatione autē parentū, omnes in infinitū maiores vtriusq; sexus significari scribit C. Cassius Iuriscō. ff. de in ius vo. & lib. Digestorū 1. sic scriptū legimus: Appellatione parentis nō tātùm pater, sed etiā auus, & proauus, & deinceps omnes superiores continentur: sed & mater, & auia, & proauia. Author est Hieron. in 1. cōtra Rufi. apologia, parentes militari, vulgariq; sermone cognatos, & affines nominari. Hieronymo adstipulatur Aelius Lampridius, sic scribens in Alexandri Seueri Imperatoris vita: Amicos, & parentes Alexander si malos reperit, aut puniuit, aut, si vetus vel amicitia, vel necessitudo non siuit puniri, dimisit à se, dicens: His charior est mihi Respubl. Iulius quoq; Capitolinus de M. Antonio refert, quòd adoptatus in aulicā domū, maioribus parentibus suis tantā reuerentiā, quantā priuatus exhibuit. Hinc parentela, sicut volgò dicitur, ab eodem vsurpatur ita scribente: Causa eloquentiæ dignum parentela sua putauit.

Colonias Lati.] Duo genera coloniarū fuerūt, quæ PHIL.
à pop. Romano deductæ sunt. Nāq; aliæ Latinæ, aliæ ciuiū Romanorū dicebātur: quod significat Liui. his verbis, ex libro ab vrbe condita duodequadragesimo: Illud agitabāt, vti colonia deduceretur, nec satis cōstabat vtrū Latinā, an ciuiū Rom. deduci placeret. Bononia Latina Colonia: Mutina, & Parma Coloniæ Ro. ciuiū sunt deductæ. Erat & aliud genus coloniarū, quales olim Pōpeius Strabo Pōpeii Magni pater trāspadanas colonias traduxerat: nō enim nouis colonis eas cōstituit, sed veteribus incolis manētibus ius dedit Latii, vt possent habere ius, quod cæteræ Latinæ coloniæ, i. vt ius petēdi magistratus in ciuitate Ro. adipiscerētur. Erāt præterea coloniæ, quibus ius Italiæ dabatur. Erāt & Latinorū veterū, quę & Latii veteris appellātur: quales

ambitùs condemnatis, vt principio anni Senatum adorirentur, & trucidatis, quos placitum esset, Dictaturam Crassus inuaderet, ipse ab eo magister equitũ diceretur, constitutáque ad arbitrium Republ. Syllæ, & Antronio consulatus restitueretur. Meminerũt huius cõspiratiõis Tãnusius Geminus in historia, M. Bibulus in edictis, C. Curio pater in

les in Hispania multas fuisse refert Pli. Sensus est Trãquilli, Cæsarem, tempore cupidũ rerum nouarũ, iuisse ad colonias, quæ de petenda ciuitate agitabant, hoc est vt ciuitate Romana donaretur, & ciues Romani fierent: ob quam rem sæpe maximi tumultus excitati fuerunt; & inde origo socialis belli exorta creditur: sicuti historici tradiderunt.

Nec eò secius.] id est, nec eò tardius, nec ideo minus. Apuleius: Nec eò secius approbabitur tibi nũc etiam firmitas animi mei. Verg. Currit iter tutum, non secius æquore classis. Videtur autem secius à sero dictum, vt autumat Festus Pompeius. vnde ait Accius in Amphitryone: Si forté pauld quàm veniam secius. Secus verò significat aliter.

Ob id ipsum.] Quòd scilicet verebãtur ne à Cæsare cõcitarẽtur Latinæ coloniæ ad aliquid noui moliendũ.

Aedilitatem.] Aedilatum veteres dixere, quã nunc ædilitatem vocant. De ædilibus mox plura.

L. Antronio & P. Sylla damnatis.] Syllã & Antronium significat, quorum alterum L. Cotta, alterum L. Torquatus ambitus damnarant: author Asconius, & meminit Cicero in ea oratione, quæ inscribitur pro P. Sylla. In qua etiam hoc quoque commemorat, Antronium hominem audacem, petulantem, & libidinosum, affinem fuisse sceleri Catilinæ contra Rempub. coniuratis: à quo crimine Pub. Syllam seiungere contendit. Huiusce rei meminit & Sallu. in Catilina. Nunc Tranquillus scribit Cæsarem noua quadã coniuratione cõspirasse cũ his duobus, & M. Crasso illo opulẽtissimo.

Ambitus condemnatis.] Ambitus nomen est criminis, quod tamen vitium, vt inquit Sallust. propius virtuti est. Nam cui bonæ artes desunt, ille dolis contendit adipisci honores expetitos: verùm cùm virtute ambire oporteat, non largitione, inde leges apud Romanos constitutæ fuerunt, quæ ambitum puniebant: qualis lex Calphurnia, quã Calphurnius Piso de ambitu tulerat: & Ciceroniana, quã Cicero, qui in oratione pro Murena se lege ab se lata ambitum puniuisse testatur. Verùm hæc omnis lex, vt inquit elegãter Modest. Iuriscon. hodie cessat in vrbe: quia ad curã principis magistratuũ creatio pertinet, non ad populi fauorem.

Dictaturã Crassus inuaderet.] Apud vetertimos authores T. Largium Dictatorem primũ, & Spuriũ Cassium magistrũ equitum creatos inuenio. Lex de Dictatore creãdo lata iubet, vt vir cõsularis creetur: author Liu. in 2. Erat autem Dictatura summæ potestatis magistratus: nanq; vt scribũt Iuriscon. à Dictatoribus nõ erat ius prouocãdi, quibus etiam animaduersio capitis data est. Dictaturã vltra sextũ mensem retineri fas nõ erat. Dictator ab eo dictus, quòd à cõsule dicebatur, cuius dicto audiẽtes omnes essent: inde Fabius ille Maximus, cùm à pop. Romano creatus esset Dictator, qui Dictatorem creare nõ poterat, nõ legitimus Dictator fuit, sed pro Dictatore. Lege quadã vetusta nefas erat Dictatori equitare: cuius rei testis est Plutarchus in Fabio. & quia summa potestas erat Dictatoris in populum, is quoq; magister populi appellatus est: authores Varro & Seneca. quod etiam memorat Cicero lib. 3. de Finib. bonorum. Legimus apud Dio. in v. Dictatoriam potestatem fuisse quasi quãdam electam tyrannidem: quod à Græcis institutũ Romani transtulisse videntur: nanq; apud Græcos tales erant æsymnetæ, qui erant electi tyranni, qualem elegerunt olim Mitylenæi Pittacum: cuius rei mentio quoque fit ab Aristotele in 3. Politicorum.

Colonias Latinas.] Coloniarum duplex ratio. etenim ciues aliquò ad inhabitãdum transcripti colónia dicebatur, quales fere erant Ro. coloniæ: & quũ manentibus veteribus incolis ius Latii, vt Pedia. ait, eis dabatur: sic Pompeius, Stra. Magni Pompeii pater transpadanas deduxit colonias. Erat autem ius Latii, vt idem author interpretatur, nil aliud, quàm ius petendi magistratus in Romana ciuitate adipisci. cui Strabonis authoritas adstipulatur. Latii, inquit, ius habent adeò, vt qui Aedilitatis, Quæsturæque dignitatem Rom. assecuti sunt, Nemausi adsint. Sed quid sit quod de petẽda ciuitate agitantes dixerit, in dubium venire potest: quum fere nihil aliud sit dicere, quàm qui ciuitatem adepti essent, de quærenda ciuitate solicitos esse. Sed ex obscura historiæ latebra lux elicienda est. Appian. est author, plures Italiæ populos, socialis belli temporibus, ciuitate donatos. Sed in suffragiorum latione, quod ille plane demonstrat, à Romanis deceptos: qua fraude aliquot post annos animaduersa, nouæ dissensionis materia fuit inde illis orta. vt sit sensus: M.A N.

De petenda ciuitate.] id est, iure ciuitatis, quod nomine, nõn re fuerant adepti. Scio ego non deesse, qui aliter interpretati sint esse ius Latii: quo qui præditi essent, suffragii tantum lationem haberent, sed vt ciuem petendi magistratus ius nullum: de quo Latinæ coloniæ, quæ circa Padum erant ea tempestate agitarent. Verùm vtcunque res habet, Tranquillus apertè demonstrat aliud esse ciuitate donari, aliud iure Latii: nec tantùm præsenti loco, quo ait colonias Latinas de ciuitate adipiscenda solicitas fuisse, verùm in Augusto, quem scribit non multas vrbes sua merita in Rempublicam allegantes, Latinitate, id est, iure Latii vel ciuitate donasse.

Consules.] L. Cæsar credo, & C. Figulus: aut Luc. Tullius & M. Lepidus, quibus cõsulibus Romanorum signa circa Ciliciam, & Syriam Magni Pompeii ductu vagabantur.

Secius.] Segnius, tardius.

Aedilitatem iniret.] Aedilitatis munus adiret.

Venit in suspicionem conspirasse.] Suspectus esse cœpit.

Ambitus.] Vetitæ largitionis, & suffragiorum corruptelæ. Sallustius: L. Antronius & Publius Sylla designati Consules, legibus ambitus interrogati pœnas dederant.

Principio anni.] Calendis Ianuariis, vnde annus sumebat initium.

Trucidatis quos placitum esset.] Crispus L. Cottam, & L. Torquatum consules interficere eos statuisse ait, suppressisq; Crassi & Syllæ nominibus, à Catilina, Antronio & Pisone ita conspiratum, vt patrata cæde Catilina, & Antronius fasces inuaderent: Piso cum exercitu ad obtinendas Hispanias mitteretur. Id Cicero in ea oratione, quam contra Caium Antonium competitorem in Senatu habuit, & Pedianus testantur.

Ipse magister equitum diceretur.] Dictatori magister equitũ sic iũgebatur, quomodo regibus tribunus PHIL.

orationibus. De hac significare videtur & Cicero in quadam ad Atticum epistola, referēs Cæsarem in consulatu cōfirmasse regnum, de quo ædilis cogitarat. Tanusius adiicit, Crassum pœnitentia vel metu diem cædi destinatū non obiisse, & idcirco ne Cæsarem quidem signū, quod ab eo dari convenerat, dedisse. Cōuenisse autem Curio ait, vt togam de humero deiiceret. Idem Curio, sed & M. Actorius Naso authores sunt, cōspirasse cum etiā cum Cneo Pisone adolescēte: cui ob suspicionem vrbanæ cōiurationis prouincia Hispania vltrò extra ordinem data sit, pactúmque vt simul foris ille, ipse Romæ ad res nouas consurgerent, per Lambranos & Transpandanos: destitutum vtriusque consilium morte Pisonis.

De ædilitate eius, & gestis in ea. X.


Edilis, præter comitium ac forum basilicásque, etiam Capitolium ornauit porticibus ad tempus extructis: in quibus abundante rerum copia, pars apparatus exponeretur. Venationes autem ludósque & cū collega, & separatim edidit: quo factū est, vt communiū quoque impensarū solus gratiā caperet, nec dissimularet collega eius M. Bibulus euenisse sibi, quod Polluci. Vt enim geminis fratribus ædes in foro

nus celerum: ad quorum similitudinem præfecti prætorio à principibus electi sont. Magister equitum secūdam post Dictatorem dignitate gerebat, & ab ipso Dictatore eligebatur: quod & apud Iurisconsultos lib. I. Digestorum eleganter simul, & eruditè perscriptū reperies. Primus magister equitū apud Romanos fuit Sp. Cassius sub Dictatore T. Largio. De magistro equitum ita tradit Varro, Magister equitum appellatus, quòd summa potestas huius in equites & accensos. & Iuuenal. iunctim locauit Dictatorem & magistrum equitū illo versu: Fumosos equitum cum Dictatore magistros. In quo illud animaduerte, quòd fumosos legere debemus, non famosos, prout vulgus semidoctum opinatur.

Consulatus restitueretur.] Quo scilicet fuerāt spoliati, quando ambitus cōdemnati fuerunt.

M. Bibulus in edictis.] Edicta sunt & ædilitia, & prætoria, & consularia. Fuit autem hic Bibulus collega Cæsaris in ædilitate, & consulatu.

Caius Curio pater.] Testimoniū Curionis patris ideo citat, ad Curionis filii differentiā, ad quem extāt Ciceronis Epistolæ. Hic Curio pater, literarum admodum nihil sciuit, sed vsu quodam domestico habebatur luculentus orator, cùm verborum splendore, & varietate commendaretur: memoria ita fuit nulla, vt olim totam causam in iudicio oblitus sit: idem, quo nihil turpius, in scriptis obliuiscebatur: author M. Tullius in Bruto.

Obiisse.] Adiisse, præsto fuisse in tempore. M. Tullius in Lælio: Tu non affuisti, qui diligentissime semper illum diem, & illud munus solitus esses obire. Plinius in VIII. Epist. Vides quàm nō delicata me causa obire primum consulatus tui diem non sinat.

Conspirasse.] In hoc loco conspirare accipitur in malam partem, cùm conspirationem nonnunquam cū laude dici testentur eruditi. Columel. in XIII. Sed cōspirabatur in commune ab vtroq;. Cicero in oratione pro domo sua ad Pontifices: Hanc nostrā, inquit, conspirationem in Repub. bene gerenda certi homines fictis sermonibus diremerunt. Plinius in Epistolis: Proinde conspirare, consentire, maiorémque animum ex meo sumite.

Cum Cn. Pisone adolescente.] Pisonem illum significat, qui in citeriorem Hispaniam quæstor pro prætore missus est, & mox ab equitibus Hispanis iter faciens occisus. Quidam crediderunt occisum fuisse à Pompeii clientibus, Pompeio non inuito, cui infestus erat, inimicúsque, quem ad perturbandam Rempublicam, vt scribit Sallustius inopia, atque mali mores stimulabant.

Ob suspicionem vrbanæ coniurationis.] Piso hic cùm esset adolescens nobilis, summæ audaciæ, egenus, factiosus, vnà cum L. Catilina atq; Antronio coniurauit ad cædem Senatus faciendā, consulesq; trucidādos in Capitolio: quo peracto cōstituerāt vt Piso cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mitteretur: authores Sallustius & Asconius. Hanc in præsentia Suetonius vrbanā coniurationem significat. Cicero in oratione, quam dixit in toga candida, hunc Cn. Pisonem appellat pugiunculum Hispaniensem.

Per Ambrones.] Ambrones fuerūt gens quædam Gallica, quos cū Cimbris, Teuthonisque Marius deleuit: ex quo tractū est, vt turpis vitæ homines Ambrones dicerentur. In quibusdam exemplaribus inuenio Ambranos: & significantur populi Galliæ Narbonensis Comatæ, quos Plinius in IIII. Bellouacis coniungit. Quidā Lambranos legendū esse autumant, perinde ac Lambri fluminis accolas Lambranos appellet. est autem Lambrus fluuius in cisalpina Gallia notus: quem Padus, authore Plinio defert in mare Adriaticum.

Morte Pisonis.] Qui in Hispania occisus est, vt paulò ante dictum est.

Aedilis, præter comitium.] Duos antiquitus ex plebe cōstituerunt magistratus, qui ædiles appellati sunt ab eo, quòd ædes sacras & priuatas procurarent. PHIL. Duæ fuerūt olim ædilitates, altera plebeia, altera patritia. Nā cùm ab initio ex plebe tantūmodo ædiles procrearentur, per Senatuscōsultū patritii obtinuerūt vt ædiles ex patribus duo crearentur, qui ab solio eburno curules dicti. Scribit Diony in VI. ædiles ministros fuisse Tribunorum, & penè tales, quales sunt apud Græcos Agoranomi: quorum mentio fit apud Plautum ita scribentem in Captiuis: Mirum adeò est, nisi fecerunt hūc sibi Aetoli agoranomū. Officium ædilium erat inter cætera ludos publicos exhibere. Vnde Cicero in VI. Verrinarū ita scribit: Nunc sum designatus ædilis: scio mihi ludos sanctissimos maxima

cum

constituta tantum Castoris vocaretur, ita suâ Cæsarísque munificentiã, vnius Cæsaris dici. Adiecit insuper Cæsar etiam gladiatorum munus, sed aliquantò paucioribus, quàm destinauerat, paribus. Nã cùm multiplici vndique familia cõparata, inimicos exterruisset, cautũ est de numero gladiatorũ, quo ne maiorẽ cuiquã habere Romæ liceret.

cũ ceremonia Cereri, Libero Liberæq; faciendos: mihi Florã, matrẽ populi, plebisq; Romanæ ludorũ celebritate placãdam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Ro. sunt nominati; maxima cũ dignitate, ac religione Ioui, Iunoni, Mineruæq; esse faciendos: mihi sacrarum ædium procurationem, mihi totã vrbem tuendam esse commissam. Fuerunt præterea alii ædiles, qui frumento præerant, & à Cerere Cereales nominati: cuius rei testis est Pomponius Iurisconsultus. Scribit Plutarchus Cæsarem in ædilitate visum esse munificentia sumptuosa circa spectacula, atq; conuiuia: ex quo factus est fauorabilis apud plebem. Hoc idem nũc significat Tranquillus, scribens Cæsarem ædilem exornasse Comitiũ, & Capitolium porticibus temporariis. Cùm in foro ludi populo darentur, authore Asconio, signis, ac tabulis pictis vtebantur ad ornãdum forum, atq; Comitium. Plinius quoq; tradidit in xxxv. Varronem, & Murenam in ædilitate deportauisse Romã ex Lacedæmone opus tectoriũ propter excellentiã picturæ, inclusum ligneis formis, ad exornãdũ Comitiũ. Est aũt Comitiũ locus in foro prope Senatum, quò coire equitibus Romanis, & pop. Romano licet, vt inquit Pedianus. Tradit Varro ab eo dictum, quòd illic coibant comitiis curiatis, & litium causa. Cicero author est, cotem quam Accius Nauius augur discidit, vnà cũ nouacula in Comitio defossam fuisse, supraq; puteal impositam.

Basilicásq.] Basilica propriè significat locũ, in quo negotiationes, & consilia, & iudicia exercebãtur: dicta basilica, quasi regia. Græci enim βασιλικὴν regiã appellant. Debent Basilicæ adiunctæ esse foro, vt author est Vitru. architectus in v. qui tradit se Iuliæ basilicæ faciendæ præfuisse. Cuius portiones, & symmetrias cõmemorat: Basilica Portia, & Aemylia inclytæ sunt monumentis historicorũ. Quòd autem in basilicis iudicia peragerentur, indicat Quint. scribens in xii. Trachali oratoris vocem, cùm in basilica Iulia diceret, auditam, laudatámq; fuisse ex quatuor tribunalibus. Et Plinius in Epist. inquit: Descenderam in basilicã Iuliam, auditurus quibus proxima cõperendinatione respondere debebã. Idem alibi centũuiralia iudicia indicat in basilica fieri solita. Iurisconsulti titu. de verb. oblig. basilicam publicis vsibus accommodatam esse demonstrant. Apud Ecclesiasticos basilicæ dicuntur sacella numinibus dicata. In Decret. dist. xxv. scriptũ legimus, quòd ad episcopum pertinet basilicarũ consecratio: quarum aliæ rusticanæ sunt, aliæ vrbanę. Hinc basilicanos dicimus custodes basilicarum. Apud Augusti. & Orosium, aliósq; ecclesiasticos cõditores scriptũ inuenio, quòd cùm Gothi vrbem Romam irrupissent, illos in primis inuiolatos, securósq; esse sinebant, qui in Apostolorũ basilicas confugerant. In alio verò significatu basilica edictio, adiectiuo nomine dicitur regiã, siue regalis. Plaut. in Captiuis: Basilicas edictiones, atque imperio sas habet. Idem in Epidico, basilicon vocat vestimenti genus regium, cùm ait: Sopparũ, subminium, ricam, basilicũ, aut exoticũ. Ab eodem basilicus status in Pseudolo: & basilicus victus in Persa dicitur, quasi regius, & excellens. Item basilica facinora, pro regia. Item basilicè aduerbium vsurpatur, quod significat regaliter, & excellenter. Plaut. in Persa: Basilicè agito eleutheria. Plini. genus nucũ, quod optimũ est, & quasi regiũ, vocari ait basilicũ. A Celso emplastrũ ab excellentia basilicum dictum.

Ad tempus extructis.] Temporarias significat, quæ tandiu duraturæ erant, donec spectacula peragerentur. Olim Scaurus in ædilitate fecit theatrũ temporariũ. Rerũ copia.] Pertinentiũ scilicet ad apparatum ædilitatis: vt sunt signa, tabulæ pictæ, & id genus alia. Pars ap.] Id est, portio illarũ rerum, quæ suppetebant affatim ad apparatum ædilitatis instruendũ; exponeretur in illis porticibus temporariis. Codex antiquus habet, par apparatus: cuius lectiõis intellectus est manifestus; vt exponas Cæsarem ædilem cùm abundaret copia rerũ, exposuisse in porticibus parem apparatũ, & cõgruentem magnificẽtiæ loci, põpæq; ædilitiæ. Ludósq;.] Scenicos, theatricósq. De gladiatorio ludo mox loquitur. Et cum col.] Collega in ædilitate Iulii Cæs. significatur Bibulus, qui eiusdẽ quoq; fuit collega in Cõsulatu. Euenisse sibi.] Romæ in foro erat ædes Castoris, & Pollucis: quæ ædes Castoris tãtũmodo, vel Castorũ sine vlla Pollucis nominatione dicebatur: de qua ait Liu. in ii. Dictator ædem Castoris vouisse fertur. & Plin. in x. inquit: Supra ædem Castorũ genitus pullus in oppositã sutrinã deuolauit. Sensus est Tranquilli, Bibulũ collegã Cæsaris in ædilitate nullã gratiã cepisse apud po. Romanũ earũ impensarũ, quas in exhibẽdis spectaculis vnà cũ Cæsare fecerat, cùm solus Cæsar fauorẽ popularẽ promereretur: ideoq; dicebat Bibulus sibi euenisse id, quod Polluci: nã cùm templũ esset sacratũ Romæ Castori & Polluci, vnius tãtũ Castoris dicebatur: ita liberalitas nomine Cęsaris & Bibuli populo exhibita, soli Cæsari adscribebatur. & quoniã incidimus in mentionem ædis Castorũ, enarrandus est obiter Catullianus ille versus ab interpretibus parum diligenter pensitatus: A pileatis nona fratribus pila. Hoc enim versu haud dubie Catullus significare voluit tabernã illã salacem, de qua scribit fuisse in foro, & nono in ordine loco collocatã à templo Castoris & Pollucis, quos fratres pileatos vocat ex eo quòd pilea Castori & Polluci dederũt antiqui: quia Lacones fuerunt, quibus pileatis militare mos fuit. Ea autem elegãtia dixit tabernam esse nonã à pileatis fratribus: hoc est à templo Castorum. Plau. in Pseu. ait septimas esse ædes à porta, vbi ille habitat leno. Aedem verò Castoris fuisse in foro, testes sunt Plutarc. & Diony. quod & Tranquil. hoc in loco apertissimè ostẽdit. Vnde Cicero in iii. Verrinarũ tradit templũ Castoris positum fuisse in oculis, quotidianóq; aspectu populi Romani: circa forũ autem tabernas ædificari solitas esse nullus ignorat. Hinc Quin. ait in vi. Tabernæ aũt erãt circa forũ. Gladiatorũ munus.] Cæsar ædilis, authore Plut. viginti ac trecẽtorũ gladiatorũ paria exhibuit in spectaculo: quod munus dicitur gladiatorũ. Nanq; id genus oblectamenta antiqui munera nominauerũt, propterea quòd populus tali spectaculo perinde ac munere quodã capiebatur. Scribit Lactã. li. vi. primitus venationes Saturno attributas fuisse: quæ vocãtur munera. A munere dicitur munerarius, exhibitor spectaculi. Inde legimus frequenter apud historicos lanistas vendidisse gladiatores munerariis. Apud Cyprianum in Epistolis locus mendosus est, vbi pro munerarios, impressum est numeratios. Idem gladiatoriam voluptatem in primis execratur in Episto. ad Donatum: cuius

verba

De gestis per eum in urbe. X I.

Onciliato populi fauore, tentauit per partem tribunorum, vt sibi AEgyptus prouincia plebiscito daretur, nactus extraordinarii Imperii occasionẽ, quòd Alexandrini regẽ suum, socium atque amicũ à Senatu appellatũ expulerãt, résque vulgò improbabatur: nec obtinuit, aduersante optimatũ factione. quorũ authoritatem, vt quibus posset modis, inuicẽ diminueret, trophæa C. Marii de Iugurtha, déque Cimbris atq; Teuthonis olim à Sylla disiecta, restituit: atque in exercẽda de sicariis quæstione, eosquoque sicariorũ numero habuit, qui proscriptione ob relata ciuiũ Romanorum capita pecunias ex ærario acceperant, quanquam exceptos Corneliis legibus.

verba subiecit, quæ sunt hæc: Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminũ sanguis oblectet: homo occiditur in hominis voluptatem: & vt quis possit occidere, peritia est, vsus est, ars est, scelus non tãtũ geritur, sed docetur. Meritò Iustinianus Imperator lib. x 1. Codic. prohibet gladiatoria spectacula, tanquã cruẽta, præberi, de quorũ origine, & causa Iulius Capitolinus hæc memorat: Multi dicunt apud veteres hanc deuotionem contra hostes factam, vt ciuium sanguine litato specie pugnarum Fortunam satiarent. Alii hoc literis tradũt, quod verisimilius credo, ituros ad bellũ Romanos debuisse pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudos inter se coeuntes, ne in bello armatos hostes timerent, aut vulnera & sanguinem perhorrescerent: hinc mos tractus videtur, vt Imperatores ad bellum proficiscentes, munus darent gladiatorium.

Familia cõparata.] Cùm plures seruos à pluribus lanistis ad exercendam gladiaturã comparasset: nãq; appellatione familiæ seruos intelligimus, sicuti apud Iurisconsultos pluribus in locis declaratur, apud quos vrbana familia, & rustica non loco, sed genere distinguitur: & in titul. de publicanis, sic scriptum est: Familiæ tantùm appellatione seruilem familiam contineri sciendum est. In alio significatu familiæ in liberis hominibus dicuntur: vnde familiæ Corneliorum, & Valeriorum nuncupatæ. Famuli origo ab Oscis populis descendit, apud quos seruus famul nominatur: vnde & familia vocata, famulitium, sicut à satellite satellitiũ dictum. Hîc familia gladiatoria significatur.

Comparata.] Parata, coempta: nam & cõparare interdum significat emere, sicut vulgò dicitur. Cato in libro de re rustica: Prædium cùm cõparare cogitabis, sic in animo habeto. Item, Reliqua quæ comparanda sint, si quid desit, in annũ vti cõparentur: quæ supersint, veneant. Vnde miror Hieronymum, nimis ardenter, ne dicã inimiciter, carpsisse Rufinum, quòd comparatũ codicẽ pro empto dixerit, cùm Rufinus in hoc nõ tam peccasse videatur, quàm sequutus authoritatẽ priscorũ quæ nobis pro ratione est: & ad eam tanquã ad anchorã cõfugimus. Inimicos.] Factionis Syllanæ homines significat & optimates.

M.A N. Basilicas.] Regias. ἀπὸ τοῦ βασιλέως. Pap. Illinc belligeri sublimis regia Pauli. Erant Basilicæ magnifica, & sumptuosa ædificia, qualis fuit Basilica Pauli, basilica Lucii & Caii. sed harũ neutra tunc erat: verùm si quis basilicæ formã requirit, Lampridiũ audiat: Basilicam, inquit, inter campum Martiũ, & septa Agrippiana instituerat, in lato pedum centum, in lõgo mille: ita vt tota columnis penderet. Ad tempus.] In præsentem speculatorum vsum. In quibus.] Porticibus.

Abundante rerũ.] Signorum, imaginum, statuarum & rerum ad ornatum quæsitarũ multitudine superãte.

Venationes.] Quibus feræ in theatro cõficiebãtur.

Quod & Polluci.] Postquam ad Regillum lacũ prospere aduersus Latinos Posthumus Dictator pugnauit Castori & Polluci in ea parte fori, vbi circa Iuturnæ lacum duo iuuenes, qui victoriam nunciarunt, equorum sudorem abstergere conspecti sunt, ædes erecta est. Plutarchus, Valerius, & Dionysius sunt authores: verùm sic accidit vt tantùm Castoris ædes sit dicta. Martialis,

Vicinum Castora canæ Transibis Vestæ. Plinius: Ante ædem Castorũ fuit Marci Tremelii equestris togata. Munificentiam.] Munificentissimos ludos.

Vnius Cæsaris dici.] Quasi ab vno Cæsare exhibitos vulgò prædicari. Gladiatorum munus.] Spectaculum. Lucanus: Munera nunc edunt. & alibi: Cuius munere retia misit. Familia.] Multi sub vno instituebantur lanista ad gladiaturam, qui numerus familia dicebatur: sed liberi quoq; sub hoc nomine complectuntur, vnde paterfamiliâs dictus, & philosophorũ familiæ: seruorũ tamen propriũ est. famul enim vnde famulus, & familia, Osca lingua, id est, seruus olim dictus.

Cõparata,] Quæsita. Inimicos.] Homines aduersæ factionis eos intellige, quibus Cæsaris successus semper suspectissimi fuere. Cautum.] Ante ludorũ dies lege prouisum.

PHIL. Tentauit per partem tribunorũ.] Tribunos plebis intelligit, qui ab eo dicti sunt, quòd in tres partes populus diuisus erat, & ex singulis singuli creabantur: vel quia tribuum suffragio creabãtur: mox collegium tribunorum ad decem vsque numero processit, sicuti docet Cicero lib. 3 1. de Legibus, ita scribens: Tribuni decem sunto, sanctique sunto. Lex tamen de tribunis creãdis nusquã, vt ait Liuius, numerũ præfinit: sanciẽs tãtũmodo vt essent tribuni pleb. Scitu dignũ est, quòd potestas tribunitia magis erat ad impediendum, quàm ad agendum. Plebiscito dar.] Scita plebis appellantur ea, quæ plebs suo suffragio sine patribus iussit, plebeio magistratu rogante, vt puta tribuno.

Quòd Alexandrini Reg.] Historia hæc est: Ptolemeus cognomento Auletes, Aegypti, rex Cleopatræ pater, cùm flagitiis pluribus esset maculosus, eiectus est regno ab Alexandrinis: quem Romam profectũ Põpeius suscepit, Senatuiq; cõmendauit, ac de reductione eius in regnũ diu, varieq; agitatũ, tãdem à Gabinio reductus est: authores Strab. & Dion. De hac re multa in epist. Cic. perlegũtur. Igitur Cæsar cũ esset apud populũ fauorabilis, tẽtauit vt sibi daretur per plebiscitũ Aegyptus prouincia extraordinaria: sed obtinere nõ potuit, aduersantibus optimatibus. Resque.] Quòd scilicet Ptol. Rex ab Alexãdrinis esset expulsus, qui à Senatu Romano socius, atque amicus fuerat appellatus, quæ res paucis contingere solebat, & pro magnis hominũ officiis tribui consueuerat: sicuti docet Cæsar in Commẽtariis. Factione.] Factio olim, & factiosus honesta vocabula erant. Vnde factiones histrion

strionum,& quadrigarum antiquitus dicebantur:nunc nomine factionis seditio nominatur,& factiosos intelligimus seditiosos: author Festus. In hanc sententiam ait Sallusthius in Iugurtha: Ioter bonos amicitia, inter malos factio est. Cui subscribit Tertullianus in Apologetico his verbis: Cùm probi, cùm boni cōgregantur, non est factio dicenda, sed curia. Augusthinus iniustorū optimarium consensum dicit esse factionem. In hoc loco factionem optimatium intelligimus partem nobiliorum: sicuti Gallia in duas factiones olim diuisa fuit, quarum alterius principatum tenebāt Hedui, alterius Aruerni. Audite quæso, oraculum Liuianum,& infigite pectoribus de pernicie factioonum: Factiones, inquit, fuere, eruntque pluribus populis maiori exitio, quàm bella, quàm fames, quàm morbi. Trophæa C. Marii.] Trophæa appellamus spolia hostium fugatorum in stipitibus fixa, quæ non figebantur nisi in locis eminentioribus, vt inquit Seruius. Inde legimus apud Plinium, Pompeium Magnum statuisse trophæa in Pyrenæo, Hispania in deditionem redacta. Crebriter leges apud Thucydidem quemadmodum Græci victores in bello trophæa statuebant ex hosthibos deuictis. Trophæa quoq; in vrbibus ponebantur in arcubus triūphalibus exædificatis. Quæ autē spolia in trophæo figerentur, luculeotè docet Ver. in x i. his ver.

Mezenti ducis exuuias tibi magne trophæum,
Bellipotens aptat rorantes sanguine cristas,
Telaq; trunca viri:& bis sex thoraca petitum,
Perfossumq; locis, clypeumq; ex ære sinistræ
Sobligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

Caius Marius ex deuictis Cimbris, atq; Iugurtha Romæ statuerat trophęa: quæ vt scribit Plutarchus, insculptis literis indicabantur: hæc olim disiecerat Sylla, vt pote Marianæ factionis oppressor, contra institutū vetus: qoo, vt inquit Vitruuius, nefas erat dedicata trophæa moueri. Vnde quodam quasi iure nunc à Cæsare restituebātur, vt pote Syllanæ factionis inimico,& Marianarū partium acerrimo propugnatore. Trophæorum spolia vetustate consumpta nefas erat resarcire, aut reficere:&, vt ait Plutarch. io Quæstionibus, Non magnopere probari sunt illi, qui primi apud Græcos æneum, aut lapideum trophæum statuerunt. Erant autem trophæa in potestate Iouis. Hæc verò Cimbrica trophæa oon solùm restituit Cæsar, sed etiam Marii statuas noctu erexit in Capitolio: ex quo factum est, vt Mariani Cæsarem laudibus extollerent, tanquā solum Marii necessitudioe dignū. Cimbri autem, & Teuthoni, quos debellauit Marius, populi fuere Germanię, qui relicto genitali solo, cùm Gallias, atque Italiam inundassent, sedes à Senatu Rom. petierunt, à quo repulsi, armis petere constituerunt, qood precibus impetrare oequiuerant. Actum erat, vt inquit Florus, de Roma. pop. Imperio, nisi Marius illi seculo cootigisset: à quo primùm apud Aquas Sextias, mox prope Athesim debellati,& ad internecionem redacti sunt. Relege quæ à nobis affatim explicata sunt in I I. Propertii commentario, super eo versu:

Cimbrorumque minas,& bene facta Mari.

Sciro autem elegātius dici Tropæum, quàm trophęū, ex Græcorū instituto, qui scribūt τρόπαια, quæ aothore Suida, sunt νικητήρια, niceteria, hoc est, præmia victoriæ, & insignia. M. Tollius in oratione cōtra Pisonem tradit tropæa esse monumenta, atque insignia bellicæ laudis, atque victoriæ. In exercenda de sicariis quæst.] Sicarios dicimus propriè eos, qui sica hominem occiderint. Est autem sica breuior gladius. Per abusionem, vt inqoit Quintilianus, Sicarios etiam omnes vocamus, qui cædem telo commiserint. Milites Romani, teste Iosepbo, ex vtroque latere sicas ferebant, ex sinistro loogiorem, ex dextro breuiorem. Exerceri quæstio dicitur, quando veritas criminis exploratur per tormenta: à quibustamen noo incipiendum esse diuus Augustus constituit, quoniam quæstioni fides non semper habenda est, cum sit res fragilis,& periculosa, & quæ veritatem subinde fallat: Vlpianus author, titulo de quæstionibus. Sensus est Tranquilli, Cæsarem dum exercet quæstionem de sicariis, vt Syllanos insectaretur, eos habuisse quoque in numero sicariorum, qui accepissent pecuniam ob reportata capita Marianorū proscriptorum, quamuis tales exciperentur per leges Cornelias, quas scilicet tulerat Cor. Sylla de sicariis, & veneficiis. Vnde adhuc extat titul. apud Iuriscōsultos ad legem Cor. de sicariis & veneficis. qua lege Cor. est pœna sicariis constituta, insulæ deportatio,& omnium bonorum ademptio. Ob telata.] Sylla cùm Mariaoorum proscriptionem fecisset, mortem pro pœna cōstituit illi, qui proscriptum seruasset: non fratrem, non filium, nō parentes excepit. Duo verò talenta pro mercede illi cōstituit, qui proscriptum hominem necasset, seu dominum seruus, seu parentem filius interemisset. Prætereà, quod omnium iniustissimum existimatū est, proscriptorum filios honore priuauit,& illorum bona publicauit: hinc passim furibunda ferebatur licentia iugulandi,&, vt inquit Lucaous:

Colla ducum pilo trepidam gestata per vrbem,
Et medio congesta foro.- &, vt author est Iul. Firmicus in I. Mathe. In lacu Seruilio multorum Senatorum capita sectis ceruicibus pependerunt.

PEr partem trib.] Per tribunorū quosdā: quia per omnes fortè non poterat. Aegyptus pro.] vt in Aegyptū mitteretur. M.A N. Plebiscito] Rogatione tribunitia, siue lege. Scire, apud veteres iubere fuit: vnde plebiscita, quasi plebis iussa. Extraordinarii.] Extra sortem decernendi. Alexādrini.] Alexādriā in Aegypto Macedonū rex Alex. eam, vt Plinius ait, Dinocrate architecto in Macedoniæ chlamydis effigiem metāte cōdidit. Regem suū.] Ptolemæū cognomento Auletem: qui præter alia flagitia choraulā exercuit. Hūc Alex ob vitæ obscœnitatem, vt Strabo tradidit, exegerunt. De eius reductione molta Plutarchus in Cato. sed plura omnino Cicero ad Lentul. Scio ego præter hunc,& alios regū ab Alexandrinis eiectos: sed temporū ratio efficit vt de Aulete credamus. Optimatiū.] Hi sunt quos suprà inimicos appellauit. Trophæa.] Cimbricæ victoriæ monumenta. Sunt enim trophæa spolia hostibus adempta, Deo dicata. Vergilius:

Mezeoti ducis exuuias tibi magne trophæum.

Talia fuere Cimbrica trophęa C. Marii in vrbe, de quibus ounc Tranquillus talia: & Pompeii. Crispus, Deuictis Hispanis trophæa in Pyrenæis iugis constituit. Ex quo more trophæa in vrbibus figuntur in arcubus exædificatis. Restituit.] Reposuit, priore loco statuit.

De sicariis.] Percussoribus, à sica dictis. Ob relata.] Sylla duo talenta proscriptorum ciuium percussoribus mercedis nomine proposuit. Corneliis legibus.] Corneliæ leges plures omnino fuere à Cornelio Trib. plebis latæ: pro quo Ciceronis elegans extat oratio. Is inter alias, quas ad populum tulit, leges, capite vno cauit, ne quis legibus in Senatu solueretur, nisi c c. affuissent Senatores, quū anteà vel paucissimi per ambitionem id factitare consuessent: de hac lege videtur mihi nunc sentire Tranquillus, vt quanquam frequenti Senatu decretū esset, ne pro sicariis haberentur, qui proscriptorum capita retulissent, Cæsar tamen vt eius ordinis authoritatem labefactaret, in sicariorum numero aduersus Cornelias leges in exercenda quæstione habuit. Legibus autem dixit, quia altero capite id quoque, sed diuersa ratione,& euentu Corn. tentarat,

De eodem. XII.

SVbornauit etiam qui Caio Rabirio perduellionis diem diceret: quo præcipuo adiutore aliquot ante annos Lucii Saturnini seditiosum tribunatum Senatus coercuerat: ac sorte iudex in reum ductus tam cupidè condemnauit, vt ad populum prouocanti nihil æquè ac iudicis acerbitas profuerit.

De Pontificatu maximo eiusdem. XIII.

DEposita prouinciæ spe, Pontificatum maximum petiit, non sine profusissima largitione. In qua reputans magnitudinem æris alieni, quum mane ad comitia descenderet, prædixisse matri osculanti fertur, domum se nisi pontificem non reuersurum: atque ita potentissi-

PHIL. SVbornauit etiam qui Caio Rabirio.] Historia talis est: Luc. Saturninus Trib. pleb. seditiosus Gracchanas leges asserere contendit, adeò vt Senatum quoque cogeret in verba iurare, cùm aqua & igni abnuentibus interdicturū seminaretur: vnus extitit Metellus, qui exulare maluit, quàm iurare. Hic teriùm tribunus plebis refectus, cùm iam triēnium insolenter dominaretur, eò vesaniæ progressus est, vt Caium Memiū in campo Martio necandum curaret, dum satellitem suū nomine Glauciam Consulem facere molitur, & in eo tumultu ipse à suis satellitibus rex fuit appellatus: tum factum est Senatuscō sultū, vt Caius Marius, & L. Valerius Consules operam darent, ne quid detrimenti Respu. caperet. Itaque cùm cūcta nobilitas arma cepisset, Saturninus Capitolium inuasit: qui cùm Caius Marius fistulas præcidisset, quibus aqua suppeditabatur sedibus Capitolinis, ab arce digressus in deditionem accipitur: verùm deditis fides minimè seruata est: nam Glauciæ fracta ceruix, ipse verò Saturninus in curia fustibus, saxisq; coopertus in ipsa quoq; morte laceratur: quem seruus Quinti Crotonis nomine Scæua fertur interemisse. caput Saturnini Caius Rabirius Senator per cōuiuia in ludibrium circūtulit: quem postea accusatum à Tito Labieno tanquam Saturnini Trib. plebis sacrosancti interfectorem, Quintus Hortēsius, & M. Cicero defenderunt. Extat M. Tullii oratio pro Caio Rabirio perduellionis reo. Nunc Tranquillus significat à Cæsare subornatum fuisse Titum Labienum, qui argueret occisum esse à Caio Rabirio Lucium Saturninum.

Diem diceret.] Diem dicere est accusare: nam qui accusat, diem reo denuntiat, quo ad causam dicendam præsto sit. Perduellionis.] Perduellio crimen est læsæ maiestatis, de quo ita scribit Vlpianus Iurisconsultus: Qui perduellionis reus est, hostili animo aduersus Rempubl. vel principem animatus est. Primus apud Rom. Horatius ob sororem interfectā perduellionis reus factus est, dein absolutus. Docet Liui. in 1. quomodo duumuiri Horatium perduellionem iudicauerint. Nam & perduellio dici videtur ipse reus, qui crimen commisit perduellionis. Antiquitus enim perduellem dicebant, quem nunc dicunt hostem: & tunc hostis significabat peregrinum, qui suis legibus vteretur.

Sorte iudex ductus.] Docet Asconius in interpretatione Verrinarum, quomodo apud priscos sortitio iudicum fiebat: quorum nomina tabulis insculpta in vrnam coniiciebantur, & ita sorte educebantur.

In reum.] Rabiriū. Ad populum prouocanti.] scilicet Rabirio. Tul. Hostilius tertius rex instituit vt reus perduellionis à duumuiris ad populū prouocare posset. Vnde Horatius sororicida apud Liuiū inquit, prouoco ad populū. Priscam hanc consuetudinē à Rabirio fuisse seruatam, nunc indicat Tranquillus. Prouocare autem ad populum, nihil aliud est, quàm appellare populum: sed ita frequenter dicimus, prouoco ad populum, cum præpositione, sicut sine præpositione, appello populum. Prouocatio autem, appellatióque, vt inquit Liuius, inuēta fuit pro remedio aduersus iniurias magistratuum. Aeque.] id est, tantum. Ac.] id est, quantum. Iudicis acerbitas.] Cæsarē significat. Prouinciæ.] Aegypti, & reducēdi in regnū Ptolemæi. Pontificatū adeptus est] Romæ fuit collegium pontificū honoratissimū, quod Numa Pompilius primus instituit: qui pontificem maximum Martium Martii filium ex patribus legit, eiúsque decretis omnia publica, priuatáque subiecit: author Liuius. Pōtifices, teste Dion. magnum apud Ro. sacerdotium, & nomen habent, cùm sint rerū maximarū domini, mulctatęq; consueuerint, quos viderint iussis suis minimè obsequentes: Ipsi verò neque Senatui, neque populo Roma. rationem sacerdotii sui reddere coguntur. Græci pontifices [illegible] variis appellationibus nuncupant. Pontifices, vt inquit Scæuola, dicti sunt à posse, & facere. Varro à ponte dictos arbitratur, quoniā ab his Sublicius pons Romæ est factus primùm, & sæpe restitutus. Varroni adstipulatur Plutarchus in Numa. In canonicis Decretis distinc. xxj. de pontifice ista traduntur: Pontifex, princeps sacerdotum est, ipse maximus nuncupatur, ipse omnes ordines ecclesiasticos disponit. Maiorum hæc consuetudo fuit, vt rex esset sacerdos, & pontifex: vnde & pontifices Romani Imperatores appellabantur. Excepto pontifice maximo, reliqui dicti minores pontifices. Liuius in XXII. Scriba pontificum, quos nunc minores pontifices appellant. Minorum pontificum maximus etiam is dicebatur, qui primus venerat in id collegium: sicut minimus, qui nouissimus: pontificatum Græci ἀρχιερωσύνην dicunt.

Ad comitia descenderet.] Comitia vocamus conuentus populi, qui fiebant, quando magistratus creabantur. Ex his alia curiata erant, alia centuriata: de quibus alibi. Scribit Labeo Iurisconsultus calata esse, quæ pro collegio pontificum habentur: ab eo dicta, quòd calari est conuocari: inde comitiales dies, quibus cum populo agi licet, vt docet Macrob. in 1. Saturnalium, quibúsque pop. Rom. conuenire solebat ad suffragiū ferendum. Cice. in epistola ad Quint. fratrem: Consequuti sunt, inquit, dies comitiales, per quos Senatus haberi non poterat. Plaut. non minus facetè, quàm elegāter comitiales homines appellat in Pœnulo, litigiosos: qui in comitio ob lites quasi habitant. Plin. verò homines comitiales vocat comitiali morbo laborantes, cùm ait: Fel testudinum naribus illitum comitiales erigit, attollitque. Ab eo fit aduerbium comitialiter, quod significat ex comitiali morbo: de quo mox paulò. A comitiis comitiatus dicitur, ipsa comitialis cōgregatio: comitiatum consul ab omnibus magistratibus

auoc

auocare potest. Nisi pontificem.] Plutarch. in Apophthegmatis: προπεμπούσης ὑπὸ τῆς μητρὸς ἐπὶ τὰς θύρας, σήμερον εἶπεν ὦ μῆτερ ἀρχιερέα τὸν υἱὸν ἢ φυγάδα ὄψει. id est, deductus Cæsar à matre ad fores: Hodie, inquit, ô mater, aut filium pontificem habebis, aut exulem.

Duos competitores.] P. Seruilium Isauricum, sub quo ipse in Cilicia militarat: & Catulum Luctatium principem Syllanæ factionis.

In eorum tribubus.] Quas vtique apparebat longè maiore studio suis tribulibus, quàm Cæsari suffragaturas: siquidem singulæ tribus magis suis, quàm alienis competitoribus fauere consueuerunt. Sed in comitiis illis aliter euenit, quum Cæsar in alterutra tribu plura suffragia tulerit, quàm ambo illi in omnibus Romanis tribubus, quæ quinque erát, & triginta numero.

Potentissimos duos competitores, multúmque & ætate, & dignitate antecedentes superauit: vt plura ipse in eorum tribubus suffragia, quàm vterque in omnibus, tulerit.

De prætura, & gestis eiusdem. XIIII.

PRætor creatus, detecta coniuratione Catilinæ, Senatúque vniuerso in socios facinoris vltimam statuente pœnam, solus municipatim diuidendos custodiendósque publicatis bonis censuit. Quin & tantum metum iniecit asperiora suadentibus, identidē ostentans quanta eos in posterum à plebe Romana maneret inuidia, vt Decium Syllanum consulem designatum non piguerit sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire, velut grauius, atque ipse sensisset, exceptā: obtinuissétque adeò transductis ad se iam pluribus, & in his Ciceronis consulis fratre, nisi labantem ordinem confirmasset M. Catonis oratio. Ac ne sic quidem impedire rem destitit, quoadusque manus equitum Romanorum, quæ armata præsidii causa circunstabat,

Potentissimos duos competitores.] Q. Catulum, & Seruilium Isauricū significat, quos Cæsar in petitione pontificatus superauit.

In eorum tribubus.] Sensus est, Cæsarem in adipiscendo pontificatū suffragia plura tulisse in tribubus Isaurici, & Catuli competitorum, quàm illi ambo tulerint in omnibus tribubus: cùm naturaliter consueuerint suffragatores magis suffragari suis tribulibus, quàm alienis competitoribus. Erant autem Romanæ tribus omnes numero triginta quinque, in quarum aliqua necesse erat censeri eum, qui ciuis Romanus esset. Moris enim fuit, cùm aliquis Romanus ciuis ostendendus esset, vt significaretur à tribu, in qua censeretur. Quādo viritim tribules suffragia ferebant, illa comitia curiata vocabantur. Quando verò centuriatim, hoc est, per singulas centurias calculus vnus pro suffragio ferebatur, centuriata nominabātur. Super qua re copiosissimè scribit Dionys. lib. IIII. & VII. historiarum, vbi docet in comitiis curiatis omnem potestatem creandi magistratus fuisse penes populum, in centuriatis verò penes diuites.

SVbornauit.] Instruxit.

MAN. Perduellionis.] Maiestatis.

L. Saturnini.] De Saturnini tribunatu Cicero, si Ciceronis opus illud est, quod ad Herennium inscribitur: sed Appianus multò plura.

Sorte ductus.] In quibusdam causis iudices sorte trahebantur, quod in Miloniano iudicio, & aliis plerisque locis Pedianus apertè ostendit.

In reum.] Rabirium.

Iudicis.] Cæsaris, subaudi.

Prouinciæ spem.] Reducendi in Aegyptum Ptolemæi.

Pontificatum maximum.] Numa primum pontificem maximum creauit Martium, Martii filium, generum suum: cui omnia sacra publica, & priuata subiecit.

Matri.] Aureliæ.

Nisi pontificem domum non reuersurum.] Se videlicet aut pontificem eo die, aut exulem futurum. Plutarchus: Aut, inquit, pontificem hodie mater, aut exulem videbis.

Censuit.] Oratio quam Cæsar super ea re habuit, eleganter est apud Crispum notata.

PRætor creatus.] De prætoribus mox plura. PHIL.

Vltimā statuente pœnam.] vt scribit Celsus Iurisconsult. lib. XLVIII. Digest. titul. de pœnis. Vltimum suppliciū mortem solū interpretamur. Et ita Senatus statuebat hanc vltimam pœnam in socios coniurationis Catilinianæ, quæ coniuratio cùm notissima vel vulgo sit, non est longiori explicanda narratione.

Municipatim.] Hoc est, per municipia. Itidem pagatim dicimus, & oppidatim, & vicatim, quod significat per pagos, per oppida, per vicos. Liuius: Templa deûm, quæ pagatim sacrata habebant, dirui, atque incendi iussit. In hāc sententiam inquit Cæsar ipse apud Sallustium: Censeo publicandas coniuratorum pecunias, ipsos in vinculis per municipia habēdos, quæ maximè opibus valent. Municipia autem, sunt ciuitates suo iure, & legibus suis vtentes: quæ meliore conditione sunt, quàm coloniæ, sicut docet Gel. in XV. Sed de hoc alibi plura.

Asperiora suadentibus.] Capitale suppliciū sumendum decernentibus. Identidem.] Frequenter. Lege apud Sallustiū Cæsaris orationem super Catilinianis coniuratis, & apertè cognosces quibus rationibus Cæsar Senatum dehortetur à supplicio coniuratorum.

Sententiam interpretatione lenire.] Syllanus consul designatus censuerat coniuratos vltimo supplicio afficiendos esse, cuius sententiam plerique sequebantur: sed oratio Cæsaris sic mentes hominum flexerat, vt Syllanus sententiam suam per interpretationem lenire contenderet, dicens se censuisse vltimo supplicio afficiendos esse coniuratos, hoc est, carcere, non morte: quoniam, inquit, carcer Romano viro vltimum supplicium est: & hoc est quod ait, sententiam interpretatione lenire: author Plutarchus in Catone Vticensi.

immoderatius perseueranti necem cōminata est, etiam strictos gladios vsque eò intētans, vt sedentem vnà proximi deseruerint, vix pauci complexu togáque obiecta protexerint. Tunc planè deterritus non modò cessit, sed etiam in reliquū anni tempus curia abstinuit.

De gestis eius in officio Præturæ. XV.

PRimo Præturæ die, Q. Catulum de refectione Capitoli ad disquisitionem populi vocauit, rogatione promulgata, qua curationem eam in alium transferebat. Verùm impar optimatium conspirationi, quos relicto statim nouorum consulum officio, frequentes obstinatósque ad resistendum concurrisse cernebat, hanc quidem actionem deposuit.

De priuatione eius à Prætura, & eius restitutione. XVI.

CAeterùm Cæcilio Metello tribuno plebis turbulentissimas leges aduersus collegarum intercessionem ferenti, authorem propugnatorémque se pertinacissimè præstitit, donec ambo administratione Reipubli. decreto patrum summouerentur. Ac nihilò minus permanere in magistratu, & ius dicere ausus, vt compe-

Grauius atque.] pro quàm. Et est sensus: Syllanus dicebat se per vltimum supplicium intellexisse carcerem, non autem mortem: vt quidam grauius sententes accipiebant: & hoc est quod ait Sallustius, Decium Syllanum permotum oratione Cæsaris dixisse se pedibus iturum in sententiam Tyberii Neronis, quòd de ea re præsidiis additis referendū esse censuerat.

Obtinuisset.] Cæsar, ne supplicium de coniuratis sumeretur.

Consulis fratre.] Quintum Ciceronem significat, qui postea in bello Gallico legatus fuit Cæsaris.]

Labantem ordinem.] Senatum titubantem, & in mitiorem Cæsaris sententiā inclinātem.

Catonis oratio.] Eam Catonis Vticensis orationem designat, quæ apud Sallustium luculenter scripta est, aduersus Cæsaris sententiam perorata: quam solam in Senatu exscriptam ferunt, Cicerone consule velocissimos scriptores adhibente, qui per notas quasdam multarū literarum vim habentes Catoniana dicta colligerent: vnde à notis notarii dicti, quorum hoc primum Romæ vestigium extitisse fertur.

Manus equitum.] Globus, & multitudo equitum.

Præsidii causa.] Ad consulis, Senatúsque defensionem.

Perseueranti.] Cæsari.

Strictos gladios.] Eductos, & euaginatos.

Pauci toga protexerint.] Scribit Plutarchus Curionem obiectu togæ Cæsarem protexisse, eumque eduxisse ex circumstante globo comminantium cædem. Cicero quoque adolescentes illos deterruisse fertur à Cæsaris nece.

Curiam.] In curiam, Senatúmque non venit.

MAN. MVnicipatim.] Per ipsa municipia, oppida scilicet honorarii muneris communicatione Romano populo connexa. Quid municipium, quid colonia sit, Gellius & Pedianus docent.

Labantem.] Infirmum, nutantem, iandudum in Cæsaris sententiam inclinantem.

Catonis oratio.] Hanc quoque Crispus in primo historiarum complexus est.

Præsidii causa.] Vt consuli, & patribus præsidio esset.

Intentans, vt sedentem vnà.] Minaciter, atque identidem intendens.

Vt proximi.] Proximo fortè loco sedentes.

Togáque obiecta.] Plutarchus author est, Cæsarem obiectu togæ à Curione seruatum.

CAtulum ad disquisitionem populi vocauit.] Capitolium Romæ Tarquinius Priscus rex bello Sabino ædificaturum se vouerat, iecerátque fundamenta: Tarquinius autem Superbus capta Pometia ex hostium spoliis extruxit: pulso Tarquinio Horatius Puluillus Consul dedicauit: interiecto dein quadringentorum & quindecim annorum spatio, igni consumptum est, refectionis curam victor Sylla suscepit, neque tamen dedicauit: hoc est solùm felicitati eius negatum: dedicatio autem per Q. Catulum celebrata est, cuius nomen inter tanta Cæsarum opera vsque ad Vitellium mansit: authores Plutarchus & Tacitus. Vnde à Martiale dictum est, PHIL.

Sic laudant Catuli Iulia templa patres. Cicero in Oratione de signis, testis est, Capitolium non solùm per Catulum dedicatum, sed etiam magnificentius esse restitutum, quàm anteà fuit, atque Capitolium clarissimum, & pulcherrimum Catuli monumentum esse: cuius nominis æterna memoria simul cum templo illo conseruatur. Cæsar cùm ægrè ferret non solùm dedicationi, sed etiam refectioni adscriptum esse Catulum, in principio præturæ eum vocauit ad populi disquisitionem: an scilicet vellet populus eam Capitolii refectionem, dedicationémque Catulo eripi, & per alterum administrari. Dicitur autem disquisitio, inquisitio voluntatis, iudicisque diuersorum. Ista enim particula dis, separantis est, vt inquit Seruius. Liuius in octauo: Nec tamen ab Dictatore comitia sunt habita, quia vitióne creatus esset, in disquisitionem venit.

Rogatione promulgata.] Promulgari leges dicuntur, cùm primùm in vulgus eduntur, quasi prouulgari. Inde illud Terentianum, Via patrum promulgata. Quid sit rogatio, paulò antè explicatum est. Leges autem quandiu promulgabantur, quod fiebat per trinundinum, poterant tolli, & licebat intercedere. Vnde Cicero in prima Philippica ait, Loquor de legibus promulgatis, de quibus est integrum vobis, Demonstro vitia? Tollite. Sed cùm perlatæ erant leges, & iam fixæ, non amplius infirmari poterant, nec per intercessiones tolli.

Curationem.] Impropriè loquutus esse videtur, si

Dona

rit paratos, qui vi ac per arma prohiberẽt, dimiſſis lictoribus, abiectáque prætexta, domum clàm refugit, pro conditione temporum quieturus. Multitudinem quoque biduo pòſt ſponte, & vltro confluentem, operámque ſibi in aſſerenda dignitate tumultuoſius pollicentem compeſcuit. Quod cùm præter opinionem eueniſſet, Senatus ob eundem cœtum feſtinatò coactus gratias ei per primores viros egit, accitúmque in curiam, & ampliſſimis verbis collaudatum, in integrum reſtituit, inducto priore decreto.

Donato credimus, qui ait quòd curatio eſt medicorum, cura mentis, curatura diligentiæ. Sed authoritas eruditorum reclamat regulæ grammatices, apud quos etiam curatio vſurpatur pro iniunctione muneris, & cura. Superſedeo exemplis, cùm frequenter occurrãt, quale eſt illud Plauti: Quæ mea curatio eſt. Sed & Liuius conſimiliter dixit in 11. cùm de ædis dedicatione loquens ſic ait: Quod facilè appareret non tam ad honorem eius, cui curatio altior faſtigio ſuo data eſſet, factum. Et à Gellio Catulus dicitur curator reſtituendi Capitolii.

Relicto nouorũ conſulum officio.] Officium illud intelligit, quo nouos conſules principio anni Conſulatum ineuntes optimates dedocebãt: ſicuti fieri ſolet apud noſtrates, quorũ magiſtratus ab officioſo populo pompabiliter deducuntur. Omnes autem, vt ſcitè inquit Plautus, ſuum officium æquum eſt colere, & facere.

Ad reſiſtendum.] Ne ſcilicet curatio Capitolii à Catulo in alium transferretur.

Metello tribuno turbulentiſſimas leges ferenti.] Metellus tribunus plebis legem promulgauit, qua cenſebat Magnum Pompeium cum exercitu ad vrbem vocandum, eique demandandũ, vt videret ne quid Reſp. detrimenti caperet. Et verbis quidem Pompeius ſic vocabatur, quaſi periculum, quod ex Catilina imminebat propulſaretur: re autem vera id agebatur, vt Reſp. in poteſtatem vnius Pompeii deueniret. Cæſar Metelli ſtudium enixiſſimè iuuabat, cui Cato vehementiſſimè reſiſtebat, qui inter Cæſarem, Metellúmq; medium ſeſe coniecit eo conſilio, vt mutua illorũ colloquia impediret: vbi verò Metellus legem, quã perſcriptam habebat, pro æde Caſtoris legere cœpiſſet, Cato librũ è manibus extorſit. Thermus verò Catonis amicus manum ori opponens vocem Metelli procluſit: tunc tumultu concitato per Metellum, Cato à Murena protectus eſt, tandem plebs Metellũ deſeruit. Senatus Catoni fauere cœpit ad legem Metelli impediendam, vtpote turbulentam, & bellũ ciuile excitãtem: paulò pòſt Metellus videns ſe imparem eſſe Catoni, & optimatibus, ex vrbe migrans in Aſiam profectus eſt. Hanc hiſtoriã nunc ſignat Tranquillus.

Aduerſus collegarum interceſſionem.] Videlicet Catonis, & Monacii Thermi: qui ambo in tribunatu collegæ erant. Metelli interceſſionem autem ſignificanter, & propriè appellauit prohibitionẽ, coercitionéq; tribunitiam. Nanque tribuni plebis antiquitus creati videntur, vt inquit Gellius, nõ iuri dicendo, nec cauſis noſcendis, ſed interceſſionibus faciendis: vt iniuria, quæ coràm fieret, arceretur, & vt vim fieri vetarent. Interceſſio autem peculiaris erat tribunorum, adeò vt Sylla illam tribunis reliquerit, exutis omni alia poteſtate tribunitia.

Ambo.] Cæſar, & Metellus.

Adminiſtratione Reipub.] Cæſar ab adminiſtratione præturæ: Metellus ab adminiſtratione tribunatus remoti ſunt.

In magiſtratu.] In prætura.

Ius dicere auſus.] Officium propriè prætoris eſt, ius dicere. Vnde ius prætoriũ appellant Iuriſcõ. quod prætores introduxerunt: quod honorarium dicitur, ab honore prætorũ ſic nominatũ. Antiquitus duo prætores creabãtur, alter vrbanus appellatus, eò quòd in vrbe ius diceret: alter peregrinus, ab eo quòd plerũque inter peregrinos ius dicebat. Senſus eſt, Cæſarem quãuis Senatuſcõſul. ab officio, dignitateq; prętoria ſummoueretur, tamẽ in iure dicẽdo perſeueraſſe.

Dimiſſis lictoribus.] Lictores, miniſtri ſunt magiſtratuum, à ligãdo appellati: quòd cũ magiſtratus populi Romani virgis quẽpiam verberari iuſſiſſent, crura eius, & manus ligari, vincirique à lictore ſolita ſint: authores ſunt Valgius Rufus, & Gel. Sed Tyro Tullius Ciceronis libertus à licio lictorẽ dici autumat. Licio enim transuerſo qui magiſtratibus, inquit, præminiſtrabãt, cincti erant. Plutarchus verò, vtpote Græcus ſcriptor, à verbo Græco lictoris nomen deriuare contendit. Nam cùm Græcè λειτὸς publicus dicatur, lictores dici exiſtimat, quaſi publicos miniſtros: & ſine c, antiquitus dictos eſſe refert.

Abiecta prætexta.] Veſte prætoria. De prætexta dictum eſt affatim in principio commentariorũ. Illud in hoc loco, prętereũdũ nõ eſt, quòd toga prætexta veſtis erat magiſtratuũ. Vnde & à Plinio ſcriptũ eſt quẽadmodũ Lentulus Spinter ædilis curulis primus vſus eſt in prætexta dibapha purpura. Dibapha autem, vt hoc quoque intelligas, dicebatur purpura, quæ bis tincta eſſet, veluti pretioſior. Hinc illud cum mordacitate, & ſtomacho dictum à Cicerone in epiſtola ad Cælium: Togam prætextã texi Oppio, puto te audiſſe: nã Curtius noſter dibaphum cogitat, ſed eũ infector moratur.

Quod cùm præter opinionem.] Euenit hoc præter opinionem Senatus, vt Cæſar compeſceret multitudinem ad ipſum vltrò confluentem: qui credebatur cuncta turbulenter, & temere eſſe facturus.

Ob eundem cœtum.] Popularem multitudinem ad Cæſarem cõfluentem. Cœtus enim eſt cõuentus, & congregatio: dictus à coeundo, id eſt, conueniendo in vnum, ſicut proditũ eſt in decretis canonicis diſt. xv. Qui cœtum fecerit, capitalis ſit, inquit Seneca in 11 i. Declamationum: qui eleganter ait cœtum nomen eſſe magnæ multitudinis coeuntis ex conſenſu quodam.

Coactus.] Collectus, congregatus: nam cogi Senatus dicitur, quando frequens congregatur in curia.

In integrum reſtituit.] Senſus eſt, Cæſarem ob modeſtiam reſtitutum fuiſſe à Senatu in priſtinam dignitatem prætoriam.

Inducto priore decreto.] id eſt, abolito, & cancellato illo decreto, quo patres Cæſarem vnà cũ Metello tribuno ſummouerant ab adminiſtratione Reipub. Inducere enim verbum eſt Iuriſconſultorum, quod delere, & cãcellare ſignificat: id quod eleganter docet Iuriſcõſultus Digeſtis de his, quæ in teſtamento delentur, & inducuntur. in quo titulo hæc duo verba, inducere, & cãcellare nõ minus crebriter, quàm decẽter vſurpãtur.

De refectione Capitolii.] Iouis templum Tarquinius Romanorum regum vltimus conſtruxit: M.A N.

Puluillus cõsul dedicauit: mox bellis ciuilibus, vt Plutarchus, Appian. & Liuius ſcribũt, combuſtũ, cum Sylla inſtauraſſet, morte præuentus dedicare non potuit: qui honor Catulo obtigit: Vitelliana ſeditione, quum iterũ cõflagraſſet, Veſpaſianus reſtituit, & cõſecrauit, nouiſſime cũ eius morte incendio abſumptum Domitianus filius reparatũ dedicauit. Hæc Plutarc. Trãquillus, & Mar. non ipſam dũtaxat dedicationẽ Catulo tribuũt, ſed refectionẽ quoq;.

Diſquiſitione.] à diſquiro, diſquiſitio eſt. Diſquirere quærendo diſcernere.

Ad diſquiſitionem.] Ad populi diſcuſſionẽ, an populus Catulo, vel alii potius eã curã demandari vellet. Lãpridius, Dato tamen ſpatio ad diſquirendum, cogitã dũque prius quid dicerent.

ipſi per fraudem, & aſtutiã magnam Cæſari inuidiam cõflauerũt, tanquã participi Catilinianæ cõiurationis. Ex quo cõiectare poſſumus, L. Vectiũ, & Q. Curium, de quibus nũc loquitur Tranq. ſubornatos à Catulo, atq; Piſone Cæſarem nominaſſe inter ſocios Catilinæ.

De actione eius ob coniurationem Catilinæ. XVII.

RECidit rurſus in diſcrimen aliud, inter ſocios Catilinæ nominatus, & apud Nouiũ Nigrũ quæſtorem à L. Vectio indice, & in Senatu à Q. Curio, cui quòd primus conſilia cõiuratorũ detexerat, conſtituta erant publicè præmia. Curius è Catilina ſe cognouiſſe dicebat. Vectius etiam chirographũ eius Catilinæ datũ pollicebatur. Id verò Cæſar nullo modo tolerãdũ exiſtimãs cũ implorato Ciceronis teſtimonio quædã ſe de coniuratione vltro ad eũ detuliſſe docuiſſet, ne Curio præmia darẽtur, effecit. Vectiũ pignoribus captis, & direpta ſupellectile malè mulctatũ, ac pro roſtris in cõcione penè diſcerptũ coniecit in carcerem. Eôdem Nouiũ quæſtorẽ, quòd compellari apud ſe maiorem poteſtatem paſſus eſſet.

Rogatione.] Lege. Promulgata.] Propoſita, in vulgus edita. Gellius quid rogatio ſit, quid plebiſcitum, quid lex, longiore diſceptatione demonſtrat.

Conſpirationi.] Conſenſui: ambiguum verbum, atque vtroqueuerſum vſurpatum. Bona enim & mala conſpiratio eſſe poteſt: contrà coniuratio ſemper mala, & in alicuius perniciem ſuſcepta.

Relicto nouorũ conſulũ officio.] Relictis nouis cõſulibus, quos honoris gratia frequentes circunſederant: aut certè in Capitolium ſecuturi erãt, quo calendis Ianuariis primo magiſtratus die ſacrificaturi conſcendebant: Ouidius, & Tranquillus ſunt authores.

Turbulentiſſimas leges.] Cæcilius Metellus tribunus plebis legem, vt Plutarchus docet, laturus erat, vt Repu. Catilinæ cõiuratione cõſternata Põpeius cum exercitu ex Aſia Romã reuocaretur, cui negotiũ daretur vt diligenter proſpiceret, ne Reſpub. ea temporũ nouitate aliquod adiret incõmodũ. Hic referendæ legis fuit illi prætextus, ſed M. Catoni, qui tum tribunus erat, & aliis aliter perſuaſum, Pompeium à Metello, & iis, qui legem celebrare occœperant, reuocari, vt vi, & armis Rempublicam capeſſeret.

Ambo.] Cæſar & Metel. hic tribunatu, prætura ille.

Comperit.] Cognouit. Dimiſſis lictoribus.] Abire iuſſis, quò occulos fugeret. Abiectáque prætexta.] Qua prætores, maioréſque magiſtratus vtebantur. De prætextæ vſu Dionyſius, Plutarchus, Liuius, Macrobius, & Silius Italicus abunde multa.

Aſſerenda.] Vindicanda. Ob eundem cœtum.] populi multitudinem, quæ ad Cæſarem confluxerat.

Coactus.] Senatus, ſubaudi, tumultuoſe in curiam vocatus. Inducto.] Reuocato, antiquato. Priore decreto.] Quo publica adminiſtratione ſubmouebatur.

PHIL. INter ſocios Catilinæ nominatus.] Scribit Salluſtius Q. Catulum, & C. Piſonem cõtendiſſe apud Ciceronem, vt C. Cæſar inter populares Catilinæ nominaretur, cùm vterq. graues inimicitias cũ illo exerceret: ſed vbi Ciceronem ad tãtũ facinus impellere nequiuerũt,

Conſtituta erant publice præmia.] Hiſtoria nota eſt, quemadmodum in cõiuratione Catilinæ fuit Q. Curius homo flagitiis, atq; facinoribus coopertus: cui cum Fuluia fœmina nobili ſtupri vetus erat conſuetudo, per quam multa pollicendo effecit Cicero conſul, vt Q. Curius conſilia Catilinæ ſibi proderet: inde Senatuſcõſulto ei, qui indicauiſſet de hac coniuratione, præmiũ decreuere, ſeruo libertatẽ, & centũ ſeſtertia: libero homini impunitatem eius rei, & ducenta millia ſeſtertia. Hæc ſignat Tranquillus, præmia conſtituta fuiſſe Curio, tanquam ipſe primus cõiurationem detexiſſet, quæ illi ne darentur, Cæſar effecit, dicens ſe prius quædam de hac coniuratione ad Ciceronem detuliſſe, teſtémque implorauit ipſum Ciceronem.

Captis pignoribus.] Liuius XXXVI. Imperia inhibita vltro citróq;, & pignora capta, & mulctæ dictæ, & tribuni appellati. Supellectile.] Supellex, domeſticum eſt patrisfamiliãs inſtrumentũ, ſicut docent Iuriſcõſulti, apud quos titul. eſt de ſupellectile legata. Eruditorũ ſupellex chartea eſt. Eôdem Nouiũ.] id eſt, in eundem carcerem cõiecit Nouiũ quæſtorem, quo cõiecerat Vectium. Compellari.] Infamari, & accuſari: hoc enim in loco id ſignificat. Maiorem poteſtatem.] id eſt, ſe prætorem. Eſt enim prætura haud dubiè maior quæſtura, & prætor maior quæſtore. Magiſtratus maiores ſunt conſules, prætores, cenſores, quorum maxima ſunt auſpicia: minores verò, quæſtores, & ædiles, quorum minora ſunt auſpicia: author M. Meſſalla augur. Poteſtatem autem appellamus magiſtratum, qui habet merum Imperium, hoc eſt gladii poteſtatem ad animaduertendum in facinoroſos homines: author Vlpianus lib. I. Digeſt. titulo de iuriſdic. omnium iudicum. Iuuen. Gabiorúmque eſſe poteſtas. Plinius in IX. Iniuriæ poteſtatum inhoſpitales.

APud Nouium quæſtorem.] Varro author eſt, quæſtores non à pecuniis tãtùm, ſed à criminibus potius inquirẽdis dictos: quod Pedia. quoq; ſentire mihi videtur. Horũ fuit rerũ capitaliũ quæſtionẽ exercere. Duodecim tabulæ quæſtorũ parricidii meminerũt. M.AN.

Quinto Curio.] Qui, vt Criſpus, & Plutar. ſcribũt, Catilinæ conſilia per Fuluiam Ciceroni prodidit.

Chirographum.] Vt Pediano placet, hoc à ſyngrapha differt, quòd in illo, quæ tantùm acta ſunt, ſcribi ſolent: in hanc verò contra fidem etiam veritatis pactio veniat. Implorato.] Suppliciter, & cum obteſtatione requiſito. Ne curio præmia darentur.] Quia non primus Curius, qui de coniuratione aliquid

Cice

De ulteriore Hispania sibi sorte data post præturam. XVIII.

EX prætura vlteriorē sortitus Hispaniam retinētes creditores interuentu sponsorum remouit, ac neq; more, neq; iure antequā prouinciæ ordinarētur, profectus est: incertum metúne iudicii, quod priuato parabatur, an quò maturius sociis implorātibus subueniret: pacatáq; prouincia, pari festinatione, nō expectato successore, ad triūphū simul cōsulatúmq; decessit. Sed cū editis iam comitiis ratio eius haberi nō posset, nisi priuatus introisset vrbem, & ambienti vt legibus solueretur, multi contradicerent, coactus est triumphum, ne cōsulatu excluderetur, dimittere.

De Consulatu eius cum Bibulo. XIX.

E Duobus cōsulatus cōpetitoribus L.Lucceio, Marcóq; Bibulo Luceium sibi adiunxit: pactus vt is, quoniā inferior gratia esset, pecuniáque polleret, nummos de suo cōmu

Ciceroni retexisset, sed Cæsar fuisset: aut quia falsum de se indiciū Senatui detulisset. Vectium.] Indicem.

Captis pignoribus.] Filiisne, an rebus? quod magis placet: nam pignora vtrunq; significāt, sed capta pignora mulctæ potius, quàm satisdationis nomine accipias.

Reliqua supellectile direpta.] Diripere volentibus data: aut certè interim dum pignora capiuntur, quasi hostiliter asportata.

Eōdem.] In carcerem scilicet.

Nouium.] Fuerítne hic L. Nouius ille, qui cum Publio Clodio posteà tribunus pleb. fuit, vt nō affirmare ausim, ita ne idipsum quidem negare.

Maiorem potestatem.] M.Varro, Gellio authore, Quæstores neque vocationem habere dixit, neq; prehēsionem, quū ipsi à priuato ad prætorem in ius vocari possent: siquidem magistratus, qui vocādi ad comitia populi potestatē non habuit, in ius vocari poterat: prætor contrà ex maioribus magistratibus habebatur, quippe qui maioribus crearetur auspiciis, vt Consul, & Censor.

PHIL. VLteriorem sortitus Hispaniam.] Vlterior Hispania in duas per longitudinem prouincias diuiditur, Bæticam, & Lusitaniā: vt in superioribus explicatum est. Citeriorem autem, & vlteriorem Hispaniam prouincias fuisse prætorias, testis est Liuius, qui frequenter ait prætores sortitos esse Hispaniam citeriorem, & vlteriorem. Interuentu sponsorum.] Crassum intelligimus, qui interuenit pro Cæsare, sponsione octingentorū & triginta talentorū facta cōtra importunos creditores. Tunc Cæsar ære alieno obrutus dixisse fertur: Bis millies & quingenties centena millia sibi adesse oportere, vt nihil haberet.

Ac neque more.] Debet prouinciæ præses per eam partem prouinciam ingredi, per quā ingredi moris est: nec ante mādare iurisdictionem legato suo, quàm fuerit ipse prouinciam ingressus: nec ei prius competit, quàm in prouinciā venerit, alii iurisdictionem mandare, quā non habet: authores Iurisconsulti lib. 1. Digest. Sed Cæsar neq; hunc morem, neque reliquas priscorū institutiones seruauit, dum proficiscitur in prouinciā, sed ante legitimum diem profectus est. Priuato.] In priuatū Cæsarem, post exactam, finitámq; præturam.

Sociis.] Prouincialibus Hispanis. Pacatáque prouincia.] Cæsar Hispaniā obiens, expeditione aduersus Calecos, & Lusitanos sumpta, victor ad oceanū vsq; cuncta perdomuit: bellicis deinde rebus optimè constitutis, haud deterius togatas cōposuit: adhibitā in primis medela disceptationibus debitorū, & creditorum. Non expectato successore.] Mos est præsidis è prouincia decedentis non prius decedere, quàm successor accesserit: sed Cæsar morem maiorum prę ua

ricatus est. Cōsimiliter Cicero Appiū subaccusat, quòd in prouincia Cilicia seipsum successorem nō expectauerit. Edictis iam comitiis.] Scilicet consularibus. Sunt enim comitia consularia, quæ habentur pro creādis consulibus, sicut ædilitia pro creandis ædilibus: tribunitia, pro tribunis. Ratio eius haberi nō posset.] Mos erat, vt qui triumphum acturi erant, extra vrbem aliquātisper morarentur: qui verò cōsulatū peteret, necessariò in vrbe præsens esse debebat. Cęsar in hac cōstitutus ambiguitate cùm comitiis cōsularibus aduentasset, misit qui ab Senatu impetrarent, vt per amicos absenti sibi cōsulatū petere liceret. Cæsaris postulatis Cato in primis refragatus est, tanquā id aduersus leges fieret: quapropter Cęsar triumphū omisit, & ad consulatū adipiscendū omne studiū, mentemq; conuertit.

Ambienti.] Cæsari. Legibus solueretur.] Eas leges significat, quæ nolebant nisi à præsente peti posse consulatum, nec nisi ab absente triumphum.

EX prætura.] Post præturā. Sortitus.] Sorte adeptus: nā prouinciæ sorte consulibus, & prætoribus plurimùm dabātur. Interuentu sponsorū.] Octingētorū, trigintáq; talentorū sponsione Crassus creditores à Cæsare remouit: author est Plutar. Ordinarentur.] Quibus videlicet copiis, quibus auxiliis, quo cōmeatu, in quos hostes bellandū, ac quatenus esset; publicè decerneretur. Priuato.] Ex hoc apparet iā prætura defunctū sortitū fuisse Cæsarem Hispaniā: aut certè nō multò pòst defuncturū fuisse, quū in prouinciā abiit. Nisi, priuato, Sine exercitu, interpretetur aliquis, quod nullo modo placet: nec multò plus illud probo, vt priuato, pro priuatæ accipias, hoc est priuato nomine, ad creditores ipsos, non ad Cæsarem id referens. M.A N.

Sociis Romani pop.] Scilicet fœderatis gentibus, siue ciuitatibus: erāt enim in Hispania aliæ fœderatę vrbes, aliæ stipendiariæ, & aliæ cōtributæ. Ad triūphū.] Calecis, & Lusitanis victis cuncta ad Oceanum vsque Cæsar perdomuerat. Ratio eius haberi non posset.] absentis subaudi. Multi contradicerent.] Sed Cato in primis, qui diem dicendo de industria absumpserat, ne quid Senatus Cornelia lege illi gratificari posset.

LVceium sibi adiunxit.] L.Luceius significatur, scriptor historiæ luculentus: quem M.Tullius Epistola quadam luculentissimè scripta rogat, vt res suas in consulatu gestas priuatim, atque seorsum scribere vellit. Huius autem rei meminit idem M.Tullius quadā ad Atticum Epistola, cuius verba subieci: Luceium scito cōsulatum habere in animo statim petere: duo enim soli dicuntur petituri: Cæsar cum eo coire per Arrium cogitat: & Bibulus cum hoc se putat per Caium Piso- PHIL.

ni nomine per centurias pronuntiaret. Qua cognita re, optimates, quos metus ceperat, nihil nō ausurum eum in summo magistratu concordi & consentiente collega, authores Bibulo fuerūt tantundem pollicendi: ac plerique pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente, eam largitionem è Repub. fieri. Igitur cum Bibulo cōsul creatus est. Eandem ob causam opera optimatibus data est, vt prouinciæ futuris consulibus minimi negotii, id est, syluæ callésque decernerentur. Qua maximè iniuria instinctus, omnibus officiis Cneum Pompeium affectatus est offensum patribus, quòd Mithridate rege victo cunctantius cōfirmarentur acta sua: Pompeióque M. Crassum reconciliauit veterem inimicum ex consulatu, quē summa discordia simul gesserant: ac societatem cum vtroque iniit, ne quid ageretur in Repub. quod displicuisset vlli è tribus.

nem posse coniongi.

Pecunia polleret.] Pecuniosus esset. Pecunia enim potentiam cociliari nemo non nouit. Hinc illud Horatianum: Ducentis ad se cuncta pecuniæ. Et, vt inquiunt eruditi, persuasio regum pecunia est. Nimirum rerum agendarum nerui, pecuniæ sūt.

Nummos per centurias pronuntiaret.] Consueuerant petitores magistratuum apud Romanos pecunia largitionéque sibi studia cōciliare suffragatorum, & per centurias, tribúsq; diuidere nummos: cui negotio, qui præerant, hi diuisores appellabantur: quos Plautus magistros curiarū in Aulularia vocat his verbis: Nam noster nostræ qui est magister curiæ, diuidere argenti dixit nummos in viros. Sensus est Trāquilli, Cæsarem pepigisse cum L. Luceio, vt ad cōciliandа curialium suffragia nummos iuberet vtriusque largitionis nomioe per centurias pronuntiari, quos viritim diuidebant diuisores.

Communi nomine.] Luceii, & Cæsaris.

Per centurias.] Ideo per centurias dixit potius, quàm per curias, quia comitia centuriata habebantur in creandis consulibus, quando scilicet singulæ centuriæ vnum centuriatim calculū, suffragiumq; ferebant.

Nihil oon.] Omnia etiam immodica, & violeota.

In summo magistratu.] Id est, consulatu, qui apud Romanos amplissimus erat magistratus: dictator enim maiore quidem potestate præditus erat, quàm consul, sed nō erat magistratus ordinarius. Græci cōsularū vocāt ὑπατείαν, cōsulem ὕπατον. Auso. de seipso ait, ῥωμαίων ὕπατος, id est, Romanorū consul. Tātundem pollicendi.] hoc est, vt Bibulus per centurias tantā pecuniā pronūtiari iuberet viritim se daturū, quantā Cæsar, & Luceius simul pollicebantur. E Repub.] Ex vtilitate, & commodo publico. Ecōtrario dicimus, ab re est, pro eo quod contra commodum est. Prouinciæ futuris consulibus.] Prouinciæ, quæ consulares appellantur, decerni solebāt consulibus, quæ erant honoratissimæ, de quibus Strabo in calce operis sui, & Rufus in Epitomate meminerūt. Nunc optimates futuris consulibus, hoc est, Cæsari, Cæsarisq; collegæ ad infringendam hominis potentiam decernunt prouincias inglorias, & pene dedecorosas, syluas scilicet cædendas, & calles, quæ semitæ sunt angustæ, muniendos: vel ideo syluas callésq., tanquā prouinciam consularem decerni consulibus optimates curauerunt, quia syluæ loca sunt latrocinijs exercendis accommodata, vt ita à consulibus repurgarentur, fierentque loca viatoribus tutiora.

Instinctus.] Extimulatus, impulsus, exagitatus. Sic enim potius legendum, quàm instructus.

Offensum patribus.] Pompeius id temporis infensus erat Senatoribus, propterea quòd decreta sua, quibus post debellatū Mithridatem reges ornauerat, à Senatu non confirmabātur: imò, vt Plutarc. inquit, impulsore Lucullo fuerāt antiquata, abrogatáq;, qui etiā largitionem illam dari prohibuit militibus, quā Pōpeius scripsit se daturū: cuius rei meminit Appianus in 2. bellorū ciuiliū his verbis: Intereà Pōpeius ad Mithridaticum bellū ad summum gloriæ, & dignitatis euectus, Senatum rogare peregit, vt multa, quæ regibus, dynastis, ac ciuitatibus concessisset, Senatus ex decreto confirmare vellet. Cōtrà plurimi inuidia accēsi in illū repugnabant: inter quos vel in primis L. Lucullus fuit, Lucullo Crassus pari modo assistebat. Indignatus itaq; Pōpeius affinitatem cū Cæsare inire studuit, is Crassum Pompeio subinde conciliauit. Inimicum ex consulatu.] Pōpeius, & Crassus ambo consules creati in omnibus rebus dissidentes Rempub. pene labefactauerunt, & propter hanc simultatem nihil ab illis in cōsulatu memoria dignum gestum est. Finito magistratu iubente populo in gratiā redierūt, primúsq; Crassus assurgens Pompeio dexterā vltro porrexit. Vlli e tribus.] Cæsare, Pompeio, & Crasso: & hæc est illa societas, quæ bellū mox ciuile peperit: nāq;, vt Cato dicere solebat, non ex inimicitiis Cæsaris & Pompeii, sed ex hac amicitia cuncta mala prouenerunt. Et olim quidā vrbanus tricipitium festiuiter appellauit hāc triū societatem: de qua Luca.

Tu causa malorum Facta tribus dominis communis Roma.

IS.] Luceius. Inferior gratia.] Minus gratia polleret, quàm Cæsar. Polleret.] potens esset. Cōmuni nomine.] suo, ac Cæsaris. Per centurias.] Centuriæ in classibus erāt, vt Liuius perspicue docet. Eū.] Cæsarem. Concordi, & consentiente collega.] Obsecūdante illi, & obsequente, qualis Luceius futurus videbatur. Tantūdem.] Quantū Luceius fuerat pollicitus. E Repu.] Quasi diceret, & si parū laudabili exēplo, tolerabili tamen, quia Reip. profuturo: quæ planè sententia necessitate Catoni acerbissimo ambitus hosti expressa intelligatur oportet. Adde quòd & Stoicus Cato, qui sola patriæ charitate adduci potuit, vt vtile ab honesto discerneret: sed satis auspicatò fieri putabat, vt Fabius dicere solebat, qoæ pro Repub. fierent. M.AN.

Eandem ob causam.] Ne maiora moliri posset.

Syluæ callesq.] Prouinciæ minimi negotii: syluæ latrociniis suspectæ publico præsidio obtineri cōsueuere. Iuuen. Armato quoties tuto custode tenetur Et Pontina palus, & gallinaria pinus. Hoc magis placet, quàm si ad lignorum materiam in publicos vsus disponendam, accipias: quod ab Alexandro principe

Lamp

De gestis per eum in Consulatu. X X.

INito honore primus omnium instituit, vt tā Senatus, quàm populi diurna acta conficerentur & publicarentur. Antiquū etiam retulit morem, vt quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, lictores ponè sequerentur: lege autem agraria promulgata, obnuntiantem collegam armis foro expulit. Ac postero

Lampridius factū memoriæ prodidit, qui syluas in publicum thermarum vsum deputarit. Instructus.] Cautior ad declinādam iniuriam factus, vel quasi districtus, & compulsus. Affectatus est.] Omni officio demereri nixus. Offensum.] Atque ob id iratum.

Cunctantius cō firmarentur acta sua.] Appianus & Plutarchus sunt authores, Pompeium à patribus alienatū, quòd illius acta, quæ bello Mithridatico, & toto oriēte statuisset (nam alios in regno retinuerat, aliis ademerat, quibusdā populis fœdera, aliis libertatem concesserat) Senatus cunctantius illa rata habenda sanxisset. Veterem inimicum.] Priusquam magistratu abiissent, Plutarch. eos in gratiam rediisse tradit: cui Appianus adstipulatur.

Ne quid ageretur.] Agi paterentur.

PHIL. INito honore.] Inchoato consulatu. Diurna acta conficerentur.] Cùm per dies singulos res gestæ scribuntur, ea acta Græco vocabulo ἐφημερίς, Latino diariū dicebantur: & ita in hoc loco intelligimus acta diurna actus singulorum dierum. In acta autem omnia Romæ referebantur. Hinc exiit illud Satyricum:

Cupient & in acta referri. Et Plinius in II. ita scribit, Milone causam dicente, lateribus coctis pluisse, in eius anni acta relatum est. Et Asconius inquit: Acta totius illius temporis prosequutus sum. & mox: Nihil vltra relatum in actis illo die. Sensus est Tranquilli, Cæsarem inito consulatu instituisse, vt acta tam popularia, quàm Senatoria per singulos dies confecta publicarentur. Quo mense fasces non haberet.] Post exactos reges duo consules creati sunt, quorum imperiū erat annuū, qui omnia iura, omnia insignia regiæ potestatis alternis mensibus retinuere. Id modò cautum est, authore Liuio, ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior, cōcedente collega Collatino, fasces habuit. Scribit Gellius consulem, qui maior natu esset, priorem fasces sumpsisse. Ex lege Iulia potestas fuit sumendi fasces primi mensis priori ex cōsulibus: non qui plureis annos natus est, sed qui plures liberos habet, quàm collega. Itáque antiquitus alternis mensibus consules habebāt fasces, hoc est lictores, qui cum fascibus virgarum securibus alligatis anteibant. Ideo autem virgæ illæ securibus alligatæ præferebantur, vt signum foret non oportere iracūdiam magistratus esse dissolutam. An, vt inquit Plutarchus, quia virgarum dissolutio sua contatione iram frangit, & impetum moderatur: an quòd nequitia hominum partim medicabilis est, partim curari non potest: & ita virgæ, quod mutari potest, corrigūt: secures autem, quod mutari non potest, amputāt. Scribit Plinius in XVI. ex betula Gallica arbore, quæ mirabili candore, atq; tenuitate prædita est, solitas fieri magistratuum virgas.

Accensus ante illum iret.] Accensus duas res significat: nanque accensi dicebantur, qui in locum mortuorum militū subrogabātur: ita dicti, quia ad censum adiiciebantur. Asconius: Accensus, inquit, est nomen ordinis promotionis in militiam, vt nunc dicitur princeps, vel commentariensis, aut cornicularius. In alia significatione accensi, ministratores sunt magistratuum: sicuti Varro Catóq; notificant: & hic accensus ab acciendò dictus: nāq; accensus instar præconis acciebat iussu Cōsulis Quirites ad cōcionem. De hoc ministro loquitur Plin. cùm sic ait in VII. Post aliquot annos adiectus est & meridies, accenso consulum id pronuntiante. Erant singuli præsidibus prouinciarum accensi, quod munus non nisi liberis deferebatur, sicut docet M. Tullius in Epistola ad Quintum fratrem Asiæ proconsulem: cuius verba hæc sunt: Accensus sit eo etiam numero, quo eum maiores nostri esse voluerunt: qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris, ac muneris non temere nisi liberis deferebant. De hoc accenso nūc intelligit Tranquillus scribens Cæsarem reuocasse vetus institutum, vt accensus, hoc est minister, iret ante consulem eo mense, quo fasces non habebat, lictoribus subsequentibus. Quòd autem hic mos fuerit vetus, indicat Liuius, qui in III. de decēuiris, quibus erat imperium consulare, scribens sic ait: Eo die penes præfectum iuris fasces duodecim erāt, collegis nouem singuli accensi apparebant. Ponè]. Aduerbium est, & significat post. Verg. Ponè subit coniunx.

Lictores.] Consul duodecim lictores habebat: inde scribit Liuius quatuor & viginti lictores solitos apparere duobus consulibus: proconsules verò, vt inquit Vlpianus, non amplius quàm sex fascibus vtūtur: quoniam scilicet sex tantū lictores proconsul habebat. Ridicula est interpretatio Accursii exponentis sex fasces, pro sex mensibus. Lege agraria promulgata.] Lex agraria, quæ est de agris viritim inter plebeios diuidēdis, primùm promulgata apud Romanos à cōsule Cassio regnum affectante, quæ nunquam deinde, vt inquit Liuius, vsque ad hanc memoriā sine maximis motibus agitata est. Nanque dulcedo legis agrariæ animos maximè plebeios capiebat, quā Gracchi fratres in primis exercuerunt, & nunc Cæsar legem agrariam promulgauit, vt ita fauorabilis esset apud plebem: quæ tamen leges, vt inquit Plutarchus, nō consuli, sed audacissimo tribuno conueniebant. Cæsari legem agrariam ferenti honestissimi, & præstantissimi in Senatu viri obnixè refragabātur, & in primis Bibulus collega: tunc confugiens ad plebem, Crasso quoq; & Pompeio auxiliantibus, Bibulum foro expulit, legémque agrariam pertulit: quam Pompeius Crassusq; comprobauerunt. Agrarii homines dicuntur à Liuio suffragatores legis agrariæ, & agripetæ, qui petunt ex agrorum diuisione portionem, quæ viritim dabatur.

Collegam obnuntiantem.] Quid sit obnuntiare, scripsimus affarim in libro annotationum, vbi & locus Tranquilli explicatur. Est enim obnuntiare, rem malam nuntiare: & propriè, vt inquit Donatus, obnuntiare dicuntur augures, qui aliquid mali ominis sæuúmq; viderint. Ergo obnuntiantem accipe pro resistentem, reluctantémque legi Cæsaris tribunitiæ magis, quàm consulari, tanquam imminens quasi malum omen nuntiantem. Inde enim etymologia huiusce verbi est. De obnuntiatione perlege, quæ copiosius scripsimus in annotationibus.

COnficerentur.] Quæcunque in curia, aut cum populo agerentur, eodem die, quo mota essent, ad exitum perducerentur: perductáque in publicum referrentur: quo sanè instituto omnem longioris consultationis Senatui adimebat facultatem. M.A.N.

die in Senatu conquestum, nec quoquam reperto, qui super tali consternatione referre aut censere aliquid auderet, qualia multa sæpe in leuioribus turbis decreta erant, in eam coegit desperationem, vt quoad potestate abiret, domo abditus nihil aliud quàm per edicta obnuntiaret. Vnus ex eo tempore omnia in Repub. & ad arbitrium administrauit: vt nonnulli vrbanorum, quum quid per iocum testandi gratia signarent, non Cæsare & Bibulo, sed Iulio & Cæsare consulibus actum scriberent, bis eundem præponentes nomine atq; cognomine, vtq; vulgò ferrentur hi versus:

Nõ Bibulo quicquã nuper, sed Cæsare factũ est.
Nam Bibulo fieri consule nil memini.

Campum Stellatem maioribus consecratum, agrúmque Campanum ad subsidia Reipublicæ

Et publicarentur.] Historiæ, credo, consultum voluit. Iulius Vopiscus ex actis populi, & Senatus se historiam sumpsisse scribit, quo mense fasces non haberet. Nam alternis mensibus consules fasces habebant. Vetus mos, consulariq; dignitati penè æqualis. Decẽuiri quoq;, qui ad cõscribendas leges creati fuerãt, inter se, vt Liuius tradit, compararunt, vt è collegio vnus fasces haberet, singulis aliis accensi apparerent. Accensus.] Publicus minister: sed Varro, Festus, & Marcellinus, de accenso aliquid variant. Pedianus, Accensus, ait, est nomẽ ordinis, & promotionis in militiam.

Lege agraria.] Qua omnẽ fermè Campanum agrum populo diuidebat: & extra sortem campum Stellatem optimã eius agri partem x x. Mill. ciuiũ, quibus tres liberi essent. Polybius Stellatem campum, in quem quum Annibal ducis errore venisset, à Fabio penè interclusus est, Campanum agrum interpretatur.

PHIL. FOro expulit.] Bibulus collega Cæsari in consulatu impulsus à Senatu, vt Cæsaris conatibus obuiam iret, venit in forum: vbi tumultu exorto fasces, & reliqua ipsius Bibuli insignia, lacerata sunt: & cùm Bibulus nihil territus iugulum vltro nudatum ferret, ab amicis in proximum Iouis templum delatus est. Et ita Bibulo Catoneque è medio sublatis, leges à Cæsare perferuntur, in quas tanquam optimas & Senatus, & populus iurare adacti sunt: author Appianus.

Conquestum coegit in desperationem.] Ordo est, Cæsar coegit in desperationem conquestũ Bibulũ, qui quũ in Senatu conquereretur de iniuria sibi à collega Cæsare facta, neminem reperit, qui aliquid referre auderet super tali consternatione, qua scilicet ipse consul armis, & vi foro pulsus fuerat. Est autem consternatio, cõcitatio, & perturbatio quædã subita ex aliquo metu. A sternutamẽto deduci existimat Festus, quo toto corpore cõcutimur. Referre verò significat in cõsultationem ferre, quando habet accusatiuum cum præpositione ad. Liuius: Eam rem consules rati perniciosam, ad patres referunt. Quintil. Non retulit ad matrem, nõ propinquos consuluit, non amicos. Inde relationes fieri dicuntur in Senatu. Et maiores nostri, vt ait Seneca in lib. de tranquillitate vitæ, nouam relationem post horam decimam in Senatu fieri vetabant. Ex relationibus manant Senatusconsulta. Quoad potestate abiret.] Quoad potestas consularis finiretur. Per edicta.] Scilicet cõsularia. Edicere enim est iubere. Vnde edicta cõsulum, ædilium, atque prætorũ nuncupãtur. Inde etiam Plautus edictiones basilicas appellat in Captiuis. Donatus, Edicimus, inquit, id est, iubemus: edicta enim Imperatoris sunt. Cicero in Verrinis edictum prætoris annuam legem dicit esse. Edicta hæc Bibuli in Cæsarem à M. Tullio dicta sunt Archilochia, quasi mordacitate Iãbica, & maledictis asperioribus referta.

Obnuntiaret.] Obloqueretur, & quasi aliquod malum omen, sæuúmque nuntiaret. Obnuntiatio enim perniciosis legibus resistebat.

Vrbanorum.] Facetorum: nanque vrbanitas, cui contraria est rusticitas, significat sermonem præferentem in verbis & arte, & vsu proprium quendã gustum vrbis: author Quint. in v i. Demosthenẽ vrbanum fuisse dicunt, dicacem negant. Cicero vrbanum, nouũ credit esse vocabulũ, qui ita scribit ad Appium Pulchrũ: Hîc ego multa simul cogitaui, te hominem non solùm sapientem, verùm etiam, vt nunc loquimur, vrbanum. Et de vrbanitate idẽ sic ait: Addo vrbanitatem quæ est virtus, vt Stoici rectissimè putant.

Signarent.] Scriberent, notarent. Vnde resignare, pro rescribere antiqui vsurpabant: sicut subsignare, pro subscribere. Aliâs signare significat annulo signa imprimere. Vnde resignare, pro signata recludere. Interdum signare, est pecora signis notare. A signo signator dictus. Sed Iulio & Cæsare consulibus actum.] Maiores nostri quoties aliquid aliquo anno actũ esse significare volebant, id à nominibus consulum significabant. Verbi causa: M. Cicerone, & C. Antonio cõsulibus detecta est Catilinæ coniuratio. Crasso Põpeióq; cõsulibus natus est Vergilius. Igitur cùm Cæsar solus Rempu. administraret, Bibulo domi se cõtinente, faceti quidã, & dicaces significare volentes aliquid actũ esse illo Cæsaris & Bibuli consulũ anno, Bibuli nomen præteribant, ita scribentes: Iulio & Cæsare consulibus: tanquam Iulius Cæsar vicem impleuisset duorũ consulũ.

Campum Stellatem.] Cicero in dissuasione legis agrariæ contra Seruilium Rullũ mentionem facit campi Stellatis, quo viritim diuiso diminutio fiebat vectigalium publicorum: nanque ager Campanus, ac Stellatis subsidium erat belli, fundamentum vectigalium, horreum regionum, solatium annonæ. Campum autem Stellatem in agro Campano fuisse docet Liuius, cuius verba hæc sunt ex libro i x. ab vrbe condita: Eodem anno in campũ Stellatem agri Campani Samnitium incursiones factæ. Silius quoque in i x. Punicorum: Stellatésq; docent campos, Cererémq; benignam. Hunc Cæsar diuisit vnà cum agro Campano, quamuis esset consecratus, & religiosus: vt consecratum à maioribus intelligas dicatum diis, & factũ religiosum à veteribus Romanis, vt olim ager Tarquiniorum à priscis fuit consecratus Marti, Martiúsque deinde campus dictus: & ita, maioribus, erit septimus casus: si verò sit datiuus casus, intelliges campũ Stellatem fuisse cõsecratum maioribus, id est, vt esset subsidiũ publicũ, & tributarius Reipub. vel quòd possideretur à patritiis. De agro possesso à patritiis mentio est apud Liui. in i i i.

OBnuntiantem.] Perniciosæ legi, vt Asconio placet, M. A N.
resistentem. Sed augures obnuntiare dicebantur, quam

vectigalem relictum diuisit extra sortem, ac viginti millibus ciuium, quibus terni pluresque liberi essent. Publicanos remissionem petentes tertia mercedum parte releuauit: ac ne in locatione nouorum vectigalium immoderatius licitarentur, propalam monuit. Cætera item, quæ cuiq; libuissent, dilargitus est, contradicente nullo: ac si conaretur quis, absterrito. Marc. Catonem interpellantem extrahi curia per lictorem, ducíque in carcerem iussit. L. Lucullo liberius resistenti tantum calumniarum metum iniecit, vt ad genua vltro sibi accideret. Cicerone in iudicio quodam de-

quum aliquid mali ominis nuntiarent, id est sæuum, & dirum quiddam. Hinc tribunitia lex illa Pub. Clodii, ne quis de cœlo seruaret per eos dies, quibus cum populo agi liceret: qua rogatione Fusiã legem, & Aeliã, propugnacula, & muros trãquillitatis, & otii, constat sublatas. Lex enim Aelia obnũtiationem, vt Asconius scribit, confirmarat: quæ omnia ad publica decreta, aut comitiorum euentus, rogationesque impediẽdas pertinebãt. Ergo obnuntiantem, infaustis denuntiationibus remorantem. Consternatione.] quòd Romanus consul ex publico vi pulsus fuisset.

Referre.] In cõsultationem ferre.

Censere.] Sententiam dicere. Hoc ad vindictam decernendam, illud ad inuidiam faciendam attinet.

Potestate.] Magistratu, dignitate.

Per edicta.] Per libellos, quibus Cæsari plura contra auspicia molienti identidem obnuntiando resisteret. Vrbanorum.] Facetiis, & iocis scatentium.

Quid signarent.] Scriberent, notarent In hunc enim sensum veteres accepere. Signatores tabulis testamentariis, aut dotalibus plurimùm adhibebantur. Iuuenal. Signatæ tabulæ. & alibi: Prior ille signabit.

Bibulo consule.] Consulis Bibuli authoritate.

Campũ Stellatẽ.] De Stellate cãpo proximè diximus.

Maioribus consecratum.] A maioribus. Quòd moris fuerit campos consecrare, Liuius docet, qui exactis regibus Tarquiniorũ agrũ Marti ait cõsecratũ: sed cõsecratio ipsa eò tendebat, vt inuiolabilis esset, nec quisquã locũ ipsũ aut occupare auderet, aut aliis occupãdũ proponere, quod omni neglecta religione Cæsar fecit.

Agrúmque Campanum.] Que, pro id est: vt Poly. conueniat interpretatio. Campanum tamen agrum publicatum fuisse post Capuam receptam, factúmque Reipub. vectigalem, Liuius est author: in hoc igitur maiestas, in illo religio violata est.

PHIL. Vectigalem.] Vectigal tributumq; Reip. pendentẽ. Vectigales appellamus prouincias, agros, & homines, qui vectigal & tributa persoluunt. Alio nomine stipendiarii dicũtur. Liuius: Vtrũ Annibal hic sit æmulus itinerum Herculis, vt ipse fert, an vectigalis, stipendiariúsq; & seruus populi Romani à patre relictus. Publica autem vectigalia intelligere debemus, vt inquit Vlpianus, ex quibus vectigal accipit fiscus. Interdum vectigalia, reditus quoq; priuatos significat, cùm publicos quidam tantummodo significare tradiderint, sicuti docet Porphyrio, enarrans illud Horatianum, Ego vectigalia magna, diuitiásque habeo tribus amplas regibus. Et Cicero inquit: Non intelligunt homines, quàm magnum vectigal sit parsimonia. Et mox: Tenui vectigali, detractis sumptibus cupiditatis, aliquid etiã redũdabit. Viginti millibus ciuiũ.] Cæsar, vt author est Appianus, agros, qui circa Capuam cæteris vberiores habebãtur, diuisit patribus, quibus triũ liberorũ ius esset, quippe ad viginti hominũ millia in vnũ venerãt, qui triũ liberorum alimoniã vltro deposcebãt. Quibus terni liberi.] Apud veteres Romanos, qui tres liberos habebat, hic vacationũ priuilegio erat decoratus: &, vt author est Diony. 10 tertio, lex lata fuit propter illos tergeminos Horatios Imperii Romani propagatores: quæ iubet his, quibus tergemini sint filii, alimenta puerorũ de publico dari, donec peruenerint ad pubertatẽ. Martial. gratias agit Imperatori Domitiano, quòd sibi roganti ius triũ natorũ cõcesserit. Scribũt tamen Iurisconsulti titulo De vacatione & excusatione munerũ: quãuis quis tres filios incolumes habeat, nõ tamẽ eũ à muneribus ciuilibus propter hoc liberari. Et alibi dicit Papinianus: In honoribus delatis, neq; maior annis septuaginta quinq;, neq; pater numero quinq; liberorũ excusantur. Liberi.] Appellatione liberorũ antiqui scriptores etiam vnũ filiũ, filiámve appellauerũt. Et apud Iurisconsultos, titulo De testamentaria tutela: scriptũ legimus, appellatione liberorũ, nepotes quoq; contineri. Titulo quoq; de verbo. significatione: sic inquit Callistratus Iurisconsultus: Liberorũ appellatione nepotes, & pronepotes, cæteriq;, qui ex his descendũt, continentur. hos enim omnes liberorum appellatione comprehendit lex XII. tabularũ. Publicanos.] Publicani dicũtur vectigaliũ publicorũ conductores: &, vt inquit Vlpianus, publicani sunt, qui publico fruuntur: nam inde nomẽ habent: & omnes, qui quid à fisco conducunt, rectè appellãtur publicani. Iulius Firmicus tradit, Mercuriũ in horoscopo constitutũ facere præpositiones conductionũ, & vectigalium: quorũ ordo olim Romæ fuit potentissimus: & aliquãdiu tertiæ vires fuere in Romana Rep. quãdo authoritas iudicũ vario seditionũ euentu circa publicanos substitit: author Plinius in XXXIII. Refert Cic. in epist. ad Q. Fra. didascalica, ordinẽ publicanorũ de ipsis optimè meritum, & per ipsos cũ Rep. fuisse coniũctum. Et paulò post: Nomen publicani, inquit, neq; hi debẽt horrere, qui semper vectigales fuerũt. Tertia parte.] Appia. in II. Cæsar nihil Senatu indigens, verùm solo populo confisus, tertiã tributorũ partem remittendã censuit equitibus, qui ob vectigalia institerant apud Senatũ, vt tributorũ onera ex aliqua parte releuarentur. Quòd autem ordo equitum sit idem ordo publicanorum, docet Plinius in XXXIII. Immoderatius.] Solent sæpe publicani publica malè redimere, quando licitatio vectigaliũ calore licitantis publicani vltra modũ solitæ conductionis inflauit: vt author est Paul. Iuriscons. Liceri autẽ, & licitari, est pretiũ deferre in venditione, siue cõductione facienda. Inde licitatores dicti, qui pro re emenda, cõducendáve pretiũ alius alio maius pollicẽtur. Hinc exiit illud Cicer. præceptũ ex lib. Offic. Nõ licitatorẽ venditor, nec contra se qui liceatur, emptor apponet. Sensus Suetonii est, Cæsarem admonuisse publicanos, ne supra modũ offerrẽt pretiũ in cõductiõe nouorũ vectigaliũ, quoniã id foret illis detrimentosum. Licitatores vectigaliũ, vetestãtur Iuriscõsulti ad iterandã conductionẽ, antequã superiori cõductioni satisfaciant, admittendi non sunt. Si conaretur quis.] Si aliquis tentaret contradicere. Catonẽ interp.] Cæsar Cos. M. Catonẽ senten

plorante temporum statum, Publium Clodium inimicum eius frustra iam pridem à patribus ad plebem transire nitentem, eodem die horáque non traduxit. Postremò in vniuersos diuersæ factionis inductum præmiis, vt se de inferenda Pompeio nece solicitatum à quibusdam profiteretur, productúsque pro Rostris, authores ex compacto nominaret, sed vno atque altero frustra, nec sine suspicione fraudis nominatis, desperans tam præcipitis consilii euentum, intercepisse veneno indicem creditur.

De Calphurnia uxore recepta, & filia Iulia Pompeio tradita. XXI.

SVb idem tempus Calphurniam L. Pisonis filiam successuri sibi in consulatu duxit vxorem: suámq; Iuliam Cn. Pompeio collocauit, repudiato priore sponso Seruilio Cepione, cuius vel præcipua opera paulò antè Bibu-

tiam rogauit: Catò rem, quam consulebatur, quoniam non e Repub. videbatur, perfici nolebat: eius rei gratia ducendæ, longa oratione vtebatur, eximebátque dicendo diem: tum Cæsar viatorem vocauit, eúmq;, cùm finem non faceret, prehendi loquentem, & in carcerem duci iussit: Senatus, reuerentia viri motus, consurrexit, & prosequebatur Catoné in carcerem: quo facto, Cæsar destitit, & mitti Catonem iussit: authores Gellius, & Capito in lib. de officio Senatorio. Interpellantem dicimus, interfantem, interrumpentémq; alterius sermonem, vel actioni se alterius interponétem. Seneca: Dictũ fuerat, ne interpellares. Inde interpellatores dicti, qui impediũt, interpellantéq; aliquid actitantem, dicentemve. Cicero: In literis sine vllo interpellatore versor. Asconius Pedianus in interpretatione Verrinarum: Interpellare, inquit, est mediã alterius orationem interrumpere, vel actioni se alterius interpouere.

Lucullo liberius resistenti.] Lucullus & Cato vnà cum Bibulo Cæsaris collega eiecti expulsiq; sunt, dum contra promulgationem Cæsaris legum intercedere conantur: author Plutarchus.

Calumniarum metum.] Criminationũ Calumniari, est falsa crimina intendere. Et calumniatoribus pœna lege Rhemia irrogatur, vt scribit Martianus Iurisconsultus ad Senatusconsultum Turpilianum Calumniari Græcè dicitur συκοφαντίζεται. Vnde συκοφάνται, calumniatores nuncupati, qui interdum pro dolosis & fallacibus accipiuntur: sicut συκοφαντίας Plautus vsurpat pro fallaciis, & dolis, vafritiísque. Sed de Sycophanta plura aliàs.

Ad genua accideret.] Accidere ad genua, supplicare est: nanque genua, authore Plinio, supplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc, vt aras, adorant. Inest enim genibus hominis quædam religio, ex obseruatione gentium.

Cicerone deplorante statum temporum.] Cicero, cùm C. Antonium collegam suum defenderet in iudicio, questus est quædam de Repu. circiter horam diei sextam. Hæc cùm homines improbi ad Cæsarem detulissent hora nona illo ipso die, Publius Clodius à C. Fonteio adoptatus est, legibus præuaricatis. Hoc legimus in oratione M. Tullii, quæ inscribitur, Pro domo sua ad pontifices. Hoc nunc signat Tranquillus.

M. AN. VEctigalem.] Vt vectigal Reipublicæ penderet. Vectigales agri, vt Paulo Iureconsulto placet, dicuntur qui in perpetuum locantur, hac lege, vt quãdiu pro his vectigal pendatur ab iis qui conduxerunt, aut qui illis successerunt, auferri non possit.

Publicanos.] Publicorum vectigaliũ conductores.

Tertia mercedum.] De hac largitione Appianũ sensisse existimo, qui scribit Cæsaré primo suo consulatu tertiam tributorũ partem equestri ordini remisisse: sed hîc tertiam mercedum partem conducendis, intellige, vectigalibus pactarum.

Immoderatius licitarentur.] Immoderata, præcipitiq; licitatione conducerent.

Interpellantem.] Eius verba interrumpétem, aut certe ipsa acta impedientem. Est enim interpellare, Pediano authore, mediã alterius orationem interrumpere, vel actioni se alterius interponere.

Duci in carceré.] Plutarchus author est, cùm Senatus omnis Catonem tractum sequeretur, Cæsaré authorem trib. pleb. fuisse, vt illum lictori eximeret. L. Lucullo.] Idé author est, Catoné, & Lucullum se comites Bibulo obtulisse, quum in forũ venisset, consilio Cæsari collegæ resistendi, atq; ita accidisse, vt consulari maiestate violata, fractis fascibus ipsi cũ ignominia foro pulsi sint. Liberius.] Minus timidé.

Calumniarum.] Criminationum. In iudicio quodam.] Causæ actione. Temporum statum.] Qualis fuit vox illa eiusdem in primo inuectiuarum, O tempora, ô mores. Appianus Clodium tribunum ad Ciceronis insidias instructum ait, quòd ille trium virorum cõsensum ad monarchiã aspirantiũ palàm improbaret.

A Patribus ad plebem.] Ex patritia familia in plebeiam. Erat enim Clodius ex ea familia Claudia, quæ patritia erat, appellabaturq; Pulchrorũ. Hinc Cicero mordaciter simul & festiuiter Clodiũ Pulchellum vocat. Clodius is habitauit in domo empta sestertiis centiẽ quinquaginta millibus: quod Plinius magis mirum ducit, quam regum insaniã. Inductum præmiis.] L. Vectius vir popularis in Senatu confessus est, se cum telo fuisse, Cneoq; Pompeio & Cæsari suis manibus necem afferre voluisse: qui authores & impulsores & socios habuisse se sceleris ipsius dixit, Bibulũ, Ciceroné, Catonem, Lucullũ, cæterósq., qui id temporis erãt lumina Romanę Reip. Idem professus est, se pugionem, quo id facinus perpetraret, accepisse à scriba Bibuli Caio Septimio. Quod totum negotiũ, cùm machinatore & architecto Vatinio, qui Cæsarianus erat, subornatũ fuisset, fit Senatusconsultũ, vt L. Vectius index in vincula coniiceretur: cui Vatinius in carcere ceruices fregit, ne quod indiciũ corrupti indicis extaret. Historiã refert Appianus in II, sed copiosius cuncta perscribuntur à M. Tullio in oratione contra Vatinium testem. Cuius rei etiam luculenta ab eodem mentio fit in quadam ad Atticum epistola. Nunc Tranquillus ait, Cæsarem veneno necasse Indicem hunc L. Vectium, PHIL.

cùm

lum impugnauerat. Ac post nouam affinitatem Pompeium primum rogare sententiã cœpit, quũ Crassum soleret, essetq́; consuetudo, vt quem ordinem interrogandi sententias consul calendis Ianuariis instituisset, cum toto anno conseruaret.

De imperio Galliarum ei concesso post consulatum. XXII.


SOcero igitur generóque suffragantibus ex omni prouinciarũ copia Gallias potissimùm elegit, cuius emolumẽto & opportunitate idonea sit materia triumphorum: &

cùm desperaret euentum rei: & hic est ordo, Cæsar creditur intercepisse veneno indicem inductum præmiis.

In vniuersos diuersæ factionis.] Eos scilicet, qui diuersa à Cæsare sentiebant, Bibulúmque, & Reipublicæ partes tutabantur.

Solicitatũ à quibusdam.] videlicet à Bibulo, Curione, Catone, Lucullo, Cicerone, reliquisq́; quos enumerat M. Tullius in oratione cõtra Vatinium.

Productúsque.] scilicet à Cæsare, atque Vatinio.

Ex compacto.] Prout subornatus, instructúsque fuerat à Vatinio. In hãc sententiam ait Cicero scribens in Vatinium: Cum L. Vectium in concionẽ produxeris indicem in Rostris, in illo augurato templo, ac loco collocans: ibi tu indicem L. Vectium linguã, & vocem suam sceleri, & menti tuæ præbere voluisti. Et paulò infrà: Cùm Iam Vectius ad arbitrium tuum perorasset, & ciuitatis lumina notasset, descendissetq́; de Rostris, eum repentè reuocares, colloquerere pop. Romano vidente: déinde interrogares ecquosnam alios posset nominaret incularísne etiam vt C. Pisonem generum meum nominaret? Idem in epist. ad Atticum scribit, Vectium à Cæsare in Rostra productum, vbi omnia, quæ ille voluit, de Repub. dixit: & qui illuc factus, instrutúsq; venisset, Lucullum, C. Fannium, Domitium nominauit. Cicero verò nõ quidem nominatim appellauit, sed dixit consularem disertum, consuli vicinum sibi dixisse Halam Seruiliũ aliquem, aut etiã Brutũ opus esse reperiri. Intercepisse.] De medio sustulisse: aliâs intercipere significat totum capere, vt scribit Donatus enarrãs illud Terentianum ex Eunu. Quod nos capere oportet, hæc intercipit. A Plauto dictum est interbibere, quod significat totum bibere.

Indicem.] L. Vectium, qui & index à Cicerone dicitur. Repudiato priore sponso.] Cæsar vt magis magísque ex Pompeii potentia floresceret, filiam suam Iuliam illi despondit, desponsatam anteà Seruilio Cepioni, asserens se Pompeii filiam Seruilio præbiturum, quæ & ipsa iam Fausto Syllæ filio fuerat desponsata: ipse verò Calphurniã L. Pisonis filiã duxit vxorẽ, quẽ successurũ sibi in consulatu consul ipse creauerat, vociferãte multùm Catone rem intolerandã esse, quòd præturæ, ac imperia per nuptiarum lenocinia venditarentur. Pompeium primum rogare sententiam.] Ordo rogandi sententias in Senatu Romano varius fuit: aliâs primus rogabatur, qui à censoribus princeps in Senatu lectus fuerat: aliâs qui designati consules erãt: quidam è consulibus studio, aut necessitudine aliqua ducti, quẽ iis visum erat honoris gratia extra ordinem sententiam primum rogabant. C. Cæsar in consulatu quatuor solos extra ordinem rogasse sententiam dicitur. Ex his quatuor principem rogabat M. Crassum. Sed postquam filiam Cn. Pompeio desponderat, primum cœperat Pompeium sententiam rogare: author Gellius in IIII.

Calendis Ianuariis.] Principio anni, quo consulatum inierant.

CLodium inimicum.] Appianus & Asconius authores sunt, vnũ ex Clodii accusatoribus Ciceronem fuisse: hic sorte ductum scribit, ille verò electum. Plutarchus testimonium ait à Cicerone in Clodium delatum. M. A N.

A patribus ad plebem.] A patritio ordine ad plebem. Nam Claudiorũ familiæ duæ fuere: patritia, qua Claudius erat ortus: altera plebeia.

Hora nona.] Forensibus scilicet actionibus aliena. Mart. Exercet raucos tertia causidicos. Et mox ibidem: Imperat extru. fr. no.to. Plutarchus Meridiem scribit finem multis fuisse actionibus Reipu. obq́: id magistratũ Romanum post eam horam fœdus facere non consuesse, rati, credo, meridianum tempus publicis actionibus minime accommodatum.

Traduxit.] Ea traductio per adoptionem est facta: nam plebeio homini se Clodius adoptandum dedit. Vbi verò, & per quos adoptatio fieret, Gellius docet.

Inductum.] Immissum: sed melius, persuasum. Lucanus: Huius ego animum si induco.

Vel, inductum.] Fallaciis quibusdam, & illecebris deceptum: vt idem, Misenum senem Sirenum cantu inductum. Appianus Vectium huncfuisse ait hominem plebeium: sed illene qui Cæsarem in Catilinæ coniuratione apud Nouium quæstorem, nominauit, an alius, incompertum habeo.

A quibusdam.] scilicet Bibulo, Catone, & Cicerone, vt idem author ait.

Indicem.] Vectium.

Intercepisse.] Sustulisse.

Calphurnia.] Quam Appianus in operto Bonæ deæ à Clodio adulteratam fallò tradidit. Seruilius Cepio apud Plutarchum & Appianum mendose Scipio pro Cepione legitur.

Rogare sententiam.] Qui mos rogandarum sententiarum à consulibus seruaretur, Gellius perspicuè demonstrat.

SOcero.] Pisone. Genero.] Pompeio. Suffragantibus.] Fauentibus. PHIL.

Idonea materia triumphorum.] In hãc sententiam scribit Liuius lib. XXXVIII. plures de Gallis triũphos actos esse à Romanis, quàm de toto orbe terrarum.

Lege Vatinia.] Vatinius, qui fuit infestus Ciceroni, quem tribunum fecit Cæsar, legem tulit in tribunatu, vt Cæsari in quinquennium Galliarum prouincia vnà cum Illyrico demandaretur.

Comatam quoque.] Gallia Transalpina omnis, Comata vno nomine appellatur: quam in tria populorum genera luculenti scriptores diuiserunt, Belgicam, Celticam, & Aquitanicam, quæ Aremotica antè dicta est. Augustus verò quadrifariàm diuisit, addita Lugdunensi prouincia. Apud Ammia. Marcellinum Gallia minutatim dispertita est in multiiugas prouincias: vtpote qui primam, & secundam Lugdunensem, & primam, & secundã Aquitanicam faciat. Gallos Celtas nomine regis dictos, & ab eius matris vocabulo, Galatas sermo

Græc

initio quidem Galliam cisalpinā, Illyrico adiecto lege Vatinia accepit: mox per Senatū Comatam quoque: veritis patribus ne si ipsi negassent, populus & hanc daret: quo gaudio elatus non temperauit, quin paucos post dies frequenti curia iactaret, inuitis & gementibus aduersariis adeptum se, quæ concupisset: proinde ex eo insultaturum omnium capitibus. Ac negante quodam per contumeliam, facile hoc vlli fœminæ fore, respondit, quasi alludens, in Assyria quoque regnasse Semiramin, magnámque Asiæ partem Amazonas tenuisse quondam.

Græcus appellat. Narbonensis verò prouincia appellatur pars Galliarū, Braccata antè dicta à genere vestiū: de quibus infrà suo loco dicetur. A coma, capillitióq; Comatam dici creditū est, quia natio illa erat intonsa. Plinius in x i. In capite cunctorum animalium homini plurimus pilus: iam quidem promiscuè maribus, ac fœminis apud intonsas vtrasq; gentes, atq; etiam nomina ex eo capillatis Alpium incolis Galliæ Comatæ. Ad hoc allusit Lucanus illo versu:

Crinibus effusis toto prælate comatæ. Cisalpina verò Togata Gallia cognominatur: vt author est Plinius in III. & indicat Mart. illo versiculo:

Gallia Romanæ nomine dicta togæ.

Frequenti curia.] id est, cùm Senatores frequentes essent in curia. Senatoribus enim qui cùm in Senatum venire deberent, nō adessent, mulcta indicebatur, pignus quoque interdū capiebatur, vt docet M. Varro in literis, quas ad Oppianicum dedit. Illud adde, quòd Senatusconsultum si factum esset, nisi in loco per augures constituto, quod templum appellatur, iustum non erat. Curiarum duo genera Romæ fuerunt: nam locus vbi Senatus Rēp. curat, curia dicitur: & vbi cura sacrorū tractatur, curiā appellamus. Ab his Curiones dicti, de quibus affatim scripsimus in annotationibus. Curia non solū pro loco, sed pro hominibus accipitur. Luca.

Victo iure minax iactatis curia Gracchis.

Insultaturum.] Insiliturum, irrisurúmq, iniuriosius. Est enim insultare, vt ait Seruius in x. Commentario, irridere inimicos: &, vt addit Nonius, aliquid iniuriosius dicere. Dicimus autem insulto tibi, licet Sallust. dixerit, multos ab adolescentia insultauerat. Aliās insultare significat insilire. Maro: Insultare solo.

Fœminæ fore.] Contumeliosè fœminea appellatus est Cæsar, tanquam effœminatus, & omnium virorum mulier.

Quasi alludens.] Alludere, est ea dicere, quæ ad alium sensum referuntur. Vergil.

Nec plura alludens, ea vox audita laborum

Prima tulit finem. Sic Cæsar συμβολικῶς, & per quandam quasi allusionem intelligi voluit se quoque, quem fœminā dictitabāt, regnare posse: cùm fœminæ Amazones, Semiramisq; regnauerint. Semiramin.] Historia Semiramidis nota est monumentis Latinorum, Græcorúmq; conditorū: quæ dignas memoratu res gessit. Babylona condidit, Indis bellum intulit: quam Alexander Magnus, authore Curtio, in primis admirabatur. Eadem impudica, & mollis fuisse traditur: vtpote quæ filii concubitum expetisse dicatur: & equum adamasse vsque ad coitum. Semiramis lingua Syria auem significat. Nanque ab auibus adhuc infans nutrita fertur. Quidam fabulabantur, vt inquit Diodorus, Semiramin in columbam fuisse conuersam: ex quo factum est, vt Syrii columbam tanquam deam colant, immortalem reginam arbitrati. Hincà Tibullo dictum videtur:

Alba Palæstino sancta columba Syro. &, vt author est Philo Iudæus, lege apud Assyrios columbarū vsus erat prohibitus. Amazonas tenuisse.] De Amazonibus, quæ in Asia olim regnauerunt, affatim scripsere Iustinus, Curtius, Herodotus, Strabo, Plutarchus, aliique penè innumerabiles. Illud adde, duplices fuisse Amazonas: alteras circa Thermodoonta flumen in regione Pontica regnasse: alteras in Africa floruisse, quæ Libycæ ob id dicūtur: de quibus scribit Diodor. lib. IIII. Bibliothecæ, quæ olim aduersus Gorgonidas exercitum duxere fœmineum, eásque acriter præliantes occiderunt. Dictæ sunt Amazōes eò quòd mammis careant, quas Græci μαστοὺς appellāt. Mos enim Amazonibus est inurere infantium mammas dexteriores, ne impedimento sint ad pugnam conserendam: & ne sagittarum iactus impediatur. Securim prima inuenit Penthesilea Amazonū regina, vt inquit Plinius. vnde ab Ouidio dictum est,

Thermodoontiaca malles cecidisse securi. hoc est, Amazonia. Idem alibi securigeras appellat puellas Amazonas. Illud adde non indignum memoratu, quod Stephanus Byzantius refert, videlicet Amazonas appellatas esse Sauropatidas, παρὰ τὸ σαύρας πατεῖν καὶ ἐσθίειν, quòd lacertis vescerentur, quas Græci vocant σαύρας.

Socero.] Pisone. M. AN.

Genero.] Pompeio.

Emolumento & opportunitate.] Vt hoc ad bellorum materiam, illud ad prædæ opulentiam referas.

Illyrico.] Appianus author est, ab Illyro Polyphemi filio Illyrium nominatum. Quàm longè, lateque eius fines spatiarentur olim, ipse author, Pliniúsque, & Strabo, docent.

Lege Vatinia.] Vatinii tribuni plebis rogatione. Is cùm P. Clodio tribunus fuit.

Comatam.] Galliam. Græci Gallos Celtas vocant. Gens omnis triplicem partitionem sortita est. Comata Gallia, quæ Pyrenæis iugis, Rheno, Oceano, & Gebenna continetur, à cultu, credo, capillorum est dicta: altera Braccata, quæ & Narbonensis, ad Gallicum mare internum obuersa, & ipsa dicta est à braccarum cultu. Est enim bracca indumenti genus, quo gens peculiariter est olim vsa: vnde illud apud eundem: Galli braccas in curia deposuerunt. Vopiscus: Gallicis, inquit, braccis ornatus Tetricus in triumphum est ductus. Et Lampridius Alexandrum quoque principem tradit inter militaria vestimenta braccas donasse.

Tertia Togata. A toga quidem hæc dicta intra Apenninum, & Alpes, & Anconam vsque propagata.

Vlli fœminæ.] Ad impudicam eius adolescentiam refertur.

Quasi alludens.] Obliquè demonstrans, sibi quoque, quanquàm molli, vt Semiramidi, & Amazonibus ad regnum viam aliquo modo patere posse.

Semiramidem.] De eius regno Trogus, & Herodotus multa: sed Diodorus omnino plura.

Amazonas.] De his quoque idem Trogus, Plinius, & Strabo.

Funct

PHIL. FVnctus consulatu.] Fungi, agere est: defungi, peragere, vt inquit Agretius grāmaticus: inde defunctos dicimus mortuos, qui munia vitæ peregerunt: & defunctos periclis, liberatos: & functū magistratu, qui peregit magistratum.

De accusatione gestorum consulatus eius. XXIII.

Vnctus consulatu C. Memmio, Lucióq; Domitio prætoribus, de superioris anni actis referentibus, cognitionem Senatui detulit: nec illo suscipiente, triduóque per irritas altercationes absumpto, in prouinciam abiit: & statim quæstor eius in præiudicium aliquot criminibus arreptus est. Mox & ipse à L. Antistio trib. pleb. postulatus, appellato demum collegio obtinuit, cùm Reip. causa abesset, reus ne fieret. Ad securitatem ergo posteri temporis, in magno negotio habuit, obligare semper annuos magistratus, & è competitoribus non alios adiuuare, aut ad honorem pati peruenire, quàm qui sibi pepigissent, propugnaturos absentiam suam: cuius pacti non dubitauit à quibusdam iusiurandum, atque etiam syngrapham exigere.

De superioris anni actis.] Referebant ad Senatum prætores, vt Cæsar rationem redderet earum rerum, quas superiore anno, hoc est in suo consulatu gesserat: multa enim gessisse credebatur aduersus leges, & auspicia.

Cognitionem detulit.] Vt Senatus cognosceret de actis suis, id est de his rebus, quas gesserat in consulatu: & mox diiudicaret rectène, an perperā acta forent.

Nec illo suscipiente.] id est, cùm Senatus talē cognitionem suscipere recusaret.

Altercationes.] Criminationes, & inficiationes clamosas: altercatio enim constat aut in intentione, aut depulsione, vt docet Quintilianus in vi.

Qoæstor arreptus in præiudicium.] Apud Quintilianum in v. de præiudiciis, quo declaratur, præiudicia versari in rebus, quæ aliquando ex paribus causis sunt iudicatæ: qualia præiudicia in Oppianicū à Cicerone facta dicuntur in oratione pro Cluentio. Et, vt inquit eleganter Asconius, præiudicium dicitur res, quæ cùm statuta fuerit, affert iudicaturis exemplū quod sequantur: iudiciū autem res, quæ causam, litémq; determinat.

Postulatus.] Accusatus.

Appellato collegio.] scilicet, tribunorum. Qui appellat, vt inquit Vlpianus, maiorē iudicem debet appellare. Dicimus, appello principem, & ad principem.

Reus ne fieret.] Hoc est, ne accusaretur, dum absens esset ob causam, commodúmque Reipublicæ. Reum fieri, nihil aliud est, nisi apud prætorem legibus interrogari, vt docet Asconius. Reos autem M. Antonius orator apud Ciceronem appellat, non eos modò qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur. sic olim loquebantur.

Obligare.] Sibi obligatos, obnoxiósque efficere aliquo beneficio.

Adiuuare.] Quamuis Cæsar esset in Gallia, tamen plurimùm iuuare poterat eos, qui Romæ magistratus petebant, partim per epistolas, partim per amicos suffragatores.

Cuius pacti.] Illius pactionis intellige, qua competitores magistratuum pepigerant, se defensuros absentem Cæsarem.

Syngrapham exigere.] Inter syngraphas & chirographa hoc interest, quòd in cæteris tantùm quæ gesta sunt scribi solent: in syngraphis etiam contra fidem veritatis pactio scribitur, & non numerata quoque pecunia, aut non integrè numerata, pro temporaria voluntate hominum scribi solet: author Asconius. Syngrapham intelligit Tranquillus, chirographum propriè eorum, qui paciscebantur, manu scriptum: in quo talis pactio scripta erat, ne videlicet inficiari possent. Fit mentio syngraphæ à Symmacho in epistolis per quandam quasi catholicam sententiam, sic scribente: Fides amicitiæ, syngrapham non requirit. De syngraphis crebra est apud Ciceronē vsurpatio.

Consularis candidatus.] Corrigendum est, cōsulatus: Candidati autem consulatus petitores dicuntur propterea, quòd qui magistratum petebant, in toga candida id factitabant. Hoc ideo fieri existimat Plutarchus in Problematis, vt magistratu dignos non genere, non diuitiis, non gloria, sed vulneribus, & cicatricibus indicarent: quæ vt ab his cōspicerentur, quos ambiendo prænsabant, in toga candida ad petendū descendebant: vel quia corpus nudando, ac seipsos submittendo, ita populum captabant. Mendosus est Plutarchi codex impressus: nam sine toga hoc solitū fieri à candidatis scribit. quod falsum esse vel vnica Ciceronis oratio apertè demonstrat, cui titulus est, In toga candida. Quā dixit in Senatu in petitione consulatus. Olim tribuni legem promulgarunt, ne cui album in vestimentum addere petitionis causa liceret: sicuti tradit Liuius in IIII. ab vrbe condita. Inde per quandam decoram translationem candidatos dicimus petitores aliarum quoque rerum: sicuti à Quintiliano candidatus eloquentiæ, à Plinio in Panegyrico candidatus gloriæ, & immortalitatis, ab Hieronymo cādidatus fidei elegantissimè nuncupatur. Quæ essent artes petitoriæ, hoc est candidatorum, docet Mamer. in Panegy. cuius verba subieci: Quis ignorat tunc quoq; cùm honores populi Romani suffragiis mandabātur, multos fuisse candidatorum labores? ediscenda omnium nomina tribulium, homines singuli salutandi, prehensandæ obuiorū manus, omnibus arridendum, multaq; alia propter honorem adipiscendū agenda, quæ aliàs virū honore dignū facere nō deceret. Consulatus autē, nō consularis, legendū est, vt sit patrius casus, hoc est genitiuus, qui iūgitur cū hoc nomine candidatus: sic enim loquimur, Cādidatus, quæsturæ, præturæ, cōsulatus, id est qui petit quæsturā, præturā, consulatū. Quòd si cōsularis legas, significabitur petitor, qui olim fuit consul: sicut à Cic. In oratione pro Murena prætorius, & cōsularis cādidatus dicūtur, quorū alter iam fuerat prætor, alter cōsul, & ambo erāt cōpetitores. Sed neq; hæc lectio, neq; hæc expositio cōgruit sentētiæ Tranquilli. Potest tamē legi cōsularis cādidatus pro cōsulatu petente, sicut M. Tul. dixit ire obuiā consulari candidato, pro consulatū petente. Et ita indifferenter dici poterit, Consulatus candidatus, & consularis candidatus, pro petitore consulatus. Item, Candidati consulares quatuor omnes rei.

De act

M. AN. DE actis.] De his quæ Cæsar superiore anno consul egisset, an pro ratis habenda essent, seu rescindenda potius. Detulit.] Cæsar.

Cognitione.] Vt qualia essent, Senatus cognosceret, & corrigeret.

Suscipiente.] Recipiente.

Irritas.] Vanas.

Altercationes.] Iurgationes.

In præiudiciũ.] Præiudiciũ, vt Pediano placet, res est quæ cùm instituta est, affert iudicaturis exemplũ quod sequantur. Cui Plinii ad Seuerum adstipulatur authoritas. Curianus filius, inquit, orabat vt sibi donarem portionem meam, séq; præiudicio iuuare. Fabius: Præiudicia sunt à rebus iudicatis, quæ pares fuerũt: aut ex iudiciis ad ipsam causam pertinentibus: aut ab eiusdem causæ pronuntiatione. Confirmatur duobus modis præcipuè, & authoritate eorum, qui pronuntiauerũt: & rerum, de quibus quæritur, similitudine.

Postulatus.] Vt reus accersitus.

Appellato.] Appello tribunos dicimus, prouoco ad tribunos.

Collegio.] Reliquis è collegio tribunis.

Obtinuit.] Collegii intercessione.

Reus ne fieret.] Ne vt reus accerseretur, nec cuiusquam accusationi esset obnoxius.

Ad securitatem.] Ne aduersos haberet in vrbe magistratus.

Obligare.] Sibi fide obstringere.

Non alios pati ad honorem peruenire.] Quod per necessariorum, & clientum suffragia, quæ plurima Cæsari aderant, fieri poterat.

Pepigissent.] A pango verbo, vt Fabio placet, potius quàm à paciscor. quasi diceret, secum pacti essent.

Propugnaturos.] Defensuros.

Syngrapham.] Cautionem. Pergitisne vos tanquàm ex syngrapha agere cum populo? Pedianus, in chirographo scribuntur, ait, quæ acta sunt, in syngrapha contra fidem, & pacta quædam complecti.

Consularis candidatus.] Qui consulatum solenni more petebat.

PHIL. QVod prætor nequiuisset.] Dictum est paulò antè Memmium, & Domitium prætores retulisse de actis Cæsaris in consulatu, sed conatus eorũ fuit irritus: nec quieuerunt efficere in Cæsarem quod moliebantur. Domitius in consulatu, qui maior est magistratus, minitabatur se effecturum aduersus Cæsarem, quod in prætura, qui infirmior est magistratus, nequiuisset: vnde Cæsar iuit obuiam eius conatibus, & operam dedit vt à consulatu repelleretur.

Lucam extractos.] Cæsar cùm largitione populum Romanum corrupisset, cúmque eius nutu, quanuis absentis, cuncta Romæ gererentur, ad eum olim Lucam peruenerunt complures Romani amplissima prædici authoritate, adeò vt lictores magistratuum numero centum ac viginti circa ipsum fuisse ferantur: ordinis verò Senatorii ad ducẽtos, quos omnes sibi obligatos reddiderat largitione, atque fauore: venerunt tunc quoque ad eum Crassus, atque Pompeius: qui communi consilio decreuerũt vt Põpeius & Crassus vnà consulatum peterent: quod & factũ est, cum frustra Domitius Aenobarbus aduersari pro viribus conaretur.

Perfecit vtrunq;.] Vt scilicet Domitius detruderetur, & Crassus, Pompeiúsque peterent consulatum.

De Domitio minante Cæsari & gestis per eum in Gallia. XXIIII.

SEd cùm L.Domitius consulatus candidatus palàm minaretur consulem se esse facturum quod prætor nequisset, adempturúmque ei exercitus, Crassum Pompeiúmque in vrbem prouinciæ suæ Lucam extractos compulit, vt detrudendi Domitii causa consulatum alterum peterẽt: perfecítque vtrunque, & vt in quinquennium sibi imperium prorogaretur. Qua fiducia ad legiones, quas à Repub. acceperat, aliâs publico, aliâs priuato sumptu addidit: vnã etiam ex transalpinis conscriptam vocabulo quoque Gallico: alauda enim appellabatur, quam disciplina cultúque Romano institutam, & ornatã, postea vniuersam ciuitate donauit. Nec deinde vlla belli occasione, ne iniusti quidem, ac periculosi abstinuit, tam fœderatis, quàm infestis, ac feris gentibus vltro lacessitis: adeò vt Senatus legatos quondam ad explorandum statum Galliarum mittendos decreuerit, ac nonnulli dedendum eum hostibus censuerint: sed prosperè decedentibus rebus, & sæpius, & plurium, quàm quisquam vnquam, dierum supplicationes impetrauit.

Imperium prorogaretur.] Prorogare imperium, significat noua rogatione in lõgiora tempora proferre, Trebonius tribunus plebis rogationem promulgauit, qua prouinciæ consulares in quinquenniũ dabantur, Pompeio Hispania, Crasso Syria, & Parthicũ bellum, Cæsari verò Gallia, & Germania in alterum quinquennium: quam legem cùm impedire vellet Mar. Cato, in vincula ductus est. Alauda appellabatur.] Plin. in x I. Nat. histo. scribit alaudam auiculã appellatam quondã galeritã Gallico vocabulo, etiã legioni nomen dedisse. Ex quibus plane verbis colligimus alaudã dictione Gallica significare legionẽ, quia Galli hoc nomine fortassis vocant galeã, vnde milites galeati, alaudæ dicti. Ideoq; Cæsar cùm ex Gallis legionẽ conscriberet, alaudã appellauit, & milites alaudæ nũcupati. De qua legione ita scribit Cic. in epistolis ad Atticũ: Antonius cũ legione alaudarũ ad vrbem pergere, pecunias municipiis imperare. Olim M. Antonius decuriã fecit iudicũ, quos ex legione alaudarũ conscripsit: quod Cic. in Philippicis insectanter criminatur. Alauda autem volucris ideò dicta est galerita, quia apicẽ habet in capite ad similitudinẽ galeri, siue galeæ. Var. appellat galericũ, nõ galeritã: quia in capite habet plumã elatam. Ciuitate donauit.] Donare ciuitate, est efficere ciues Roma. & iura ciuiũ dare. Cæsar omnes alaudas fecit Rom. ciues, cùm prius

eos for

eos formasset, instituissétque militaribus documentis ex Romana disciplina, & coluisset elegantia Romani vestitus, & armorum, exuta Gallicana barbaria: quáuis scribat Marcellinus Gallos esse tersos, & mundos.

Tam fœderatis quàm infestis.] Fœderati dicuntur populi, qui fœdere icto cum pop. Romano societaté coiuerunt. Nanq; inter ciuitates prouinciarum aliæ ciuium Romanorum, aliæ Latinorum veterũ, aliæ fœderatorum, aliæ stipendiariæ dicebãtur: de quibus apud Pliniũ mentio frequens. Non nulli dedendũ hostibus.] Cato signari videtur, qui olim in Senatu sententiã dixit, vt Cæsar hostibus dederetur, qui pro ciuitate perfidiã expiaret, & vt execrationem in authorem verterent. Ita olim Hanno Carthaginiensis censuit Annibalem dedendum esse Romanis, ad pœnam, ob ruptum fœdus.

nomen legioni datum: Galli enim galeam, alaudam vocant.

Institutam.] Militari disciplina excultam.

Ornatam.] Romanis armis instructam.

Ad explorandum.] Recognoscendum.

De gestis per eum in Gallia. XXV.



Gessit autem nouẽ annis, quibus in Imperio fuit, hæc ferè: Omnem Galliam, quæ à saltu Pyrenæo alpibúsque & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, patétque circuitu ad bis & tricies centum millia passuum, præter socias, ac bene meritas ciuitates, in prouinciæ formam redegit, eíque in singulos annos stipendii nomen imposuit. Germanos, qui trãs Rhenum incolunt, primus Romanorum ponte fabricato aggressus, maximis affecit cladibus. Aggressus est Britannos, ignotos antea, superatísque pecunias & obsides imperauit: per tot successus ter, nec amplius, aduersum casum expertus: in Britannia classe vi tempestatis propè absumpta, & in Gallia ad Gergouiam legione fusa, & in Germanorum finibus, Titurio & Arunculeio legatis per insidias cæsis.

Plurium quàm quisquam vnquam dierum.] Cùm Romæ renunciatæ fuissent res in Gallia præclarissimæ à Cæsare gestæ, quindecim dierum supplicatio decreta est: quod ante id tẽpus accidit nulli, sicut meminit ipse Cæsar in Commentario belli Gallici secundo. Cicero olim decreuit supplicationes quinquaginta dierũ nomine trium Imperatorum Hircii, Pansæ, & Octauii.

M. AN. Quod prætor.] Ad illud, quod proximo capite dixit, refertur, C. Memmio, & Lu. Domitio prætoribus de superioris anni actis referẽtibus, quasi dicat rescissurum se consulem omnia acta Cæsaris, aut certè compulsurum, vt eorum, quæ consul contra auspicia fecisset, redderet rationem.

Lucam.] Vrbs Hetruriæ est, ac magis nota, quàm de ea plura dici oporteat.

Prouinciæ suæ.] Galliæ scilicet cisalpinæ. Appia. author est tantum esse hîc per partes concursum ad Cæsarem factum, vt centumviginti fasces circa illum quandoqoe conspecti sint: ac præter magistratus ipsos, ad ducentos Senatorii ordinis officii gratia eò confluxisse.

Detrudendi.] Deiiciendi.

Alterum.] Quia ambo vnà consules fuerant: ergo secundo loco peterent, quanquàm Plinius tertiũ eum H consulatum fuisse, non secundum demonstret.

Vtrunque perfecit.] Vt Domitius deiiceretur, & ambo creati sint consules: vt Domitio depulso, sibi in quinquennium imperium prorogaretur

Ad legiones.] Quæ ab initio quatuor, authore Plutarcho, fuerant ei decretæ.

Priuato.] Proprio sumptu.

Alauda.] Ab auis nomine appellatã Plinius apertè docet: Auis, inquit, galerita appellata quondam: posteà Gallicò vocabulo etiã nomen legioni dederat alauda. Cicero, Ludi manipolares ex legione alaudarũ. Ex Plinii verbis apparet, quia galeis essent milites instructi,

Dedendum.] Ad pœnam, & supplicium dandum.

Plurium dierum.] Plutarchus quindecim dierum supplicationes ei decretas ait: ipse verò in Commentariis viginti: Supplicationibus ipsis Imperatores, & exercitus diis commendabantur, vt Capitolinus innuit: Vestrum, inquit, est igitur supplicationes decernere, nósque diis commendare.

A Saltu Pyrenæo.] Monte Pyrenæu. Sunt autem montes Pyrenæi, qui diuidunt Galliam ab Hispania ab exortu æquinoctiali in occasum brumalem porrecti: ab Igne, PHIL. qui Græcè dicitur πῦρ, nominati. Nam, vt ait Diodorus in sexto, Syluæ in Pyrenæo frequẽtes, iniecto à pastoribus igne antiquitus flagrauere. Autumat Silius in tertio Punicorum à puella nomine Pyrene dici Pyrenæum saltum, qoam ab Hercule deuirginatam feræ laniauerunt: mox Hercules sepeliuit, Pyrenes nomen identidem inclamitans. A poëtis ipse quoque mons Pyrene nuncupatur. Idem Silius:

Pyrene celsa nimbosi verticis arce,
Diuisos Celtis latè prospectat Iberos.

Aliâs Pyrene fons est in Acrocorintho musis dicatus, cuius Persius, & Papinius meminerũt: de quo & Plautus ait in Aulularia: Interbibere sola, si vino scateat, Corinthiensem fontem Pyrenæa potest.

Alpibus.] Alpes in longitudinem centum millia passuum patere à supero mari ad inferum Cælius tradit: Liuius verò tria millia stadiorum. Strabo tradidit in quarto Alpes alio nomine Albiũ appellari. Alpes profectò ipsæ, ait, non à Monœci portu, sed iisdem ex locis, à quibus Apennini montes, incipiunt. Cecinit Silius ventos posuisse regna furentia in Alpina domo: cùm illic perpetui flatus dominentur. Polybius Alpes arcem, & murus Italiæ appellat.

Monte Gebenna.] Luca. Cana pendentes rupe Gebennas. Hodie dicitur mons Geneuræ.

Fluminibus.] Rheno & Rhodano. Rhenus Rheticarum Alpium vertice ortus modico flexu in Occidentem versus, Septentrionali Oceano miscetur: author Tacitus. Rhodanus verò Galliarum fluuius multò fertilissimus ex Alpibus se rapiens in Lemanum lacum defertur: à Rhoda Rhodiorum oppido dictus, vt ait Plinius in 1 2 1.

Patétque circuitu ad bis & tricies.] Agrippa vniuersarum Galliarum inter Rhenum, & Pyrenæum, atque Oceanum, ac montes Gebennam, & Iuram longitudinem

De morte matris, filiæ & neptis eius, & alijs gestis per eum. XXVI.

Odem temporis spatio matrem primò, deínde filiam, nec multò pòst neptem amisit. Interímque consternata Publii Clodii cæde Repub. quum Senatus vnum consulem, nominatímq; Cn. Pompeium fieri censuisset, egit cum tribunis plebis collegã se Pompeio destinantibus, id potius ad populum ferrent, vt absenti sibi, & quandocunq; imperii tempus expleri cœpisset, petitio secundi consulatus daretur: ne ea causa maturius, & imperfecto adhuc bello, dece-

nem cccc xx. M. passuū, latitudinem ccc x111. computauit.

In prouinciæ formam redegit.] Acquisitæ bello regiones prouinciæ dictæ sunt, ad quas prætores mittebantur. Aliæ erant consulares, aliæ prætoriæ. Vnde in calce operis ita scribit Strabo: Vniuersæ huius terræ, quæ Romanis paret, partim reges tenent, quam verò ipsi habent, prouinciā vocāt, & præfectos in eam mittūt. Redigere autem regiones in formā prouinciæ, nihil aliud est, quàm regionem subiicere Imperio Romano, & ad eam gubernandam mittere præfectum, sicut dictum iam est. Ait Tranquillus, Cæsarē Galliā subactam hancin prouinciæ formam redegisse.

Stipendii nomen imposuit.] Hoc est, stipendiariam fecit: nam stipendiarias prouincias, ciuitatesq; appellamus, quæ stipendium pendunt, hoc est, tributum soluunt: & ita apud Iurisconsultos prædia stipendiaria dicta, quæ sunt tributaria.

Ponte fabricato.] Qua ratione pontem ligneum fabricauerit Cæsar supra Rhenū, vt in Germaniā transgrederetur, docet ipse in IIII. Commentario: qui nō semel, sed bis pontem fabrefecisse, & contra Germanos Transrhenanos transisse memoratur.

Britannot ignotot antea.] Cæsar magno sibi vsui fore arbitratus, si Britanniā adisset, & genus hominum perspexisset, loca, pórtus, aditus cognouisset, quæ anteà omnia erant incognita: in eam legiones transportauit, & Britannis victis obsides imperauit, & quid in annos singulos vectigalis Britannia populo Romano penderet, constituit. Antiquitus Britannia Albion dicebatur. Corn. Tacitus in libello, quo vitam Iulii Agricolæ describit, multa de Britannia, Britannorumq; moribus luculenter enarrans, hoc addit: Primus Romanorum diuus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, quanquàm prospera pugna terruerit incolas, ac litore potitus sit, potest videri ostendisse, posteris non tradidisse. Successus.] Felicitates. Ter aduersum casum expertus.] Quemadmodū ter expertus sit Cæsar aduersantem fortunam, copiosissime docent ipsius Commentarii: primò in Britannia iacturā passus est, quādo ipsius classem, qua exercitū transportandū curauerat, æstus cōpleuit, & tempestas afflixit, vbi cōpluribus nauibus fractis reliquæ ad nauigandū inutiles factæ sunt, funibus, ancoris, reliquisq; armamentis amissis, ex quo magna totius exercitus turbatio facta est. Secūdò, quādo communi totius Galliæ consilio omnia Cæsaris hyberna oppugnare constituerūt: tunc Eburones Galliæ populi Lucium Arunculeium Cottam, & Titurium Sabinum fraude ex hybernis eductos cum legionariis militibus contrucidarunt: pauci ex prælio elapsi ad Titum Labienum legatū incolumes peruenerunt. Tertia Cæsaris clades fuit apud Gergouiam, quod oppidū positum est in altissimo monte in regione Aruernorum. Fabius Centurio legionis octauæ Gergouiæ muro, portisque cum militibus appropinquans, à manipularibus suis subleuatus, in murum ascendit, aliosque in murum ipse extulit: interim Galli ex altera oppidi parte cùm oppidū ab Romanis teneri audiuissent, eò contenderūt, & ita hostes loco, & numero confidentes, Cæsarianos vehementer perterruerunt. Fabius Centurio, quique vnà murū ascenderant, circunuenti, atq; interfecti, de muro præcipitantur. Eo die milites Cæsaris ex ea clade sunt paulò minus septingenti desiderati.

A Saltu Pyrenæo.] Pyrenæi montes citeriorem Hispaniam à Gallis diuidunt: nomen à puella indigena ab Hercule compressa, aut, vt quidam scribūt, ab igne à pastoribus immisso, quo montes ipsi olim conflagrarunt, factum. M. AN.

Alpibus.] Quæ Galliam & Germaniam ab Italia diuidunt.

Monte Gebenna.] Qui ad meridiem, ipsam terram claudit.

Rheno.] Ex Adula monte Rhenus ortus, ad Septentrionem in Britannicum Oceanum decurrens, Galliam à Germania diuidit.

Rhodano.] Qui in internum mare Gallicum elabitur: vt intelligas, his finibus Narbonensem quoque Galliam includi.

Ad bis & tricies centum millia passuum.] Tria millia & ducenta, hoc est bis, ac tricies centum millia passuum. Stipendii nomen.] Stipendiariam fecit.

Germanos qui trans.] Transrhenanos scilicet, de qua expeditione ipse Cæsar in Commentariis, & Plutarchus abundé.

Britannos.] Bis Cæsar in Britanniam traiecit: Plinius & Plutarchus sunt authores.

Classe vi tempestatis.] Priore expeditione naues duodecim tēpestate periere: posteriore sexaginta, reliquis valde concussis. Ad Gergouiam.] Alii Gergouium habent: est id Aruernorum oppidum, in Celtis. Sunt qui suspicentur esse, quem hodie Claromontem vocāt. Ipse Cæsar in Cōmen. author est se, hîc sex & quadraginta centuriones amisisse. Plutarc. septimā, & duodecimā legiones his locis circunuentas, earumq; centuriones occidione occisos. Strabo cccc. barbarorum millia circa Gergouiā Aruernorū vrbem ad Cæsarem confluxisse prodidit.

Titurio, & Arunculeio.] In Eburonibus inter Mosam fluuium, & Rhenum, cum quinque cohortibus cæsis, vt Liuius & Cæsar tradūt: hisq; tantis cladibus in Gallia Cęsar tā longa bellorū intercapedine defunctus.

Eodem temporis spatio.] Quo res gerebat Imperator in Gallia. PHIL. Matrem amisit.] Mater Cæsaris Aurelia nominabatur, singulari pudicitia mulier: quæ, vt docet Corn. Tacitus in dialogo de oratoribus, præfuit educationi Cæsaris pueri: cuius studia, & lusus sanctitate quadam temperabat: eodem modo Cornelia liberos Gracchos educauit, instituitq;. Filiam.] Iuliā Pompeii vxorē, quæ ex partus dolore decessit, cùm prius puellam peperisset: honósque maximus ei à pop. Romano habitus est, vt in campo Martio sepeliretur. Neptem.] Filiā intelligit Pompeii, quæ nō multos post dies mortem matris Iuliæ subsequuta est. Consternata.] Perturbata

deret. Quod vt adeptus eſt, altiora iam meditans, & ſpei plenus, nullum largitionis, aut officiorum, in quenquam genus publicè, priuatímque omiſit. Forum de manubiis inchoauit: cuius area ſuper ſeſtertium millies conſtitit. Munus populo, epulúmque pronuntiauit in filiæ memoriam. quod ante eum nemo fecit. Quorum vt quàm maxima expectatio eſſet, ea, quæ ad epulum pertinerẽt, quanuis macellariis oblocata, etiam domeſticatim apparabat. Gladiatores notos, ſicubi infeſtis ſpectatoribus dimicarent, vi rapiendos, reſeruandóſque mandabat. Tyrones neque in ludo, neque per laniſtas, ſed in domibus per equites Romanos, ac etiã per Senatores armorum peritos erudiebat, precibus enitẽs, (quod epiſtolis eius oſtenditur) vt diſciplinam ſingulorũ ſuſciperent, ipſique dictata exercentibus darent. Legionibus ſtipendium in perpetuum duplicauit: frumentũ, quoties copia eſſet,

bata, perculſa, tumultuante. Pu. Clodii cæde.] Milo rediens ab Aritia paulò vltra Bouillas in via Appia prope Bonæ deæ ſacellum, Clodium, ſuum, Ciceroniſq; inimicum occidit: cuius cadauer Romam deportatum, & in Roſtris poſitum eſt. Populus duce Sex. Clodio corpus Publii Clodii in curiam intulit, cremauitq; ſubſelliis, & tribunalibus, & menſis: quo igne ipſa quoq; curia cum Portia Baſilica, atque domo M. Lepidi interregis conflagrauit. Clodiana multitudo ad hortos Cnei Pompeii cucurrit, clamitans eum modò cõſulem, modò Dictatorem. Igitur tumultuante pop. Romano, ad comprimendas eas ſeditiones Cn. Pompeius cõſul per Sulpitium interregem factus eſt abſens, & ſolus: quod nemini vnquã cõtigit, vt ſolus Dictatoriam obtineret poteſtatem, & ſi conſulis nomen habebat: tunc lata lex eſt per tribunos plebis, qui Cæſarem Pompeio collegam in conſulatu deſtinabant, vt ratio abſentis Cæſaris in petitione conſulatus haberetur, inuito, & contradicente M. Catone.

Imperii tempus expleri.] Iam diximus Cæſarẽ obtinuiſſe Galliam in decem annos: volebat ergo vt finito hoc tempore, quo Imperium obtinebat in Gallia, petere poſſet abſens conſulatum. Ne ea cauſa.] Ob petitionem conſulatus. Decederet.] E Gallia Romam repedaret. Quod vt adeptus eſt.] Vt ſcilicet abſens conſulatum petere poſſet. Altiora.] De regno cogitans. Forum de manubiis inchoauit.] Manubiæ appellatæ ſunt pecunia à quæſtore ex venditione prædæ redacta. Et, vt vtar vocabulo Gellii, nihil aliud ſunt manubiæ, quàm pecunia prædaritia. Præterea, vt inquit Aſconius, Manubiæ ſunt præda Imperatoris, pro portione de hoſtibus capta. Igitur Cæſar Romæ forum inchoauit ex pecunia illa, quam collegerat ex præda Gallorum. Spolia quoque quæſita de hoſte nobili per deditionem, manubias veteres dicebant: & erat Imperatorum hæc præda, ex qua quod vellent facerent. In alio ſignificatu iactus fulminum manubiæ dicuntur. Vnde ait Seneca lib. II. Quæſtionum, Ioui tres manubias dari: quarum prima monet, ſecunda prodeſt, tertia adhibitis conſilio diis emittitur. De quibus ſcriptum legimus caput in integro Feſti Pompeii codice. Area.] Loca in vrbe pura, areæ dicuntur. Areæ quoque locus eſt in agro, vbi frumenta ſecta teruntur, & areſcũt: author Varro. Hîc nomine areæ ſignificatur ſolum, & locus purus accommodatus foro extruendo: de quo Plinius ſic in XXXVI. Pyramidas regum miramur, cùm ſolum tantum foro extruendo ſeſtertiis millibus ducentis Cæſar Dictator emerit. Seſtertiom] Antiquitus Seſtertius dipondium & ſemis valebat: ab eo dictus, quòd ſemis tertius: authores Priſcianus, & Varro. Apud priſcos ſeſtertius, vtpote nummus argenteus duarum librarũ & ſemis, per L L, & S, notabatur, ſicuti plerunq; licet inuenire in Verrinis Ciceronis, & in vetuſtis ſcriptorum codicibus. Munus.] Spectaculum gladiatorium, de quo ſuprà. Epulum.] Epulum ſignificat ſolenniores epulas, propriè cõuiuium publicum veteres appellauerũt, quod in propatulo ciuibus exhibebatur, ſiue in dedicatione tẽpli, ſiue in triumpho, ſiue in funere, ſiue ludorũ cauſa. Vnde ita ſcribit Plini. in XIIII. Epulo Cæſar in tertio conſulatu ſuo Falernũ, Chium, Lesbium, Mamertinũ dedit. Liuius idẽtidẽ memorat Iouis epulũ fuiſſe. Ludorũ cauſa Columella ait epulum populo dari ſolitum ab his, qui triũphabant. Epulones ab Apuleio, Plautoq;, conuiuæ nominantur. Erant præterea epulones tres viri, quos pontifices propter ſacrificiorũ multitudinẽ eſſe voluerunt, vt ludorũ epulare ſacrificiũ conficerent: ſicut tradit Cicero lib. de Oratore III. Dein numerus epulonum auctus fuit, adeò vt ſeptẽ fuiſſe epulones numero legerimus: de quibus intelligit Lucanus illo verſu:

Septemuirq; epulis feſtus, Titiiq; ſodales.

Marius ille Priſcus, de quo apud iuniorem Plinium fit mẽtio, ſeptemuir fuit epulonũ. Antiqui epulonos dicebãt, quos nũc epulones dicimus: quibus hoc nomẽ inditum eſt, quòd epulas indicendi Ioui, cæteriſq; diis poteſtatem haberẽt. Epulares verò appellabantur, qui in quibuſdam ludis noctu epulabantur.

EOdem temporis ſpatio.] Quo in Gallia eſt bellatum. Publicas clades priuatis ſubiecit Trãquillus, prius enim oportuit publica incommoda referri, inde quæ ad ſolum Cæſarem pertinebant. Matrem.] Aureliam. Filiam.] Iuliam. Neptem.] Ex Iulia, & Pompeio genitam, quæ obitu matris orta, nonnullos illi dies ſuperſtes fuit. Conſternata.] Perculſa, exterrita. Appianus eius conſternationis, & motus eſt author: Pedianus quoq; non pauca de Clodii cæde refert, & tumultuoſo Milonis iudicio. Conſulẽ vnũ.] Pompeius ſine collega conſul eſt creatus: quod Romanorum nulli, vt Liuius ſcribit, contigerat: apparebat Rempublicã præſenti rerum motu perculſam alioqui ſiſti non poſſe. Quod vt adeptus eſt.] Vt abſenti alterum conſulatum petere liceret: ſiquidem ſemel Cæſar conſul fuerat. M. A N.

De manubiis.] Spolia de viuo hoſte per deditionem, vt Pedianus tradit, quæſita, manubias veteres dixere: eratq; Imperatorum ea præda, vt ex ea quod libitum eſſet facerent. Sunt qui aliter interpretentur, ſed Pediani expoſitio perbellè meo iudicio quadrat. Millies ſeſtertiũm.] id eſt, mille ſeſtertia: quæ ſumma conficit talenta Attica paulò minus quadraginta. Munus.] Gladiatorium. Epulũ.] quod publicè exhibebatur in dedi-

etiam ſine modo, menſuráque præbuit: ac ſingula interdum mancipia & prædia viritim dedit.

De affinitate cum Pompeio reuocata, & alijs geſtis eius. XXVII.

D retinendam autem Pompeii neceſſitudinem, ac voluntatem, Octauiam ſororis ſuæ neptem, quæ C. Marcello nupta erat, ſub conditione ei detulit: ſibíque filiam eius in matrimonium petiit, Fauſto Syllæ deſtinatam. Omnibus verò circa eũ, atq; etiã parte magna Senatus gratuito, aut leui fœnore obſtrictis, ex reliquo quoque ordinum genere, vel inuitatos, vel

catione templi alicuius, ſiue io honorem Deorum, defunctorúmve memoriam dari conſueuit.

PHIL. QVorum.] Muneris gladiatorii, & epuli. Macellariis oblocata.] Macellarii non ſunt lanii, ſiue laniooes, ſicuti vulgus exiſtimat, ſed omnes, qui vendunt eſculenta, & potulenta, à macello dicti. Macellum autẽ appellatum, quòd ibi fuerit hortus, quẽ Lacedæmonii macellum vocant. Alii tradunt quòd ibi fuerit domus ciuis nomine Macelli, quæ publice diruta eſt, ædificatumq; hoc, quod vocatur ab eo macellum. Exiſtimat Donatus macellum à mactandis pecoribus dictum. Cæterùm in macello non ſolùm carnes, ſed & piſces, & ea omnia, quæ ad victum pertinebant, venditabaotur. Inde ait Plautus in Aulularia, Venio ad macellum: rogito piſces, indicant caros.

Domeſticatim.] Aduerbium eſt, & ſignificat per domeſticos. Tyrones.] Dicuntur non ſolùm noui milites, ſed etiam gladiatores adhuc rudes in diſciplina gladiatoria. Tyrocinium dicimus rudimentũ. Ab Hierooymo dicitur tyrocinatio, qui recentes diſcipulas eleganter tyrunculas appellat. Ab eadem ſimilitudine, canis adoleſcẽtior, tyruncula à Columella dicitur, cùm ait in VIII. Quoniam tyruncula nec rectè outrit, & educatio totius habitus aufert incrementum. Plinius in Epiſtolis ſe tyrunculum dicit, quaſi rudem in cognitione ſignorum. Qualis legi debeat tyro, docet Vegetius lib. 1. de Re militari. In hoc loco tyrones accipe pro nouis gladiatoribus, & adhuc rudibus in gladiatoria exercitatiooe. In ludo.] ſ. gladiatorio. Erant enim Romæ magiſtri & doctores gladiaturę, qui omnes ictus armorum, omnemq; diſciplinam edocebant. Omnem enim ſcholam, ludũ dixere Romani: author Aſconius.

Laniſtas.] Laniſtæ dicti ſunt hi, qui laniandis præſunt gladiatoribus: hi familias gladiatorum, qui venalem ſanguinẽ habent, inſtituere, & mox parare, & vendere ſolebant munerariis, hoc eſt exhibitoribus muneris gladiatorii: ſicuti ſæpiſſime leges apud ſcriptores antiquos. In commentario belli Africi ait Hircius: Vt laniſta gladiatores, tyronéſq; condocefacere. Hinc eleganter à Columella laniſtæ auium dicti, qui aues certaminibus præparabant ex inſtituto Græcorum. Olim Mar. Antonius ingerens maledicta in Ciceronem, eum laniſtam appellauit: cuius rei meminit ipſe Cicero in Philippica XIII. Liuius in XXVIII. Gladiatorum ſpectaculum fuit non ex eo genere hominum, ex quo laniſtis comparare mos eſt, ſeruorum delectu, ac liberorum, qui venalem ſanguinẽ habent. Quintilianus quoque in Gladiatore meminit laniſtarum. Igitur cùm laniſtæ ſoleant alere & erudire armis gladiatoriis familias gladiatorias, noluit Cæſar vt tyrones in gladiatura ab illis erudirentur in lodo gladiatorio, ſed inſtitui voluit per ſummates viros intra priuatas domos, vt ita expectatio ſpectaculi maior fieret, & ludi forent magnificentiores. Epulis.] Dictio mendoſa eſt: nam pro Epulis, legendum eſt Epiſtolis: citat enim Tranquillus teſtimonium Cæſaris epiſtolarũ, in quibus Senatores, equitéſq; rogabat de diſciplina tyronum ſuſcipienda.

Dictata exercentibus.] Dictata, à dicendo dicta: ſunt autem documenta, præſcriptaq;, quæ in ludo magiſter armorum tradit tyronibus: ſicuti dictata dicuntur & illa, quæ magiſter ludi literarii diſcipulis præbere cõſueuit: de quibus Perſius:

Ten' cirratorũ centum dictata fuiſſe,
Pro nihilo pendas.

Hic gladiatoria themata, documentaq; ſignificantur.

Frumẽtum ſine modo.] Refert Vegetius, milites fuiſſe quoſdam in Romana legione, qui torquati duplares dicebantur, qui ob virtutẽ duplas conſequebantur annonas: ſicut ſimplares dicti ſunt, quibus vna & ſemis annona tribuebatur. Cæſar verò ooo ſolùm ſimplas, & duplas, ſed multiplicatas annonas frumentarias militibus dabat, quotieſcunque frumenti copia largior ſuppetebat. Viritim.] Dicitur dari viritim, quod datur per ſingolos viros. Singulis militibus dedit ſingulos ſeruos, ſinguláſq; poſſeſſiones. Cato: Præda, quæ capta eſt viritim diuiſa. Græci dicunt κατ' ἄνδρας. Mancipia.] Seruos vocamus, ex eo dicta quòd ab hoſtibus manu capiãtur. Prædia autem dici tam vrbana, quàm ruſtica, teſtes ſunt Iuriſconſulti, apud quos tituli ſunt De ſeruitutibus ruſticorum & vrbanorum prædiorum. Neceſſitudinem.] Affinitatem. C. Cæſar oeceſsitatẽ dixit pro neceſſitudine, id eſt, iure affinitatis. Sororis ſuę neptem.] Octauiam ſignificat, ſororem Auguſti Cæſaris, cuius ipſe erat maior aounculus: de qua in Auguſto plura. Fauſto Syllæ deſtinatam.] Pompeius filiam Fauſto Syllæ felicis Syllæ filio deſponderat, quam nũc Cæſar petebat ſibi dari: quam olim Cepioni Seruilio ſe præbiturum promiſerat: author Plutarchus. Sub conditiooe.] Vt ita Octauia nuberet Pompeio, ſi ſibi daretur filia Pompeii. Gratuito.] Sine vſura.

Aut leui fœnore.] Cæſar ſibi obſtrinxerat, obligaueratq; etiam aliquot Senatorum, credita pecunia, vel ſine vſura, vel fœnuſculo, hoc eſt, lenibus vſuris.

Ordinum.] Equeſtris & plebeii. Commeaotes.] Proficiſcentes.

M. AN. MAcellariis oblocata.] Quanquam ii macellum venalibus obſoniis inſtruunt, ea ad tempus comparanda redemiſſent. Domeſticatim.] Per domos. Infeſtis ſpectatorib.] Paſſiuè dixit, hoc eſt gladiatorum iniuriæ obnoxiis. Vi rapiendos.] In illatæ ſpectatoribus iniuriæ vltionem. Tyrones.] Gladiatoriæ artis rudes. In ludo.] Gladiatorio. Per laniſtas.] Sub laniſtis gladiatoriæ familiæ inſtituebãtur. Erudiebat.] Erudiendos curabat. Singulorum.] Tyronũ. Duplicauit.] Duplex ſtipendium conſtituit. Dedit.] legionibus. Singula mancipia.] Singulos ſeruos militibus ſingulis, aut viritim, vt Ipſe ait: ſed ego militibus potius, quàm ciulbus collata acceperim. Neceſſitudinẽ.] Affinitatis vinculum. Octauiam.] Ex Iulia C. Cæſaris ſorore, & M. Accio Balbo, & oon Maccio Balbo, vt omnia Tranquilli exemplaria mendoſè habent, nata. Ex Accia, & C. Octauio Octauius, qui poſteà rerũ potitus eſt, & ſoror Octauia, de qua nunc. Conditione

detulit

ſponte ad ſe cõmeantes, vberrimo congiario proſequebatur. Libertos inſuper, ſeruulóſque cuiuſq; prout domino, patronóve gratus quis eſſet. Tum reorum, aut obæratorum, aut prodigæ iuuentutis ſubſidium vnicũ ac promptiſſimũ erat: niſi quos grauior criminum, vel inopiæ, luxuriæ've vis vrgeret, quam vt ſubueniri poſſet à ſe. His planè palàm bello ciuili opus eſſe dicebat.

De amicitia regum & prouinciarum allata per eum, & decreto Senatus contra eum facto propter ſuſpicionem geſtorum eius. XXVIII.



Ec minore ſtudio reges, atque prouincias, per terrarum orbem alliciebat, aliis captiuorum millia dono offerens, aliis citra Senatus, populíque authoritatem, quò vellent, & quoties vellent, auxilia ſubmittens, ſupérq; Italiæ, Galliarúmque & Hiſpaniarum, Aſiæ quoque, & Græciæ potentiſſimas vrbes præcipuis operibus exornans: donec attonitis iam omnibus, & quorſum illa tenderent reputantibus, M. Claudius Marcellus conſul edicto præfatus de ſumma ſe Republica acturum, retulit ad Senatum, vt ei ſuccederetur ante tempus: quoniam bello confecto pax eſſet, ac dimitti deberet victor exercitus: & ne abſentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiſcito Pompeius poſtea abrogaſſet. Acciderat

deulit.] Vt in priſtino ſtudio, & fœdere perſtaret: aut, quod magis placet, vt ſibi filiam deſponderet. Gratuitò.] Pecuniis aut leui, aut nullo fœnore creditis. Obſtrictis.] Obligatis. Ex reliquo ordinum genere.] Senſus eſt: ex iis qui circa Pompeium erant, hoc eſt ex Pompeii familiariſſimis, quoſcũq; potuit gratuita pecunia ſibi obſtrinxit: ex reliquis, quos illi nõ ita familiares nouerat, inuitatos, vel ſponte ad ſe cõmeantes, largo proſequebatur congiario.

PHIL. VBerrimo congiario.] Munere Imperatorio. Congiarium enim donatio Imperatoris eſt, vt ſcribit Seneca lib. IIII. de beneficiis. Et, vt author eſt Quintilia. in ſexto, Congiarium commune eſt liberalitatis, atque menſuræ. Apud hiſtoricos frequẽter leges congiariũ ab Imperatoribus datum fuiſſe populo: ſicut donatiuũ militibus. A congio dictum congiarium. Eſt autem congius menſuræ nomen, capacis ſex ſextariorum: vt inquit Priſcia. Græcè dicitur χοῦς.

Prout domino.] Ad ſeruos referendum, ſicut patrono ad libertos: ſunt enim nomina, quæ Dialectici appellãt relatiua, & ad aliquid dicuntur. Obæratorum.] Obærati dicũtur ære alieno adſtricti, & debitores, ab ære dicti: vt docet Plinius in XXXIIII. Cæſar in primo Commentario, Omnes, inquit, obæratos, quorum magnum numerum habebat, eòdem conduxit: per eos, ne cauſam diceret, ſe eripuit. Obærati, vt docet Donatus in cõmentario Phormionis, cùm ſoluendo non eſſent, iure manu capiebantur. Et, vt author eſt M. Varro, vindemias, & fœniſecia adminiſtrabant hi, quos obæratos noſtri vocitarunt. Idem alibi indicat obæratos dici proprie illos debitores, qui in ſeruitute erãt creditoris pro pecunia, quam debebant, donec ſoluerent: quales nexi quoq; ſunt: de quibus Liuius non parum multa.

Criminum vis.] Ad reos crimina, ad obæratos inopiam, ad prodigam iuuentutem luxuriam referas. Eſt autem luxuria, ſicuti copioſè explicauimus in commentariis in Propertium, non libido Venerea, prout vulgò dicitur, & Eccleſiaſtici vſurpant, ſed immodicam profuſionem, prodigámque abundantiam ſignificat. Bello ciuili opus.] Quicunq; ex flagitiis iudicium timent, quicunq; æs alienum conflauerunt, quicunq; bona patria ex prodigalitate lacerauerunt, fermè ſemper id genus homines vetera odere, noua exoptãt, odio ſuarum rerum mutari omnia ſtudent: tales Catilinianæ coniurationis populares fuiſſe Salluſtius prodidit. Citra Senatus authoritatem.] hoc eſt, ſine authoritate Senatus. Hæc enim particula, citra, in hoc ſignificatu decẽter, & crebriter vſurpatur ab eruditis. Et, vt interim vno, alteróve exemplo contenti ſimus, ſic inquit Quintilianus in primo: Tũ neq; citra muſicen grammatice poteſt eſſe perfecta. Plinius in XII. Citra faſtidium nominentur. Operibus.] Extructionibus ædificiorum.

Quorſum.] Ad quem finem: videbantur enim hæc à Cæſare fieri principatus cauſa. Donec Marcellus conſul.] De hoc Marcello ait Lucanus, Marcellúſque loquax. De hoc Petronius Arbiter: Tu legem Marcelle tene. Huc Cicero in Bruto inter oratores ſuæ tempeſtatis miro præconio laudis extollit. Is agere cœpit in Senatu, vt ſucceſſor Cæſari mitteretur: quãuis nondum finitum eſſet illud tempus, quod Cæſar per legẽ impetrauerat: multáq;, vt inquit Appianus, contumelioſè in Cæſarem inuectus eſt Marcellus. Edicto.] Conſulari. Ante tempus.] Antequàm finiretur alterum quinquennium, quo ſibi prorogari Imperium in prouincia obtinuerat. Et ne abſentis ratio.] Cæſar per plebiſcitum impetrauerat, vt abſens conſulatum ſecundum petere poſſet, nunc Marcellus id agebat, ne abſentis Cæſaris ratio haberetur. Comitiis.] ſcilicet conſularibus, in petitione conſulatus: quare plebiſcitum illud impugnare videbatur, per quod Cæſar obtinuerat, vt abſenti ſibi conſulatus petitio daretur: cui mox plebiſcito nec quidem Pompeius abrogauerat. Abrogaſſet.] Abrogatur legi, cùm prorſus tollitur. Derogatur legi, cùm pars detrahitur, ſicuti tradunt Iuriſconſulti libro L. Digeſtorum, titulo de verborum ſignificatione. Obrogare verò eſt legis prioris infirmandæ cauſa legem aliam ferre. Marcus Tullius in epiſtolis ad Atticum: Promulgare, abrogare, derogare, obrogare, ſine fraude ſua non liceat.

CОngiario.] Munificentia, dono, largitione. Domino patronóve.] Vt ad libertos alterum referas, alterum ad ſeruos. Reorum.] Iudiciis obnoxiorum. M. AN.

autem, vt is legem de iure magistratuum ferens, eo capite, quo à petitione honorum absentes submouebat, ne Cæsarem quidem exciperet per obliuionem: ac mox lege iam in æs incisa, & in ærarium condita, corrigeret errorem. Nec contentus Marcellus, prouincias Cæsari, & priuilegium eripere, retulit etiam, vt colonis, quos rogatione Vatinia Nouumcomum deduxisset, ciuitas adimeretur, quòd per ambitionem, & vltra præscriptum, data esset.

De prouisione Cæsaris contra decretum Senatus. XXIX.



Commotus his Cæsar, ac iudicans (quod sæpe ex eo auditum ferunt) difficilius se principem ciuitatis à primo ordine in secundum, quàm ex secundo in nouissimũ detrudi, summa ope restitit, partim per intercessores tri

Obæratorum.] Alieno ære laborantium. Inopiæ, luxuriæ've vis.] Nimia egestas, immoderatúsque sumptus, ac prodigalitas: ita vt nisi magna in Repub. mutatione facta perditis illorum rebus subueniri nõ posset. Alliciebat.] Muneribus, & officiis. Citra Senatus authoritatem.] Patrum iussu, aut decreto non expectato. Operibus.] Aedificiis. Reputantibus.] Considerantibus. Edicto præfatus.] Per edictum denuntians. De summa Rep.] De summo Reipu. negotio. Acturum.] Dicturum. Retulit ad Senatum.] In consultationem tulit. Comitiis ratio haberetur.] Sed priuilegio, quod Cæsar beneficio populi fuerat adeptus, abrogaretur, ne absenti consulatum petere liceret.

PHIL. VT is.] scilicet Pompeius. Eo capite.] Quæ recentiores dicũt capitula, ea veteres elegantius capita dixerunt: & lex vna ex multis capitibus cõstat. Gellius: Sic capite septimo legis Iuliæ, priori ex cõsulibus fasces sumendi potestas sit. Et à Cicerone capita legum dicuntur. Honorum.] Magistratuum. Submouebat.] Repellebat, reiiciebat. Lege in æs incisa.] Leges vbi latæ erant in tabulis æneis incisæ figebantur, & in ærario recondebantur: inde leges XII. Tabularum dictæ, quoniam in tabulis æneis incisæ: vel, vt ait Iurisconsultus, in tabulis eburneis perscriptæ pro Rostris propositæ fuerunt. Existimo apud Iurisconsultos non eburneis legendum esse, sed æneis: vt cum historicis, hoc est ipsa veritate concordent. Lex promulgata tolli poterat, lata, & in æs incisa non poterat. Illud animaduerte, quòd non minus eleganter, quàm significanter dicimus, leges in æs incidi frequentius, quàm in ære. Cicero in prima Antonianarũ: Quæ Cæsar in æs incidit, in quo populi iussa, perpetuásque leges esse voluit, pro nihilo habebuntur. Idem paulùm infrà: Quod erit, inquit, ita gestum, id lex erit, & in æs incidi iubebitis. De legibus in æs incisis intellexit Ouidius illo versu:

Nec verba minantia fixo Aere ligabantur -

Sed quod Lauren. Vallensis negat inueniri in ære incisas, id quidem falsum esse vel vnico Plinii testimonio, quod in præsentia ad manus est, euidẽter ostenditur: sic enim scriptum reliquit in Panegyrico ad Traianum: Quæ vos patres conscripti, ne qua interciperet obliuio, & in publica acta mittenda, & incidenda in ære censuistis. Adscribamus & alterum, quod nunc nuper in mentem venit, quod Ciceronis est, qui sic scribit in oratione de signis: Id non modò conscripserũt, verùm etiam in ære incisum nobis tradiderunt. Corrigeret errorem.] id est, exciperet Cæsarem à lege, qua Pompeius ipse submouebat absentes à petitione magistratuum. Priuilegium eripere.] Plebiscitum intelligit, quo soli Cæsari concessum fuerat absenti petere consulatũ. Est enim priuilegium, vt scribit Gellius, non generale iussum populi, neque de vniuersis ciuibus, sed de singulis conceptum: nam veteres priua dixerunt, quæ nos singula dicimus: inde priuas verbenas, & priuos silices, pro singulis accipit Liuius: sed tamen confuso, & indistincto vocabulo. Interdum priuilegia leges dicuntur: & Sallust. priuilegiũ de Pompeii reditu legẽ appellauit. In Decretis canonicis ex authoritate Isidori etymologici priuilegia dicuntur esse leges priuatorum, quasi priuatæ leges. Nouumcomum deduxisset.] Cæsar quinq; inquilinorum millia Comum coloniam deduxit, è quibus quingẽti illustrissimi Græci fuerũt, qui oppido nomen relinquentes, & Nouumcomum appellantes, Nouocomenses oppidanos appellauere: authores Strabo, & Plutarc. Colonis igitur, quos Cæsar Nouumcomum deduxerat, lege à Vatinio lata, & ciuitate Romana donauerat, Marcellus ius ciuium Romanorum adimere vnà cum Lentulo conatus est: & quum ex Nouocomensibus colonis decurio vnus Romæ versaretur, eum Marcellus virgis cecĩdit, dicens ea sibi adiecisse insignia, vt se ciuem Romanum nequaquam esse intelligeret: & vt illas vibices Cæsari monstraret, imperauit. Est autem Comum, quod & Nouumcomum appellatur, oppidum Italiæ transpadanæ, à Plinio in nona regione collocatũ, stirpis Orobiorum, à quibus & Bergomum conditum fuit. Ciuitas adimeretur.] Ne ciues Romani forent, néve prærogatiua ciuitatis Romanæ fruerentur. Vltra præscriptum.] Tanquam Cæsar plures colonos ciuitate Romana donasset, quàm præfinitus sibi numerus permitteret. Præscriptum Porphyrio dicit esse præceptum, vocabulo deducto à magistris ludi, qui scripta pueris dant, præcipiúntque imitari. Horatius, Non stat Romuli præscriptum. Seneca in XCIII. Epistolarum, Pueri, inquit, ad præscriptum discunt. Quàm ex secundo in nouissimum detrudi.] Talis est illa apud Liuium luculenta sententia libro ab vrbe condita XXXVI. quam Africanus Scipio legatis Antiochi his verbis explicat: Sciat regũ maiestatem difficilius ab summo fastigio ad medium detrahi, quàm à mediis ad ima præcipitari. Summa ope.] Omni conatu, & viribus. Per intercessores.] Intercessio propriè tribunorum est, quibus ius fuit intercedendi, hoc est vetandi, prohibendique. Nanque, vt scribit Gellius, Tribuni pleb. antiquitus creati videntur non iuri dicendo, sed intercessionibus faciendis. Præterea tribuno Senatũ dissoluere licebat, vt author est Appianus. Apud Liuium tribuni minantur consulibus, se illos in vincula duci iussuros, nisi Senatui dicto audientes sint.

QVando nec plebiscito.] Quo Cæsari permissum erat, vt absens petere posset. & sinæ pro certè accipias: vel plebiscito, id est recentiori legi, qua Pompeio vnico consule lata cautũ erat, ne cuiusquam absen M. AN.

abſentis haberetur in comitiis ratio, quod per obliuionem accidiſſe ferunt, vt ne Cæſar quidem fuerit exceptus, ac tum demum lege iam in æs inciſa, & in ærarium repoſita, Pompeium iniuriæ admonitum vehementer doluiſſe, quòd res mutari nequiuerit. Sit igitur ſenſus, quando certè Pompeius priori plebiſcito abrogaſſet ſua recentiore lege, qua nemo excipiebatur: aut quando plebiſcito, id eſt ſuæ legi Pōpeius abrogare nequiuiſſet, quia lege ipſa in ærarium coniecta nihil mutari potuiſſet. Appianus de ambitu, & decuplatoribus tertio Pompeii conſulatu leges latas ſcribit, ac quum ex Cæſaris familiaribus quidam peterent legem corrigi, ne in eum ambitus quandocunque agi poſſet, excanduiſſe Pompeium ad vocem, quaſi viri inſontis mentionem feciſſent. Priuilegium.] Lex pro ſe vno lata, vt abſens petere poſſet.

do verò loco collocari iuris ciuilis ſcientiam, contra iſtos leguleios malè literatos, qui exiſtimant præ ſua doctrina oratores eſſe nugatorios, & deſpicabiles.

Fratri patrueli.] Filio patrui. Fratres patrueles, ſororéſque patrueles dicuntur, qui quæ've duobus ex fratribus progenerantur: vt apud Iuriſconſultos copioſe traditum eſt, titulo, De gradibus.

Aemylium Paulum.] Cæſar Paulum Aemylium collegam Caii Marcelli in conſulatu mille & quingentis talentis ſibi amicum, defenſorémque comparauit: ex hac mox pecunia nobiliſſimam ille in foro baſilicam extruxit, quæ Pauli baſilica dicebatur, quā Plinius inter magnifica vrbis Romæ enumerat, columnis e Phrygibus mirabilem: quam Papinius ad nomen alludens, eleganter regiam appellauit, cùm ait in primo Syluarum:

Illinc belligeri ſublimis regia Pauli.

bunos, partim per Seruium Sulpitiū alterum conſulem. Inſequenti quoque anno, C. Marcello, qui fratri patrueli ſuo Marco in conſulatu ſucceſſerat, eadem tentante, collegam eius Aemyliū Paulum, Caiúmque Curionem violentiſſimū tribunorum ingenti mercede defenſores parauit. Sed cùm obſtinatius omnia agi videret, & deſignatos etiam conſules è parte diuerſa, Senatum literis deprecatus eſt, ne ſibi beneficium populi adimeretur: aut vt cæteri quoque Imperatores ab exercitibus diſcederent: confiſus (vt putant) facilius ſe ſimul atq; libuiſſet, veteranos conuocaturum, quàm Pompeium nouos milites. Cum aduerſariis autem pepigit, vt dimiſſis octo legionibus, tranſalpináque Gallia, duæ ſibi legiones, & ciſalpina prouincia, vel etiam vna legio cum Illyrico concederetur, quoad conſul fieret.

De cauſis ciuilium bellorum Cæſaris. XXX.



Erùm neque Senatu interueniente, & aduerſariis negantibus vllam ſe de Repub. facturos pactionem, tranſiit in citeriorem Galliam: conuentibúſque peractis, Rauennæ ſubſtitit, bello vindicaturus, ſi quid de tribunis plebis intercedentibus pro ſe, grauius à Senatu conſtitutum eſſet. Et prætextum quidem illi ciuilium ar-

Nouumcomum.] Galliæ ciſalpinæ oppidum, à Gallis conditum. Sæpius eò coloni deducti, à Pompeio Strabone primùm, mox à Scipione, nouiſſimè Cæſar quinque hominum millia, & in his Græcorum illuſtrium quingentos in eam coloniam trāſcripſit, omnéſq; ciuitate donauit. Plutarchus decurionem eius coloniæ in Cæſaris inuidiam à Marcello cōſule flagris adhibitum ſcribit, id ſe facere profeſſus, quia Romanus ciuis is non eſſet. Vnde datur intelligi Romanum ciuem eiuſmodi contumelia affici non potuiſſe.

Vltra præſcriptum.] Pluribus, quàm publico decreto permiſſum eſſet.

Data eſſet.] Ciuitas ſcilicet.

PHIL. Seruium Sulpitium.] Hic eſt ille Sulpitius, qui fuit Iuriſconſultorum eloquentiſſimus, quem his verbis ita laudat Cicero in Philippicis: Omnes, qui ex omni ætate hac in ciuitate intelligentiā Iuris habuerunt, ſi vnum in locum conferātur, cum Seruio Sulpitio non ſunt comparādi. Hic cùm in legatione periſſet, ſtatuam ei populus Romanus pro Roſtris poſuit. Cuius etiam Iuriſconſulti meminerunt titulo De origine iuris. Extant epiſtolæ Seruii Sulpitii paucæ quidem, ſed luculenter ſcriptæ. De eodem idem M. Cicero ſcribit in Bruto, quòd maluit in ſecunda arte primus eſſe, quàm in prima ſecundus. Vbi annotādum à M. Tullio primam artem dici eloquentiam: in ſecun-

Caiúmque Curionem.] Caius Curio tribunus plebis anteà Cæſari inimiciſſimus, mox factus eſt, mutata voluntate, acerrimus Cæſaris propugnator, cùm ab eo liberatus eſſet maximo ære alieno, atq; fœnore. Ob hoc dictum eſt à Lucano:

Audax venali comitatur Curio lingua. Et alibi de eodem ſic ſcripſit:

Gallorum captus ſpoliis, & Cæſaris auro. & illud: Emere omnes, hic vendidit vrbem. De hoc Curione multa hiſtorici prodiderunt. Ad hunc extant Ciceronis epiſtolæ. Plinius luculenter ſcripſit in XXXVI. Curionē hunc nihil in cenſu habuiſſe præter diſcordiam principū. Seruius enarrans illud Vergilianum: Vendidit hic auro patriam: ait Curionem vendidiſſe Romā Cæſari XXVII. millibus aureis. De eodem Petronius Arbiter ſic ait: Tu concute plebem Curio.

Obſtinatius.] Pertinacius.

Conſules è parte diuerſa.] E factione Pompeiana.

Beneficium populi.] Illud nimirum intelligit priuilegium, plebiſcitúmque, quo obtinuerat à populo Romano Cæſar, vt ſui abſentis ratio haberetur in petitione conſulatus.

Cæteri Imperatores.] Hoc propter Pompeium dictum eſt, qui exercitus inſtructos habebat.

Veteranos conuocaturum.] Cæſar in exercitu ſuo

morum hoc fuit. Causas autem alias fuisse opinantur. Cn. Pompeius ita dictitabat, quòd neque opera consummare, quæ instituerat, neque populi expectationem, quam de aduentu suo fecerat, priuatis opibus explere posset, turbare omnia, ac permiscere voluisse. Alii timuisse dicunt, ne eorum, quæ primo consulatu aduersus auspicia, legésque, & intercessiones gessisset, rationem reddere cogeretur: quum Mar. Cato identidem, nec sine iureiurando denuntiaret, delaturũ se nomen eius simul ac primùm exercitũ dimisisset: quúmq; vulgò fore prædicarent, vt si priuatus redisset, Milonis exemplo, circumpositis armatis causam apud iudices diceret. Quod probabilius facit Asinius Pollio, Pharsalica acie cæsos, profligatósque aduersarios prospicientem, hæc eum ad verbum dixisse referens: Hæc voluerunt: tantis rebus gestis C. Cæsar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petiissem. Quidam putant captum Imperii consuetudine, pensitatísque suis & inimicorum viribus, vsum occasione rapiendæ dominationis, quam ætate prima concupisset. Quod existimasse videbatur & Cicero, scribens de Officiis tertio libro, semper Cæsarem in ore habuisse eos in Phœnissis

milites habuit veteranos, & potissimùm decimam legionem, cui propter virtutem, vt ipse scribit in Commentariis, maximè confidebat: eamq; sibi cohortem prætoriam futuram asserebat. Pompeius verò ex tyronibus conscriptas habebat legiones. Vnde apud Lucanum, Cæsar sic taxat milites Pompeii:

- Graiis delecta iuuentus
Gymnasiis aderit, studióque ignaua palæstræ,
Et vix arma ferens -

Simul atque.] Statim cùm. Legitur etiam, simul ad quæ, sensu manifestario.

Duæ sibi legiones.] Petebat Cæsar, vt omissis cæteris, cisalpina tantùm Gallia sibi cum duabus legionibus vsque ad petitionem consulatus concederetur. Cicero tunc e Cilicia reuersus, conciliationem Pompeii Cæsarisque agitabat, & vt amicus Cæsari persuaserat, vt Gallia decedens, reliquo dimisso exercitu, cum duabus tantùm legionibus apud Illyricum alterum expectaret consulatum. Istud recusante Pompeio, persuasi sunt amici Cæsaris, vt altera quoque ex duabus legionibus legio dimitteretur: sed aduersante Lentulo, & acclamante Catone falli eos, decipi Pompeiũ, pacificatio omnis disturbata est.

Citeriorem Galliam.] Citerior Gallia, quæ & cisalpina, & Togata cognominatur, fluuio Rubicone finitur, cuius basim Alpes efficiunt.

Conuentibúsq; peractis.] Solitus erat Cæsar ex vlteriore Gallia proficisci in citeriorem Galliam ad conuentus peragendos, legionibus in hyberna deductis: sicut ipse testatur in Commentariis: nunc ex more pristino in hac citeriore Gallia peregit conuentus iuridicos: de quibus dictum iam est.

De tribunis ple. intercedẽtibus pro se.] Curionem, Antonium, Cassium tribunos significat, qui vtpote Cæsaris fautores ab vrbe profugerunt, cùm in eos grauissimè, acerbissiméq; à Senatu decerneretur, hi ad Cæsarẽ se contulerunt. Huiusce historiæ ita meminit Lucanus:

Expulit ancipiti discordes vrbe tribunos:
Victo iure minax iactatis curia Gracchis.

M. AN. FRatri patrueli.] Patrui sui filio.

Aemylium Paulum.] Cui Cæsar mille & quinquaginta sestertia dono detulit, qua pecunia ille nobilissimam circa forũ basilicam construxit.

C. Curionem.] Hunc quoq; grandi fœnore obstrictum Cæsaris muni

ficentia leuatum Plutarchus scribit. Seruius septem & viginti aureorum nummûm millia Curioni data tradidit. Consules e parte diuersa.] M. Marcellus & Lentulus, qui cum aliis suæ factionis iuris Cæsari infensi erant. Beneficium.] Priuilegium, vt absenti petere liceret.

Imperatores ab exercitu discederent.] Cæsar scilicet, & Pompeius. Eo prætextu creditur Curio vsus ad subitam animi mutationem celandam, quum anteà Cæsaris acerrimus oppugnator fuisset, vt æquitatem, non ipsum Cæsarem sequi videretur.

Simul atque.] Statim quòd.

Veteranos.] Militia solutos.

Nouos.] Tyrones.

Cum aduersariis.] Consulibus, & aliis, qui animo in se inimico erant.

Pepigit.] Conditionem tentauit.

Interueniente.] Nullo pro Senatusconsulto intercedente, consulisve atrocitatem leniente.

Conuentibus peractis.] Iure dicundo celebratis.

Vindicaturus.] Vlturus.

PRætextum.] Velamentum. Eiectio tribunorum honestissimam, vt inquit Plutarchus, belli gerendi occasionem, prætextúmque Cæsari dedit. PHIL.

Consummare.] Peragere, absoluere.

Alii timuisse dicunt.] Lucanus in primo Pharsaliæ multas enumerat causas bellorum ciuilium. Et à Liuio libro centesimonono causæ ciuilium armorũ referuntur: inter quas quidam hanc quoq; connumerauerunt, quòd scilicet Cæsar voluerit turbare Rempu. ne si Romam priuatus rediisset, cogeretur reddere rationem illarum rerum, quas in primo consulatu gesserat, partim aduersus leges Romanas, quas ipse contempserat, partim aduersus auspicia, quæ in primis Romani obseruabant in rebus domi, forisq; peragendis: sicuti copiose scripsimus in Commentariis Propertii. Quę autem differentia sit inter causas bellorum, & principia, docet eleganter Polybius Megalopolitanus in tertio Historiarum. Aduersus leges.] Consules abituri consulatu iurabant, se nihil cõtra leges fecisse. quod à Traiano abeunte consulatu factitatum esse, laudat Plinius in Panegyrico. Identidem.] Frequenter.

Delaturum.] Denuntiaturum, accusaturum: vnde delatores, accusatores dicti. Nam delator, authore Agretio, is dicitur, qui defert ad acc

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τἄλλα δ᾽ εὐσεβεῖν χρεών
Euripidis versus,quos sic ipse conuertit:
Nam si violandum est ius, regnandi gratia
Violandum est:aliis rebus pietatem colas.



QVum ergo sublatam tribunorum intercessionem, ipsósque vrbe cessisse nuntiatum est,præmissis confestim clàm cohortibus, ne qua suspicio moueretur, & spectaculo publico per dissimulationem interfuit, & formam, qua ludum gladiatoriumerat ædificaturus, considerauit, & ex consuetudine conuiuio se frequenti dedit. Deinde post Solis occasum, mulis è proximo pistrino ad vehiculum iunctis, occul-

ad accusandum.

Milonis exemplo.] Notissimum est, quemadmodū Annius Milo Clodianæ cædis reus, postulatus est à duobus Appiis Clodiis, aliisque quibusdam: defensus à Mar. Cicerone,& Mar. Bruto. Quod iudicium dum fieret,clausæ fuerunt tota vrbe tabernæ, præsidia militaria in foro,& circa omnes fori aditus Pompeius disposuit:ipse pro ærario consedit, septus delecta manu militum. Cicero cùm inciperet dicere, exceptus acclamatione Clodianorū terrefactus est: itaque nō ea,qua solitus erat, constantia dixit. Damnatus Milo in exilium Massiliam profectus est: bona eius, propter æris alieni magnitudinem semuncia venierunt. Plinius inter prodigia humani animi ducit, Milonem sestertia septingenta millia æris alieni debuisse. De hoc iudicio Miloniano sic scribit Lucanus in primo:

Atque auso medias perrumpere milite leges
Pompeiaoa reum clauserunt signa Milonem.

Cicero quoq; forum armatum militibus conspiciens: Noui,ioquit,iudicii noua forma terret oculos. Igitur vulgò dicebatur idem Cæsari euenturum, quod Miloni, dicturúmque causam, sicuti dixerat Milo, septo armatis iudicio, si priuatus, & sine exercitu Romam repedasset.

Hoc voluerunt.] Hæc sunt verba, quæ refert Asinius Pollio dixisse Cæsarem, quando prospiciebat aduersarios profligatos Pharsalico prælio. Plutarchus in hanc sententiam tradit hæc: Cæsar Pompeii castris potitus,cùm strata hominum cadauera, aliósque insuper necari conspicaretur,suspirans inquit: Hoc voluerunt, huc me necessitatis adduxerunt.C.Cæsar maximis confectis bellis, si exercitus dimisissem, condemnatus vtiq; forem. Hæc Asinius Pollio ait eo tempore à Cæsare Latinis quidem verbis pronũtiata,ab eo autem Græcè conscripta refert. Sunt autem Pharsalici Thessaliæ campi,in quibus,vt ait Solinus,bellorum ciuilium procellæ detonuerunt. Scribit Strabo in I X. fuisse Pharsalon duplicem ciuitatem,vetustam scilicet,& nouam. Plinius in I I I I. Pharsalici, inquit, campi Thessaliæ cum ciuitate libera.

Pensitatis.] Examinatis,& quasi in librili perpensis. Hoc enim significat pensitare, & pensiculare: quibus verbis Gellius& Apuleius peculiariter vtuntur.

In Phœnissis Euripidis.] Euripides Tragœdiæ apud Græcos illustrator fuit, quam scribere natus annos duodeuiginti adortus est: & in spelũca quadam tetra,& horrida Salaminis insulæ fertur Tragœdias scripticasse: inter quas vna extat,cui Phœnissis oomen impositum. Eodem titulo & argumēto apud Latinos Tragœdiā Accius scripsit: cuius testimonio sæpe scriptores vtuntur. Ideo autem Phœnissis nomen inditum est fabulæ, quia de Oedipode, Eteocle, Polynice, Thebanis à Phœnice oriundis argumentum est. Euripides autem in hac Tragœdia inducit Thebanum Eteoclem, vtpote cupidum dominationis, dicentem hos versus,quos Cicero Latinos fecit,eósque in ore fuisse Cæsaris iohiantis Imperio refert.

Sic ipse coouertit.] scilicet Cicero, qui in I I I. de Offic.sic scriptū reliquit:Ipse autem Cæsar in ore semper Græcos versus Euripidis de Phœnissis habebat, quos dicam vt potero,incondite fortasse,sed tamen vt res possit intelligi: Nam si violandum est ius:& reliqua.

Nam si violandum.] Interpretamentum est Euripidis versuum à Cicerone factum: quos si ad verbum velis exprimere,ita exprimes: Si enim iniuriari oportet, super Tyrannide pulcherrimum est iniuriari: In aliis pietatem colere est opportunum.

PRætextum.] Id ab eo in nefarii belli excusationem prætensum. M. AN.

Opera.] Forum de manubiis, & alia publica opera ab eo destinata.

Aduersus auspicia.] Illud respicit,quod suprà dixerat,obnuntiantem collegam foro expulit.

Legésque & intercessiones.] Omnia ad eius consulatus acta sunt referenda.

Deiecturum.] Eius memoriam, non modò vitam subuersurum. Si, delaturum, legas ad accusationem attinebit. Cicero: Certum est nomen deferre hominis.

Circumpositis armis.] Appianus, Cicero,& Pedianus de Miloniano iudicio eadem scribunt. Anneus Lucanus in primo:

Pompeiana reum clauserunt signa Milooem.

In Phœnissis.] Sic enim Euripidis Tragœdia inscribitur:

εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἀδικεῖν, τ᾽ ἄλλα δ᾽ εὐσεβεῖν χρεών.

qnorum ad verbum sensus est: Si enim iniustè agere oportet, regni causa optimum est id agere: In cæteris pietatem colere opus est.

SVblatam tribunorum intercessionem.] In hanc sententiam scribit Cæsar Commentario belli ciuilis primo: Aguotur omnia raptim, atque turbide, nec tribunis plebis snum periculum deprecandi,neque etiam extremi iuris intercessionem retinendi, quod L. Sylla reliquerat,facultas tribuitur, sed die septima de sua salute cogitare coguntur. Id apud milites concionabundus conqueritur, quòd tribunitia intercessio oppressa sit,quam Sylla liberam reliquerit, cùm omnibus tamen rebus nudasset tribunorum potestatem. PHIL.

Ipsos cessisse.] Curio,Antonius & Cassius significantur. Plutarchus inquit,vehiculū meritoriū ascendisse,

tiſſimum iter modico comitatu ingreſſus eſt: & quum luminibus extinctis deceſſiſſet via, diu errabundus, tandem ad lucem, duce reperto, per anguſtiſſimos tramites pedibus euaſit. Conſecutúſque cohortes ad Rubiconem flumen, qui prouinciæ eius finis erat, paulũlum conſtitit: ac reputans quantum moliretur, conuerſus ad proximos, Etiam nunc, inquit, regredi poſſumus: quod ſi ponticulum tranſierimus, omnia armis agenda erunt.

qui ex vrbe ſtatim profugerunt, ſeque ad Cæſarem contulerunt, cùm grauiſſimè, acerbiſſimeque de ipſis tribunis plebis authore Lentulo conſule in Senatu decerneretur.

Ludum gladiatorium.] Scholam intelligit, & locum, in quo gladiatores docētur gladiaturã: de quo ita ſcribit Quintilianus in Gladiatore: In ludo fui, qua pœna nulla vlteriora ſcelera nouerunt, cuius ad comparationem ergaſtulum leue eſt. Scribit Plutarchus Cæſarem centuriones ſoiis inſtructos gladiis præmiſiſſe, qui Ariminum præoccuparent, traditis Hortenſio cohortibus, cùm ipſe ſpectaculo gladiatorio, quod tunc publicè edebatur, intereſſet: erat autem Rauennæ, qui locus, vt ait Strabo in v. gladiatoribus educandis, erudiendiſque erat maximè idoneus.

E proximo piſtrino.] Mulos piſtrinenſes ait à Cæſare conductos fuiſſe ad vectandum currum. Legatis, quæ piſtrini cauſa facta, paratáque ſunt, Seruius Iuriſconſultus reſpondit & caballos, qui in piſtrinis eſſent, contineri, & piſtores. Sæpe diminutiua diuerſa ſunt à genere nominum primæ poſitionis: vt à ſcuto ſcutella: à piſtrino piſtrilla.

Errabundus.] Verè, & valde errans: non autem erranti ſimilis, prout Seruius, & Priſcianus, cæterique Grammatici hallucinantur, qui exiſtimant nomina in bundus deſinentia ſignificare ſimilitudinem, cùm potius ſignificent exuberantiam rei, de qua quis loquatur: ſed in notis Seruii affatim ſcripſimus ſuper hoc genus nominibus.

Deceſſiſſet.] Deerraſſet, digreſſus eſſet via per errorem.

Duce.] ſcilicet itineris. Liuius: Annibal imperat duci, vt ſe in agrum Caſſinatem ducat, & mox vocatum ducem percontatur vbi terrarum eſſet.

Tramites.] Semitas tranſuerſas. Eſt enim trames à tranſuerſo dictus, vt M. Varro interpretatur. Liuius in v. Obliquis tramitibus egreſſi. Idem in ſecundo: Tranſuerſis tramitibus tranſgreſſus. Tarmes verò genus eſt vermiculi carnem exedentis. Termes autem dicitur ramus direptus cum fructu ab arbore: & propriè eſt oliuæ, vt ait Porphyrio: ſicut palmes vitis. & ita ab Horatio vſurpatur illo verſu:

Nunquam fallentis termes oliuæ.

Au. Gellius termitem palmæ dixit ramum cum fructu auulſum.

Conſecutúſque cohortes.] In legione ſunt centuriæ ſexaginta, manipuli triginta, cohortes decem, vt ſcribit Cincius libro v i. de Re militari. Prima cohors, authore Vegetio, reliquas & numero militum, & dignitate præcedit. Hæc ſuſcipit aquilam, principale ſignum Romani exercitus: habet pedites ſupra mille, ideóque appellatur cohors milliaria, & caput eſt legionis. Cæſar autem aſſecutus eſt cohortes, quas cum Hortenſio præmiſerat ad Ariminum occupandum.

Ad Rubiconem.] Rubicon fluuius eſt diſterminans Italiam à Gallia citeriore, vt Hiſtorici tradunt: quem Plinius in v i i i. regione Italiæ collocat: de quo Lucanus:

- Et Gallica certus
Limes ab Auſoniis diſterminat arua colonis.

Autumat Sidonius Rubiconem mutuari originem nominis de glarearũ colore rubicundo. Hîc Cæſar paululùm ſubſtitit, mente reputans quæ euenire poſſent mala, ſi Rubiconem tranſiſſet armatus: &, vt inquit Appianus, ad præſentes conuerſus ſic dixit: Abſtinẽtia à tranſitu Rubiconis, ô amici, malorum initium mihi affert: tranſitus verò vniuerſis mortalibus imponet. His dictis, veluti furore concitatus tranſire pergit, dictitans commune illud, Iacta eſt alea: quod incertos, ac audaces ſubeuntibus caſus vulgò exordium eſſe ſolet: vt refert Plutarchus. Tradit Petronius Arbiter, Cæſarem dixiſſe, Iudice fortuna cadat alea. Nam cùm alea dicatur de omni ludo in fortunæ varietate collocato, accipiatúrque pro periculo, atque diſcrimine, Aleam iacere dicitur ille, qui ſe periculis, fortunæq; ne committit. Lucanus:

- Placet alea fati Alterutrum merſura caput.

Græce dicitur πᾶς ἀνεῤῥίφθω κύβος. Latinè ad verbum dici poteſt, Omnis teſſera iacta ſit. Cubum enim teſſeram interpretamur, non autem talum: qui Græce ἑξάγωνος dictus eſt: in quo errauerunt ſcriptores recentiores alioqui eruditi. Legitur & apud Suidam verſus hic ex Euripide:

Duas Achilles, quatuórque teſſeras Iecit. -

Quid ſibi velit adagium, explicat nemo, quod ſciam: niſi quòd conieċtare licet, dictũ fuiſſe de iis, qui in omni re vincerent, propterea quòd is teſſerarum iactus felix eſſet. Ariſtophanis interpres in Ranis Ariſtarchum citat, qui Euripidis nomine hunc ſenarium circunferri ſcripſerit, ſed falſò, quum ſit ἀδέσποτον. Apud Ariſtophanem vſurpat Bacchus in Aeſchylum, victorem Euripidis, vnde apparet in fauſtis acclamationibus, huius eſſe vſum Prouerbii.

Sublatam.] Reiectam, curia excluſam. M. AN.

Tribunorum.] Curionis, Antonii, & Caſſii, qui tum tribuni erant.

Ipſos.] Tribunos, qui à Lentulo, & Marcello conſulibus curia eiecti, cum Curione ad Cæſarem profecti ſunt.

Præmiſſis cohortibus.] Trecentos penes ſe equites tum Cæſar habuiſſe dicitur, & peditũ quinq; millia.

Ludum gladiatorium.] Locum, in quo gladiatores inſtituerentur. Etenim alendis gladiatoribus, & exercitatione inſtituendis idoneum locum Rauennam veteres iudicarunt: Strabo eſt author. Ea ciuitas intra paludes ſita eſt, tota ligneis compacta ædificiis, aquis diffuſa, pontibúſque ac lembis peragrata.

Deceſſiſſet.] Aberraſſet.

Duce reperto.] Viarum, & locorum ignaro, qui Cæſarem, & comites duceret.

Conſecutus.] Aſſecutus.

Ad Rubiconem.] Fluuium: is enim finis olim fuit ciſalpinæ Galliæ, & Italiæ. Lucanus:

- Qui Gallica certus
Limes ab Auſoniis diſterminat arua colonis.

Hodie corrupto nomine Riconem accolæ appellant: priuſquam ad mare ſit ventum proximo amniculo inſinuatus, aquis, & nomine confuſis in Adriam inter Ariminum, & Rauennam euoluitur.

Oſten

De oſtento facto apud Rubiconem Cæſari dubitanti. XXXII.

Vnctanti oſtentum tale factum eſt: Quidam eximia magnitudine & forma, in proximo ſedens, repentè apparuit arundine canens: ad quem audiendum quum præter paſtores plurimi etiam ex ſtationibus milites concurriſſent, intérque eos & æneatores, rapta ab vno tuba proſiluit ad flumen: & ingenti ſpiritu claſſicum exorſus, pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæſar, catur, inquit, quò deorum oſtenta, & inimicorum iniquitas vocat: Iacta eſt alea, inquit.

PHIL. OStentum factum.] Oſtentum Labeo definit eſſe contra naturam cuiuſqoe rei genitum, factúmq;. Duo ſunt genera oſtentorum: vnum, quoties quid contra naturam naſcitur: alterum, cùm quid prodigioſum videtur. Oſtentum autem dicitur, quia oſtendit: ſicut prodigium, quia futura prædicit: authores Cicero, & Auguſtinus. Hîc oſtētum accipitur pro portento: aliàs participialiter poni ſolere, teſtimonio eſt Pacuuius, cùm ait: In ipſo tēpore oſtentum ſenem. & M. Cato in lib. de Re ruſtica: Ager oleto conſerundo, qui in ventum Fauonij ſpectabit, & Soli oſtentus erit, alius bonus nullus erit.

Arundine canens.] Calamo tibiali, quem auleticon vocant, vtpote tibiis vtiliorem: illum verò, qui fiſtulis eſt accommodatus, ſyringam appellant: cuius rei meminit Plinius in decimoſexto.

Ex ſtationibus.] Statio polyſemus ſermo eſt: multa enim ſignificat: nam portus eſt, vbi naues ſtant ad tempus: vt author eſt Seruius. de qua Vlpianus titu. de fluminibus: Stationem dicimus à ſtatuendo. Is igitur locus demonſtratur, vbicunque naues tutò ſtare poſſint. Statio militarem ſignificat cuſtodiam: de qua Vergilius:

Tunc quoque communi portam ſtatione tenebant.

Hinc ſtationarii milites dicti ab Ammiano Marcellino. De his ſtationibus nunc loquitur. Sunt præthereà ſtationes errantium ſtellarum matutinæ, quas primas vocant, & veſpertinæ, quas ſecundas: quando exiſtimantur ſtare: vnde & nomen accepit ſtatio: authores Plinius & Martianus. Dicuntur etiam ſtationes loca in vrbe, de quibus Iuuenalis: Stationes, omne theatrum. & Gellius: Quæſitum eſſe memini in pleríſque Romæ ſtationibus ius publicè docentium. Eſt & ſtatio tutela principatus, & principis excubatio, de qua Lucanus: Te cùm ſtatione peracta

Acta petes ſerus. Item Plinius in Panegyrico ait: Intelligimus, Cæſar, quātum tibi pro laborioſa iſta ſtatione, & exercita debeamus.

Aeneatores.] Tubicines, ab ænea tuba æneatores dicti, de quibus ſic ſcribit Feſtus: Aeneatores, cornicines dicuntur: id eſt, cornu canentes. Hac dictione vſus eſt Ammianus Marcellinus penè peculiariter: ſic enim ait libro vndeuigeſimo: Cùm ſupereſſet exiguū noctis, æneatorum clangore ductore vrbem vt mox caſuram terribili corona cinxerunt. Idem vigeſimoquarto: Aeneatorum accentu ſigno dato progrediendi ad pugnam, ad arma concurſum eſt.

Claſſicum exorſus.] Bellicum canens. Claſſicum dicimus & tubam ipſam, & ſonum bellicum: vt interpretatur Seruius enarrans illud Vergilianum:

Claſſica iámque ſonant. Hîc accipimus claſſicum pro ſigno bellico. De claſſicis luculentus eſt apud Silium verſus:

Infremuere ſimul feralia claſſica ſignum. De claſſico ſic ſcribit Vegetius: Claſſicum appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt. Hoc inſigne videtur Imperii, quia claſſicum canitur Imperatore præſente: vel cùm in militem capitaliter animaduertitur. Ex hoc apparet, Liuium ſignificanter loquutum eſſe ſic ſcribētem libro octauo ab vrbe condita: Conſul extemplo filium auerſatus, concionem claſſico aduocari iubet. Claſſico quoque ſilentium in caſtris indicebatur. Idem Liuius in ſecundo: Cùm ſilētium claſſico feciſſet. Eodem profectio indicebatur. Idem: Prima luce claſſico ſignum profectionis dedit. In Commentariis Propertii declarauimus claſſica bella dici naualia, vocabulo à claſſe deducto.

Iacta eſt alea.] Plutarchus ſcripſit in Apophthegmatis, Cæſarem dixiſſe: πᾶς ἀνεῤῥίφθω κύβος. id eſt, iactus ſit omnis cubus, hoc eſt teſſera. Nam quod Græci κύβον vocant, id Latini teſſeram dixerunt: authores Gellius & Macrobius. Hoc autem prouerbialiter dictum, ſignificat rem commiſſam iam eſſe fortunæ, ſicut in ludo teſſerario fieri ſolet, nec amplius poſſe reuocari.

EXimia.] Egregia, notabili. Plutarchus, nocte, quæ Rubiconis tranſitum præceſſit, ait Cæſarem ſibi per quietem viſum coire cum matre: quæ inſomnii ſpecies diuerſo loco, & tempore à Tranquillo eſt relata. M. A N.

Arundine.] Fiſtula. Vergilius:

Tenera meditabor arundine muſam.

Aeneatores.] Tubicines, qui ære canunt. Vergil.

Aere ciere viros, Martémque accendere cantu.

Oſtenta.] Prodigia. Oſtentorum vires in hominis eſſe poteſtate, variis demonſtrat exemplis Plinius libri vigeſimioctaui cap. ſecundo, ac prout accepta ſint quæqoe, ita valere. Idem Plinius aſſerit Amphictyonem oſtentorum ac ſomniorum interpretationem docuiſſe.

Iniquitas.] Iniuria.

Iacta eſt alea.] Vt ad eam vocē ingreſſum fuiſſe intelligas: nam in Gallicana adhuc ripa conſiſtens, integrum erat illi retro abire. Sed Plutarchus, iacta ſit, inquit, alea: quaſi deliberando adhuc id dixerit. Idem author eſt, audaces caſus, & incertos ſubeūtibus id vulgò exordium vſurpari ſolitum.

ADhibitis tribunis plebis.] Caſſio, Antonio, atq; Curione. PHIL.

Pro concione.] Hæc particula, Pro, interdum ſignificat in: vt, pro Roſtris, pro tribunali, pro concione. Interdum ante: vt pro portis.

Equeſtres cenſus.] Seſtertia quadringenta conficiunt cenſum Romani equitis: cuius rei meminit Plinius in vigeſimotertio. hinc illud ab Horatio decenter dictum eſt:

De transitu Rubiconis, & eius concione. XXXIII.

Tque ita traiecto exercitu, adhibitis Tribunis plebis, qui pulsi superuenerant, pro concione fidem militum flens, ac veste à pectore discissa, inuocauit. Existimatur etiam equestres census pollicitus singulis: quod accidit opinione falsa. Nam quum in alloquendo adhortandóque sæpius digitum læuæ manus osten-

Si quadringentis sex septem millia desunt.

Lege Roscia theatrali nulli ius erat sedêdi in quatuordecim ordinibus, nisi quadringenta obtulisset in censum. Vnde ait Epigrammaticus poeta:

Quadringêta tibi nō sunt, Cherestrate, surge. Sed super hac re pro occasiōe mēbranim plura. Digitū læuæ manus.] Mos fuit veterū gerere annulū in digito sinistræ manus, qui est minimo proximus. Galli, Britannique in medio dicuntur vsi: author Plinius. Causam huiusce rei Appion, Macrobius, & Gellius hanc esse dicunt, quòd insectis humanis corporibus repertum est, neruum quendam tenuissimum ab eo digito, de quo diximus, ad cor hominis peruenire: & ideo visum veteribus, vt ille digitus annulo, tâquam corona, circundaretur. Præterea digitus iste complicatus senarium numerum demonstrat, qui omnifariàm plenus, perfectus, atque diuinus est. Ius annulorum famuli non habebant. Annulus, equitū peculiare gestamen est. Vnde ita scribit Plinius: Annuli distinxere alterum ordinem à plebe: vt semel cœperant esse celebres. Idem pòst paulò: Annuli, inquit, medium ordinem, tertiumq; patribus & plebi inseruere. Atteius Capito causam aliā protulit, cur annulus digito huic læuæ manus inseratur. Veteres, inquit, annulum circunferebant, non ornatus, sed signandi causa: & gestabatur quacunque manu, quolibet digito. Posteà docuit luxuria signaturas pretiosis gemmis insculpere: vnde factum est, vt vsus annulorum exemptus dexteræ, quæ multum negotiorum gerit, in læuam trāsferretur, quæ otiosior est: ne crebro motu, & officio dexteræ manus pretiosi lapides frangerentur: electus autem in ipsa læua manu digitus minimo proximus, quasi aptior cæteris, cui commendaretur annuli pretiositas: qui à medio, & minimo septus minus officii gerit: & ideo seruādo annulo magis accommodatus. Plinius autem ait eum, qui primus hoc instituit, cunctanter, pudenterq; id fecisse, ideoque læuis manibus, ac latentibus induisse: cùm si honos securus fuisset, dextra fuerit ostentandus. Detracturum sibi.] Ex hoc intelligi volebat Cæsar, se, vt satisfaceret militibus, annulum etiam alienaturum, oppigneraturumque. Cuius celebratiorem vsum cum fœnore cœpisse, argumento est consuetudo vulgi: ad sponsiones etiamnum annulo exiliente, cùm annulus arrha velox sit.

Extrema concio.] Hoc est, milites in extrema concionis parte collocati. Dictum enim iam est, concionem significare suggestum, vnde verba fiunt. Item cœtum populi assistentis. Item ipsam orationem.

Quòd visu suspicabatur.] Qui erant in extrema concione, non intelligentes verba Cæsaris concionantis, crediderunt, Cæsarem promisisse militibus facultates equestres, quando videbant illum ostentare digitum annularium.

Ius annulorum.] Hoc est, equestrem dignitatem, quum equites peculiariter ius haberêt annulorum gestādorum. Qui ius annulorum aureorum impetrauit, vt ingenuus habetur. Fœminæ quoq; ius annulorum aureorum impetrare possunt, & iura ingenuitatis impetrare, & natalibus restitui poterunt: Authores Iurisconsulti titulo De iure aureorum annulorum.

Cum quadringenis millibus.] Id est, quadringentenis per syncopam, vt docet Priscianus. Significatur autem equestris census.

Distulit.] Diffamauit, diuulgauitque.

Picenum.] In quinta Italiæ regione Picenum est, quondam vberrimæ multitudinis: nanq; trecenta sexaginta millia Picentium in fidem Romani populi venere. Orti sunt à Sabinis: author Plinius in tertio, dicens: Orti sunt à Sabinis, ait, voto verè sacro. Tenuere ab Aterno amne, vbi nunc ager Adrianus, & Adria colonia à mari septem millibus passuū, flumen Vomanū, ager Prætutianus Palmensisq;. Nomen hoc autem accepit Picenum à pico Martio alite: cuius ductu, & auspicio conditores Picentium è Sabinorum terra profecti sunt: sicuti scribit Strabo in quinto.

Vmbriam.] Vmbria in sexta Italiæ regione collocatur à Plinio, his verbis: Iungitur his sexta regio, Vmbriam complexa, agrúmque Gallicum circa Ariminum. Ab Ancone Gallica ora incipit, Togata Gallia cognomine. Siculi & Liburni plurimi eius tractum tenuere, in primis Palmensem, Prætutianū, Adrianumq; agrum. Vmbrorum gens antiquissima Italiæ existimatur: vt quos Vmbrios à Græcis putent dictos, ἀπὸ τοῦ ὄμβρου, hoc est ab imbre: quòd inundatione terrarū imbribus superfuissent. Cæsar in Piceno Auxinates, Asculanos, Cingulanos redegit in potestatem: in Vmbria verò Pisaurum, Fanum, Anconam, singulis cohortibus occupauit.

Fidem militum.] Studium, opem, auxilium. M.A N.

Veste discissa.] Quod in argumentum doloris in concionibus est factitatum. Cinna consul vrbe pulsus in cōcione militū, vt Appianus ait, fasces fregit.

Equestrem censum.] De summa equestris census, & iure annulorum suo latius loco dicetur.

Digitum læuæ manus.] Persuasum fuit maioribus, medicum læuæ manus digitum, vt Gellius scribit, quandam cum corde velut cognationē habere, ob idq; veteres eū annulo potissimùm insigniuisse. Plinius: Manus, & prorsus sinistræ maximam authoritatem conciliauere auro. Sed cur læua eum sortita sit honorem, pudorem ait causam esse potuisse, quòd qui primus digito annulum induxerit, cunctanter, & cum pudore id fecerit: idcirco latenti manui inductum, cùm dextra alioqui ostentandus fuisset. Macrobius, vt pretiosæ rei parceretur, manui minus operosæ annulum primò credidit inductum.

Detracturum.] Pro suorum cōmodo alienaturū.

Millibus quadragenis.] Sed quadringenis legendum est: quadrigētenos enim, & quadringenos indifferēter Grāmatici dixere: estque equestris census periphrasis.

Distulit.] Vulgauit.

Picenum, Vmbriam, Hetruriam.] Qua parte plurimùm Italia contrahitur, Apenninique montis intercursu munitur.

tans, affirmaret se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset, annulum quoque æquo animo detracturum sibi: extrema concio, cui facilius erat videre concionantem, quàm audire, pro dicto accepit, quod visu suspicabatur: promissúmque ius annulorum cum millibus quadringenis *fama* distulit.

De aduentu eius ad urbem, & alijs gestis eius. XXXIIII.

ORdo & summa rerũ, quas deinceps gessit, sic se habent: Picenum, Vmbriam, Hetruriam occupauit: & L. Domitio, qui per tumultum successor ei nominatus Corfinium præsidio tenebat, in deditionem redacto, atque dimisso, secũdum superum mare Brundusium tendit, quò Cõsules Põpeiúsq; confugerãt, quàm primùm trãsfretaturi. Hos frustra per omnes moras exitu prohibere conatus, Romã iter conuertit.

PHIL. DOmitio in deditionem redacto.] Quemadmodum L. hic Domitius ad Corfinium captus à Cæsare sit, & deinde dimissus, luculenter Historici tradiderunt. Lucanus quoque in secundo Pharsaliæ historiã graphice descripsit. Hic demum in acie Pharsalica occubuit: de quo in Nerone dicetur copiosius.

Successor nominatus.] Idem in Nerone ait, Domitium hunc vocasse Cæsarem ad disquisitionem Senatus, successorémque ei per factionem nominatum, principio belli ciuilis ad Corfinium captum esse.

Secundum superum mare.] Iuxta litus maris Adriatici, quod modò superũ, modò Adriaticum, ab Adria Thuscorum colonia vocauerũt Italicæ gentes, Græci Adriaticum vocãt: hodie mare Veneticum nuncupatur.

Brundusium tendit.] Brundusium, oppidum est in tertia Italiæ regione, portu nobile, ex quo transitus est in Græciam certior, excipiente Dyrrhachio. Portus Brundusinus cum oppido simillimus est capiti ceruino, vnde & nomen: nam lingua Mesapiorum Brundusium cerui caput vocitatur: Græci Βρεντέσιον vocant.

Exitu prohibere conatus.] Scribit Cæsar in Commentariis, se instituisse exitum Brundusini portus impedire, qui molem, atque aggerem ab vtraque parte litoris iaciebat. Item rates duplices quoquo versus pedum triginta collocabat, quas terra, atque aggere contegebat: turrésque in illis binorum tabulatorum excitabat. Pompeius tamen parata profectione sub noctem naues soluit, in Epirumque transmisit.

Transfretaturi.] Transgressuri transfretatione non magna in Epirum. Est enim inter Brundusium Dyrrhachiúmque traiectus non enormis. Sallustius enim nõ ineleganter transgressos dixit eos, qui fretum transmiserant, quos transfretasse dici solitum est: & transgressum pro transfretationem: in quo dignus nota visus est Asinio Pollioni: defensus à Gellio lib. IX. noctium Atticarum.

Appellatis patribus.] Comiter nominatis, vocatísque in curiam, veluti cum his consultaturus de summa Reipub. Vel appellatis, pro imploratis, eo scilicet significatu, quo dicitur, appello principem: pro prouoco: vt titu. De appell. continetur. In hanc sententiam Cæsar in Commentariis: Pro quibus rebus orat, ac postulat, vt Rempub. suscipiant, atque vnà secum administrent. Cæsar enim post Pompeii transfretationem Romam conuersus est, redacta in potestatem Italia diebus sexaginta citra sanguinis profusionem, Romæ statum inuenit pacatiorem quàm sperauerat, vbi multi Senatores versabantur, quos benigna oratione allocutus est, hortatúsque de mittendis ad Pompeium legatis super pacificatione: cui petitioni nemo assensus est.

Copias in Hispaniam.] Historia nota est, quemadmodũ Cæsar apud Ilerdam Hispaniæ citerioris ciuitatem Afranium atque Petreium legatos Pompeii superauerit, vtq; M. Varro, qui legatione Pompeiana fungebatur in vlteriore Hispania, legiones Cæsari tradiderit: qui ad eum Cordubam venit, relatísque publicis rationibus cum fide pecuniam Cæsari, quę penes ipsũ erat, tradit: & quod vbiq; habebat frumenti, ac nauium, ostendit. Hic est ille Marcus Varro omnium doctissimus, de quo ait Terentianus: Vir doctissimus vndecunque Varro.

Ad exercitum sine duce.] Tanquam Afranius, Petreius & Varro nõ essent scientes rerum bellicarũ, neq; veri duces appellandi. Militaris autem sine optimo duce turba, est tanquam corpus sine spiritu, vt inquit Curtius. Prætereà dictum est, tanti esse exercitum, quanti sit Imperator. Vnde laudatur Chabrias Atheniensis, qui dicere solebat Græcè, φοβερώτερον εἶναι ἐλάφων στρατόπεδον ἡγουμένου λέοντος, ἢ λεόντων ἐλάφου. hoc est, terribiliorem esse exercitum ceruorum duce leone, quàm leonem duce ceruo.

Ad ducem sine exercitu.] Hoc est, ad Pompeium, qui quidem ducem agere sciebat, & optimi ductoris munia callebat, sed exercitum non habebat. Dux autem sine exercitu perinde est, ac caput sine membris: &, vt inquit verissimè Liuius, in bello plurimùm pollet militum copia, & virtus. Ideoq; Imperator sine exercitu, exercitus sine Imperatore veluti mutilus est, & truncus: adeò alterum alterius auxilio eget.

Obsidione Massiliæ,] Lucanus in quarto & Cæsar in secundo belli ciuilis Commentario scribunt, quemadmodum Massilienses in bello ciuili secuti sunt Pompeii partes, quos tandem Cæsar partim terrestri, partim nauali prælio superatos recepit in deditionem: cùm illi arma, tormentaque ex oppido, prout imperatum fuerat, protulissent, & pecuniã ex publico Cæsari tradidissent. Eodem siquidẽ libro Cæsar ait: Massilienses, arma, tormentáq; ex oppido, vt est imperatum, proferunt: naues ex portu naualibúsque educunt: pecuniam ex publico tradunt. Quibus rebus confectis, Cæsar magis eos pro nomine, & vetustate, quàm pro meritis in se ciuitatis conseruans, duas ibi legiones, &c. Massilia autem in Narbonensi Gallia est à Phocensibus

con

condita, sicut Strabo, & Gellius docent. Vnde à Lucano Phocais iuuentus pro Massiliensi dicta. Olim Massiliæ studia ingenuarum doctrinarum adeò floruerunt, vt Romani pro Attica peregrinatione Massilioticum peterent gymnasium ad disciplinas capessendas. Vnde Corn. Tacitus tradit Massiliam Agricolæ socero fuisse sedem, ac magistram studiorum ciuitatem, Græca comitate, & prouinciali parsimonia mistam, ac bene compositam: ob id videtur dixisse Plautus Massilienses mores, cùm dicere vellet optimos, & probatissimos: sic enim ait in Casina: Vbi tu es, qui colere mores Massilienses postulas.

M.AN. PEr tumultum.] Primo belli motu.

Corfinium.] Oppidum in Pelignis.

In deditionem.] De Domitii deditione Plinius, Appianus, Plutarchus, & Anne. Lucanus plura.

Secundum.] Secus, iuxta.

Superum mare.] Adriaticum, & Ionium, ad Ligustici, & Tyrrheni differentiam, quæ vno nomine infernum mare Romani Græcos imitati dixere.

Brundusium.] Dicitur & Brentesium, Calabriæ est litorale oppidum à Cretensibus, qui cũ Theseo ex Creta nauigarunt, conditum: Mesapia lingua cerui caput interpretatur. Vrbs enim ipsa cum portu eam sanè figurã imitatur.

Transfretatur.] Breui traiectu in Macedoniæ oram transmissuri.

Frustra.] Quia nullis hostem operibus remorari potuisset.

Appellatis.] In curiam vocatis.

De Republica.] Publico negotio. Constat ea actione Cæsarem in spem futuræ clementiæ Senatum erexisse, qui magnopere proscriptiones, & alia Syllanorũ temporum mala timerent.

M. Petreio, & L. Afranio.] Ab Ilerda in vlteriora Hispaniæ concessuri, à Cæsare intercepti, prohibitique aquatione, sub conditione Hispaniam, & exercitum reliquere, vt ad Pompeium contendere liceret: Appianus, Plutarchus, & Lucanus sunt authores.

Obsidione Massiliæ.] In Narbonensi Gallia Massilia à Phocensibus condita, ciuitas fide, & studio in populum Romanum insignis, quum venienti Cæsari portas ciues clausissent: cum his multis vtrinq; conatibus circa mœnia vrbis, sed aliquantò etiam maiore vi in mari pugnatum.

PHIL. MAximis obsessum operibus.] Circumuallationem illam significat, qua apud Dyrrhachium Pompeium Cæsar circumuallauit, pluribus per tumulos castellis excitatis.

Vt occisum deprehendit.] Quemadmodũ Pompeius à Septimio, & Achilla satellitibus Ptolemæi regis Aegypti in parua nauicula occisus sit, notissimum est: cuius obitum lacrymosè, & miseranter Lucanus enar-

ratio octauo Pharsaliæ: in cuius sepulcro Codrus, à quo humatus est, inscripsit: Hic situs est Magnus. De morte Pompeii Iulius Firmicus hæc: Pompeii post tot triumphos ad Nili fluminis ripam ceruices inuictas, & regias, & quas toties purpura triumphalis ambierat, semiuiri hominis gladius nefario genere mortis incidit: Hactenus Firmicus. Pompeii caput ab Achilla inuolutum velamine vnà cum annulo Cæsari oblatum: qui eo viso, illacrymauit, iussitque minaciter id auferri. Sic enim inquit apud Lucanum:

Aufer ab aspectu nostro, funeste satelles,
Regis dona tui.

In annulo Pompeii signum erat, leo ferens gladium. Mendosi sunt Plutarchi codices, in quibus vulgò sic legitur: Gemmæ signum erat ensi ferreo: cùm legendum sit, ensifer leo: Græcè dicitur, μαχαιροφόρος λέων. id est, machærophorus leo, hoc est, ensifer. Qua dictione & Cicero vsus est, cùm dixit in epistola ad Quintum fratrem: Machærophoris cętum sequentibus, miros risus nos ede re.

Appellatisque de Republica patribus, validissimas Pompeii copias, quæ sub tribus legatis, M. Petreio, & L. Afranio, & M. Varrone in Hispania erant, inuasit, professus antè inter suos, ire se ad exercitum sine duce, & inde reuersurum ad ducem sine exercitu. Et quanquam obsidione Massiliæ, quæ sibi in itinere portas clauserat, summáq; frumentariæ rei penuria retardante, breui tamen omnia subegit.

De victoria eius contra Pompeium, Ptolemæum, & quosdam alios. XXXV.


HInc vrbe repetita, in Macedoniam transgressus, Pompeiũ per quatuor penè menses maximis obsessum operibus, ad extre

Intra mœnia copiosissimi.] Alexandriam intelligit, intra quod oppidum Cæsar se continuit, cùm exercitus Ptolemæi, duce Achilla, venire Alexandriam nuntiaretur. Achillas Alexandriam occupare, & primò domum Cæsaris irrumpere conatus est: sed Cæsar dispositis per vias cohortibus impetum eius sustinuit. Hæc initia belli Alexandrini fuerunt, in quo tandem victor euasit Cæsar, aduersariis peremptis, Ptolemæóque demerso nauigio pariter extincto. Tunc Alexandrini Cæsari se dediderunt: qui in hoc bello, vt pote homines ingeniosissimi, atque acutissimi, quæ à Romanis fieri viderant, ea solertia efficiebant, vt Romani illorum opera imitari viderentur. Alexandria verò vrbs fertilissima atq; copiosissima omnium rerum apparatus suggerebat, cuius conditor fuit Alexander, vnde illi nomen: quam metatus est Dinocrates architectus. Olim Alexandria habuit scholas omnium disciplinarum liberalium, fuitque ob commoditatem maximum totius Orbis emporium: medicis ad commendandam artis authoritatem sufficiebat, si dixissent, se Alexandriæ esse eruditos, tanta erat loci dignitas, & existimatio: vt inquit Ammianus Marcellinus.

Neque loco.] Vtpote Intra Alexandriam, quæ ciuitas in duas partes erat diuisa. Vnde Cæsar maximè studebat, vt antiquissimam partem oppidi operibus, vineisque agendis à reliqua parte vrbis excluderet.

Neque tempore æquo.] Erat enim hyems. Vnde Alexandrini infesti Cæsarem interclusum tempestatibus propter anni tempus recipere transmarina auxilia non posse in concionibus loquebantur.

Cleop

mum Pharsalico prælio fudit:& fugientem Alexã driam persecutus, vt occisum deprehendit, cum Ptolemæo rege, à quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum sanè difficillimũ gessit:neque loco, neque tempore æquo, sed hyeme anni, & intra mœnia copiosissimi ac solertissimi hostis, inops ipse rerum omnium, atque imparatus. Regnum Aegypti victor, Cleopatræ, fratríque eius minori permisit: veritus prouinciam facere, ne quandoq; violentiorem præsidem nacta, nouarũ rerum materia esset. Ab Alexandria in Syriam, & inde Pontum transiit, vrgentibus de Pharnace nuntiis: quem Mithridatis Magni filium, ac tunc occasione temporum bellantem, iámque

Cleopatræ, fratríqoe.] Cæsar Aegypto, atque Alexandria potitus reges constituit, quos Ptolemæus testamento scripserat. Nam maiore ex duobus pueris rege amisso minori tradidit regnum, & maiori ex duabus filiabus Cleopatræ, quæ manserat io fide.

Veritus prouinciam facere.] Prouinciæ fieri dicuntur, quando bello ab Italia regiones acquirũtur, ad eásqoe gubernandas mittuntur Romani magistratus. Prima omnium Sicilia prouincia est appellata, sicuti docet Cicero in quarta Verrinarum.

Nouarum rerũ materia.] Locus munitus, & cõmodus, ac fœcũditate præcellẽs suggerit materiam præsidibus rerum nouandarum: talis erat Aegyptus. Ad hoc accedebat natura Alexãdrinorũ metuenda, quæ, vt in Commentario belli Alexandrini proditũ est, gens est fallax, sempérq; alia cogitans, alia simulans:&, vt elegãter tradit Ammianus Marcellinus, Alexãdrini ad singulos motus sunt excandescentes, cõtrouersi, & reposcones acerrimi. De Aegyptiis in vniuersum scribit Flauios Vopiscus, homines esse ventosos, furibundos, iactantes, iniuriosos, auidósque nouarum rerum. Vnde Aurelius prudentissimus Imperator præcepit Saturnino, cui limitis Orientalis ducatum dederat, ne vnquam Aegyptum viseret: verens scilicet ne si perturbidam gentem vidisset, ad moliendas res nouas induceretur.

Pontum transiit.] Regionem Ponticam intelligit, in qua regnauit Mithridates, mox Pharnaces Mithridatis filius: qoem Cæsar incruenta victoria citissimè debellauit. Scribit Appianus, Cæsarem post profligatum nulla difficultate Pharnacem exclamasse: O beate Pompei, qui Magnus habitus, & magnus appellatus es ob victum Mithridatem, Mithridatísque simillimos.

M. AN. Maximis obsessum operibus.] Miro narrationis transcursu ingens rerum series perstringitur, ita vt quædã etiã cognitione digna breuitatis inuolucro sileantur. Quòd autem maximis dixit, non caret ratione: à mari enim ad mare circa Dyrrhachium Cæsar mille & ducentorum stadiorũ vallo circunducto Pompeium intercludere est conatus.

Pharsalico prælio fudit.] Apud Pharsalom in Thessalia commisso. Strabo nouam, veterémque Pharsaliam nominat. Plinius Pharsalicos cãpos iuxta Cranonem in Thessaliæ relatione posuit.

Occisum.] Dionysii Ptolemæi iossu Auletis filii aduersos Cleopatram sororem castra circa Casium montem metantis Pompeius obtruncatus est. Appianus, Plutarchus, & Lucanus id scribunt.

Neque loco.] Quia intra Alexandriæ mœnia.

Neque tempore.] Quia hyeme.

Fratríque minori.] Quippe qui cum Cleopatra sorore fugerat à maiore fratre eiectus.

Præsidem.] Prætorem, aut præfectum.

Vrgentibus.] Impellentibus.

Mithridatis Magni.] Eius qui octo & quinquaginta annos cum Romanis bellauit.

Occasione temporum.] Erant enim Romana arma ciuilibus bellis occupata.

PHIL. Multiplici successu.] Felicitate.

Præferocem.] Valde ferocem: Pharnaces Mithridatis filius erat Pompeianus, quanuis auxilia Pompeio oon miserit: Vnde ait apud Lucaoum Pompeius:

Nec Pharnacis arma relinquas:
Tigranémq; meũ.

Hic secundo prælio vehementer inflatus, quod contra Dominium Caluinum ducem Cæsarianum fecerat, Põtum omoibus copiis occupaoit: ibíque victor, & crudelissimus rex, cùm sibi fortunam paternam feliciore euentu destinaret, multa oppida expugnauit, bona ciuium Romanorum, Ponticorúmque diripuit, & ita Pontum, nullo defendente, paternum regnũ se recepisse glorians obtinebat. Cæsar ex Aegypto venit in Syriam, vbi paucis diebus consumptis Sextum Cæsarem amicum, & necessarium suum legionibus Syriæ præfecit: mox io Pontum venit, copiisque omnibus in vnum locum coactis, respondit legatis, quos Pharnaces miserat, se fore æquissimum, si Pharnaces imperata faceret, sicut pollicebatur: sed cùm ab eo se deludi, frustraríque per cunctationem cerneret, celerius omoium opinione manum conserere contendit: victóque Pharnace, & castris exoto, affectus est incredibili lætitia, quòd maximum bellum tanta celeritate confecerat. Itaque Ponto recepto prædam omnem regiam militibus condonauit: rebúsque felicissimè, celerriméq; cõfectis in Italiam celerius omniũ opinione venit.

Tribus horis. In hanc sententiam L. Florus sic scribit: Pharnacem Cæsar vno, &, vt sic dixerim, non toto prælio obtriuit more fulminis: quod vno, eodemq; momento venit, percussit, abscessit. Nec vana de se prædicatio est Cæsaris, antè victum hostem esse, quàm visum.

Vna acie.] Vno conflictu, & pogna illa, quam diximus.

Dehinc Scipionem ac Iubam.] In bello Africano Imperator fuit Cornel. Scipio Pompeii socer: & Iuba rex Mauritaniæ cum maximis copiis militaribus iuuit partes Pompeianas: tandem omnes profligati fuerũt, cùm Cæsar trinis castris vno die potitus esset, occisis hostium decem millibus. Tunc rebus deploratis Iuba Petreium ferro cõsumpsit, ipse seruo suo iugulandum se tradidit: Scipio à Publio Sestio circunuentus in nauigio seipsum necat: Cato quoque Vticæ ferro se traiecit.

Refonenteis.] Refocillantes, reparantes. Reliquias.] Itidem Florus: Huc reliquias naufragarum partium

multiplici successu præferocem intra quintum, quàm adfuerat, diem, quatuor, quibus in conspectum venit, horis, vna profligauit acie, crebro commemorans Pompeii felicitatem, cui præcipua militiæ laus de tam imbelli genere hostium contigisset. Dehinc Scipionem, ac Iubam reliquias partium in Africa refoueuteis deuicit, Pompeii liberos in Hispania.

De cladibus eius, & legatorum suorum. XXXVI.



Mnibus ciuilibus bellis nullam cladem, nisi per legatos suos passus est: quorum C. Curio in Africa periit, C. Antonius in Illyrico in aduersariorum deuenit potestatem: P. Dolabella classem in eodem Illyrico, Cn. Domitius Caluinus in Ponto exercitum, amiserunt. Ipse prosperrimè semper, acne ancipiti quidem vn-

partium quidam furoris æstus expulerat.

Pompeii liberos.] Hispaniense bellum gessit Cæsar aduersus filius Cn. Põpeii, Cneum scilicet & Sextũ: quos vltimo apud Mundam Hispaniæ ciuitatem prælio superauit. Cn. Pompeius adolescens saucius, & iotorto talo in spelũca se occultans, ibi à Cæsarianis interficitur. Sextus verò Pompeius euasit, qui deinde bella gessit aduersus Augustum Cæsarem: de cuius obitu dicetur in secundo Commentario.

Caius Curio.] Curionem filium significat, illum tribunurum violentissimum, de quu suprà dictum est: qui io Africa apud flumen Bagradam astu Iubæ in insidias præcipitatus est. Iubæ autem cum Curione simultas intercedebat, quòd tribunus plebis legẽ promulgauerat, qua lege regnum Iubæ publicauerat. Curio re ad summam desperationem deducta, cùm à Domitiu admoneretur, vt fuga salutem peteret, affirmauit se nunquam in conspectum Cæiaris reuersurum amisso exercitu, quem ab illo fidei commissum acceperat: atque ita prælians interfectus fuit. Historia traditur à Cæsare in Commentariis, & ab Appiano lib. secundo bellurum ciuilium. Lucanus quoque io quarto Pharsaliæ versibus luculentis Curionis obitum exornat.

Caius Antonius io Illyricu.] Caius Antonius Cæsaris legatus cùm in Illyrico castra posuisset, à Cæsare iussus occupare fauces maris Adriatici, ab Octauiu Libooe Pumpeii legato circumuentus est, & fame cogente deditionem facere coactus: Author Lucius Florus. Huius historiæ, huiúsque C. Antonii sic meminit Lucanus in IIII.

Clauditur extrema residens Antonius ora,
Cautus ab iocursu belli, si sula recedat
Expugnat quæ tuta fames.

Tunc Opitergini illic circunuenti, de quibus declamatiunes factæ sunt, maluerunt viriliter mori, quàm turpiter se dedere.

Publius Dolabella.] Idem Octauius Libo Dolabellam Cæsaris præfectum copiis classicorum ingentibus circunuenit.

M.AN. MVltiplici successu.] Siqnidem Cn. Dominius Caluino prælin victo ac Punti finibus expulso, Bithynia, & Cappaducia occuparis ad mioorem Armeniam occupandam animum adiecerat.

Vna acie.] Vno prælio ad Zetham, siue Zelam, vt Hirtius scribit, commisso.

Pompeii felicitatem.] Appianus Cæsarem exclamasse ait: Hi sunt, qui te magnum fecere, Pompei. Plutarchus Iuniorem adhuc Pompeium Magnum à Sylla consalutatum scribit.

Scipionem.] Pompeii socerum. Et Iubam.] Maurorum, & Numidarum regem. Plutarchus author est, vnu die trinis hostium castris Cæsarem ad Thapsum potitum, quorum vna Afranius, altera Scipiu, reliqua Iubas fecisset: cæsáque fuisse ex hostibus ad quadragiota millia. Plinius difficili Marte scripsit aduersus Iubam eo die pugnatum.

Aduersus Pompeii liberos.] Cneũ & Sextum Pompeium, quos quadriennin pustquã in Africa hæc, quæ diximus, gesta sunt, ad Mundam io Hispania ingenti prælio vicit. Ferunt Cæsarem posteà dicere sulitum, sæpe pro victoria, ad Mundam verò pro vita sibi dimicatũ: triginta hostium millia ea quoque acie cæsa traduntur, periitque ex Põpeii liberis maior natu.

Curio.] Multiplici bellorum successu relaco, quia nullis vnquam fortuna tam constanter arrisit, vt non res illorum aliqua ex parte læserit, supra fidem accidisset, si in tanta bellorum mole Cæsariana arma nullum variantis fortunæ motum sensissent, sed & ipsa quoq; alternantis furtunæ morsum sunt haud semel experta: oporruit igitur prosperis rebus cõõnuò aduersa subtexi. Curio ad Bagradã fluuiũ cum duabus legionibus præter paucissimos, qui cum Asiniu Vticam confugerant, à Iuba est cæsus. C. Antonios in Illyrico. Appia. ait copias, quas Gabioius ductabat, in Illyrico cæsas.

P. Dolabella.] Idem authur est, Antonium cum his nauibus, qoas habebat, paucis amissis, ad Cæsarem peruenisse, nulla facta Dolabellæ mentione. Liuius verò ait captum Antonium in Illyrico, ac Opiterginos, qui cum eo erant, ne io hostium potestatem venirent, inter se ferro concurrisse. De Opitergiourum exitu Lucanus Liuio adstipulatur.

DOmitius Caluinus.] Pharnaces Domitiũ Caluinum Cæsarianũ cùm ex castris in aciem exercitũ eduxisset, inito acri certamine superauit. Ceciderunt eo prælio, sicuti in Cõmẽtario belli Alexãdrini scriptũ est, splendidi, ac illustres viri, oõoulli equites Romani: quu incõmodu Domitius accepto reliquias exercitus dissipati collegit, itineribúsq; tutis per Cappadociã in Asiam se recepit. Semel ad Dyrrhachiũ.] Cæsar cùm apud Dyrrhachium Epiri ciuitatem, quæ alio oomine Epidamnus nominatur, Põpeiũ longa munitione vallasset, quodã die atrox præliũ ab vtraque parte initum est: inquo superiur Pompeius Cæsaris milites in fugam vertit, eósqoe vsqoe in castra prosequitur, signis militaribus quàm plurimis sublatis, victor haud dubiè futurus, si victuriam sequi voluisset: quod cùm neglexisset, Cæsarẽ dixisse ferũt, Bellũ ea die finẽ habiturũ fuisse, si hostes victoria vti sciuissent. Plutarc. Cheronẽsis in Apophtheg. ait Cæsarẽ sic dixisse: Τήμερον ἂν ἐνίκα παρὰ PHIL.

quam fortuna, præterquam bis, dimicauit. Semel ad Dyrrhachium, vbi pulsus, non instante Pompeio, negauit eum vincere scire. Iterum in Hispania vltimo prælio, cùm desperatis rebus, etiam de consciscenda nece cogitauit.

De triumphis eiusdem. XXXVII.



Onfectis bellis, quinquies triumphauit: post deuictum Scipionem quater eodē mense, sed interiectis diebus, & rursus semel post superatos Pompeii liberos. Primum & excellentissimum triumphum egit Gallicum, sequentem Alexandrinum, déinde Ponticum, huic proximum Africanum, nouissimū Hispaniensem, diuerso quenque apparatu & instrumento. Gallici triumphi die Velabrum præteruehens, penè cur-

παρὰ τοῖς πολεμίοις, ἀλλὰ τὸν ἐπιστάμενον νικᾶν οὐκ ἔχουσιν. id est, Hodie victoria erat apud hostes, sed callentem vincere non habent. In Hispania.] Vltimo prælio Cæsar prope Cordubam in Hispania depugnans aduersus filios Magni Pompeii adiit maximū periculum: nam cùm totus eius exercitus pauore correptus trepidaret, ducentáque amplius in ipsum tela eo certamine emissa ab hostibus fuissent, quorum partem excepit clypeo, tandem sub vespertinū crepusculum victoria potitus dixisse fertur: Plerûq; se pro victoria, tūc autem pro vita primùm decertasse. In hoc certamine cùm periclitaretur, sublato clamore ad milites inquit, Corripite me, & in puerorum manus tradite.

De consciscenda.] Inferenda sibi suamet manu morte: quod in rerum desperatione non pauci factitarunt. Nece.] Morte. Nex propriè est, quæ vi fit. vnde neci datus dictus, qui interfectus est. Cice. Insidiatori verò, & latroni, quæ potest afferri iniusta nex? Autumat Festus neci datū propriè dici, qui sine vulnere interfectus est: vt veneno, aut fame. Cuius sententiæ adstipulatur Ausonius illo versu:

Sera venenato potu abstulit Annibalem nex.

Post deuictum Scipionem.] Cn. Pompeii socer Scipio significatur, qui vnà cū Iuba bello Africano fuit à Cæsare profligatus apud Thapsum oppidū maritimum: qui paulò pòst fugiēs, cū teneri nauē suā audiret ab hostibus, ferro se trāsuerberauit: & quærētibus vbi Imperator esset, Imperator, inquit, bene se habet. Sed interiectis.] Non cōtinuatis diebus triūphasse, sed per interualla significat: vt inter triūphos esset interpositū aliquod spatiū. Appia. Romā reuersus Cæsar, quatuor interpositis diebus peregit triūphos. Gallicū triūphū.] Ex Gallis subactis, in quo inter fercula ductus est Rhenus, Rhodanus, & ex auro captiuus Oceanus. Alexandrinū.] Ex victo, necatóq; Ptolemæo rege adhuc puero, & eius factione profligata. Tunc Nilus transmissus in ferculis, & ad simulacrum ignium ardens Pharos.

Déinde.] Tertio loco Ponticū ex victo Pharnace.

Africanū.] Ex Iuba debellato: nā de Scipione & Catone réliquisq; Rom. nō triūphauit: quia nefas erat ciuem triūphare de ciue. Lugubres enim, vt inquit Vale. existimatæ sunt victoriæ ciuiles, ideóq; nullæ supplicationes decernebātur: neq; ouans, aut in curru quisquā ex ciuili victoria triūphauit. Vnde triumphus Cæsaris Hispaniensis dolore permagno affecit pop. Rom. quia nō de externis victis agebatur, sed de liberis Cn. Pompeii Romanorū præstantissimi, & optimi. Præterea ingratū fuit populo spectaculū triūphi Africani, cūm intueretur imaginē Scipionis in pōpa delatā, sibi gladio pectus traiicientis: & imaginē Petreii inedia, ferróq; se necātis. Maximè ingemuit intuens effigiē Catonis ventrē dilacerātis. Nouissimū Hispaniensem.] Vltimus Cæs. triūphus nūcupatur Hispaniēsis, propterea quòd filios C. Pōpeii deuicerat in Hispania. Sciedū autē est quòd Hispanus differt ab Hispaniensi, sicut Sardus à Sardiniesi, & Corinthius à Corinthiesi. Nāq; Hispanū dicimus eū, qui in Hispania natus est, sicuti Sardū, qui in Sardinia: Hispaniēsem autē incolā Hispaniæ, sicuti Sardiniensem incolam Sardiniæ. Vnde Hispanieses vocamus negotiatores, qui in Hispania negotiantur. Et Cato in libro de Re rustic. salem Romaniensem appellat, non Romæ factum, sed qui Romæ vendebatur. Igitur eùm Cæsar in Hispania bellum gesserit nō aduersus Hispanos, sed Romanos: meritò is triūphus Hispaniensis, non Hispanus Latinè, & eleganter nuncupatur. Consimiliter Pli. in XIIII. locutus est, sic scribens: Cæsar Hispaniensi triumpho Chium & Falernū dedit. Hāc Hispaniensis Hispaniq; differentiam significanter expressit Maro a. his verbis: Næ Romā si ire decreueris, nō Hispaniēsem librū mittamus, sed Hispanū. Liuius exercitus Hispanieses subinde appellat Romanos, qui erāt in Hispania cū prætoribus. Velabrū præteruehēs.] Velabrū, vicus est Romæ, à vehendo dictū: vt interpretatur M. Var. De Velabro affatim scripsimus in cōmentariis in Propertiū. In velabro caseus cōficiebatur cūctis prēferēdus, fumo cōditus, quē Velabrēse Mar. appellat.

CN. Domitius.] Quē à Pharnace Pōtica regione pulsum docuimus. Semel ad Dyrrhachiū.] Hîc quāquā Cæsar conaretur suorū fugā sistere, nō potuit, duobúsq; & triginta militaribus signis amissis, inenstra est ab hoste cōpulsus. Et in Hispania.] Vbi sub primū cōgressum ancipiti prælio in Pōpeii liberos depugnauit. Post deuictū Scipionem.] Africanū, bello scilicet de quo proxime diximus. Post superatos Pōpeii liberos.] Quod quadriennio ferè pòst contigit. Gallicū.] Ob Gallias victas. Alexandrinum.] Quia Ptolemæi Auletis filium vicisset. Ponticum.] De Pharnace, quem prima acie fuderat. Africanū.] In Africa enim Iubam regem vicerat. Hispaniensem.] Vbi Celtiberos, qui cum Pompeii filiis erant, prælio superauit: quanquam Appia. author est, præter vnius Pompeii aliorum illustriū Romanorū imagines in triumphorū pompa ante ciuium ora prælatas. Velabrum.] Locum non procul à foro Boario inter Auentinum, Capitolium, & Palatiū, à vehendo dictū, vt Varro docet. M.AN.

AXe defracto.] Axis in hoc loco accipitur pro ligno, & stipite tereti, circa quem rotæ vertūtur. In curru duo sunt axes: hinc illud Pers. Cū rota posterior curras, & in axe secundo. A poetis vsurpatur axis pro curru. Ascēdit Capitoliū.] ex more ritúq; triūphantiū: quorū pōpæ finis erat tēplū Iouis Capitolini: quod & Iosephus memorat in enarratione triumphi Iudaici. PHIL.

Lychnos gestantibus.] Quod vocant Græci λύχνους, Latini

ru excussus est, axe defracto. Ascenditque Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus. Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, Veni, vidi, vici. non acta belli significantē, sicut cæteris, sed celeriter cōfecti notā.

De præmijs ueteranis, & liberalitate populo per eum exhibitis. XXXVIII.



VEteranis legionibus prædæ nomine in pedites singulos super bina sestertia (quæ initio ciuilis tumultus numerauerat) in

Latini lucernam dixerunt: vnde ita scribit Varro: Lucerna dicta à luce, aut ab eo quod vocant Græci λύχνον. Scribit Plinius in XXXIIII. lychnos pensiles in delubris placuisse: de quibus intellexit poeta scribens:

Pendent lychni laquearibus aureis

Incensi Inde lychnites appellari cœptus lapis Parius, quoniā ad lucernas in cuniculis cæderetur. Est etiā lychnites gemma ardens, appellata à lucernarum accensarum præcipua graria. Inter pompæ fercula.] Pompæ triumphalis gestamina significantur: quo nomine continentur simulacra oppidorum, simulacra deorum, spolia hostium, coronæ, machinæ, pegmata, & id genus alia, quæ ferri solent in pompa triūphali: sicut fercula ludorum, fercula, quæ in ludis: quæ in sacris feruntur, sacrorum: de quibus sic scribit Cicero: Cauendum est, ne tarditatibus vtamur in ingressu mollioribus: vt similes pomparū ferculis esse videamur. Idem repetitum est ab Ambrosio, cuius hæc verba sunt ex I. de Officiis: Sunt qui sensim ambulando imitantur histrionicos gestus, & quasi quædam fercula pomparum. Liuius ferculum appellat lignum, quo suspensa opima spolia gerens Romulus in Capitolium ascendit. A ferendo nomen ferculorum deriuatur: vnde & fercula pulmentariorum dicta, ab eo quòd mensæ inferantur. Trium verborum.] Author est Plutarchus, Cæsarem post deuictum Phatnacem ad amicos scripsisse hæc tria verba: ἦλθον, εἶδον, ἐνίκησα. hoc est, Veni, vidi, vici. Viritim.] In singulos viros: &, vt dici solet, per capita. Sicut cæteris.] Scilicet triumphis. Notá.] Signum, indicium. Veteranis legionibus.] Tradit Appianus Cæsarem post triumphos actos exoluisse cū fœnore quæcunque exercitui bellorū scilicet tempore fuerat pollicitus: militi drachmas Atticas quinque millia: decurioni bis totidem: tribunis militum, equitibúsque duplo maius dedisse. Ad hæc singulis ciuibus viritim minam vnam Atticam. Est autem mina, quam Græci μνᾶν vocitant, libra: vt docet Priscianus, cōtinet drachmas LXXV. Super bina.] vltra, præter.

Assignauit agros.] Inprimis agri veteranis assignabantur: vnde ait ipse Cæsar apud Lucanum:

Quæ rura dabuntur,
Quæ noster veteranus aret? quæ mœnia fessis?

Agri quoq; assignabantur per triumuiros colonis deductis in nouā coloniam. Frumenti denos modios.] Mar. ædilis plebis primus frumentum pop. Ro. in modios assibus donauit. Totidem olei libras.] Marc. Serui. ædilis denas olei libras singulis assibus præstitit pop. Rom. per totum annum: Cæsar verò vltra frumentum, & oleum, quod munificenter donauit, in singulos quoque diuisit CCC. nummos. Appian. vt dudum diximus, minam Atticam singulis ciuibus donatam esse prodidit. Viritim.] Per singulos viros, quod Græci dicunt κατ' ἄνδρας. Centenos pro mora.] Hoc est quod dixit Appian. Cæsarem exoluisse militibus quæ promiserat ampliore etiam pecunia: tanquam vsuram soluere vellet procrastinationis.

Annuam habitationem.] Annuas habitationū mercedes. Sensus est, Cesar conductoribus, qui mercedem pro habitatione soluebant, remisit, & condonauit eam pensionem, vt qui Romæ māsionem cōductā habebāt, his remissio mercedis annuæ fieret vsque ad duo millia nummûm: qui verò in Italia per municipia habitarent in cōducto, vt his remitteret mercedem habitationis annuam vsq; ad summā quingenū sestertiorum: supra eā summam de suo conductores soluebāt. Lego apud Cæsarē commen. III. ciuilis belli, legem à Cælio fuisse promulgatā, qua annuas conductoribus habitationum mercedes condonauit: quod non valde semotum est ab hac Tranquilli sententia.

M.AN.

AXe.] Circa quem currus rotæ vertuntur. In Capitolium.] Quòd omnis triumphi pōpa nouissimè traducebatur. Ad lumina.] Ergo sub noctē.

Lychnos.] Græco verbo lucernas dixit. Fercula.] Quæ suspensa ferūtur. Liuius: Ipse spolia ducis suspensa fabricato ad id aptè ferculo. Veni, vidi, vici.] His eum verbis, nec pluribus, Ponticam victoriam Romā significasse Appian. tradidit. Veteranis legionibus.] Bellorū finis victoria est, victoriæ verò, beneficentia. Optimo igitur vsus ordine, quòd post Cæsaris victoriā cōtinuò subiecerit, quæ sint præmia militibus reddita.

Veteranis.] Quibus illas, donauerat, aut legiones illas potius intellige, quas quatuor numero ostēdimus ei ab initio datas. Super bina sestertia.] Duo millia nummûm, & amplius, si Macrobio credimus, qui octo sestertia, quibus Asini. Celer mullum emerat, octo nummûm millia fuisse tradidit. Idem author est Lab. à Cæsare quingentis millibus inuitatum: quem Tranquil. paulò pòst ait quingentis fuisse sestertiis donatū: sed Plutar. in Antonio, Quinq; ait, & viginti millia dari iussit, quod Romani decies sestertiū appellant: quæ si sic haberent, quina fere millia singulis data accipi oporteret. Initio ciuilis tumultus.] Post ærarii expilationem Appianus falsò tradidit ærarium à Cæsare diripiendum militibus datum.

Vicena quaterna.] Vt si vera sunt, quæ Plutarchus de sestertio tradidit, quadruplo maiorem summam apparet equiti, quàm militi datam. Appia. quinq; millia drachmarum Atticarū dixit reddita, postquam Cæsar triumphauit, turmarum ductoribus: summam duplo maiorem tribunis militum, & equitibus exhibitam.

Sed non continuos.] Aliis ergo atque aliis locis.

Denos modios.] Modius ex duabus chœnicibus constat: vt Herod. ait. Chœnix quatuor sextarios continet, estque tertia parte, vt Prisciano placet, minor congio.

Tricenos nummos.] Appianus minam vnam Atticam viritim datam prodidit.

Pro mora.] Quòd tardius præmia essent reddita.

Annuam habitationem.] Vectigal annuæ habitationis. Ex quo apparet, qui ciues non essent, Romæq;, aut in reliqua Italia negotiarētur, solitos certum Reipub. pendere vectigal, seu pensionem. Lampridius in Alexandro: Vsuras, inquit, fœneratorum contraxit ad trientes pensiones, etiam pauperibus consulens.

Sester

equites vicena quaterna millia nūmûm dedit. Aſſignauit & agros, ſed non continuos, ne quis poſſeſſorum expelleretur. Populo, præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, tricenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim diuiſit: & hoc amplius centenos pro mora. Annuam etiam habitationem Romæ vſque ad bina millia nummûm, in Italia non vltra quingenos ſeſtertios remiſit. Adiecit epulum ac viſcerationem, & poſt Hiſpanieſem victoriam duo prandia. Nam quum prius parcè, neque pro liberalitate ſua præbitum iudicaret, quinto pòſt die aliud largiſſimum præbuit.

De uarijs ſpectaculis per eum editis. XXXIX.

EDidit ſpectacula varii generis: munus gladiatorum: ludos etiam regionatim vrbe tota, & quidem per omnium linguarum hiſtriones. Item Circenſes, athletas, nau-

PHIL. SEſtertios.] Interdum hæc obſeruatio apud eruditos cuſtoditur, vt ſeſtertios maſculino genere vſurpent, ſignificantes minutulam ſummam. Seſtertia verò neutro genere pro maioribus ſummis: vt quadringenta ſeſtertia capiantur pro quadringentis millibus, quæ ſumma eſt cenſus equeſtris, ſed hæc non ſemper ad regulam ſunt exigenda.

Epulum.] Columella in sx. ait, eos, qui triumphabant, epulum populo dare ſolitos. Cæſar in epulo quatuor vini genera primus appoſuit, Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum.

Viſcerationem.] Viſceratio, vt interpretatur Seruius, eſt caro, à viſcere nomine deducto. Antiquitus viſceratio dabatur Latinis in Albano: eſt enim viſceratio nihil aliud, quàm carnis crudæ diſtributio, quæ fieri ſolebat, vel in ſolenni feſtiuitate, vel in funere excellētioris perſonæ. Liuius libr. x1. Seruilius Geminus Publii Licinii funeris cauſa viſceratione data ludos fecit. Idem in VIII. Et populo viſceratio data à M. Flauio in funere matris. Seneca in x. Epiſtolarum: Epulum, & viſceratio, & quicquid aliud manu capitur, diſcidit in partes. Apud eundē eſt prouerbialis illa ſententia: Sine amico, viſceratio leonis, ac lupi vita eſt. Viſceratim verò aduerbium eſt, & ſignificat per viſcera. Ennius: Diſſipat viſceratim membra.

Duo prandia.] Cæſar epulum præbuit, ſiue prandium vniuerſo populo, quo triclinia duo ac viginti millia ſtrata fuerunt.

Edidit ſpectacula.] Appianus in II. Spectacula quoq; multifariā edidit, equorū, & à muſici, pedeſtriſq; certaminis, equeſtres pugnas, elephantorum viginti prælium vtrinque loricatorum. Naualem pugnam remigum quater millium, mille bellatoribus vtraque ex parte inſidentibus. Plutarchus ad conciliandam plebē teſtatur edita eſſe à Cæſare ſpectacula. Edidit, autem verbum ſpectaculis accommodatum, vnde editores dicti ludorum exhibitores.

Ludos.] Scenicos intelligit.

Regionatim.] Per regiones, vt quælibet vrbis regio ſuos ac veluti peculiares ludos haberet. Erat autem Roma diuiſa in regiones quatuordecim: author Plin.

Per omnium linguarum.] Vt Græcæ, quæ multiplex eſt: vt Latinæ: vt Oſcæ: vt Hetruſcæ linguæ. Scribit Strabo in v. poemata compoſita Oſca lingua fuiſſe Romæ in ſcena per hiſtriones celebrata, quanuis gens Oſcorum defeciſſet. Munere.] Hoc referendum eſt ad munus, id eſt ſpectaculum gladiatorum.

Pyrrhicam ſaltauerunt.] Pyrrhica ſaltatio eſt Græcanica, quam Pyrrhus in Creta primus inuenit: author Plinius in VII. Scribit Strabo in x. Pyrrhicam repertā fuiſſe à Pyrrhico pro iuuenibus ad diſciplinā militarē exercendis. Straboni adſtipulatur Solinus, qui ſaltationē hāc expreſſit his verbis: Pyrrhico repertore equeſtres turmas Creta prima docuit laſciuas vertigines implicare: ex qua diſciplina bellicæ rei vſus datus. De Pyrrhica ſaltatione ita ſcribit Plato lib. VII. de Legibus: Motus Pyrrhices imitatur flexus corporum, quibus tela, plagæq; vitantur, declinando, cōcedendo, exiliendo in altum, humique ſe cōtrahendo: cōtrarios item geſtus imitatur, quibus videlicet contra alios quicquā infertur ſagittādo, iaculando, feriēdo. Dion. quoque Halicarnaſeus tradit in VI. Pyrrhicam ſaltationē eſſe enopliam, hoc eſt, armatam. Refert Apuleius in x. De aſino aureo, pueros, puellāſque Græcanicam ſaltaſſe Pyrrhicam: cùm nunc in orbem rotarū flexuoſi, nunc iñ quadratum cuneati diſcurſus reciprocos explicarēt.

Ludis.] Ludos intellige ſpectacula Comœdiarum, & Tragœdiarum.

QVingentos ſeſtertios.] Aſſes ſcilicet mille ducentos ac quinquaginta: appēdebat enim ſeſtertius, vt Plinius ait, dipondiū ac ſemiſſem: ſic accipias oportet maiorem ſummā iis, qui Romæ eſſent, quàm in reliqua Italia commorantibus remiſſam. Quòd ſi ſeſtertium in eum ſenſum quo ſuprà accipias, maior ſumma eſſet foris, quàm Romæ relaxata, abſurdúmq; fuiſſet addete non amplius. M.AN.

Viſcerationem.] Crudā carnem domeſticatim populo datam: qui mos in oppidis quibuſdam Romæ circumiectis noſtra quoq; tempeſtate durat: fitq; id ipſum in defuncti alicuius memoriam. Seruius: Viſcera ſunt, inquit, quæcunque ſub corio ſunt, & in Albano Latinis populis viſceratio dabatur. Varro: Latinæ feriæ dies cōceptus dictus à Latinis, quibus ex Albano monte ius fuit carnem cum Romanis petere. Cicero: Qnibus è municipiis vix qui carnem Latinis petāt, inueniuntur. Siue igitur ex aliquo loco acceperint, vt in Albano: ſiue domeſticatim diſtribuendam, vt hodie fit, curarit Cæſar, ſatis conſtat à crudæ carnis diſtributione viſcerationem appellatam.

Munus gladiatorum.] Quod quum adhuc in Gallia eſſet, ſe daturum pronunciarat.

Regionatim.] Per regiones vrbis, quæ numero quatuordecim erant.

Hiſtriones.] Qui in ſcena Tragœdias, Comœdiáſq; agebant: nec à Thuſco quodam, vt quidam arbitrati ſunt, nomē factum: ſed quia, vt Liuius ait, Thuſco verbo ludio hiſter dicebatur.

Circenſes.] Ludos ſubaudi, ne cum ſequentibus iungas. Athletas.] Pugiles. Naumachiam.] Naualem pugnam. Munere.] Publico gladiatorū certamine: de cuius origine Trebellius in Alexandro,

machiam. Munere in foro depugnauit Furius Leptinus stirpe prætoria, & A. Calpenus Senator quondam, actórque causarum. Pyrrhicam saltauerunt Asiæ Bithyniæque principum liberi. Ludis Decius Laberius eques Romanus mimum egit: donatúsque est quingentis sestertiis, & annulo aureo. Sessum in XIIII. scena per orchestrā transiit. Circensibus, spatio Circi ab vtraque parte producto, & in gyrum euripo addito, quadrigas, bi-

abundè multa.

Stirpe prætoria.] In cuius familia prætores nonnulli fuerant.

Senator quondam.] Tunc verò minimé. Plerique enim ignominia notati Senatu submouebantur: vt Flaminius ille T. Flaminii frater, & alii permulti.

Actor causarum.] Forensi luce versatus.

Pyrrhicam saltationem.] A Pyrrho quodam, vt Plinius ait, in Creta repertam. Dionysius dubitat à Pallade in Titanorum perditione, an à Curetibus, qui Iouem aluere, enoplia saltatio sit reperta, quæ eadem sit & Pyrrhica, eademq; & armata, quoniā ab armatis saltari sit solita. Plinius tamen armatam saltationem à Pyrrhica distinxit, tanta est authorū varietas.

Principum.] Primorum vtriusque gentis filii.

PHIL. Mimum egit.] Laberius poeta fuit Mimographus, hoc est scriptor Mimorum. Sunt autem Mimi, poemata sine reuerentia lasciuiam imitantia. Mimus verò dictus est, vt docet Diomedes Grammaticus, quasi solus imitetur: à verbo Græco μιμεῖσθαι, quod significat imitor. Nam cùm & alia poemata idem faciant, solus tamē quasi priuilegio quodam, quod fuit commune, possedit. Hanc fabularum speciem Latinè Planipedium vocamus. De hoc poemate dixit Ouidius:

Scribere si fas est imitantes turpia Mimos.

Et Martialis: Componis belle Mimos.

Scriptores huiuscemodi poematis dicuntur Mimographi, vt Philistio, vt Publius, vt hic Laberius. Egit, autē eleganter dixit, intelligi volens ab ipso Laberio tanquam actore scenico, actam esse fabulam, sicut Liuius poeta suorum carminū actor fuisse fertur. Donatus quingenis.] Censu, & dignitate equestri. Nam suprà memorauimus annulū fuisse insigne equitis Romani.

Sessum in XIIII.] Equites Romani lege theatrali ius habebāt sedendi in quatuordecim ordinibus: author est Plinius in XXXIII. huius historiæ. De Laberio ita meminit Seneca lib. VII. Declamationū: Laberium diuus Iulius ludis suis produxit, demum equestri ordini reddidit: quem cùm iussisset ire sessum, omnes equites ita se coarctauerunt, vt venientem non reciperent. Macrobius quoque lib. II. Saturnalium Laberii Mimographi facit mentionem, eiúsque ex Mimo recitat versus. Fuit autem in Laberio arrogantia, & maledicentia: quæ Cæsarem, vt inquit Gellius in XVI. offendebat, adeò vt acceptiores, probatioresque sibi esse Publii, quàm Laberii Mimos prædicaret. In scena olim Laberius impotentiam Cæsaris isto versiculo pulsauit: Porrò Quirites libertatem perdidimus. & illo: Necesse est multos timeat, quem multi timent.

Per solium.] In bonis codicibus expuncta est hæc dictio, tanquam subditiuia. De solio alibi.

Per orchestram.] Orchestra locus est in theatro, in quo Senatorum sunt loca designata, & Scenici artifices suas per orchestram præstant actiones, sicuti tradit Vitruuius in V. De architectura. Iuuenalis orchestrā posuit pro sessione Senatus, & primorum, cùm ait:

Similémque videbis

Orchestram, & populum.] ὀρχέομαι apud Græcos significat salto: vnde ὀρχηστὸς, id est, saltator, & ὀρχήστρια, saltatrix, & ὀρχήστρα, id est, orchestra inclinatur. De orchestra mox dicentur plura, cùm eiusdem sæpe meminerit Tranquillus.

Circensibus.] Tarquinius Priscus Circum Romæ, qui maximus dicitur, primus instituit, in quo ludos opulentius, instructiúsque quàm priores reges fecit: author Liuius in I. Ludi modò Romani, modò Magni, modò Circenses ab eruditis nuncupantur. Vnde Vergil. dixisse videtur:

Magnis Circensibus actis. De Circo, & Circēsibus sic scribit Varro: Circus maximus dictus, quòd circùm spectaculis ædificatis ibi ludi fiunt, & quòd ibi circū metas fertur pompa, & equi currunt.

Spatio Circi producto.] De hoc Plinius in XXXVI. scribit hæc scitu digna: Nam vt Circū maximum à Cæsare Dictatore extructum, longitudine trium stadiorum, latitudine vnius: sed cum ædificiis iugerum quaternûm, ad sedem ducentorum sexaginta millium inter magna opera dicamus.

Euripo addito.] Euripos vocant canales, & ductus aquarum, vt docet Cicero lib. I. de Legibus. & in hoc significatu accipit Tranquillus, sicuti etiam Plinius his verbis: Cæsar Dictator posteà simile spectaculum editurus euripis arenam circūdedit, quos Nero princeps sustulit. Interpres Iosephi in XII. Antiquitatum euripos interpretatur piscinas: quod idem pene est. Olim M. Scaurus Romæ in euripo temporario ostendit hippopotamum, & quinque crocodilos. Simili de causa euripum quoque dicimus fretum, hoc est, mare angustum: qualis est euripus Taurominitanus in Sicilia, & alter in Eubœa. Fertur Heliogabalus in euripis vino plenis nauales Circenses exhibuisse.

Quadrigas.] Quatuor equos iunctos quadrigas, duos verò bigas dixerūt. De quadrigis ita ait Gellius: M.A N.
Quadrigas Cæsar & si currus vnus equorum quatuor iunctorum agmen vnum sit, pluratiuo semper numero dicendas putat. De bigis sic Augustinus in XIX. iunctos duos equos bigas vocamus. Bigam, & quadrigam singulariter veteres dixere, nusquam se addicentes regulæ Grammaticorum. Triga quoque [illegible], id est, singulariter dicitur à tribus equis iunctis. Iuriscoo. tit. De ædil. edic. Si triga venierit, retinenda erit rota: & si quadriga, adhibeatur. Inde trigarium dictum trigarum curule certamen. Plinius in XXVIII. Ferunt Neronem principem hac potione recreari solitū, cùm sic quoq; se trigario approbare vellet. Obiter mendum tollendum est ex calce operis Pliniani, in quo sic legitur: Ne equos quidem in tricariis præferri vllis vernaculis animaduerto. Audiui viros alioqui eruditos exponere apud Plinium tricariis pro populis: quæ expositio quàm ridicula, & futilis sit, dispiciant solertiores: ego censeo legendum esse trigariis, & exponendum pro certaminibus trigarum curulibus. Dicit enim Plinius equos vernaculos, hoc est Italicos, & indigenas nulli generi equorum peregrinorum cedere in cursura, & certamine trigarum: cùm alii sint idonei ad vecturam, alii ad rem militarem.

DEcius Laberius.] Mimorum scriptor, cuius male- M. A N.
dicen

dicentia C. Cæsarem offendi solitum scribit Gellius, atque ob id Publii scripta magis ab eo probari solita. Apud Macrobium præfationem ipsam legere est, qua apparet coactum potius, quàm mercede inuitatum in Scena Laberium prodiisse. Potestas, ait, non solùm si inuitet, sed si etiam supplicet, cogit.

Suum Mimum.] Sua Mimica scripta.

Annulo aureo.] Plinius: Annuli, inquit, distinxere alterum ordinem à plebe, vt semel cœperant esse celebres, sicut tunica ab annulis Senatum. Ordinem igitur equestrem intellige, nec multò pòst hac de causa constitutum ait, ne cui ius eius esset, quum de annulo interim loqueretur, nisi cui ingenuo ipsi, patri, auóque paterno sestertia quadringenta census fuissent, & lege Iulia theatrali in quatuordecim ordinibus sedendi.

In quatuordecim.] Gradus, siue ordines, vt proximè ex Plinii authoritate ostendi.

Ex scena.] In qua Mimum suum egerat.

Per solium.] Quid sit solium, planè cōstat: sed hoc loco pro solario libèrius acceperim. Macrobius: Quid ergo vt populus Romanus dicat me bene cultum, in solario ambulaturus sum?

ris officium:

Nec non alterno desultor sydere dorso
Quadrupedum, & stabilis poterit defigere plantas.

Operæpretium est addere prædictis, quæ à Cassiodoro traduntur. Scribit enim lib. III. Epistolarum, quòd biga quasi Lunæ, quadriga Solis imitatione reperta est: equi desultorii, per quos Circensium ministri missus denunciant exituros, Luciferi præcursorias velocitates imitantur: euripus maris vitrei reddit imaginem. Vbi annotandum à Cassiodoro desultorios accipi pro quibusdam quasi præcursoribus Circensium curuliū: vt post desultorios intelligant spectatores mox bigas, quadrigásque exituras in curule certamen.

Troiam lusit.] Quale sit ludicrum spectaculum Troiæ, docet Maro in v. Aeneidos, vbi ostendit Troiā belli esse equestri simulacrum, & à Troianis nomen accepisse illo versu:

Troiáque nunc pueri Troianum dicitur agmen.

Turma.] In turma sunt equites duo & trigiora, vt Varro, & Vegetius tradiderunt: qui præest turmæ, dicitur decurio: ipsi qui in turma sunt, turmales dicti: inde turmatim aduerbium.

gásque, & equos desultorios agitauerunt nobilissimi iuuenes. Troiam lusit turma duplex, maiorū, minorúmque puerorum. Venationes editæ per dies quinque: ac nouissimè pugna diuisa in duas acies, quingenis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc & inde commissis. Nam quò laxius dimicaretur, sublatæ metæ, ínque earum

Orchestram.] Vnde Senatores ipsi spectabāt: erat enim orchestra in ima parte theatri infra equestria, vt ex proximo commodius spectarēt, quæ in scena, & tota arena fierent.

Circensibus.] Ludis: eos Liuius magnos appellat. Valerius nunc plebeios, nunc Circenses. Asconius eosdē Circenses, & Romanos, & Magnos ludos appellatos ait: Magnósq; iccirco dictos, quia magnis impensis instruerentur, vel fortè quia diis magnis, id est laribus vrbis sint dicati, vt ipse refert. De ludorum apparatu Dionysius abundè multa.

Circi.] Maximi intellige, qui medius est inter Palatium & Auentinum.

Euripo.] Tenui aquarum fluuio in Euripi speciem dedocto: ob elephantes, credo, quorum pugna edita est: constat enim aquæ pauidos esse, quod in traiectu Rhodani Annibale in Italiam veniente patuit. Puteolis quoque Plinius scribit aquarum metu auersis vestigiis è naui abiisse.

Quadrigas.] Quadriiuges equos. Bigas.] Biiuges.

PHIL. DEsultorios.] Desultorii equi vocantur, ex quibus homines per agilitatem corporis desiliebant, & in alios transiliebant: qui & ipsi desultores dicuntur: de quibus sic Liuius: Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, sed quibus desultorum in modum binos trahentibus equos, inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transultare mos erat: tanta velocitas ipsis, tantáque docile equorum genus est. Varro quoque in II. de Re rustica, de equis loquēs sic ioquit: Peritus belli alios equos eligit, alit, ac docet, aliter quadrigarius, ac desultor. Cicero: Quasi desultorius in quadrigarum curriculum incurrere. Inde eleganter ab Apuleio desultoria scientia dicitur: & à Marciano leuitas fortunæ desultoria nominatur. In Commentariis Propertii enarrantes illud,

Traiicit alterno qui leue pondus equo. diximus desultorem significari. Manlius in v. Astrono. desultores nasci sub sydere Heniochi, id est aurigæ, prodidit: cuius hi sunt versus declarantes haud dubiè desulto-

Venationes.] Scribit Lactantius in VI. venationes, quæ munera vocātur, attributas esse Saturno, ludos scenicos Libero, Circenses Neptuno.

Elephātis vicenis.] Plinius io octauo: Pugnauere Cæsari Dictatori tertio consulatu eius viginti elephanti contra pedites quingentos. Iterúmque totidem turriti cū sexagenis propugnatoribus, eodem quo priore numero peditum, & pari equitum è diuerso dimicante.

Commissis.] In pugnam, & certamen immissis. Cōmittere, enim verbum est rixis, contentionibúsque, & certaminibus accommodatum.

Stadio ad tempus.] Temporarium stadium significat. Est autem stadium, locus cursorum, & athletarum. Longitudo stadiorum, quæ in terris Græciæ instituta fuerunt, pedum erat numero ducentorum: inter quæ clarissimum fuit Olympicum stadium, quod Hercules suis pedibus metatus est. Inde stadiodromi dicti, qui currūt in stadio. Iulius Firmicus in octauo Matheseos ait, quòd sydus leporis in horoscopo stadiodromicos faciet. Corrigendum est obiter mendū, quod inoleuit in codicibus Plinianis: nanque in XXXIIII. sic impressum est: Eundem vicit & Leontius cùm fecit hasta die dromon Stylon, qui Olympiæ ostenditur. Expungendum est planè illud totum perinde ac barbaricum, hasta die dromon: & pro eo substituendum, stadiodromicos. Significat enim Plinius à Leontio artifice factos esse stadiodromicos, siue stadiodromos, hoc est statuas ex ære cursorum in stadio Olympiaco. Vel lege Astylon stadiodromon: vt sit Astylus nomen cursoris, quem stadiodromon vocat, hoc est, currentem in stadio Olympiaco: cuius Pausanias & Plato meminerunt. Præterea vulgò notissimum est, stadium esse octauam partem milliarii, quod centum viginti quinq; nostros efficit passus, hoc est pedes sexcētos viginti quinque: sicut Plinius in secundo, & Columella in sexto tradiderunt. Cæsar, vt ad rem reuertamur, edidit spectaculum athletarum in stadio triduanum. Suidas de stadio sic tradit: Στάδιον ὁ τόπος τοῦ ἀγῶνος καὶ μέτρον τι διαλεγόμενον μιλίου. ἑπτὰ γὰρ ἥμισυ στάδια ποιοῦσι μίλιον. Id est, sta-

locum bina castra ex aduerso constituta erant. Athletæ, stadio ad tempus extructo, in regione Martii campi certauerunt per triduum. Nauali prælio in morem cochleæ defosso lacu, biremes, ac triremes, quadriremésque, Tyriæ, & Aegyptiæ classes, magno pugnatorum numero conflixerunt. Ad quæ omnia spectacula tantum vndique confluxit hominum, vt plerique aduenæ, aut inter vicos, aut inter vias tabernaculis positis manerent: ac sæpe præ turba elisi, exanimatíque sunt plurimi, & in his duos Senatores.

dium locus est certaminis, & pars quædam milliarii. Septem enim stadia, & dimidium, faciunt milliarium.

Sublatæ metæ.] Circum metas equi currere consueuerunt, & pompa ferri. Figura metæ incipit à lato, & fastigiatur in acutum, cui contrarius est turbo.

M. AN. DEsultorios.] Cursores equos, à desiliendo dictos: quia facile ex his desiliatur, Græci κέλητας vocant. Plinius: Antiqui tantùm celetas dicebant in sacris, posteà verò & qui bigis, vel quadrigis vicissent: alii, quibus non grauatè accedo, desultorios dicunt. Adstipulatur huic opinioni Manilii carmen:

Nec non alterno desultor sydere dorso
Quadrupedum, & stabilis poterit defigere plantas:
Per quos vadit equos ludet per terga volantum:
Aut solo vectatus equo nunc arma mouebit.

Quos aurigæ mira celeritate vnius dorso relicto, alterúsque repente insesso agitabant.

Troiam.] Puerile ludicrum, ab Aenea, vt Maro tradidit, in Italiam deportatum.

Venationes.] In quibus feræ non sine figentium discrimine conficiebantur. De venationum origine Aurelius Augustinus, & Lactantius aliqua omnino, sed Cassiodorus de totius rei ratione plura tradidit.

Quinquagenis peditibus.] Plinius quingentenis peditibus ait: sed vel ibi locus corruptus est, aut hic, quòd facilius deprauari potuit codex, vt pro quingenis, quinquagenis librariorum inscitia scripserit: quingenis enim dicimus, & quingentenis.

Sublatæ metæ.] Circa metas bigæ, quadrigæ agitabantur: fuerant ab initio ligneæ, & tophaceæ, mox ex marmore factæ, atque auro illitæ. Quot numero metæ essent, haud quidem Tranquillus docet, sed Seneca septem fuisse significare videtur. Quomodo, inquit, manifestior notari solet agitatorum lætitia, cùm septimo spatio palmæ appropinquant.

PHIL. ATHletæ, stadio ad tempus.] Hercules primus Olympiæ instituit athleticam: author Plinius. Dicti sunt Athletæ certatores à verbo Græco ἀθλῶ, quod significat certo. Scribit Iurisconsultus, athletas cùm virtutis gratia athleticam exerceant, non esse ignominiosos. Mars in finibus Mercurii, Mercurius in finibus Martis facit vt athletæ nascantur, in omni certaminum conflictatione victores. Præterea si Ioui in medio cœli Sol trigonica radiatione iungatur, ista genitura faciet Athletam, qui certis certaminibus victor, famosa reportet insignia coronarum: vt docet Firmicus Maternus in sexto. Tria athletica certamina, videlicet cursorum, pugilum, & luctatorum, fuisse apud veteres, testis est Dionysius in septimo. Athlothetæ verò dicuntur præfecti ludorum, & curatores præmiorum, quæ victoribus athletis danda sunt: quæ Græco vocabulo ἆθλα appellant: author Pollux in tertio Onomastici, qui etiam docet Dolichodromos vocari longo cursu decertantes.

In morem cochleæ defosso lacu.] Significat, Cæsarem lacum defodisse, ad instar & similitudinē cochleæ, qui in imo angustior, in summo patentior foret, vt in eo exhiberet pugnam naualem. Quidam codices habent in minore codeta: & tūc intelligimus lacum effossum fuisse in Codeta: qui erat locus in campo Martio, ita dictus, quòd in eo virgulta nascerentur, à codarum equinarum similitudine.

Biremes, triremésque.] Biremem Erythræi inuenerunt: triremem Amocles Corinthius: quadriremem Carthaginienses. Est autem biremis duorum ordinum nauis, sicut triremis trium, quadriremis quatuor. Græci trierem vocant triremem: qua dictione vtuntur & Latini. In libro Numeror. scriptum est, Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios. Vnde dictus trierarchus, præfectus triremis. Corrige mendosam dictionem in tertia Verrinarum: nam pro trierarchus passim legitur Aristarchus, in his verbis: Qua de re Charidemum Chium testimonium priore actione dicere audistis sese cùm esset Aristarchus. Tu pro Aristarchus, lege trierarchus.

Inter vicos.] In oppido vici sunt, vt ait Varro, à via, quòd dextra parte viæ sunt ædificia. In vrbe fiunt vici, connexis, & cohærentibus ædificiis. Vicum, qui exitum non habet, ac peruius non est, dixerunt angiportum. Inter vicos Romanos clari sūe vicus Cyprius, Africus, Sceleratus. Est autem vicus paganus, vbi multæ villæ, casæque rusticanæ sunt exædificatæ: vnde vicani dicti, qui vicos habitant. Vici diminutiuum est viculus. Hieronymus in interpretatione Pentateuchi, Ceperunt, inquit, viculos, & possederunt habitatores.

Tabernaculis.] Græci σκηνὰς dicunt tabernacula, & papiliones: vnde Arabes cognominati Scenitæ sunt, à tabernaculis: quæ ciliciis texta metantur, vbi libuit. Hinc etiam scenophegiam, Iudæorum festiuitas, vt scriptores rerum Iudaicarum tradiderunt: ad demonstrandum illud tempus, quo in deserto sub tabernaculis habitauerunt.

Elisi.] Afflicti, præfocati ob multitudinem. Vergil.

Elisos oculos, & siccum sanguine guttur.

Elidere, significat præfocare, vt ait Seruius.

Exanimati.] Modò extincti: aliâs exanimatus significat perturbatum: quale illud Terentianum est: Ibi tum exanimatus Pamphilus.

Fastos correxit.] Cæsar annos ad Solis cursum redegit, Soligene perito scientiæ syderalis adhibito. Sunt autem Fasti, libri, in quibus totius anni fit descriptio, & causæ festiuitatum explicantur: sicut in Fastis Ouidii. Fasti verò dies dicuntur, quibus certa verba legitima sine piaculo prætoribus licet fari. Scribit Liuius Flaninm scribam fastos circa forum in albo proposuisse, vt quando lege agi posset sciretur. Eiusdem rei meminit Cicero in Oratione pro Murena. In notis Seruii docuimus fastos dici, & fastus, in eodem significatu, secundo ordine, & quarto.

STadio.] Spatio, in quo athletæ cursu, saltu, iactu disci, iaculatione, & luctatione certabāt, pentathlon M. A N.

veteres

veteres dixere. Olympiaci stadii dimensionem ex Plutarchi authoritate Gellius aliquantò maiorem, quàm alibi, fuisse ait: quo apparuit Herculem quoque, qui suis id stadium fuerat dimensus pedibus, ampliorem aliquantò communi fuisse statura. Sed Herodotus bicubitale vestigium Herculis apud Tyram fluuium in Scythia figuratum fuisse affirmat: oportet itaq; Olympium stadium maximum fuisse omnium, quæ vspiam terrarum fuere: sed quum ita sit, vt non multò maius Olympium aliis fuisse constet, fateri necesse est, alterū fide carere, quòd aut figuratio illa non fuerit legitima, aut Hercules non sit stadium ipsum suo vestigio metatus: nisi illud dixerit aliquis, fuisse plures Hercules, atque idcirco euenire potuisse, vt is, qui stadium metatus sit, diuersus ab eo fuerit, cuius pes bicubitalis, vt Herodotus ait, ad Tyram fluuium figuratus fuit.

In morem cochleæ.] Vt in summo valde pateret, mox in imum contraheretur.

Lacu.] Fouea, in quam Tyberinæ aquæ ex proximo corriuarentur.

Tyriæ & Aegypriæ classes.] Ex Tyro & Aegypto accersitæ: vel certè bello captæ, & in hunc vsum reseruatæ.

Inter vicos.] Habuit Roma, vt Plinius tradit, mille & amplius vicos.

Aut inter vias]. Quasi dicat, non solùm inter angustos domorum calles, sed in apertis etiam viis, mortaliúmque frequentia infestis.

Elisi.] Præ nimia frequentia afflicti.

Fastos.] Fastorum libros, quibus totius anni ratio continebatur. Dixerunt veteres & fastus, eodem significatu. Lucanus:

Non meus Eudoxi vincetur fasti bus annus.

Quod Priscianus aduersus Seruii opinionem mōstrat ex authoritate dictum: qui diuerso sensu, sed eo ipso omnibus noto, fastus vsurpauit:

Heu vbi nunc fastus, altáque verba iacent.

De ordinatione anni, & fastorum dierum, per eum facta. XL.



Onuersus hinc ad ordinandum Reipublicæ statum fastos correxit, iam pridem vitio pontificum per intercalandi licentiam adeò turbatos, vt neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerent. Annúmque ad cursum Solis accommodauit, vt trecentorum sexagintaquinque dierum esset, & intercalario mēse sublato, vnus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quo autem magis in posterum è Calendis Ianuariis nobis temporum ratio congrueret, inter Nouembrem ac Decembrem mensem, interiecit duos alios: fuítque is annus, quo hæc constituebantur, quindecim mensium cum intercalario, qui ex consuetudine in cum annum inciderat.

PHIL. Vitio pontificū turbatos.] Scribit Ammianus Marcellinus in vigesimosexto, Romanos per multa secula in obseruatione anni fuisse implicatos, fluctuasséq; profunda caligine errorum, cùm in sacerdotes potestatem intercalandi transtulissent: qui, vt Solini verbis vtar, plerunque gratificatores rationibus publicanorum, libidine sua subtrahebant tempora, vel augebant: ex quo nonnunquam accidebat, vt menses hyemales, modò in æstiuū, modò in autumnale tempus inciderent. Itaque Cæsar vniuersam hanc inconstantiam, incisa temporum turbatione, composuit.

Neq; messium feriæ æstati.] Amm. Marcellinus: Vt autumnalis mensis inueniretur quandoque vernalis.

Ad cursum Solis.] Sol percurso signifero, quem ζῳδιακὸν sermo Græcus appellat, trecentis & sexaginta quinq; diebus emensis, & noctibus, ad eundem remeat cardinem, addito quadrante. Cæsar ex disciplina vtiq; Aegyptiorum, vt inquit Appianus, annum direxit ad Solis cursum: quem soliti erant Romani metiri ad motum Lunæ. Cæsarem autem fuisse Astrologiæ peritissimum, testatur Iulius Firmicus, qui ait, ab eo numerum syderum Latinè perscriptum: & Plinius, qui in decimooctauo refert, tres fuisse sectas astrologiæ, Chaldæā, Aegyptiam, Græcam: quibus addidit apud nos, inquit, quartam Cæsar Dictator, annum ad Solis cursum dirigens. Idem ait, sequi se velle obseruationem Cæsaris in ortu, occasúque syderum tradendo: vnde apud Lucanum meritò gloriatur Cæsar:

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

Intercalario mense sublato.] Numa Pompilius, authore Plutarcho, adiecit anno mensem intercalarē, quem Græci ἐμβολισμὸν appellant. Tradit Macrobius Romanos instituisse intercalarem mensem more Græcorum, qui cùm animaduerterent se temere ordinasse annum, intercalares menses statuta ratione commenti sunt, & olim tres menses intercalauerunt. Extant scriptores, qui originem intercalationis Romulo assignant: alii Numam, vt diximus, primum id inuenisse cōtendunt. Iunius Seruium Tullium regem intercalasse commemorat, à quo & nundinas constitutas Varroni placet. Cato mēsem intercalarem esse putat additium: omnésq; dies eius pro momento temporis obseruat. Intercalares dies Græci ἐμβολίμους, siue ἐπαγομένας nominant. Ab hac similitudine, versus, qui identidem interponūtur in poemate, intercalares à Grammaticis dicti: sicut ille sæpius repetitus,

Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.

Quarto quoq; anno.] Scilicet desinente, non incipiente. Placuit enim Cæsari, vt peracto quadriennii circuitu, dies vnus post Terminalia intercalaretur, propter quadrantem illum, id est senas horas, quæ singulis annis exuberantes, diei noctísque mensuram colligunt. Ex hoc anno ita à Iulio Cæsare ordinato, cæteri deinceps anni sunt appellati Iuliani: vt author est Censorinus.

Interiecit duos.] Menses, tanquam addititios, & pro momento temporis habendos.

Quindecim mensium.] Habuit hic annus dies quadringentos sexaginta tres, distributos in quindecim menses, propter duos additos à Cæsare, & tertium intercalarium id temporis incidentem. Cæsar confusionem prioris ordinationis sublaturus, exorsus est nouā ordinationem, per quam factum est vt annus confusio

pis vltimus in quadringentos sexagintatres dies protenderetur:& ita ad numerũ Solis direxit annum, qui diebus trecentis sexagintaquinque & quadrante cursum suum conficit. Ab eodem Cæsare, vt author est Macrobius, institutum est, vt quarto quoque anno sacerdotes diem vnum intercalarent, idque bissextum vocauerunt. Causa autem nominis est, quia duobus diebus continuis bis dicimus, sexto calendas Martias: duos videlicet dies pro vno computantes. Vnde qui natus est bissexto calendas, nihil refert, vt inquit elegãter Celsus, vtrum priore, an posteriore die natus sit: cùm illud biduum pro vno tantùm die habeatur. Tradidit Ammianus Marcellinus bissextum fuisse infaustum Romanæ Reipublicæ. Vnde Valentinianus Imperator olim prodire in publicum noluit, vitans bissextum perinde ac ominosum.

M.A N. PEr intercalandi licentia.] Licentiosam pontificis intercalationem. Romulus parens, & conditor vrbis annum ex trecentis quatuor diebus constituerat, sed cùm ea dierum ratio neque Lunæ, neq; Solis cursui conueniret, Numa Pompilius, qui Romulo successit, sex & quinquaginta dies addidit, ratus duodecim lunares cursus ea temporis intercapedine confici. Nam ex eo dierum numero, quos partim ipse addiderat, partim detraxerat mensibus à Romulo constitutis, duos menses constituit, Ianuarium, & Februarium. sic annus qui anteà decem menses ex Romuli institutione habuerat, duodecim habere cœpit. Sed Aegyptii primi omnium, vt Herodotus ait, annum in duodecim menses diuisere: verùm quia ad Solis cursum perficiendum aliquot deerant adhuc dies, Græcorum more mensem intercalarem adhibuerit. Græci ipsi ἐμβόλιμον dicunt: Romani mercedinum, vt Plutarchus ait, dixere. Mensis huius intercalandi ratio, quem ex illis diebus, quibus annus abundabat, confici oportebat, permissa est illis, qui Fastis præerant, vt ipsorum arbitrio mensis intercalaretur, quod fieri consueuit circa Februarii mensis exitum, Terminalibus scilicet, quæ feriæ post tertiũ & vicesimum eius mensis diem celebrari consueuere. Verùm ita accidit, vt nonnunquam superstitionis causa omnis intercalatio omissa sit. Interdum verò sacerdotum, & pontificum culpa, qui publicanis proferri, vel minui consultò anni dies volebãt: atque ita factum, vt praua illorum intercalatione ingẽs temporum confusio in Fastis emerserit: de qua nunc Tranquillus. Sed hæc Plutarchus, Liuius, & omnium copiosissimè Macrobius, exequuntur: de quo nos item in obseruationibus plura diximus.

Messium feriæ æstati.] Sensus est, Ita temporum ratio turbata est in Fastis, vt feriæ, quas messium tempore celebrari oportuisset, alieno tempore inducerentur:& rursus autumno circumacto, vindemiarum.

Annúmque ad cursum Solis.] Complexus scilicet quinque illos residuos dies, & sex horas, quæ ad annuum Solis spatium deerant: quo fit, vt ex quatuor illis quadrantibus quarto quoque anno dies vnus cooficiatur, qui hodie quoque intercalatur.

Inter Nouembrem & Decembrem.] Siquidem Nouembri mense exeunte Cæsar non est passus continuò Decembrem iniri, sed tantum dierum numerum interiecit, vt ex his duo sint menses cõstituti, quibus interiectis, continuò December est subditus.

Quindecim mensium.] Præter duos illos menses, quos Cæsar inter Nouembrem, & Decembrem interiecerat, intercedit emblimus, siue mercedinus mensis, qui ex veteri instituto eo anno intercalandus erat: quo cõtigit vt annus ille quindecim habuerit menses, legitimos duodecim, duos ex Cæsaris instituto, vnum ex veteri intercalatione extra assumptos.

SEnatum suppleuit.] Senatus Romanus constabat ex trecentis Senatoribus, sicuti Historici prodidere. In libro Machabæorum primo scriptum legimus, quòd in Romana curia fuerunt trecenti & viginti consilium agentes, neque inter eos erat inuidia aut zelus. PHIL.

Patritios allegit.] Patritii, vt Cincius ait, appellari soliti sunt hi, qui nunc ingenui vocantur. Liuius verò in primo ab vrbe condita de patritiis sic scriptum reliquit: Romulus centum creat Senatores, qui patres ab honore, patritiique progenies eorum appellati. Idem in decimo ab vrbe condita sic inquit: An vnquam fando audistis patritios primò esse factos, non de cœlo demissos, sed qui patrem ciere, auúmque possent: id est, nihil vltrà quàm ingenuos. Plebeii patritiis opponuntur.

Minorum etiam magistratuum.] Qui sint minores magistratus, docet M. Messala augur, scribens minores magistratus appellari, quorum minora sunt auspicia: & in hoc numero, vt significat Gellius in duodecimo, cap. XIIII. continentur omnes præter Consules, Censores, & Prætores.

Nudatos opere Censorio aut sententia.] Censores, vt inquit Asconius, quinto quoque anno creari solebãt, regendis moribus ciuitatis: qui ciues sic notabant, vt qui Senator esset, Senatu eiiceretur: qui eques Romanus, equum publicum perderet: qui Plebeius, fieret ærarius. Hi sunt, quos Tranquillus nudatos opere Cẽsorio appellat: tales à Cæsare in pristinum statum restituti sunt. Scribit Marcus Tullius in orat

Senatus ac officiorum supplementum & ordinatio. XLI.



SEnatum suppleuit, patritios allegit: prætorum, ædilium, quæstorum, minorum etiam magistratuum numerum ampliauit: nudatos opere censorio, aut sententia iudicum de ambitu condemnatos, restituit. Comitia cum populo partitus est, vt exceptis Consulatus competitoribus, de cætero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur: pro parte altera, quos ipse dedisset. Et edebat per libellos circum tribus missos scriptura breui: Cæsar Dictator illi tribui: Commendo vobis illum & illum, vt vestro suffragio suam dignitatem teneant. Admisit ad honores & proscriptorum liberos. Iudicia ad duo genera iudicum redegit, equestris ordinis, ac Senatorii: Tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit. Recen-

ſum populi, nec more, nec loco ſolito, ſed vicatim per dominos inſularum egit: atque ex viginti trecentiſque millibus accipientium frumentum è publico, ad centum quinquaginta retraxit. Ac ne qui noui cœtus recenſionis cauſa moueri quandoque poſſent, inſtituit, vt quotannis, in demortuorum locum, ex his, qui recenſiti non eſſent, ſubſortitio à Prætore fieret.

oratione pro Cluētio, quoſdam notatos nota Cenſoria, & à Cenſoribus de Senatu eiectos, non ſolùm reſtituros eſſe, ſed etiam Cēſores poſteà factos.

De ambitu condemnatos reſtituit.] Ambitus crimen eſt affectati honoris: nam qui vera virtutis via ad honorem aſpirare non poteſt, is ambitione contendit: quæ, vt inquit Salluſtius, multos falſos fieri coegit. Hinc latæ leges ad ambitum puniendum, qualis fuit lex Calphurnia de ambitu, quam tulit Caius Calphurnius Piſo, qualis lex Iulia, cuius meminerunt Iuriſconſulti. A Lucano decenter & verè dictum eſt:

Lethalis ambitus vrbi.

Comitia cum populo partitus eſt.] Hoc eſt, in creandis Magiſtratibus pars dimidia pronuntiaretur pro arbitrio populi, pars altera pro arbitrio ipſius Cæſaris.

Exceptis Conſulatus.] Conſules enim ſolus Cæſar creare volebat.

Commendo vobis illum.] Hæc eſt breuis illa ſcriptura, qua per libellos commendabat Cæſar variis tribubus varios candidatos.

Proſcriptorum liberos.] Filios eorum ſignificat, non quos ipſe proſcripſerit (nulla enim à Cæſare proſcriptio facta eſt) ſed quos Sylla potitus rerum proſcripſerat: in qua proſcriptione, vt author eſt Plutarchus, hoc iniuſtiſſimum omnium exiſtimatum eſt, quòd proſcriptorum filios, ac nepotes honore & magiſtratuum petitione priuauit, & omnium bona publicauit. Nam, vt ſcribit Dionyſius In octauo, mos Romanis fuit, liberare filios à pœna, quocunque patres crimine deliquiſſent, ſiue filios tyrannorum, ſiue parricidarum, ſiue etiam proditorum fuiſſe contingat. Hunc morem Sylla diſſoluit, adimens filiis proſcriptorum facultatem gerendi honores, & ne Senatores eſſe poſſent. Apud Græcos lex erat, quæ filios tyrannorum cum patribus puniendos cenſet.

Ad honores.] Vt magiſtratus gerere poſſent. Cicero olim luculenta oratione dehortatus eſt liberos proſcriptorum à petitione honorum, oſtendens ita legibus Syllæ contineri ſtatum ciuitatis, vt his ſolutis ſtare ipſa non poſſit. Dixitq; tam eloquenter contra illorum cauſam, támque perſuaſibiliter, vt eos puderet deinceps petere honores. Et hoc eſt, quod intelligi voluit Plinius ſcribens de Cicerone: Te dicente proſcriptorum liberos honores petere puduit. Meminit & Quintilianus huiuſce orationis in XI.

M. A N. Senatum.] Senatorum numerum ciuilibus bellis exinanitum.

Patritios allegit, Prætorum.] Patritii ſanguinis viros in curiam traduxit: vel certè pleroſque ad patritiatum euexit.

Minorum magiſtratuum.] Maiores magiſtratus dicebantur, quorum maiora erant auſpicia, vt Cenſores, Conſules, Prætores: reliqui, vt Gellius ſcribit, minores dicti. Erit igitur ſenſus: non ſolùm Prætorum, ſed Aedilium etiam, Quæſtorum quoque, qui minores habent magiſtratus, numerum ampliauit: aut ſi duriuſculè diceretur, ita accipias: ampliauit Prætorum, Aedilium, & Quæſtorū numerum: nec horum tantùm, ſed inferiorum etiam magiſtratuum

Nudatos.] Priſtina dignitate priuatos.

Opere Cenſorio.] Cenſoria poteſtate. Cenſorium erat, vt Trebellius ait, de moribus ciuium iudicare, in ordinibus, & dignitate retinere, & eiicere quem vellet, cenſui modum imponere, vectigalia firmare, Reſpublicas recenſere, legibus ſcribendis authoritatem dare: & alia pleraque, quæ ille longiore exequitur ſermone, curare.

De ambitu.] Pompeius eo Conſulatu, quem ſolus geſſit, legem de ambitu tulit, acerbèque, Appiano authore, exercuit: Hipſeus, Memmius, Seſtius, & alii plerique illuſtres tunc ambitus, & decuplationis rei in iudicium ſunt arrepti.

Comitia cum populo partitus eſt.] Ex iis quæ ſequuntur, perſpicuè apparet qualis fuerit ea partitio: nam cùm candidatum ſe neminem profiteri poſſet, niſi petendi poteſtate prius à populo impetrata, voluit Cæſar vt candidatorum pars dimidia ſuo arbitrio, & voluntate peteret.

Excepto Conſulatu.] Siquidem in decennium ſe Conſulem, vt Appianus ait, conſtituerat Cæſar.

Edebat.] Id eſt, ſuffragia mittebat.

Proſcriptorum liberos.] Sylla rerum potitus proſcriptorum liberos, ac nepotes honore priuarat, honorum dico petitione: à Cæſare igitur reſtitutos intelligas oportet, nam ipſe neminem proſcripſit.

Tribunos ærarios, quod erat tertium.] Gracchus legem tulerat, vt equites Romani iudicarent: poſteà Sylla legem tulit, vt Senatorius ordo iudicaret: dein ab Aurelio Cotta lex iudiciaria lata eſt, vt Senatores, & equites Romani, ac Tribuni ærarii ſimul iudicarent: author Aſconius. Ait Tranquillus à Cæſare remotos fuiſſe Tribunos ærarios ex ordine iudicum: quorum Tribunorum meminit Plinius in lib. trigeſimotertio. Vnde à Cicerone in Epiſtolis ad Atticum, per quandam quaſi annominationem, non tam ærarii Tribuni, quàm ærati nuncupantur: quoniam pecunia corrupti Clodium abſoluerunt. P H I L.

Aſconius ſic ait: Milonem equites, ac Senatores abſoluerunt, Tribuni ærarii damnauerunt. Idem ſæpe meminit Tribunorum ærariorum: qui, vt autumat Marcus Varro, dicti ſunt ab eo, quòd attributa illis erat pecunia, quam militibus redderent. Idque quod attributum erat, dicebatur æs militare: de quo Plautus in Aulularia: Cedit miles: æs petit. Hinc quoque dicuntur ipſi milites ærarii ab ære, quòd ſtipendia facerent: æs enim ſtipem quoque dicebant, vnde ſtipendium.

Recenſum populi.] Refert Plutarchus in Cæſare, Cæſarem poſt finita bella ciuilia recenſuiſſe populum Romanum, in qua recenſione centum & quinquaginta hominum millia reperta ſunt: cùm anteà trecenta ac viginti millia extitiſſent. Eam magnam cladem, tantáſve populi ſtrages inteſtina mala pepererant.

Recenſere.] Recognoſcere, & per numeros colligere ſummam totius populi. Vnde recenſus pro recenſione, & recognitione dicitur: & recenſiti, qui per

recensum numerati sunt. In libro Pentateuchi, qui inscribitur Numeri, traditum est, quòd recensiti sunt à vigesimo anno omnes qui poterant ad bella procedere.

Vicatim.] Per vicos, vt regionatim per regiones, templatim per teopla, pagatim per pagos dicitur. Cæsar per vicos singulos vrbis egit recensum: sicut in Instrumento veteri scriptum est, recensitos fuisse Israelitas per cognationes & familias: de quibus recẽsitis crebra mentio est in libro Numerorum.

Nee more.] Cùm hoc recensendi officium, & condendi lustrum anteà fuisset censorium.

Necloco.] Cùm anteà in campo Martio fieret census.

Per dominos insularum.] Dominos insularum vocat eos, qui in vrbe Roma domos habebant ab aliis separatas, discretásque: nam tales insulæ nominantur. Inde scribit Spartianus, trecentas quadraginta insulas olim Romæ incendio absumptas fuisse. Vlpianus titu. de verbo. oblig. Planè si insulam fulciri quis stipulatus sit, non est expectandum vt insula ruat. De insulis in hoc significatu crebra mentio est apud Iurisconsultos, & Historicos: & ita intelligẽdum est illud apud Gelliũ libro XIIII. Conspicimus insulam quandam occupatam igni, multis, arduísque tabularis editam. Infrà frequenter insulæ pro domibus à Tranquillo vsurpantur: etenim sicut insulæ sunt in mari loca vndique ambita vndis, discreta à cõtinenti, dictæ, vt Martianus ait, ab eo quòd in salo sunt: ita domus nullis connexæ edificiis cohærentibus insulæ nominantur. In primo libro Pandectarum, titu. De offic. præfecti vigilum, insulam Accursius improprie pro domo accipi dicit. Quod si verum est, miror quid Tranquillus in Nerone intelligi voluerit, quum dixit: Formam ædificiorũ vrbis nouam excogitauit, & vt ante insulas ac domos porticus essent, de quarũ solariis incendia arcerẽtur. Et rursus: Tunc propter immensum nomerum insularũ domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatæ. Nimirum domos & insulas pro eodem à Tranquillo accipi, nemo sanæ mentis dixerit. Proinde insulæ, inquit Festus, dictæ propriè, quæ non coniunguntur cõmunibus parietibus cum vicinis, circuitúq; publico aut priuato cinguntur, à similitudine videlicet earum terrarum, qoæ fluminibus ac mari immineot, suntque in salo.

Ad centum quinquagiota.] Vt scilicet centum quinquaginta millia Romanorum tannimmodo acciperent frumentum.

Noui cœtus.] Apud Liuium mẽtio est de cœtibus nocturnis, quos plebs faciebat, in primis suspectos patribus.

Subsortitio fieret.] Hoc est, vt per sortem quasi secundá eligerentur ex nõ recensiis, qui substituerẽtur in locum demortuorum recensitorum, acciperéntque frumentum. Consimiliter in iudiciis subsortitio à prætore fieri dicitur, quãdo facta iudicum reiectione, prætor in locum eorũ, qui reiecti fuerant, subsortitur alios quibus ille iudicũ legiõmus numerus compleatur. Et quia prima sortitio dicebatur, hæc secũda subsortitio dicta est, qua perfecta iurabãt in leges iudices, vt obstricti religione iudicarent.

Qoi sactamento nõ teneretur.] Id est, qui nõ esset obligatus ad rem militarem, cui per sacramentum obligabantur: iode milites sacramenta ab eruditis appellantur.

Io transmarinas colonias.] Vt Carthaginem & Corinthũ: quas à Cæsare Dictatore cõstat esse deductas.

Sanxit ne quis.] Sensus est, Cæsar cùm videret Romam pene exhaustam, exinanitámq; esse ciuibus, propter colonos innumeros in colonias distributos, vt huic infrequentiæ succurreret, decreuit oẽ pueri ingenui intra decennium, qui ob ætatem sacramento militari non tenentur, neve adolescentes vltra vigesimum ætatis annũ, nulli sacramento militiæ obligati, abessent vltra triennium ab Italia, vt ita sobolescens iuuentus repleret vrbem ciuibus legitimis: sed cùm pueri minores decem annis vix vnquam à laribus paternis, gremióque materno abscedant, quorum ætas nondum militaris est, possemus sic legere, minor decem annis post illos scilicet viginti annos, hoc est, qui nondum annum trigesimum impleuissent.

Tribunos ærarios.] Plinius: Decuriæ iudicum, ipsæ quoque pluribus discretæ nominibus fuere. Tribunorum æris, & ex Aurel. lege. Vt Pedianus innuit, Senatores, equites Romani, & Tribuni ærarii simul iudicarunt. Erant enim tribuni ærarii, vt idem author ait, qui publicam pecuniam quæstori numerabãt. Sed de iudicum decuriis suo loco copiosius. M. AN.

Recensum.] Recognitionem.

Nec more.] Quia non vt anteà per Censores.

Vicatim.] Per singulos vrbis vicos.

Per dominos insularum.] Vt in mari, fluminibus, stagnis, lacubus, insulas terras dicimus vndique aquis septas: sic Romæ domos plures, aut continua ædificia circunquaque publica via complexa, insulas dixere.

Domioos.] Ergo possessores, quippe qui inquilinorum oumerum facile tenerent.

Treccotis millibus.] Sic enim est legeodum, non militibus: vt omnia qoæ vidimus exemplaria mendose habent. Tot enim ciuium millia frumentum ex publico accipiebant, stabátque annua illa frumentatio Reipublicæ ad mille, vt Plutarchus scribit, ducẽta ac quinquaginta talenta.

Noni cœtus.] Qui coniuratioois metu erant illi formidabiles. Recensionis causa.] Interim dum recenserentur, ii, dico, qui frumentum acciperent.

Subsortitio.] Sensus is est: cùm centũ quinguaginta oillia ciuiũ ex sortitione facta frumentũ acciperẽt, si quis eorũ vita decessisset, in demortui locũ prætor secũdaria quadã sortitione, altera scilicet ab illa priore ex numero eorũ, quibus fuerat frumẽtatio sorte adempta, subrogaret: quasi detrimẽti leuamen quoddã esset illis, qui exclusi fuerant, si per oouam sortitionem demortuorũ loco amissa cõmoda esset recuperare datũ.

In transmarinas colonias.] Clarissimæ coloniarũ à Cæsare deductarũ Carthago, & Corinthus, vtraq; trãsmatina. Maior viginti annis, minórve.] Ordo est, ne quis maior, minórve viginti annis, decẽ subintellige annis, hoc est, ne quis intra decimum, ac trigesimum annũ abesse posset Italia plus triennio, nisi militari sacramento teneretur.

Sacramẽto militari.] Militiæ sacramẽtũ in vndecimũ annum extendebatur, vt Plutarchus docet. Seruius tria militiæ monstrat fuisse genera: Legitimum, de quo nũc Tranquillus: Coniuratiooem, & Euocatio

De sanctionibus per eum editis. XLII.



Ctoginta autem ciuium millibus in trãsmarinas colonias distributis, vt exhaustæ quoque vrbi frequentia suppeteret, sanxit ne quis ciuis maior viginti annis, minórve decem, qui sacramẽto nõ teneretur, plus triennio continuo Italia abesset, neu quis Senatoris filius,

nisi cõtubernalis, aut comes magistratus peregrè proficisceretur: néve ii, qui pecuariam facerẽt, minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberent. Omnésque medicinam Romæ professos, & liberalium artium doctores, quò libentius & ipsi vrbem incolerent, & cæteri appeterent, ciuitate donauit. De pecuniis mutuis, disiecta nouarum tabularum expectatione, quæ crebrò mouebatur, decreuit tandem, vt debitores creditoribus satisfacerent, per æstimationem possessionum, quanti quasque ante ciuile bellum comparassent, deducta summa æris alieni, si quid vsuræ nomine numeratũ, aut perscriptum fuisset: qua conditione quarta pars ferè crediti deperibat. Cuncta col-

PHIL. carionem.

Contubernalis.] In eodem cũ magistratu contubernio degens: & tales erãt honoratiores. De contubernio, & cõtubernale dictũ iam est.

Comes.] Tanquam vnus ex cohorte prætoria. Sic Catullus, Pisonis comites cohors inanis. Pecuariam facerent.] Facere pecuariam, nihil aliud est, quàm alere armenta, & greges: quæ res, vt inquit Varro, ad scientiam pastoris pertinet; qui de pecuaria sic scribit in II. de Re rustica: Est scientia pecoris parandi, ac pascendi, vt fructus quàm maximi possunt capiantur ex ea: à quibus ipsa pecuaria denominata est: nam omnis pecuariæ fundamentum est pecus. In rusticatione, vt inquit Columella, ratio pascendi est quæstuosissima. Mar. Catonem consulentí quomodo celeriter locupletari posset, respondisse ferunt, si bene pasceret. De hac scilicet pecuaria intelligentem. Pecuarii verò dicuntur, qui pecuariam faciunt. M. Varro pecuarius fuit, qui scribit se habuisse pecuarias grandes: in Apulia ouiarias: in Reatino equarias. Cicero Verrem fuisse dicit hostem, prædonémque pecuariorum in Sicilia. Liuius in XXXV. Pecuarios, inquit, damnarunt ædiles.

Medicinam professos.] Imperator Constantinus præcipit medicos, & maximè archiatros, hoc est principes medicorum, & grammaticos, & professores alios literarum, ab omnibus muneribus immunes esse debere. Itidem Honorius Imperator honorãdos esse grammaticos, oratores, philosophos, medicos imperat: & meritó. Nam, vt inquit Aristoteles in II. Politicorum, vbi non maximè virtus honoratur, ibi firma non potest esse Respublica. Cæsar igitur professores disciplinarum, & medicos fecit ciues Romanos, vtpote fautor eruditorum, cùm & ipse eruditissimus esset. Laudatur à Plinio Traianus, quòd honorem dicendi magistris, & dignitatem, sapientiæ doctoribus tantam haberet, vt sub ipso spiritum, & sanguinem studia receperint. Ex quo illud à poëta, quanuis Satyrico, dictum ex animi sententia in Traiani laudem existimo: Et spes, & ratio studiorum in Cæsare tantúm. Scio à commentatoribus id aliter enarrari solere, quorum in hoc loco mihi sententia parum probatur: sed de hoc aliâs. Ad nostras cõmentationes reuertamur. Cæsar cauens ne Italia seruis repleretur, decreuit vt illi, qui exercerent pecuariam, hoc est greges, & armenta, haberent saltem tertiam partem ingenuorum inter pastores. Liuius ait olim ingenuorum conquisitionem per agros factam, vt milites fierent in inopia militari. Ingenui autem dicuntur, qui in libertate nascuntur. Et, vt inquit Boëthius in Commentario Topicorum: Ab antiquitate ingenuorum gentilitas ducitur. Nouarum tabularum.] Nouæ tabulæ dicuntur, quando debitores creditas cum vsuris pecunias persoluere non coguntur ipsis creditoribus: & abolitis prioribus debitis, nouæ tabulæ conficiuntur: quæ res nunquam ferè, nisi in tumultu, & in perturbata Repu.

fieri consueuit. De tabulis nouis sic scribit Cicero in II. Officior. Tabulæ nouæ quid habent argumenti, nisi vt emas mea pecunia fundum, & eum tu habeas, ego non habeam pecuniam? Sallustius in Catilina: Tunc Catilina polliceri cœpit tabulas nouas, proscriptionẽ locupletium. Sed vnus optimè omnium Fortunatianus libro primo artis Rhetoricæ demonstrat, quòd quando lex relata erat de nouis tabulis, pecunia, quæ cum vsuris credita fuisset, repeti non poterat: deposita verò repeti poterat. Idem in tertio exemplum Afistari, quod ἄπορον, id est dubiosum vocant, hoc refert, quo declaratur effectus nouarum tabularum. Petebat, inquit, quidam ab alio vsuram quasi pecuniæ creditæ: ille accepisse pecuniam confitebatur, sed depositã: & idcirco velle restituere sortem sine vsura. Pendente interea iudicio, lex de nouis tabulis lata est: repetit ille quasi depositam, retinet ille quasi creditam. De tabulis nouis Cicero in Antonianis, Liuius in historia belli Macedonici meminerunt. Sensus est Tranquilli, Cæsarem disiecisse hanc nouarum tabularum expectationem: cùm multi vtpote debitores, creditas pecunias soluere recusarent. Vnde ait ipse Cæsar Commentario tertio belli ciuilis Pompeiani: Hoc & ad timorem nouarum tabularum tollendum, minuendúmque, qui ferè bellum, & ciuiles dissensiones sequi consueuit, & ad debitorum tuendam existimationem esse aptissimum existimauit.

Per æstimationem possessionum.] Cùm fides tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ soluerentur, constituit Cæsar vt arbitri darentur, & per eos fierent æstimationes possessionum, & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque ea creditoribus traderent. Etenim per bella vastati agri, & incultæ possessiones minoris haud dubie pretii factæ erant, quàm ante bellum ciuile fuissent.

Si quid vsuræ nomine.] Solent debitores æs alienum vsuris cumulare in tantum, vt fœnore interdum obruantur. Cæsar, vt huic pesti obuiam iret, voluit vt ex ære alieno & ex ipsa sorte deduceretur quicquid nomine vsuræ numeratũ fuisset, vt ita sors fieret ex vsura.

Perscriptum.] Vt in syngraphis solet plus perscribi, quàm numeratum sit.

M. AN. Contubernalis.] Nisi in eodem esset contubernio.

Pecuariam rem facerent.] Pecus omnis generis pascerent: quæ ratio longe agriculturam præcessit, vt Varroni placet.

Puberum ingenuorum.] Ingenuè natorum, qui iam adulti essent: ad seruilis, libertinæque conditionis differentiam.

Disiecta.] Sublata omni expectatione nouarum tabularum, quibus omnis alieni æris ratio subuerteretur.

Mouebatur.] Ab iis, qui alienum æs debebant: vel

potius in eorum gratiam à tribunus plebis, vt à P. Dolabella, qui quum Cæsar adhuc in armis esset, de nouis tabulis rogationem promulgarat.

Ante ciuile bellum.] Quo tempore pluris omnino emebantur, quàm tunc quum bellis ciuilibus omnia exinanita esseot.

Deducta summa.] Contracta, siue, vt Pediano placet, diminuta.

Si quid vsuræ nomine.] Sensus est, quicquid pecuniæ adscriptum erat fœooris gratia creditoribus, quod in vsurariis stipulationibus fieri solet, vt maior summa, quàm expensa sit, adscribatur stipulantibus: vel certè quicquid vsuræ oomine creditoribus fuisset expensum, vtrolibet modo Cæsar ademptum iri ex summa quæ esset io tabulis, voluit: quo decreto quarta ferè pars eius summæ, quæ tum debebatur creditoribus, deperibat.

legia, præter antiquitus cōstituta, detraxit. Pœnas facinorum auxit: & cùm locupletes eò facilius scelere se obligarent, quòd integris patrimoniis exulabant, parricidas (vt Cicero scrbit) bonis omnibus, reliquos dimidia parte mulctauit.

Labores eius in iure dicendo, & leges per eum editæ. XLIII.

Vs laboriosissimè, ac seuerissimè dixit: Repetundarum conuictos etiam ordine Senatorio mouit. Diremit nuptias prætorii viri, qui digressam à marito post biduum statim duxerat, quanuis sine probri suspicione.

PHIL. Collegia detraxit.] Titulus est apud Iurisconsultos, De illicitis collegiis, quo abundè declaratur, oefas esse noua conficere collegia. Tres verò collegium conficere posse existimat Neratius Iurisconsultus. Collegiom etiam dicitur duorum: vt à Liuio dictum coosulum collegium, qui duo duntaxat sunt. Cæsar aboleuit recentiora collegia, retentis antiquioribus: de quibus inferius plura.

Facilius se obligarent.] Sicut acerbitas maleficil puniendi est plerunque bene viuendi disciplina: sic etiam lenitas pœnæ est peccandi inuitamentum: faciliúsque peccatur, quò impunitius.

Parricidas.] Antiqul parricidam dixerunt non solùm illum, qoi parentem occidisset, sed qualencunque hominem: qood Indicat lex Numæ Pompilii his composita verbis: Si quis hominem liberum morti sciens duit, parricida esto. Erit a parricida non tam à patre, quàm à pari componi vidrbitur, sicuti docet Priscianus in s. Plautus eum, qui patrem interfececir, parenticidam eleganti vocabulo appellat. Lege Pompeia de particidils cauetur, vt si quis patrem, matrem, auum, auiam, fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruū, auunculum, amitam, materteram, consobrioum, consobrinámve occiderit, vt pœna ea teneatur, quæ est legis Corneliæ de sicariis. Infrà dicetur de culeo, quo insuebantur parricidæ.

Ius laboriosissimè dixlt.] Principatus est, vt inquit verissimè Dion, res nequaquam segnis, sed laboriosa. Debet esse princeps irrequletus, & semper exercitus, instar Solis, qui in perpetuo motu est, nec scit quiescere. Duæ In primis sunt virtutes principum, iustitia, & fortitudo: quod Homerus illo versn docuit, quem cæteris anteponebat Alexander Homeri studiosissimus:

Ille bonus pugnator erat, dux optimus idem.

Iustitiæ autem pars est, ius suum vnicuique tribuere. Ideóqoe princeps ille censetur optimus, qui ius dicit: qui audit desideria adeuntium: qui in iure dicendo à legibus non recedit. Debet enim lex dominari, & esse supra principem. Vbi enim lex non imperat magistratui, sed magistratus præest legi, interitus ciuitati illi, vt ioquit Plato, paratus est. Nam qui legem præesse iubent, vt ait Aristoteles, vidétur iubere Deum præesse, & leges: qui verò hominem iubet præesse, adiungit & bestiam sæuam. Sed, vt ad institutum reuertamur, laudandus est prioceps, qui ius dicit laboriose, & seuere, & ex præscripto legis damnat, & absoluit.

Diremit nuptias.] Simile pene exemplum est apud Hierooymū, qui libro 1. contra Iouinianū sic scribit: Quasdā repudiatas altero noptiarum die, statim nupsisse legimus: vterque reprehendēdus maritus, & cui tam citò displicuit, & cui tam citò placuit.

Prætorii.] Prætorius dicitur functus prætura: sicut quæstorius, ædilitius, tribunitius dicti, qui quæstores, ædiles, ac tribuni fuerūt. Prætoriū item genere neutro, tabernaculū prætoris erat: & in castris porta prætoria, & hodie quoque præfectus prætorio. Villā vrbanā etiam Palladius prætorium appellat, his verbis. Ipsius etiam prætorii situs sit loco aliquatenus erectiore & sicciore, quàm cætera, propter iniuriam fundamentorum, & vt læto fruatur aspectu. Sine probri suspicione.] Modo stupri, & adulterii: aliàs conuicii, & contumeliæ. Apud Liuium probra pro maledictis accipiūtur, cùm ait in secundo: Occursant portis, ingerunt probra. Iidem Clcero eplstolas plenas probrorum appellat, pro contumeliarum. Quòd autem probrum significet stuprum, docet lex vetus, quæ iubet vt probrum virginis Vestalis capite puniatur: & vt vir, qui eam incestauisset, verberibus necaretur. Probrum, & opprobrium idem esse existimat Vlpianus Iorisconsultus. Sed luculenti scriptores probrum accipiunt, vt diximus, pro stupro, atque flagitio. Plaotus in Amphitryone: Durare nequeo in ædibos, Ita me ptobri, stupri, dedecoris à viro arguram meo. Accipitur item probrū pro Ignominia. Liuius li. v. His freti occursant portis, ingerunt probra, ægre abstinent.

M. A N. Collegia.] Noma Pompilius plura in ciuitate, vt Plutarchus scribit, cóllegia constituit: quæ per artes plerasque distinxit: ea sunt L. Iulio, & C. Marco consulibus Senatusconsulto sublata, quum adoersus Rempub. esse crederentur. Post nouem déinde annos, quàm sublata fuerant, P. Clodius, vt est apud Pedianum, legem tulit de collegiis restituendis, nouisque in ciuitate instituendis. Vnde Cicero, Collegia, inquit, non solùm quæ Senatus tulerat, restituta, sed innumerabilia quædam ex omni fæce vrbis, ac seruitio concitata. Quid ipsa collegia essent, aut cuius rei causa instituta, idem author perspicuè demonstrat: Societates, inquit, & conuentus, ac deorum honores cuilibet generi pto dignitate impartiens. Quibus verbis apparet ad religionis cultum, qood hodie quoque seruatur, collegia ipsa primùm constituta.

Obligareot.] Se sceleri addicerent.

Peregrinarum mercium portoria instituit. Lecticarum vsum, item conchyliatæ vestis, & margaritarum, nisi certis personis, & ætatibus, pérque certos dies, ademit. Legem præcipuè sumptuariam exercuit, dispositis circa macellum custodibus, qui obsonia contra vetitum retinerent, deportaréntque ad se, submissis nonnunquam lictoribus atque militibus, qui si qua custodes fefellissent, iam apposita è triclinio auferrent.

Festinatio eius in ornanda urbe, & Imperio ampliando. XLIIII.

NAm de ornanda instruendáque vrbe, item de tuendo ampliandóque Imperio plura ac maiora in dies destinabat. In primis Martis templum, quantum nusquam esset, extruere, repleto, & complanato lacu, in quo naumachiæ spectaculum ediderat, theatrúmque summæ magnitudinis Tarpeio

Parricidas.] Parricida olim dictus, quisquis sciens liberum hominem occidisset. Lex à Numa Pompilio lata habuit: Si quis hominem liberũ morti sciens duit, parricida esto. Cicero pro Plancio: Nisi forte magis parricida, qui patrem consularem, quàm si quis humilem necauerit. Sed receptum pene est, vt ii tantum, qui parẽtes occiderint, parricidę dicantur.

Conuictos.] Manifesti sceleris reos, & iam iudicio conuictos.

Digressam.] Eam, quæ cum marito biduo antè diuortium fecerat.

Probri.] Criminis, flagitii.

PHIL. PEregrinarum mercium.] Inter peregrinas merces ad vectigalia pertinentes numerantur Cinnamomum, piper, costũ, nardum, pelles Babylonicæ, ebur, carbasa, Gemmæ vniuersæ, vestis serica, subserica, & id genus alia, quæ recensentur à Iurisconsulto titu. De publicanis: vbi multæ dictiones inuersæ, deprauatæque sunt, & pro Latinis barbaricæ factæ. Nam malabastrum pro malobathrum legitur: opus busicum pro byssinum, quod lini genus est, & vestis infectæ colore purpureo: smirina pro Smyrna: qua dictione myrrha significatur. Ibidem nominatur nardi stachys, quod significat, vt in transcursu id quoque explicemus, spicam nardi, ex qua vnguẽtum generosum concinnatur. Nam, vt docet Plinius, nostri vnguentarii non solùm folia, sed etiam spicas nardi in vnguento celebrant. Græcè στάχυς, Latinè spica dicitur. A foliis verò nardi foliata nuncupantur vnguẽta nardina: de quibus Iuuenalis & Martialis meminerunt. Foliatum videtur Græca dictione signare voluisse Plautus cùm dixit in Curgulione: Tu petalion. πέταλον enim Græci vocant folium: vnde petalion foliatum, quod est pretiosum vnguenti genus ex nardi folio confectum. Scio apud Plautum illud petalion aliter legi posse: sed hoc probamus.

Portoria.] Vectigalia. Est enim portorium merces, quæ datur portitoribus: qui, vt inquit Donatus, sunt magistri tributorum. Plautus: Ego pol hunc portitorem priuabo portorio.

Lecticarum vsum.] Quibus gestabantur summates tam viri, quàm matronæ. Inde lecticarii dicti serui, qui lecticas baiulabant. ἑξάφορον dixere lecticam, quæ à sex seruis ferebatur: sicut ὀκτάφορον, quam octo gestabãt. In hanc sententiam ait Eusebius chronographus: Prohibitæ lecticis, magaritísque vti, quæ nec viros, nec liberos haberent, & minores essent annis quadragintaquinque.

Conchyliatæ vestis.] Conchyliatam vestem appellamus purpureã, à conchyliis dictam. Sunt autem conchylia, authore Plinio in IX. Nat. historiæ ex genere concharum: ex quibus colligitur succus tingendis vestibus expetitus: qui color austerus in glauco est, & irascenti similis mari. Cicero in Philippicis conchyliata peristromata appellat, quæ infecta erant succo conchyliorum. Iuuenalis: Horum ego non fugiam conchylia. - Plinius: In cõchyliata veste cætera eadem sine buccino, prætereaq; ius tẽperaturæ. Nisi certis personis.] Vt magistratibus.

Et ætatibus.] Vt senioribus: nã fœminæ, quę minores erant annis quadragintaquinque, prohibitæ sunt vti lecticis, margaritisq;.

Pérq; certos dies.] Vt Calẽdis, Idibus, & quibusdã diebus festiuitate solennibus.

Legem sumptuariã.] Lex sumptuaria dicitur, quæ præscribit impensam, & comprimit sumptum in cibis emendis: quã Cato cibariam appellat. Apud veteres Romanos leges sumptuariæ complures latæ fuerunt ad luxuriam cœnarũ, & gurgites prandiorum coercendos. Gellius in II. cap. XXIIII. Legi, ait, adeò nuper in Capitonis Atteii collectaneis Senatus decretũ vetus, C. Fan. & M. Valerio Messala COSS. factũ, in quo iubetur principes ciuitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, iurare apud COSS. verbis cõceptis, nõ amplius in singulas cœnas sumptus esse facturos, quàm centenos vicenósq; æris, præter holus, & far, & vinũ: neque vino alienigena, sed patrio vsuros: neq; argenti in conuiuio plus pondo, quàm libras centum illaturos. Sed & lex Fannia lata est, quæ ludis Romanis, item ludis Plebeiis, & Saturnalibus, & aliis quibusdã diebus in singulos dies centenos æris insumi concessit. Lege item Macrob. in III. Saturnaliũ cap. XVII. De legibus sumptuariis Tertullianus in Apologetico sic: Leges sumptum comprimentes centum æra, non amplius, in cœnã subscribi iubebant: non amplius quàm vnam inferri gallinam, & eam non saginatam. Centenarias appellauere antiqui cœnas, ab impensa centenûm sestertiorũ. Fuerunt autẽ sumptuariæ leges, vt docet Ammianus Marcellinus, Romã translatæ ex rhetris Lycurgi: quæ diu obseruatæ, tandẽ senescentes exoleuerunt. Rhetræ verò Lycurgi dicuntur leges, quasi ex oraculo decretæ.

Circa macellum.] Suprà diximus macellum vocari locum, in quo omnia, quæ ad victum pertinebant, vendebantur. Submissis.] Clanculum, & furtim immissis. Contra vetitũ.] Contra præscriptũ sumptuariæ legis. Custodes fefellissent.] Latuissent, decepissent. Horat. Nec vixit malè, qui natus, moriénsq; fefellit. Liui. Speculator Carthaginiensis, qui per biennium fefellerat, Romæ deprehensus, præcisis manibus dimittitur.

E tric

monti accubans. Ius ciuile ad certum modum redigere, atque ex immensa, diffusáque legum copia optima quæque, & necessaria, in paucissimos conferre libros. Bibliothecas Græcas, & Latinas, quas maximas posset, publicare, data Marco Varroni cura comparandarum ac digerendarum. Siccare Pontinas paludes: emittere Fucinum lacum: viam munire, à mari supero per Apennini dorsum ad Tyberim vsque: perfodere Isthmum: Dacos, qui se in Pontum & Thraciam effuderant, coercere: mox Parthis inferre bellum per Armeniam minorem, nec nisi antè expertos aggredi prælio. Talia agentem, atque meditantem mors præuenit: de qua prius, quàm dicam, ea, quæ ad formam, & habitum, & cultum, & mores, nec minus quæ ad ciuilia & bellica eius studia pertineant, non alienum erit summatim exponere.

E triclinio.] E cœnatione, & ipsa mensa, vbi iam apposita forent obsonia cocta coepulonibus. Nam triclinium accipi pro cœnatione, & pro mensa, abunde docuimus in notis Seruii.

In dies.] Quotidie magis.

Destinabat.] Parabat, constituebat, deliberabat.

Tarpeio monti.] Capitolium montem Tarpeium dici notissimum est ex historia Tarpeiæ, quæ Sabinis arcem prodidit: super qua non pauca perscripsimus in quarto Propertii commentario.

M. AN. PORtoria.] Vectigalia. Portorium vectigal est, quod datur portitori, id est huic, qui vectigal portus conduxit. Cicero: Neque ex portu, neque ex decimis, neque ex scriptura vectigal seruari potest. Lucilius: Facit idem quod illi, qui inscriptum è portu exportant clanculum, ne portorium dent.

Conchyliatæ vestis.] Murice tinctæ. Murex, genus conchæ est, à purpura diuersum: idem & conchyliũ dicitur. Plinius: Conchylia, & purpuras omnes ore atterit. A conchylio conchyliata dicuntur. Idem author: Concharum ad purpuras, & conchylia eadem est materia. Et alibi: Muricis, siue conchylii cruor grauis in succo est: color austerus in glauco. Id etiam ostrum dicitur, ab ostreis: vnde conchyliũ, muricem, & ostrum eodem significatu rectè accipies.

Margaritarum.] Quarum vsus in fœminis vetustus, vt Valerius opinatur, fuit: purpuræ verò & auri recentior: & in Veturiæ matris Coriolani gratiam, & Volumniæ vxoris, matronis concessus.

Pérque certos dies.] Festos, & solennes.

Legem sumptuariam.] Liciniam, aut Fanniam. Gellius: Quid tam necessarium æstimatum est propulsandæ ciuium luxuriæ, quàm lex Licinia, & Fannia, aliæque sumptuariæ leges. hoc est, contra immoderatos ciuium sumptus latæ. Eædem & cibariæ dictæ.

Macellum.] Vnde obsonia emuntur. De ratione nominis, & loco, Varro plura.

Contra vetitum.] Contra præscriptum legis.

E triclinio.] Vbi obsonia conuiuis apposita essent.

Destinabat.] Proponebat.

Complanato lacu.] In campo Martio non longè à Tyberi, in quo naualis pugna commissa fuerat.

Tarpeio monti.] Capitolino, à Sp. Tarpeii filia, ibi Sabinorum vi oppressa, nuncupato: Dionysius, Liuius, & Plutarchus sunt authores.

PHIL. ACcubans.] Adiacens, aliàs discumbens.

Ad certum numerum redigere.] Repete verbum illud, destinabat. Cæsar enim constituerat, si diutius vixisset, contrahere ius ciuile ad quendam modum, moderatámque librorum paucitatem. Quod autem illo quoque tempore, sicut & hac tempestate, fuerit infinita legum copia aceruatim congesta, docet Liuius, qui sic scribit in tertio: Decem tabularum leges perlatæ sunt, quæ nunc quoque in hoc immenso aliarum super alias aceruatarum legum cumulo, fons omnis publici, priuatique est iuris.

Bibliothecas.] Appellatione bibliothecæ & locum significari, & libros, sat notum est, vt tradit Vlpianus libro XXXII. Digestorum.

Mar. Varroni cura.] Iniunxit Cæsar prouinciam ordinandarum bibliothecarum illi Mar. Varroni, qui omnium Romanorum fuit doctissimus: de cuius laude absolutissima extat versiculus ille Terentiani,

Vir doctissimus vndecunque Varro.

Huic vni viuenti statuam posuit Pollio in bibliotheca, quæ Romæ primùm fuit publicata. Sic olim Ptolemæus Philadelphus iniunxit prouinciam conficiendæ bibliothecæ Demetrio Phalereo, cuius suasu volumina Instrumenti veteris ex lingua Hebraica in Græcam translata sunt per LXXII. interpretes. Primus omnium Aristoteles libros congregauit, & Aegypti reges bibliothecæ ordinẽ docuit: author Strabo in XIII. Reges Attalici egregiam bibliothecam Pergami instituerunt. Alexandriæ à Ptolemæis regibus instituta est bibliotheca, libris referta, ad millia ferme voluminum septingenta.

Digerendarum.] Ordinandarum: vt volumina scriptorum ordine quodã digesta sint in bibliothecis, & in suo quæque loco collocata. Sic libros Digestorum vocant, quia leges in his quasi digestæ, & ordine positæ sint.

Siccare paludes Pontinas.] scilicet destinabat. Palus Pontina est in Latio post Circeios, quem locum viginti quatuor vrbium fuisse Mutianus prodidit. De hac palude ait Iuuenal.

Et Pontina palus, & gallinaria pinus.

Plinius lib. XXXV. cap. XII. Propter hanc Mutianus altero consulatu suo in concione exprobrauit patinarum paludes Vitellii memoriæ, non illa fœdiore, cuius veneno Asprenati reo Cassius Seuerus accusator obiiciebat, interisse centum triginta conuiuas. hoc sensu scilicet vt non sit fœdior illa patina, in qua venenum datum est tot conuiuis. Patinarum autem paludes figuratè dictum est allusione Pontinæ paludis, cùm patina ipsa etiam fictilis esset & lutea: de qua idem Plinius libro tertio, cap. quinto: A Circeis Palus Pontina est, quem locum viginti trium vrbium fuisse Mutianus tertiùm consul prodidit. Is est autem Mutianus, cuius mentio crebra est apud Tacitũ, qui Vespasianum ad capessendũ Imperiũ hortatus est: qui & tẽpora Vitellii ob luxũ incessit.

Plur

Plutarchus verò ſcribit, Cæſarem deſtinaſſe Nomentanas, Sentináſque paludes deſiccare: vt campum aperiret, qui multis mortalium millibus opem, atque ſubſidium exhiberet. De Pontinis paludibus Plinius hæc: Siccentur Aethiopide Puntinæ paludes, tantúmque agri ſuburbanæ reddatur Italiæ.

Emittere lacum Fucinum.] Hunc poſteà Claudius emiſit, vt infrà dicetur. Eſt autem lacus Fucinus in quarta regione Italiæ prope Albenſes populos Marſorum: de quo ait Poëta:

- Vitrea te Fucinus vnda,
Te liquidi fleuere lacus -

Ad Tyberim vſque.] Hîc diſtinguendum eſt, vt ſit ſenſus: Cæſar deſtinabat viam conficere, quæ à mari Adriatico perueniret vſque ad Tyberim, per dorſum Apennini montis, qui, vt inquit Lucanus:

Mons inter geminas medius ſe porrigit vndas
Inferni, ſuperíque maris. - de quo Silius;
Alpibus æquatum attollens caput Appenninus.

Perfodere Iſthmon.] Iſthmos Corinthiacus, anguſta eſt, & breuis terra inter mare Ionium, & Aegæum quinque millium paſſuum interuallo. Has Iſthmi anguſtias perfodere tentauerunt Demetrius rex, Dictator Cæſar, Caius princeps, Domitius Nero, infauſto incœpto, vt omniū patuit exitu: author Plinius in 1151.

Per Armeniam minorem.] Duæ ſunt Armeniæ, maior, & minor, vt ait Plinius in ſexto. Lucanus:

- Et tu populos vtraque vagantes Armenia. -

Nomen Armeniæ indidit Armenius Theſſalus Iaſonis comes: author Strabo in ſexto. Plutarchus de his, quæ deſtinata ſunt à Cæſare ſic refert: Expeditionem in Parthos agere deſtinarat, parabátque, quibus ſubactis per Hyrcaniam ad mare Caſpium, & Caucaſum Pontum adire, dehinc Scythiam, & adiacentia Germaniæ loca ingredi, peragrata Germania per Galliam in Italiam remeare: & hunc ita gyratum Imperii ambitum coniūgere, finibus eius quaquauerſum ab Oceano complexis. Medio etiam expeditionis tempore Corinthiacū Iſthmum effodere nitebatur.

M. AN. Accubās.] Proximè adiacēs.

Ius ciuile.] Multitudine ſcriptorū ad faſtidium vſque luxurians.

Marco Varroni.] Togatorum literatiſſimo: cuius ſtatua in Palatina bibliotheca poſteà locata eſt.

Comparandarum ac digerendarum.] Hoc ad ordinem, illud ad inſtrumentum refertur.

Pontinas paludes.] Locum in Lario quatuor olim & viginti vrbium, vt Mutianus ter conſul tradidit.

Emittere.] Exiccare.

Dorſum Apennini.] Italiam diuidit Apenninus, ab Alpibus primùm in Liguriam procedens, mox ex Liguria Anconam: indéque auerſus ad Garganū in Apuliam inclinat: vnde longè euagatus in Rhegium extremum Italiæ oppidum ſe conuehit. Liuius ab indigena quodam in ſummo iugo ipſius ſacrato nomen illi datum credidit.

Iſthmum Corinthiacum.] Terrarum anguſtias inter Corynthiacum, & Saronicum ſinum, quas Demetrius rex, qui Polyporthos eſt cognominatus, effodere deſtinarat: mox Cæſar Dictator, inde Caligula, nouiſſimè Nero, omnes infelici auſpicio: quod ex illorum exitu poſteà apparuit.

Armeniam minorem.] Ad maioris differentiam: ſed minor magna ex parte ad Euphratem attinet.

Niſi antè expertos.] Craſſus minime fecerat. Plutarchus ad Caſpium mare peruenire deſtinaſſe ait, inde ſupra Pontum per Scythiam in Germaniam, & Galliam tranſire.

PHIL. Excelſa ſtatura.] Status ad habitum refertur, ſtatura corpori adſcribitur. Vnde, vt ait Donatus, ſtatus eſt ſcenici: ſtatura eſt longitudo corporis. A ſtatura, nouo, ſed non inuenuſto, vocabulo, ſtaturoſus formatur ab Auguſtino.

Colore candido.] Luna, authore Iulio Firmico, facit candidos, Saturnus nigros, Mars rubentes.

Teretibus membris.] Plenioribus. Teres eſt rotundum, & oblongum, vt columna, & arbor. Vergilius oliuam teretem appellat, & Horatius teretes ſuras, tanquam bene compactas, & ſucculentas. Talia Cæſaris fuiſſe membra ſignat Tranquillus.

Ore paulò pleniore.] Succulentiore.

Vegetis oculis.] Vigentibus. Significantur enim oculi vigiles, & in aſpectum micantes. Vegetum enim ad corpus, vigens ad animum referimus, vt inquit Nonius. Ab Auſonio vegetum cor decenter appellatur, & quia mobile eſt, & quia vigoris domicilium. Vegetare, eſt vegetum facere, ac vigens. Poëta:

Maturo cupiens me vegetare die.

Apuleius ſcribit Lunæ numine cuncta animantia vegetari: hoc eſt, ali, & vigorata fieri. A Columella probatur in tauro vegetior aſpectus.

De ſtatura & cultura corporis eius. XLV.



FViſſe traditur excelſa ſtatura, colore candido, teretibus membris, ore paulò pleniore, nigris, vegetíſque oculis, valetudine proſpera: niſi quòd tempore extremo repentè animo linqui, atque etiam per ſomnium exterreri ſolebat. Comitiali quoque morbo bis inter res gerendas correptus eſt. Circa corporis curam moroſior, vt non ſolùm tonderetur diligenter, ac raderetur, ſed velleretur etiam: vt quidam exprobraue-

Extremo tempore.] Nouiſſimis vitæ annis.

Repentè animo linqui.] Genus morbi eſt, quando quis animo linquitur: Græci λειποψύχους vocant. De his Plinius in trigeſimo ſic ſcribit: Cochleæ in cibos dantur his, quos linquit animus, aut quorum alienatur mens, aut quibus vertigines fiunt. Dicitur & λειποθυμία, defectio animi cuius frequenter meminit Galenus. Μικροψύχους autem dixerūt Græci, humilis animi, ac præparci: quibus aqua mulſa in potu data medetur. Animo linquente deſtituitur homo ex doloribus, & ſanguinis profluuio. Curtius creber eſt in hac elocutione.

Comitiali morbo.] Comitialis morbus alio nomine dicitur morbus ſacer, morbus maior, morbus Herculeus, vulgò caducū vocitamus, Græci ἐπιληψίαν vocant. Dictus autē eſt comitialis, propterea quòd comitia dicitur vitiare, atq; prohibere. Cato: Quod comitia prohibere ſolet, ne id quidem mihi vitium fuit. Id eleganter expreſſit Quintus Serenus his verſibus:

Eſt ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo eſt,
Quod ferri nobis ſuffragia iuſta recuſat.
Sæpe etenim membris acri languore caducis

Concil

runt. Caluitii verò deformitatem iniquissimè ferre, obtrectatorum sæpe iocis obnoxiam expertus: ideóque & deficientem capillum reuocare à vertice assueuerat: & ex omnibus decretis sibi à Senatu populóque honoribus, non aliud aut recepit, aut vsurpauit libentius, quàm ius laureæ coronæ perpetuò gestandæ. Etiam cultu notabilem ferunt: vsum enim lato clauo ad manus fimbriato, nec vt vnquam aliter, quàm super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura: vnde emanasse Syllæ dictum constat, optimates sæpius admonentis, vt malè præcinctum puerum cauerent.

Concilium populi labes horrenda diremit. Aristoteles author est, hunc morbum à priscis Herculeũ fuisse nominatum, quia Hercules eo laborasse fertur: idq; ex atra bile plerisq; consistere tradit. Plato in Timæo, & Platonis æmulator Apuleius, multa luculenter scripserunt de causa, atque materia huiusce morbi, quem diuinũ nuncuparunt, videlicet quòd animi partem rationalem, quæ longe sanctissima est, violet. Scribit Hippocrates in Aphorismis ἐπιληψίαν, hoc est comitialem morbum ante pubertatem prouenientem, pubertate finiri: quòd si post vigesimumquintũ ætatis annum non finiatur, longus ferè est. Hippocratis sententiam confirmat Plinius, cuius verba hæc sunt ex lib. XXVIII. Multa morborum genera primo coitu soluũtur, primóque fœminarum mense. Aut si id non contingat, longinqua fiunt, maximeque comitiales. Cor. Celsus & Auicẽna de comitiali morbo multa eruditè tradiderunt. Refert Plutarchus Cæsarem hoc morbo correptũ fuisse, cùm bello Aphricano acies ordinaret: quem simul ac præsensit, in proximam turrim delatus quieti sededit. Hoc morbo clarissimi viri laborasse produntur. Caducus proprie dicitur ipse homo corruens ex morbo comitiali. Augustinus scite, & festiuiter Caducarios appellat Academicos in libro de vita beata: Et hoc nomine, inquit, vulgò apud nos vocãtur, quos comitialis morbus subuertit. Plinius comitiales quoque homines ipsos dici posse eleganter ostendit, huic morbo obnoxios.

Morosior.] Curiosior, diligentiórque. Nanque morosi dicuntur, authore Porphyrione, illi, qui sunt multorum morum inter se contrariorum. Vnde senectus morosa ab eruditis appellari solet. Author est Seneca, morosum genus iracundiæ esse delicatum. Nam quando res pene nulla animo hominis cuncta fastidientis satisfacit, ea proprie morositas est. In hoc significatu ait Cicero: Vsque eò difficiles, ac morosi sumus, vt nobis non satisfaciat ipse Demosthenes. Et Plautus in Trinummo veluti alludens, non minus facetè, quàm eleganter dixit: Amor mores hominum moros, ac morosos efficit.

Velleretur.] Quintilianus ait in VIII. corpora vulsa, atque fucata muliebriter, esse fœdissima. Itaq; qui erãt molliores, delicatioresque, pilos sibi euellebant è corpore volsellis: quæ instrumenta sunt ad pilos euellendos. Vtebantur & resina ad idem negotium peragendum. Vnde ita scribit Plinius in XIIII. Nat. histo. Pudet confiteri, maximum iam honorem resinæ esse in euellendis à virorũ corporibus pilis. Vtebantur & pumice, quod indicat idem Plinius scribens in XXXVI. Pumices sunt in vsu corporum læuigandorum fœminis, iam quidem & viris. Quin etiam vnguenta habebant depilatoria, quæ dropacen, & psilothrum nuncupauerunt. In omni autem psilothro prius euellendi sunt pili, vt docet Plinius in XXXII. De psilothris capita apud Auicennam, & Galenum medicinæ principes conscripta sunt: vbi salamandras legimus habere vim psilothri depilatoriam: quod & Plinius memorat. Vnde à Martiale scienter, & mordaciter dictum est, Hoc salamandra notet: cùm in capite fœminæ defluuium capillorum fieri optaret.

Teretibus membris.] Repletioribus. M. AN.

Ore pleniore.] Non macilento. Plutarchus tamen eum macilentum fuisse tradidit.

Vegetis.] Vigore plenis, vel crescentibus potius.

Linqui.] Pro linquebatur: animo scilicet, vt repente collaberetur.

Per somnium.] De somniorum ratione Macrobius in somnium Scipionis abunde multa.

Comitiali morbo.] Quem Celsus ait maiorem alio nomine appellari: cùm homo quis subitò concidit, & ex ore spumæ mouentur, inde interposito tempore ad se redit, & sine alio subsurgit. Quintus Serenus nomen inde morbo datum innuere videtur, quia aliquo cadente comitia soluerentur:

Est, inquit, subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Quòd ferri nobis suffragia iusta recusat.
Sæpe etenim membris atro languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit.

Morosior.] Exquisitioris cultus, ac penè molesti.

Velleretur.] Quod in viro turpe est.

Caluitii deformitatem.] Aristoteles in quinto de generatione animalium, & Albertus Magnus libro vndenigesimo de animalibus, prodiderunt causam caluitii esse inopiam humoris calidi: qualis præcipuè est humor pinguis: ideóque plantas, quæ pingui humore exuberant, perpetua fronde virescere. Caluitium vni tantùm animantium homini est, præterquàm innatum. Naturaliter caluent, vt inquit Plinius, corui aquatici, qui ob hoc phalacrocoraces dicuntur. Et hoc est quod intelligi voluit idem Plinius, dicens in XI. Caluent corui, quibus inde est nomen. Græci enim φαλακρὸν dicunt caluum, & κόρακα coruum. Scribit Hippocrates neque fœminas, neque spadones caluescere. PHIL.

Obtrectatorum sæpe.] Obloquutorum, carptorum, vituperonum: ita enim dicuntur à doctis.

Iocis obnoxiam.] Subiectam. Infrà dicetur quẽadmodum milites ilocaliter eum appellauerunt mœchum caluum.

Reuocare à vertice assueuerat.] id est, ab eminentiore capitis parte, quæ capillis hirsuta esse solet, reducere ad occultandum caluitium: quod in anteriore fermè capitis parte solet accidere propter humiditates spermatis, quæ illinc, vt inquit Albertus Magnus, maximè resoluuntur. Apuleius in dogmate Platonis: Denique, inquit, ipsius capitis verticem specta contectum tenui cute, capillisque hirsutum aduersus vim frigoris, & caloris. Author est Plinius in vndecimo, vertices interdum homini binos esse. De vertice sic scribit Quintilianus in octauo: Vertex est contorta in se aqua, vel quicquid aliud similiter vertitur: inde propter flexum capillorum pars summa

capit

capitis, ex hoc quod est in montibus eminentissimum, recte dixeris hæc omnia vertices. Proprie tamen vnde initium est. Antiqui vortices per o literam pronunciabant: primus Africanus per e literam vertices dixit. Ius laureæ coronæ.] Vt ita scilicet caluitium occultaret. Est autem corona triumphalis, de qua plura aliâs. Ab hac vna arborum, nomen impositum est hominibus: nam Laurea Tullius dictus est Ciceronis libertus, cuius extat carmen apud Plinium graphicè concinnatum. Folium lauri propriè lauream dicimus, vt sentit idem Plinius. Sed & pro corona accipitur: inde laureola dicta.

Lato clauo.] Latus clauus vestis est Senatoria, & ordinis Senatorii peculiare fuit id insigne: inde laticlauios appellari Senatores sæpe legimus. Horatius in primo Sermonum describere volens Senatorem dixit:

-Et latum demisit pectore clauum.

Ab Ouidio clauus simpliciter dicitur pro Senatoria dignitate illo versu:

Curia restabat claui mensura coacta est.

Videtur dici latus clauus à textura: de qua Epigrammaticus poëta in Hendecassyllabo: Et lato variata mappa clauo. Latiore clauo Tullus Hostilius primus è regibus Romanis vsus est, quem purpura contextum fuisse docet Plinius.

Fimbriato.] Antiqui fibrum dicebant extremum, vnde in vestimentis fimbriæ, & in iecore extremæ partes fibræ nuncupantur: & fiber Ponticus dictus castor, animal quadrupes, ab extrema fluminis ora, vbi maximè solet videri: author M. Varro. Fimbriata vrticæ folia esse tradit Plinius: ex quo colligimus qualis sit positura, & flexura fimbriarum. Græci fimbriam κράσπεδον vocant.

Fluxiore cinctura.] Laxiore, & minimè adstricta. Fluxa fuisse vestimenta Parthorum, testis est Lucanus illo versu:

-Illic & laxas vestes, & fluxa virorum
Velamenta vides-

Malè præcinctum.] Macrobius in II. Saturnalium tradit Ciceronem post victoriam Cæsaris interrogatum cur in electione partis errasset, dixisse, Præcinctura me decepit. Iocatus est enim in Cæsarem, qui ita toga præcingebatur, vt trahendo laciniam velut mollis incederet, adeò vt Sylla tanquam prouidus dixerit Pompeio, Caue tibi illum puerum malè præcinctum.

M. AN. CAluitii deformitate.] Quod caluitio deformaretur. Plinius: Caluitium vni animalium homini est, non innatum.

alterum ordinem à plebe, vt semel cœperant esse celebres: sicut tunica ab annulis Senatum, quanquam & hoc seró. Vulgóque purpura latiore tunica inuenimus etiam præcones vsos. Tranquillus in Augusto: Tunica lati claui resuta ex vtraque parte ad pedes decidit.

Ad manus fimbriato.] Manicata tunica, qua viros vti Romæ, & toto Latio indecorum fuit, solis fœminis id genus longe, latéque diffusum conuenire existimarunt: huiusmodi tunicæ chiroditæ dictæ. Cicero & Maro eas viris velut indecoras exprobrant: Manicatis, inquit ille, & talaribus tunicis. Poëta:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Quid autem fimbriatum sit, Plinii verba perspicuè demonstrant, qui fimbriatam auellanæ nucis barbam esse dixit, multifariam scilicet in ora recisam. Græci τοὺς θυσανωτοὺς floccos appellant, quibus præditas vestes Aegyptii, vt Herodotus ait, vulgò vsurpabant. Eas Laurentius Vallensis homo impensè doctus fimbriatas in Latinum vertit.

Fluxiore.] Laxiore.

Male præcinctum.] Cæsarem adolescentem, qui non arcta, & compressa, vt cæteri solerent, cinctura: sed fluxa vteretur. Macrobius scribit Syllam Pompeium monuisse, vt caueret sibi à puero male præcincto. Cicero rogatus cur in electione partium ciuili bello deceptus fuisset: Præcinctura, inquit, me decepit. Quasi dicere voluisset, Habitus cingendi, qui Cæsarem mollem futurum arguebat. Idem Macrobius ait, Cæsarem ita præcingi solitum, vt laciniam traheret.

IN suburra.] Vicus est Romæ, à quo regio suburrana nuncupatur. Scribit Iunius suburram ab eo dici, PHIL. quòd fuerit sub vrbe antiqua. Marcus Varro autem à pago potius Succusano dictam putat Succusam: inde immutatis literis suburram: cuius rei indicium est, quòd antiquitus per c literam, non per b scribebatur. In Suburra erant meretricum diuersoria: quæ ob id Suburranæ nominantur à Poëtis.

In sacra via domo publica.] Sacram viam celebrauerunt veteres scriptores, quoniam triumphantes illa in Capitolium ibant: quam Horatius sacrum cliuum in carmine lyrico nuncupauit. Sacram viam quidam appellatam esse existimant, quòd in ea fœdus ictum sit inter Romulum, ac Tatium: tendebat autem à regia vsque in arcem.

Munditiarum.] Marius apud Sallustium ait, munditias mulieribus, laborem viris conuenire. Seneca taxans desidiam, & mollitiem Romanæ iuuentutis, fecit antitheton perquàm elegans, cùm ait: Certare cum fœminis, & immundissimis se excolere munditiis, nostrorum adolescentium specimen est. Mundus dicitur lautus, & purus: cuius contrarium est immundus: vnde munditia, & immunditia deriuantur. Cicero lib. I Offic. munditiam adhibendam dicit, non odiosam, nec exquisitam nimis, &c. Lautitiarum.] Lautitiã dici voluerunt epularũ magnificentiam à lauatione: quia apud antiquos hæ elegantiæ, quæ nũc sunt,

De habitatione eius, & structura uillarum eius. XLVI.


HAbitauit primò in suburra modicis ædibus: post autem pontificatum maximũ, in sacra via domo publica. Munditiarum lautitiarúmque studiosissimum multi prodiderunt. Villam in Nemorensi à fundamentis inchoatam, magnóque sumptu absolutam, quia non tota ad animum ei responderat, totam diruisse, quanquam tenuem adhuc, & obæratum: in expeditionibus tessellata & sectilia pauimenta circuntulisse.

Obtrectatorum locis.] Quale illud in iocularibus militum carminibus in Gallico triũpho vulgò decantatis: Mœchum caluum adducimus.

Obnoxium.] Cauillo, & obtrectationi expositum.

Reuocare à vertice.] In anteriorem partem ad caluitium tegendum retrahere.

Laureæ coronæ.] Quod triumphantium insigne fuit.

Lato clauo.] Tunica lati claui, quæ purpurea erat, Senatorii ordinis insigne. Plinius: Annuli distinxere

ſunt,nō erant:& rarò aliquis lauabat. Lautam cœnam, lautum homioem ab elegantia, & nitore dici nullus ignorat. Apud veteres elegans is dicebatur, qui nimis læto,amœoóque cultu,victúque eſſet. Mundiriarum, referre debemus ad habitationem Cæſaris elegantiorem,& ſupellectilem nitidiorem,& maocipia pretioſiora: lautitiarum, verò ad magnificeoriam conuiuandi. Iupiter ſi dominus fuerit geniturę, facit, vt inquit Iulius Firmicus,amatores munditiarum.

In Nemorenſi.] Prope Ariciam lucus eſt Dianæ ſacer, quem Græci Artemiſium vocant, quaſi Dianium, Latini Nemorenſe dixerunt: vnde & Nemorenſis rex dictus eſt ſacerdos illius religionis: de quo copioſe dicemus in Caligula.

Quanquam tenuem.] Minimè opulentum.

Obæratum.] hoc eſt, ære alieno adſtrictum,ac debitorem: ſicuti ſuprà declaratum eſt.

Teſſellata pauimenta.] Vitruuius architectus in VII. de Architectura meminit pauimentorum teſſellatorum,atque ſectilium: ſcribítque pauimenta ſectilia, & teſſeris ſtructa omnes angulos æquales habere debere. Dici autem vidētur teſſellata à teſſeris,quarum forma quadrata eſt: & ſectilia, quoniam in particulas ſecta ſunt,vt quocunque velis poſſint circunferri. Talia habebat Cæſar in expeditionibus. In teſſellato pauimento teſſerulæ omnes arte componũtur,atque coagmentantur: de quo illud eſt Ciceronis ex III. de Oratore ductum ex verſu Luciliano: Quàm lepidæ lexeis compoſitæ, vt teſſerulæ omnes, arte pauimento, atque emblemate vermiculato. Idem in eo libro,cui titulus eſt Orator, eadem verba vſurpat. Quintilianus quoque io IX. ad Lucilianum verſum reſpiciens inquit: Teſſerulas,vt ait Lucilius,ſtruet,& vermiculatè lexeis committet. Lucilianus autem verſus, quo pauimeotum teſſellatum deſcribitur, à Plinio refertur in XXXVI. ſic ſcribente: Frequentata verò pauimenta ante Cimbricum bellum magna gratia animorum,indicio eſt Lucilianus ille verſus: Ante pauimenta, atque emblemata vermiculata. Dicuntur autem pauimenta à verbo vetuſto pauire, quod ferire ſignificat: quod & M. Cato ſignare videtur, cùm ait: Pauimenta ad hunc modum facito: de teſta arida pauimentum ſtruito: vbi ſtructum eſt pauito, fricatóque oleo, vt pauimentum bonum ſiet. Multiiuga pauimentorũ genera fuerunt apud veteres: erant lithoſtrota, paruulis coagmentata cruſtis: erant ſubdialia à Græcis inuēta, quæ ſub dio erant,& in aperto, quæ vbi hyemes gelant,ſunt inotilia: erāt & aſarota, de quibus Papinius in Syluis: Suberántque nouis aſarota figuris. Et Sidonius in Hendecaſyllabo: Exorans aſaroticis lapillis. Plinius celebrat Zenodorum, qui fecerat pauimennim, in quo purgamenta cœnæ, quæ ſcopis conuerri ſolent, miro opificio facta erant ex teſtulis paruis, tinctiſque in varios colores: ita vt meritò id pauimentum Aſaroton diceretur: quaſi nũquam verſum, porgatúmque: & ita ego interpretor locum Plinianum ex XXXVI. alioqui ſubobſcurũ, ſuper quo diſcordes ſunt eruditorum ſententiæ. Fuerunt & pauimenta barbarica, ſubtegulanea, cantiea, ſcalpturata nominata. Fuit & pauimentum Græcorum nigrũ, in quo miniſtrantes frigus non recipiunt, & ſi fueriot pedibus nu

dis. A pauimento pauimentare, quod ſignificat pauimento ſternere,& pauimentatus deriuantur. Cicero in epiſtolis ad Q. Fratrem: Summam dignitatem pauimentata porticus habebat. Plinius in XXVII. Ergo pauimentandum vbi ſata ſit cenſent. Palladius ſcribit quomodo in villa ſint pauimenta facienda: Teſtaceum probat pauimētum teſſeris, aut ſcutulis ſtructum: quibus æquale reddatur, angulis, lateribúſque coniunctis. Sunt autem pauimenta domorum ſolidationes.

IN ſuburra.] Parte vrbis admodum celebri: dicta, vt Varroni placet, quòd ſub terreo muro carinarum eſſet: quaſi ſub mura. M. A N.

Sacra via.] Per quam Circenſibus ludis ſacrorum pompa traducebatur. Plinius: Mox Cæſar Dictator totum forum Romanũ intexit, viámq; ſacram ab domo ſua in cliuum vſq; Capitolinum. Domo publica.] Publico ſumptu conducta: aut certè publice poſſeſſa.

Lauritiarum.] Magnifici, elegantiſque epularum apparatus. Feſtus Lautitiam, epularum magnificentiam interpretatur, à lauando nomen factum. Plures lauria ſcribunt. Plutarchus verò in Quæſtionibus lautias, ſed nō idem quod lautitiæ. Idem enim author oſtendit lautias munera fuiſſe, quæ exterarum gentium legatis dari conſueuerint. In Nemorenſi.] Io Aricino. Nemus enim appellabatur lucus haud quidem longè ab Aricia, vbi lacus, quod ſpeculum Dianæ dicitur: hinc Nemorenſis lacus,& Nemorenſis ager: vt Tuſculanus ager dictus. Hodie eſt in eodem loco oppidum, qood veteri appellatione Nemus dicitur. Nemorenſi ergo, vt diximus, Aricino: ſic Nemorenſis rex, qui ſacra Aricinæ Dianæ faciebat.

Obæratum.] Alieno ære laborantem.

In expeditionihus.] Quibus ditatus eſt, io Hiſpania primò, mox in Gallia. Quidam inde habent: vt ſit ſenſus, Procedente tempore, cùm bella adminiſtraret.

Teſſellata.] Teſſellis, minutis lapidibus ſtrata.

Sectilia] A ſecando ſectile dicitur. Erant enim marmoreis cruſtis communita. Lithoſtrotũ intelligit, quale Præneſte, vt Plinius ait, in Fortunæ delubro fuiſſe conſtat, paruulis id cruſtis conſtat. A noſtris ſectile dicitur. λίθος enim lapis, στρωτὸν ſtratum dicitur. Non me latet eſſe, qui lignea hæc fuiſſe interpretentur, quia in expeditionibus circunlata Tranquillus dixerit: ſed ad villæ ſtructuram omnia commode referas.

Pauimenta.] Solidamenta domus, à feriendo dicta, qoòd dum fiunt, ne rimas contrahant, pluribus ſimul diebus virgis, aut malleis feriuntur. Pauite, veteres ferire dixere. Lucil. Palmíſque miſellam depuit. Afranius: Oppuuiis pueri coercentur. id eſt, verberibus. Pauimentorum genera plura,& ſtructuræ varietatem ex Plinio require.

SPe margaritarum.] Anthor eſt Plinius in IX. & Solinus in Collectaneis, in Britannia naſci paruas, & decolores margaritas, ex quibus Iulius Cæſar thoracem fecit, quē Veneri genitrici io templo eius dicauit. Veteres margaritā fœminino genere, & margaritum neutro dixere: hinc illud ab Hieronymo prouerbialiter prolatum in epiſtola ad Demetriadē: Tanti, vt dicitur, vitrũ, quāti margaritum. In hanc ſententiam ſic ſcribit Tacitus io libro de vita Iulii Agricolæ: Ferè Brit PHIL.

De cupiditate gemmarum, margaritarum, & ſignorum operis antiqui eius. XLVII.

Ritanniam petiſſe ſpe margaritarum, quarum amplitudinem conferentem, interdũ ſua manu exegiſſe pondus. Gemmas, toreumata, ſigna, tabulas operis antiqui ſemper animoſiſſimè comparaſſe: ſeruitia recentiora, politioráque immenſo pretio, & cuius etiā ipſum

puderet, ſic vt rationibus vetaret inferri.

De conuiuijs & domeſtica diſci plina ſuorum. XLVIII.



Onuiuatum aſſiduè per prouincias duobus tricliniis: vno, quo ſagati palliatíve: altero, quo togati cum illuſtrioribus prouinciarum diſcumberent. Domeſticam diſciplinam in paruis ac maioribus rebus diligenter adeò ſeueréque rexit, vt piſtorem, alium, quàm ſibi, panem conuiuis ſubiicientem, compedibus vinxerit: libertum gratiſſimum ob adulteratam equitis Romani vxorem (quanuis nullo querente) capitali pœna affecerit.

Britannia aurum, & argentum, & alia metalla gignit, & Oceanus margarita, ſed ſubfuſca, & liuentia. Romani margaritas appellauerunt vniones, ab eo quòd nulli duo indiſcreti reperiantur. A margarita margaritarii dicti negotiatores, mangonéſque margaritarum Luna defluens à Venere margaritarios facit, vt inquit Iulius Firmicus.

Exegiſſe.] Inquiſiuiſſe, perdidiciſſe: nã Cæſar ſua manu explorabat, inquirebátq; quænam eſſet ponderoſior.

Toreumata.] Τορεύω verbum Græcum eſt, quod ſignificat ſculpo, & cælo: inde toreumata opera dicuntur ſculpta, & fabrefacta: τορευτὴς ſculptor, & cælator. Author eſt Plinius in XXXIIII. primum Phidiam artem toreuticæ aperuiſſe, & demonſtraſſe: quam Polycletus Sicyonius mox erudiuit, ac conſummauit. Martialis: Artis Phidiacæ toreuma clarum.

Signa.] Statuas, & ſimulacra ænea, marmoreáque. Docet Cicero in Verrinis, multos Romanos cupidos fuiſſe huiuſcemodi ſignorum. Inde ſignifex eleganti vocabulo dictus artifex ſignorum, & ſtatuarum.

Tabulas operis antiqui.] Author eſt Plinius in XXXV. Timomachum Byzantinum pinxiſſe Cæſari Aiacem, & Medeam, vendidiſſeque eas tabulas talentis octoginta, quas Cæſar poſuit in ædem Veneris genitricis. Hoc idem memorat in VII.

Seruitia recentiora.] Scribit Iuriſconſultus ff. de ædilitio edicto, mancipia nouitia pretioſiora eſſe veteranis: ideóque plerique ſolent mancipia, quæ nouitia non ſunt, quaſi nouitia diſtrahere: ad hoc ſcilicet, vt pluris vendant. Seruitia appellat Tranquillus ipſos ſeruos, atque mancipia. Liuius: Qui ſeruitia non commouit author.

Rationibus inferri.] Rationariũ intelligit, eúmque codicem, in quo accepti, & expenſi rationes deſcribuntur. Senſus eſt, Pudebat Cæſarem enormis pretii, quo ſeruos comparabat, ideóq; nolebat in rationario perſcribi eam ſummam, quam impenderat in emptionem ſeruorum. Maximum ſerui Daphnidis pretium fuit, qui emptus eſt à M. Scauro tribus millibus, & ſeptingentis ſeſtertiis.

Conuiuatum.] Extrinſecus ſubintelligendum eſt verbum illud prodiderũt, quod ſignificat tradiderunt, memorauerunt. Hanc figuram grammatici zeugma à ſuperiori appellant.

Quo ſagati, palliatíve.] Sagatos dicimus indutos veſte militari. Eſt enim ſagum, vt inquit Nonius, militare veſtimentum. Scribit Cicero in Philippicis ſaga ſumi ſolere in bello, atque tumultu: & quando in ſagis tota ciuitas erat, conſulares viri togati eſſe ſolebant. Martialis:

Vis te purpureum, Marce, ſagatus amem.

A ſago fit ſagaria, vt ab argento argentaria: de qua in annotationibus.

Palliati.] Græci, & habitu Græco veſtiti. Eſt enim pallium Græcus habitus. Vnde comœdiæ palliatæ dicuntur, quæ ſcriptæ ſunt, ſecundum ritus, & habitus hominum palliatorũ, id eſt Græcorũ: authores Donatus, & Diomedes.

Togati.] Romani. Eſt enim toga communis veſtis Romanorum, qua non ſolùm viri, ſed etiam fœminæ vtebantur. Iterdum toga accipitur pro peculiari habitu clientum, & ſalutatorũ: qui togati ibant ſalutatum, vt ſportulam conſequerentur. Martialis:

Mane, vel à media nocte togatus ero.

Eiuſdem in Apophoretis diſtichon eſt, cui titulus eſt Toga:

Si matutinos facile eſt tibi rumpere ſomnos,
Attrita veniet ſportula multa toga.

Piſtorem.] Piſtores vocamus eos, qui panem faciunt. M. Varro in Satyra de eduliis: Si quantum operæ ſumpſiſti, vt tuus piſtor bonum faceret panem. Atteius Capito piſtores tantùm eos, qui far pinſebant, nominatos eſſe tradit, eóſque coquere ſolitos panem toſtum lautioribus. Piſtorem & coquum apud antiquos eundem fuiſſe accepimus. Scribit Plinius, piſtores Romæ non fuiſſe ad Perſicum vſque bellum: ipſi enim Romani faciebant panem, mulierúmque id opus erat. Antiqui piſtorem habebant in numero ſeruorum Vnde ait Iuriſconſultus De legatis III. Si quis ſeruos habuerit proprios, ſed quorum operas locabat, vel piſtoricas, vel hiſtrionicas, ſeruorum appellatione etiam hos legaſſe videtur. A piſtore piſtorium opus deriuatur. Hîc piſtor accipitur pro panifice: ſic enim dicitur, qui facit panem. Senſus eſt Tranquilli, Cæſarem ideo compedibus vinxiſſe piſtorem, quia nõ eundem panem omnibus conuiuis exhibebat, apponebátque ipſi Cæſari ſiligineum, & delicatiorem, cõuiuis verò ſecundarium, & cibarium. quod minimè fieri decet. Nanque, vt refert Plinius in Epiſtolis, conuictores cunctis rebus exæquare debemus, quos menſa, & toro æquauimus. Reprehenditque quendam ſordidum, ſimul & ſumptuoſum, qui ſibi, & paucis opima quædam, cæteris vilia, & minuta apponebat. Hinc illud Epigrammatici poetæ:

Cur ſine te cœno, cùm tecum, Pontice, cœnem?

Cato cùm in Hiſpaniam nauigaret, Non aliud, inquit, vinum bibi, quàm remiges. Intantum diſſimilis iſtis, qui, vt ait eleganter Plinius, etiam conuiuis alia quàm ſibimet ipſis miniſtrant, aut procedente menſa ſubiiciunt. Xenophon in VIII. Pædie laudat Cyrum, quòd conuictoribus eadem, quæ ſibi, apponeret eſculenta. Meritò itaque Cæſar puniuit improbum piſtorem, cùm has ſordes conuiuales aſpernaretur.

Nullo querente.] Et ſi nullus conquerebatur.

Spe margaritarum.] Exiguæ ſunt, & decolores margaritæ, vt idem author ait, in Britannia: quo genere ornatiſſimum thoracem Cæſar Veneri genitrici dedicauit. M. AN.

Conferentem.] Comparantem.

Exegisse.] Margaritis vtraque manu impositis earum pondus explorasse.

Toreumata.] Crispus: Tabulas, signa, toreumata emunt. τορεύειν sculpere: vnde τορεύματα Græci dicunt.

Tabulas.] Pictas.

Antiqui operis.] Plinius: Præcipuam tabulis authoritatem Cæsar Dictator fecit, Aiace, & Medea ante Veneris genitricis ædem dicatis.

Animosissimè.] Sine vllius pretii respectu.

Seruitia recentiora.] Alicunde primùm aduecta.

Inferri.] Adscribi.

Sagati.] Milites, scilicet Sagum, militare vestimentum. Sallustius: Vti Metello in sago Herculeio in brachio tela venirent. Vergilius:

Virgatis lucent sagulis. -

Huiusmodi veste iactari homines consuetum. Idem Tranquillus in Nerone: Solitus iualidum quenque obuium, vel potulentum corripere, ac distento sago impositum in sublime iactare. Martialis:

Ibis ab excusso missus in astra sago.

Palliati.] Græci, & alii peregrini generis viri, qui pallio honestiore vestis genere latæ, diffusǽque vtebantur.

Togati.] Romani, quorũ toga peculiaris fuit. Verg.

Romanos rerum dominos, gentémque togatam.

Subiicientem.] Apponentem.

Alium paoem.] Secundarium intellige. Lampridius sequentem appellauit. Opprobrio.] Infamia.

Calui Licinii.] Caluum Licinium Fabiũ inter claros reponit oratores: sed hunc arbitror poëtam fuisse, ad quem Catullus: Hesterno Licini die iocosi. Huius quoq; hendecasyllabũ illud est in Qu. Curium: Et talis Curius pereruditus.

Et pædicator.] Corruptor, stuprator. Actiones.] Orationes per se habitæ. Cornelii Dolabellæ.] Quem Cæsar, vt diximus, admodum iuuenis accusauit.

Pellicẽ reginæ.] Pellex ea dicitur, quæ cum eo, cui vxor est, se turpiter miscet. Sallustius: Filia matri pellex. Iuuenalis: Aut ficta pellice plorat.

Fornicem.] Prostibulum. Idem author: - Quocũq; in fornice nati. Mart. lib. s. Epigr. xcs.

Raráque Summenii fornice rima patet.

Bithyniæ reginam.] ἰυφαλονῶς, Nicomedis vxorem.

Nunc esse illi regnum.] id est, regnum affectare.

Liberius dicax.] Liberæ dicacitatis. Est, vt Fabius ait, dicacitas sermo cum risu aliquem incessens.

Conuentu maximo.] Frequenti hominum consessu, aut stantium corona.

Pompeium regem.] Ad Alexandrum Macedonem, credo, allusit, quo nomine ob lineamentorum similitudinem à quibusdam per iocum est Pompeius, vt Plutarchus ait, appellatus: quanquam iuuenili ætate mores & verendi, & regii, eodem authore in eo eminuere.

C. Memmius.] Is prætor in Asia, & circa Bithyniam, vt Catulli carmen testatur, Rempub. administrauit.

Nicomedis contubernium.] Quando adhuc adolescentulus desedit apud Nicomedem, factúsque est eius contubernalis, oppidoquàm familiaris: de quo ante dictum est. PHIL.

Bithynia quicquid.] Isti sunt versus Calui poëtæ, quibus Cæsarem pudicitiam prostituisse Nicomedi significabat. Et est dimidiatus heroicus, & integer pentameter versus. De Caluo mox dicemus haud indigna memoratu.

Pædicator Cæsaris.] Nicomedes stuprator. Latini pædicatorem appellant amatorem puerorum, quem Græci ἀρρενοκοίτην dicunt: & alia dictione πυγιστής. Pædicare verbum obscœnũ est, quod significat præposteram cum masculis libidinem exercere: Græci dicunt πυγίζειν. Iulius Firmicus hoc genus homines vocat libidinosa cupiditate præposteros: obscœnámque hanc, infandámque libidinem præposteram appellat.

Prætereo actiones Dolabellæ.] Aliud est, inquit Plinius in 1. Epistolarum, actio bona, aliud oratio: potest enim fieri, vt sit actio bona, quæ nõ sit bona oratio. Est autẽ oratio, actionis exemplar, & quasi archetypon. Actionem dixerũt esse Cicero, & Quintilianus, quasi corporis eloquentiam. Agit orator causas in foro: vnde actiones dictæ: tales nunc significantur. Dolabella, quem Cæsar accusauit, & Curio actiones scripserant, in quibus Cæsarem taxabant tanquã impudicũ, & cinædum Nicomedis. Sunt & actiones pars iuris ex legibus compositæ: de quibus scribunt Iurisconsulti. Et est actio generale nomen vulgò notum.

Pellicem reginæ.] Pellex, vt inquit Iurisconsultus, illa vulgò appellatur, quæ cum eo, cui vxor sit, corpus misceat: inde apud oratores, & poëtas pellex non tam viri, quàm vxoris nuncupatur. Cicero: Vxor generi, nouerca filii, filiæ pellex. Hoc idem ostendit lex Numæ regis antiquissima, cuius hæc sunt verba: Pellex ædem Iunonis ne tangito: si tangit, crinibus dimissis Iunoni agnum fœminã cædito. Inde pellicatus dicitur, sicuti

De pudicitia eius prostrata apud Nicomedem regem. XLIX.



Pudicitiæ eius famam, nihil quidem, præter Nicomedis contubernium, læsit, graui tamen & perenni opprobrio, & ad omnium conuicia exposito. Omitto Calui Licinii notissimos versus:

Bithynia quicquid & pædicator Cæsaris
Vnquam habuit. -

Prætereo actiones Dolabellæ, & Curionis patris: in quibus cum Dolabella pellicem reginæ, spondam interiorem regiæ lecticæ, at Curio stabulum Nicomedis, & Bithynicum fornicem dicunt. Missa etiã facio edicta Bibuli, quibus proscripsit collegam suum, Bithynicam reginam, eíque regem antea fuisse cordi, nunc esse regnum. Quo tempore, vt M. Brutus refert, Octauius etiam quidam, valetudine mentis liberius dicax, conuentu maximo, cùm Pompeium regem appellasset, ipsum reginam salutauit. Sic C. Memmius etiam ad cyathum & vinum Nicomedi stetisse obiecit cum

ſicuti concubinatus. Igitur Dolabella Cæſarem, cuius corpori aſſueuerat Nicomedes, appellabat pellicem reginæ, vxoris ſcilicet Nicomedis.

Spondam interiorem.] Conſueuit concubinus, & concubina in parte interiore ipſius lecti, atque lecticæ cubare: in parte verò exteriore ipſe vir.

Stabulum.] Veluti proſtibulum. A Plauto ſcortum dictum eſt ſeſſibulum merum.

Bithynicum fornicem.] id eſt lupanar regis. Fornicem enim appellamus cellam meretriciam. Seneca in 1 5. Controuerſiarum: Redoles adhuc fuliginem fornicis. Et in Priapeis, Nigri fornicis oblitus fauilla. Inde fornicatio, & fornicari deriuantur.

Miſſa facio.] Rhetorica eſt exornatio, quam vocant occupationem.

Collegam ſuum.] Cæſarem, qui fuit collega Bibuli in conſulatu.

Bithynicam reginam.] Tanquam Cæſar loco reginæ, & fœminæ, fuiſſet apud Nicomedem.

Regem fuiſſe cordi.] Dilexiſſe Nicomedem vt maritum.

Nunc regnum.] Quod cuperet regnare.

Ad cyathum ſtetiſſe.] Ad cyathũ ſtare dicuntur pincernæ ipſis regibus, quibus cyathiſſant, hoc eſt in cyatho vina miniſtrãt: hoc enim ſignificat cyathiſſare, quo verbo vſus eſt Plautus ſic ſcribens in Menæchmis: Non ſcis quia ego ſim, qui tibi ſæpiſſime cyathiſſo, apud nos quando potas. Auſonius: Stat Iouis ad Cyathum.

oriundus erat à Venere per Iulium Aſcanium Veneris nepotem.

Defendenti Niſæ cauſam.] Quidam legunt Niſæ, & intelligunt nomen eſſe proprium filiæ Nicomedis: ego exiſtimo legendum eſſe enixè, quod ſignificat vehementer, cuius ſuperlatiuum eſt enixiſſime. Aulus Gellius citat teſtimonium ex oratione Cæſaris, quam pro Bithynis dixit: quæ fortaſſis fuit hæc, de qua nunc loquitur Tranquillus.

Quid ille tibi.] Verba ſunt Ciceronis, quibus vrbanè, & mordaciter taxauit Cæſarem, dicens notum eſſe quid Cæſar acceperit à Nicomede, & quid ipſe viciſſim dederit Nicomedi: vbi occultè rem turpem, & obſcœnam dediſſe intelligi voluit.

Iocularirer canunt.] Moris fuit apud veteres Romanos, vt milites in Imperatorem triumphantem iocos militares impunè dicerent: quod indicat Liuius ſic ſcribens de Camillo: Dictator recoperata ex hoſtibus patria triumphans in vrbem rediit, intérque iocos militares, quos inconditos iaciunt, Romulus appellabatur. Huic ſententiæ adſtipulatur illud Epigrammatici poëtæ:

Cõſueuere iocos veſtri quoque ferre triumphi:

Materiam dictis nec pudet eſſe ducem.

reliquis exoletis pleno conuiuio accubantibus nonnullis vrbicis negotiatoribus, quorum refert nomina. Cicero verò non contentus in quibuſdam epiſtolis ſcripſiſſe, à ſatellitibus eum in cubiculum regium eductum, in aureo lecto, veſte purpurea decubuiſſe, florémque ætatis à Venere orti, in Bithynia contaminatum: quondam etiam in Senatu defendenti enixè cauſam filiæ Nicomedis, beneficiáque regis in ſe commemoranti: remoue, inquit, iſthæc, oro: quando notum eſt, & quid ille tibi, & quid illi tu dederis. Gallico denique triumpho milites eius inter cætera carmina, qualia currum proſequentes, ioculariter canunt, etiam vulgatiſſimum illud pronuntiauerunt:

Gallias Cæſar ſubegit, Nicomedes Cæſarem.
Ecce Cæſar nunc triũphat, qui ſubegit Gallias:
Nicomedes nõ triũphat, qui ſubegit Cæſarem.

PHIL. EXoleti.] Dicuntur cinædi adulciores, qui iam oleſcere, id eſt creſcere deſierunt. Olim Alexander Romanus Imperator exoletos Heliogabali iuſſit deportari: aliquos etiã naufragio mergi. Vrbicis.] id eſt vrbanis, hoc eſt Romanis. Au. Gellius: Venum hercle dediſſem res ruſticas, & vrbicas emiſſem. Apud Iuriſconſultos mentio fit de ſeruis vrbicis, & ruſticis.

A Venere orti.] Id eſt Cæſaris, qui

Sobègit.] Iocus eſt ductus ex ancipiti iſtius verbi ſignificatione. Nam ſubigere ſignificat vincere, & domare: & ſubigere dicitur pędicare, ſubagitando cinædum: inde ſubactores à Lampridio dicti ſunt pędicones: quorum multitudinem Heliogabalus Imperator habuit in comitatu. Subegit Gallias, pro domuit accipitur. Subegit Cæſarem, pro ſubagitauit, ſtuprauitque.

De luxuria & libidine eiuſdem. L.



PRonum & ſumptuoſum in libidines fuiſſe, conſtans opinio eſt, plurimáſque & illuſtres fœminas corrupiſſe, in quibus Poſthumiam Seruii Sulpitii, Lolliam Auli Gabinii, Tertullam M. Craſſi, etiam Cn. Pompeii Mutiam. Nam certè Pompeio, & à Curionibus patre & filio, & à multis exprobratum eſt, quòd cuius cauſa poſt tres liberos exegiſſet vxorem, & quem gemens Aegyſthum appellare conſueſſet, eius poſtea filiam potentiæ cupiditate, in matrimo-

Sumptuoſum.] Feciſſe ſumptus, & impenſas magnas cauſa libidinum. Sumptuoſus, & quæſtuoſus opponuntur. Catonianum illud dignum memoratu: Scito idem agrum, quod hominem, quanuis quæſtuoſus ſiet, ſi ſumptuoſus erit, relinquere non multum.

Posthumiam Sulpicii.] scilicet vxorem. Absoluta elocutio est, & frequens apud doctos, vt ita dicamus: Terentia Ciceronis: Mutia Pompeii: & extrinsecus subintelligitur vxor.

Cuius causa exegisset vxorem.] Pompeius plures habuit vxores, videlicet Antistiam: qua repudiata duxit Aemyliam Syllæ priuignam: habuit & Mutiam, & Iuliam, atque Corneliam: cum Mutia diuortium fecit, quando reuertens à victoria Mithridatica intellexit eam sua impudicitia domum dehonestasse: verùm, vt author est Plutarchus, neque posteà cur illam repudiasset, confessus est. Existimat Tranquillus, eam repudiatam fuisse Iulii Cæsaris causa, cum quo exercebat adulteria absente marito. Impudicitiam Mutiæ vxoris Pompeii taxat Hieronymus libro contra Iouinianum primo his verbis: Cn. Pompeio Mutiam vxorem impudicam, quam Pontici spadones, & Mithridaticæ ambiebant cateruæ, cùm cæteri putarent eũ scientem pati, indicauit in expeditione commilito, & victorem totius orbis tristi nuntio consternauit.

M. AN. EXoletis.] Scortis masculis iam adultis. Lampridius meritorios quoque pueros exoletos appellauit: Lenonum, inquit, vectigali meretricum, & exoletorum.

Vrbicis.] Romæ agentibus, in vrbe habitantibus.

Commemoranti.] Referenti, prædicanti se officiũ, non mercedem secutũ: quod Cicero & Fabius præcipiunt esse assimulandum, etiam si non sit. Gellius, in ea oratione, quam pro Bithynis habuit, huiusmodi principio eũ vsum scribit: vel regis Nicomedis, vel pro horum necessitate, quorum nunc agitur.

Ille.] Nicomedes.

Iculariter.] Per iocum, & lasciuiam. Martialis:

Consueuere iocos vestri quoque ferre triumphi.

Posthumiam Seruii Sulpitii.] Coniugem intellige. Vergilius:

Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia seruas?

PHIL. AEgysthum appellare.] Aegysthus adulter fuit Clytemnæstræ vxoris Agamẽnonis: ex cuius adulterio notissimo Pompeius Cæsarem Aegysthum appellabat. de hoc Ouidius:

Quæritur Aegysthus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

Quidã dicũt, consilio Aegysthi Agamemnonẽ ab vxore vestẽ accepisse clauso capite, qua implicatus adulteri manibus interiit. Eius posteà filiam.] scilicet Iuliã, quam Cæsar Pompeio collocauit, vt suprà dictum est.

Bruti matrem Seruiliam.] Seruilia Catonis Vticensis soror, Marci Bruti fuit mater, quam Cæsar adhuc adolescens amauit: & cùm eo tempore, quo hic amor feruescebat, Brutus sit natus, quodammodo creditus est e Cæsare genitus: Author Plutarchus in Bruto. Prætereà olim Seruilia epistolam amatoriam misit ad Cæsarem in Senatu, qua lecta, Cato dixit: Vince ebrie.

nium recepisset: sed ante alias dilexit Marci Bruti matrem Seruiliam: cui & proximo suo consulatu sexagies sestertiûm margaritam mercatus est: & bello ciuili super alias donationes, amplissima prædia ex auctionibus hastæ minimo addixit. Cùm quidem plerisque vilitatem mirantibus, facetissimè Cicero, quò melius, inquit, emptum sciatis, Tertia deducta est: existimabatur enim Seruilia, etiam filiam suam Tertiam conciliare Cæsari.

Luxuria eius in prouinciales matronas. LI.

NE prouincialibus quidem matrimoniis abstinuisse, vel hoc disticho apparet iactato æquè à militibus per Gallicum triumphum:

Vrbani, seruate vxores, mœchum caluum adducimus:
Auro in Gallia stuprum emisti, hîc sumpsisti mutuum.

Ex auctionibus hastæ minimo addixit.] Auctionem dici voluerunt, vt refert Placiades, venditionem, quasi quòd ementem augeat & vendentem. Vnde ait Plautus in Sticho, de auctione parasitica loquẽs: Nunc auctionem facere decretum est mihi. Auctione autem hastæ significatur venditio publica bonorum eorum, qui damnati, proscriptíve fuerunt. Nam hastæ subiiciebant ea, quæ publice venundabant, sicut in bello capta: quia, vt inquit Festus, signum præcipuum est hasta. Inde hastam Cæsaris refrixisse scribit Cicero, qui alibi ait: Bis iam vidimus hastam in foro ponere, & bona ciuium voci subiacere præconis: & olim Sylla ausus est dicere, hasta posita cùm bona in foro venderet, & bonorum virorum, & ciuiũ locupletum, prædam suam se vendere. Hanc hastam non minus vere, quàm eleganter cruentam appellat idem M. Cicero, qui in secunda quoque Philippica miseranter deplorat bona Pompeii hastæ à Cæsare positæ fuisse subiecta. A. Propertio, vt scripsimus in IIII. Commentario, pertica tristis pro hac hastæ venditione posita videtur: inde à Tertulliano dictũ est in Apologetico: In hastario vectigales sumus.

Minimo addixit.] Addicere, est vendere in auctione: inde addictus apud veteres dicebatur, qui prætoris pronuntiatione, cùm soluendo non esset, creditori tradebatur, tanquam venditus. Magna apud Liuium lib. VI. fit mẽtio de addictis. Plinius tabulas Sicyoniorum addictas esse scribit, propter æs alienũ ciuitatis, emptásq; à Scauro. Sensus est, Cæsarem vendidisse minimo, hoc est, paruo pretio, prædia. Seruiliæ, dum in auctione hastaria venderet bona aduersariorum. Omnes codices habent minimo addixit: ego verò existimo corrigendum esse, nummo addixit, vt sit elocutio ex antiquo ritu deprompta: namque, vt scribit Porphyrio Horatii interpres, genus erat donationis, in qua quando aliquid donabatur, nummũ dabant, vt emisse viderentur. In hanc sententiam exiit illud Horatianum: Emptor gaudentem nummo te addicere. Idem à Valerio expressius vsurpatur, qui sic ait in capite de gratis: Vt exequiarum apparatus sestertio nummos ipsis præbentibus addiceretur.

Tertia deducta est.] Deducere, significat imminuere, & detrahere: inde deductio significat imminutionem

nem, vt inquit Aſconius. Aliâs deducere ſignificat comitari officii cauſa, & domum ducere. Vnde & deductores dicti. Inde vrbanitas eſt Ciceronis, dicentis Tertiam deductam eſſe. Nam qui audiunt, exiſtimant ſignificari tertiam pretii partem fuiſſe imminutam, atque detractam: cùm ille συμβολικῶς, & opertè dicere vellet filiam Seruiliæ nomine Tertiam à matre ad Cæſarem fuiſſe deductam, vt cum eo concumberet. Huius ioci meminit Macrobius quoque his verbis: Equidem quò melius emptum ſciatis, comparauit Seruilia hunc fundum, Tertia deducta. Filia autem Seruiliæ erat Iunia Tertia, eadémque Caii Caſſii vxor, laſciuiente Dictatore tam in matrem, quàm in puellam.

Vrbani, ſeruate vxores.] hoc eſt δίστιχον, id eſt duo verſus, quos milites iaciebant in Cæſarem, ſignificantes illum non minus in Gallia prouincia, quàm Romæ exercuiſſe adulteria.

Mœchum caluum adducimus.] Cæſar ſignificatur, qui caluitii deformitate offendebatur. Caluitium autem ex nimio coitu prouenire ſcribit Ariſtoteles in v. de generatione.

Auro in Gallia ſtuprum emiſti.] Quidam codices habent, aurum in Gallia effutuiſti: eadem tamen eſt ſententia.

Hic.] ſcilicet Romæ.

Mutuum.] Videntur dicere verſiculi, quòd Cæſar Romæ ſtuprum ſine pretio exercuerit, cùm intelligi velint par pari repenſum eſſe: vt ſcilicet pro ſtupro dato ſtuprum receperit: & cùm ipſe alienas adulteraret, ſuam quoque adulteratam eſſe à Clodio haud diſſimulanter tulit: & hoc erit mutuum ſtuprum.

M. AN. Aegyſthum appellare.] Ad perſonarum qualitatem alluſit: nam Aegyſthus & ſacerdos fuit, & abſentis Agamemnonis coniugem Clytemnæſtram adulterauit: Sic Cæſar pontifex maximus Pompeio tum Imperatore ſummo abſente, Mutiam corrupit. Plutarchus ait, Pompeiũ Mithridatico bello reuerſum Mutiam dimiſiſſe, ſed neq; tunc, neque poſteà diuortii cauſam confeſſum.

Filiam.] Iuliam.

Seruiliam.] M. Catonis ſororem, Bruti matrẽ. Idem Plutarchus eſt author, amatoriam illius epiſtolam ad Cæſarem datam, Catonem tacitè legiſſe: Inde in Cæſarem reiectã, capias ebrie, dixiſſe.

Primo ſuo conſulatu.] Quem cum Bibulo geſſit.

Ex auctionibus.] Licitationibus.

Haſtæ.] Nam haſtæ venalia ſubiiciebantur: vnde ſubhaſtatio.

Vilitatem pretii.] Tenuitatem.

Melius.] Vilius: verùm commodius dicere voluit.

Tertia deducta eſt.] Tertia pretii pars imminuta: obliquè tamen Tertiam à Seruilia matre Cæſari conciliatam dixit.

Vrbani.] Ciues, qui vrbem incolitis: eſt alioqui vrbanus, facetus.

Caluum.] Caluitio enim, vt alio loco dixit, offendebatur.

Stuprum emiſti.] Vt ſit ordo, Tu, ô Cæſar.

Mutuum.] Ob Pompeiam à Clodio adulteratam.

Bogudis vxorem.] Bogud rex fuit Mauritaniæ, qui in bello Africo iuuit partes Cæſaris: & cùm Pompeius adoleſcens in Mauritaniam, regnúmque Bogudis eſſet ingreſſus, re male geſta compulſus eſt in naues, & inde aufugit: Hircius author in bello Africo. PHIL.

Vt Naſo ſcripſit.] Vtitur teſtimonio Actorii Naſonis, quem & ſuprà citauit.

Conuiuia in primam lucem.] Lucanus in x. Pharſaliæ, luxurioſum conuiuium luculentè deſcribit, quo Cleopatra Cæſarem accepit: quem dicit longis alloquiis produxiſſe noctem. Horatius:

Vigiles lucernas profer in lucem.

Thalamóque.] Eſt codex in bibliotheca diui Dominici peruetus, in quo legitur Thalamegóque. Eſt autem Thalamegus, nomen nauigii principalis, cuius mentio eſt apud Græcos. Athenæus tradit, Ptolemæum Philopatrem feciſſe nauem, quæ Thalamegos vocabatur, longitudine ſemiſtadii, latitudine triginta cubitorum, altitudine quadraginta cubitis paulò minore.

Aethiopia tenus.] Vſque in Aethiopiam Aegypto conterminam. Duplex eſt Aethiopia, & bipertiti Aethiopes: de quibus diſputatio eſt apud Strabonem ex verſu Homerico. Autumat Plinius Aethiopas dici ab Aethiope Vulcani filio. Nigros eſſe exiſtimauit Herodotus, ex eo quòd genitura eorum nigra ſit: ſed Herodotum refellit Ariſtoteles in III. de animalibus, & in ſecundo de generatione, oſtendens ſperma omnium animantium eſſe album cùm ſpumoſum ſit, ſpuma autem omnis alba eſt: hinc fictum eſt non ſine ratione, Venerem ortam eſſe è ſpuma maris, videlicet propter naturam ſeminis ſpumoſam: vnde & Aphrodite dicitur Græcè à ſpuma, quam vocant ἀφρόν.

Filium appellare nomine ſuo.] Cæſar ex Cleopatra filium ſuſcepit Cæſarionem, veluti à Cæſare nomine deriuato: quem Cæſar Auguſtus poſt mortem Cleopatræ interfecit à matre miſſum in Indiam cum magna auri, argentique copia: de quo cùm ſententias amicorum ſciſcitaretur Auguſtus, dixiſſe Arrium philoſophum ferunt, non

De luxuria eius in uarias reginas. LII.



Dilexit & reginas, inter quas Eunoen Mauram Bogudis vxorem: cui, maritóque eius plurima & immenſa tribuit, vt * Naſo ſcripſit: ſed maximè Cleopatram, cum qua & conuiuia in primam lucem ſæpe protraxit, & eadem naue Thalamego penè Aethiopia tenus Aegyptum penetrauit, niſi exercitus ſequi recuſaſſet. Quam denique accitam in vrbem, non niſi maximis honoribus, præmiiſque auctam remiſit, filiúmque natum appellare nomine ſuo paſſus eſt. Quem quidem nonnulli Græcorum ſimilem quoque Cæſari & forma, & inceſſu tradiderunt. Marcus Antonius agnitum etiam ab eo, Senatui affirmauit: quæ ſcire C. Martium, & C. Oppium, reliquóſque Cæſaris amicos: quorum C. Oppius, quaſi planè defenſione, ac patrocinio, res egeret, librum edidit, non eſſe Cæſaris filium, quem Cleopatra dicat. Helius Cinna tribunus plebis ple-

* aliàs Vaſa.

risque confessus est, habuisse se scriptam, paratámque legem, quam Cæsar ferre iussisset, quum ipse abesset, vti vxores liberorum quærendorum causa, quas, & quot ducere vellent, liceret. Ac ne cui dubium omnino sit, & impudicitiæ eum, & adulteriorum flagrasse infamia, Curio pater quadam cum oratione, omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem appellat.

De parsimonia eius in cibo & potu. LIII.

Vini parcissimum, ne inimici quidem negauerunt. Verbum M. Catonis est: Vnum, ex omnibus, Cæsarem ad euertendam Rempubl. sobrium accessisse. Nam circa victum C. Oppius adeò indifferentem docet, vt quondam ab hospite condîtum oleum, pro viridi appositum, aspernantibus cæteris, solum etiam largius dicat appetisse, ne hospitem aut negligentiæ, aut rusticitatis videretur arguere.

esse probandã multitudinem Cæsarũ.

C. Oppius.] Hic existimatus est scriptor Commêtariorum nouissimorũ.

Cum ipse abesset.] scilicet Cæsar: nolebat enim interesse in latione legis, quoniam parum honesta, & minime Romanæ modestiæ conueniens esse videbatur, cùm talis lex barbarica potius, quàm Romana dicenda sit. Nanque, vt scribit Sallustius, Numidæ & Mauri, populi barbarici, quàm plurimas quisque vxores ducunt: ita vt denas alii, alii plures habeant: sed reges eò amplius.

Impudicitiæ.] Quòd scilicet muliebria passus esset.

Adulteriorum.] Quòd amator maximus fuisset mulierum: qui eleganter dicitur mulierosus.

Mulierum virum.] Propter adulteria.

Virorum mulierem.] Propter impudicitiam cinædicam.

Vnum sobrium accessisse.] Tanquam superiores omnes, qui Rempublicam euertere tentauerunt, non fuerint prædití ea sobrietate, qua Cæsar. Et ita sobrius non minus ad animum, quàm ad corpus referri potest. Iulianum laudat Marcellinus, quòd fuerit sobrius Imperator: econtrario nihil magis dehonestauit Alexandrum Magnum, quàm vini auiditas. Itáque cùm hostes vinceret, à vino victus est. Cato dicebat, ebrietatem nihil aliud esse, quàm insaniam voluntariam. Sobrietatis assectator eleganter sobriosus dictus est à Cypriano. In hanc sententiam Quintilianus in VIII. At illud non mediocriter probandum, quod hoc etiam modo laudari solet, vt proprie dictum id est, quo nihil possit inueniri significantius: vt Cato dixit, C. Cæsarem ad euertendam Rempublicam sobrium accessisse.

M. AN. Bogudis coniugem.] Is in Hispania, quò ex Mauritania transfretarat, enixe Cæsaris partes iuuit: Hirtius in Commentariis est author.

Naso.] Actorius Naso, credo, cuius suprà meminit, Idem Curio, inquit, & M. Actorius Naso authores sunt. Alii Vasa legunt, quasi barbari sit scriptoris nomen: sed non placet.

In primam lucem.] Per integras noctes.

In eadem naue.] Nilum, non mare, enauigatum accipias.

Aethiopia tenus.] Quæ Aegypto ad meridiem contermina est.

Nomine suo.] Etenim mater Cæsarionem appellauit.

Quasi planè defensione.] Quasi valido patrocinio opus esset, locupletéque testimonio, vt res tam nota negaretur.

Quas & quot.] Velut neque vllum in ordine discrimen, neque modus adhiberetur.

Impudicitiæ.] Dum puer, & adolescens fuit.

Adulteriorum.] Postquàm adultus alienas fœminas sectari cœpit.

Sobrium accessisse.] Quò magis miror Plutarchum scriptũ reliquisse, Cæsarem ipsum, vt suprà ostendimus, in curia à Catone ebrium appellatũ: nisi fortè ille tunc ad amorem respexerit.

Ab hospite.] scil. Valerio Leone Mediolanensi.

PHIL. Indifferentẽ.] id est, nõ curiosum, non morosum, neq; nimis diligentem, fúsque deque facientem: quod Græci dicunt ἀδιάφορον, & ἀδιάφορα, quæ nos indifferentia: quæ neque bona sunt, neque mala: & ob id non magni facienda.

Condîtum oleum pro viridi.] Super hoc ita scribit Plutarchus: Circa victum facilitas, vel eo patet indicio, quòd Mediolani apud hospitem Valerium Leonem cœnans, cùm appositis asparagis Valerius vnguentum pro oleo instillasset, facile commanducauit, & opiparé. Idque moleste ferentes sodales castigauit, dicens: Debuit satis esse his, qui hoc improbant, hoc non vti: qui hanc rusticitatem culpat, non nisi rusticus esse potest. Condîtum media syllaba producta legendum est, tanquam à condio deriuatum. Quod Plutarchus vnguẽtum appellauit, id oleum condîtum vocat Tranquillus: nam & ex oleo vnguenta fiunt, vt author est Plinius in XV. & docet Columella in vltimo. Si verò conditum legis media syllaba correpta, accipe pro oleo vetusto, & inter penora recondito, quod minime iucundum est: quoniam, vt inquit Plinius, vetustas oleo tædium affert, plurimúmque ætatis annuo est: & ita hæc duo opponentur, viride, & conditum, tanquam recens veterato. Quidam indoctè exponunt illud pro viridi, quasi dicat pro silato, hoc est ad condituram cibi, quem ex herbis virentibus, necnon aceto, oleóque guttatim instillato concinnamus, eóque vti solemus in principio cœnæ. Plinius cibaria hoc genus appellat acetaria, propterea quòd ex aceto sumuntur. Non ignoro acetaria aliter interpretari à Plinianis enarratoribus, quibus in hoc haud quaquam adstipulamur. Quod oleum fit ex immatura oliua omphacium appellauere: Græcè enim ὄμφακες dicuntur vuæ, & fructus immaturi: ipsa verò oliua nominatur drupa. Mendosa est dictio apud Plinium libro vndeuigesimo, capite V. nam pro drupis oliuis, legitur dirupris. Oleum autem ex drupis confectum bonitate præcellit, & viriditate: qoantò enim maturior fuerit bacca, tantò oleum minus gratum. Quod fit ex nucibus iuglandibus, carynon vocant: κάρυον enim Græcè nux. Quod ex rosis rhodinum. ῥόδον enim rosa. Gleucinum oleum appellat Plinius cui mustum incoquitur vapore lento: Græci τὸ

γλεῦκος

γλεῦκος muſtum dicunt. Qua autem ratione confici debeat oleum gleucinum, docet Columella libro XII. cuius ſententia minime prætermittenda eſt de oleo viridi. Ait enim viride oleum premi citra menſem Decembrem, quod acerbum eſt, neque conducit rationibus patrisfamiliâs, quoniam exiguum fluit: viride autem tunc conficere expedit, cùm ſatis fluit: & pretio pene duplicat domini reditum.

Neque in imperiis.] Quando erat in prouinciis cum imperio, & copiis militaribus.

Neque in magiſtratibus.] Quando erat Romæ conſul: illud enim ad prouinciales, hoc ad vrbanos referendum eſt.

A proconſule.] Proconſulem Hiſpaniæ intelligit, Cæſaris anteceſſorem: quis hic fuerit, ambigitur: nec refert, cùm ſenſus ſit manifeſtarius. Tuberonem intelligi, cui quæſtor fuit, non placet, nec conuenit.

Monumentis.] Libris. Monumentum enim, vt inquit Florentinus Iuriſconſultus, generaliter res eſt memoriæ cauſa in poſterum prodita: &, vt author eſt Feſtus, quicquid ob memoriam alicuius factum eſt, id monumentum eſt: vt fana, porticus, ſcripta, & carmina. De monumento ita ſcribit Varro: Monumenta à monendo quæ ſunt in ſepulcris: & ideo ſecundum viam, quò prætereuntes admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales. Ab eo cætera quoque ſcripta, ac facta memoriæ cauſa monumenta dicta.

Emendicatas.] More mendicantium expetitas.

Aeris alieni.] Aes alienum, debita nuncupamus, quo ſcilicet conflictabatur Cæſar. Mercurius in ſexto loco ab horoſcopo facit multis debitis, & multo vſurarum fœnore implicatos. Talis erat Cæſar, ære ſcilicet alieno, fœnoribúſqoe coopertus. Appianus Cæſaris Dictatoris æs alienum reputans ait: Cæſar deinde in Iberiam delectus Prætor, cùm magnam facultatũ partem ob ambitum ære alieno deuinxiſſet, huiuſmodi verbis vſus eſſe dicitur: Bis millies & quingenties centena millia ſibi adeſſe oportere, vt nihil haberet. Quæ ſumma ære Gallico maior eſt bis & ſexagies centenis millibus aureorum. Sic enim Græcè legitur: ὁ δὲ καῖσαρ στράτηγος ἐς ἰβηρίαν αἱρεθεὶς ἐπὶ μέν τι πρὸς τῶν χρηστῶν ἀνακατέσχετο ἐν ῥώμῃ, πολὺ πλείονα τῆς περιουσίας ὀφείλων διὰ τὰς φιλοτιμίας, ὅτε φασὶν αὐτὸν εἰπεῖν, &c. Quæ ſic verti poſſunt: Cæſar autem præturam in Hiſpaniam ſortitus, aliquantiſper à creditoribus manu iniecta retentus eſt ob contractum æs alienum in ambitu, maius ſuis facultatibus: túncque fertur dixiſſe, duobus millibus & quingentis myriadibus ſibi opus eſſe vt nihil haberet. Quod Latine ex more antiquo loquendi ſic vertendum fuit: ducenties & quinquagies ſeſtertiûm ſibi opus eſſe. Quæ ſumma ære Gallico inſtar eſt ſexcentorum viginti quinq; millium aureorum.

Luſitanorum.] Luſitania prouincia eſt vlterioris Hiſpaniæ. Author eſt Plinius, Luſum Liberi patris, ac Lyſam cum eo bacchantem, nomẽ dediſſe Luſitaniæ.

Fana.] Antiqui fana, templa dixerunt, ſiue à Fauno, qui, authore Probo grammatico, primus conditor fuit: ſiue à fando, quia, vt ſcribit Feſtus, dum pontifex maximus templum dedicat, certa verba fatur. Fana autem, & templa hoc in loco ſeparauit, ſeiunxitque perinde ac diuerſa. Sunt enim templa proprie loca per augures conſtituta. Apud Romanos Senatuſconſultum fieri nõ poterat niſi in templo: &, vt ait Varro, & repetit Gellius in XIII. non omnes ædes ſacræ templa ſunt: neq; ædes Veſtæ erat templum.

Expilauit.] Expilare, & compilare ſignificant furto fraudare, ſic vt ne pili quidem in corpore ſpoliatis relinquantur: author Aſconius. Inde apud Iuriſconſultos titulus eſt De crimine expilatæ hæreditatis. Et qui alienam hæreditatem expilauerit, extraordinarie ſolet coërceri. Apud eoſdem Iuriſconſultos, titulo De Effractoribus, legitur: Expilatores, qui ſunt atrociores fures. hoc eſt enim ϛυλαγῶγοι vel ϛυλισταί. Expilatores & compilatores huiuſcemodi ſunt fures, qui ne pilum quidem relinquunt in corpore ſpoliatorum, vt inquit idem Aſconius in ſecundam verrinam Ciceronis: Quis eſt enim, qui in te non expilatione Aſiæ, vexatione Pamphyliæ, ſquallore & lacrymis Siciliæ conciteturr

Conditum oleum.] Plutarchus vnguentum pro oleo aſparagis infuſum tradidit. M. AN.

Pro viridi.] Viride oleum qua ratione fiat, Cato in Re ruſtica docet: Fit ex olea adhuc alba expreſſa, deterius ex drupa: ita enim vocatur prius quàm cibo matura ſit, jam tum colorem mutans: differentia, quòd hoc viride eſt, illud candidum.

Largius.] Appetentius.

Aut ruſticitatis.] Einſdem Cæſaris in illa ipſa cœna vox fuit: Qui hanc ruſticitatem arguit, non niſi ruſticus eſſe poteſt.

Abſtinentia.] In alienis.

Neque in imperiis.] Dum exercitibus præfuit.

Magiſtratibus.] Quos ſine exercitu geſſit.

A proconſule.] Sub Tuberone quæſtor Cæſar fuit in Hiſpania, quem maximè obſeruauit: ſed ille prætor à Plutarcho, non proconſul dicitur: quanquam non ignoramus omnes, qui exercitibus præeſſent, quod Pedianus etiam teſtatur, prætores à veteribus appellatos.

In auxilium.] Ad ſeſe ære alieno leuandum.

Luſitanorum.] Luſitanos, & Calecos in Hiſpania Cæſar bello domuit. Fana, templa.] Rectè diſtinxit: nam non omnes ſacræ ædes, ſeu fana, ſunt eadem & templa: quod Gellius in Atticis noctibus docet.

Promercale diuenderet.] Promercalia vocamus mercimonia, quæ venditioni expoſita ſunt. Ita Aul. Gellius promercalia eſſe putat in penore. Suetonius in libro de grammaticis, & rhetoribus, tradit Palæmonem grammaticum exercuiſſe officinas veſtium promercalium. Columella quoque lib. XII. ſic refert, de officio villici ſcribens: Pecuniam domini neque in pecore, neq; in aliis rebus promercalibus occupet. Idem in primo: Néve negotietur ſibi, pecuniámque domini aut ani PHIL.

De rapacitate eius. LIIII.

Abſtinentiam neque in imperiis, neque in magiſtratibus præſtitit. Vt enim quidam monumentis ſuis teſtati ſunt, in Hiſpania à proconſule, & à ſociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium æris alieni: & Luſitanorum quædam oppida, quanquam nec imperata detrectarent, & aduenienti portas patefacerent, diripuit hoſtiliter. In Gallia fana, templáque deûm donis referta expilauit: vrbes diruit, ſæpius ob prædam, quàm ob delictum: vnde factum, vt auro abundaret: terníſque millibus nummûm in libras promercale, per Italiam, prouinciáſque

diuenderet. In primo consulatu tria millia pondo auri furatus è Capitolio, tantundem inaurati æris reposuit. Societates, ac regna pretio dedit: vt qui vni Ptolemæo prope sex millia talentorum suo Pompeiique nomine abstulerit: postea verò euidentissimis rapinis, ac sacrilegiis, & onera bellorum ciuilium, & triumphorum, ac munerum sustinuit impendia.

malibus, aut rebus aliis promercalibus occupet. Quidam existimant promercalia propriè dici merces, quæ primò minoris emuntur, vt posteà pluris distrahantur: quarũ rerum negotiatores Græco vocabulo προπῶλαι nuncupantur: πρὸ enim Græcè dicitur ante, & πωλεῖν vendo. Hac dictione vsus est Plautus in Aulularia: & Mar. Tullius in oratione contra Pisonem, cuius verba sunt hæc: Pistor domi nullus, nulla cella, panis, & vinum à propola, atque de cuppa. Lampridius quoque in Commodo ait: Imitatus propolas circunforaneos, equos curules sibi comparauit. Sensus est Tranquilli, Cæsarem adeò abundasse auro, vt diuenderet partim in Italia, partim in prouinciis singulas libras auri promercalis tribus millibus nummûm. Plinius frequens est in hoc genere locutionis: vt dicat, pretium est in libras decem, pro libra eius rei venditur decem assibus, siue denariis: pretium est in libras quinque: id est, libra venditur quinque nummis.

Tria millia pondo auri.] Pondo aliquando pro pondere accipitur: aliquando significat libram: vnde antiquitus duapondo, & trepondo: vsque ad Quintiliani ætatem ab omnibus dictum est: & rectè dici Messala confirmat. Hîc pondo pro libris accipitur.

Furatus è Capitolio.] Plinius refert in XXXIII. Cæsarem non in primo consulatu, sed primo introitu vrbis in ciuili bello protulisse ex ærario laterum aureorum vigintiseptem millia, & in numero pondo trecenta: cùm aliis temporibus non fuerit Romana Respublica locupletior. Idem tradit in XIX. Cæsarem initio ciuilis belli protulisse ex ærario inter aurum & argentum laserpitii pondo centũ vndecim. Est autem laserpitium, vt id quoque obiter declaretur, virgultum herbidum, quod Græci silphion appellant: ex cuius culmo exudat succus rosidus, quem vocant laser, magnificum in medicamentis: & in Cyrenaica prouincia laudatissimum. Hinc à Catullo dictum, Laserpitiferis iacet Cyrenis. Caulem laserpitii magudarim vocarunt, quod tenerius est, & minus vehemens. Hinc est iocus ille Plautinus ex Rudente, vbi ad Cyrenensem senem ait Tranio: Te oro, & quæso, si speras tibi hoc anno multum futurum sirpe, & laserpitium. & inibi: Seu tibi confidis fore multã magudarim. In his ego verbis existimo illud sirpe, esse corrigendum silphium. Nanque, vt dudum diximus, σίλφιον Græci vocant ipsum laserpitium: & ita leges, multum futurum silphium, & laserpitium. Priscianus in VII. allegat hoc Plautinũ, atque magudarim esse frugis genus, id est caulis. Alii magudarim volunt esse siliginem, in quo haud dubiè fallũtur. Hoc ideò latius explicaui ad coarguendos grammatistas, qui in triuialibus ludis quotidie nominitant magudarim, nec tamen quid sit, satis callent. Cùm apud Solinum lac sirpicum vocetur, & sirpe, id laserpitium, & laser, poterit in Plinio quoque sirpe legi, & ita nihil erit immutandum. De laserpitio idem Plinius libri XIX. cap. III. Ab his proximum dicetur authoritate clarissimum laserpitium, quod Græci σίλφιον vocant, in Cyrenaica prouincia repertum: cuius succum vocant laser, magnificum in vsu medicamentisque, & ad pondus argentei denarii pensum. Multis iam annis in ea terra non inuenitur: quoniam publicani, qui pascua conducunt, maius ita lucrum sentientes, depopulantur pecorũ pabulo. Vnus omnino caulis nostra repertus memoria, Neroni principi missus est. Si quando incidit pecus in spem nascentis, hoc deprehenditur signo: oue, quum comederit, dormiente protinus, capra sternutante. Diúque iam non aliud ad nos inuehitur, quàm quod in Perside, aut Media & Armenia nascitur laser, multò infra Cyrenaicum. Id quoque adulteratur gummi, aut sagopenio, aut faba fracta. & infrà: Id apud authores Græciæ euidentissimos inuenimus natum imbre piceo repente madefacta tellure, circa Hesperidum hortos Syrtímque maiorem, septem annis ante oppidum Cyrenarum, quod conditum est vrbis nostræ anno CXLIII. Vim autẽ illam per quatuor millium stadiorum spatium in Africa valuisse. In ea laserpitium gigni solitum, rem feram ac contumacem: & si coleretur in deserta fugientem: radice multa crassáque, caule ferulaceo haud simili crassitudine. Huius folia maspetum vocabant, apio maximè similia. Semen erat foliaceum, folium ipsum vere deciduũ. Vesci pecora solita, primóque purgari, mox pinguescere, carne mirabilem in modũ iucunda. Post folia amissa, caule ipso & homines vescebãtur decocto, asso, elixóq;: eorũ quoq; corpora quadraginta primis diebus purgante à vitiis omnibus. Succus duobus modis capiebatur, de radice atq; caule. Et hæc duo erant nomina, rhizias atque caulias. Vilior ille ac putrescẽs radice, cortex niger, &c.

Inaurati æris.] Ad fraudem conuelandam, & furtum dissimulandum: in quo imitatus videtur calliditatem Annibalis, qui, Iustino, & Probo Aemylio authoribus, compleuit amphoras plumbo, summas operiens auro, & argento, eásque præsentibus Cretensibus deposuit Cretæ in templo Dianæ, simulans se fortunas suas illorum fidei credere: clàm verò statuis æneis, quas secum deportabat, auro, & pecunia complens, illusis Cretensibus ad Prusiam regem contendit.

Societas.] Honoratissimum sibi esse existimabant externi reges, nationésque, si societatem coirent cum populo Romano. Olim Vermina Siphacis filius pro maximo beneficio petiit per legatos, vt rex, sociúsque, & amicus ab Senatu appellaretur: responsum legatis est, nominis eius honorem pro magnis erga se regum meritis dare populum Romanum consuesse. Sensus Tranquilli est, Cæsar his, qui petebant societatem Romanam, & qui socii Romanorum dici affectabant, pretio accepto id dabat: sicut etiam regna regibus, accepta pecunia, concedebat.

Vni Ptolemæo.] Auletem Ptolemæum significat: qui pulsus regno restitutus fuit per Gabinium, Cæsare, & Pompeio suffragantibus: de quo antè dictum est.

Sex millia talentorum.] Talentum apud Priscos non vnius generis fuit: nanque Atticum erat sex millium denariorum: Alexandrinum, duodecim denariũm: Neapolitanum, sex denariũm: Syracusanum, trium denariũm: Rheginum, victoriati: quod nummi genus est à victoriæ nota. Præterea, vt author est Priscianus, talentum Atticum magnum octoginta libras, & paulò plus habebat: talentum verò paruum habet sexaginta minas Atticas. Refert Marcus Varro talentum Aegyptium pondo octoginta

patere

parere. Idem ait, talentũ Atticum taxari ſedecim ſeſtertiis. Generaliter nomine talenti ſignificatur talentum magnum, quod cõtinet libras octoginta, de quo ita ſcribit Liuius libro XXXVIII. Argenti probi duodecim millia Attica talenta dato intra duodecim annos penſionibus æquis: talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat. De talento copioſe ſcribit Iulius Pollux lib. nono Onomaſtici, à quo πολυτάλαντος diues nominatur.

Onera bellorum.] Bella, & maximè ciuilia, ſine pecunia copioſa geri nõ poſſe, nullus ignorat: ſunt enim nerui bellorum, & rerum agendarum effectrices pecuniæ: nec ſatis præſcribi poteſt ſumptus bellicus. Vnde Archidamus Spartanus rogantibus ſociis quantum pecuniarũ foret ſatis ad bellum Peloponneſiacum, ſcienter reſpondit: ὁ πόλεμος οὐ τεταγμένα ζητεῖ. id eſt, bellum ordinata non quærit.

Munerum.] Non tam damnorũ quàm ſpectaculorũ intellige. Iam enim dictum eſt, munera dici ſpectacula, in quibus Cæſar fecit impendia regalia. Impendium, autem ſignificat impenſam, ab impendendo ære appellatum, vt author eſt Marcus Varro.

M.A N. PRomercale aurum.] Promercalia à veteribus dicta quæ citra vſum venalia proponebantur: vnde promercales veſtes Tranquillus in Palæmone, Cùm officium promercalium veſtium exerceret. Gellius: Ex iis autem, inquit, quæ promercalia, & vſuaria in locis iiſdem eſſent, ea ſola eſſe penoris putat. Quibus verbis datur intelligi, promercale id eſſe, quod ab initio diximus.

Tria millia pondo auri.] Quod ſacrilegium, quia pontifex maximus, occultius patrauit. Plinius M. Craſſum duo millia pondo auri tertio ſuo, & Pompeii conſulatu ex Capitolini Iouis ſolio furatum tradidit.

Inaurati æris.] Quod ſublati auri ſpeciem repræſentaret.

Societates.] Romani populi ſcilicet.

Vni Ptolemæo.] Auleti: qui amicus, & ſocius eſt à Senatu appellatus.

Rapinis & ſacrilegiis.] Vt hoc ad res ſacras, ad profanas illud referas.

tus inquit, Veſpaſianum militariter locutũ eſſe ad milites, cùm eloquentia caſtrenſi vſus ſit, non forenſi. Sido. Apollinaris Cæſarem & ipſe laudat ab eloquentia caſtrenſi: & Quintil. dixit Cæſarem eodem animo dixiſſe, quo bellauit, in quo mira fuit ſermonis elegãtia.

Principibus patronis.] Patronos vocamus oratores, qui patrocinio ſuo reos tutãtur. Nec temere patronus fungitur officio accuſatoris, ſed propriè is eſt, qui agit cauſam accuſati. Primarii autem patroni temporibus Cæſaris Romę fuerunt Cicero & Hortenſius, cùm Hortenſius ob eloquẽtiam rex cauſarum nominetur, & Cicero in iudiciis ab hominibus ætatis ſuæ regnare dictus ſit. Cæſarem ait Tranquillus annumeratũ fuiſſe inter primarios actores cauſarum, poſteaquàm accuſauit Dolabellam repetundarum, de quo ſuprà, tanquam patroni etiam dicãtur qui accuſant. Cæſar enim accuſatoria eloquentia inſectatus eſt Dolabellam, nec tamẽ obtinuit vt damnaretur. Subſcriptores etiam olim aduocati dicebantur, & adiutores patronorum in cauſis: qui etiam tanquam cuſtodes patronorum adhibebantur, ne corrupti præuaricarentur. Qui defendit alterum, inquit Aſconius, aut patronus dicitur, ſi orator eſt: aut aduocatus, ſi aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam cõmodat amico: aut procurator, ſi negotium ſuſcipit: aut cognitor, ſi præſentis cauſam nouit, & ſic tuetur vt ſuam. Cicero in Diuinatione: At venit paratus cum ſubſcriptoribus exercitatis & diſertis. Eſt tamen hoc aliquid, etſi non eſt ſatis. Omnibus enim rebus is, qui princeps in agendo eſt, ornatiſſimus & paratiſſimus eſſe debet. Cicero ad Brutum.] Liber eſt Ciceronis, qui inſcribitur Brutus, in quo enumerantur Romani oratores: & cùm de omnibus ætatis ſuę ſilentium agat, ſolos Cæſarem, atque Marcellum adhuc viuentes miro præconio extollit: atque Cæſarem omnium ferè oratorum Latinè loqui elegantiſſimé.

Ad Cor. Nepotẽ.] Hic eſt ille Cornelius nepos, qui M. Ciceronis, vt qui maxime, amicus, familiariſq; fuit, libróſque de vita illius compoſuit. Non peruenerunt ad poſteros, quæ ſcripſit Cicero ad Cor. Nepotem, tantummodo extat libellus Nepotis de vita Pomponii Attici breuiter, elegãterq; perſcriptus. De hoc Euſebius chronographus: Cornelius Nepos ſcriptor hiſtoriarum clarus habetur. Eſt autem Nepos hominis cognomentum: vt apud Iuuenalem:

Dignique molam verſare Nepotis. Adhuc adoleſcens.] Adoleſcẽti genus dicendi concitatius congruit: ſeniori verò ſedatius. Vnde ait Cicero, orationem ſuã cœpiſſe caneſcere. Cùm autem imitatio ſimiles nos iis, quos imitamur, efficiat: Cæſar adhuc

De eloquentia, & arte oratoria. LV.



Loquentia militari, qua re aut æquauit præſtantiſſimorum gloriam, aut exceſſit, poſt accuſationem Dolabellæ, haud dubiè principibus patronis annumeratus eſt. Certè Cicero ab Brutum oratores enumerans, negat ſe videre, cui Cæſar debeat cedere: aitque eum, elegantem, ſplendidam quoque, ac etiam magnificam, ac generoſam quodammodo rationem dicendi tenere. Et ad Cornelium Nepotem de eodem ita ſcripſit: Quid? Oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis ſententiis aut acutior, aut crebrior? Quis verbis aut ornatior, aut elegantior? Genus eloquentiæ duntaxat adoleſcens adhuc Strabonis Cæſaris ſecutus videtur: cuius etiam ex oratione, quæ inſcribitur pro Sardis, ad verbum nonnulla tranſtulit in diuinationem ſuam.

PHIL. ELoquentia militari.] Differt eloquentia militaris ab eloquentia forenſi. Inde verba caſtrenſia dicũtur, quibus in caſtris frequenter, in foro rarenter vtebãtur: ſicuti illud eſt, quadrigarii copiãtur: quod verbum, vt inquit Gellius, caſtrenſe eſt, nec facilè id reperias apud ciuilium cauſarum oratores. & Liuius ait orationem Tẽpanii fuiſſe militariter grauẽ: ſignificare volens fuiſſe incompoſitam, miniméque excultam floſculis eloquentiæ forenſis. Cornelius quoque Taci-

adolescens imitatus est stylum, scriptionémque Cæsaris Strabonis oratoris, tanquam ætati suæ, & ingenio ferueoti cōgruentem, cum in alia ætate potuerit alios imitari. Suadet enim Quintilianus io decimo, noo vni nos addicere debere, quem per omnia sequamur, neq; vnum solum imitandum.

Strabonis Cæsaris.] Strabo Cæsar orator fuit, cuius orationem, qua Sulpirio respōdit, citat Priscianus pro testimonio libro quinto Grammatices. Idem in sexto ait, Strabouem Cæsarem dixisse penoris, vt pecoris. Huius eloquentiam Cæsar, cùm adhuc esset adolescens, secutus est. Multi cùm nullam huius Strabonis mentionem fieri apod veteres crederent, lapsi sunt in errorem, vt pro Strabonis Cæsaris, emendarét, vel potius deprauarent, Caii Carbonis.

Transtulit in diuinatiouem.] Cùm de constituendo accusatore quæritur, iudicium, quod super ea re redditur, cuinam potissimùm ex duobus, pluribúsve accusatio io reum permittatur, ea res diuinatio appellatur: &, vt inquit Caius Bassus, id iudicium Diuinatio nominatur, quoniam diuinare iudicem quodammodo oporteat, quam sententiam sese ferre par sit. Alii Diuinationem appellatam esse putant, quoniam cùm accusator, & reus, duæ res quasi cognatæ, coniunctæque sint, neque vna sine altera constare possit, in hoc tamē genere causæ reus quidem iam est, sed accusator oondum est: & idcirco diuinatione supplendum est, quisnā accusator futurus sit. Ita Mar. Ciceronis prima Verrinarum Diuinatio inscribitur: quia, vt author est Asconius, non de facto quæritur, sed de futuro, quæ est diuinatio, vter debeat accusare, Cicero, an Cæcilius. Alii putant diuinationem dici, quòd res agatur sine testibus, & sine tabulis, & his remotis, argumenta leuia sequantur iudices, & quasi diuinent. In hoc significatu accipimus hoc in loco diuinationem Cæsaris: qui ex oratione Strabonis Cæsaris, quem imitabatur, transtulit quædam in orationem suam, quæ dicta est Diuinatio. Hoc, opinor, in accusatione Dolabellæ contigit, in quo iudicio, vt licet coniectatoriè suspicari, tractatum est, vtrum Cæsar, an alius, Dolabellam accusare deberet: vnde Cæsar, sicut Cicero in causa Verris, Diuinationem edidit.

MAN. Eloquentia militari.] Qualē in eo esse oportuit, qoi plorimùm in armis esset versatus. Plutarchus: Dicendi rationem, ad quam habilis, & natura pronus ferebatur, omittens, rei militaris curam suscepit. Fabius: Caius verò Cæsar, si tantùm foro vacasset, noo alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Aut certè militarem eloquentiam intelligi voluit, quæ in negotiorum actione, nō io præceptis declamatoriáve ostentatione versatur.

Principibus patronis.] Inter primos patronos. Cicero ad Brutū.] De perfecto oratore: de quo idem ad eundem: Quoniam, inquit, illud maiorum vigiliarū opus in tuo uomine apparuit.

Ad Cornelium Nepotem.] Quæ Cicero ad Cornelium scripsit, hodie non extant. Sunt qui epistolas tantùm ad eum exaratas existiment. Huius Plinius ooo vno loco meminit, quippe quem in iis, quæ falsò de Istro tradidit, mendacii redarguat.

Elegantem.] Fabius de figura dicendi, quæ in Cæsare fuit: Exornat hæc omnia, inquit, mira sermonis, cuius proprie studiosus fuit, elegantia.

Adolescens.] Sic enim legis, non adolescentis: vt ad Cæsarem id referas, qui adolescēs adhuc sit Cæsaris Strabonis stylum secutus: sed procedente ætate aliud ab eo diuersum. Straboois Cæsaris.] Gentilis sui.

PHIL. Pronuntiasse autem dicitur.] Demostheoes primas, & secundas, & tertias proountiatiooi dedisse fertur, cùm interrogaretur, quid in dicendo esset primum. Vt ait Marcus Tullius: Hæc in dicendo vna dominatur, sine hac summus orator esse in numero nullo potest, mediocris hac instructus summos sæpe superat. Coostat autem pronuntiatio, vt ait Fortunatianus, voce, vultu, gestu.

Venustate.] Venustum est, quod cum gratia quadam, & Venere dicitur, vt ait Fabius: Venustatem fœminis, dignitatem viris conuenire docet Marcus Tullius. Si Luna à Ioue defluat ad Venerem, facit venustos, & quibus, vt ait Firmicus io quarto Matheseos, ex venustate potestas maxima comparetur. Hîc venustas accipitur pro gratia dicendi, & Venere, amabilique suauitate.

Ab actuariis exceptam.] Actuarii dici videntur, qui acta, actionésque describunt veloci stylo, eáq; descripta deinde recitant: quod significare videtur Seneca his verbis: Multùm, inquit, viua vox facit, non quidem hæc, quæ alienis verbis commodatur, & actuarii vice fungitur. Quod ad actuarios quidem attinet, simile id videtur Vespasiani institutū, ait quidam, atq; si hodie viros quosdam industrios Princeps spiritu diuino instinctus ex centenariæ curiæ numero, aut etiam aliunde deligēdos curet, qui illos sacculorū aceruos, aut apud actuarios publicè, aut apud vnūquéq; iudicum priuatim nō tam asseruatos magna ex parte, quàm abstrusos, atque etiā in cōditorio obliuionis sepultos, in lucē proferant, à blattísque vindicēt, & minutulas causas, ducenarias fortasse, aut trecenarias, aut cuiuscunque modi commodum videatur, extra ordinem, id est, per commissarios diiudicēt: maiores verò causas, aut etiā ad exemplū pertinētes, frequeoti curiæ referuent rectè iudicandas. De actuario locutus

Pronuntiasse autem dicitur voce acuta, ardenti motu gestúque, non sine venustate. Orationes aliquas reliquit, inter quas temere quædam feruntur: pro Quinto Metello, quam non immeritò Augustus existimat magis ab actuariis exceptam, malè subsequentibus verba dicentis, quàm ab ipso editam. Nam in quibusdam exemplaribus inuenio, ne inscriptam quidem pro Metello, sed quam scripsit Metello, cùm ex persona Cæsaris sermo sit, Metellum, séque aduersus communium obtrectatorum criminationes purgantis. Apud milites quoque in Hispania, idem Augustus orationem esse vix ipsius putat, quæ tamen duplex fertur: vna quasi priore habita prælio: altera posteriore, quo Asinius Pollio, ne tempus quidem concionandi habuisse eum dicit, subita hostium incursione.

locutus videtur, & Iuuenalis illo versu:

Quis dabit historico, quantum daret acta legenti?

Scribit Iulius Capitolinus, Victorium à quodam actuario fuisse interfectum. Actuarii igitur tanquam oorarii exceperũt orationẽ Cæsaris, sed malè, cùm subsequi non possent celeritate scribendi, celeritatem dicentis.

Sed quam scripsit pro Metello.] Scribere pro Metello, est pro defensione Metelli: scribere Metello significat mittere, dicareq; ipsi Metello. Ait Suetonius exemplaria quædam se iouenisse, qoorũ inscriptio demonstrabat non pro Metello, hoc est, oon pro defensione Metelli scriptam fuisse à Cæsare oraoionem, sed Metello scriptam, hoc est, Metello dicaram, missámque: videturq; significari ille Metellus Tribunus plebis, cui leges turbulentissimas fereno fauit Cæsar Prætor existens, fuerúntqoe ambo repulsi ex decreto Senatus ab administratiooe Reipublicæ.

Voa quasi priore habita prælio.] Cæsar doobus præliis cõfecit bellum Hispaoiense aduersus filios Magni Pompeii: altero apud Cordobã, altero apud Mundam. Scribit Appianus Cæsarem, cùm in maximo periculo constitutus esset apod Cordubam, milites nominatim appellasse, & duces his verbis affatum esse: Erit hîc mihi finis vitæ, vobis autem rei militaris nouissimus labor. In prælio verò apud Mundam discurrens per medias acies armatorum, ita inclamitabat: Si nihil pudoris superest, corripite me, & in puerorum manus tradite.

Priore.] Apud Cordubam.

Posteriore.] Apud Mundam.

Reliquit Commentarios.] Commentarium librum appellamus, in quo res simpliciter, summatimque, & quasi per capita describuntur. Hoc declarat Seneca, cùm sic scribit libro tertio Declamationum: Sine Commentario nunquam dixit Seuerus Cassius: nec hoc Commentario contentus erat, in quo res nudæ ponuntur. Cicero io Bruto: Non est oratio, sed quasi capita rerũ, & orationis Commentarium paulò plenius. Vnde Cæsaris Commentarii dicti sunt, quos ob hoc scripsisse videri voluit, oe scientia tantarum rerũ scriptoribus deesset. Elegaoria styli satis declarat, quinam à Cæsare scripti, quive ab aliis editi sint Commentarii. Nanque nouissimus, qui continet Hispaniense bellum, barbaricam magis, quàm historicam elegantiam redolet. Quando itaqoe oobis incidit sermo de Commentario, sciendum qoòd Commeotarius liber est, qoem sibi quisque nostrûm priuaòm facere consueuit, quasi quoddam memoriæ promptuarium eorum quæ agimus, id est Diarium & [illegible] actioouũ nostrarum. Registrum vulgò vocatur, quod Latinè Regestum dici potest, quum Quintilianus regerendi

verbo vtatur. Huiusmodi autem librum factitasse sibi principes Romanos multis authoritatibus probari potest. Tranquillus io Tyberio: Cõmeotario, ioquit, quem de vita sua summatim breuiterque composuit, ausus est scribere, Seianum se punisse, quòd comperisset furere, &c. Tacitus: Petitã Cæsare Iunius Maricus, vt Commentariorum principalium potestatem Senatui faceret, per quos nosceret quem quisque accusandum popościsset. de Commentariis Clodii & Neronis loquens. Cicero ipse in prima Antoniana: An in Commentariolis, & chirographis, & libellis se vno authore prolatis, acta Cæsaris firma erunt? quæ ille in æs Incidit, in quo populi iussa, perpetuásque leges esse voluit, pro nihilo habebũtur? Quibus verbis Cicero significat Commentarios priuatam esse memoriam, acta autem debere esse memoria publica testata, quæ in ærario esse solebat.

Suppleuerit.] Octaui Commentarii de bello Gallico scriptor fuit Hircius: sicut eius præfatio ad Balbum apertè significat.

ARdenti motu.] Idem Fabius: Tanta in eo vis, ea concitatio, vt illum eodem animo dixisse, quo bellauit, appareat. M. AN.

Pro Quinto Metello.] Cæsar, & Metellus patrum decreto, vt alio loco dixit, dignitate submoti sunt.

Actuariis.] Iis, qui acta celeri scriptione excipiebant. Anneus Seneca: Multùm, inquit, viua vox facit: non quidem hæc, quæ alienis verbis accommodatur, & actuarii vice geritur. Exemplaribus.] Exemplaria dicuntur, vnde epistolæ, orationes, aliáve scripta sumũtur: estq; exẽplar, vt Pompeio placet ex quo simile aliquid facimus: exemplum, quod sequimur, aut vitamus: sed vtrunq; pro altero quãdoq; vsurpatum reperies.

In Hispania.] Vbi oouissimè Põpeii liberos prælio vicit.

Priore prælio.] Nam & ad Cordubam, & ad Mundã pugnatũ est, vt Hircius, siue Oppius scripsit. Nec placet vt id referas ad bellum, quod Cæsar in Afraniom, & Petreium prius gessit: in quo tumultuario certamine apud Ilerdam, nec totis viribus, est concursum.

Pompeiani.] Eorum, quæ io Pompeium iussit.

Alii Oppium, alii Hircium.] Hinc credo factũ, vt Commentarii ipsi hodie sub incerto authore ferãtur.

Eodem libro.] Ad Brutum.

NVdi sunt, recti &.] Sioe pigmentis oratoriis, sine vestitu scriptionis coloore: sed qoemadmodum fœmina pulchra nuda est, quàm purpurata pulchrior, ita Cæsaris Commentarii nudi sunt venustiores, pulchrioréśque, quàm scripta aliorum fucata, & vestitu oratorio coodecorata: & sicut fœminæ ob id bene olere dicuntur, quia nihil oleant, itidem PHIL.

De libris Commentarijs, & epistolis per eum editis. LVI.



Eliquit & rerum suarum Commentarios, Gallici, ciuilísque belli Pompeiani. Nam Alexandrini Africíque, & Hispaniensis, incertus author est. Alii enim Oppium putant, alii Hircium: qui etiam Gallici belli nouissimum imperfectúmque librum suppleuerit. De Commentariis Cæsaris Cicero in eodem libro sic refert: Commentarios scripsit valde quidem probandos: nudi sunt, recti & venusti, omni ornatu orationis, tanquam veste detracta: sed dum voluit, alios habere paratam vnde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui illa volunt calamistris inurere, sanos

iridem Cæsariani Commentarii sine pigmentis pigmẽtati videntur, sine vnguentis bene olentes, & sine ornamentis ornatissimi. Aulus Gellius scribit Cæsarem sermonis fuisse præter alios suæ ætatis castissimi.

Calamistris inurere.] Calamistrum vocamus ferrũ tonsorium, quo calefacto capilli fiunt annulati. Vnde coma calamistrata, & pueri calamistrati dicti. De calamistro diximus affatim in Commentario Propertii primo. Exprobratur Gabinio à Cicerone coma calamistrata. Sensus est, Quemadmodum tonsor calamistro adhibito capillos magis vrit, quàm ornet: ita ὑπαγορικῶς ait Cicero, ineptos esse scriptores, qui audebunt attingere Cæsaris Commentarios, inusturos potius, quàm decoraturos illius scripta calamistro.

Hæc autem scribit Cicero in Bruto, hoc est in libro de claris oratoribus.

Adeò probantur omnium iudicio.] Verba sunt Hircii ex præfatione sumpta, quam præponit Commentario belli Gallici.

Anticatones totidem.] Cicero librum scripsit, cui titulus est Cato: quo Catonis Vticensis laudatio continebatur: hoc cùm mœrore angeret Cæsarem, proptereà quòd præconia Catonis suam esse ducebat vituperationem, duos libros scripsit in Catonem, crimina Catoniana complexus, qui Anticatones inscribuntur. Iuuenalis:

Maiores quàm sint duo Cæsaris Anticatones.

Priscianus quoque allegat Cæsarem in Anticatone priore: quia est & posterior. Nomen est compositum ex Græco, & Latino: nam, vt inquit Quintilianus in primo, ex peregrino, & nostro componuntur dictiones: vt epitogium, & Anticato. De Anticatonibus intelligit Cicero quadam ad Atticum epistola sic scribens: Qualis futura sit Cæsaris vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hircius ad me misit: in quo colligit vitia Catonis.

quidem homines à scribendo deterruit. De eisdem Commentariis Hircius ita prædicat: Adeò probantur omnium iudicio, vt prærepta, non præbita, facultas scriptoribus videatur. Cuius tamen rei maior nostra, quàm reliquorum est admiratio. Cæteri enim quàm bene atque emendatè, nos etiam quàm facilè atque celeriter eos perscripserit, scimus. Pollio Asinius parum diligenter, parúmque integra veritate compositos putat: cùm Cæsar pleraque & quæ per alios erant gesta, temere crediderit, & quæ per se vel consulto, vel etiam memoria lapsus, perperam ediderit: Existimátque rescripturum, & correcturum fuisse. Reliquit & de analogia duos libros, & Anticatones totidem, ac præterea poema, quod inscribitur Iter. Quorum librorum primos in transitu Alpium, cùm ex citeriore Gallia conuentibus peractis, ad exercitum rediret, sequentes sub tempus Mundensis prælii, fecit: nouissimũ dum ab vrbe in Hispaniam vlteriorẽ quarto & vigesimo die peruenit.

Parúmque integra veritate.] Lex historiæ prima est, vt vera dicantur. Detracta enim veritate, vt inquit decenter Polybius, similis fit historia animali excæcato, quod sine luminis vsu est inutile. Vnde à Cicerone historia dicitur lux veritatis. Esset itaque reprehensioni iustæ obnoxius Cæsar, si parum fideliter condidisset historiam, sicuti Philinus, & Fabius pictor à Polybio reprehenduntur, quòd à veritate in scribendo defluxerint.

Per alios erant gesta.] Vt per Curionem, per Labienum, per Cottam legatos.

Memoria lapsus.] Non videtur simile veri obliuionem obrepsisse Cæsaris memoriæ, cùm fuerit in illo sublimitas omnium capax, quæ cœlo continentur.

Perperam.] Non rectè.

De analogia duos libros.] Græci ἀναλογίαν vocant, quam Latini proportionem dicunt. Pro analogia, & contra analogiam scripsit Marcus Varro subtilissimè ad Ciceronem. Aristarchus, & Crates Grammatici illustres, alter analogiam defensitauit, alter oppugnauit. Crates enim contra analogiam, atque contra Aristarchum pro ἀνωμαλίᾳ neruos suos contendit. Quintilianus horom Cæsaris librorũ ita meminit libro primo: Aut vim Cæsaris fregerunt editi de analogia libri? Aulus Gellius in decimonono, cap. octauo, author est, libros hos de analogia conscriptos esse à Cæsare ad M. Ciceronem.

Inscribitur Iter.] Græci ὁδοιπορικὸν vocãt, quod vulgò dicitur itinerarium: de quo sic scribit Hieronymus in libro de vita & obitu Paulæ: Neque enim hodœporicon eius disposui scribere. Impressi codices mendosi sunt, qui pro hodœporicõ, habent adephoricum.

Primos duos.] Scilicet de analogia.

Conuentibus.] Relege quæ suprà annotauimus pertinentia ad conuentus.

Sequentes.] Anticatones.

Sub tempus.] Circa tempus, vel per tempus: nanq; sub lucem dicimus, pro ante lucem, vel per lucem: sicut,

Sub noctem cura recursat.

pro per noctem. Lege quæ scribit Priscianus in decimoquarto, de hac particula Sub. Sub, cum accusatiuo, pro circa poni solet: vt, sub idem tempus. Liuius: Vtrinque legati fere sub idem tempus ad res repetũdas missi. Suetonius: Sub horam pugnæ tam arcto repẽte somno deuictus, vt ad dandũ signum ab amicis excitaretur. Quandoque idem importat, quod statim post. Cicero: Sub eas autẽ redditæ sunt. Aliquãdo pro Ante. Verg.

Postésque sub ipsos
Nituntur gradibus.

Item sub manus, non ægrè, apposité, prompte, &c.

Mundensis prælii.] Quo apud Mundam vicit filios Pompeii. Scribit Ammia. Marcellinus, Iulianum sub pellibus solitum quædam scribere de nocte ad æmulationem Cæsaris. Vnde admonemur, Cæsarem in bello dedisse operã Marti, & Mineruæ: gladio, & stylo. Et, vt author est Sidonius Apollinaris, ducum antiquorum dextera solebat non minus stylum tractare, quàm gladium.

Nudi.

M. A N. NVdi.] Sine fuco, alióve maiore verborum lenocinio.

Recti.] Sine lapsu, nec in vitium declinantes, minimeve claudi, aut obliqui.

Venusti.] Quadam dicendi gratia, ac Venere referti.

Fortasse fecit.] Qui dicendo stylum velut calamistro concinnare vellent.

Calamistro.] Instrumento ad inflectendos, concinnandósque capillos apto: vnde calamistrati dicti.

Sanos.] Integri, & sani iudicii.

Asinius Pollio.] Qui & ipse ex familiaribus Cæsaris fuit.

Vel consultò.] Consilio, non errore.

Perperam.] Prauè, peruersé.

De analogia.] De verborum proportione: cuius operis Gellius meminit: Analogiam apud Græcos Aristarchus semper tutatus, cõtrà Crates anomaliam: Varro in vtranque partem plura disputat.

Anticatones.] In Catonem scriptos. De numero Iuuenalis Trãquillo adstipulatur, Quàm sint, inquit, duo Cæsaris Anticatones. Eos Plutarchus contra Ciceronis laudationem à Cæsare editos ait.

Primos.] De Analogia.

Sequentes.] Anticatones.

Nouissimum,] Qui Iter est inscriptus.

Vlteriorem.] Bæticam scilicet, quod adhuc magis mirum, quàm si in citeriorem venisset.

Per notas scripsit.] Notas Latinè appellamus, quas vulgus Zephyras vocat. Primus, authore Eusebio, notas commentatus est Tyro Tullius Ciceronis libertus. De notis Cæsaris sic tradit Aulus Gellius libro decimosexto: In epistolis Cæsaris inueniuntur literæ singulariæ sine coagmentis syllabarum, ex quibus verba confici nulla possunt. Probus Grammaticus Commentarium satis curiosum fecit de occulta literarum significatione epistolarum Caii Cæsaris scriptarum. Lacedæmonii vsi sunt scytala: quid autem hoc sit, declarauimus in lib. Annotationum: & Gellius, atque Plutarchus ostendunt.

Elementorum literam.] Literas, elementorum vocabulo nuncupauerunt, ad similitudinem Mundi elementorum: sicut enim illa coeuntia omne corpus efficiunt, sic hæ coniunctæ literalem vocem quasi corpus aliquod componunt. Abusiuè elementa pro literis, literæ pro elementis vocantur: author Priscianus. Inde elementariæ literæ dictæ primitiuæ, & Grammaticales. Iulius Capitolinus: Puer, inquit, literis elementariis, & calculo imbutus. A Seneca senex perquàm eleganter dicitur elementarius, cùm ait in quinto Epistolarum: Turpis & ridicula res est, elementarius senex.

Perinde.] Pariter.

Reliquas cõmutet.] Exempli causa, e ponatur pro b, f pro c: & itidem fiat in reliquis.

Epistolæ quoque eius ad Senatum extant, quas primùm videtur ad paginas, & formam memorialis libelli conuertisse, cùm anteà Consules & Duces non nisi transuersa charta scriptas mitterent. Extant & ad Ciceronem, item ad familiares domesticis de rebus, in quibus si qua occultius perferenda erant, per notas scripsit, id est, sic structo literarum ordine, vt nullum verbum effici posset: quæ si quis inuestigare, & persequi vellet, quartam elementorum literam, id est, d pro a, & perinde reliquas commutet. Feruntur & à puero, & ab adolescentulo quædam scripta: vt, laudes Herculis, Tragœdia Oedipi: item dicta collectanea: quos omnes libellos vetuit Augustus publicari in epistola, quam breuem admodum, ac simplicem ad Pompeium Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegauerat, misit.

PHIL. FOrmam memorialis libelli conuertisse.] Epistolæ passim scribi solent in charta transuersa, & complicata: constántq; ex simplici folio. Cæsar primus redegit epistolas in formam libelli, qui memorialis appellatur, propterea quòd memoriæ vegetandæ causa fieri solet, in eóque pluribus paginis, plures res continentur, quarum subit memoria ex inspectione: de quo intellexisse videtur Quintilianus sic scribens libro vndecimo: Ad libellum respicere vitiosum, quod libertatem negligentiæ facit. Scribit Gellius, quosdam inscripsisse libros eitulo memoriales: tanquam essent ad memoriam adminiculandam comparati. Potest itaque congruenter exponi, vt intelligas, Cæsarem scripsisse primùm epistolas capitulatim, vt singularum rerum singula capita annotaret, conficeretque seorsum, ac separatim, ne structura, & series continens, perpetuáque decurreret, sed membratim summas rerum, & quasi capita contineret epistola, instar memorialis libelli. Sic enim in libello memoriæ causa comparato annotare solemus ea, quæ volumus meminisse: quod quotidie quoque conficitur.

Laudes Herculis.] Hercules fuisse plures, eruditi prodiderunt: in primis Thebanum, & Aegyptium magnificãt. Herodotus ait in Euterpe, Herculem vnum esse ex duodecim diis Aegyptiorum, Græcósq; ab Aegyptiis hoc nomen mutuatos, indidisse filio Amphitryonis. Macrobius libro primo, capite vigesimo, Herculem scribit esse Solem, idque ex nomine clarescere. Her enim nihil alind est, quàm ἔρας, id est, aeris: κλέος, id est gloria. Porrò alia est aeris gloria, quàm Solis illuminatio. Idem dictus est duodecim labores confecisse, quià Sol annuo cursu duodecim signa Zodiaci lustrat & conficit.. Olim sophista quidam scripserat Herculis laudationem, quam cùm legere vellet, dixit festiuiter Antalcidas, Τίς γὰρ ψέγει τὸν θεὸν τοῦτον. id est, Quis vituperat hunc deum? Inter tria impossibilia hoc quoque impossibile putauit antiquitas, clauam Herculi subtrahere. Quod & si fieri posset, nullum tamẽ deceret certare robore clauæ præter Herculem. Hoc monstratur, quod potentior occupauit, vix vendicari posse. Apuleius Herculis laudem hoc præconio extollit in Apologetico: Hercules lustrator orbis, purgator ferarũ, gentium domitor.

Is tamē deus cùm terras peragraret, paulò prius quàm in cœlum ob virtutes ascitus est, neque vna pelle vestitior fuit, neque vno baculo comitatior. Cæterùm nulla est tanta virtus, quæ inuidentiæ morsus effugiat: nam & Herculi obtrectatores non defuerunt, qui eum cassabundū, & multibibum fuisse tradiderunt: vnde & scyphus Herculi ita dicatur, vt Libero patri cātharus.

Tragœdia Oedipi.] Sophocles apud Græcos Tragœdiam scripsit Oedipi, quam Coloneum appellauit, à loco, cuius incola fuit Sophocles: sicuti docet Cicero lib. v. de Finibus. Et Oedipus expulsus Creontis imperio confugit in Coloneum, in quo locus erat furiis cōsecratus: sed misericordia Atheniensium illinc est erutus. Hæc ideo scripsimus, quia dubitari solet cur Cicero in Catone, & Apuleius in Apologia prodiderint Sophoclem scripsisse Tragœdiā nomine Oedipum Coloneum. Apud nostros Seneca composuit Oedipi Tragœdiam. Quis autem fuerit Oedipus, poetarum carminibus est vulgatissimū, & Diomedis testimonio satis notum. Declinatur autem Oedipus, Oedipodis, & Oedipi, in secundo & tertio ordine, vt docet Priscianus in vi. & eruditorum confirmat authoritas. Dixit enim Statius in primo Thebaidos: Limes mihi carminis esto Oedipodis cōfusa domus. Plaut. verò in Pœnulo ait: Oedipo opus est coniectore, qui Sphingi interpres fuit. Dicitur autē Oedipus ἀπὸ τοῦ οἰδεῖν τοὺς πόδας, id est, à tumore pedū, quos habuit perforatos, vt Euripides in Phœnissis testatur, & signat Seneca. Genituram hāc habuisse Oedipodē tradit Iulius Firmicus in v. Matheseos: Fuit horoscopus in Cancro, Sol in Ariete, Saturnus in piscibus, Iupiter & Venus in Aquario, Mars in Libra, Luna in nebula Cancri.

pro a, e pro b, f pro c, ponantur: qua sanè structura nulla integra dictio coalescit: vt si Romam scribas urpdp sequatur. Probus grammaticus de huiusmodi scribendi ratione à Cæsare vsurpata commentarium reliquit. Gellius ad L. Oppium, & Corne. Calbum ea potissimū scribendi figura Cæsarem vsum tradidit.

Feruntur.] Traduntur.

Dicta.] Quæ alii dixerint obseruatione digna: vel dictata à præceptoribus, excepta: seu certe quæ ipse temere dictare consueuerit.

Collectanea.] Si dicta ad alios referas, varia intellige, & multiplici lectione collecta.

PHIL. EQuitandi peritissimus.] Plutar. Equitandi vsus Cæsari à pueritia facilis adeò extitit, vt reflexis in tergū manibus, equum velocissimis cōcitare cursibus sæpe cōsueuerit. Persæ filios in primis docēt sagittare, & instituunt equitare: vt refert Herodotus. Videtur enim equitatio esse exercitatio planè virilis, & bellicosa: vnde Chrysaneas apud Xenophontē in quarto Pædiæ, laudat sententiam equitandi in tantum, vt existimet se futurum hominem volaticum, vbi bonus fuerit eques: & ex hoc asserit se maximè adamare Hippocentauros, si modò fuerunt, in quibus fuisset & hominis prudentia, & equi velocitas, ac robur. Inde lex fertur à Cyro, & cauetur, turpe esse habenti equum, si pedibus visus fuerit proficisci. Trogus, & Iustinus memorant, Parthos equis omni tēpore vectari, equis bella, equis publica, & priuata officia obire, super equos cōsistere, mercari, colloqui. Apud quos inter seruos ac liberos hoc est discrimen, quòd serui pedibus, liberi equis incedūt. Equitatio vt ait Plin. stomacho est, & coxis vtilissima.

De peritia & labore eius in armis. LVII.

ARmorum & equitandi peritissimus, laboris vltra fidem patiens erat: in agmine nonnunquam equo, sæpius pedibus anteibat, capite detecto, seu Sol, seu imber esset. Longissimas vias incredibili celeritate confecit, expeditus meritoria rheda centena passuum millia in singulos dies, si flumina morarentur nando traiiciens, vel innixus inflatis vtribus, vt persæpe nuntios dese præuenerit.

De cautela & audacia eius in expeditionibus. LVIII.

IN obeundis expeditionibus, dubium cautiórne, an audacior. Exercitum neq; per insidiosa itinera duxit vnquam, nisi perspeculatus locorū situs: neque in Britanniam transuexit, nisi antè per se portus, & nauigationē, & accessum ad insulam explorasset. At idem obsessione castrorum in Germania nuntiata, per stationes hostium Gallico habitu penetrauit ad suos.

Collectanea.] Solinus indidit operi suo nomē Collectanea, quamuis à quibusdam Polyhistor nūcupetur: multique alii libris suis indicem fecerunt Collectanea: quoniam in his collecta, & excerpta ex multis continebantur.

M. AN. MEmorialis libelli.] Res plures ad memoriā complexi.

Trāsuersa charta.] Vt in libelli formam commodè complicari nō posset, & idcirco transuersa, quia cùm simplici pagina vterentur, transuerso folio scribebant, vt capaciore imagine plura complecterentur.

Per notas.] Occultiores elementorum obseruationes.

Quartam elementorum literam.] Quartam literarum figuram, id est quarto loco ab ea, quæ vsurpāda esset, remotam: vt d, ne ab eius exemplo recedamus,

Capite detecto.] Laudat Marc. Cicero Massinissam ab hac firmitudine, quòd nonaginta annos natus nullo imbre, nullo frigore adduci poterat, vt capite operto esset. Consimiliter Silius in primo Punicorum, extollit Annibalis tolerantiam, cùm ait: Tum vertice nudo Excipere insanos imbres, cœliq; ruinam.

Pedibus anteibat.] Hoc ad Alexandri imitationē, qui pedibus plerunque iter faciebat, & pedes agmen circuibat: vt author est Quintus Curtius.

Incredibili celeritate.] Qu. Curtius, nullam Alexādri Magni virtutem magis laudat, quàm celeritatem: cuius præsidio res incredibiles conficiebat. Eadem celeritate vsus est Cæsar: qui, vt ipsemet scribit in quinto Commentario, vnum salutis auxilium in celeritate ponebat.

Expeditus.] Sine impedimentis.

Meritoria.] Pretio conducta. Nam meritoriæ rhedæ dicuntur, quæ quæſtus faciendi cauſa locantur: ſicut meritorii pueri, qui proſtituunt corpus mercedis gratia: qui & catamiti nuncupatur, vt ait Seruius. Meritoria Firmicus Maternos appellat loca, in quibus proſtitutæ fœminæ pudorem corporis nundinantur: & Plinius meritoria balinea, in quibus ſoluta balneatori mercedula homines lauant.

Rheda.] Rheda vocabulum eſt Gallicum, vt aothor eſt Quintilianus, & ſignificat carrucam. Vnde à Cicerooe rhedarius dictus eſt auriga, rectórque ipſius rhedæ. Inde epirhedium deducitur. Iuuenalis:

- Tritóque trahunt epirhedia collo.

Nando traiiciens.] Ex Romana diſciplina, qua tyrones erudiebantur in Tyberi natare. Natus ſub ſydere Delphini habebit natandi ſtudium, ſicut tradit Maternus in V I I I. Matheſeos. Alexandrum quoque nandi peritum fuiſſe, teſtantur hiſtorici.

Inflatis vtribus.] Refert Liuius Hiſpanos incubantes vtribus tranſnataſſe flumen Rhodaoum. Curtius quoque ait: Incubantes vtribus flumeo tranſmiſere. Fiont vtres ex pellibus potiſſimùm hircinis. Scribit Plinius in X X V I I I. quòd cinis hircini vtris vinarii ſiſtit ſanguinem.

Obeundis.] Peragendis, adeundis.

Niſi antè portus exploraſſet.] Cæſar proficiſci cupiens in Britanniam Caium Voluſenum cum naui longa præmiſit ad proſpicienda loca, portúſque ipſius inſulæ. Huic mandat vt exploratis rebus omnibus ad ſe quàm primùm reuertatur, ſicut ipſe ſcribit in quarto belli Gallici Commentario.

Obſeſſiooe caſtrorum.] Credo hoc factitatum eſſe, quando Qu. Cicero M. Ciceronis frater legatus Cæſaris fuit obſeſſus, & omnia Cæſaris hybernafuerunt oppugnata communi Gallorum conſpiratione.

extitit, vt reflexis io tergum manibus equum velociſſimis concitare curſibus conſueuerit.

Laboris vltra fidem.] Ex militiæ laboribus remedium ægritudini eſt, vt Plutarchus etiam ait, in Cæſare quæſitum.

Incredibili celeritate.] Vtpote qoi octauo die ex vrbe ad Rhodanum veoiſſet, quarto & vigeſimo in vlteriorem Hiſpaniam.

Inflatis vtribus.] Quibus innixos tutius, faciliúſque flumina tranſnaret: Caprimæ pelles ad oleum, vinum, & alios liquores deferendos in follis ſpeciem conſutæ, vtres dicuntur. Vergilius:

Vnctos ſaliere per vtres.

Obeundis expeditionibus.] Bellicis negotiis, quæ obeunda erant.

Niſi perſpeculatus.] Niſi per ſe, aut per alios locorum ſitum exploraſſet.

Obſeſſione caſtrorum.] Nuntio de ſuorum obſidione accepto.

Oppoſitas claſſes.] Quarum vna Orici, altera Corcyræ erat.

Hyeme.] Pridie calendas Ianuarias Cæſar Brunduſio ſoluit.

Dyrrhachium.] Plutarchus ait, Apolloniam tranſmiſſum.

P I I I L. AD accerſendas.] Euocandas. Cæſar literas ſibinde ex Epiro ſcripſit ad Antonium, efflagitans vt cum copiis militaribus, quibus præerat, ad ſe tranſiret. Vnde apud Lucanum ait Cæſar in Epiſtola ad Antonium:

Antoni, tantorum cauſa malorum,
Quid ſuperos, & fata tenes?

Aut gubernatorem cedere.] Gubernator hic propriè oomine Amyclas dicebatur: qui cùm vi tempeſtatis victus retrocedere ſtatuiſſet, tunc Cæſar apprehenſa gubernatoris dextra, Perge, exclamauit, perge: Cæſarem enim vehis, Cæſariſq; fortunam. Plotarchus Græcè ita exclamaſſe refert: πίστευε τῇ τύχῃ γνῶθι ὅτι καίσαρα κομίζεις. Id eſt, Crede fortunæ, ſciès quòd Cæſarem vehis. Lucanus io V. Pharſaliæ, luculenter & graphice totá rem perſcribit.

A Brunduſio Dyrrhachium inter oppoſitas claſſes hyeme tranſmiſit. Ceſſantibúſque copiis, quas ſubſequi iuſſerat, cùm ad accerſeudas fruſtrà ſæpe miſiſſet, nouiſſimè ipſe clàm noctu paruulum nauigium ſolus obuoluto capite conſcendit: neq; aut quis eſſet, antè detexit, aut gubernatorem cedere aduerſæ tempeſtati paſſus eſt, quàm penè obrutus fluctibus.

De deſpectu prodigiorum eidem occurrentium. LIX.

NE religione quidem vlla à quoquam incœpto abſterritus vnquã, vel retardatus eſt. Cùm immolanti aufugiſſet hoſtia, profectionem aduerſus Scipionem & Iubam non

A Brunduſio Dyrrhachiũ.] Ex Italia in Græciam breuiſſimus eſt traiectus ab Hydrunte ad Apolloniam: à Brunduſio verò Dyrrhachiũ tranſitus eſt ſicut lõgior, ita tutior. Dyrrhachium appellauere à nomine Dyrrhachii, qui portum vrbi adiecit: alio nomine dicitur Epidamnus, vt refert Appianus, ab Epidãno rege barbarorum: ſed Romani coloniam deducentes, vt ait Plinius, Dyrrhachium dicere maluerunt, propter inauſpicatum nomen Epidamni tanquam à damno dicatur Epidamnus. Ad quod alluſit Plautus io Menæhmis cùm ait: Ne mihi damnum in Epidamno duas. Tanquam nomen inditum ſit Epidamno, quòd illuc nemo ſine damno diuertatur. Cæſar Brunduſii concionatus apud milites, per brumæ tempus tranſmiſit in Græciam. Tunc Dyrrhachium erat horreum Pompeianorum.

M. A N. ARmorum tractandorũ.] Equitandi peritiſſimus. Plutarchus: Equitandi vſus ei ex pueritia facilis

Ne religione quidem.] Scribit Appianus in I I. Alexãdrum, & Cæſarem fuiſſe contemptores huiuſcemodi religionũ, floccipẽdiſſeque prognoſtica ac vaticinia.

Immolanti aufugiſſet hoſtia.] Notatum eſt, authore Plinio, non ferè litari, trahente ſe ab aris hoſtia, & aufugiente. Vnde inter prodigia priſcorum legimus, ominoſum fuiſſe, quotieſcunque hoſtia fugiſſet ab ara. hoc tamen prodigio non impediebatur Cæſar, quin incœpta perageret. Lucanus inter oſtenta Pharſalicæ cladis, hoc quoque enumerat,

Diſcuſſa fugit ab ara Taurus. Appianus prodidit Cæſarem, & Alexandrum contemptores fuiſſe pariter religionũ: tanquã illud Lucretii probarentur ab illis,

Religio peperit ſceleroſa, atque impia facta.

distulit. Prolapsus etiam in egressu nauis, verso ad melius omine,teneo te,inquit, Africa. Ad eludendas autem vaticinationes, quibus felix & inuictum in ea prouincia fataliter Scipionum nomen ferebatur,despectissimum quendam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium vitæ,Salutioni cognomen erat,secum in castris habuit.

De præliorum assumptione locis & temporibus inopinatis,etiam apud suos. LX.



PRælia non tantùm destinato, sed ex occasione sumebat, ac sæpe ab itinere statim, interdum spurcissimis tempestatibus,cùm minimè quis moturum putaret: nec nisi tempore extremo ad dimicandum cunctantior factus est, quò sæpius vicisset, hoc minus experiendos casus opinans, nihílque se tantum acquisiturum victoria,quantum auferre calamitas posset. Nullum vnquam hostem fudit, quem non castris quoque exueret:ita nullum spatium perterri-

Verso ad melius omine.] Malum omen est, quuties aliquis prolabitur in rebus obeundis: sicuti de Camillo traditum est, qui subito olim lapsu decidit: quod omē ad damnationem, qua posteà oppressus est, pertinuisse prodiderūt authores idonei.

Teneo te,inquit, Africa.] Nemo destinat aliquid in Africa, nisi præfatus Africam, sicuti refert Plinius in vigesimooctauo, ad quod alludere videtur hoc Cæsaris dictum, qui tamen significauit se Africam teoere,tanquā subactam, suiq; iuris factam. Huius vocis, & historiæ, meminit Frontinus his verbis: Cæsar cùm fortè conscendens nauem lapsus esset,Teneo te,terra mater,inquit. Qua interpretatione efficit,vt repetiturus illas, quibus proficiscebatur, terras videretur.

Cunctantior.] Tardior. In Commentario belli Africi sic scriptum legimus.Cæsar tardior & consideratior erat factus,& ex pristina bellandi consuetudine,celeritatéque excesserat.

Quò sæpius.] id est,quantó.

Hôc.] Id est tantó.

IPse.] Cæsar in locum Pharsaliā dictum à Brūdusio Dyrrhachium copias accersebat. M. A N.

Solus.] Appianus cum tribus seruis ad naues venisse scribit.

Paruulum nauigium.] Quippe quod, Plutarcho authore, duodecim ageretur remis.

Aufugisset hostia.] Quod pro retro alioqui habebatur prodigio.

Inuictum Scipionum nomen.] Propter duos Scipiones, Africanum superiorem,& iuniorem: quorum alter stipendiariam fecit Carthaginem, alter funditus euertit: ideóque Scipio Pompeii socer, cùm existimaretur & ipse futurus in Africa victor aduersus Cæsarē, Cæsar,authore Plutarcho,quendam Scipionē ex Corneliorum familia, hominem sanè abiectum, & despectissimum cognomenio Salutionem, in prælio tanquā ducem præposuit: ita vt interdum cum hoste cōgredi cogeretur. Vetusto enim quondam vaticinio coosidebant aduersarii, quo declarabatur fatale esse Scipionum generi semper in Africa vincere.

Ad opprobrium.] Tanquam κατὰ ἀντίφρασιν, id est per contrariam dictionem Salutio diceretur, cùm nulli saluti foret,sed cunctis despicatui. Quidam codices habent Saluitioni: tanquam saluos facere posset, cùm in eo foret nihil salutare. Omnino tacita qoasi quædā subest allusio ad nomen. Plinius noster sentire videtur propter similitudinem formæ Salutionis Mimi inditū fuisse cognomen Scipioni,vt Salutio Scipio appellaretur,& ita nō absurdè opprobrium referetur ad sordes Mimi Salutionis,tanquam Scipio cognominaretur Salonio cognomine scenico mimico histrionico: quod planè probrosum est,& despicabile.

Ex occasione.] Liuius lib. vigesimoquinto,sententialiter locutus est in hanc sententiam: Si occasionis momento,cuius præteruolat opportunitas, cunctatus paulùm fueris, nequicquam mox omissam queraris. Ipse Cæsar in Commentariis ait,consilium pro tempore, & pro re esse capiendum.

Spurcissimis.] Vehementissimis, asperrimis. M. Tullius: Cùm iter facerem tempestate spurcissima. Aliâs spurcum significat obscœnum, & impurum: vt spurcæ noctes.

Omine.] Ex hoc apparet tam in re, quàm verbo esse omen: quod & Valerius quoque demonstrat.

Teneo te.] Capram scilicet.

Fataliter.] Fatali necessitate.

Ex Coroeliorū genere.] Scipionum gente,ob duos Scipiones, quorum alter tributariam Carthaginem reddidit, alter funditus sustulit.

Salutioni.] Plotarchus Salutionem scribit. Plinius à Mimo quodam illi id nomen datum affirmat: quum Cn. prænomen illi anteà fuisset. Sed Plinii locus in septimo corrigendus, vbi Salutominus, pro Salutio mimus mendosè legitur.

Ex destinato.] Vt anteà destinasset.

Ab itinere.] Quum aliò iter intenderet: vel statim quòd ad hostem sit ventum, nondum capto castris loco.

Cunctantior.] Timidior,minus audax.

CAlamitas.] Imperatorum res aduersæ authoritatem minuunt,vt ait ipse in septimo. PHIL.

Ancipiti.] Dubioso,periculoso: aliâs duplici.

Equos dimittebat.] Cæsar prælium commisit aduersus Heluetios: primùm suo, deinde omnium è conspectu remotis equis: vt æquato omniū periculo spem fugæ tolleret. Legimus apud Liuium,olim Dictatorem Romanum iussisse equites ab equis descēdere, & iam partam esse victoriam: consimiliter in bello Volsco Tempanius decurio equitum iussit equites ex equis desilire,& ita repressit impetum hostium vrgentium.

Pedibus propè humanis.] Scribit Plinius in octauo,equum Cæsaris habuisse priores pedes similes hominis: qua effigie locatus fuit ante Veneris genitricis ædem: de quo Solinus hæc: Equus Caii Cæsaris nullum præter Cæsarem dorso accepit,cuius priores pedes facie vestigii humani tradunt fuisse: sicut ante Veneris genitricis ædē hac effigie in Roma locatus est. Arion, eqous ille Adrasti celebratissimus,fuisse fertur humano vestigio dextri pedis.

Arusp

tis dabat. Ancipiti prælio equos dimittebat, & in primis ſuum, quò maior permanendi neceſſitas imponeretur, auxilio fugæ erepto.

De equo eius inſigni, cum pedibus propè humanis. LXI.

VTebatur autem equo inſigni, pedibus propè humanis, & in modum digitorum vngulis fiſſis: quem natum apud ſe, cùm haruſpices Imperium orbis terræ ſignificare domino pronuntiaſſent, magna cura aluit: nec patientem ſeſſoris alterius, primus aſcendit: cuius etiam inſtar pro æde Veneris Genitricis poſtea dedicauit.

De uirtute eius in acie inclinata reparanda. LXII.

INclinatam aciem ſolus ſæpe reſtituit, obſiſtens fugientibus, retinénſque ſingulos, & contortis faucibus conuertens in hoſtem: & quidem adeò plerunque trepidos, vt aquilifer moranti cuſpide ſit comminatus, alius in manu detinentis reliquerit ſignum.

De conſtantia & ſeueritate eius contra Caſſium. LXIII.

NOn minora illa conſtantiæ eius, imò maiora etiam indicia fuerunt: Poſt aciem Pharſalicam quum præmiſſis in Aſiam

Haruſpices.] Ab haruga nominantur. Nam haruga, teſte Donato, dicitur hoſtia, ab hara, in qua concluditur, & ſeruatur. Hara autem locus eſt, in quo pecora includuntur. Haruſpices, vt inquit Auguſtinus, & in Decretis, XXVI. quæſtio. IIII. repetitum eſt, exta pecudum inſpiciunt, & ex eis futura prædicunt. Haruſpices etiam illi nuncupantur, qui horas in agẽdis negotiis, operibúſq; cuſtodiunt. Haruſpicium primus inuenit Delphus, vt ait Plin. Haruſpicinam deridet Cicero in ſecundo de Diuinatione: vbi dicit alios, alio modo exta interpretari, nec eſſe omniũ vnam diſciplinam. Cato mirari ſe aiebat, quòd non ridebat haruſpex haruſpicem cùm vidiſſet.

Inſtar.] Effigiẽ conſimilem.

Pro æde.] Ante ædem, hoc eſt templum.

Veneris Genitricis.] Venerem cognomine Genitricem colebat Cæſar, tãquam ab ipſa oriundus, propter Iulium Aſcanium Veneris nepotem: quem Iulia gens ſui nominis authorem habet. Appianus in ſecundo: Erexit & Veneri Genitrici templũ, vt prius ad Pharſalon vouerat prælium initurus.

Aquilifer.] Aquiliferi dicuntur ſigniferi in Romana militia, ab Aquila, quam Romanis legionibus Caius Marius in ſecundo conſulatu ſuo propriè dicauit. Habuerunt & Romani præter aquilam quatuor alia ſigna, videlicet lupos, minotauros, equos, apros, quæ ſingulos ordines anteibant: author Plinius in decimo. Refert Vegetius primum ſignum totius legionis eſſe aquilã, quam aquilifer portat. Idem draconarios appellat ſigniferos, à draconibus, qui per ſingulas cohortes ferebantur ad prælium: de quibus eſt illud Claudiani: Stent bellatrices aquilæ, ſæuíq; dracones. Idem perſæpe dracones vſurpat in hoc ſignorum militarium ſignificatu. Factum eſt autem hoc in Africo bello, vt Cæſar aquiliferum fugientem ad primos reuocaret, & eius collum intorqueret dicens: Hîc, hîc ſunt aduerſarii. Valerius in III. Cæſar legionis Martiæ aquiliferum ineundæ fugæ gratia iam conuerſum, faucibus comprehenſum in contrariam partem detraxit, dexterámque ad hoſtem tendens, Quorſum tu, inquit, abis? Illhic ſunt, cũ quibus dimicamus. Idem teſtis eſt, Cæſarem ancipiti aduerſus Neruios prælio detraxiſſe militi ſcutum ſegnius pugnanti: quo facto labantem belli fortunam diuino animi ardore reſtituit.

Contortis faucibus.] Intortis per manus iniectionem. Refert Plinius fauces fuiſſe intortas Metello à tribuno plebis Catinio Labeone, vt ſanguis per aures expreſſus flueret. Summum gulæ fauces vocantur, vt docet idem Plinius in XI. fauces per translationem rerum quoque inanimatarum dicuntur. Cicero: Aemylium ſedentem in faucibus macelli loqui palàm.

Reliquerit ſignum.] In Commentariis ſcriptũ legimus, quòd Cæſar ſigna fugientium manu prehendebat, & conſiſtere iubebat: adeò vt alii dimiſſis equis conficerent curſum, alii ex metu etiam ſigna dimitterent.

QVẽ nõ caſtris quoque exueret.] Niſi caſtra quoq; hoſti, quem viciſſet acie, ademiſſet. M. AN.

In primis ſuum.] equum ſcilicet. Id in Heluetios pugnaturus feciſſe dicitur.

Auxilio fugæ.] Quod in equi pernicitate eſſe poſuit.

Pedibus propè humanis.] De prodigioſa equi forma Plutarchus, & Plinius plura: ſed Plinius anteriores tantùm pedes in ſpeciem aic humani pedis fuiſſe figuratos.

Inſtar.] Effigiem, ad illius æquationem.

Pro æde.] Ante ædem. Papinius:

Cædat equus Latiæ qui contra templa Diones
Cæſarei ſtat ſede fori.- Plinius quoque ante ædem effigiem ipſam locatam fuiſſe ſcribit:

Contortis faucibus.] Vt in hoſtem cum ignauiæ exprobratione reflexit. Plutarchus hoc adiicit, Dyrrhachina pugna parum abfuiſſe, quin Cæſar à milite, quem in hoſtem niteretur conuertere, ſit repentè confoſſus.

Aquilifer moranti.] Appianus author eſt, eo prælio, quo Cæſar Labienum, & Petreium in Africa vicit, Aquiliferum fugientem in primam aciem ab eo violenter retractum: & ad Dyrrhachium alium ſigno in contrarium verſo occidi iuſſum.

Alius in manu.] Qui non pateretur eum loco decedere.

copiis per angustias Hellesponti victor nauicula traiiceret, L. Cassium partis aduersæ cum decem rostratis nauibus obuium sibi, neque refugit, & cominus tendens, vltro ad deditionem hortatus, supplicem ad se recepit.

De mira euasione eius, nando. LXIIII.

ALexandriæ circa oppugnationem pontis, eruptione hostium subita compulsus in scapham, pluribus eôdem præcipitantibus, cùm desilisset in mare, nando per ducentos passus euasit ad proximam nauem, elata læua, ne libelli, quos tenebat, madefierent, paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis.

PHIL. PEr angustias Hellesponti victor.] Mare angusto meatu Europam separat ab Asia, quod interuallum septem est stadiorũ: has angustias Hellespontũ vocat, nomine indito ab Helles puellæ casu. Hac Xerxes Persarũ rex cõstrato in nauibus ponte duxit exercitũ. Cæsar, cũ ad Hellespontum peruenisset, sequens Pompeium fugientem, habuit obuium L. Cassium cum triremium classe ad Pharnacem properantem: qui cùm Cæsarem debellare posset, tamen felicitate illius conterritus est, supplexque impetrata venia naues omnes illi tradidit. Existimat Appianus hoc adscribendum haud dubiè esse Cæsaris felicitati: vt scilicet Cassius vir bellicosus, magna classe instructus, non ausus sit cõserere manum cum Cæsare in scapha nauigante, què postea Romæ imperantem non extimuit in Senatu trucidare. Non tamen mirandum est, si Cæsaris tunc expauit maiestatem, cuius nomen, vt ait Plutarchus, reges Indorum, & Parthorum non sinebat capere somnum. Illud quoque quidem peculiari Cæsaris fortunæ attribuendum videtur: qui cùm dimicaret in Gallia, & ab hoste direptus ex equo asportaretur, occurrit ex hostibus quidam, qui Cæsarem noscebat: & insultans raptori ait, Cecos Cæsar: quod Gallorum lingua significat, dimitte Cæsarem: & ita factum est vt dimitteretur. Hoc scripsit Cæsar in sua Ephemeride.

Rostratis nauibus.] Rostrantur naues rostro ferreo, siue æreo, vnde rostratæ dictæ: quæ firmiores sunt, & in nauali prælio ad confligendum vtiliores. Rostra nauibus primus addidit Piseus.

Cominus.] Propè.

In scapham.] Scaphæ sunt naiculæ, quæ maiores naues consequuntur. Scaphidion Lucianus appellat cymbam illam ferrugineam, qua Charon manes transportat.

Paludamentum mordicus trahens.] Scribunt Historici Cæsarem in Alexandrino bello cùm in mare desilisset, aliquandiu enatasse: Alexandrinósque vestem illi ademptam in trophæi modum erexisse. Soetonius verò sentire videtur à Cæsare vestem militarem ex manibus hostium subductam fuisse. Huius historiæ meminit Plutarchus his verbis: Constituta ad Pharon pugna, quandam ex aggere scapham insiliit, vt decertantibus ferret auxilium. Aduolantibus autem vndique in eum Aegyptiorum nauibus, se in mare deiiciens summo cum labore vix enatauit. Tunc quosdam tenens libellos, quanquam vndique peteretur, mergeretúrve, ne omisisse quidem dicitur: at eis à mari sublatis, in altum altera natasse manu, continuóque scapha in fundum est deiecta.

Mordicus.] Hoc est morsu, & dentibus. Aduerbiũ est. Plautus in Curgulione: Manum arripuit mordicus. Idem dixit mordicibus, pro morsibus. Est & morsicatim à morsu deriuatum.

Paludamentum.] Paludamenta sunt insignia, ac ornamenta militaria. Ideo quum ad bellum exit Imperator, dicitur proficisci paludatus. Cicero in Pisonem, & Gabinium: Exierunt duo paludati Vulturi. Lictores quoque erant paludati. Liuius, Cum paludatis lictoribus profectus ab vrbe Brundusium venit. A palàm dicta paludamenta, propterea quòd conspiciuntur illi, qui ea habent, ac fiunt palàm: author Marcus Varro. Plinius in vigesimosecundo tradit coccum fuisse dicatũ paludamentis Imperatoriis. Paludati, vt ait Festus Veranium citans, in libris auguralibus, id est, armati, ornati.

M.A N. TRaiiceret.] Traiicio copias Hellesponto, & Hellespontum, & sæpe, & eleganter ab aliis vsurpatum: sed Tranquillus neutrum dixit.

Decem rostratis nauibus obuium sibi.] Ab forma sic dictis. Appianus octoginta Cassium triremes habuisse scribit: nec Lucium, sed Caium Cassiũ fuisse, qui posteà cum Bruto in Cæsarem coniurauit.

Eôdem præcipitantibus.] Præcipitanter compulsus.

Paludamentum.] Imperatoriam chlamydem. Plinius: Coccum Imperatoris dicatum paludamentis, sed pro ornamentis militaribus capitur. Sallustius: Postquàm è sarcinis paludamenta obstare vidit. Hinc paludati dicti. Iuuenalis:

Cúmque paludatis ducibus. -

Cicero: Antonius Gemens ante lucem paludatus. Sallustius: Dum paludatus incederet. Liuius: Consul paludatus egrediens.

Motdicus.] Morsu. Appianus author est, Alexandrinos vestem Cæsari ademptam in trophæi modum erexisse.

A moribus.] A vitæ instituto.

Neque à fortuna.] Nobilitate & diuitiis. De Fortuna qnidem fertur, quòd illa sit rerum humanarum arbitra, vaga, inconstans, incerta, indignoriímq; fautrix, à plerisq; etiam cæca existimata, & quæ in tota ratione mortaliũ sola vtranq; paginã facit: sed quæ tamen, deorum cultu iampridem exploso, vna omnibus horis, omnium ore colitur, fidei iam numine virtutísque neglecto. De Darii fortuna dicitur: Hoc sibi fortuna ludibrium extremum ex tanta superbia comparãte, vt qui tanti caput suum recumbere, & pedes subniti voluerat, tanti etiam manibus pedibúsque vinciretur.

Pari seueritate.] Omnia exemplaria, quæ vidimus, seruitute habent: sed seueritate est legendum, quod ex his, quæ sequuntur, planè perspicitur,

Indulgenter.] Obsequenter.

Militem

De probatione & disciplina eius in milites. LXV.

Militem neque à moribus, neque à fortuna probabat, sed tantùm à viribus: tractabátque pari seueritate atq; indulgentia. Non enim vbique ac semper, sed quum hostis in proximo esset, coercebat: tum maximè exactor grauissimus disciplinæ, vt neque itineris, neque prælii tempus denuntiaret, sed paratum,& intentum momentis omnibus, quò vellet subitò educeret. Quod etiam sine causa plerunque faciebat, præcipuè pluuiis & festis diebus. Ac subinde obseruandum se admonens, repentè interdiu, vel nocte subtrahebat, augebátque iter, vt serius subsequentes defatigaret.

De eodem. LXVI.

Fama verò hostilium copiarum perterritos nõ negando minuendóve, sed insuper amplificando, ementiendóque confirmabat. Itaque cùm expectatio aduentus Iubæ terribilis esset, conuocatis ad concionẽ militibus, Scitote, inquit, paucissimis his diebus regem affuturum cum decem legionibus, equitũ triginta, leuis armaturæ centum millibus, elephantísque tre-

PHIL. Militem neq; à moribus.] Secus scribit ipse in septimo Commentario, dicens nou minus se ab milite modestiam,& continentiam, quàm virtutem, atque animi magnitudinem desiderare. Vegetius quoque tradit, milites moribus excellere debere: honestas enim idoneum militem reddit: & verecundia, dum prohibet fugere, facit esse victorem.

Neque à fortuna.] Ab opulentiis: & quia fortuna per omnia humana, tum maximè in res bellicas, est potens.

Indulgentia.] Indulgentia seueritati opponitur per antitheton. Indulgétia accipitur pro facilitate, benignitatéque,& leni concessione. Quintil. in primo: Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus. Inde indulgentissimi Imperatores dicti (sicut Gratianus ab Ausonio indulgentissimus nuncupatur) quòd sint benefici, propésique ad gratificandum. Et apud Historicos indulgentiæ imperatoriæ identidem memorantur. Plin. In Panegyrico ait: Quem non fortunæ indulgentiæ molliant?

Exactor disciplinæ.] Coactor, extortor, repetitor militaris disciplinæ. Nam, vt inquit elegãter Marcus Iurisconsultus, Officium regennis exercitum non tantùm in danda, sed etiam in obseruanda disciplina consistit.

Sed paratum,& intentum.] Paulus Aemylius iubebat milites ἡσυχίαν ἔχειν καὶ ποιεῖν ὀξείας τὰς μαχαίρας μόνον, αὐτῷ δὲ τῶν ἄλλων μελήσειν. Id est, quiescere, & gladios solummodo acutos facere: se enim reliqua curaturũ.

Pluuiis diebus.] Tali enim tempore non credunt milites Imperatorem castra esse moturum, neque in aciem exiturum.

Sùbinde.] Frequenter, identidem: qua dictione scatent libri luculentorum scriptorum. Nonnunquam sùbinde significat mox, déinde, statim. Liuius: Vno, alteróque sùbinde ictu ventrem, atque inguina hausit.

Obseruandum se admonens.] Sensus est, Cæsarem frequenter milites admonuisse, vt se obseruarent, hoc est, custodirent, ac specularentur, ne quòquam se subduceret: qui déinde solitus erat se repentè subtrahere è conspectu militum, ita vt ab illis quæreretur. Obseruare autem modò significat speculari: aliâs venerari. Vergilius:

Præterea regem non sic Aegyptus,& ingens Lydiæ, nec populi Parthorũ, aut Medus Hydaspes Obseruant.

Amplificando, emenriendóque confirmabat.] In hoc Cæsar Cyrum illum magnum Persarum regem imitabatur: qui, authore Xenophonte, res hostium minime verbis extenuandas esse censebat. Nam melius est, inquit, si maiora arbitrati, minora videamus: quàm minora audientes, validiora inueniamus. In Commentario belli Africi hæc legimus ad hanc sententiam conducentia: Cùm nuntiarentur aduersariorum copiæ, equitatus infinitus, legiones regiæ quatuor, leuis armaturæ magna vis, Scipionis legiones decem, elephanti centum viginti, classésq; esse complures, tamen non deterrebatur, animóque Cæsar & spe confidebat.

Aduentus Iubæ terribilis esset.] Iuba Rex Mauritaniæ iuuit partes Pompeianas,& Scipioni socero Pompeii reliquias in Africa reparanti se coniunxit: qui, vt inquit Appianus, elephantos sexaginta, equitum viginti millia, peditũ verò triginta secum ducebat: adeò vt Cæsaris exercitus trepidans tumultuaretur.

Leuis armaturæ.] Milites leuis armaturæ dicebantur, qui hastam tantùm, gessáque gererent. Vt scribit Liuius, manipulus leuis armaturæ vicenos milites habebat. Refert Aelianus in Tacticis, ordinem pedestrem in milicia diuidi tripharièm: in armatos, quæ grauis armaturæ dicitur: & velites, qui leuissimè omnium armantur, vnde & expediti nuncupantur: non enim loricam induunt, non ocreis muniuntur, non clypeum, aut scutũ graue gestant, sed tantùm iaculis vtuntur, aut lapide, quem funda manúve emittunt. In tertio ordine sunt peltati: à pelta dicti, quod scutum est paruum,& leue: hi medii erant inter grauem armaturam & leuem. Speciatim rorarii, accensi, ferentarii ab Historicis milites leuis armaturæ solent appellari. Veget. in 11. sic scribit: Ferentarii exculcatores, sagittarii, funditores, hoc est leuis armaturæ milites aduersarios prouocabant, ante aciem præcedentes.

M.A.N. Exactor.] Inuestigator, expressor, requisitor, pensitator: tot enim & plura habet id verbum significata.

Pluuiis & festis diebus.] Qnibus cum nemo castra moturum putasset.

centis. Próinde desinant quidam quærere vltra, aut opinari, mihíque, qui compertum habeo, credant, aut quidem vetustissima naue impositos, quocunque vento, in quascunque terras iubebo auehi.

De coercitione, & cultu militum eius. LXVII.


Elicta neque obseruabat omnia, neque pro modo exequebatur, sed desertorum ac seditiosorum & inquisitor & punitor acerrimus, conniuebat in cæteris. Ac nonnunquam post magnam pugnam atque victoriam, remisso officiorum munere, licentiam omnem passim lasciuiendi permittebat, iactare solitus, milites suos etiam vnguentatos bene pugnare posse: nec milites suos pro concione, sed blandiori nomine commilitones appellabat: habebátque tam

Súbinde.] Identidem, sæpius.

Obseruandum se.] Sua quælibet momenta aduertenda.

Interdiu.] Diurnis horis.

Subtrahebat.] E suorum conspectu proripiebat.

Perterritos.] Milites.

Minuendo.] Hostium copias extenuando.

Ementiendo.] Mendaciis augendo.

Decem legionibus.] Legionariorum militum intellige: alioqui non procederet quod statim leuis armaturæ centum millibus subijcit.

Elephantis trecentis.] Appianus elephantos sexaginta tum Iobam habuisse scribit, trigintáque peditũ millia, viginti equitum. Oppius, siue Hircius cum tribus legionibus, triginta elephantis, infrænibúsque Numidis trecentis venisse ait: ac præter hos grandi peditũ numero. Sed Cæsar de industria copias mentiendo auxit.

PHIL. Vetustissima naue.] Ob hoc putrida, & periculosa.

Delicta.] Militum, quæ aut propria, aut communia sunt.

Neque pro modo exequebatur.] Non seruabat modum in puniendo: vt modò citra modum, & præscriptũ legis, modò vltra plecteret nocentes: pro modo autem delicti castigandus est miles. Non debet vindicta esse grauior, quàm crimen: sed, vt ait Iurisconsultus titulo De pœnis, in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent: in grauioribus pœnis seueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi.

Desertorum punitor.] Desertores militiæ in bello capite puniendi sunt, sicuti Iurisconsulti prodiderunt titulo, De re militari. Cæterùm non omnes desertores similiter puniendi sunt: sed habetur & ordinis, & stipendiorum ratio, & gradus militiæ. Differt autem desertor ab emansore, sicut fugitiuus ab errone: leuius enim delictum est emansoris, grauius desertoris. Est enim emansor, qui diu vagatus ad castra reuertitur: Desertor verò, qui per prolixum tempus euagatus reducitur.

Seditiosorum.] Qui seditionem atrocem militum concitauerit, capite punitur: si verò intra vociferationem tantùm seditio mota est, tunc gradu militiæ reiicitur.

Conniuebat in cæteris.] Id est, reliqua delicta militaria oculis veluti clausis præteribat: tanquam dissimulanter illa contueretur. Itidem Cicero in Philippicis: Quibusdam in rebus etiam conniueo. Conniuere enim, est oculos genis integere. Plinius noster in vndecimo: Grauiores alitum inferiore gena conniuent. Idem: Columbæ, & similia vtraque gena conniuent. μεταφορικῶς ad alia quoque transfertur. Gellius in decimosexto, dixit conniuere caua ventris, & stomachi: pro stipari, claudi, & contrahi. Idem in decimoseptimo: Inde apud duo ista foramina, quæ dicitur πτερυγώματα, quasi claustra quædam mobilia, & conniuentia, vicissim & resurgentia. Inde conniuentia synodi vsurpatur in Decretis, vigesimaquarta, quæstione prima, pro tacita erroris permissione à synodo concessa. Conniuere autem enuntiari debet syllaba secunda producta. Silius:

Conniuent, Solémque pauent deprændere visu.

Remisso.] Relaxato.

Officiorum.] Scilicet militarium: quæ autem hæc sint, docet Vegetius.

Munere.] Onere: aliâs dono, aliâs spectaculo, aliâs officio: vnde munera militaria: & quos milites municipes vocamus, vt inquit Paulus Iureconsultus.

Vnguentatos.] Vnguenta esse luxuriæ instrumenta nullus ignorat, qui vel Plinii decimũtertium librum inspexerit. Dicebat tamen Cæsar, milites suos vnguentis delicatioribus perfusos bene pugnaturos, tanquam deliciæ ad virtutem, robúrque hebetandum in præcellentibus militibus nihil pollerent: sicut Aristippus philosophus dicere solebat, quòd lautior victus nullo erat impedimẽto ad bene viuendum.

Commilitones appellabat.] Tanquam & ipse vnus esset ex numero militum. Ita enim commilitones dicimus, sicuti & condiscipulos. Ad hoc allusisse videtur Lucanus sic scribens:

Bellorum, ô socii, qui mille pericula Martis.

Græci συστρατιώτας vocant. Lucullus & ipse milites suos blandiori vocabulo commilitones appellabat. Vnde olim congressurus in Armenia aduersus barbaros, magna voce ad suos conuersus inquit: νενικήκαμεν ὦ συστρατιῶται: Vicimus ô commilitones. A Cæsare in hoc dissentiebat Augustus, imò, vt loquit Eutropius, ipsum coarguebat, quòd milites commilitones nouo blandóque more appellaret. Ita enim principis authoritatem emolliri, minuique arbitrabatur.

OPinari.] Verâne sint ea, an non. M.

Vetustissima naue.] Ac per hoc facilè solubili.

Delicta.] Flagitia.

Pro modo.] Sed citra, vltráque morem, præscriptúmq; militaris disciplinæ.

Desertores.] Qui signa, stationémve deseruissent. Polybius apud Romanos, inquit, mors pœna est iis, qui in bello locum, quo constituti sunt, reliquerint.

Sedit

Seditiosorum.] Seditionis authorum. Lucanus:
At paucos, quibus hæc rabies authoribus arsit;
Non Cæsar, sed pœna tenet, procumbere terra,
Infidúmque caput, feriendáque tendite colla.

Conniuebat.] Indulgebat. Oculorum enim nutu assensum præstamus. Qua loquendi figura Maro sæpe vtitur: Sed Homerus, quem ille imitatur, sæpius.

Officiorum.] Militarium scilicet.

Vnguentatos.] Vnguento delibutos: quasi diceret eos esse, qui nullis corrumpi possent voluptatibus.

Commilitones.] Quæ appellatio, vtpote ambitiosa, ab Augusto posteà sublata est: nam Imperator, qui suos commilitones appellat, se in ordinem redigit, fateturque se non Imperatorem, sed militem esse: sic cōdiscipuli, sic conserui dicuntur.

cultos, vt argento & auro politis armis ornaret, simul & ad speciem, & quò tenaciores eorum in prælio essent metu damni. Diligebat quoque vsqueadeo, vt audita clade Tituriana barbam capillúmq; summiserit, nec antè dempserit, quàm vindicasset. Quibus rebus & deuotissimos sibi, & fortissimos reddidit.

De amore & fidelitate militum ad eum. LXVIII.

INgresso ciuile bellum, centuriones cuiusque legionis singulos equites è viatico suo obtulerunt, & vniuersi milites gratuitam & sine frumento stipendióque operam, quum tenuiorum tutelam locupletiores in se contulissent: neque in tam diuturno spatio quisquam omnino desciuit: plerique capti concessam sibi sub conditione vitam, si militare aduersus eum vellent, recusarunt. Famem & cæteras necessitates non cùm obsiderentur modò, sed etiam si alios ipsi obsiderent, tantopere tolerabant, vt Dyrrhachina munitione Pompeius,

PHIL. AVro politis armis.] In hoc Cæsar imitatus est Alexandrum Magnum, qui iturus aduersus Indos phaleras equorum, & arma militum argento decorauit. Vnde ab argenteis clypeis Argyraspides appellati. Hoc idem factitasse fertur Alexander alter Imperator Romanus, qui, sicuti refert Lampridius, non solùm fecit Argyraspidas, sed & Chrysoaspidas: ita ab aureis clypeis nuncupatos.

Ad speciem.] Ad decorem & ornatum.

Clade Tituriana.] Quando scilicet Titurius Sabinus, & Aurunculeius Cotta legati cũ legione ab Eburonibus dolo circumuenti ceciderant.

Summiserit.] Ad longitudinem nutriuerit. Nanque summittere barbam, & capillum dicimur, quando neque tondemus, neque radimus: permittentes ad enormitatem adolescere. In eodem significatu dicitur, promittere, & immittere: inde promissa barba à Vergilio dicta longa, quasi porrò missa: quod specimen est maximi doloris.

Deuotissimos sibi.] Ausonius in Panegyrico: Meruisti vt haberes amicos obnoxios, promptos, deuotos, fideles in æuum omne mansuros.

Fortissimos.] Amor principis; vt inquit verissimè Nazarius, facit militem fortiorem.

Ingresso.] Cæsari.

E viatico suo.] Viaticum dixere veteres sumptũ viæ, Græci ἐφόδιον vocant. Quintus Claudius in Annalibus magnum viaticum nouè posuit, pro magna facultate, & paratu magno. A viatico diminutiuum fit viaticulum. Apuleius in septimo, de asino aureo: Viaticulum mihi corrasi. Inde verbum Viaticor deriuatur: quod significat viaticum paro. Plautus in Menæhmis, Viaticati hercle admodum æstiue sumus. Sensus Suetonii est, Centuriones singularum legionum obtulerunt Cæsari, quòd singuli sua ipsorum pecunia, quam ad sumptum viæ parauerãt, suísque facultatibus singulos equites alerent, instruerentque stipendio sine Cæsaris impensa: milites verò dixerunt se militaturos gratis sua ipsorum impensa, cùm illi, qui erant ditiores, suscepissent nutricatum, & impensas omneis pauperiorum perficiendas suis opibus peculiaribus. In legione erant centuriones circiter quinquagintaquinque: authores Vegetius, & Modestus de Re militari.

Desciuit.] Defecit, rebellauit. Hoc autem minimè trahendum est ad exactam enumerationem: nanque Labienus, cuius opera naua, & strenua vsus fuerat in bello Gallico, deseruit Cæsarem, & adhæsit Pompeio: vnde apud Lucanum in quinto, à Cæsare vocatur transfuga vilis. Extat huius Labieni in Cæsarem dictum insolentissimum. Nam cùm per colloquia militum pacificatio quæreretur, dixit insolenter: Desinite de cõpositione loqui: nã nobis nisi Cæsaris capite relato pax esse non potest.

Plerique capti vitam recusarunt.] Granius Petronius quæstor Cæsaris designatus in Scipionis potestatem venit, qui Granio incolumitatem pollicebatur: ille verò respondit, Cæsarianos milites solere salutem dare, non accipere: quo dicto seipsum pugione confodit. Prætereà cùm in potestatem eiusdem Scipionis Pompeiani, peruenissent aliquot Cæsariani milites, cúmque Scipio vitam, & pecuniam illis donare polliceretur, si Rempublicam aduersus Cæsarem defenderent: tunc Centurio vnus, Egóne, inquit, contra Cæsarem Imperatorem meum aduersus, armatúsque consistam? Ego neque id facturus sum, & te magnopere, vt de negotio desistas adhortor. Tunc ita percitus Scipio centurionem, reliquósque veteranos Cæsaris cruciabiliter interfici iussit.

Dyrrhachina munitione.] Circumuallationem significat, qua Cæsar Pompeium Dyrrhachii circumuallauerat.

CLade Tituriana.] Q. Titurius Sabinus, & L. Aurunculeius, vt alio est loco demonstratũ, cum quinque cohortibus inter Mosam, & Rhenum flumina in Eburonibus cæsi sunt. M. A N.

Quibus rebus.] Quo studio, indulgentia, officio in milites.

Ingresso ciuile bellum.] Cioile bellum inchoanti.

E viatico suo.] Ex ea pecunia, qua futura expeditione vsuri erant, singuli stipendium vnius equitis vltro detulere.

In se contulissent.] Pecuniosis militibus inopum io se sumptum, & onera transferentibus, suam adhæc militiam gratuitam Cæsari deferentibus.

Tam diuturno spatio.] Quàm diu ciuile bellum tenuit.

Neque quisquam.] Imò aliqui: nam præter Roscilum, & Egum Allobrogas, qui diutissimè Cæsarianis castris fuerant assueti, Labienus quoque ad Pompeiū transfugit. Lucanus:

-Fortis in armis
Cæsareis Labienus eras, nunc transfuga vilis.

Plerique capti.] Vt Petronius quæstor, qui à Scipione captus se transfixit: & Centurio, qui cum veteranis vitam sub conditione promissam recusauit: ita Plutarchus prodidit.

viso genere panis ex herba, quo sustinebantur, cum feris sibi rem esse dixerit, amoueriq; ocyus, nec cuiquam ostendi iusserit, ne patientia, & pertinacia hostis, animi suorum frangerentur. Quanta fortitudine dimicauerint, testimonio est, quòd aduerso semel apud Dyrrhachium prælio, pœnam in se vltro depoposcerunt, vt consolandos eos magis Imperator, quàm puniendos habuerit. Cæteris præliis innumeras aduersariorum copias multis partibus ipsi pauciores facilè superauerunt. Denique vna sextæ legionis cohors præposita castello, quatuor Pompeii legiones per aliquot horas sustinuit, penè omnis confixa multitudine hostilium sagittarum, quarum centum ac triginta millia intra vallum reperta sunt. Nec mirum, si quis singulorum facta respiciat, vel Cassii Scæuæ centurionis, vel C. Acilii militis, ne de pluribus referam, Scæua excusso oculo, transfixo femore & humero, centum & viginti ictibus scuto perforato, custodiam portæ com-

PHIL. VIso genete panis.] Cæsar ex castello in castellū perducta munitione circūuallare cōstituit Pompeium apud Dyrrhachiū Epiri ciuitatē: quæ alio nomioe Epidamnus appellatur vbi cùm in summis esset angustiis, penuriáque cibariorum, consumptis longè latéque frumentis, milites tamen inopiam singulari patientia so ferabant, à quibus genus radicis inuētū est, quod appellatut chara: quod admistū lacte multùm inopiam leuat: id similitudinem paois efficiebas, eius erat magna copia: ex hoc effectos panes Cæsariani edebant, eósque vulgò iaciebans in Pompeianos, vt spem eorum minnerent: cùm in colloquiis famem obiectarent, adiiciebaus, se quoad huiusmodi radices terra produceret, obsidionem Pompeii non derelicturos: Plutarchus, & Cæsar authores. Legimus apud Plinium libro vndeuigesimo, milites Cæsari exprobrasse, quòd lapsana vixissent apud Dyrrhachium, præmiorum parsimoniam cauillantes. Est autem lapsana, olus syluestre trium foliorum, diui Iulii carminibus præcipuè militaribus celebratum.

Pertinacia.] Miror Nonium Marcellum tradere pertinaciam semper esse rerum malarum, cùm eruditorum authoritas refragetur, & in primis Senecæ, qui in septimo de beneficiis ait: Vicis malos pertinax bonitas. Et Liuli, à quo pertinax virtus dicta.

Aduerso apud Dyrrhachium prælio.] Hoc factum est, quando Cæsar dixit: Τήμερον ἡ νίκη παρὰ τοῖς πολεμίοις, ἀλλὰ τὸν εἰδότα νικᾶν οὐκ ἔχουσιν. Latinè significat, Hodie erat victoria apud hostes, sed vincendi peritum nō habent. Tunc Pompeius hac victoria elatus, tanquam victor scripsit ad reges, ac ciuitates.

Consolandos magis quàm puniendos.] Appianus in secundo memorat milites Cæsaris post cladem Dyrrhachinam tanta mœstitudine affectos foisse, vt vltrò ipsi supplicium de se sumi exposcerent, & more patrio decimari. Renuente Cæsare, signiferos oecandos esse conclamabant, perinde ac primos aushores fugæ. Sed Cæsar, nec id quidem facere sustinens, pauculos quosdam sopplicio affecisse satis habuit. Imperatoris clementia milites magis ac magis inflammati deposcere cœperunt, vt in hostes educerentur, iureiurando affirmantes se, nisi victores, nunquam reuersuros.

Ipsi pauciores superaoerunt.] Hoc ex disciplina Alexandri Magni, qui quadraginta ad summum millibus militum contentus infinitas barbarorum copias profligauit: inhabile regenti ratus quicquid excederet, & turbam potius, quàm exercitum: & profectò exercitus copiosior magis est impedimento, quàm emolumento: &, vt ait Vegetius, propria magis multitudine, quàm hostium virtute deprimitur. Hinc legimus, singulos cōsules Romanos aduersus hostes vel copiosissimos non amplius, quā binas deduxisse legiones additis auxiliis sociorum. Sic Cæsar sæpe paucitate militū fudit infinitā hostium multitudinē: sicut in bello Gallico adoersus Arnernos apud Gergouiam, quando illorum dux fuit Vercingentorix. Tunc enim circiter quadringenta millia aduersus Cæsarem conflixere, maxima ipsorum strage & occidione.

Cohors præposita castello.] Castellum intelligimus vnum ex illis, quæ Cæsar plurima communiuis in munitione Dyrrhachina ad circunuallandum Pompeiū, in quo castello oemo fuit quin vulneraretur: & ad Cæsarem relatum fuit scutum Scæuæ centurionis, in quo inueota suot foramina centum viginti: quem Cæsar, vt erat de se meritus, donauit millibus ducentis æris: atq; ab octauis ordinibus ad primipilum se traducere pronuntiauit. Eius autem opera castellum conseruatum magna ex parte constabat. Cohortē posteà duplici stipendio, frumentóve, & speciariis, militaribúsq; donis amplissimè donauit. Hoc Scæuæ centurionis facinus præclarum miro præconio celebrat Lucanus in sexto Pharsaliæ, cuius & Historici meminerunt.

M. A N. GEoere panis ex herba.] Lapsana videlicet, syluestris oleris genere: quod militaribus locis est posteà Cæsari, vt Plinius scribit, in triumpho exprobratū.

Appia

missi castelli retinuit. Acilius nauali ad Massiliam prælio, iniecta in puppem hostium dextra, & abscissa, memorabile illud apud Græcos Cynægiri exemplum imitatus, transiliuit in nauem, vmbone obuios agens.

De pœna contra seditionem militarem. LXIX.

Seditionem per decem annos Gallicis bellis nullam omnino mouerunt, ciuilibus aliquas: sed vt celeriter ad officiũ redierint, nec tam indulgẽtia ducis, quàm authoritate. Non enim cessit vnquam tumultuantibus, atq; etiam obuiam semper iit. Et nonam quidem legionem apud Placentiam, quanquam adhuc in armis Pompeius esset, totam cum ignominia missam fecit, ægréq; post multas & supplices preces, nec nisi exacta de sontibus pœna, restituit.

Appianus quoque eiusdem est rei author. Plotarchus non tantùm herbaceo pane vesci solitos ait, sed radicibus etiam quibusdam lacte mistis.

Aduerso apud Dyrrhachiũ prælio.] Quo Cæsar victus, fassus est, Pompeiũ vti eo die victoria nesciuisse: Appianus, & Plutarchus sunt authores. His verbis Maharbalem post Cannensem victoriam Annibalem incessisse, Liuius tradidit.

Magis.] Pro maiore quodam negotio.

Consolandos.] Petiisse milites scripsit Appianus, se more patrio decimari: id est, decimum quenque supplicio affici.

Innumeras aduersariorum copias.] Liuius aothor est, Alexandrũ Macedooem idcirco Imperatorem maximum iudicatum, quia paucissimis copiis numerosos vicisset exercitus. Cæsar quantam vim hostium paucis legionibus, quas in Gallia habnit, confecerit, ex eo iotelligi potest, quod Plinius memoriæ prodidit: prædicare solitum cecidisse se ad vndecies centum & nonaginta duo millia hostium: præter eos, qui bellis ciuilibus periissent. Appianus io rebus Gallicis scripsit ad centum millia hostium, vel vna acie, ab eo cæsa.

Castello.] Quod Cæsar circa Dyrrhachium Pompeio obiecerat.

Nec mirum.] Haud admiratione dignum.

Singulorum.] Vt Scæuæ, & Acilii.

Centum & viginti.] Apud Plutarchum centum trigiota legimus: ergo in altero numerus corrigendus.

PHIL. Acilius.] Acilius decimæ legionis miles, cùm maritima pugna pro partibus Cæsaris viriliter præliaretur, dextram manum iniecit Massiliensium naui, eáq; abscissa, puppim sinistra apprehẽdit, nec antè dimicare destitit, quàm captã profundo mergeret: author Valerius. Hoc facinore tam præclaro imitatus videtur Romanus Acilius Cynægirũ Atheniensem, qui & ipse iu bello Persico simili pertinacia in consectandis hostibus vsus, nauem oonstã dextera manu tenuit, nec prius dimisit, quàm manum amitteret, qua amputata, nauem sinistra comprehendit, quam & ipsam cùm amisisset, ad postremum nauem morsu tenuit: tanta io eo virtus emicuit, vt noo tot cædibus fatigatus, non ambabus manibus amissis victus, ad postremum truncus, & veluti rabida fera dentibus dimicauerit: authores Trogus, & Herodotus. Scribit Plutarchus in libello de comparatiooibus clarorum virorum, Cynægirũ amputata vtraque manu fuisse obtrũcatum: idémqoe euenisse refert Lucio Glauco viro Romano: vt vtranque manum amitteret, quum Asdrubalis nauem detinere voluisset.

Vmbone agens.] Id est, clypeo. Liuius: Gallum vmbooe ictũ deturbat. Est enim vmbo, vt inquit Seruius, media clypei pars emineotior. Silius:

-Aerati radiauit luminis vmbo. Statius:

Iam clypeus clypeis, vmbone repellitur vmbo.

Ciuilibus.] Bellis.

Aliquas.] Seditiones.

Noo cessit tumultuantibus.] Itidem Alexander Romanus Imperator non extimescebat tumultuantes milites. Sed mota olim seditione, non timuit ascendere tribunal, & oratione seuerissima seditiosos increpare, quanuis omnes armati circunsisterent. Postremò illis adhuc fremẽtibus, cùm inclamasset, Discedite, atq; arma deponite: Mirando exemplo, omnes depositis armis, sagulísque militaribus ad diuersoria recesserunt. Tunc vnam legionem totam exauctorauit, quã mox loco soo restituit.

Legionem cum ignominia missam fecit.] Honesta missio est, quæ emeritis stipendiis ab Imperatore indulgetur. Causaria, cùm quis vitio animi, vel corporis minus idoneus militiæ renuntiat. Inde à Liuio causarii milites dicti. Ignominiosa verò missio est, cùm quis propter delictum sacramento soluitur: & is, qui ignominia missus est, neqoe Romæ, oeque io sacro comitatu agere potest: aothores Iurisconsulti titulo De re militari, & titulo De his, qui notantur infamia. Huiusce autem seditioois militaris, quæ iuxta Placentiam mota est, meminit Appianus, scribens milites pollicitas olim à Cæsare quinque minas viritim, instanter efflagitasse: sopita est autem seditio, duodecim, tanquam seditionis authoribus, supplicio affectis. De hac loquitur Lucanus in v. Pharsaliæ:

Detegit imbelles animos nil fortior ausa

Seditio.-

Quàm authoritate.] Est operæ pretiũ legere apud Locanum qoemadmodum Cæsar imperterritus, & sola maiestate subnixus iuerit obuiam seditioni militari minaciter magis, quàm indulgenter agens, vbi ait:

Vadite, méque meis ad bella relinquite telis. & mox:

An vos momenta putetis vlla dedisse

Mihi: procerum motus hæc cuncta sequuntur.

Exacta de sontibus.] Sumpto de oocentibus supplicio. Lucanus: -Vicit patientia sæui

Spem docis, & iogulos oon tantùm præstitit enses.

Nanque authoritas tanta erat Cæsaris:

-Vt tremeret sæua sub voce minacis

Vulgus iners.-

Acilius.] Apud eundem Plutarchum Attilius, nõ Acilius legitur. M. AN.

Cynægiri.] Herodotus Euphrominis filium Cynægirum fuisse ait, ad Marathonémque id præclarum facinus ab eo editum.

Seditioni.] Annibali præcipuè laudi fuit, quòd cùm ex omni barbarorum colluuione castra referta haberet, nullam toto belli Punici tempore sit militarem seditionem expertus.

Gallicis bellis.] Quia diu in Gallia est bellatum.

Indulgentia.] Obsequio, & illecebris.

Quàm authoritate.] Virtutum opinione.

Obuiam etiam.] Vltrò se tumultuantibus obtulit.

Apud Placentiam.] Cisalpinæ Galliæ vrbem, Romanorum coloniam eò sub initium belli Punici secūdi ductam, Polybius, Liuius, & Pedianus scribunt.

Cum ignominia.] Triplex fuit apud maiores, vt Marcellus De re militari scripsit, missionis ratio: Honesta vna, quæ exacto legitimæ militiæ tempore, quod in decem annos extendebatur, vt Plutarchus tradit, mi liti dabatur. Causaria altera, quum si quis vitio corporis, aut mentis minus idoneus militiæ putabatur. Reliqua ignominiosa, cùm ob delictum aliquod miles exauctorabatur. Vlpianus solere ait exprimi causam, cur aliquis missus esset: sed si arma adempta forent, etiam si nihil fuisset expressum, ignominiose tamen missus intelligebatur.

Exacta.] Sumpta.

De sontibus.] De seditionis authoribus Lucanus:
At paucos, quibus hæc rabies authoribus arsit,
Non Cæsar, sed pœna tenet.-

Restituit.] Denuò inauctorauit.

quemadmodum Cæsar ignomiosæ causa ab exercitu remouit aliquot tribunos militum ob immodicam petulantiam, dicens: Vos, quum neque bello fortes, neque pace boni, aut vtiles fueritis, & seditionis fueritis studiosiores, indignos esse arbitror, qui in meo exercitu ordines ducatis, vósque missos facio, &, quantum potestis, abesse ab Africa iubeo.

Quirites pro militibus.] Imperator quotiescunque verba facit ad milites, eos vero, significantissimóque vocabulo milites appellare consueuit, perinde ac militari sacramēto deuinctos: sed Cæsar nomine blandiori, honorificeotiorique appellauit Quirites: tanquam Romanos, nec vlli subiectos imperio: & ita hac voce iracundiam militarem mitigauit. Consimiliter Alexander Imperator Romanus seditiosos milites pro concione Quirites vocauit: Vos omnes, inquit, hodie vna voce, Quirites, dimittam: & incertum an Quirites: non enim digni estis, qui Romanæ plebis sitis, si ius Romanum non agnoscitis. Ex his tamen Lampridii verbis fit, vt exponam Quirites appellatos non tam honoris causa, quàm contumeliæ, tanquam Quirites plebeii, vilesque sint, & contemptibiles: militum verò appellatio honorificentior, ideóque milites grauiter ferentes se appellari Quirites, id nomen repudiarunt, perinde ac inhonorum, inglorîúmque. In hanc sententiam apud Lucanum sic milites à Cæsare Quirites appellantur per contēptionem, & dehonestamentum, illo versu:
Tradite vestra viris ignaui signa Quirites.

Itidem quoque, eodem Lampridio authore, exclamauit Alexander Romanus Imperator: Quirites discedite, atque arma deponite. verbis scilicet obiurgatoriis, & atrocibus.

Circumegit.] Retroflexit, demulsit, abduxit ab indignatione.

Agri destinati.] Verbi causa, si destinauerat Cæsar viritim inter veteranos dare trecenta iugera, dabat ducenta: si triginta auros ex pecunia prædacea, dabat viginti. & ita tertia agrorum, prædæque parte mulctabantur.

De facili reconciliatione militum iratorum. LXX.



Decumanos autem Romæ, cum ingentibus minis, summóque etiam vrbis periculo, missionem & præmia flagitantes, ardente tunc in Africa bello, neque adire cunctatus est, quanquam deterrentibus amicis, neq; dimittere: sed vna voce, qua Quirites eos pro militibus appellarat, tam facilè circumegit, & flexit, vt ei milites esse confestim responderint, &, quanuis recusantem, vltrò in Africam sint secuti: ac sic quoque seditiosissimum quenque, & prædæ, & agri destinati tertia parte mulctauit.

PHIL. Decumanos Romæ.] Milites decimæ legionis: cui legioni Cæsar indulserat præcipuè: & propter virtutem confidebat maximè. Legiones enim Romanæ à numero, atque ordine dicuntur: vt primani, secūdani, decumani, vocātur milites primæ, secūdæ & decimæ legionis. Missionē flagitantes.] Honestam videlicet, quæ tēpore militiæ impleto dabatur.

Ardente in Africa bello.] Bellum Africum signat, quod in Africa gestum est aduersus Iubam, & Scipionem, recolligentes reliquias Pompeianas, & nouas insuper copias comparantes. Ardente, autem dixit pro vigente, & extante: nam, vt ait Martianus Capella in libro Rhetorices, interdum verba trāsferuntur decoris causa: vt, bellum subitò exarsit: pro extitit.

Præmia.] Quæ veteranis debebat, & promiserat.

Flagitantes.] Quasi cum conuicio, & clamore deposcentes. Flagitare enim personare est, quum flagella, & flamma, & flagitatio sine sonitu, crepitúque non sint: vt docet Donatus in expositione Eunuchi Terentianæ. De hac autem seditione sentire videtur Plutarchus, quum sic scribit: Motis ad seditionem militibus, cùm duos prætores Cosconium, & Galbam occidissent, tantum eos obiurgauit, vt ipsos pro commilitonibus ciues appellatos mille viritim drachmis donauerit, & multa insuper Italiæ prædia sorte distribuerit. In Commentario belli Africi scriptum legimus,

M. A N. Decumanos.] Decimæ legionis milites. Vopiscus tamen Decumanos, ait præsules tantùm habere solitos, aut eos, qui futuri principes essent, quasi lectorum militum id genus esset. Cæterum parum considerate hęc ex proximo capite exemere, qui opus in capita redegerunt, quum omnia ex vna pendeant propositione.

Summóque vrbis periculo.] Nam præter Cosconium, & Galbam prætores, qui authore Plutarcho eo tumultu occisi sunt, ingens quoque vis militum ad vrbis præsidium missa, ab eisdem Decumanis, vt quidam tradunt, trucidata est.

Missionem.] Quia iam militiæ tempus exisset.

Præmia.] Quæ reddenda essent. Ardente.] Late omnia corripiente: translatio ab incendio sumpta.

Adire.] Milites scilicet tumultuantes.

Deterrentibus.] Ne iret identidem monentibus.

Qua Quirites.] Ciues Plutarchus ait, & non milites, quod idem certe est, appellatos.

Circumegit.] Præsenti furore auertit.

Milites esse.] Appianus nullam ab his vocem editam viso Cæsare ait, præter vnam, qua missio efflagitata est: eáque præter spem concessa, continuò in preces versos ne exauctorarentur, atque idipsum vix post multas preces impetratū. Prædæ.] Pecuniæ prædæ nomine militibus datæ. Destinati.] Anteà constituti.

loco cedendum est potentibus, ex opportuno verò ægrotantibus. ibique requiescere iussit Oppium: ipse verò vnà cum reliquis iuxta tugurioli fores recubuit.

Diuersorio.] Hospitio, à diuertendo dicto. Marc. Tullius: Quiescam in Cæsaris sermone, quasi in aliquo opportuno diuersorio.

Sub dio.] Sub cœlo. Alio nomine dicitur sub Ioue. Cœlum enim Græci τὸν δίαν dicunt: inde subdialia pauimenta, & subdiales deambulationes: quas Vitruuius Græco vocabulo appellat ὑπαίθρας.

Grassatorum.] Latronum vias obsidentium. Tales enim grassari dicuntur. Interdum honestum vocabulū est, vt apud Silium:

- Grassandum ad clara periclis.

& apud Sallustium:

Virtutis via grassatur.

Sicariorū.] Qui sint sicarii, satis notum: à sica, quod gladii genus est, nomen inditum. De his suprà satis, ac super.

De fide & studio eius erga clientes. LXXI.

Studium & fides erga clientes ne iuueni quidem defuerunt. Masintham nobilem iuuenem, cùm aduersus Hiempsalem regem tam enixè defendisset, vt Iubæ regis filio in altercatione barbam inuaserit, stipendiarium quoque pronuntiatum, & abstrahentibus statim eripuit, occultauítque apud se diu, & mox ex prætura proficiscens in Hispaniam, inter officia prosequentium, fascésque lictorum lectica sua auexit.

De cultu & dilectione amicorum. LXXII.

Amicos tanta semper facilitate, indulgentiáque tractauit, vt C. Oppio comitanti se per syluestre iter, correptóque subita valetudine, & in diuersorio * loco, quod vnum erat, cesserit, & ipse humi, ac sub dio accubuerit. Iam autem rerum potens quosdam, etiam infimi generis, ad amplissimos honores prouexit. Cùm ob id culparetur, professus est palàm, si grassatorum & sicariorum ope in tuenda sua dignitate vsus esset, talibus quoque se parem gratiam relaturum.

* aliàs locato.

PHIL. Erga clientes.] Primum iuxta parentes locum tenere debent pupilli: secundùm eos proximum locum cliẽtes habere, qui sese in fidem, patrociniúmque nostrū dederunt: &, vt inquit Mar. Cato, aduersus cognatos patronus pro cliente testatur, testimoniū aduersus clientem nemo dicit. Clienta dicitur à Plauto fœmina.

Iuueni.] Cæsari: qua ætate mobiles sunt, & clientelarum minus curiosi.

Hiempsalē.] Africanū regem: alius est ille Hiempsal Sallustianus.

Enixè.] Vehementer. Stipendiariū pronūciatum.] Stipendiarii dicuntur tributarii, hoc est illi, qui tributum soluunt. Inde stipendiariæ ciuitates dicuntur à Plinio illæ videlicet, quæ stipendium, tributúmque soluebāt: & à Liuio Annibal dictus est stipendiarius, & vectigalis, ac seruus populi Romani. Vulgus indoctum perperam appellat stipendiarios milites eos, qui stipendia faciunt: cùm tales mercenarii, siue ærarii milites sint nuncupandi: quòd si vocabulo Vegetii vti volumus, stipendiosos appellabimus: quanquam stipendiosi Vegetio sunt milites non tam stipendia facientes, quàm qui stipendiis plurimis honorati, exercitatique in re militari sunt: vt stipendiosus dicatur quasi plenus stipendiorum, & qui multiiuga stipendia fecerit.

Inter officia.] Inter eos, qui officii causa Cæsarem ducebant, comitabantúrque euntem in prouinciam, furtim auexit in lecticta sua delitescentem Masintham, asportauítque.

Caio Oppio comitanti.] Scribit Plutarchus olim Cæsarem vi tempestatis compulsum intrasse pauperis casam, vbi cùm cubiculum vix vnius capax inuenisset, ad amicos conuersum dixisse: Ex honorifico quidem

M. AN. Studium.] In ordinandis.

Fides.] In defendendis.

Iuueni.] Cæsari.

Hiempsalem.] De hoc Plutarchus in Pompeio: Hiarbas, inquit, rex capitur: cui Hiempsal successit.

Tam enixè.] Tanto studio.

In altercatione.] Iurgio, quod apud Barbaros, qui summo studio alunt barbam, adhuc magis, quàm apud Romanos, est contumeliosum.

Stipendiarium.] Stipendii nomine obnoxium.

Abstrahentibus.] Abstrahere parantibus.

Apud se.] Domi suæ.

Inter officia.] Inter eos, qui officii causa abeuntem sequebantur.

Lectica sua.] Qua ipse vehebatur.

Auexit.] Asportauit.

C. Oppio.] Ad quem multi referunt Commentariorum supplementum.

Subita valetudine.] Inopinato morbo.

Diuersorio.] Meritorio hospitio.

Loco.] Lecto: vt Plutarchus ait.

Sub dio.] In aperto. Plutarchus: In prima tugurii parte, non extrà cum aliis, decubuisse scribit.

Grassatorum.] Latronum.

Sicariorum.] Ferro grassantium.

Parem gratiam.] Pro meritis debitam.

De odiorum facili remißione. LXXIII.

Imultates contra nullos tam graues excepit vnquam, vt non occasione oblata libens deponeret. Caii Memmii, cuius asperrimis orationibus non minore acerbitate rescripserat, etiam suffragator mox in petitione Consulatus fuit. Caio Caluo post famosa epigrammata de reconciliatione per amicos agenti, vltro ac prior scripsit. Valerium Catul-

PHIL. Simultates.] Odia. Simultas dicta est ex contrario, quia minimè sunt simul: potest & à simulatione dicta existimari, quia simulata loquuntur adinuicem.

C. Memmii suffragator.] Suprà Tranquillus tradidit, C. Memmium obiecisse Cæsari, tanquam patico cinædo, quòd stetisset ad cyathum Nicomedi interexoletos. Fuit enim hic mordax in Cæsarem. Extant epistolæ Ciceronis ad hunc, opinor, C. Memmium Athenis diuersantem, vt amicissimum, perscriptæ. Fuit ille alter C. Memmius, in quem Crassus orator commodissimè & festiuissimè lusit, fuisse tota Tarracina omnibus in parietibus has literas inscriptas, tria L L L. & duo M M. cùm quæreret quid significarent, quendam oppidanũ senem dixisse hoc significari: Lacerat lacertum Largii mordax Memmius. Apud Catullum mentio est Memmii prætoris: quem ait se in Bithyniam esse sequutum senuinsculo lucello confecto. Et fortassis est hic, de quo nunc loquitur Tranquillus: de quo etiam videri potest intellexisse Ouidius, cùm ait in II. Tristium:

Quid referam Ticidæ, quid Memmii carmen, apud quos
Nomen adest rebus, nominibúsque pudor?

C. Caluo post famosa epigrammata.] Scribit Iurisconsultus iniuriarum teneri illum, qui famoso libello edito aliquem infamauerit. Famosus autem ferè semper accipitur in partem deteriorem. Illud verò Iuuenalis, quod allegari solet:

Famosos equitum cum Dictatore magistros.

non famosos legendum esse, sed fumosos alibi docuimus. Caluus autem significatur Catulli familiaris, de quo Ouidius:

Et tu cum Caluo docte Catulle tuo.

Qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiæ habuit: fuitque violentus accusator, & concitatus. Ab hoc Vatinium accusatum esse satis constat. Idem carmina iocosa faciebat, plenáque ingentis animi. Vnde olim de Pompeio dixit, Digito vno caput scalpit. vt ita illum effœminatum esse significaret. Duriusculum fuisse in versibus ostendit Plinius in I. Epistolarum. Compositio eius in actionibus ad exemplum Demosthenis rigida erat, vt scribit Seneca in IIII. Controuersiarum. De eodem ait Quintilianus: Sancta, & grauis est oratio Calui, & castigata, & frequenter vehemens: imitator est autem Atticorum, fecitque properata mors illi iniuriam, si quid adiecturus sibi, non si quid detracturus. Quoniam incidit mentio Calui à quo accusatus fuit Vatinius, enarrandum est hoc potissimùm loco hendecasyllabon illud Catullianum, Risi nescio quem modò è corona. In cuius interpretatione non solùm literatores, sed etiam literatissimi ad extremum vsque sudorem dissudauerunt. C. Caluus adhuc adolescens violenta accusatione insequutus est Vatinium de ambitu; & oratione luculenta, quam ait Tacitus in dialogo de oratoribus cum admiratione solitam legi, in explicandis Vatinii criminibus ingenii vela explicauit, & eloquii vires effudit, adeóque violentus fuit accusator, & concitatus, vt in media eius actione surgeret Vatinius reus, & exclamaret, Rogo vos iudices, num si iste disertus est, ideò me damnari oportet? In hoc iudicio in Vatinium dixit Caluus illud egregiè: Factum ambitum scitis omnes, & hoc vos scire omnes sciunt. Idem dixit Vatinio: Perfrica frontem, & dic re digniorẽ, qui prætor fias, quàm Catonem. In hac causa cùm Vatinius reus candido sudario frontem tergeret, idque ipsum Caluus accusator in inuidiam vocaret: Quanuis reus sim, inquit, & panẽ candidum edo. Vatinius, de quo nunc est sermo, is fuit, in quem acerrime etiam Marc. Tullius inuectus est: in tantum quippe odium populi Romani peruenerat, iam detectis illius flagitiis, vt in Prouerbium cesserit, Odium Vatinianum. Inde Catullus: - Munere isto

Odissem te odio Vatiniano.

Cùm igitur Vatinii causa in iudicio ageretur, essétque maxima eorum, qui audiebant, corona: Catullus quendam derisit, qui cùm à Caluo Vatiniana crimina omnia diligentissime explicarentur, admiratus est tam pusillum oratorem, & breuis staturæ homunculum esse tam vehementem in accusando, támque disertum in eloquendo. Contextus autem, & ordo versiculorum sic est digerendus: vt dicat Catullus risisse se quendam e corona eorum scilicet, qui in corona stabant circa iudicum subsellia: & legendum est, crimina Vatiniana, non autem carmina. Cùm Caluus enim meus, inquit Catullus, explicasset mirificè Vatiniana crimina, ex more scilicet firmi, verique accusatoris, ille admirans, & manus simul ad cœlum tollens, quasi per stuporem exclamauit: Dii magni salaputium disertum. Ita enim appellauit Caluum à paruitate staturæ, tanquam vocabulum hoc istud signet: & ita significare euidenter ostendit Seneca libro quarto Suasoriarum, cùm sic ait: Erat Caluus paruulus statura: propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis vocat illum salaputium disertum. Quod verò sequitur in carmine Catulliano, Othonis caput oppidò est pusillum: non Othonis existimo legendum, sed actoris (& quæ enim vicinitas est Othonis, & Calui, cùm nusquam dicatur Caluus Otho?) vt sit sensus connexus, & quadrans. Ille enim, quem risit Catullus, vbi salaputium disertum vocauit Caluum propter staturæ breuitatem, ilico subiunxit: Valde quidem actoris, scilicet Calui, qui actione accusatoria insectabatur Vatinium, pusillum est caput. & ita sales Catulliani elucescunt. Quòd si Othonis legas, intellige Caluum fuisse Othonem cognominatum, vt Caluus Otho vocaretur. Sed hæc dictio salaputium, quæ diu torsit ingenia curiosorum, enarranda est, non inuertenda. Nam quidam nugalia quædam commenti sunt, vt solopechium legerent, quasi totum cubitalem: alii salipontion: alii alia fictitia, & subabsurda. Nos existimamus legendum esse salapusium; nanque pusus, & pusius, & pusio dicitur apud Latinos veteres puer: quod eruditorum, & in primis M. Varronis testimonio satis liquet. Hinc salapusius dictus Caluus, tanquam puer ob staturam breuem, ac puerilem, plenus salibus, & oratoriæ mordacitatis, tanquam à sale & pusius composito vocabulo.

Quòd

lum, à quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulauerat, satisfacientem eadem die adhibuit cœnæ, hospitióque patris eius, sicut consueuerat, vti perseuerauit.

De lenitate & mansuetudine eius in ulciscendo iniurias sibi factas. LXXIIII.

SEd & in vlciscendo natura lenissimus. Piratas, à quibus captus est, cùm in deditionem redegisset, quoniam suffixurum se cruci antè iurauerat, iugulari prius iussit, deinde suffigi. Cornelio Phagitæ, cuius quondam nocturnas insidias æger ac latens, ne perduceretur ad Syllam, vix præmio dato euaserat, nunquam nocere sustinuit. Philemonē à manu seruū, qui necem suam per venenū inimicis promiserat, non grauius, quàm simplici morte, puniit. In P.

Qoòd si salapuriū, vt habent omnes codices, legere velimus, nihil prohibet: nam inter literam s, & r, est quædam quasi cognatio, vt grāmatici docent. Vnde pultare pro pulsare, mertare pro mersare vsurpabant: & ita salaputium quasi salapusium, sine vlla inuersione commodissimè enunciabis: & in eo significatu accipies, quem nos primi (absit inuidia verbo) ex nostra officina deprompsimus. Iam ex hoc nostro interpretamento clarescit, opinor, Catullianum epigramma. Qui melius quid habet, in medium ferat, & candidus impartiatur. Qui non habet, nostra ne vellicet. Sed iam domum repedandum est. Non me præterit à quibusdam legi salicipium, siue saliponnium, à saliendo eipum, pontémve, ob staturæ breuitatem.

M. AN. SImultates.] Odiosas contentiones.

C.Memmii.] De Memmio, & fœda eius obtrectatione suprà.

Suffragator.] Suffragandi fautor.

C.Caluo.] De hoc quoque eodem capite.

Famosa.] Probrosa, & infamiæ plena.

PHIL. VErsiculis de Mamurra.] Mamurra Formianus præfectus fabrorum Cæsaris in Gallia fuit, quem primū Romæ crusta marmoris operuisse parietes totius domus suæ in Cælio monte Cornelius Nepos tradidit. Hic nanque est Mamurra, vt verbis Plinianis vtar, Catulli Veronensis carminibus proscissus. Carmina autem, quibus Mamurra, Cæsárque iunctim carpuntur, & lacerantur à Catullo, sunt in illo epigrāmate: Quis hoc potest videre? quis potest pati, Nisi impudicus, & vorax, & aleo? Mamurram habere quod Comata Gallia. & in alio hendecasyllabo de eisdem ita scribit: Pulchrè conuenit improbis cinædis, Mamurræ, pathicóque, Cæsaríque. His versiculis Catullianis Cæsar haud dubiè factus est stigmaticus, hoc est stigmate, & nota inustus, infamatúsque.

Stigmata.] Sugillationes, & infamiæ notas. Translatio à stigmatibus, quæ inuruntur. Stigmata, vt ait Plinius, delentur columbino fimo. Martialis:

- Stigmata delet Heros.

Satisfacientem.] Satisfacere est tantum facere, quantum satis sit irato ad vindictam: author Asconius.

Iugulari prius, deinde suffigi.] Quos supra Latino vocabulo prædones nominauit, hîc Græca dictione, sed apud nostros vsitatissima, piratas appellat. Existimatur autem dici πειρατὴς, id est pirata, à πειρῶ, quod significat transeo: quia piratæ semper maria permeant. Apud me potior est authoritas Suidæ Græci scriptoris, qui tradit πεῖραν significare δόλον, καὶ ἀπάτην, καὶ τέχνην, καὶ βλάβην. id est, dolum, deceptionem, artem, nocumentum: vnde, inquit, piratæ dicti, tanquam dolosi, fraudatores, & in ipso mari maleficentissimi. Inde piraticam facere dicuntur prædones. Ait Quintilianus in VSSS. dubitasse suos præceptores, an ita piratica dicenda esset, sicuti musica, & fabrica dicitur. Plutarchus scribit, Cæsarem à prædonibus captum solitum illis poëmata sua legere: & parum laudantes vocare ἀναισθήτους, καὶ βαρβάρους. id est, insensatos, & barbaros: & cum risu interdum minabatur κρεμᾶν αὐτούς: quòd ipsos scilicet patibulo affigeret: quod & paulò pòst fecit. Nam Pergami ad vnum omnes ἀνεσταύρωσεν. id est, suffixit cruci. Tranquillus ait prius iugulatos esse, mox suffixos, supplicii, cruciatúsq; leniendi causa. Fenestella verò scriptor vetus, & grauis, qui obiit nouissimo Tyberii Cæsaris principatu, ait in 22. Epitomaton, quemadmodum Cæsar à piratis captus eos posteà ceperit, & decollauerit: ita enim securi cæsos dicebant: iugulare autem, & decollare an conueniant, viderint eruditi. Interdum iugulare ad inanimata transfertur. Martialis:

- Scelus est iugulare Falernum.

Et sine ferro iugulari dicitur. Cornelius Celsus: Quartana neminem iugulat.

Cornelio Phagitæ.] Hic est ille Cornelius dux militum Syllanorum, à quo inquisitore Cæsar duobus se talentis redemit, quando in Sabinis delitescens diligenter inquirebatur à Syllanis, tanquam Marianus.

A manu.] Eleganter antiqui à manu seruos appellabant, quorum manu ad literas scribendas vtebantur: qui alio nomine ad manum dicuntur, vnde ait Cicero: Licinium seruum sibi Gracchus habuit ad manum. Ista enim particula, à, & ab, eleganter, eruditáque significatione vsurpatur à luculentis scriptoribus: vt, à manu, à pedibus, à libellis, ab epistolis, à rationibus, à studiis nominemus illos, quorum ministerio vtimur, quíque his rebus præsunt, quas cum hac particula, a, coniungimus. Videntur autem dici à manu, qui scribæ sunt: quos alibi Tranquillus Amanuenses peculiari vocabulo appellat. Hoc prætereundum non est, quòd quos à pedibus diximus vocari, veteres dixere circumpedes. Vnde ait Agretius, Circumpedes sunt obsequia seruorum: Antepedes amicorum. Cicero: Circumpedes autem homines formosos, & literatos suos esse dicebat. Idem tamen dixit in epistolis ad Atticum: Pollucem seruum à pedibus Romam missum. & Martialis ait:

Cur non mensa tibi ponitur à pedibus.

Idem Cicero Adpedes eos appellat, inquiens: Illic retroflexus adpedum turbam. Alibi quoque ait: Lagenam adpedes replet.

Simplici morte.] Nullis tormentis, neque cruciamentis adhibitis.

Pollutarum ceremoniarum reum.] Suprà dictum quemadmodum Senatus quæstionem decreuit de pollutis publicis ceremoniis, quæ sacra intelliguntur Bonæ deæ, quando Publius Clodius muliebri veste indutus inter illa ad vxorem Cæsaris Pompeiam transierat.

Hispaniæ ciuitatem cùm milites Afraniani, & Cæsariani liberam nacti colloquiorum facultatem inter se familiariter sermocinarentur, omniáque essent plena gratulatione inter vtraque castra, tunc Petreius hoc audito armat familiam, colloquia militum interrumpit, Iulianos, hoc est Cæsarianos repellit à castris, quos deprehendit interficit. Cæsar verò milites aduersariorũ, qui in castra sua venerant, summa diligentia conquiri, & remitti iubet: nonnulli sua voluntate remanserunt, quos posteà in magno honore habuit: & ita noluit imitari perfidiam Petreii, & aduersariorum, pro maleficio beneficium rependens. Hanc Cæsaris clementiam ita laudat Lucanus in III. Pharsaliæ:

Hoc siquidem solo ciuilis crimine belli,
Dux causæ melioris eris.

Iulianos.] Cæsarianos. Possessiuum nomen est à Iulio, vt docet Priscianus. Hinc Iuliani anni dicti, quos ordinauit Iulius Cæsar. Et à Cicerone dictum est In XIII. Antonianarum, Vectigalia Iuliana Lupercis ademistis. pro Cæsariana.

Clodium Pompeiæ vxoris suæ adulterum, atque eadem de causa pollutarum ceremoniarum reum testis citatus, negauit se quicquam comperisse: quanuis & mater Aurelia, & soror Iulia, apud eosdem iudices, omnia ex fide retulissent. Interrogatúsque cur igitur repudiasset vxorem: quoniam, inquit, meos tam suspicione, quàm crimine, iudico carere oportere.

De moderatione & clementia eiusdem. LXXV.


Moderationem verò clementiámque, tum in administratione, tum in victoria belli ciuilis admirabilem exhibuit. Denuntiante Pompeio pro hostibus se habiturum, qui Reipublicæ defuissent, ipse medios, & neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronuntiauit. Quibus autẽ ex cõmendatione Pompeii ordines dederat, potestatem transeundi ad eum omnibus fecit. Motis apud Ilerdam deditionis conditionibus, quũ assidu inter vtrasq; partes vsu atq; commercio Afranius ac Petreius deprehensos intra castra Iulianos subita pœnitentia interfecissent, admissam in se perfidiam nõ sustinuit imitari. Acie Pharsalica proclamauit, vt ciuibus parceretur:

M. AN. Valerium Catullum.] Cuius in Cæsarem & Mamurram carmen notum est: Quis hoc potest videre?

Perpetua stigmata.] Perpetuam notam, & infamiam.

Satisfacientem.] Aetatem, aut quid simile excusantem, veniam ab illo petentem. Hospitio.] Amicitia, familiaritate. Patris eius.] Catulli scilicet.

Piratas.] A quibus se redemerat: piratæ παρὰ τὸ πειρῶ transeo, seu transfreto: ab assiduo cursu dicti.

Iurauerat.] Suprà id per iocum illis minatũ dixerat.

Iugulari prius.] Ne si viuos cruci affixisset, longiore torqueret cruciatu.

Cornelio Phagitæ.] A quo duobus talentis datis ægrè impetrarat, ne ad Syllam perduceretur. Philemonem à manu.] Sic in Augusto: Talbo à manu: sed in Nerone amanuensem, pro à manu dixit. Dixerunt veteres seruũ à manu, cuius opera vtebantur in epistolis, aliísque libellis, quos ipsi dictarent, scribendis: seruum verò à pedibus eum, quem ad iter, literásque perferendas haberent. Cicero ad Atticum: Pollucem seruum à pedibus Romam missum. Vbi illud scire oportet, & à pedibus, & à manu, vtroque numero dici: nullámque extremæ vocis inclinationem alterutro numero habere.

Ex fide.] Sine fraude, recto testimonio.

PHIL. Interrogatus.] scilicet ab accusatore, qui Græcè dicitur κατήγορος.

Tam suspicione, quàm crimine.] Plutarchus in Apophthegmatis ita Græcè tradit Cæsarem dixisse, τὴν Καίσαρος γυναῖκα καὶ διαβολῆς δεῖ καθαρὰν εἶναι. quod interpretatur, Cæsaris vxorẽ oportuit esse puram etiam à calumnia. Nam, vt inquit eleganter Ausonius, parum distare videtur suspectus, veréque reus. Consimile est illud Quintiliani dignum memoratu: Carendum non solùm crimine turpitudinis, verùm etiam suspicione.

Testis inductus.] Plutarchus: μάρτυς δὲ κληθεὶς οὐδὲν ἔφη φαῦλον περὶ τῆς γυναικός. id est, Testis inductus nihil dixit probrosum de vxore.

Deprehensos intra castra Iulianos.] Apud Ilerdam

Denuntiante Pompeio pro hostibus.] Pompeius initio belli ciuilis relicturus vrbem, iussit vt omnes se subsequerentur, præmoniti quòd si quis remansisset, vir Cæsaris existimaretur: tunc Consules nullis ex more peractis sacris repentè exierunt ex vrbe: multi quoque consulares collectis raptim sarcinis discesserunt.

Medios.] Neutras partes sequentes, qui neque Cæsariani essent, neq; Pompeiani. Lex Solonis est, Si quis in dissensione ciuili non alterutri parti sese adiunxerit, sed solitarius, separatúsque à communi malo ciuitatis secesserit, is domo, patria, fortunisque omnibus careto, exul, extorrisque esto. Cæsar tales dixit habiturum se périnde ac si secum fuissent, & in suis castris aduersus Pompeianos militassent.

Ex commendatione Pompeii.] Antequàm ex amicis fierent inimici.

Ordines.] scilicet militares, qui sunt multifaril in Romana militia. Tres nanq; erant ordines Romæ, Senatorius, equestris, & Plebeius. Ab Aristotele τάξεις dicuntur. Ordo enim hîc ponitur pro eo, quod vulgus statum vocat. Senatorius dicebatur amplissimus. Suis quisq; ordo insignibus distinguebatur, vt docet Plin.

Nem

deincéps{que} nemini non ſuorum, quem vellet vnum partis aduerſæ ſeruare conceſſit: nec vlli periſſe, niſi in prælio, reperiuntur, exceptis duntaxat Afranio, & Fauſto, & L. Cæſare iuuene: ac ne hos quidem voluntate ipſius interemptos putant. Quorum tamen & Afranius & Fauſtus priores poſt impetratam veniam rebellauerunt, & Lucius Cæſar libertis ſeruíſque eius ferro, & igni crudelem in modum enectis, beſtias quoque ad munus populi comparatas contrucidauerat. Denique tempore extremo, etiam quibus nondum ignouerat, cunctis in Italiam redire permiſit, magiſtratúſque & imperia capere. Sed & ſtatuas L. Syllæ atque Pompeii, à plebe diſiectas, repoſuit. Ac ſi qua poſthac, aut cogitarentur grauius aduerſus ſe, aut dicerentur, inhibere maluit, quàm vindicare. Itaque & detectas coniurationes, conuentúſque nocturnos, non vltrà arguit, quàm vt edicto oſtenderet eſſe ſibi notas: & acerbè loquentibus ſatis habuit pro concione denuntiare, ne perſeuerarent. Aulíque Cecinnæ criminoſiſſimo libro, & Pitholai carminibus maledicentiſſimis, laceratam exiſtimationem ſuam, ciuili animo tulit.

Nemini non.] id eſt cuilibet.

Afranius & Fauſtus.] Sittius cùm ad Cæſarem iter faceret, forte incidit in Afranium, Fauſtúmque: quos prima luce adortus, victos capit cum coniugibus, & liberis: paucis pòſt diebus diſſenſione in exercitu orta, Fauſtus, & Afranius interficiũtur: Pompeiæ, cum Fauſti liberis Cæſar incolumitatem, ſuáque omnia conceſſit.

M. AN. Repudiaſſet.] Repudiatáex egiſſet. Moderationem.] In vlciſcendo modum.

Clementiam.] Pium in danda venia affectum.

Reipublicæ defuiſſent.] Quam ſecum Rempublicam non eſſet armis tutatus.

Ipſe.] Cæſar.

Medios.] Qui ſua ſtudia neutrò inclinaſſent.

Ex commendatione Pompeii.] Pompeio, dum amicus fuit, coràm, aut per literas cõmendante. Ordines.] Ducendi ordinis dignitatem. Ordo ſexagenos, anthore Liuio, habuit milites, duos Centuriones, & vexillarium vnum. Ilerdam.] Ilergetum oppidũ in citeriore Hiſpania, vetuſtum opus. Lucanus:

-Saxo fundata vetuſto Surgit Ilerda manu.-

Deditionis.] A Pompeianis faciendæ.

Afranius & Petreius.] Sunt qui ſcribant conditiones pacis ab Afranio motas Petreium turbaſſe.

Pœnitentiam.] Motæ pacis.

Non ſuſtinuit imitari.] Senſus eſt, Noluit Cæſar hoſtium exemplum imitatus Pompeianos in caſtris ſuis deprehenſos obtruncare, ſed incolumes dimiſit.

Acie Pharſalica.] Pharſalico prælio, vt parceretur ciuibus, inclinata iam hoſtium acie, id à Cæſare proclamatum conſtat, cùm primo concurſu Italos, vt Appianus ait, perſequendos cenſuiſſet.

Vnum partis aduerſæ.] Vnum ex captiuis hoſtibus, quem vellet. Afranius & Fauſtus.] Sylla à P. Sittio cum coniugibus & liberis in Mauritania capti, diſſenſionéq; in exercitu orta abſente Cæſare interfecti ſunt: hæc Hircius, ſiue Oppius, quanquam alio loco dicat Afranium iuſſu Cæſaris occiſum, quia poſtquàm ab eo in Hiſpania dimiſſus eſſet, rebellaſſet.

L. Cæſare.] Is, credo, ille eſt, qui Arimino à Cæſare occupato, quaſi à Pompeio mandata haberet ad Cæſarem venit, vt ipſe in Commentariis ſcriptum reliquit. Eius pater legatus Cæſaris erat ſub ciuilis belli initiũ. Oppius author eſt hunc quoque à Cæſare, cùm Vticam venit, veniam impetraſſe: ſed non multò pòſt iterum transfugam factum.

Et Cæſar libertis.] Lucius Cæſar iuuenis Cæſari Vticam eunti in itinere fit obuius, ſubitóque ad genua ſe proiecit, vitámque ſibi neque quicquã amplius deprecatus: cui Cæſar facile & pro ſua natura, & inſtituto cõceſſit: verùm hic paulò pòſt fuit interfectus, cùm beſtias conſultò trucidaſſet, quæ paratæ erant ad ſpectaculum populi. PHIL. Libertis eius.] ſcilicet Cæſaris Dictatoris.

Enectis.] Peremptis. Propriè necatus ferro: nectus alia vi peremptus dicitur, author Priſcianus in IX. Participium eſt præteriti paſſiuũ, eneco, enecui, enectus. Liuius: Fame, frigore, illuuie, ſquallore enecti. Cicero in Tuſcu. prima, Enectus ſiti Tantalus. Horatius in epiſtolis: Bos eſt enectus arando. Ad munus populi.] Lactantius ait in VI. venationes, ſcetacúmque ſpectacula attributa eſſe Saturno: & munera vocari. Populus enim ſpectaculis talibus veluti muneribus capitur: &, vt ait M. Tullius in oratione pro Murena: Ludis oblectamur, & ducimur. Statuas Syllæ repoſuit.] Cicero dicere ſolebat, Cæſarem in erigendis Pompeii ſtatuis ſuas firmare. Plutarchus in libello de Commoditatibus inimicitiarum: Honorandum, inquit, inimicum cenſeo, cùm iure gloriam promeruit: quod qui faciunt, plus ipſi laudis conſequuntur, ſimul fidem habent quoties contrà obtrectant, quaſi non hominem oderint, ſed actiones reprobent. Vnde cùm Cæſar deiectas Pompeii triumphales ſtatuas reponi iuſſiſſet, dixit Cicero: πομπηΐου πεσόντας ἀνδριάντας ἱστὰς τοὺς ἑαυτοῦ πηγνύεις. id eſt, Pompeii ſtatuas erigens, ô Cæſar, tuas ipſius figis.

Inhibere.] Vetare ne fierent. Vindicare.] Punire.

Arguit.] Reprehendit, refellit. Sibi notas.] Cognitas coniurationes, & nocturna conciliabula. Pro concione.] Palàm. Auli Cecinnæ.] Extant epiſtolæ huius Auli Cecinnæ ad Ciceronẽ, & Ciceronis ad Cecinnam, ex quibus apertè patet A. Cecinnã exilio fuiſſe multatum propter librũ aduerſus Cæſarem ſcriptũ: vnde ipſe ita ait: Adhuc ſtyli pœnas do. Et pòſt paulò, Cur, inquit, iraſcitur Cæſar ei, qui ſcripſit aliquid cõtra voluntatem ſuã? Criminoſiſſimo.] Referto multiiugarũ aduerſus Cæſarem criminationũ. Pitholai carminibus.] Hic dictus eſt M. Votacilius Pitholaus, cuius mentio fit à Macrobio in II. Saturnaliũ. Laceratã exiſtimationẽ.] Infamatam dignitatẽ, atq; proſciſſam. Ciuili animo.] πολιτικῶς. Ouid. Exercet patrias pluſquã ciuiliter iras.

Prægrauant.] Valde grauant. Scribit Plato, & repetit Plutarchos in Demetrio, præclara ingenia, sicuti virtutes maximas, ita vitia quoque maxima producere solere. In Cæsare autem virtutes dubio procul amplissimæ fuerunt, non tamen sine mistura vitiorum: si modò vitia hæc appellanda sunt, appetitiones honorũ immodicæ, cupiditas dominandi immoderata, animus humano maior, semper ingennia, semper infinita concupiscens. Abusus dominatione.] Vtimur cum honore, abutimur cum iniuria. Græci dicunt ἀποχρῆσθαι. Philippus Macedonũ rex suadebat parandos esse amicos & bonos, & malos, οἷς μὲν χρῆσθαι οἷς δὲ ἀποχρῆσθαι. id est, Alteris quidem vti, alteris autem abuti. Dicimus, abutor hanc rem, & hac re, cum accusatiuo, & ablatiuo. Plau. in Bacchidibus: Nos aurum abusos. De vsu, & abusu secundùm Oratores, & Iuriscõsultos, suo loco mox dicetur.

De abusu dominationis & potestatis eiusdem. LXXVI.

PRægrauant tamen cætera facta dictáq; eius, vt & abusus dominatione, & iure cæsus existimetur. Non enim honores modò nimios recepit, vt continuum Consulatum, perpetuam Dictaturam, præfecturámque morum, insuper prænomen Imperatoris, cognomen patris patriæ, statuam inter reges, suggestum in orchestra, sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est: sedem auream in curia, & pro tribunali, thensam,

Continuum consulatum.] Consulatus, magistratus solebat esse annuus, & annali lege, prout docet Cicero in III. de Legibus, eundem magistratum nemo capere poterat, nisi anni decem interfuissent. Cæsar verò calcatis legibus consul per decennium continuum designatus fuit, vt scribit Appianus in II.

Perpetuam Dictaturam.] Quæ dignitas solebat esse semestris, in Cæsare facta est perpetua. Appianus: Dictator in omnem vitam electus est.

M. AN. SEruis eius.] Cæsaris.

SEnectis.] Peremptis.

Ad munus populi.] Ad venationis spectaculum.

Comparatas.] A Cæsare quæsitas.

A plebe disiectas.] Vt verissimũ sit Satyricũ illud:

Turba tremens sequitur fortunã vt semper, & odit
Damnatos. -

Lucanus:

Nolla fides vnquam miseros elegit amicos.

& rursus: Et cole felices, miseros fuge. -

Repòsuit.] Restituit.

Cogitarentur.] Mouerentur ab adoersariis.

Inhibere.] Comprimere.

Vindicare.] Vlcisci.

Conuentiísque nocturnos.] Noctu clandestinè nouarum rerum causa coactos.

Edicto.] Publica denuntiatione.

Criminosissimo.] Criminationibus pleno.

Laceratam.] Multis probris proscissam.

Ciuili animo.] Tam remisso, ac si priuatæ personæ ciuis fuisset. Prægrauant.] Parodia breuissima, apparétque ex his, quæ sequuntur, maiora fuisse in Cæsare vitia, quàm virtutes: adeò vt meritò occisus credatur. Nulla quidem virtutis species tam blanda adhiberi potuit, vt populus omniũ gentium domitor, quique regium nomen ab initio impensè oderat, sui ingenii oblitus, apertam regni affectionem diutius esset in aliquo laturus. Prægrauant ergo, id est, præpooderant, grauiora sont. Abusus.] Malè & ambitiosè vsus.

Nimíos.] Immensos, & supra modum exquisitos.

Continuum Consulatum.] Appianus in decem annos nomen consulis Cæsarem recepisse est author.

Perpetuam Dictaturam.] Vt appareat diuinitus vocem illam à Sylla emissam, qui in ordinem redactus, quum ab adolescente quodam conuicio incesseretur, nec interim à quoquam conuiciator corriperetur, conuersus ad eos, qui tunc proximè steterant, dixisse fertur, fore, vt quicunque post se Dictaturam inuaderet, nũquam eam nisi, cum morte, deponeret.

PRæfecturã morum.] Censuram intelligit, quã Cicero veterem magistram pudoris, & modestiæ nominat, in oratione contra Pisonem. PHIL.

Prænomen Imperatoris.] Ad hoc allusisse videtur Catullus scribẽs mordaciter in hendecasyllabis: Irascere iterum meis iambis immerentibus vnice Imperator. & Cicero in Paradoxis: Laudetur verò hic Imperator, aut etiã appelletur, aut hoc nomine dignus putetur. Græci vocant αὐτοκράτορα. Corrige mendosam dictionem apud Vopiscũ, cùm scribit Firmum auctocratera in edictis suis esse vocatũ: tu legito Græcè αὐτοκράτορα, & accipe pro Imperatore. Cicero in Philippicis indicat Hircium, Pansam, & Augustũ esse Imperatores appellandos: docétque Imperatorem appellari solitum à Senatu, si quis mille aut duo millia externorum hostium occidisset. Appianus verò scribit nomen Imperatoris vendicari solere ab his prætoribus, qui in maximis belli operibus versati sunt cum laude. Nũc autẽ, inquit, sub quo decem millia in bello ceciderint, hac appellatione dignos haberi audio. Præterea ductores exercituum, & præfecti copiarum militarium Imperatores Latinè, & significanter nũcupantur, quod satis declarant monumenta historicorum. & apud M. Tulliũ inquit Antonius: Imperator, est administrator belli gerendi. Cognomen patris patriæ.] Appianus: Appellatus est pater patriæ, quod cognomentum primus meruit Cicero. Statuam inter reges.] Plinius in XXXIIII. prodidit, Tarquinium, regésque Romanos sibi statuas posuisse: vnde & Romuli statua in Capitolio erat sine tunica: & in eodem loco statuæ visebantur subsequentium regum. Suggestum in orchestra.] Suprà dictũ est, orchestram locũ fuisse in theatro, in quo Senatorũ sunt loca designata: in qua Cæsar suggestum, id est pulpitum eminentius collocari sibi voluit. Fastigio.] Sublimitate. quasi dicat, nõ contentus humanis honoribus, diuinos appetiuit: qui signantur per subsequentia. Et pro tribunali.] Sic distinguendũ est, vt intelligas, sedem aureã & ante tribunal Cæsari fuisse decretam, & in curia. Illa particula pro, significat & ante, & In, vt dictũ iam est. Vnde pro tribunali, cõdecenter expones in tribunali, tanquam & in curia, & in tribunali, vnde ius dicitur, sedem auream sibi poni non recusauerit. Scribit Plin. statuas clarissimorũ virorũ positas in Rostris fuisse. Thensam & ferculũ Circensi pompa.] Thensæ, sunt sacra vehicula, quæ à diuinitate dici putantur: vt inquit Asconius. Seruius verò enarrans illud Vergilianũ: Hîc currus fuit - thensam significari ait, qua deorũ simulacra portãtur. Scribitur autẽ cũ aspiratione

& ferculum Circensi pompa, templa, aras, simulacra iuxta deos, puluinar, flaminem, lupercos, appellationem mensis è suo nomine: ac nonnullos honores ad libidinem cepit, & dedit. Tertium & quartum consulatum titulo tenus gessit, contentus Dictaturæ potestate decretæ cum consulatibus simul: atque vtroque anno binos con-

tione, cùm dictio deducta sit ἀπὸ τῶν θείων, id est à re diuina. De thensis ita loquitur Cicero in vltima Verrina: Omnes dii, qui vehiculis thensarum solennes cœtus ludorum initis. & Liuius in v. ab vrbe condita: Quæ augustissima, inquit, vestis est thensas ducentibus, triumphantibúsve: ea vestiti medio ædium eburneis sellis sedere. Ferculum.] Fercula, vt anthor est Acron, sunt pulpita, in quibus deorum simulacra tolluntur: in quo significatu hîc accipitur, sicut apud Ciceronem sic scribentem in 1. de Officiis: Cauendum est ne tarditatibus vtamur in ingressu molliotibus, vt similes pomparum ferculis esse videamur. Ciceronem imitatus Ambrosius in eadem sentẽtia inquit: Sunt qui sensim ambulando imitantur histrionicos gestus, & quasi quædam fercula pomparum. Augustinus in 11. de ciuitate Dei; Quæ sunt sacrilegia, si illa erant sacra? aut quæ inquinatio, si illa lauatio? & hæc fercula appellabantur. Dicitur autem ferculum à ferendo: quia in pompa Circensi, hoc est celebritate ludorum Circensium huiuscemodi simulacra deorum feruntur. Inde & fercula dapes vocamus, ab eo quòd in mensam inferantur. Ferculorum quoqne superius meminimus. De Circensi pompa ita scribit Ouidius:

Aurea pompa venit, linguis, animisque fauete:
Tempus adest plausus, aurea pompa venit.

Cùm autem thensæ, & fercula ducerentur in pompa ludorum, diuisim, seiunctimque legendum est thensam à tribunali, & cum inferioribus copulandum, vt sit sensus, Cæsari decretam fuisse thensam, & ferculum sicuti deo, in pompa Circensi. Puluinar.] Puluinaria sunt proprie lectuli, qui, authore Seruio, sterni in templis consueuerunt, numini dicati. Abusiuè puluinaria pro templis ponimus: inde apud Liuium legimus ad omnia puluinaria sacrificatum fuisse. Videntur autem puluinaria accipi pro illis puluinis, in quibus simulacra deorum recumbentia collocantur. Alii accipiunt pro illis lectis, qui sternebantur in templo in honorem deorum: vnde lectisternia nuncupantur, sicuti docet Augustinus in 11. de ciuitate Dei. Quod idem significat Liuius sic scribens: Curatum lectisternium, & per triduum habitum, decemuiris sacrorum curantibus. Puluinaria in conspectu fuere Ioui & Iunoni: alterum Neptuno, & Mineruæ: tertium Marti, & Veneri: quartũ Apollini, ac Dianæ: quintũ Vulcano ac Vestæ: sextum Mercurio ac Cereri. Idem Liuius in v. ab vrbe prodidit lectisterninm primum Romæ factum ad pestilentiam propulsandam: quando tribus quàm amplissimè apparari poterant stratis lectis placauere deos immortales. Priuatim quoque tunc id sacrum celebratum est tota vrbe patentibus ianuis, promiscuóque vsu rerum omnium in propatulo posito. Ad hoc puluinar dicatum diis referendus ille Satyrici poetæ versus:

Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorem.

Nam, vt olim dixit Athanaricus Gotthorum rex, deus terrenus est Imperator. In Iouis epulo puluinar suscipi non poterat nisi in Capitolio. Videtur autem dici puluinar à pluma, qua farcitur.

M. AN. PRæfecturámq; morum.] Censuræ periphrasis est. Prænomen Imperatoris.] Quo prænominis loco est vsus: vt Imperator Cæsar, pro Caio in præfationibus ipsis diceretur.

Cognomen.] Tertio loco pater patriæ nuncuparetur: sed de huiuscemodi appellationibus, ne vnum in locum omnia conferãtur, opportuniore loco dicemus.

Inter reges Romanos.] id est, regum statuas, quæ, vt Plinius demonstrat, in Capitolio fuere.

Suggestum.] Locum editiorem.

In orchestra.] Vnde ornatissimus ciuitatis ordo spectabat.

Fastigio.] Dignitate, altitudine: vt sit sensus, Cæsar non solùm immensos recepit honores, & quibus maiores homini haud decerni potuissent, sed alios etiam qui humanum excederent fastigium: atque ob id diuinos. In curia.] Vetus curia in Carinis fuit: altera iuxta forum, imò in parte fori Sylla, vt Plinius scribit, constituit: Clodiana cæde cùm eius rogo altera conflagrauit, Pedianus est author, Appianus & Plutarchus. Pro tribunali thensam.] Sacrum, vt Pediani vtar verbo, vehiculum. Sunt enim thensæ vehicula, quibus deorum simulacra vehebantur: accipitur & pro ipsa ordinum, & hostiarum pompa, thensa. Idem author in Augusto: Quum fortè ludis Circensibus educeret thensam. Sunt, qui à diuinitate factum nomen existiment: alii quòd ante ipsas thensas lucra tenduntur: quæ gaudent manu tenere, & tangere qui eas deducunt.

Ferculum in Circensi pompa.] id est feretrum, quod in pompa ferebatur. Liuius: Spolia ducis hostiũ cæsi suspensa, fabricato ad id aptè ferculo, in Capitoliũ ascendit. Sunt, scio ego, qui vtrobique feretrum libentius, quàm ferculum legant. à quibus non omnino abhorreo. Dionysius pompalia ex argento laborata fuisse ait, deorúmqne simulacra humeris virorum ea pompa deferri solita. Puluinar.] Tabulatum in templis: in quo deorum simulacra statuebantur.

PHIL. FLaminem.] Singuli flamines nomina habent ab illo deo, cui sacra faciunt: vt Martialis, Vulcanalis, Quirinalis. Cicero in 11. Antonianarum taxat Antonium, quòd fuerit flamen Iulii Cæsaris. Ciceronis verba hæc sunt: Est ergo flamen vt Ioui, vt Marti, vt Quirino, sic diuo Iulio M. Antonius. Idem de eisdem Cæsaris honoribus, qnos hîc cõmemorat Tranquillus, ita ait: Quem is maiorem honorem consecutus fuerit, quàm vt haberet puluinar, simulacrum, fastigium, flaminem?

Lupercos.] Luperci nudi Lupercalia celebrabãt in Lupercali in honorẽ Panos. Fiebant autem Lupercalia Februario mense: de quibus copiosissimè à nobis, & diligentissimè scriptũ est in IIII. Propertii Cõmentariot vnde si qua desiderabũtur, illinc poteris mutuari. Cicero insectatur M. Antoniũ quòd in Lupercalib., in quib. sedebat Cæsar amictus toga purpurea in sella aurea coronatus, se lupercũ exhibuerit: & quòd nudus, vnctus, ebrius, insectante pop. Rom. concionatus sit, capitique Cæsaris diadema imponere cũ omniũ plãgore tentauerit. Appellationẽ mẽsis.] M. Antonio legẽ ferente, mensis Iulius est appellatus, qui anteà Quintilis à numero vocabatur: quòd hoc mense Iulius Cæsar procreatus sit: anthores Macrob. & Euseb. Vtroq; anno.] Tertii scil. & quarti consulatus. Binos.] Perinde ac ipse nõ esset cõsul. Ita enim tres cõsules fuissent, cùm duo tantũ esse debeãt. Titulo tenus.] Vt cõsul dici tantũ vellet, citra consulatus administrationẽ. Hæc particula tenus, ferè semper ablatiuo iungitur, veterũ tamen authoritas vsa

Helle

Hellenismo, interdum cum genitioo connectit. Verg.
Et crurum tenus à mento palearia pendent.
Existimat Seruius tenus dici extremas partes arcus: vnde tractum sit, vt hactenus hucusque significet. Apud Plautum in Bacchidibus, tenus magis pro laqueo accipi videtur, quàm pro arcu, cùm ait: Pendebit hodie, ita pulchrè intédit teous.

discurrebaot: Diooysius, Plutarchus, Liuius, & Lactantius de Lupercis multa satis.

Appellationem mensis Iulii.] Qui anteà Quintilis est dictus: quod Ouidius & Macrobius docent.

Ad libidinem.] vt libuit.

sules substituit sibi in ternos nouissimos menses, ita vt medio tempore comitia nulla habuerit, præter tribunorum & ædilium plebis, præfectósque pro prætoribus constituerit, qui præsente se res vrbanas administrarent. Pridie autem calend. Ianua. repentina consulis morte cessantem honorem in paucas horas petenti dedit. Eadem licentia spreto patrio more, magistratus in plures annos ordinauit. Decem prætoriis viris consularia ornamenta tribuit. Ciuitate donatos, & quosdam è semibarbaris Gallorum recepit in curiam. Præterea monetæ, publicísque vectigalibus peculiares seruos præposuit. Trium legionum, quas Alexandriæ relinquebat, curam & imperium Rusioni liberti sui filio, suo exoleto, demandauit.

Cum consularibus simul.] Vt eodem tempore & Consul esset, & Dictator. Consulatus autem per decennium (vt diximus) conniueotibus legibus fuerant Cæsari decreti.

Comitia nulla.] Diximus suprà comitia fuisse coosularia, prætoria, quæstoria, tribunitia, ædilitia, & omniũ denique magistratuũ, qui suffragiis popularibus crearentur: illæ enim coitiones populi ad creãdos magistratus dicebantur comitia, quorum alia calata, alia centuriata.

Substituit.] Suffecit, subrogauit: vnde substitutus.

Pridie calen. Ianuarii.] id est, nouissimo die anni.

Honorem.] Consulatum.

Petenti dedit.] Caninium significat, qui à M. Tullio tali aspersus est ioco, Vigilantẽ habemus consulem Caninium, qui io consulatu suo somnum non vidit. Idem dicere noo destitit: Coosulem habuimus tam seuerum, támque censorium, vt in eius consulatu nemo pranderit, nemo cœnauerit, nemo dormierit. Idem de eodem, Hoc consecutus est Caninius, vt quæreretur quibus consulibus consul fuerit. Extat in eundem iocus ille Disarincus Voracibi Pitholai: Antè flamines, nunc consules Diales fiunt. Nam cùm Dialis dicatur & Iouialis, & vnius diei, sintque flamines Diales à Ioue dicti: potest consul quoque non ineleganter Dialis nuncupari à die, qui vno tantùm die fuerit in magistratu.

In plures annos.] In quinquennium. Appianus: In quinquenniũ & vrbani magistratus, & anniuersarii ad prouinciarũ, aut exercituum curam distributi sunt.

Consularia ornamenta.] Mos fuit antiquorum, vt bene meritis insignia tribuerent magistratuum. Vnde scribit Tacitus decreta fuisse Narcisso quæstoria insignia à Claudio Cæsare: ab eodem insignia præturæ Crispino decreta fuerunt: ita nunc Cæsarem scribit Tranquillus tribuisse ornamenta, & insignia illa, quibus consules ornari solent.

Prætoriis viris.] Hoc est, his, qui olim gesserant præturam.

Ciuitate donatos.] Factos cioes Romanos.

E semibarbaris.] Exuta ex parte barbarie. Sic Persius dixit: - Ipse semipaganus.

Recepit in curiam.] Fecit Senatores.

Monetæ.] Apud veteres Romanos constituti fuerunt triumuiri monetales, æris, argenti, auri flatores, sicuti tradit Pomponius Iurisconsultus.

M. AN. FLaminem.] Sacerdotem, vt Ioui, Marti, Vulcano.
Lupercos.] Quales erant hi, qui nudi per vrbem

Titulo tenus.] Solo titulo cootentus, quum alioqui administratione abstineret. Potestate Dictaturæ cootentus.] Videlicet Dictatoria potestate, quæ longe maior erat consulari.

Vtroque anno.] Tertii, & quarti consulatus.

Substituit.] Suo loco subiecit, ob id, credo, oe comitiis præesset.

Medio tempore.] Eo biennii spatio.

Nulla habuerit comitia.] Nullis præfuerit comitiis, quæ habere alioqui coactus fuisset, nisi consules substituisset: sed cur id Cæsar potissimùm declinaret, ex his quæ posteà dicentur, declarabitur. Pro prætoribus.] Prætorum loco: quos vtique noo populi comitiis, sed ipsius beneficio creatos obsequentiores haberet. Pridie calen. Ianu.] Nouissimo anni illius die. Hooorem.] Coosularem dignitatem. Cessantem.] Vacantem. Petenti.] Caninio Reuilio: in quem, authore Macrobio, extat vrbanissimus Ciceronis iocus, [illegible] est Caninius. & rursus, Vigilantem habemus Consulem, qui in consulatu suo somnum oon vidit. Spreto patrio more.] Contra patrium morem. In plures annos.] Quum annua alioqui esset omnium ferè magistratuum potestas. Consularia ornamenta.] Quibus consularis dignitas instruitur: aut certè quibus vterentur, qui consules fuissent. Ciuitate donatos.] Quos ciues fecerat. E semibarbaris Gallorum.] Et ad commercia, & ad patriæ situm referri potest: vt minus barbari haberentur, qui io cisalpina Gallia essent, aut Braccata, quàm qui in Comata, quæ longè est remotior. Monetæ.] Feriendæ, aut in fiscum redigendæ, dispensandæq;.

Publicis vectigalibus.] Exigendis scilicet.

Peculiares.] Suos, & oon publicos.

Alexandriæ.] Ad regni præsidium.

PEculiares seruos.] Peculiarem seruum appellamus à peculio, quod propriè seruorum est, vnde ait Labeo Iurisconsultus: Paterfamiliâs peculium habere nõ potest, quemadmodum nec seruus bona. A peculio deducitur peculiaris, & accipitur pro re seruili. Inde scribit Vlpianus: Si peculiare vinum legatum sit, id contineri quod serui habuerunt. In vsu autem nunc frequentissimo est, vt peculiaris pro proprio, siue speciali, nec cum aliis communi accipiatur, vnde & peculiariter aduerbium deriuatur; & ita hîc intelligimus peculiares seruos. Plinius: Spectatissimum insigne gallinaceis corpore conferratum, nec carnem id esse, nec cartilaginem, nec callum iure dixerimus, verùm peculiare. Idem ait Aegypti peculiare hoc malum. Nec mirandum videri debet, Cæsarem præposuisse veluti decumanos, id est PHIL.

princ

Item de abuſu & arrogantia eiuſdem. LXXVII.



NEc minoris impotentiæ voces propalàm edebat, vt T. Amprius ſcribit: nihil amplius Rempublicam eſſe, appellationem modò ſine corpore ac ſpecie: Syllam neſciſſe literas, qui Dictaturam depoſuerit: debere homines conſideratius iam loqui ſecum, ac pro legibus habere quæ dicat. Eóque arrogantiæ progreſſus eſt, vt haruſpice triſtia, & ſine corde exta ſibi nunciante, futura diceret lætiora, cùm vellet: nec pro oſtento ducendum, ſi pecudi cor defuiſſet.

principes publicanorum vectigalibus ſeruos: cùm plerique principes fuerint ſeruorum ac libertorum ſerui, qui erant domini ciuium.

Exoleto ſuo.] Exoleti dicuntur patici, & concubini grandiores, qui adoleſcere, id eſt creſcere deſierũt. Scribit Plinius, hominem creſcere ad annos vſque ter ſeptenos in longitudinem: tum deinde in plenitudinem. Alexander Romanorum Imperator, authore Lampridio, exoletos omnes deportari iuſſit, quorum aliqui naufragio merſi ſunt. Aliàs exoletum dicimus abolitum, & quod iam euanuit. Liuius: Arte agendum exoleto iam vetuſtate odio. Quintilianus: Exoletos ſcrutatus authores.

Impotentiæ.] Impotentia dicitur immodica potentia.. Cato apud Liuium ſic ait, Victa domi libertas noſtra impotentia muliebri. Vnde tyrannus impotentiſſimus dicitur à Quintiliano. Decemuiri, quorum principatus erat immoderatus, à Liuio impotentes domini nuncupantur. Et à Seneca Impotentia fortunæ adſcribitur. Hæc enim particula, in, interdum auget, & intendit ſignificationem.

T. Amprius.] Adhunc extant Ciceronis epiſtolæ: quem tubam ciuilis belli appellabant hi, qui acerbius ferebant veniam illi dari à Cæſare.

Sine corpore ac ſpecie.] Cicero in epiſtolis ad Atticum conqueritur, nullum eſſe colorem, nullum ſuccum, nullam formam relictam Reipublicæ Romanæ: vt ipſa quidem appellatione, & nomine diceretur Reſpublica: ſed re vera foret nulla, Cæſare ad nutum cuncta moderante. In hanc ſententiam eſt illud Lucani:

Omnia Cæſar erat, priuatæ curia vocis
Teſtis adeſt.

Dictaturam depoſuerit.] Sylla potitus rerum poſt debellatam Marianam factionem Dictator factus, cùm faſcibus viginti quatuor proceſſit in publicum. Dictaturam autem, qui magiſtratus eſt ſemeſtris, ad annos centum ac viginti ſibi deſumpſit: eiq; per Senatuſconſultum omnium rerum poteſtas tributa eſt. Hic tamen poſt innumerabiles peremptos, atque proſcriptos, poſt vrbem cædibus exhauſtam, Dictaturam ſponte depoſuit: adeóque confidebat ſuæ felicitati, vt priuatus in medio foro verſaretur, dicens ſe paratum eſſe rationem reddere rerum geſtarum. Ob hoc Cæſar dicebat Syllam neſciſſe literas, quòd dignitatem omnium dignitatum maximã ſponte depoſuiſſet. quo verbo demonſtrare volebat, Syllam id facere minime debuiſſe, & in eo rudem fuiſſe, ac imperitum, cùm alioqui conſtet Lucium Syllam fuiſſe & Latinis, & Græcis literis eruditiſſimum, libróſque rerum geſtarum compoſuiſſe, quorum teſtimonium citat Gellius in 1. noctium Atticarum: &, vt author eſt Plutarchus, biduo antequam moreretur, finem impoſuit XXII. Commentariorum. Phalaris quadam epiſtola ait, periculoſius eſſe deponere principatum, quàm occupare. & paulò infrà: Non modò, inquit, hominum nemo, ſed ne deorum quidem potentiſſimus hanc tyrannidem mihi deponendam perſuaderet. Celebrata vox, & vſurpata à Dionyſio tyranno: qua pedibus tractum, non inſidentem equo relinquere tyrannidem dixit debere. Poſterioribus temporibus Diocletianum, & Herculeium depoſuiſſe vltroneos principatum ferunt.

Pro legibus habere quæ dicat.] Tanquam voluntas regum, atque libido pro legibus habenda ſit. Vt enim tradit Iuſtinus, Arbitria principum pro legibus erant. &, vt refert Vlpianus, Quod principi placuit, legis habet vigorem. Rex (vt in Eſdra ſcriptum eſt) ſi dixerit, Occidite, occidunt: exterminate, exterminant. &, vt ait Dionyſius, Quod regi iuſtum videtur, id lex eſt.

Sine corde exta.] Romani extiſpicio, quæ alio nomine haruſpicina nuncupatur, in primis vtebantur: extorúmque cognitioni operam dabant, tanquam in iecore, in corde, reliquiſque hoſtiarum partibus certa ſigna rerum futurarum conſpicerentur. Paulò ante interitũ Cæſaris contigit vt in extis bouis opimi cor non fuerit, vnde quæſtio magna de diuinatione argumentantibus facta eſt, potuerit'ne ſine corde hoſtia viuere, an ad tempus amiſerit. Qua rerum nouitate perculſus Spurina haruſpex, dixit timendum eſſe ne conſilium, & vita Cæſari deficeret: earum enim rerum vtraque à corde proficiſci author eſt Cicero in 1. de Diuinatione, & Plinius in XI. vbi ait, non ſemel, ſed bis Cæſari ſacrificanti cor in extis defuiſſe: quo die primùm in veſte purpurea proceſſit, atque in ſella aurea inſedit. Ariſtoteles & Albertus Magnus ſcribunt, nullum animal ſanguine præditum inueniri poſſe carens corde, & iecore.

IMperium.] Præfecturam cum imperio. M. AN.
Impotentiæ.] Nimiæ poteſtatis.

Appellationem.] Secundùm eos, qui, Fabio authore, appellationem eſſe voluerunt eorum, quæ ſub viſum, aut tactum non veniunt, aut cui certè alterum deeſſet, vt ventus, virtus, pietas.

Sine corpore ac ſpecie.] Ergo informem vmbram, vanámque imaginem.

Syllam neſciſſe literas.] Si Syllam literarum ignarum fuiſſe accipias, omnino falſum eſt. Salluſtius: Sylla patritiæ gentis, nobili familia, iam propè extincta maiorum ignauia, literis Græcis, atque Latinis iuſtè, atque doctiſſimè eruditus. Sed à conſilio illum imperitum iudicauit. quaſi dicat, fecit Sylla, quod nemo feciſſet, niſi idem rudis eſſet, & literarum expers: vt quum Dictator eſſet, in ordinem ſe vltro redegerit. Sunt qui latentem verbo ineſſe iocum exiſtiment: vt Cæſar Syllam neſciſſe literas dixerit, quia dictare neſcierit, alludens ad Dictatoris nomen: ſed qui de ratione nominis dixerunt, aliter ſunt interpretati.

Pro legibus.] Quibus haud tutò iri poteſt obuiam.

Haruſpice Spurina.] Vt Valerio placet: à quo quum cor in extis non apparuiſſet, Cæſarem monitum fuiſſe ait, ſignum ad vitam, & conſilium pertinere, quæ duo corde continerentur. Plinius bis cor extis defuiſſe ait, quæſitúmque an ſine illo viſcere hoſtia viueret. Quod Plutarchus euenire poſſe negat, vt ſine corde animal viuat vllum. Appianus non cor, ſed extorum caput hoſtiæ defuiſſe proditum ait memoriæ. Capitolinus cor, & caput hoſtiæ defuiſſe ait in prodigiis quæ Pertinacis interitum præceſſere.

extra sacro quodam nuntiante, futura diceret lætiora cùm vellet: nec pro ostento ducendum, si pecudi cor defuisset.

De inciuilitate & indignatione eiusdem. LXXVIII.



Erùm præcipuam & inexpiabilem sibi inuidiam hinc maximè mouit: Adeuntes se cũ pluribus honorificentissimisque decretis, vniuersos patres conscriptos sedens pro æde Veneris Genitricis excepit. Quidam putant retentum à Cornelio Balbo, cùm conaretur assurgere: alii ne conatum quidem omnino, sed etiam admonentem C. Trebatium vt assurgeret, minus familiari vultu respexisse. Idque factum eius tantò intolerabilius est visum, quòd ipse triumphanti, & subsellia tribunitia præteruehenti sibi vnum è collegio Pontium Aquilam non assurrexisse, adeò indignatus sit, vt proclamauerit: Repete ergo à me Aquila Rempublicam tribunus: & nec destiterit per continuos dies quicquam cuiquam, nisi sub exceptione, polliceri, Si tamen per Pontium Aquilam licuerit.

De eodem, & regni affectatione. LXXIX.



Diecit ad tam insignem despecti Senatus contumeliam, multò arrogãtius factum: Nam quum sacrificio Latinarum reuer-

PHIL. HOnorificentissimis decretis.] Decreta Senatus à consultis sic distinguit Aelius Gallus, vt decretum dicat particulam quãdam esse Senatusconsulti, vt cùm prouincia alicui decernitur: tanquam decreta sint specialia, consulta verò generalia. Decernere est, authore Donato, de magnis rebus certam ferre sententiam: vnde decreta Senatus.

Sedens pro æde Veneris.] Scribit Plutarchus, Cæsarem non pro æde Veneris, sed pro Rostris sedentem excepisse consules, ac prætores, vniuersúmque Senatum adeuntem, cùm honores illi quosdam decreuissent ampliores humano fastigio: quibus Cæsar non assurgens, eo more respõdit, vt principem infimæ conditionis hominibus responderе crederes: Minuendos magis, inquit, quàm amplificandos honores esse. Quæ res non solùm Senatoribus, sed & populo magnum incussit dolorem. Hinc inuidia illa inexpiabilis, hoc est implacabilis, & odiũ atrox conflatum est Cæsari. Sedens.] Specimen est insolentiæ in Cæsare, & contemptionis aduersus Senatum. Pro æde.] Ante ædem, siue in æde, sicut suprà declaratum est. Quidam retentum.] Cæsar excusaturus se quòd Senatoribus non assurrexisset, comitiali morbo correptum esse se id horæ dicere solebat. Quidam eum assurgere volentem à Cor. Balbo retentum esse tradiderunt, dicente, Memineris esse te Cæsarem. Minus familiari vultu.] Tanquam ostenderet sibi ingratam fuisse illam Trebatii admonitionem. Est autem hic ille Trebatius Ciceronis familiarissimus, & à Cæsare comiter, honorificéq; susceptus in Galliam propter commendatitias Ciceronis epistolas. Inter Iurisconsultos recensetur in catalogo Iurisconsultorum: de quo illud est, Trebatius Casellio peritior: Casellius Trebatio eloquentior fuisse dicitur.

Subsellia tribunitia.] Subsellia dicuntur tribunorum, triumuirorum, quæstorum, & huiuscemodi minorum iudicum iudicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec tribunalibus, sed in subselliis considebant.

Sibi.] scilicet Cæsari. E collegio.] scilicet tribunorum: quod constabat ex decem. Repete à me Rempublicam.] Hoc dixit Cæsar contumeliosè in Pontium Aquilam tribunum, indignabundus quòd sibi non assurrexisset, tanquã Rempublicam restituere in pristinum statum moliretur: qui enim non assurgit principi, quod fieri solet honoris causa, is videtur principem odisse, & principatum detestari. Despecti.] Neglecti, habiti despicatui. Contumeliam.] Quæ à contemptu dicta est: vt Vlpianus & Seneca tradunt.

In sacrificio Latinarum.] Latinæ feriæ dictæ sunt à Latinis populis, quibus ex Albano monte carnem petere ius fuit cũ Romanis: author M. Varro. Mos autem erat, vt consul Latinas Indiceret, Iouique Latiali solenne sacrum in monte faceret: vnde olim Flaminius consul, ne Latinarum feriarum mora, & consularibus aliis impedimentis retineretur in vrbe, simulato itinere priuatus clàm in prouinciam abiit: [illegible]es, authore Liuio, iram infestis Senatoribus mouit. Cæsar, vtpote consul, Latinas indixerat & ex more celebrauerat in Albano solenne sacrum Ioui Latiali. Latinarum feriis quadrigæ certabant in Capitolio: victórque absyothium bibebat. Credo, inquit Plinius, sanitatem præmio dari, honorificè arbitratis maioribus. Templum autem Ioui Latiali in Albano condidit Tarquinius Superbus: instituitque primus nundinas Latinas illic quotannis celebrari à populis Latinis qui fuerunt numero septem & quadraginta. Quilibet particeps sacrorum fert alius agnas, alius lac, alius caseos: immolato autem tauro communiter ab omnibus quælibet ciuitas constitutam accipit portionem carnis. Principatum sacri Latinarum Romani obtinent: vt docet copiosè, & scienter Dionysius in 1 5 1. Vnde legimus frequenter apud idoneos scriptores, fieri multam mentionem de carne data Latiois, vel non data: super quo scripsi in annotamentis Plinianis.

FVtura diceret lætiora.] In Hispania, non Romæ ab eo id dictum contenderim, vbi simile ostentum ei in Pompeii filios dimicaturo constat oblatum. Romæ verò manente, haruspici Appianus respondisse ait, Necesse est eueniat, quod euenire necesse est. M. AN.

Inexpiabilem.] Quæ nec expiari quidem, purgarive posset. Inuidiam.] Odium. Martialis:

Laudatúrque meam Phœbus in inuidiam.

Lucanus: Inuidiam factura dies.

Veneris Genitricis.] Appianus & Plutarchus in Rostris sedentem Cæsarem venienti Senatui non assurrexisse aiũt. Genitrici Veneri templum Pharsalica acie à Cæsare votum Appianus scribit. Dicta est Venus Genitrix,

nitrix, vt Venus Erytina: vtraque enim appellatione templum illi Romæ fuit.

Sedens.] Cùm assurgere debuisset.

A Cornelio Balbo.] Quem Plutarchus dixisse ait: Non te esse Cæsarem memioeris?

Miuus familiari vultu.] Turbido, & irarum pleoo.

Subsellia tribunitia.] Quòd tribunitia dixit, uon vacat: nam erant & subsellia iudicum: quod Pedianus docet. Præteruehenti.] Curru præteruecto.

E collegio.] E numero tribunorum: cùm cæteri collegæ assurrexissent.

Pontium Aquilam.] Tribunum plebis.

Repete ergo à me Rempublicam.] Totum ironiæ datum, quasi dicat, Ne tribunus quidem eris tanti, vt eam populo restituam.

Nec destitit.] Sed perseuerauit.

Sub exceptione.] Vt illud exciperet.

Despecti.] Neglecti.

Sacrificio Latinarum.] Latinæ, vt Varro docet, feriæ erant, quæ, vt Liuius pluribus locis demonstrat, cùm aliquod graue prodigium nuntiatum esset, indici consueuere. Erant enim, Macrobio teste, uon statæ, sed conceptiuæ feriæ.

Nouas acclamationes.] Insuetas. Nam quemadmodum est apud Appianum, circa portas quidam eum regem consalutarunt, quanquàm se Cæsarem, non regem esse respondisse dicatur.

rum numero lauro tænia peralba inserta coronault, hunc tribunus Marullus, cæterique carceri iuclusere, simulantes & in hoc Cæsari rem gratam facere, qui ad regni mentionem subirasci consueuerat. Aliis circa portas aliquando gradientem salutantibus vt regem, cùm populus ad vocem ingemisceret, percallide in hunc modum respondisse dicitur, se Cæsarem esse, non regem: quasi ad nomen eius aberrassent. Cùm Marullus eos, qui principium huiusce rei præstiti ssent, súbinde reprændisset, & à ministris in iudicium deduci iussisset, Cæsar nou vlterius ferendum ratus, de Marullo iu Senatu grauiter cooquestus est, veluti asturè io eum insidias struente ob tyrannidis calumniam, dignum morte esse censuit, vel saltem à magistratu, & Senatu submouendum.

Potestate.] scilicet tribunitia.

Gloriam recusandi.] Tanquam ipsemet fuerit recusaturus suapte sponte regiam dignitatem, quod sibi gloriosum fuisset, nisi tribuni anticipassent præpropera punitioue plectentes aothorem eius rei.

Et Lupercalibus.] Die, & festiuitate Lupercaliorum, quæ mense Februario celebrabantur. Repete quæ scripsimus oon incuriose in I I I s. Commeotario Propertii, de Lupercis, & Lupercalibus.

Diadema repulerit.] Cicero in I I. Philippica huiusce rei sic meminit: Sedebat in Rostris collega ruus, amictus toga purpurea, in sella aurea coronatus, ascendis, accedis ad sellá: ita eras Lupercus, vt te esse coosulem meminisse deberes. Diadema ostendis, gemitus toto foro: tu diadema imponebas cum plangore populi, ille cum plausu reiiciebat.

Ioui Optimo Maximo.] Iupiter Optimus Maximus à priscis dictus, & quidem antè optimus, id est beneficentissimus, quàm maximus: qnia, vt eleganter refert M. Tullius, maius est, certéque gratius prodesse omnibus, quàm opes magnas habere.

tente eo inter immodicas ac nouas populi acclamationes, quidam è turba statuæ eius coronam lauream candida fascia præligatam imposuisset, & trib. plebis Epidius Marullus, Cæsetiúsque Flauus coronæ fasciam detrahi, hominémque duci in vincula iussissent, dolens seu parum prosperè motam regni mentionem, siue (vt ferebat) ereptam sibi gloriam recusandi, tribunos grauiter increpitos potestate priuauit: neque ex eo infamiam affectati etiam Regii nominis discutere valuit: quanquam & plebi Regem se salutanti, Cæsarem se esse, non regem responderit, & Lupercalibus, pro Rostris à consule Antonio admotum sæpius capiti suo diadema repulerit, atque in Capitolium Ioui Optimo Maximo miserit. Quinetiam varia fama percrebuit, migraturum Alexandriam vel Ilium, translatis simul opibus Im-

PHIL. Candidam fasciam.] Ideò tribuni fasciam coronæ laureæ, quam quidam imposoerat statuæ Cæsaris, detrahi iusserunt, quia videbatur significare regiá potestatem: quod nomen apud Romanos erat inuidiosissimum. Fascia enim candida nihil aliud est, quàm diadema: quod regum insigne primus inuenit Liber pater. Tradunt Historici, Alexandrum Magnum olim diadema sibi dempsisse causa vulneris alligandi, quo Lysimachus in frõte fuerat vulneratus, qood auspiciũ regalis maiestatis Lysimacho fuit. Prætereà anthor est Ammianus, ab obtrectatoribus obiectum fuisse Pompeio, quòd cupidus esset rerum nouarum, & regiæ maiestatis affectaret insigne, quia aliquãdiu crus alligatum fasciola candida habuit regendi vlceris causa. Et, vt refert Valerius, dicere solebat Fanonius Pompeio crus alligatum fascia candida habenti, nihil referre qua in parte corporis sit diadema. Hiuc illa apud Senecam catholica, moralisque sententia in X I. episto. moralium: Fasciam solue, multum mali sub illa latet. Vsurpatur hac tempestate hic mos gestandi fasciam candidam, hoc est diadema, à rege Turcarum.

Hominem.] Qui, scilicet statuæ Cæsaris coronam cum diademate imposuerat. Huius historiæ sic meminit Appianus: Imaginem Cæsaris quidam ex adulato-

Ilium.] Tradit Strabo, Iulium Cæsarem Ilienses libertate, & immunitate donasse ob memoriam progenitorum. Nam Romani authorem generis Aeneam potant, & Iulia gens Iulium Ascanium authorem nomiuis sui nuncupat. Fuit autem Ilium duplex, nouum, & vetus.

Alexandriam.] Aegypti ciuitatem inclytissimam ab Alexandro Magno cooditam, solertia architecti Dinocratis, de cuius nobilitate, & opulentiis certatim scribunt luculenti conditores, & nos superius quædam non ingrata lectori candido futura retulimus: quod scitu dignum est, uullo penè die Alexandriam incolentes solem serenum non vident. Ammianus Marcellinus Alexandriam appellat verticem omnium ciuitatum.

perii, exhaustáque Italia delectibus, & procuratione vrbis amicis permissa. Proximo autem Senatu percrebuit fama, L. Cottam quindecimuirum sententiam dicturum: vt quoniam libris Fatalibus contineretur, Parthos nisi à rege non posse vinci, Cæsar rex appellaretur.

De coniuratione conspiratorum contra eum facta. LXXX.



QVæ causa coniuratis maturandi fuit destinata negotia, ne assentiri necesse esset. Consilia igitur dispersim antea habita, & quæ sæpe bini ternive ceperant, in vnum omnes contulerunt, ne populo quidem iam præsenti statu læto, sed clàm palámque detrectante dominationem, atque assertores flagitante. Peregrinis in Senatum allectis libellus propositus est: Bonum factum, ne quis Senatori nouo curiam monstrare velit: & illa vulgò canebantur: Gallos Cæsar in

M. AN. CAndida fascia.] Quod regium erat insigne. Maro vetustatis peritissimus:

Rex Anius, rex idem hominū, Phœbíque sacerdos,
Vittis, & sacra redimitus tempora lauro.

Quanquam non eo inficias tam vittas, quàm laurum sacerdotum Phœbi insigne fuisse: quod Papinius plane demonstrat.

Ereptam sibi.] Ab tribunis ipsis ademptam.

Gloriam recusandi.] Vt vltro visus esset id recusare, quod illi officium intempestiua animaduersione præuerterant. Appianus author est, eum in curia questum calumniam sibi à tribunis ea ratione quæsitam.

Potestate.] Tribunitia: sed facilè potuit, quia Dictator. Plutarchus author est, Marullum, siue, vt est apud Appianum, Aryllum solum potestate priuatum.

Lupercalibus.] Quæ sacra ad quintumdecimum calend. Martias celebrabantur, vt Ouidius docet in Fastis,

Sacrorum ritus. - Seruio, Plutarcho, Liuio, Dionysio authoribus notior est, quàm plura de eo dici oporteat.

Antonio.] M. Antonio, qui tum consul erat, & ex Lupercis vnus.

Sæpius.] Ita vt quoties capiti diadema admoneretur, populi fauor supprimeretur: quum verò à Cæsare esset repulsum, plausus, & lætitia sequeretur.

Percrebuit.] Inualuit, vulgata est.

Migraturum.] Vrbis non amplius repetendæ consilio. Vel Ilium.] Vnde Romanum genus oriundum.

Opibus.] Potentia, apparatu.

PHIL. QVindecimuirum.] Lactantius lib. 1. Diuinarum institutionum, tradit libros Sibyllinos nefas fuisse inspici ab vllo, nisi à quindecimuiris, qui, auctore Gellio, ad eos libros, quasi ad oraculū adeunt, cùm dii immortales publicè colendi sunt. M. Varro de quindecimuiris scripsit in libris rerum diuinarum ad Cæsarem pontificem maximum. De quindecimuiris Sibyllinis intellexit Papinius illo hendecasyllabo: Solenni prece quindecim virorum. Et Ausonius in Grypho ternarii numeri sic ait,

Quos ter quinorum seruat cultura virorum.

Liuius in x. ab vrbe, non quindecimuiros, sed decemuiros fuisse interpretes Sibyllinorum carminum prodidit. Idem alibi inquit, Ob cætera prodigia libros adire decem viri iussi sunt. Idem in 1 1 1 1. ostendit à primordio fuisse tantummodo duos viros antistites Sibyllæ librorum. Libris fatalibus.] id est Sibyllinis, in quibus fata Romani populi continebantur. Liuius x x 1 1. ab vrbe condita: Decemuiri libros Sibyllinos adire iuberentur, qui inspectis fatalibus libris retulerunt patribus. Ab eodem frequenter fatales libri memorantur. Quinetiam Ausonius fatalia carmina appellat versus Sibyllarum.

Cæsar rex appellaretur.] Dixit Brutus cognomento Albinus, Senatus suffragia esse prompta, vt Cæsarem crearent regem cunctarum prouinciarum præter Italiam, & vti in omnibus locis, excepta Italia, diadema gestaret. Appianus de hac re ita inquit: Sermo ex Sibyllinis monitis vulgatus est, nō ante Parthos Romanis parituros, quàm rex ad eorum bellum mitteretur: qua ex causa nonnulli in mediū afferre ausi, vt Dictatorē prius, sic nunc Imperatorem Cæsarem esse vocitandū, & quocunque alio nomine reges appellantur omnésque nationes Romanis subditas nullum alium appellare regem. Destinata negotia.] scilicet de Cæsare necādo.

Maturandi.] Festinandi, properandi. Aliâs maturare significat neque nimis citò, neque nimis serò facere: vnde maturè fit, quod tempestiuiter fit. Nam quatriduo antequàm ad Parthos rex profecturus esset, à coniuratis occisus est.

Assertores.] Vindices libertatis. Martialis:

Qui loquitur Curios, assertorésque Camillos.

Asserere enim, vindicare est in libertatem, & in seruitutem. Plautus in Curgulione: Si quisquam hanc liberali causa manu assereret. De assertore seruitutis dictum est alibi.

Peregrinis.] In Senatum Cæsar quosdam externos, & ex semibarbaris Gallorum receperat in curiam, & Senatus numerum supra fas auxerat: vnde exiit ille Ciceronis iocus ad Laberium: Recepissem te, nisi angustè sederem. Bonum factum.] Quoniam scilicet ipsi in curiam venire nesciuissent, vtpote peregrini, & Romanæ ciuitatis ignari, miniméque scientes locorum vrbanorum.

DElectibus.] Militum conscriptionibus. M. AN.

Proximo Senatu.] Qui proximè habendus erat.

Quindecimuirum.] Ex his vnum, qui Sibyllinos libros procurabant.

Fatalibus.] Sibyllinis, quibus Romana fata continebantur.

Parthos.] In quos Cæsar moturus dicebatur.

Quæ causa.] Sententiæ à Cotta dicendæ.

Destinata negotia.] De cæde ipsa inferenda.

Ne assentiri.] Assensum præstare cogerentur, vt Cæsar rex appellaretur.

Præsenti statu.] Præsenti rerum conditione.

Detrectante.] Reiiciente, recusante.

Assertores.] Libertatis vindices, liberatores.

Peregrinis.] Ad Gallos allusit, de quibus suprà.

Monstrare velit.] Quando vtpote peregrini eam nescirent: atque id totum in Cæsaris inuidiam, qui id genus hominum in curiam allexisset.

triumphum ducit. Iidem in curia Galli braccas depoſuerunt, latum clauum ſumpſerunt. Quinto Maximo ſuffecto, trimeſtríque conſule theatrum introeunte, quum lictor animaduerti ex more iuſſiſſet, ab vniuerſis conclamatum eſt: non eſſe conſulem eum, poſt remotos Cæſetium & Marullum tribunos. Reperta ſunt proximis comitiis complura ſuffragia, conſules eos declarantium. Subſcripſere quidam L. Bruti ſtatuæ, Vtinam viueres. Item ipſius Cæſaris ſtatuæ:

Brutus, quia reges eiecit, cõſul primus factus eſt:
Hic quia cõſules eiecit, rex poſtremò factus eſt.

Conſpiratum eſt in eum à ſexaginta amplius, C. Caſſio, Marcóque & Decimo Brutis principibus conſpirationis: qui primùm cunctati, vtrúmne illum in campo per comitia tribus ad ſuffragia vo-

PHIL. Braccas depoſuerunt.] Senſus eſt, Galli veſtimenta Gallicana, ac barbarica exuerunt, & veſtimenta Senatoria induerunt: ſunt enim braccæ veſtes intonſæ, ac varii coloris, author eſt Diodorus in V. à quibus Braccata Gallia nuncupata. Cornelius Tacitus libro XVII. ſic ait: Ornatũ Cecinnæ municipia, & coloniæ in ſuperbiam trahebant: quòd verſicolori ſagulo braccas, barbarum tegmen, indutus Togatos alloqueretur. Braccis vſos eſſe Scythas docet Ouidius ſcribens,

Pellibus, & laxis arcent mala frigora braccis.

Et Pomponius Mela: Braccati ſunt, inquit, totum corpus Sarmatæ, &, niſi quà vidēt, etiam ora veſtiti. Hieronymus autem in epiſtola ad Fabiolam de veſte ſacerdotali, & Ambroſius in I. de Officiis, braccas appellant feminalia, quibus pudibunda velantur: ſicuti vulgariter appellari ſolent. Græcè περισκελίδας vocātur: quanuis Horatius periſcelida acceperit pro ornatu fœmineo: ſicuti & in Iſaia accipitur, vbi ſcriptũ eſt, In die illa auferet Dominus diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola. περὶ circũ, καὶ τὸ σκέλος, & crus, quaſi circa crura dicantur. Latum clauũ.] Veſtis eſt Senatoria: vnde Senator eleganter laticlauius appellatur. Tunica laticlaui in modum gauſapæ texi cœpit Plinii temporibus: qui latiore clauo Tullum Hoſtiliũ è regibus primũ vſum prodidit. Suffecto.] Suffecti dicũtur ſubſtituti in locum demortuorum. In locum demortui cenſoris non ſufficitur, vt refert Liuius, hoc eſt, non ſubſtituitur. Sufficere enim, vt inquit Seruius, ſignificat ſubminiſtrare, & ſubſtituere.

Animaduerti ex more.] Mos erat vt introeũte conſule lictor admoneret populares vt animaduerterent, cederéntque aduentanti conſuli, & aſſurgentes cum plauſu exciperent: ſicuti cùm res diuina fiebat, præco ingenti voce præcedens clamabat, Hoc age. animos ſcilicet ſacrificio adhiberi iubens, atque animaduertere diuinum cultum. Aliâs animaduertere ſignificat punire: inde animaduerſiones.

Non eſſe eum conſulem.] Quintum Maximum: tanquam legitimus non foret conſul, nec ſuffragiis popularibus ex more Romano ordinarius creatus, ſed à Cæſare ſubrogatus in treis menſes.

Conſules eos declarantium.] Tanquam Cæſetius, & Marullus digni eſſent conſulatu, veríque libertatis aſſertores: qui faſciam, hoc eſt diadema, coronæ detraxerant. Vtinam viueres.] Optabant vt iterum reuiuiſceret ille Brutus, qui Tarquiniorum fuit exterminator, libertatis vindex, primúſque in Romana Republica conſul: cuius ſtatuam priſci Romani in Capitolio fixerunt, mediam inter ſtatuas regum collocatam, enſem ſtrictum exerentem: author Plutarchus in Bruto. Tribunali quoque M. Bruti, qui id temporis erat prætor, inſcriptum fuit, Brute dormis, neque verè es Brutus. Talia animum iuuenis magis, ac magis inflammarunt ad imitandum proaui Bruti veſtigia.

Conſul primus.] Primi conſules, eiectis regibus, creati ſunt comitiis centuriatis à præfecto vrbis Lucius Iunius Brutus, & Lucius Tarquinius Collatinus. Rex poſtremus.] Quaſi ſignificare vellēt, Cæſarem futurum nouiſſimum apud Romanos regem, qui conſules eiecerat, libertatémque oppreſſerat. Conſpiratum à ſexaginta.] Appianus in II. nomina compluſculorum ex coniuratis recenſet. Caſſio & Bruto principibus.] Inſurrexere in Cæſarem duo potiſſimùm viri, M. Brutus Cœpio cognomine, Bruti illius, qui à Sylla interfectus fuit, filius: & C. Caſſius, qui triremes in poteſtatē Cæſaris dederat circa Helleſpontum: hi Pompeii partes olim ſecuti, mox ab ipſo Cæſare ſuſcepti, & in honore habiti fuerunt. Decimus etiam Brutus Albinus, cui Celticam prouinciam dederat Cæſar: hi tamen patriæ libertatem rebus omnibus anteponentes, Rempublicam aſſerere deſtinauerant, Cæſare ſublato.

In campo.] ſcilicet Martio.

Braccas.] Gallicum habitum: vnde & Braccata Gallia: quæ, authore Plinio, eadem eſt & Narbonenſis. M. AN.

Latum clauum.] Senatorium inſigne.

Animaduerti.] Obſeruari: credo officii cauſa, vt venientem illum tota cauea plauſu exciperet, aut certè tanquam poteſtati ſummæ aſſurgeret. Quod officii gratia aſſurgeretur in theatro, illud oſtendit, quòd Claudio, qui princeps fuit, iuueni adhuc in theatrum venienti populus aſſurgere conſueſſet. De plauſu, & fauore eſt Martialis carmen:

Quæque ſonant pleno vocéſque, manúſq; theatro,
Quum populus ſubiti Cæſaris ora videt.

Poſt remotos Cæſetium, & Marullum.] Aut ſublata tribunitia poteſtate conſules in vrbe eſſe non oportere intelligas: aut Cæſaris acta populum ſublatis tribunis rata non habiturum.

Bruti.] Qui Tarquinios vrbe expulit.

Vtinam viueres.] Quaſi diceret, vel te vno libertatis aſſertore non tam oriose Cæſar regnaret.

C. Caſſio.] Quem Cæſar in Helleſponto ad deditionem compulerat.

Marc. Bruto.] Eius Bruti filio, qui Pompeii armis ad Mutinam, vel, vt alii tradunt, circa Padi ripas eſt oppreſſus.

Decimo Bruto.] Quem inter ſecundos hæredes Cæſar nominauit.

In campo.] Martio ſcilicet.

PHIL. E Ponte deiicerent.] De ponte Sublicio, & de pontibus, qui erant accōmodati suffragatoribus, abundè scripsimus in lib. Annotatioonum: vbi hunc quoque locum inuenies explicatum.

Exceptum.] De poote scilicet deiectum.

Manu coosanguineorum.] Cæsar dicitur non solùm manu ciuium, sed etiam consanguioeorum fuisse interemptus propter Marcum Brutum, qui ipsius filius existimabatur.

Commentitiam.] Fictitiam.

cantem, partibus diuisis è ponte deiicerent, atque exceptum trucidarent: an in sacra via, vel in aditu theatri adorirentur: postquam Senatus Idibus Martiis in Pompeii curiam edictus est, facilè tempus & locum prætulerunt.

De prodigijs præcedentibus mortem eius. LXXXI.

SEd Cæsari futura cædes euidētibus prodigiis denūtiata est. Paucos ante menses, quū in colonia Capua deducti lege Iulia coloni ad extruendas villas sepulcra vetustissima disĳcerēt, idq́; eò studiosius facerēt, quòd aliquan tum vasculorum operis antiqui scrutātes reperiebant, tabula ænea in monumēto, in quo dicebatur Capys conditor Capuæ sepultus, inuenta est, conscripta literis verbísq; Græcis hac sentētia: Quando ossa Capys detecta essent, fore vt Iulo prognatus manu consanguineorū necaretur, magnísque mox Italiæ cladibus vindicaretur. Cuius rei ne quis fabulosam aut cōmentitiam putet, author est Cor-

In via sacra.] Via sacra in vrbe Roma appellatur, quòd in ea fœdus ictum sit inter Romulum, & Tatium: ibi autē Cæsar habitabat in domo publica, sicut antedictum est.

In aditu theatri.] In introitu theatri Pompeiani, vbi ludi tūc agitabantur: & Senatus In proxima curia conuocabatur, solitus accedere ad huiusmo di spectacula: Author Appianus.

In Pompeii curiam.] Pompeius inter alia ornamenta ante theatrum suum ædificauerat curiā, in qua ipsius erat imago, in qua Cæsar cōfossus est: ita volentibus fatis, vt in curia potissimùm Pompeiana necaretur, qui Pompeium euerterat.

Tempus & locum.] Idus Martias, & curiam Pompeii.

Lege Iulia.] Lara scilicet ab ipso Iulio Cæsare de colonis in Capuam coloniam deducendis.

Ad extruendas.] In agris, scilicet qui viritim per triumuiros assignari solebant deductis colonis.

Sepulcra deiicerent.] Contra leges, quæ præcipiunt ne sepulcra violentur, cùm religiosa sint: vnde actio datur de sepulcro violato. Hæc autem sepulcra, quæ diruerunt coloni, vt ex lapidibus illis villas ædificarent, ne credas fuisse in vrbe, sed in agris, ex ritu priscorum. Nam, vt docet Cicero, lex in XII. tabulis vetat in vrbe sepeliri. Verba legis hæc sunt: In vrbe ne sepelito, néve vrito. Plato quoque in XII. de Legibus, sepulcra fieri præcipit in agro infœcundo, & inutili, ne viuentibus noceant. Titulus est apud Iurisconsultos De sepulcro violato quo pœna statuitur io eos, qui in ciuitate sepulcrum faciunt: vbi nouo vocabulo ossuaria appellantur loculi, in quibus ossa eorum reponuntur

Capys conditor Capuæ.] Capuam quidam à Capy Troiano conditore appellatam ferunt: quibus adstipulatur Vergilius illo versu:

Et Capys, hinc nomen Campanæ ducitur vrbi.

& Silius in XI. Punicorum: Cui nomina linquit

A Ioue ducta Capys, magno cognatus Iulo.

Liuius in IIII. sentit Capuam ab duce Samnitium Capy, vel quod propius vero est, existimat à campestri agro appellatam: olim Vulturnum dicebatur. Capys autem à pede introrsus curuato dictus est, quem nostri falconem vocant.

Vt Iulo prognatus.] Hoc relatum est ad Cæsarem, qui oriundus erat ab Iulo Troiano Aeneæ filio.

Cladibus vindicaretur.] Propter Augustum, qui vltus est Iulii Cæsaris mortem ardenter, & atrociter.

Italiæ.] Bella ciuilia, quæ sequuta sunt obitum Cæsaris, vastauere Italiā, & cædibus decolorauere: de quibus in Augusto.

M. AN. E Ponte.] Per quem tribus in campum ad suffragia mittebantur.

Exceptum.] Infra pontem, casúq; debilitatum. Hoc erat quapropter Cæsar tantopere populi comitia declinabat: ne in taoto ciuitatis conuentu aliqua in se vis oriretur.

An in sacra via.] Vbi Cæsar publicas ædes incolebat.

Vel in aditu theatri.] Nam per eos dies in Pompeiano theatro ludi celebrabantur: vt Appianus tradidit. In Pompeii curiam.] Quæ, vt idem author scribit, proxima erat theatro.

Tempus & locum.] Et ad curiam, & ad Senatum, qui Martiis Idibus habendus erat, refertur.

Lege Iulia.] Quam ipse primo consulatu tulerat: quáque Campanum agrum viginti millibus ciuium extra sortem diuiserat.

Capys conditor Capuæ.] Dionysius scribit fuisse, qui crederent Capuam conditam ab Romulo Aeneæ filio, atque à nomine proaui sui Capys, qui fuit Anchisæ pater, ab eo appellatam. Strabo, quia caput esset circumiectarum vrbium, sic dictam arbitratur. Quid de augurio, déque situ, & Capy conditore cæteri tradiderint, quia satis vulgò nota sunt, consultò prætereo.

Ab Iulo prognatus.] Iulia stirpe natus. Manu consanguineorum.] Si manu legas, consanguineos pro necessariis accipias oportet: nam arcta necessitudine Cæsari iuncti erant plerique eorum, qui in eum coniurarunt: vel Romanorum manu, qui eiusdem erant sanguinis: si more legas, vt pleraque exemplaria habent, eum ferro periturum intelligas: quales exitus plerique Iuliæ gentis fuerant adepti. Constat enim quicunque in ea familia C. prænomen habuere, iam ab eo qui Cinnanis temporibus perierat, ferro periisse. Est vox alioqui fausta, & in nuptialibus sacris, vt Fabius, & Plutarchus scribunt, à maioribus vsurpata.

Italiæ cladibus.] Quales bellis ciuilibus posteà citro vltróque illatæ sunt, & acceptæ: vt ad Mutinam, & in Philippis, & sæuissima illa triumuirali Antonii, Lepidi, & Augusti proscriptione.

Proxi

nelius Balbus familiariſſimus Cæſaris. Proximis diebus equorum greges, quos in traiiciendo Rubicone flumine conſecrarat, ac vagos ſine cuſtode dimiſerat, comperit pertinaciſſimè pabulo abſtinere, vbertímque flere. Et immolantem haruſpex Spurina monuit, caueret periculum, quod non vltra Martias Idus proferretur. Pridie autem eaſdem Idus auem regaliolum cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ ſe inferentem, volucres varii generis ex proximo nemore perſecutæ, ibidem diſcerpſerũt. Ea verò nocte, cui illuxit dies cædis, & ipſe ſibi viſus eſt per quietem interdum ſupra nubes volitare, aliâs cum Ioue dextras iungere. Et Calpurnia vxor imaginata eſt, collabi faſtigium domus, maritúmque in gremio ſuo confodi: ac ſubitò cubiculi fores ſponte patuerunt. Ob hæc, ſimul & ob infirmã valetudinem diu cunctatus an ſe contineret, & quæ apud Senatum propoſuerat agere, differret, tandem Decimo Bruto adhortante ne frequentes, ac iandudũ opperienteis

PHIL. Proximis.] Paulò antè quàm interficeretur.

In traiiciendo Rubicone conſecrarat.] Cæſar tranſiturus Rubiconem equos oppoſuit, qui exciperent impetum aquarum, vt ita pedites fractis vndarum viribus infrà tutò tranſirent: hos equos tanquam victoriæ, felicitatiſq; authores conſecraſſe ſignificat, vt tanquam ſacri forent inuiolabiles. Cyrũ habuiſſe equos ſacros, teſtis eſt Herodotus. De hac re ita inquit Lucanus:

Primus in obliquum ſonipes opponitur amnem
Excepturus aquas. -

Vbertim.] Abundanter. Catullus: Vbertim thalami quas intra limina fundunt.

Flere.] Itidem Vergilius ſcribit equum illacrymaſſe obitum Pallantis. Verſus Vergilii ex xi. Aeneidos,

Pòſt bellator equus, poſitis inſignibus, Aethon
It lacrymans, guttíſq; humectat grandibus ora.

Plinius de equis: Lugent dominos, lacrymáſque interdum deſyderio fundunt. Cæterùm, vt nihil omittam, quod equidem legerim, refert Accurſius interpres Legum, Cæſarem triduo antequàm moreretur inueniſſe aſturconem ſuum flentem, quod fuit indicium futuræ mortis domini: vnde hoc acceperit Accurſius, ipſe viderit: ſatis tamen congruum eſt huic negotio. Idus Martias.] Scribit Plinius in duodeuigeſimo, Cæſarem annotaſſe Idus Martias ſibi ferales ſcorpionis occaſu.

Regaliolum.] Regaliolus, qui tanquam rex auium nomine regis vocitatur, diſcerptus ab aliis auibus, portendit obitum Iulio Cæſari, perinde ac regi. Ramus & ipſe laureus portentum fecit Cæſari, cùm ſit laurus ianitrix Cæſarum, pontificúmque, & triumphis dicata. Exiſtimo hanc eſſe auem, quam ſcribit Plinius in x. appellari regem auium in Italia: propter quod diſſidia, & bella ſunt inter eam, & aquilam. Alio nomine trochilus dicitur. Quidam exiſtimant regaliolum eſſe galgulum: quæ auis Græcè dicitur ἴκτερος, à colore, ſanátque ictericum morbum: cuius meminit Plinius in x x x.

Dies cædis.] Idus Martiæ.

Collabi faſtigium.] Somnium hoc ſignificabat quòd Cæſar collaberetur, & concideret: qui non ſolùm erat faſtigium, & culmen domus, ſed totius Romani Imperii apex, & fultura.

Collabi.] Corruere, decidere. Referunt Liuius, & Plutarchus Calpurniam ſomniaſſe ſacellum euerti, atque collabi, quod erat ante domum Cæſaris ex Senatuſconſulto exædificatum.

Fores patuerunt.] Non ſolùm fores, ſed & feneſtras Cæſariani cubiculi patefactas eſſe Hiſtorici prodiderunt.

Decimo Bruto adhortante.] Decimus Brutus cognomento Albinus, cui Cæſar plurimum tribuebat, veritus ne ſi eam Cæſar diem omitteret, res ipſa vulgaretur, Cæſarem caſtigare cœpit, quòd Senatoribus obloquendi cauſam præberet, qui frequentes conuenerant ad eum regem declarandum: & ſic perſuaſit Cæſari vt ſomnio vxoris, & vaticiniis neglectis iret in Senatum.

Opperienteis Senatores.] Expectantes Cæſaris in curiam aduentum.

M. AN. Proximis diebus.] Qui proximè eius mortem præceſſere.

Pabulo abſtinere.] Ad id prodigium Vergilius Bucolico carmine alludens:

Vlla neque amnem, inquit,
Libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Conſecrarat.] Marti, credo, ſacros eſſe voluit, nulliſq; ob id violabiles.

Vbertim.] Largè, abunde.

Eaſdem Idus.] Martias, decimaquarta eius menſis die. Regaliolum.] Paruam omnino auem: ſed ad regium nomen à Cæſare vehementer affectatum alluſit. Ceterùm auis, quæ trochilos alioqui dicitur, rex auium, vt Plinius ſcribit, vocatur: & ob id perpetuam illi cum aquila diſcordiam, tanquam nobiliſſima volucrum id ægrè ferat.

Pompeianæ curiæ.] Qua poſtridie illius diei Cæſar à coniuratis eſt oppreſſus.

Diſcerpſerunt.] Lacerarunt.

Cui illuxit.] Succeſſit.

Viſus per quietem.] Imaginatus eſt.

Calpurnia vxor.] Quam Pompeia repudiata duxit vxorem. A Calpo Numæ filio Calpurnium genus eſſe Plutarchus tradidit Fuit hæc L. Piſonis filia, quam falſò Appianus à Clodio tradidit in operto Bonæ deæ adulteratam.

Imaginata.] Nocturna imagine ſe videre rata.

Faſtigium domus.] Eminentiſſimam ædium partem. Collabi.] Corruere. Liuius, & Plutarchus eum ſecutus, ſacellum ante domum Cæſaris inſtar tumuli Senatuſconſulto conſtructum fuiſſe ait: id quod Calpurnia demolitum videre ſit per quietem ſibi viſa.

Ob hæc.] Quæ ſibi, & vxori per noctem viſa fuerant.

Diu cunctatus.] Deliberando commoratus.

Decimo Bruto.] Cognomento Albino, Cæſaris familiariſſimo: vtpote quem Cæſar inter ſecundos hæredes nominarat.

Frequentes.] Plurimos.

Opperienteis.] Expectantes.

destitueret, quinta ferè hora progressus est: libellúmque insidiarum indicem, ab obuio quodam porrectum, libellis cæteris, quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus commiscuit. Dein pluribus hostiis cæsis, quum litare non posset, introiit curiam spreta religione: Spurinámque irridens, & vt falsum arguens, quòd sine vlla noxa Idus Martiæ adessent: quanquam is venisse quidem eas diceret, sed non præterisse.

De cæde ac morte Cæsaris. LXXXII.


Ssidentem conspirati, specie officii circunsteterunt: ilicóque Cimber Tullius, qui primas partes susceperat, quasi aliquid rogaturus propius accessit: renuentíque, & gestu in aliud tempus differenti, ab

PHIL. DEstitueret.] Desereret quasi per contemptum.

Progressus est.] Noo pedibus, sed lectica in Senatum delatus est.

Ab obuio quodam porrecto.] Arthemidorum significat Græcæ eloquentiæ doctorem, qui propius accedens Cæsari libellum, io quo indiciũ continebatur insidiarum, porrexit, dicens: Hunc Cæsar confestim solus perlege: in eo enim magna, & quæ tua intersint, cõscripta sunt: sed eum Cæsar legere non potuit prohibitus à multitudine colloquuto rum. Quidam noo ab Arthemidoro, sed ab alio quodam traditum hunc libellum asserunt.

Libellis cæteris.] Libellos in hoc loco intellige illos, quos vulgus indoctũ vulgariter supplicationes appellat, quos Martialis elegãter supplices libellos nominauit illo hẽdecasyllabo:

Idem supplicibus vacat libellis.

Tales enim principibus dari solent ad oegotia explicanda à subditis: in quibus petitiooes continentur. Extat apud Historicos insolens factum Demetrii, qui πολιορκητὴς, id est expugnator vrbium est nominatus. Confluentibus enim multis, petitionésque suppliciter scriptas ad eum ferentibus, primùm liberaliter eas omnes accepit, in chlamydéque reposuit: profectus déinde cum frequenti homioum copia, qui ingenti desiderio respoosa suis petitionibus expectabant, vbi ad pontem Axii fluminis peruenit, aperiens chlamydem eos omnes libellos spectantibus cunctis proiecit in fluuium: qno quidem facto grauiter offensi sunt Macedonum animi.

Litare non posset.] Litare quid sit, docet Macrobius sic scribens in III. Saturnalium: Litare significat facto sacrificio placasse numen. Itaque omnes quidem sacrificant, pauci verò litant. Inde exiit illud:

Non quacunque manu victima cæsa litat.

Plautus in Pœnulo: Tum me Iupiter faciat vt semper sacrificem, nec vnquam litem. Mos fuit principibus Senatum ingredientibus ab ingressu statim sacrificare: quem morem cùm vsurparet Cæsar, oec tamen litare posset, ingressus est Senatum, dictitans illud celebratum: Necesse est, quod necesse est, euenire Cæsari. Addit L. Florus quòd centum victimis perlitare non potuit.

Spurinam irridens.] De Spurina haruspice mentio fit à M. Tullio quadam ad Papyrium Pætum epistola, his verbis: Spurinæ quidem cùm ei rem demonstrassem, & vitam tuam superiorem exposoissem, magnum pericolum summæ Reipublicæ demonstrabat.

Noxa.] Damno, pœna, detrimento: aliâs accipitur pro culpa. De noxa, & noxia scripsimus in notis Seruii ooo indiligenter.

Sed oon præteriisse.] Plutarchus: Ea die cùm Cæsar in Senatum iret, vatem salutauit, secúmque cauillatus, Martiæ quidem Idus aduenere: cui ille summissa voce: Venere vtique, sed oondum præteriere, respondit.

Specie officii.] Officium ab efficiendo dictum est, ab eo quòd quæritur quid efficere in eo conueniat pro conditione personæ. Est enim actio cum ratione. Specie ergo officii circunsteterunt conspirati Cæsarem in sella sedentem, tanquã honorem Cæsari exhibituri.

Cimber Tullius.] De hoc scribit Seneca in LXXXIII. epistolarum ad Lucilium: De illa Caii Cæsaris cæde tam creditum est Tullio Cimbro, quàm Cassio. Cassius tota vita aquã bibit: Tullius Cimber nimius erat io vino, & sordibus. In hanc rem loquotus est ipse: Ego, inquit, quenquam feram, qui vinum ferre nõ possum? Metellus hic à Plotarcho nuncupatur.

Quasi aliquid rogaturus.] Fratris sui reditum, qui tunc exulabat, supplex precabatur.

Renuenti.] Cæsari abnuenti quod petebatur.

Gestu.] Motu corporis: qui interdum loco sermonis est. Ista vis est.] Simillima est illa sententia Plautina: Vis hæc quidem est, & trahi, & trudi simul.

M. AN. QVinta hora.] Ad altum diem.

Libellum insidiarum.] Per quem de coniuratione certior fiebat. Plutarchus ab Arthemidoro Gnidio Græcæ eloquentiæ professore eum Cæsari redditum tradidit: atque identidem vt legeret ab eo admonitum: cœpisseque eum sæpius id facere, sed interpellantium multitudine destrisse. Appianus ait Arthemidorum cucurrisse io curiam, vt ei quod de coniuratione compererat, nuntiaret: sed prius patratam cædem, quàm eò venire potuisset.

Litare deos.] Extis placare.

Spurinam haruspicem.] De Spurina & nos suprà, & Plinius pluribus locis.

Noxa.] Pœna, detrimento, calamitate. Ouidius;

Nocte nocent potæ, sine noxa luce bibuntur.

Significat autem noxa modò pœnam, vt dixi: modò culpam. Vergilius: Vnius ob noxam. - Quanquàm Seruius noxam pro noxia accipit, qood quidam inoeniri dubitarunt. Sed Plautus, In noxia es. Qua noxia? id est qua culpa. Sed ooo præteriisse.] Quasi moneret, posse eo qnoque die periclitari, ac per hoc caueri oportuisse. Specie officii.] Per speciem honoris. Cimber Tollius.] Plutarchus: Metellum Cimbrum, Appianus Atillum appellat. Quasi aliquid rogaturus.] De fratris exulantis reditu acturus.

Renuenti.] Cæsari. Gestum.] Vt gereretur. Vel si gestu legas, ad oculorum nutum, seu manuum motum id non ineptè referre possis.

vtroque humero togam apprehendit: deinde clamantem, Ista quidem vis est: alter Casca aduersum vulnerat paulùm infra iugulum. Cæsar Cascæ brachium abreptū graphio traiecit: conatúsque prosilire, alio vulnere tardatus est. Vtq; animaduertit vndique se strictis pugionibus peti, toga caput obuoluit: simul sinistra manu sinū ad ima crura deduxit, quò honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata. Atque ita tribus & viginti plagis confossus est, vno modò ad primum ictum gemitu sine voce edito: etsi tradiderunt quidam

PHIL. Togam apprehendit.] Cæsaris. Hoc erat signum aggrediēdi Cæsarem. Plutarchus: Quod grauiter ferente Cæsare, Metellus cōprehensam vtraque manu togam deduxit ex collo: id enim aggrediendi signum erat. toga autem dari signū solebat in aggressionibus. Liuius: Cum toga signum dedero, tum vndique turbam inuadite.

Alter Casca.] Mendosi codices habent Cassius: tu lege Casca. Inter coniuratos duos fuisse Seruilios Cascas Cicero testatur in Antonianis: quos charitate Reipublicæ excitatos esse refert ad dominatū dominūq; depellendum. Casca iuxta collum ense Cæsarem percussit, vulnere tamen minimè lethali: tum Cæsar apprehenso illius gladio inclamasse fertur: Scelerate Casca quid agis? Ille autem fratrem Græco sermone inuocans dixit: ἀδελφὲ βοήθει. hoc est, frater, fer auxilium.

Paulùm infra iugulum.] Vni homini sunt iuguli (vt ait Plinius noster in vndecimo) duo, scilicet dextrū & sinistrum. Apuleius: Per iugulum sinistrum capulo tenus gladium totum ei demergit. Cornelius Celsus in VIII. A dextro iugulo si id fractum est, ad alam sinistram, à sinistro ad dextram. & quia locus ille maximè lethalis est, & penetrabilis, inde iugulatio & iugulare deducuntur. Apud oratores in agendis causis detrita hæc sunt. Pedem conferre, & iugulum petere, & sanguinem mittere: vt docet Quintilianus in octauo. nam tūc in causa iugulum petit Orator, quādo quod est potentissimum id inuadit, ac premit aduersarium validissimè, videturq; illum quasi iugulare argumentis, perinde ac vibratis telis confligens pugna illa decretoria. Plinius in epistolis verba Reguli hæc refert: Ego iugulum statim video: hunc premo. Premit sanè quod elegit, sed in eligendo frequenter errat. Respondi, posse fieri vt genu esset & tibia aut talus, vbi iugulum putaret: at ego, inquam, qui iugulū prospicere non possum, omnia pertento.

Cassii brachium.] Non Cassii legendum est, sed Cascæ, & ad supradictum Cascam referendum.

Graphio.] Graphium, stylus est ferreus scripturæ accommodatus, vnde nomen, de quo Ouidius:

Quid opus est digitos graphium lassare tenendo?

Stylus autem, sicut docet Hieronymus in expositione Psalmorum, scribit in cera: calamus verò in charta, membranáve, aut in quacunque materia, quæ apta sit ad scribendum: Plinius lib. XXXIIII. cap. XIIII. Vt vetustissimi authores prodiderūt, stylo scribere institutum est. Graphiarium verò & theca graphiaria accipitur pro repositorio & loculamento graphiorum: sicuti à nobis explicatum est in libro Annotationum.

Strictis.] Denudatis, eductis, euaginatis.

Pugionibus.] Pugio dictus, quòd eo punctim pugnatur: author Festus Pompeius. Per diminutionem dicitur pugiunculus.

Toga caput obuoluit.] Valerius in capite de verecundia: Cæsar ne tribus quidem & viginti vulneribus quin verecūdiæ obsequeretur, absterreri potuit. Siquidem vtraque togam manu demisit, vt inferior pars corporis recta collaberetur. Euripides eandem verecundiam laudat in Polyxena moriente. sic enim ait: πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν. id est, Multam prouidentiam habuit honeste cadere. Hoc idem Pompeio morienti tribuit Lucanus sic scribens:

-Inuoluit vultus,
indignatus apertū
Fortunæ præstare caput.-

Gemitum.] Gēmitus viris fortibus datur. Vnde & poeta Aeneam inducit ingemiscentem. & Lucanus laudans obitum Pompeii virilē, inquit: Nullo gemitu consensit ad ictum. Respexitq; nefas. & post paulùm: -Claude dolor gemitus.

καὶ σὺ τέκνον ἐκεῖνος ὤν; Latinè significat: Et tu fili, illorum es? Cæsarem Cassius vulnerauit in facie, Brutus in femore: quem vbi conspexit Cæsar mucrone stricto obarmatum, veluti desperatis rebus, veste se circumdedit, quo honestius caderet. Ideo autem Brutū Græcè filium appellauit, quia Cæsar adhuc adolescens Seruiliam Bruti matrem efflictim amasse fertur: & quia Brutus est genitus eo potissimùm tempore, quo hic amor efferuescebat, creditus quodammodo Brutus est e Cæsare genitus: author Plutarchus in Bruto. Cæsarem autem in primis formidasse duos illos, Brutum & Cassium, testantur monumenta Historicorum, in quibus hoc legitur, quòd olim Cæsar admonebatur ab amicis, vt Antonium Dolabellámque caueret, perinde ac seditiosos & turbulentos: ille verò respondit: οὐ τοὺς παχεῖς δέδοικα καὶ κομήτας, ἀλλὰ τοὺς ὠχροὺς καὶ λεπτοὺς ἐκείνους: δείξας Βροῦτον καὶ Κάσσιον. id est, se non timere rubicundos & pingues, sed macilentos & pallentes illos: demōstrās Brutū & Cassium. Idem dicere de Bruto solebat: Hoc corpus Brutus expectat. Tradunt quidam, Cæsarem cæteris quidem percussoribus repugnantem huc atque illuc corpus magno cum clamore circunferentem, vt Brutum nudo mucrone conspexit, contracta veste caput obduxisse: tum siue casu, siue obtrudentibus homicidis, ad quampiam se basim demisisse, in qua fuerat statua Pompeii, quam cruore respersit, adeò vt præside Pompeio subiectum pedibus hostem pœnas dantem, & inter vulnerum multitudinem terram calcibus pulsantem existimares: quæ vigintitria numero suscepisse fertur: vbi complures dū vnum in corpus tot intendunt plagas, sese mutuis ictibus consauciarunt.

M.A.N. Togam apprehendit.] Cæsaris togam: quod etiam Appiano placet: nam ex Plutarchi verbis parum intelligi potest suámne Cimber togam, an Cæsaris deduxerit: nam id vult fuisse signum ad inuadendum.

Casca aduersum vulnerat.] Appianus Cimbrum primum omnium collum percussisse ait: Plutarchus primum Cascam: nec collum, sed iugulum: adeò omnibus fermè momentis variāt authores. Casca aduersum.] A fronte. Paulùm infra iugulum.] Appianus in vultum pugionē Cassium adegisse tradit, Brutum femur consauciasse, Bucolicanum interscapilium.

Graphio.] Stylo peracuto ferreo. Eo enim aut certè simili scribendo veteres vsi sunt: quod ipsum nomē arguit: γράφειν enim scribo est. Martialis:

M.Bruto irruenti dixisse, καὶ σὺ τέκνον; Exanimis diffugientibus cunctis aliquandiu iacuit, donec lecticæ impositum dependente brachio, tres serui domum retulerunt: nec in tot vulneribus (vt Antistius medicus existimabat) lethale vllum repertum est, nisi quod secundo loco in pectore acceperat. Fuerat animus coniuratis, corpus occisi in Tyberim trahere, bona publicare, acta rescindere: sed metu M. Antonii cõsulis, & magistri equitum Lepidi, destiterunt.

De testamento eius recitato. LXXXIII.

Postulante ergo L. Pisone socero, testamentum eius aperitur, recitatúrque in Antonii domo, quod Idibus Septembri bus proximis in Labicano suo fecerat, demandaueratque virgini Vestali maximæ. Quintus Tubero tradit, hæredem ab eo scribi solitum ex cõsulatu ipsius primo, vsque ad initium ciuilis belli Cn. Pompeium, idque militibus pro concione recitatum: sed nouissimo testamento tres instituit hære-

Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro.
Cascæ graphio Cæsarem vsum Plutar. docet, non suo.

Strictis pugionibus.] Quia punctim, non cæsim vulnus infligat, pugio dictus.

Sinum.] Id est vestem circa pectus sinuatam, ad ima detraxit.

Honestius.] Ore, & obscœnis partibus velatis. Hinc credo fuisse, quòd quum viri fortes olim caderent, morsum terræ affigerent: quod Maro, & alii demonstrãt.

Sine voce.] Plutarchus exclamasse ait: Quid agis scelerate Casca? καὶ σὺ τέκνον, & tu fili. Nec tam ad familiaritatem, aut Bruti ætatem id referendũ, quàm ad illud, quòd Brutum ex Seruilia, & Cæsare conceptum multi credidere.

PHIL. Exanimis.] Extinctus. Inter exanimum & exanimatum, authore Donato, hoc interest: Exanimatus, est conterritus & conturbatus, interdum tamen vsurpatur pro mortuo: exanimis verò est occisus. Dicitur autẽ & exanimis & exanimus in tertio & secundo ordine. Vergilius: -Corpus vbi exanimum.

Lethale.] Mortiferum.

Acta rescindere.] Infirmare, atq; irrita facere, quæcunque à Cæsare imperante constituta fuissent. Acta autem eius, qui togatus in Repub. versatus sit cum imperio ac potestate, sunt propriè leges. Vnde ait eleganter Cicero: Quære acta Gracchi, leges Semproniæ proferentur: Quære Syllæ, Corneliæ. A Cæsare ipso si quæres quidnã egisset in vrbe & toga: leges multas responderet se & præclaras tulisse.

Metu Antonii.] M. Antonium, vtpote Cæsaris amicissimum, à Caio Trebonio seuocatum fuisse extra curiam cùm interficeretur Cæsar, memoriæ proditũ est.

Magistri equitum.] Cùm Cæsar esset Dictator, magistrum equitum fecerat Lepidum: qui magistratus ita Dictatori connexus est, vt præfectus prætorio Imperatori. Plinius inter infortunia Augusti numerat, Lepidum ei fuisse prælatum apud auunculum in magisterio equitum.

In Labicano.] In villa Labicana. Glaucus Minois filius dictus est Labicus à scuto militari, quod ostendit in Italia, ab eo populi Labici nuncupati: ἀπὸ τῆς λαβῆς, quam Latinè ansam vocamus. Sunt autem populi in Latio. Liuius in 1 s. Labicos pedum vi cepit. Verg. in VII. -Et picti scuta Labici. Viæ Labicanæ meminit Strabo in V. Plinius quoque in III. sic scribit: Et qui ex agro Latino, item Hernico, item Labicano cognominati. Labicano autẽ absolutè dixit pro villa, siue prætorio, quod habebat Cæsar in agro Labicano: sicuti dicimus in Formiano, in Tusculano, in Nomẽtano, & id genus aliis: qua loquutione scatent volumina eruditorum.

Vestali maximæ.] Maxima virgo Vestalis ea dicebatur, quæ dignitate reliquas anteibat: quales nunc vulgò abbatissas appellitamus. Valerius in 1. Maximæ virginis Aemyliæ discipulam extincto igne tutã ab omni reprehensione Vestæ numẽ præstitit. Iulius Capitolinus in Valerianis: Excepto sacrorum rege, ac maxima virgine Vestalium, si tamen incorrupta permanebit. Cæsar autem testamentum suum demãdauerat, tanquã pontifex maximus virgini Vestali, sub cuius potestate erant collocatæ: & si virgo Vestalis parũ diligens æterni ignis custos fuisset, flagro cædebatur à pontifice maximo.

Qu. Tubero.] De hoc Cice. Nec verò scientia iuris maioribus suis Q. Helius Tubero defuit: doctrina autem superfuit. Hic, vt ait Gellius, disciplinas Stoicas & Dialecticas percalluerat.

Ex consulatu primo.] In quo habuit collegam Bibulum, & cum Pompeio non solùm coiuit societatem, sed etiam contraxit affinitatem.

Id.] Scilicet primum testamentum.

Nouissimo.] Vltimo. Extrema autem voluntas testatoris rata esse debet. Demiror Gellium tradidisse quòd M. Cicero nunquã vti voluit his verbis nouissimus & nouissimè, tanquã non Latinis, quibus alii promiscue vsitati sunt. Ego apud Ciceronẽ inueni hãc dictionem, rarenter quidem, sed tamen inueni in Oratore: sic enim scriptum est in calce: Quæ duo sunt ad iudicandum nouissima. Sed hoc exemplum fugerit me Gellii memoriam, an id, quod semel dicitur, perinde ac nũquam dictum sit, existimauerit: in hac re de viro tam excellentis doctrinæ non meum iudicium est.

Exanimis.] Mortuus. Secundo loco in pectore, M. AN.
Appianus significare videtur id vulnus à Casca illatum, quem ait post Cimbrũ Cæsarem percussisse, atq; infra iugulum pectus pene aperuisse. In Tyberim.] Vt tyrãni corpus. Publicare.] In publicũ redigere.

Acta rescindere.] Quæcũq; egisset Cæsar pro irritis habere. Pisone.] Calpurniæ patre. Antonii.] Consulis. Labicano.] Sua villa Labicana. Fuit Labicum oppidũ centũ viginti stadia ab vrbe, non longè à Tusculo: vnde & Labicana via, quæ ab Exquilina incipiens in Appiam, vt Strabo ait, decurrebat. Martialis:

Labicana leui cæspite velat humus.

Vestali maximæ.] Quæ cæteris & ætate, & dignitate præstabat. Valerius: Maximæ verò virginis Aemyliæ discipulam extincto igne tutã ab omni reprehensione Vestæ

numen

numen præſtitit. Sed de Veſtalibus ſuo loco.

Conſulatu primo.] Quem cum Bibulo geſſit.

Nouiſſimo.] Vltimo. Gellius author eſt, id verbū vix demum Ciceronis temporibus receptum.

PHIL. EX dodrāte.] Hæreditas plerūq; diuiditur in duodecim vncias: quæ aſſis appellatione continetur. Habēt enim partes propria nomina ab vncia vſq; ad aſſē: ſicuti lib. 11. Inſtitutionū traditum eſt. Vnde frequenter legimus, alios inſtitutos eſſe hæredes ex quadrāte, alios ex ſemiſſe, alios ex dodrante, alios ex aſſe. Et poteſt teſtator in plurimas vncias ſuam hæreditatē diuidere: quæ omnes ad aſſem reuocātur. Ait Trāquil. Cæſarem inſtituiſſe hæredē Octauiū: qui poſtea cognominatus eſt Auguſtus, ex dodrāte: hoc eſt, ex nouē vnciis, hoc eſt nouem partibus totius aſſis, id eſt hæreditatis. Dodrās enim ſignificat nouem vncias, quaſi dēpto quadrante: authores Varro & Priſcia. Sidonii locutio propè peculiaris eſt, vt crebro ſcribat, ex aſſe vegetus, ex aſſe turbatus: pro ex toto. hoc eſt, totus vegetus, totus turbatus. Ex quadrante.] Ex quarta parte hæreditatis. Quadrans cōtinet tres vncias: diciturque ab eo, quòd ſit quarta pars aſſis. L. Pinarium.] Pinarii & Pedii, qui fuerūt cohæredes Octauii, meminit Appia. lib. 111. bellorū ciuilium, ſcribens Octauiū Auguſtum à Pedio & Pinario partē hæreditatis requiſiuiſſe. Erāt autem hi tres ſororū Cæſaris nepotes: & ita Cæſar erat illorū maior auunculus: de quo mox in Auguſto dicetur. De familia Pinariorū, qui cuſtodes erant ſacri Herculanei, nec extis tamen ſolennibus veſcebātur, multa mentio eſt apud Hiſtoricos, de qua Vergilius:

Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri. De Pedio cohærede Auguſti meminit Plin. his verbis, quæ ſunt exſcripta ex lib. xxxv. Q. Pedius nepos Q. Pedii conſularis triumphaliſq; à Cæſare Dictatore cohæredis Auguſto dati, cùm natura mutus eſſet, eū Meſſala orator picturā docendū cenſuit. In ima cera.] In tabulis ceratis teſtamenta ſcribebantur: in prima cera, hoc eſt prima cerata tabula teſtatoris nomen, in ſecunda hæredis ſcribebatur. Hinc eſt illud Horatianum lib. Serm. II. Saty. v. -Quid prima ſecundo

Cera velit verſu. ſolus, multiſne cohæres

Veloci percurre oculo. Imā cerā intellige vltimam partē tabulæ teſtamentariæ. Cicero extrema cera dixit, pro vltima parte tabulæ, vt interpretatur Aſconius.

In familiā noménq; adoptauit.] In gentem Iuliam & Cæſaris nomen. Mos fuit vt hæredes in nomen familiámq; teſtatoris adoptarentur: ſicuti Titus Pōponius Atticus hęres relictus à Q. Cæcilio, poſtea Q. Cęcilius Atticus eſt appellatus. & ita Octauius ex teſtamēto Cæſaris Cæſar nominatus eſt. Percuſſorū.] Coniuratorum, à quibus Cæſar percuſſus fuit, & cōfoſſus in Senatu. Decimum Brutū in ſecūdis hæredibus.] Secūdus hæres dicitur, qui hæredi inſtituto ſubſtituitur: author Boethius in Cōmentariis Topicorum. Poteſt enim quis in teſtamento, vt ſcribūt Iuriſcōſulti plures gradus facere hæredū: puta, ſi ille hæres nō erit, ille hæres eſto. & deinceps in quantū velit teſtator, ſubſtituere poteſt. Appia. ſuper hac re ita ſcribit: Miſerādum in primis id viſum eſt populo Rom. cùm Decimū Brutū ex Cæſaris percuſſoribus inter ſecundos hæredes relictū cognouiſſet. Conſuetudo nempe Romanorum in teſtamētis fuit, primis hæredibus ſecūdos ſubſtituere: vt ſi primi hæreditatem nō adiiſſent, vltimi nanciſcerentur. Publicè.] Hic diſtinguēdū eſt, vt intelligas hortos tranſtyberinos publicè legatos fuiſſe vniuerſo pop. Romano: viritim verò hoc eſt in ſingulos viros, & per ſingula, vt dici ſolet, capita legatos trecenos ſeſtertios. Author eſt Plutarc. legatas fuiſſe à Cæſare viritim drachmas ἑβδομήκοντα πέντε. id eſt, ſeptuagintaquinq;: quā pecuniā cū intercepiſſet Antonius, tunc Auguſtus Cæſar bona paterna vendidit: & ſic Cæſaris legata perſoluit. Apud Appia. pro ſeptuagintaquinque drachmis legitur octogintaquinq;. Corrigenda eſt dictio, vt cum Plutarcho conueniat. Quod Latini aduerbialiter viritim dicunt, id eſt, in ſingulos viros: hoc Græci κατ' ἄνδρας.

Iuxta Iuliæ tumulū.] In cāpo Martio Iulia Cæſaris filia Pōpeii coniunx, quæ ex partu obierat, ſepulta honoris cauſa. Indicto funere.] Denūtiatis exequiis. Sic indictum bellum dicitur Indictiuum funus veteres dixere, ad quod per præconem euocabantur. Aliquando indictum ſignificat non dictum. Gellius: Neſcio quid aliud indictum inſcitúmque dicit.

SOrorum nepotes.] Quarū vna in Accia familia, in Pedia altera matrimonio locata fuit. Nepotes.] Fuit enim Auguſtus, qui notior eſt Acciæ filius, Accia Iuliæ: quæ fuit Dictatoris Cæſaris ſoror. M. AN.

C. Octauium.] Qui poſteà Auguſtus eſt appellatus.

Ex dodrante.] Ex tribus bonorum partibus. In partes aſſis veteres hæreditatē diuidere cōſueuerūt. Iuuen. Vnciolā Proculeius habet, ſed Gillo deuncem. Habet igitur dodrans nouem aſſis partes, dictúſq; eſt, vt Priſciano placet, quòd ex aſſe, adempto quadrante vno, hoc eſt tribus vnciis, dodrans conſtituatur.

Q. Pedium.] Hic cū Auguſto, vt Appia. ait, poſteà conſul fuit. Lege Pedia, inquit, Cæſaris interfectores abſentes damnati ſunt. Plin. Q. Pedius nepos Quinti Pedii cōſularis, triumphaliſq; viri à Cæſare Dictatore cohæredis Auguſto dati. Quadrante.] Ex quarta bonorū parte. Reliquos.] Quibus aliqua teſtamento legauit. In ima cera.] Sic Cicero in Verrem: Extrema cera inquit: hoc eſt vltima tabula, aut vltima parte tabulæ, vt Pedianus interpretatur.

In familiam noménque.] In Iuliam gentem, noménque Cæſaris: atq; ita factum, vt ad Neronem vſq; per adoptionē ſit gens Iulia propagata. Percuſſorū.] Eorū, qui Cæſarem in curia percuſſere. Secūdis hæredibus.] Modeſtinus: L. Titius, inquit, hæres meus eſto: Si hæres non erit, ſiue hæres erit, & intra pubertatem deceſſerit, tunc C. Seius mihi hæres eſto. Quibus verbis apparet qui in teſtamento dicantur ſecundi hæredes, qui videlicet primis ſubſtituuntur. Appianus: Conſuetudo, inquit, Romanorum in teſtamentis fuit primis hæredibus ſecundos addere: vt ſi primi hæreditatem non adiiſſent, nanciſcerentur vltimi.

Hort

---

des ſororū nepotes, C. Octauiū ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante. Reliquos in ima cera. C. Octauiū etiā in familiā noménq; adoptauit, pluréſq; percuſſorū in tutoribus filii, ſi quis ſibi naſceretur, nominauit. D. Brutū etiā in ſecūdis hæredibus. Populo hortos circa Tyberim publicè, & viritim trecenos ſeſtertios legauit.

De funere, rogo, & pompa exequiarum eius, ac luctu publico. LXXXIIII.

FVnere indicto, rogus extructus eſt in Martio campo, iuxta Iuliæ tumulum, &

pro Rostris aurata ædes ad simulacrũ templi Veneris Genitricis collocata, intráque lectus eburneus, auro ac purpura stratus, & ad caput tropæum cum veste, in qua fuerat occisus. Præferentibus munera (quia suffecturus dies non videbatur) præceptũ est, vt omisso ordine, quibus quisque vellet itineribus vrbis, portaret in campum. Inter ludos cantata sunt quædam ad miseratioẽ & inuidiam cædis eius accommodata, ex Pacuuii Armorum iudicio:

Mén seruasse, vt essent qui me perderent? Et ex Electra *Attilii ad similem sententiam. Lauda-

Hortos.] Loca arboribus consita, amœnitatis causa parata. Publice.] Populo possidendos. Viritim.] Singulis ciuibus. Trecenos sestertios.] Quorum singuli quartã denarii partem, id est, dipondium & semissem habebãt. Rogus.] Strues lignorũ. Iuliæ.] Ipsius Cæsaris filiæ, quæ in cãpo tumulata est.

PHIL. Aurata ædes.] Si legimus ædes, significatur ędicula, siue sacellũ factum ad simulacrũ, id est, effigiem similitudinemq; ædis, quæ Veneri Genitrici dicata erat: & ita illã particulã ac, corriges, reformabisq; in ad: vt sit ad simulacrũ, id est, ad similitudinẽ & instar: alioquin textura verborum inuenusta est. Quidã codices habent, aurata sedes. prior sententia magis placet & quadrat. Alii ad simulacrũ exponũt pro iuxta, & apud: & tunc ita distingues, vt intelligas rogũ extructũ fuisse in campo Martio, & lectũ pro Rostris. videtur enim deesse hæc dictio: quod sequentia declarant, mox coniũges, Sedes aurata collocata ad simulacrum, id est, prope statuam Veneris Genitricis. Distinctio varia gignit sensus varios. Lectio prima purior est & syncerior, vt intelligas, ædem ad archetypon & exẽplar templi Veneris fuisse positã pro Rostris. Refert Herodianus in consecratione Seueri Imperatoris solita fieri tabernacula quatuor, & intra vnũ collocari lectũ eburneũ vestibus aureis instratũ, ibiq; aromata & suffimenta omnis generis effundi aceruatim. Corpus Cæsaris, vt ait Appian. deportatũ est in forum, & ab ingenti turba cum vociferatione & pompa collocatum pro Rostris.

aliâs Accii.

Trophæũ cum veste.] Lignũ fabrefactũ in formam trophæi sustinens vestem: qualia trophæa deorũ fixa de gigantibus à Claudiano poeticè describuntur.

Præferẽtibus munera.] Moris fuit, vt ad funera nobiliũ celebrãda, in rogũ cõiicerentur munera multifaria à dilectoribus: qualia Vergilius celebrat in funere Miseni, & in funere Pallãtis. Sẽsus est, imperatũ fuisse, vt hi, qui munera ferebãt, omisso ordine illo legitimo pompæ funebris, irent in cãpũ Martiũ, quocũq; itinere vellent, vt ita dies sufficeret funeri peragẽdo: qui alioqui nõ suffecisset, propter innumeram multitudinem.

Inter ludos funebres.] Ex more Romano ludi funeris causa fiebant. Liuius vndequadragesimo ab vrbe cõdita, refert, Seruiliũ Geminũ ludos funebres per tridnum fecisse. Iunius Brutus munus gladiatorũ in honorem defuncti patris primus edidit. Idem memorat Aemylio Lepido tres filios dedisse per tridnũ ludos funebres, & gladiatorũ paria. Ex Pacuuianorũ iudicio.] Legendũ est, Pacuuii armorũ iudicio: Nanq; Pacuuius Brũdusinus Tragœdiarũ scriptor inclytus, inter cæteras Tragœdias illã quoq; condidit, cui titulus est, Armorũ iudiciũ: cuius argumentũ erat disceptatio armorũ Achillis inter Vlyssem & Aiacẽ. Citatur testimoniũ Pacuuii ex Armorũ iudicio ab eruditis scriptoribus. Accius quoq. scripsit Tragœdiam hoc titulo: & Nonius Marcellus allegat Acciũ & Pacuuiũ in Armorum iudicio. Nunc Trãquil. ait, ex eadẽ Tragœdia cantatũ esse hoc carmen: Mén' seruasse. Tanquã ex per-

sona Cæsaris diceretur, nõ debuisse se seruare illos, videlicet Põpeianos, à quibus paulò pòst fuit ipse interemptus. Mén'.] Pro méne accipitur: & extrinsecus subintelligendũ est verbũ decuit, vel aliquid tale. Est ἀποσιώπησις, id est, reticentia: quæ figura familiaris est indignãtibus. Scribit Appianus M. Antoniũ in oratione funebri hæc verba protulisse, cùm de percussoribus eius quereretur: qui cũ fuissent partiũ Põpeianarũ, ad magistratus tamẽ & præfecturas fuerant à Cæsare subleuati.

Et ex Electra Accii. Accius & ipse Tragœdiæ scriptor illustris fuit: cui plus virilĩ tribuitur, quàm Pacuuio, vt inquit Quintil. Hic, teste Eusebio Cronographo, parentibus libertinis natus, fundũ habuit iuxta Pisaurũ, qui dictus est Accianus. Apud Gell. in XIII. noctiũ Atticarũ, luculentũ caput est super Pacuuii & Accii colloquio familiari, quãdo scilicet Accius Pacuuio Tragœdiã suam, cui nomẽ Atreus est, desideranti legit. Celebratũ est illud Accianũ ex Astyanacte: Nihil credo auguribus, qui aures verbis ditant alienas, suas vt auro locupletent domos. Electra.] Nomen est Tragœdiæ scriptæ ab Accio, ita nominata ab Electra sorore Orestis, quam apud Græcos scripsit Sophocles: quam olim histrio ille Polus egit lamentis veris, & spirantibus, indutus Electræ habitu lugubri.

M. A N. Aurata ædes.] Simulacrum ædis auro illitum. Eburneus.] Ex ebore factus. Auro, ac purpura.] Purpura auro intexta, in Attalicarum vestium speciem. Trophæum.] Vestis in trophæi modũ suspensa, spolia stipitibus infixa, vt Varro in Bimacro scripsit, trophæa appellantur: sed de trophæis plura alibi.

In campo Martio.] Vbi rogus fuerat extructus.

Inter ludos.] Funebres scilicet. Inuidiam.] Percussorũ odiũ. Ex Pacuuianorũ iudicio.] Eorũ scilicet qui Pacuuianæ lectionis periti essent, in eáq; potissimùm exercitati: sed magis placet vt ex Pacuuii Armorum iudicio legas: vt sit fabulæ nomẽ Armorũ iudiciũ: quale illud Aiacis & Vlyssis fuit, qui de armis Achillis sub Græcorũ iudicio certarũt: nã & apud Sophoclem obliquè Aiax queritur, quòd cùm maximè strenuus in hostes fuisset, ingratos experiretur Græcos.

Mén'.] Pro méne. Seruasse.] Scilicet oportuit. Sic apud Verg. Méne incœpto desistere victam? ad Brutum, & alios Pompeianæ factionis pertinet, quos bello victos Cæsar haud perdere sustinuit, sed quosdã etiã, vt Brutum, solicitè post Pharsalicam aciem requisiuit.

Ex Electra Accii.] Ex hoc maximè adducor, vt Pacuuii armorum potius, quàm Pacuuianorum legendũ esse existimem: vt vtrunque sit fabulæ nomen. Notum est, credo, L. Accii responsum illud à Gellio memoriæ proditum, cuius acerbitatem cùm in Atreo Tragœdia M. Pacuuius subnotasset, respondit: Quæ dura, & acerba nascerentur, fieri procedente tempore mitia, & dulcia: pari ratione hominũ ingenia, quæ viridiori ætate dura essent, cum annis mitescere: quæ ab initio victa, & mollia, non matura mox fieri, sed putria. Sunt qui Acilii legant, quod nullo modo placet.

Per

tionis loco conſul Antonius per præconem pronuntiauit Senatuſconſultum, quo omnia ei diuina ſimul atque humana decreuerat. Item iuſiurandum, quo ſe cuncti pro ſalute vnius adſtrinxerãt: quibus perpauca à ſe verba addidit. Lectum pro Roſtris in forum magiſtratus, & honoribus functi detulerunt. Quem quum pars in Capitolini Iouis cella cremare, pars in curia Pompeii deſtinaret, repentè duo quidam gladiis ſuccincti, ac bina iacula geſtantes, ardentibus cereis ſuccẽderunt, cõfeſtímq; circũſtantium turba virgulta arida, & cũ ſubſelliis tribunalia, quicquid præterea ad manũ aderat, congeſſit: deinde tibicines & ſcenici artifices veſtem, quam ex inſtrumento triumphorum ad præſentẽ vſum induerant, detractã ſibi atq; diſciſſam, iniecere flãmæ, & veteranorũ militũ legionarii arma ſua, quibus exculti funus celebrabant.

PHIL. PEr præconem pronũtiauit.] Pronuntiare per præconem, eſt, quando præco recitat populo verba legis vel decreta, ſiue aliquid tale, ſcriba ſubiiciente verba. nõ enim decorum erat, ab ipſo magiſtratu codicem recitari. Vnde olim Cornelius Tribunus Plebis exiſtimatus eſt, imminuiſſe Tribunitiã poteſtatem, quia in tribunatu codicem pro Roſtris ipſe recitauerat: quod nemo ante Corneliũ feciſſe exiſtimabatur. Referunt tamẽ Hiſtorici, ipſum cõſulem Antonium ſine præconis miniſterio exorſum eſſe Cæſaris laudes, decretúmque Senatus, & iuſiurandum recẽſuiſſe miſeranter, & ardenter. Verba iuriſiurãdi hæc ſunt: Nos Cæſarem & Cæſaris corpus totis viribus cuſtodire pollicemur, ſi quis inſidiabitur: execrã eſſe, ſi quis opem non attulerit. In hac autem laudatione funebri M. Antonius oſtentauit, explicauítque veſtem Cæſaris vndique ictibus laceratam, & Imperatoris ſanguine madentem: ex quo populus in iram furorémque vehementer eſt concitatus contra percuſſores. Hinc à Quintiliano dictum eſt in VI. Populum Romanum egit in furorem prætexta C. Cæſaris prælata in funere cruenta. Veſtis enim illa ſanguine madens, ita repræſentauit imaginem ſceleris, vt nõ occiſus eſſe Cæſar, ſed tum maxime occidi videretur. Cùm itaque fureret turba, quidam imaginem Cæſaris ceream extulit è lecto: (corpus enim cerni non poterat) in qua viſebantur plagæ tres & viginti impreſſæ & patentes, quot Cæſar fuerat contrucidatus. Tunc vulgus intuens hanc imaginem vt lugubrem, ex dolore concitatur, locúmq; comburit, in quo Cæſar fuerat interemptus, & percuſſores longè fugientes inſectatur.

Lectum pro Roſtris.] Scilicet funebrem: in quo (vt ait Fabius) corpus impoſitum erat. Tale eſt illud Vergilianum: -Pars ingenti ſubiere feretro

Triſte miniſterium.- Ex hoc quidam autumant, ſuperius legendum eſſe, Rogus extructus eſt in campo Martio, & pro Roſtris lectus. nam de hoc lecto nũc loquitur.

Honoribus functi.] Qui geſſerant magiſtratus: & ob id honoratiores.

Capitolini Iouis cella.] Cella, pars templi eſt ſacratior: & in cellam ingredi fas non erat. Cicero in ſecunda Philippica conqueritur, quòd in cella Concordiæ cum gladiis homines collocati ab Antonio ſint, in qua, ipſo conſule, ſalutares ſententiæ dicebantur. Refert Gellius in ſeptimo, Scipionem Africanum ſolitauiſſe, priuſquam dilucularet, ventitare in Capitolium, ac iubere aperiri cellã Iouis, atque ibi ſolum diu demorari, quaſi conſultantem de Republica cum Ioue: de hac nunc loquitur. de qua Liuius in III. In cella Iouis Optimi Maximi habitaret exul, & ſeruorum dux Herdonius. Apud eundem crebra mentio eſt cellæ Iouis. Pontifices negabant, vnam cellam duobus diis rectè dedicari poſſe: vnde in Capitolio erat cella Iunonis ſeiuncta à Iouis cella. Præterea idem Gellius memorat, fauiſſas eſſe cellas quaſdam, & ciſternas, quæ in area Capitolina eſſent, vbi reponi ſolerent ſigna, & alia quædam religioſa donariis conſecrata. De diſtributione cellarum in templis ſcribit Vitruuius in quarto.

In curia Pompeii.] Vbi fuerat interfectus Cæſar.

Cereis.] In decretis canonicis, diſtinctione XXIII. ceroferarium vocatur inſtrumentum, in quo cereus continetur.

Virgulta arida.] Veluti flammæ fomites & nutrimenta.

Cum ſubſelliis tribunalia.] Subſellia minorũ ſunt magiſtratuum, tribunalia maiorum.

Ad donum aderat.] Boni codices habent, ad manum. Dicitur autem adeſſe ad manum id, quod eſt in promptu, & parabile. Seneca: Ad manum eſt, quod ſat eſt. Plinius in epiſtolis: Statim omnia ac penè pariter: ad manum ſenſus reconditi.

Scenici artifices veſtem.] Hiſtriones, quos Græci technitas dionyſiacos, id eſt, artifices Liberi patris appellant.

Ex inſtrumento triumphorum.] Ex apparatu triũphali, quo vſi fuerant in actione ludorum triumphalium.

Arma.] Scilicet iniecerunt flammæ.

M. A N. DIuina atque humana decreuerat.] Non ſolùm honores, qui hominibus decerni ſolẽt, ſed qui etiam & diis.

Iuſiurandum.] Cui pro ſalute eius ſe populus adſtrinxerat.

Perpauca à ſe verba.] Appianus longiſſimam Antonii ſuper ea re concionem ſuis ſcriptis inſeruit: atq; eam ipſam omnibus affectibus plenam.

Capitolini Iouis cella.] Sacratiſſima Capitolini tẽpli parte: partes ædium ad res neceſſarias reponendas ſeptæ, cellæ à celando dictæ: hîc cellam pro ipſo loco, in quo ſimulacrum Iouis erat, accipito. Gellius iubere ſolitum ait Scipionem Africanũ cellam Iouis aperiri, atq; ibi ſolum diu demorari, quaſi de Republica cum Ioue conſultantem.

In curia Pompeii.] Vbi occiſus fuerat.

Cum ſubſelliis tribunalia.] Id eſt, tribunalia, & ſubſellia: hæc iudicum, illa prætoris, & aliorum magiſtratuum. Plutarchus: Cadauer, inquit, gradibus, ſubſelliis, cancellis, & trapezis concremarunt.

Scenici artifices.] Hiſtriones, qui ſcenicam illi, cùm ludos ederet, operam præſtitere. Plutarchus in quæſtionibus: Quid eſt quòd artifices ſcenæ deditos hiſtriones vocant?

Extri

Matronæ etiam pleræque ornamenta sua, quæ gerebant, & liberorum bullas atque prætextas. In summo publico luctu exterarum gentium multitudo circulatim suo quæq; more lamentata est, præcipuéque Iudæi, qui etiamnoctibus continuis bustum frequentarunt.

De bonoribus mortuo per plebem collatis. LXXXV.

PLebs statim à funere ad domum Bruti & Cassii cum facibus tetendit, atque ægrè repulsa, obuium sibi Helium Cinnam per errorem nominis, quasi Cornelius esset is, quem grauiter pridie concionatum de Cæsare requirebat, occidit, capútq; eius præfixum hastæ circuntulit. Posteà solidam columnam propè vi-

Ex triumphorum instrumento.] Vestibus, cæteróque cultu, quo in Cæsarianis triumphis fuerant vsi legionarii milites: qui essent, suprà docuimus.

Arma.] Rogo, subaudi, iniecere.

PHIL. ORnamenta sua.] Repete verbum superius, iniecere flammæ: vt sit sensus, histriones iniecisse flammæ vestes scenicas: milites iniecisse flammæ rogali arma: matronas verò ornamenta & bullas prætextásque vestes filiorū. Sunt autem bullæ, ornamenta poerorum ingenoorum: quæ, vt ioquit Macrobius in primo Saturnalium, In cordis figuram formata ante pectus annectebant: vt bullā inspicientes ita demum se homines esse cogitarent, si corde præstareot. Et olim bulla qooqoe gestameo fuit triumphantium: libertinorum verò filii lorum in collo pro bullæ decore gestabant. Ad quod referendus est ille Satyrici poetæ versus:

Vel nodus tantùm, aut signum de paupere loro.

Asconius de bulla sic scribit: Bulla suspendi io collo infantibus iugenuis solet aurea, libertinis scortea: quasi cōmuniens pectus puerile. Elegāter scortea bulla dicitur ab Asconio lorum illod libertinorum, quasi bulla coriacea. Prætextas autem vestes esse & puerorum & magistratuum, superius explicauimus.

Circulatim.] Per circulos.

Suo quæque more.] Quia quælibet natio peculiares habet mores, ritisque differentes in luctu celebrando. Lugentium autem mos est, prioris habitus immutatio.

Bustum frequentarunt.] Putat Cicero libro secundo de Legibus, bustum appellari tumbā aut monumentum: pœnáque fuit Solonis lege constituta, si quis bustum aut violasset, aut deiecisset. Seruius verò in vndecimo Aeneidos commentario existimat, bustum vocari, quando exustum iam est cadauer: quod sensisse videtur & Maro scribens,

Semiustáque seruant busta.- Liuius quoqoe in v. tradit, locum fuisse nomine Busta Gallica: propterea quòd illic aceruatos cumulos suorum defunctorū ex pestilentia vsserant Galli. hîc pro sepulcro magis accipiendum videtur, quàm pro cadauere exusto. A busto bustuarii gladiatores dicti, qui ante sepulcra in honorem defuncti digladiantur, vt docet Seruius In decimo Commentario. Cicero in oratione contra Pisonem: SI mihi cum Illo bustuario gladiatore, & tecnm, & cum collega tuo decertandum fuisset. Bustuariæ quoque mœchæ ab Epigrammatario poeta dicuntur.

A funere.] Post celebratas exequias: hæc enim particula à, apud luculentos scriptores vsurpatur pro post: vt, à coltu, à partu, à tergo. Funus, authore Donato, propriè est pompa exequiarum, dictum à funalibus: quoniam noctu efferebantur cadauera. Quandoque funus accipitur pro cadauere defuncti.

Ad domum Bruti & Cassii.] Plutarchus in hanc sententiam scribit hæc: Coogestis succensisque circa cadauer ex foro gradibus, subselliis, cancellis, trapezis, ipsum coocremauerunt. Ardentibus inde sublatis torribus ad percussorum domos, vt eas incendio vastarēt, percurrebant: alii per omnes vrbis regiooes; vt captos discerperent viros, cum magna indignaoone commeabant: sed illi sese in loco tuto muniuerant. Brutus verò & Cassius paucis pòst diebus vrbe excesserunt.

Cinnam per errorem nominis.] Inter coniuratos fuit qoidā Cornelius Cinna, id tēporis prætor, qoo Cæsar fuit interfectus: hic Cæsarem tyrannum vocitabat, & eius, interfectores tyrannoctonos, id est, tyrannicidas: quos tanquam Reipublicæ coonseruatores honoribus afficieodos esse prædicabat. Cùm plebs hōc occidere voluisset, nominis errore decepta ioteremit alterum Cinnam, qui superiore oocte somniauerat se ad cœnam à Cæsare inuitari, ac reluctantem ab eo manu trahi: qui cùm corpus Cæsaris cremari audiuisset, officii causa ad funus celebrandum progressus est: cōfestimque cùm per omnes diuulgatum esset, hunc esse Cinnam, fuit trucidatus magno cum impetu, tanquam hic esset Cornelius Cinna prætor, qui acerbè in Cæsarem fuerat concionatus. Fuit autem Helius Cinna nō ignobilis poeta: ex cuius poematis hi duo versiculi circunferuotur: At nunc me genii nana per salicta

Bigis rheda rapit citata nanis.

Solidam columnā.] Hæc est illa columna, quæ execrata à Cicerone nuncupatur: cuius euersor extitit Dolabella. Huius columnæ meminit & Lactantius in primo Diuinarum institutionum.

M. AN. BVllas & prætextas.] De bullæ, & prætextæ vsu plura ex Macro. & Diony. sentētia suo loco dicemus.

CIrculatim.] Aut circa rogum cum lamentatione per vices spatiatæ multitudines in suum quæque circulum, & orbem collectæ, voo tempore quælibet patrio more sunt lamentatæ. Bustum.] Bustum dixere veteres, vbi in cinerē & fauillā collabi rogus cœpisset. Ver.

Semiustáq; seruant busta.- Plebs.] Antonii concione accensa. Cassii.] Coniurationis principū.

Aegrè.] Cum labore, & solicitudine in medium consulentium.

Helium Cinnā.] Plutarchus aothor est, nocte, qoæ dlem cædis præcessit, Cinnam ipsum per qoietem sibi visum à Cæsare ad cœnam ionitari, atq; inuitum ab eo abductum, atque ob id statuisse eius funeri interesse: sed cùm in tumulum vulgi incidisset, pro Cinoa prætore, cùm ipse tribunus esset, qui pridie illios diei Cæsaris memoriam pro concione prosciderat, facto impetu occisus est.

Lapidis

ginti pedum lapidis Numidici in foro statuit, scripsitque Parenti patriæ. Apud eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controuersias quasdam interposito per Cæsarem iureiurando distrahere perseuerauit.

De suspicione, quam suis Cæsar reliquit. LXXXVI.

SVspicionem Cæsar quibusdam suorum reliquit, neque voluisse se diutius viuere, neque curasse, quòd valetudine minus prospera vteretur: ideóque & quæ religiones monerent, atque renuntiarent amici neglexisse. Sunt qui putent, confisum eum nouissimo illo Senatusconsulto ac iureiurando, etiam custodias Hispanorum cum gladiis inspectantium se remouisse. Alij è diuerso opinantur, insidias vndique imminentes subire semel satius esse, quàm cauere semper. Alii ferunt, dicere solitum, non tam sua, quàm Reipub. interesse, vti saluus esset: se iampridem potentiæ gloriæq; abundè adeptum. Rempu. si quid sibi eueniret, neq; quietam fore, & aliquantò deteriore conditione ciuilia bella subituram.

PHIL. LApidis Numidici.] Marmor Numidicum inter generosa marmora annumeratur: quod ex Numidia Africæ regione Romã deportabatur. M. Lepidus primus omnium limina ex marmore Numidico in domo posuit: quod primum inuecti Numidici marmoris vestigium inuenisse se Plinius testatur libro. XXXVI. A Papinio Libycus silex appellatur. Martialis Numidicum marmor significat scribens:

Afra quod Nomas mittit.

Prisci pauimenta Pœnica dixerunt, quæ ex marmore Numidico erant strata.

Parenti patriæ.] Verba sunt tituli & inscriptionis.

Interposito per Cæsarem iureiurando.] Mos fuit veterum, vt per genium Cæsaris deierarent: &, vt author est Iurisconsultus, si quis per genium principis peierasset, pœna afficiebatur. In quã sententiam est illud Tertulliani ex Apologetico, Citius apud vos per omnes deos, quàm per vnum genium Cæsaris peieratur.

Distrahere.] Sedare, componere, finire, aliàs distrahere significat vendere: quod verbũ frequens est apud Iurisconsultos, & Apuleius ait in 1. de Asino aureo: Caseus recens erat, & sciti saporis, admodum commodus precio distrahi.

Quæ religiones monerent.] Cæsar Alexandrum imitatus, contemptor & ipse fuit religionis: nã & prognostica de obitu suo neglexit, & prædictionibus vatum minimè addixit credulitatem.

Nouissimo Senatusconsulto.] Quo scilicet omnia simul diuina ac humana Cæsari decreuerat.

Ac iureiurando.] Quo scilicet cuncti Cæsaris salutem totis viribus custoditiuros se iurauerant.

Inspectantium se.] Obseruantium atque tutantiũ. Tales à priscis Latino vocabulo laterones dicebantur: quos Plautus latrones appellat. Hi à stipe, quam mercedis nomine accipiunt, dicuntur & stipatores, Græci vocant σωματοφύλακας, quasi corporis custodes.

Subire semel.] Cæsar adhortantibus amicis, vt custodiam corporis Hispanis cohortibus committeret: inquit, nihil assidua custodia infelicius esse, & in perpetuo timore commorantibus. In hunc sensum est illud à Seneca prolatũ: Nemo est tam timidus, vt malit semper pendere, quàm semel cadere. Præterea Dionysius Syracusanus cognitis amici Calippi insidiis, dixit, βέλτιον ἐστιν ἀποθανεῖν ἢ ζῆν μὴ μόνον τοὺς πολεμίους ἀλλὰ καὶ τοὺς φίλους φυλαττόμενον. id est, melius esse mori, quàm viuere non solùm hostes, sed etiam amicos cauentem.

Satis potentiæ & gloriæ.] M. Tullius in oratione pro M. Marcello, C. Cæsarem alloquens inquit: Itaque illam tuam præclarissimam & sapientissimam vocem inuitus audiui, Satis te diu vel naturæ vixisse, vel gloriæ. Satis, si ita vis, naturæ fortasse: addo etiam si placet, gloriæ. At, quod maximum est, patriæ certè parum. De Cicerone dixit Declamator egregius Cestius perquam eleganter: Si ad desiderium populi respicias Cicero, quando perieris, parum vixisti: si ad res tuas gestas, satis vixisti: si ad iniurias fortunæ, & præsentem Reipublic. statũ, nimiùm diu vixisti: si ad memoriam operũ tuorum, semper victurus es. Cyrum mãdasse quædam de funere, Xenophon libro octauo Pædiæ Cyri luculentissime narrat, quẽadmodum Cyrus iam proximus morti filios vocauit, præterea amicos magistratúsq; Persarum, quibus omnibus præsentibus multa locutus est: in primísque filios admonuit, vt se vicissim & honorarent & amarent: mandauitque vt corpus suum neque in auro, neque in argento reconderent, sed illud terræ quàm primũ redderent: & ita lento genere mortis extinctus est. M. Tullius in Catone non pauca transtulit ex eo Xenophontis libro, quæ moriens dixit Cyrus ad filios de immortalitate animæ. Idem lib. 11. de Legibus, dixit antiquissimum sepulturæ genus fuisse, quo apud Xenophontem Cyrus vtitur. Redditur enim terræ corpus: & ita locatum, ac situm, quasi operimento matris obducitur. Hæc legens Cæsar apud Xenophontem aspernatus est talem mortis lentitudinem.

M. A N. LApidis Numidici.] M. Lepidus, qui Catuli collega fuit, primus omnium Romæ Numidico est marmore, vt Plinius ait, vsus.

Vota suscipere.] Se votis obligare. Vergilius:

-Et votis iam assuesce vocari.

Distrahere.] Abrumpere.

Religiones.] Haruspicum responsa, & prodigia, quæ illi oblata fuerant.

Renuntiarent amici.] Quæ in eum agitarentur consilia.

Custodias Hispanorum.] Hispanos, quos circa se præsidii causa habuerat.

Subire semel.] Semel vitæ periculum adire, semel morti occumbere.

Quàm cauere semper.] Quàm in perpetuo metu, & solicitudine esse. Anneus Seneca: Nemo est, inquit, tã timidus, vt malit semper pendere, quàm semel cadere.

Deteriore conditione.] Statu omnino deteriore, quàm sub se fuisse: quod ita sanè accidit.

De genere illatæ mortis optato per eum. LXXXVII.



Llud planè inter omnes ferè constitit, talem ei mortem penè ex sententia obtigisse. Nam & quondam quum apud Xenophontem legisset, Cyrum vltima valetudine mandasse quædam de funere suo: aspernatus tam lentum mortis genus, subitam sibi celerémque optauerat: & pridie, quàm occideretur, in sermone nato super cœnam apud M. Lepidum, quisnam esset finis vitæ commodissimus, repentinum inopinatúmque prætulerat.

De ætate eius, ac stella cometa, & loco ac die mortis eius. LXXXVIII.



Eriit sexto & quinquagesimo ætatis anno, atque in deorum numerum relatus est, non ore modò decernentium, sed & persuasione vulgi. Siquidem ludis, quos primo consecrato ei hæres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa vndecimam horam: creditúmque est, animam esse Cæsaris in cœlum recepti: & hac de causa simulacro eius in vertice additur stella. Curiam, in qua occisus est, obstrui placuit, Idúsque Martias parricidium nominari, ac ne vnquam eo die Senatus ageretur.

PHIL. Subitam.] Plinius summam vitæ felicitatem esse refert, mortem repentinam & subitariã: quam naturalem esse docet pluribus exemplis. Apud Marcellinũ Iulianus Imperator moriens ex vulnere, Sempiternũ, ait, numen veneror, quòd non longa morborum asperitate decedo.

Super cœnam.] Plutarchus: Cum inter cœnandum ortus esset de morte sermo ποῖος ἄριστος θάνατος: id est, quænam mors optima foret: dixit, ἀπροσδόκητος: id est inexpectata.

Sexto & quinquagesimo.] Inter climactericos annos, qui vitæ mortalium periculosi esse produntur, est & annus quinquagesimus sextus, quẽ octo hebdomades efficiunt, quem numerum septem octies multiplicata componunt. Septenarius autem & octonarius numerus ambo pleni sunt, de quorum vi & potestate non parum multa eleganter & scienter refert Macrobius: & à M. Tullio dictum est: Nã quum ætas tua septenos octies Solis anfractus reditúsque cõuerterit, duóque hi numeri, quorum vterque plenus, summam tibi naturalem confecerint, in te vnum atque in tuum nomen se tota conuertet ciuitas. Hoc anno, videlicet quinquagesimo sexto clarissima virorum lumina extincta sunt, Plinius, Vergilius, Scipio Aemylianus, & decus principum Cæsar hic Dictator. De annis climactericis scripserũt Firmicus Maternus, Censorinus, Gellius, aliíque complusculi: & nos Annotamenta condidimus.

In numerum deorum.] Scilicet per ἀποθέωσιν, quam Latinè dicunt deificationem: sed, vt ait Cornelius Tacitus, Deũm honor principi non antè habetur, quàm agere inter homines desierit. Herodianus copiosè explicat morem & ritum, quo Imperatores inter Diuos referebantur: quæ consecratio dicebatur.

Stella crinita.] Cometes in vno totius orbis loco colitur, in templo Romæ admodum faustus diuo Augusto indicatus ab ipso, qui incipiente eo apparuit ludis, quos faciebat Veneri Genitrici non multò post obitum patris Cæsaris in collegio ab eo constituto. Verba Augusti Cæsaris id significantia sunt hæc: His ipsis ludorum meorum diebus sydus crinitum per septem dies in regione cœli sub septentrionibus est cõspectum: id oriebatur circa vndecimam horam diei: clarúmque, & omnibus terris conspicuum fuit: eo signo significari vulgus credidit, Cæsaris animam inter deorum immortalium numina receptam: quo nomine id insigne simulacro capitis eius, quod mox in foro consecrauimus, adiectum est. hæc Augustus. quæ Tranquillus hîc quoq; commemorat. Et Maro in laudem Cæsaris illud videtur cecinisse:

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

Cometas Græci vocant, authore Plinio, quas crinitas stellas Latini dicunt: philosophi recentiores stellas secundas appellitãt. Sed de cometis alibi plura.

Simulacro eius.] Statuæ Cæsaris.

Curiam.] Pópeii.

Obstrui.] Claudi, tanquam funestam. Appianus dixit combustã fuisse curiam furore populi.

Parricidium.] tanquam parẽs patriæ illo die fuisset interfectus. Nanq; & Valerius parricidas appellat Cæsaris interfectores, & mortem Cæsaris parricidium.

M. AN. Talem mortẽ.] Subitam, & inopinatam.

Xenophontem.] Socratis discipulum, Platonísq;, vt Laertius, & Gellius scribunt, æmulum.

Cyrum.] Scripsit ille τὴν παιδείαν, puerilem institutionem, siue disciplinam Cyri, & eiusdem ascensum. Idem Xenophontius Cyrus moriens quædam de animæ immortalitate apud Ciceronem disserit.

Apud M. Lepidum.] Qui tum magister equitum erat, & Cæsaris amicissimus.

Super cœnam.] In cœna. Sunt qui tradant, illum in quibusdam subscribendis occupatum, quum fortè inter eos, qui aderant, orta esset quæstio, quod optatissimum esset mortis genus, vltrò occurrisse, subitúmq;, & inopinatum dixisse.

Ore modò.] Prædicatione, aut denuntiatione aliqua solenni.

Persuasione vulgi.] Sed ita vulgo persuasum est, vt per se id crederẽt. Plinius Ita, inquit, Augustus scripsit de comete, qui ludorum diebus apparuit, loquens, eo signo signari vulgus credidit Cæsaris animam inter deorum

rum immortalium numina receptam.

Quos primò consecrato.] Plinius: Veneri Genitrici sacros fuisse tradit. Reperio apud eundem, nisi forte mendosa sit lectio, Veneri Victrici templum Romæ dedicatum. Crinita stella.] Græci κομήτην vocant. Terrificum, inquit Plinius, ex parte sydus non leuiter piatum, atq; vno in terris loco Romæ cultum.

Curiam obstrui placuit.] Appianus subito populi incursu concrematam fuisse ait.

De morte occisorum Cæsaris. LXXXIX.

Percussorum autem ferè, neque triennio quisquam amplius superuixit, neque sua morte defunctus est. Damnati omnes. Alius alio casu periit, pars naufragio, pars prælio, nonnulli semet eodem illo pugione, quo Cæsarē violauerant, interemerunt.

PHIL. Neque sua morte.] Considerandum equidem puto, qua ratione dixerit, neminem ex percussoribus sua morte esse defunctum: cùm nullus, vt ait Seneca, nisi sua morte moriatur. Hunc gladius necauit, illum laqueus suspendit: sua vtrinsq; hæc mors est. Sed nihil dubiū, quin Tranquillus significare voluerit violenta morte percussores Cæsaris occubuisse: tanquam sua hominis mors illa sit, quæ violenta non est, nec aliena manu per vim infertur, sed naturæ concedit citra violentiam extrinsecus allatam: illa verò mors, quæ violenta cōtingit, dicitur esse præter naturam extráque fatum: appellatúrq; eleganti vocabulo Græco βιοθάνατα. De qua intellexit Maro illo versu:

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat:

Sed misera ante diem. Homines quoque violenta morte pereuntes, βιοθάνατοι dicti: qua dictione scatet Iulius Firmicus. Quādo Seruius grammaticus ait biothanatorum animas non recipi in originem suam, intelligit illorum, qui violenta morte perimuntur. Lampridius scripsit, prædictum fuisse Heliogabalo ipsum biothanatum futurum: hoc est, quòd violenta morte erat moriturus. Mars in aliquo cardine genituræ faciet biothanatos, aut ipsos sibi inferentes necem: Luna verò si applicuerit se Saturno deficiens lumine faciet mares biothanatas interire: &, vt ait Iulius Firmicus in quarto Matheseos, si Marti se applicuerit, biothanata morte peribit: & violentæ mortis decernit exitium. βίαν Græci violentiam vocant, & θάνατον mortem: vnde biothanati viri, & biothanatæ fœminæ: & biothanata mors denominantur.

Alius alio casu.] Trebonius à Dolabella Smyrnæ oppressus, & crudeliter per carnificium tormenta interfectus, abscissóque à ceruicibus capite, reliquum corpus in mare abiectum. D. Brutus à latronibus captus, interfectusque à Camillo, à quo ad Antoniū caput missum est. Minutiuus quoque Basilus, & ipse Cæsaris percussor, à propriis seruis occisus. Scribit Iulius Capitolinus quod de Cæsare traditum est, hoc idem etiam euenisse in Gordiano: vt omnes, quicunque illum gladio appetiuerunt, semet sua manu, suísque gladiis, & iisdem, quibus illum percusserant, interemisse dicantur.

Nonnulli semet.] Cassium significat, qui seipsum interemit eodem pugione, quo Cæsarem percusserat. Brutus quoque gladio incubuit, familiari quodam (vt fama est) ictum fortius adiuuante.

M. AN. Percussorum.] Eorum, qui in illum manus iniecere.

Neque sua morte.] Non fatali, sed violenter illata. Eundem ferme exitū sortitos Gordiani principis percussores Capitolinus fuisse scribit.

Semet pugione.] Plutarchus author est, Cassium eodem ferro, quo Cæsarem percusserat, in Philippis victum se ipsum peremisse.

C. SVETONII TRANQVILLI

Diuus Octauius Cæsar Augustus.



GENTEM Octauiam Velitris præcipuam olim fuisse multa declarant. Nam & vicus celeberrima parte oppidi iampridem Octauius vocabatur, & ostendebatur ara Octauio consecrata: qui bello dux finitimo, quum fortè Marti rem diuinam faceret, nuntiata repentè hostis incursione, semicruda exta ra-

PHIL. EXPLICATVRVS Cæsaris Augusti vitam, conducibile futurum esse existimaui, si Sexti Aurelii verba præponeremus ad hanc rem conducentia, quæ sunt hæc: Octauianus patre Octauio senatore genitus maternum genus ab Aenea per Iuliam familiã sortitus: Adoptione verò Caji Cæsaris maioris auũculi, C. Cæsar dictus: deinde ob victoriã Augustus vocatus est. hactenus Aurelius: à quo Octauianus, sicuti à vulgo nominatur: cuius rei causa est, quoniam possessiua nomina (vt author est Priscianus) loco patronymicorum apud Latinos vsurpata sunt: vt Aemylianus Scipio, pro Aemylii filius: & Octauianus Cæsar, pro Octauii filius. Suetonius scripturus vitam Octauii Cæsaris vetustatẽ Octauiæ familiæ repetit à longa retro origine, quã dicit apud Velitras fuisse præcipuã: quæ ciuitas fuit insignis Volscorum: quibus victis Romani agrũ Veliternum ademerunt: Velitras coloni ab vrbe missi, & colonia deducta: author Liuius in ii. ab origine vrbis. tradit Dionysius in VII. pestilentiam adeò Velitras esse depopulatam, vt ex decem partibus Veliternorum vix vna superfuerit.

Vicus.] In oppido sunt vici à via dicti: vnde Romæ vicus Cyprius, vicus Africus, vicus Sceleratus nominati. Et ita in Veliterno oppido vicus erat dictus Octauius. Viculos diminutiuo vocabulo dici inuenies in Instrumento veteri, accipique pro pagis & domibus rusticanis. Oppidi.] Velitrarum.

Octauio.] Vni ex proauis Augusti.

Finitimo.] Aduersus populos conterminos Veliternis, quibus proximi sunt, vt indicat Plinius in III. Tusculani & Vlubrenses.

Semicruda exta.] Scribit Plinius in XXX. præcordia vocari vno nomine exta in homine. Idem scripsit in vndecimo, exta serpentibus & lacertis esse longa. Caput extorum erat in iecinore: cor autem nõ semper in parte extorum habitum est. Cùm rex Pyrrhus ex Italia discessisset, cor in extis haruspices aspicere cœperunt. Lustralia exta veteres dixerunt præpinguia: eò quòd lustralis, id est quinquennalis bos dicitur esse perfectæ ætatis. In sacrificiis deorum exta aræ superimposita flammis adolebant: vt ita fieret holocaustum siue holocaustoma: vnde à Vergilio dictum est,

Et solida imponit taurorum viscera flammis:

Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.

&, vt eleganter scribit Iosephus libro III. Antiquitatum, quando tota victima, quæ immolatur, incenditur: id sacrificium nomen holocaustomatis habet, significat totum incensum: alterum verò ad epulas exhibetur, parte victimæ per immolationem incensa, parte ad vescendum reseruata. Hoc secundum sacrificii genus intelligimus ab Octauio fuisse celebratũ, qui exta nondum percocta rapuit è foco: vbi scilicet ignis sacrificii causa fiebat, & prosecuit, hoc est partem reddidit Marti, cui sacrificabat, partem ad vescendum reseruauit. Est autem prosecare, verbum immolationi accommodum: Liuius in V. Inseritur huic loco fabula: Immolante rege Veientium vocem haruspicis dicentis, qui eius hostiæ exta prosecuisses, ei victoriam dari exauditã. Hinc ab Ouidio scienter & decẽter dicũtur exta prosecta illo versu, qui est in V. Fastorum: Sic vbi libauit prosecta sub æthere ponit. Praeterea, vt in trãscursu hoc quoq; annotemus, Exta porrici dicuntur verbo sacrificali, quando porrigũtur diis, & in aram focũmve dantur. Pleriq; falluntur, qui legũt apud Vergilium, Extáq; salsa proiiciã in fluctus: cùm ipse scripserit porriciã, nõ proiiciam: vsus videlicet verbo solenni sacrificãtibus ex disciplina haruspicum, & ex præcepto pontificũ: hinc illud perquã vetustum, Exta porriciũto diis. Hinc apud Macrobiũ scienter dicitur hostia porrecta, quasi sacrificata. sic enim in I. Saturn. Intercisorũ dierũ quibusdã horis fas est, quibusdã fas nõ est ius dicere. Nã cùm hostia cæditur, fari nefas est. Inter cæsa & porrecta fari licet. Hæc nouissima verba, quæ propria sunt sacrorũ, significãt post immolatã hostiã, & ipsius exta in arã focũmve porrecta & data in die interciso fas esse prætori ius dicere, & fari verba illa solẽnia, Do, Dico, Addico. & ita dies intercisi ex parte festi, ex parte profesti sunt: & ita deorum hominũmq; communes. Hoc à me latius explicatum est, propter illud Ciceronianũ, quod in epistola quadã ad Atticum, veluti alludens ad hæc verba solennia, perquam elegãter vsurpauit: Ne quid inter cæsa & porrecta (vt aiunt) oneris mihi addatur, aut temporis. per hãc veluti prouerbialem eloquutionẽ, verbáq; sacrificalia petit vt tẽpore suo finito, statim redire possit sine vlla prorogatione: sicut inter cæsa & porrecta victima e vestigio prætor poterat ius dicere & fari. Mendosi codices Ciceronis habent nõ porrecta, sed proiecta. Tu verò obelisco dictionem illã, proiecta, confodito: & porrecta, cũ asterisco substitue. Sed iam ad institutũ reuertamur: & si scio hæc interdum diuerticula nõ minus fore lectoribus iucunda, quàm illa legitima interpretamenta.

M. Antonii Sabellici ad Augustinum Barbadicum serenissimum Venetiarum principem paraphraseos in Augustum parænesis secunda.

CTAVIAM gentem.] Quanta in cõparando principatu fuit Dictatoris Cæsaris felicitas, tãta quidem, dux illustrissime, nec minor, & Octauii Augusti in eo, qui quæsitus erat, domi forisq; legitimè administrando. Et quia optimum ciuitatis moderatorem ciuilibus disciplinis instructum esse oportet, habes serenissime princeps, quem in florentissima ista Reipu. administratione per omnia rectè imitari possis. Nihil est enim moderato principe amabilius, nihil iis, qui alieno parent M. A N.

pta foco prosecuit, atque ita prælium ingressus, victor rediit. Decretum etiam publicum extabat, quo cauebatur, vt quoq; anno in posterum simili modo exta Marti redderentur, reliquiæque ad Octauios referrentur.

De origine prosapiæ maiorum Octauij. II.



EA gens à Tarquinio Prisco rege, inter *minores gẽtes allecta in Senatũ, mox à Ser. Tullio in patritias transducta, procedente tempore ad plebem se contulit, ac rursus magna vi per diuum Iulium in patritiatũ rediit. Primus ex hac magistratum populi suffragio cepit C. Rufus. Is quæstorius Cneũ & Caium procreauit. A quibus duplex Octauiorum familia defluxit, cõditione diuersa. Siquidem Cneus, & deinceps ab eo reliqui omnes, functi sunt honoribus summis. At Caius eiúsque posteri, seu fortuna, seu voluntate, in equestri ordine constitere, vsque ad Augusti patrem. Proauus Augusti secundo Punico.

rent imperio, magis optabile: sed disciplina, & ingenio opus est. Nullũ animal maiore arte tractandum, quàm homo: & ob id fortasse nihil difficilius, quàm Reipub. præsidere bene. Sed ad hanc, vt dixi, administrationis laudem consequendam præter te ipsum, & eos qui tecum de Repub. cõsultant, quos in omni virtutũ genere recte audies, Augusti principis, præclarissima exẽpla, quæ tibi cognoscẽda dedimus, magnopere iuuare poterunt. Nunc Octauiam gentem.] Octauiorum familiã intellige. A gente enim gẽtilis, qui eiusdem est gentis: inde & gentilitiũ. Plin. Gẽtilitiũ in Serranorũ familia fœminas linea veste nõ vti. Velitris præcipuam.] Sed cur non & Tusculi, cur nõ potius toto Latio, si Octauius Tusculanus Tarquinii Superbi gener in ea est gẽte reponendus: qui authore Liuio, ad Vlyssẽ, & Circẽ suũ genus referebat? Sed cùm toto Latio clarum nomen fuerit, certiora Velitris monumenta veteris celebritatis extitere. Velitræ oppidũ in Latio est, cuius Liuius in VIII. meminit: & Plinius Veliternos inter Latinos refert populos. Octauio.] Maiorum vni. Finitimo.] Cum finitimis orto.

aliàs Romanas.

PHIL. EXtabat.] Apud Veliternos. Simili modo.] Scilicet semicruda. Reliquiæ.] Quibus vescebãtur peracta immolatione. Inter minores gentes.] Tarquinius Priscus V. Romanorũ rex centum in patres legit, qui minorum gentium, authore Liuio, sunt appellati: quæ factio haud dubiè regis fuit: cuius beneficio in curiam venerãt. Inter hos allecta quoque fuit Octauia familia. Sentit Cornel. Tacitus, non à Tarquinio, sed à Bruto familias minorũ gentiũ fuisse appellatas. Quidam codices habent, Romanas gentes: intellectu apertissimo: sed purior & eruditior est prior lectio.

In patritias traducta.] Romulus centum creauit Senatores, qui patres dicti sunt, patriniique progenies eorum appellati. Scribit idem Liuius in X. patritios dictos, qui patrem ciere auumq; possent, id est, nihil vltra quàm ingenuos. Patritii plebeiiq; inter se opponũtur. Nec omnes Senatores erant patritii. quod significat Tacitus his verbis: Iisdem diebus in numerũ patriciorum asciuit Cæsar vetustissimũ quenq; ex Senatu, aut quibus clari parentes fuerant. Gens Octauia in patritias traducta dicitur à Tranquillo, propterea quòd in illum numerum fuit adscripta patritiarũ familiarũ, quas instituit Romulus, quæ & maiorum gentiũ sunt appellatæ, sicuti meminit idem Cornel. Tacitus.

In patritiatum.] In pristinam dignitatem patritiarum familiarũ. Iustinianus Imperator patritiatũ honorem cæteris omnibus anteponit, vetátq; libro Codicis XII. aliquem ascendere ad sublimem patritiatus honorem, nisi prius aut consulatus honore potiatur, aut præfectura prætorii. Idem vult filios per patritiatus dignitatem liberari à patria potestate. quod libro quoq; primo Institutionũ traditur. Cassiodorus ex persona Theoderici regis sic scribit in epistolis: His igitur tot amplissimis laudibus incitati, Patritiatus tibi apicem iusta remuneratione conferimus: vt quod aliis est præmium, tibi sit retributio meritorum. Item alio in loco: Patritiatus tibi, Deo auspice, conferimus dignitatem, honorem quidem celsum, sed qui tuis meritis probetur æqualis.

Is quæstorius.] Functus quæstura.

Siquidem Cn.] Alter filiorũ quæstorii Rufi. Nam omnes quidẽ Octauii dicebantur, sed prænominibus distinguebãtur: vt alius (verbi causa) diceretur Cn. Octauius: alius C. Octauius. Proauus Augusti.] In tertio cognationis gradu superiori sunt proauus & proauia: in inferiori pronepos & proneptis, vt inquit Caius Iurisconsultus. Secũdo Punico.] Quod gestũ est ab Annibale, durauítq; annos sedecim. idque à Silio & Liuio elegantissimè perscribitur.

M. AN. RApta foco.] Ex igne, vt sit cõtinens pro cõtento. Simili modo.] Semicruda scilicet, qualia Octauius dux prosecuerat. Reliquiæ.] Quod ex cæsis hostiis reliquũ esset. Inter minores gentes.] Liuius: Centum, inquit, patres legit, qui deinde minorum gentium sunt appellati. In patritias traducta.] Aliud enim erat Senatorem esse, aliud patritium. Cato Senator fuit, sed non patritius. Sic Cicero, sic innumeri alii: vt sit hoc ordinis, illud officii nomen: quanquam non eo inficias, Senatorium quoq; ordinem à veteribus vsurpari solitum, quod & ipse Tranquillus non vno fecit loco. Cæterùm erat, vt Asconius scribit, patritia dignitas maximè commoda ad honores cõsequendos. Dionysius Centum, ait, ex omni populo electos probatæ belli apud omnes virtutis, domique prudentiæ, patritios effecit, & in numerum Senatorum constituit. quæ verba, nisi quis altius inspiciat, iis, quæ diximus, apertè repugnabunt: quasi centum illos prius oportuisset patritios fieri, inde in Senatũ traduci. sed ita accipias, duplicem eos dignitatem sortitos Tarquinii indulgẽtia, vt nõ Senatorio tantùm officio, sed patritia etiam sunt dignitate honestati. Plutarchus in Romulo, & in suis Quæstionibus, & rursus Dionysius de patritio ordine plura.

Ad plebem.] Ea, credo, ratione, qua P. Clodius per adoptionem ad plebem transiit.

In patritiatum.] In antiquam ordinis dignitatem.

Is quæstorius.] Quæstura functus.

Conditione.] Fortuna dissimili.

nico bello stipendia in Sicilia tribunus militum fecit, Aemylio Pappo Imperatore. Auus municipalibus magisteriis cōtentus, abundante patrimonio tranquillissimè senuit. Sed hæc alii. Ipse Augustus nihil amplius, quàm equestri familia ortum se scribit vetere ac locuplete, & in qua primus Senator pater suus fuerit. M. Antonius libertinum ei proauum exprobrat Restionem, ex pago Thurino, auum argentarium. Nec quicquam vltra de paternis Augusti maioribus reperi.

De patre Octauij. III.



Ctauius pater à principio ætatis, & re & æstimatione magna fuit: vt equidem mirer hunc quoq; à nonnullis argentarium, atque etiam inter diuisores, operásq; campestres

PHIL. Aemylio Pappo Imperatore.] Huius Aemylii Pappi meminit Liuius lib. XXVIII. his verbis: Prætoria inde comitia habita, creati duo, qui tum ædiles plebis erāt, Sp. Lucretius, & Cn. Octauius: & ex priuatis Cn. Seruilius Cepio, & L. Aemylius Pappus. Quòd autem in Sicilia fuerit Imperator, docet idem Liuius, qui paulò infrà ait, Siciliam prouinciam obtigisse Aemylio Pappo. Idem alibi meminit alterius Aemylii Pappi Dictatoris. Pappos dixere prisci, flores carduorū. Lucretius: Nec plumas auiū, papposq; volātes. Plinius pappū vocari ait, lanuginem deciduam helxines herbę, seu ex fructibus arboris cōgrygiæ. πάππον Græci auum vocāt: in qua significatione accipitur apud Ausoniū ita scribentem:

- Pappos auiásque trementes
Anteferont patribus seri noua cura nepotes.

Auus.] Scilicet Augusti. Municipalibus magisteriis.] Magisteria municipalia vocat administrationes, & (vt dici solet) officia sui municipii, id est, Velitrarū: quæ tamen (vt diximus) fuit colonia Romanorū. Municipia autem dicuntur ciuitates suis legibus viuentes: vnde & municipes & municipales deriuantur. Quid differant coloniæ à municipiis, docet Gellius in XVI. Magisteria sic à magistro dici videntur, sicut à ministro ministeria. Hæc alii.] subintellige extrinsecus scripserunt. Libertinum.] Ob id sordidi generis.

Restionem.] Nomen est propriū, sicuti etiam à Macrobio lib. III. Saturn. mentio fit cuiusdam Antii Restionis. Aliâs restio significat funiculum, per deriuationem à reste. Auum argentarium.] Qui sint argentarii, ostendit Iurisconsultus, ff. de edendo. vbi argentarii significantur maiores mensarii, & quorū officium atq; ministerium publicā habet causam, hiq; rationes conficiunt. Author est Seneca, argentarios præesse publicis auctionibus. Apud Plautū crebra est mentio argentariorum, qui accipiuntur pro trapezitis nomulariísque fœneratoribus. Qui exercet argentariam, in sordido quæstu versari videtur: quoniam, sicut Aristoteles in VI. Politicorū, & Cicero lib. I. de Officiis, tradiderūt, omnes exercitationes mercenariæ artificésq; sunt improbādi. Hoc idem Cicero in epistola ad Augustū: An esse quendā annos quatuordecim natū, cuius auus fuerit argentarius? Ex pago Thurino.] Pagos conuenticula appellamos plures simul villas, hoc est rusticanas domos in vnū coagmentatas. Vrbes sine mœnibus pagi dicuntur, à fontibus, quòd omnes eadē aqua vterentur. παγὰ Græcè fons vocatur. A pagis pagani nominari. Scribit Cæsar, ciuitatem Heluetiā in quatuor pagos fuisse diuisam: hoc est, in quatuor regiones, quæ pagatim habitabātur. Nā & pagatim inde deriuatur ea forma, qua oppidatim & regionatim dicimus. Liuius: Tēpla Deûm, quæ pagatim sacrata habebāt, dirui atq; incendi iussit. De pagis Romanis plura pòst pauló. Thurini autē, à quibus Thurinus pagus dictus, populi sunt Italiæ: qui, vt author est Thucydides lib. VII. comites militiæ assumpti fuerūt ab Atheniensibus. Plin. eos collocat in tertia Italiæ regione. Et re.] Id est, diuitiis & opulentiis. Nā rem pro pecunia & diuitiis accipi notissimū est, vel vnico Horatii testimonio ita scribentis:

Vt rem facias, rem
Si possis rectè: si non, quocunq; modo rem.

Res quoq; pro lite accipitur: vnde ait Cicero in oratione pro Murena, nondū potuisse statuere Iurisconsultos, vtrū rem an litē dici oporteret. Res dicitur imperium. Habere rem, significat exercere coitū. Ausonii versus est de triplici rei significatione, dignus memoratu in monosyllabis: Imperiū, litem, Venerem, cur vna noter res? Inter diuisores operásq; campestres.] Hic locus à nobis in lib. Annotationū curiose satis (vt opinor) explicatus est: vbi docuimus, diuisores fuisse eos, qui pecunias tributim inter suffragatores diuidebāt in creandis magistratibus: quos Plautus magistros curiarum vocat. Diuisoriísq; nomen officiúmq; fuisse criminosum, docet Cicero in oratione pro Cn. Plācio. Operæ verò campestres illi significātur, qui in cāpo Martio candidatis inseruiebāt. Repete quæ in Annotationibus scripta sunt. Illud adde depromptum ex literis interioribus, quòd verba hæc, Diuidere, Diuisor, Diuisio, non solùm criminosa sunt, sed & obscœna: vt diuisores pædicones significentur: & diuidere pædicare: tāquā in obscœno coitu præposteráq; libidine nates diuidātur. Ex quo est illud Ciceronis in epistola ad Papyrium Pætū: Quid enim nō honestū verbū est Diuisor? at inest obscœnum. Hinc illud Plauti amphibolon cum festiuitate subturpicula prolatū in Aulularia: Me quidem hercle, dicam palàm, non diuides. Ita enim loquitur Cōgrio coquus, intelligi simpliciter volens, quòd nollet dispartiri. Anthrax verò id verbū, diuides, accepit tanquam in obscœna significatione diceretur: vnde subiunxit, Bellum & pudicum prostibulum populi: pòst si quis vellet te, haud non velles diuidi? Vbi in duabus dictionibus, scilicet pòst, & diuidi, occulta obscœnitas subest.

M. A N. Mvnicipalibus magisteriis.] Administrationibus suo municipio adeptis. Libertinō.] Seruili ergo genere. Restionem.] Macrobius Annii Restionis meminit, qui cibariam legem, siue sumptuariam tulit: sed ne hunc diuersum ab eo fuisse credamus, personarum fortuna facit. Argentarium.] Pecuniarū cāpsorem, vt quidam interpretātur, Græci τραπεζίτην καὶ κολλυβιστὴν vocāt. Quidam κολλυβιστὴν nummulariū, siue mensarium esse dicūt, vt minoris momēti sit, nec libros habeat in quibus data scribūtur, & accepta. At ratio verò æstimare videtur, argentariū eundē esse, quem & coactorem dixere, eum videlicet, qui in auctionibus pecunias cogeret. Diuisores, & operas cāpestres.] Qui pecunias viritim inter tribus ad suffragia in campum vocat

proditum. Amplis enim innutritus opibus honores & adeptus est facilè, & egregiè administrauit: ex prætura Macedoniam sortitus, fugitiuos residuam Spartaci & Catilinæ manum, Thurinum agrum tenentes in itinere deleuit, negotio sibi in Senatu extra ordinem dato. Prouinciæ præfuit nõ minore iustitia, quàm fortitudine. Nanq; Bessis ac Thracibus magno prælio fusis, ita socios tractauit, vt epistolæ M.T. Ciceronis extent, quibus Q. fratrem eodem tempore parum secunda fama proconsulatum Asiæ administrantem hortatur & monet, imitetur in promerendis sociis vicinum suum Octauium.

vocatas diuidebat, diuisor dicebatur. Cicero: Quo diuisore, corrupta sit. Pedianus: Quum legem, ait, ex Senatusconsulto grauiorem, quàm anteà fuerat, ferret, propter multitudinem diuisorum, qui per vim aduersabãtur, è foro est eiectus. Et rursus, Diuisores omnium tribuũ. Habent omnes tribus diuisores suos, quos Plau. curiarũ magistros in Aulularia vocat: Nã noster, ait, nostræ qui est magister curiæ, Diuidere argenti dixit nũmos in viros. Ex quibus Plauti, & Asconii verbis facilè colligitur quid diuisor esset. Et mox an diuisor criminis nomen est. idem alibi vult Verris patrem diuisorẽ fuisse, matrem honestiorem intelligi. Quo apparet fuisse id nomẽ sordidum, ac quodammodo infame.

PHIL. Macedoniam sortitus.] Sorte consecutus prouinciam Macedoniam, quæ, teste Plinio, olim centũ quinquaginta populorum duobus inclyta regibus fuit, Philippo scilicet & Alexandro.

Spartaci.] Spartacus famosus fuit gladiator ex Thracia oriundus, robore animi & corporis viribus præstans: qui vnà cum Cryso & Oenomao effracto Lentuli ludo gladiatorio cum septuaginta gladiatoribus erupit Capua: manúq; seruorum & ergastulorum cõgregata, quasi iusto exercitu comparato bellum ingens excitauit: in quo consules, consularésq; exercitus aliquot debellati sunt: tandem Crassus in extrema Italiæ parte pulsos fugatósq; fugitiuos penè deleuit. Spartacus ipse fortissimè dimicãs quasi Imperator occisus est: cuius cadauer nunquam inuentum fuisse fertur. Crassus bello fugitiuorũ confecto ouans in vrbem rediit corona laurea coronatus: quanuis myrtea corona foret oualis: authores Liuius, Florus, Plutarchus, Appianus & Gellius. De Spartaco inquit Lucanus:

Vt simili causa caderes, qua Spartacus hostis. Tradit Plinius, Spartacum interdixisse castris suis, ne quis aurum haberet aut argentum. Tantò fuit, inquit, plus animi fugitiuis nostris. Residuam manum.] Multitudinem. Catilinæ.] Notissimum est, quemadmodum Catilina in agro Pistoriensi à Romanis fuerit viriliter pugnans confossus, eiúsq; copiæ debellatæ, quas comparauerat, vt inquit Cicero, ex obæratis, turbulentis, sicariis, seruitiis, denique ex omnibus facinorosis.

Thurinum agrum.] In quo Spartacus cum fugitiuis consederat. Thurinum oppidum est inter duos amnes Crathin & Sybarin: vbi Herodotus cõdidit historiã. Thurios ducto de fonte vocabulo nuncupatos esse, refert Strabo in v s. Sunt, vt ait Plinius, Thurini in tertia Italiæ regione. Autumat Stephanus, Thurinos primò dictos esse συβαριν, posteà θουρίας. Dicitur & Thuria & Thurion. Inde deriuatum nomen est, vt Thurii, Thuriaci, Thurini, & Thuriani incolæ nominentur.

Extra ordinem dato.] Prouincia Octauii ordinaria erat Macedonia, quam sortitus fuerat: in quam dum proficiscitur, ob occasionem iniunctum est hoc, velut extraordinarium negotiũ, vt fugitiuos inter eundum in prouinciam extirparet. Prouinciæ.] Macedoniæ.

Bessis.] Populi sunt Thraciæ, quorum multa sunt nomina, vt inquit Plinius. De his Ouidius:

Viuere quàm miserum est inter Bessósq; Getásq;.

Epistolæ Ciceronis extẽt.] Cicero in epistolis, quas didascalicas, instárque protreptici scribit ad Q. fratrẽ Asiæ proconsulem hortatur illum pan lò acerbiorem iracundiorémque in prouinciales, vt in conciliandis beneuolentia sociis, imitari velit Octauiũ. Verba Cicero. hæc sunt: Et mediocri me dolore putas affici, cùm audiam qua sit existimatione Virgilius, qua tuus vicinus Cn. Octauius? Nam si re interioribus vicinis tuis Cilicensi & Syriaco anteponis, valde magnum facis. Atque is dolor est, quòd cùm hi, quos nominaui, te innocentia non vincant, vincunt tamen artificio beneuolentiæ colligendæ. Idem in alia epistola: Adiungenda est facilitas in audiendo, lenitas in discernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia. His rebus nuper Cn. Octauius iucundissimus fuit, apud quem quoties quis voluit, dixit, & quàm voluit diu.

Vicinum.] Ad prouinciam referendum est: quoniam Macedonia nõ multum distat ab Asia prouincia. Alii ad vrbanam vicinitatem referunt, tanquam Octauius Romæ vicinus esset Q. Ciceronis.

Promerendis.] Promereri, significat præstare beneficia, sicuti Seruius & Donatus prodiderunt. Inde socii promerentur, quando beneficiis alliciuntur, & beneuolentiæ artificio conciliãtur. Cyprianus: Promerebatur dominum pacifica, & simplex, & spiritalis oratio.

Macedoniam.] Inter Dalmatiam, & Epirũ, aliásq; vtrinq; adiectas terras ab Ionio mari in Aegæũ, protensa. M.A N. Spartaci.] Is gladiator ex Lentuli lanistæ familia fugitiuus, collecta ingenti seruorum manu sæpius in Romanos prosperè pugnauit, nouissimè in Lucania à M. Crasso ingenti prælio victus occubuit: Plutarchus & Appianus sunt authores.

Catilinæ manum.] Qui circa alpes à Cn. Antonio Ciceronis in consulatu collega est oppressus.

Thurinum agrum.] Appianus Thurium quasi belli sedem à Spartaci copiis ait occupatum. Est Thurium Calabriæ oppidum inter duos amnes, vt docet Plinius, Crathin, & Sybarin. Plutarchus in Pericle Thurios existimat Sybarin olim dictos.

Bessis.] Qui, Strabone authore, magna ex parte Aemum montem incolunt. Plinius ait plura esse vnius gentis cognomina, quare verior, meo iudicio, esset lectio, Bessis Thracibus: siquidem Bessi Thraciæ finibus complectuntur.

Epistolæ Ciceronis.] Cicero in secundo Epistolarum Ad Atticum Qu. Fratri Asiæ proconsuli scribens, iubet Octauium vicinum suum in prouincia administranda imitari.

Promerendis.] Mãsuetudine, & innocentia alliciendis, aut in fide Romani populi & studio retinendis.

De morte patris Octauij, & filijs eius. IIII.

DEcedens Macedonia, prius quàm profiteri se candidatũ cõsulatus posset, morte obiit repẽtina, superstitibus liberis, Octauia maiore, quã ex Ancharia, & Octauia minore, item Augusto, quos ex Accia tulerat. Accia, M. Accio Balbo, & Iulia sorore C. Cæsaris genita est. Balbus paterna stirpe Aricinus, multis in familia Senatoriis imaginibus, à matre Magnũ Pompeium arctissimo cõtingebat gradu: functúsq; honore præturæ, inter viginti viros agrũ Campanũ plebi Iulia lege diuisit. Verùm idẽ Antonius despiciens, etiam maternã Augusti originem, proauum eius Afri generis fuisse, & modò vnguentariã tabernã, modò pistrinum Ariciæ exercuisse, obiicit. Cassius

PHIL. CAndidatum consulatus.] Petitorem, id est, prius quàm se petere velle consulatum declarasset. De candidatis suprà abundè dictum est in Iulio Cæsare.

Maiore.] Quia erat maior natu. Morte repentina.] Plinius in VII. laudat mortes repentinas: atque hanc esse summam vitæ felicitatem.

Quam ex Ancharia.] Scilicet susceperat. Fuit autem Ancharia vxor Octauii prior, Accia posterior. Tulerat.] Procreauerat.

Balbus.] Aricinus. M. Tullius in tertia Philippica vituperat Antoniũ, quòd Cæsari Augusto obiiceret matrẽ Aricinam: vbi Aricinum municipium maximoperè laudat, atq; id fuisse vetustate antiquissimum, iure fœderatum, splendore municipum honestissimũ. Statimq; subiũgit: Huiusce sanctissimæ fœminæ atq; optimæ pater Mar. Accius Balbus in primis honestus prætorius fuit. Senatoriis imaginibus.] Mos fuit Romanorũ, vt imagines maiorũ in atrio colerent: &, vt inquit eleganter Plin. expressi cera vultus singulis disponebãtur armariis, vt essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera. Vnde Marius cùm esset homo ignobilis, & nouus, apud Sallust. inquit se imagines nõ habere, nec posse imagines suorũ maiorũ ostẽtare: sed militaria dona suas esse testatur imagines.

A matre.] A latere, vt dicitur, gradúque materno.

Arctissimo gradu.] In cognatione plures sunt gradus: arctissimi dicuntur esse primus, & secundus, & tertius: nanque in primo sunt suprà pater & mater: infrà filius & filia. Secundo sunt gradu suprà auus, auia: infrà nepos & neptis. Ex transuerso frater & soror. Tertio gradu sunt suprà proauus proauia: infrà pronepos, proneptis. Ex transuerso fratris sororísque filius & filia: & conuenienter patruus, & amita, auunculus & matertera. Cicero in primo Officiorum ait: Arctior verò colligatio est societatis propinquorum. prima in ipso coniugio est, proxima in liberis. Sequũtur affinitates, ex quibus etiam plures propinqui.

Honore præturæ.] Cicero in quadam ad Furnium epistola, præturam dicit esse magistratum diuulgatissimum. Inter viginti viros.] Quando coloni in colonias deducebantur, triumuiri creabantur ad agrum assignandum: qui colonos deducebant, agrúmq; assignabant: id quod apud Liuiũ sæpissimè leges scribentem, quemadmodum Placentiam, Cremonam, Mutinã, Parmam colonias semper triumuiri deduxerunt: quorum nomina ipse recenset. Cæsar verò non tres viros: sed viginti lege Iulia creauit, qui mitterentur ad agrum Campanum assignandum plebeis: quem (vt dictum est in primo Commentario) diuisit extra sortem.

Afri generis.] Et ob id barbarici & externi.

Vnguentariam tabernam.] Græcè μυρεπώλιον dicitur taberna vnguentaria, & μυρεπώλης vnguentarius, quæ verba apud Plautum sunt frequentissima. De differentia vnguentorũ & medicamentorum mox plura.

Exercuisse pistrinum.] Legatis quæ pistrini causa parata sunt, caballos, qui in pistrinis essent, & pistores legatos videri, respondit Seruius Iurisconsultus: & (vt inquit Paulus) pistorio instrumento legato, ita ipsi pistores inesse videri possunt, si paterfamiliâs pistrinum exercuerit. Apuleius in asinũ reformatus molas pistrinenses per circuitus multiuios circumegisse se festiuiter scribit: describens quales essent ministri in pistrinensi contubernio. Quòd autem sordidissimi sit exercere pistrinum, nullus ignorat. Plin. in duodeuigesimo fœminino genere pistrinas dixit, quum ait: E siligine lautissimus panis pistrinarúmque opera laudatissima. De pistura verò rationeq; pinsendi scribit idem diligentissimè ex sententia Magonis.

Cassius Parmensis.] Hic est Cassius Parmensis scriptor Tragœdiarum, qui in partibus Cassii & Bruti tribunus militum militauit: quibus victis Athenas se contulit. Q. Varius ab Augusto missus vt eum interficeret studentem reperit: & perempto eo, scrinium cum libris abstulit, si credimus Porphyrioni enarranti illud Horatianum:

Scribere quod Cassii Parmensis opuscula vincat.

Plinius citat testimonium epistolæ Cassii Parmensis scriptæ ad M. Antonium: qua significat Cydnum Ciliciæ amnem podagricis mederi. Eiusdem Appianus & Valerius meminerunt.

M. AN. CAndidatum consulatus.] Prius quàm ad petendũ consulatum candidatus processisset, aut se candidatum, vt mos erat, ex eminentiore loco populo ostendisset. Ancharia.] Cui Acciam Augusti matrem superduxit. Macio Balbo.] Omnia exemplaria, quæ ad hunc diem vidimus, sic habuere: quod Tranquilliani codices pluribus Italiæ locis impressi planè arguũt. Ego verò non Macio, sed M. Accio legendum contenderim: vt ex vna dictione prænomen facias, & nomen: quod gentile nomen filiæ declarat. Aricinus.] Ex Aricia notissimo Latii oppido. Arctissimo gradu.] Arcto cõsanguinitatis vinculo. Inter viginti viros.] Qui ad agrorum consignationem sunt creati.

Iulia lege.] Quam Cæsar, qui posteà Dictator fuit, suo primo consulatu tulerat. Afri generis.] Ergo ne Italici quidem, sed Libyci sanguinis. Vnguentariã.] Venalibus vnguentis refertam. Pistrinum.] Pistrinum, vnde pistrilla. Donatus in arte, à scuto scutella est, inquit, à pistrino pistrilla. Plinius tamen pistrinarum opera dixit. Pistrinum à pinsendo esse Varro, & alii affirmant. Varro pilum, inquit, quasi pisum, quòd eo far pinsunt: & vbi id fit, pistrinũ dictum: in eo ferè damnati serui exercebantur. Terentius: Cæsum verberibus in pistrinũ te Daue dedam. Plinius equorũ pœnalem pistrini pilam appellat. Cassius Parmensis.] Hic post

opes

quidem Parmensis quadam epistola,non tantùm vt pistoris,sed etiam vt nummularii nepotem, sic taxat Augustum:Materna tibi farina siquidem ex crudissimo Ariciæ pistrino, hanc pinsit manibus colybo decoloratis Nerulonensis mensarius.

De tempore & loco natiuitatis Octauiani. V.

Atus est Augustus M. Tullio Cicerone, & Antonio consulibus, nono Calendas Octobris, paulò ante Solis exortum, regione palatii, ad capita bubula, vbi nunc sa-

opes Antonii apud Actium fractas, Athenis, vt Valerius scribit Augusti iussu occisus est.

PHIL. TAxat.] Maledictis tangit. inde taxatores dicti scenici histriones,quòd maledictis alter alterum taugat. Aliâs taxare est æstimare,& mercem pretio metiri: quod & vulgò dicitur,& Latinitas vsurpat. Plinius: Taxatur in libras septem, id est, libra chrysocollæ æstimatur, venditúrque septé denariis. Taxatio dicitur æstimatio & indicatura. Idem Plinius: Diuersarum quidem gentiū natales tā concordi figura reperiri, super omnem esse taxationem. Item taxatio in libras sestertii singuli.

Nummularii.] Nummularium argentario viliorem esse docet Iurisconsultus, titulo De edendo: & tamen nummularii,sicut argentarii,rationes conficiunt: quia accipiunt pecuniam,& erogant per partes. Vnde nummularios quoq; cogi rationes edere non iniquū esse, scribit Pomponius.

Materna tibi farina.] Verba sunt Cassii Parmensis, quibus obiicit Augusto & pistrinum Aricinum,ob matrem Aricinam,& nummularias sordes,ob auum mensarium.

Ex crudissimo pistrino.] Sordidi est exercere pistrinum:sordidissimi verò exercere crudissimū: quod non tam ad crudelitatem pistoris in seruos pistrinenses referendū est,quàm ad asperitatem pinsendi, quippe pistura non omnibus est facilis: cùm authore Plinio,grana concidantur,ferróque frangantur,nisi intenti pinsant.

Hanc pinsit.] Apud veteres pinso pinsas & pinsis in primo & tertio ordine vsurpabatur. Vnde apud Persium ambiguum est,

O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinsit. legendum sit pinsat, an pinsit. Præteritum perfectum huius verbi est pinsuit,vt apud Pomponium:cùm neque molis molui, neque palmis pinsui.

Nerulonensis mensarius.] Nerulum oppidum est in Lucanis, quod vi captum fuisse repentino aduentu Aemylii consulis, prodidit Liuius libro nono ab vrbe condita. Alii sunt Nerulani populi in Latio iuxta vrbem Romam,quorum meminit Plinius in III. quamuis in mendosis codicibus non Nerulani, sed Verulani scriptum sit: ab iis existimo Nerulonensem mensarium per opprobrium appellari à Cassio auum Cæsaris Augusti. Colybo decoloratis.] Decoloratur id,cuius color vitiatur,non mutatur. Coloratur id,cuius alia fit, quàm fuit facies: author Seneca libr. II. Quæstionum. Inde decoloratæ manus dicuntur sordescentes ac maculosæ,tractatione nummorū quotidiana ac iugi: qua ferè omnes vtuntur nummularii,quorum visuntur manus fœdatæ atque decoloratæ propter deciduam materiam. Nanque,vt author est Plinius in XXXIII. causa pretii maior est auro,quàm reliquis metallis, propterea quòd minimum vsus deterit: cùm argento,ære,plūbo,lineæ ducantur,manúsque sordescant decidua materia. κόλλυβος Græcè nummus dicitur:& κολλυβιστὴς nummularius. Cicero in V. Verrinarū: Colybus,inquit,esse quî potest, cùm vtantur omnes vno genere nummorum? Idem in epistolis ad Atticum: Sed certe in colybo est detrimento satis: huc aurum si accedit,sed quod loquor, tu videbis. Verres pro spectatione, & colybo, deinde pro cerario deductiones pecuniarum in solutione faciebat: quę omnia, vt ait idem Cicero, furtorum improbissimorum sunt vocabula. Pollux in tertio Onomastici autumat, colybon vocari ἀργυρίου ἀλλαγὴν: id est,argenti permutationem, qua mensarii peculiariter vtuntur.

Regione palatii.] Quatuor fuerunt antiquitus vrbis Romæ regiones, è quibus prima est scripta regio Suburrana: secūda Exquilina: tertia Collina: quarta Palatina. In codicibus Plinianis,& Varronianis mendum est,in quibus pro Suburrana regione passim legitur suburbana. Est enim Suburrana dicta à vico nomine Suburra: Palatina verò à Palatio,cuius Arcades, duce Euandro, palantes authores extiterunt. Palatium Næuius litera mutata Balatium appellat, à balatibus ouium.

Ad capita bubula.] Nomen est loci. Tale est illud apud Liuium: Signum Martis Appia via ad simulacrū luporum sudasse. Tale est illud in Domitiano, quem dicit natum esse ad malum Punicum. Fortassis nomen locus accepit, quòd ibi capita boum suspensa viserentur: sicut scribit Plutarchus in Problematis, cornua boum suspendi solita fuisse in æde Dianæ Auentinæ. A boue bubulus deriuatur: vnde lac bubulum,ex quo nomen est butyro. Plurimum enim, vt ait Plinius in duodetrigesimo, fit ex lacte bubulo. Imperiti bubulum inclinari putant à bubalo,quod animal penè ad ceruinam effigiem nascitur in Africa: à quo non bubulum deducitur,sed potius bubalinum.

M. A N. NVmmularii.] Mensarii.

Taxat.] Obliquè notat.

Materna.] Ex materna stirpe.

Crudissimo.] Immiti,sæuo,& in exercendis seruis implacabili: vt sit continens pro contento.

Pinsuit hanc.] Farinam. Pinsuit legas potius,quàm pinxit: sed quidam codices finxit habent.

Colybo decoloratis.] Nummi tractatione fœdatis. Plinius: Cùm argento,ære,plumbo lineæ ducantur, manúsq; sordescant decidua materia. κόλλυβος nummus, vnde & κολλυβιστὴς nummularius.

Nerulonensis mensarius.] ab oppido, credo, non procul ab vrbe Roma: vt quod veteres Nerulonem dixerint,recentiores corrupto nomine Nerulam dicant: quanquam coniectura magis in hoc ipso, quàm authoritate agimus.

Regione palatii.] Quæ ex quatuor vrbis regionibus antiquissimis vna fuit: mox vrbs ipsa regiones nouem habuit.

Capita bubula.] Regionis locum à boum capitibus ibidem sculptis,seu figuratis nuncupatum.

Sacrarium.] Locus in quo sacra seruantur, vt Seruio placet,sed hîc pro sacro quodam loco,siue æde potius accipimus.

crarium habetur, aliquantò post quàm excessit, constitutum. Nam vt Senatus actis cõtinetur, cùm C. Lectorius adolescens patritii generis, in deprecanda grauiore adulterii pœna, præter ætatem atque natales, hoc quoque patribus conscriptis allegaret, se esse possessorem ac velut æditũum soli, quod primũ Diuus Augustus nascens attigisset, peteretq; donari quasi proprio suo ac peculiari deo, decretũ est, vt ea pars domus cõsecraretur.

De loco ubi nutritus fuit. VI.

NVtrimentorum eius ostenditur adhuc locus in auito suburbano iuxta Velitras permodicus, & cellæ penuariæ

PHIL. SAcrarium habetur.] Sacrarium locum in templo veteres appellabant, in quo sacra reponũtur, vt docet Seruius in x i s. Aeneidos Commentario. Seneca In v. Quæstionũ: Arcana illa rerum naturæ sacra, non promiscue & omnibus patent: reducta, & in interiore sunt clausa sacrario. Scribit Egesippus in v. sacrarium templi Hierosolymorum fuisse profanatũ à gẽtibus, quò solus semel in anno princeps sacerdotũ solebat intrare non sine sanguine, quem pro se offerret, & populi delicto. Quid differat sacer locus à sacrario euidenter ostendit Vlpianus titul. De rerum diuisi. cuius verba subscripsi, quæ sunt hæc: Illud notãdum est, aliud esse sacrum locum, aliud sacrarium. Sacer locus, est locus consecratus: sacrarium, est locus, in quo sacra reponuntur. Hic sacrarium non tam pro repositorio sacrorũ accipi videtur, quàm pro sacello, locóque sacrato. Excessit.] Periit Augustus.

In deprecanda pœna.] Abigenda, depellenda, amolienda. Deprecari est abigere, depellere, & amoliri, vel prece adhibita, vel quo alio modo. Inde dicimus, Ignominiam, & inuidiam, & pœnã deprecatus est. Lege Gellium in v s. Præter ætatem.] Iuuenilem: cui indulgere peccanti solemus. Inde ait Cicero in oratione pro Cælio: Detur aliquid ætati, sit adolescentia liberior. Liuius: Veniam errori atque adolescentiæ petendo. Et Iurisconsultus tyroni alienanti arma, facilius, quàm veterano militi, parcendũ esse censet. Cæsar quoq; apud Lucanũ ait: Sed parcimus annis, Donamúsq; nefas.

Natales.] Nobilitatem familiæ. Cornel. Tacitus: Aderat Cornelius Fuscus ingẽs ætate, claris natalibus. Interdum natales pro ignobilitate, & sordibus generis accipiuntur, tanquã medium sit vocabulum: sicuti illud in epistola Plinii: Nonnunquã candidatus aut natales cõpetitoris, aut annos, aut etiam mores arguebat. Allegatio autem natalium, & maiorũ nobilitatis solet in causa esse fauorabilis. hinc Ouidius:

Et mihi si non vis parcere, parce meis. Apud Liuium, Familia Claudia rogat populũ, vt Appius Claudius decemuir, qui reus erat, condonetur nobilitati Claudiorũ. Locus est à deprecatione. Titulus est apud Iurisconsultos, de Natalibus restituendis: vbi ait Scæuola ad ingenuitatis statũ restitui eum, quem sanctissimus Imperator natalibus suis restituerit.

Aedituũ soli.] Aedituus dicitur, qui tuetur, hoc est curat res sacras: vt interpretatur Varro lib. i i i. de Latina lingua. Idem scribit in I. De re rustica, à priscis æditimum, non æditũum dici solitum. Et, vt author est Gellius in x i. æditimus ea forma dicitur, qua finitimus, & legitimus. Leuinius claustritimũ dixit, qui claustri ianuæ præesset: eadem scilicet figura, qua æditimũ dici videbat, qui ædibus præest. Lucretius verò pro æditũis, siue æditimis, æditũentes appellat, illo versu, qui est in calce sui poematis:

Hospitibus loca quæ complerant æditũentes.

Iulius Firmicus in v i i i. Matheseos, refert futuros æditũos, aut hierodulos, id est sacrorum ministros, qui habuerint horoscopum in x x v i. parte Geminorũ. Græci νεωκόρον vocant æditũũ. Idem Firmicus in i i i i. Si Luna à Mercurio ad Iouem feratur, facit νεωκόρον. Idem: Si in medio cœli fuerit ista coniunctio, facit νεωκόρον.

Soli.] Terræ, & loci. Celsus existimat solum partẽ esse ædium.

Nascens attigisset.] Tangit morẽ priscorum, apud quos infantes partu ediri non prius vocẽ edebãt, quàm attigissent terram: Opemq; deã inuocabant, vt nascentibus opẽ ferret, excipiens eos sinu terræ. Leuana verò dea vocabatur, quæ pueris præerat de terra leuandis: Authores Augustinus in i i i i. De ciuitate Dei, & Macrobius in primo Saturnalium. Hoc idem signat Suetonius in Nerone, scribens eum exoriente Sole natum esse, penè vt radiis prius, quàm terra contingeretur. Et hoc est, quod intelligi voluit Plinius sic scribens in septimo: Hominem tantùm nudum, & in nuda humo natali die abiici ad vagitus.

Peculiari deo.] Cæsari Augusto, quem peculiariter veneraretur: vtpotè domesticus cultor.

Decretum est.] Per Senatusconsultũ. Antè dictum est, Senatus decretum propriè esse particulam Senatusconsulti.

In auito suburbano.] Scribit Porphyrio, Augustũ nutritum fuisse Vlubris: propter quam causam ab Horatio nominatur locus ille, quum sit alioqui desertissimus vicus: sic enim ait in primo Epistolarum: Est Vlubris animus, si te non deficit, æquus. Tranquillus verò sentit eum nutritum fuisse in auito suburbano, id est, in villa auorum, quæ erat sub vrbe Velitrarum: talia enim suburbana dicere solemus. Plinius perquàm eleganter suburbanam appellat Italiam, eam partem, quæ erat proxima vrbis Romæ. Ab auo auitus deriuatur, sicut à patre patritus. Liuius: Interuenit deinde his cogitationibus auitũ malum, regni cupido. Idem: Ancus Numæ nepos, auitæ gloriæ memor.

Cellæ penuariæ.] Cella penuaria est repositorium peni. Quid autem sit penus, copiose scripsimus in notis Seruii. Varro: Vbi quid conditum esse volebant, à celando cellam appellauerũt: penuariam, vbi penus. Scribit Caper grammaticus dicendum esse cella penaria, non penuaria.

DEprecanda.] Auertenda, precibus propulsanda. M. A N.

Adulterii pœna.] Cuius fuerat conuictus, subeunda. Natales.] Maiorũ virtutes, splendorem, merita, & alia, quæ in iudiciis ad supplicia auertenda deferuntur.

Patribus conscriptis.] Plutarchus & Dionysius authores sunt, patres conscriptos eos appellatos esse, qui post centum Senatores à Romulo constitutos in curiã allecti sunt. Aedituum.] Sacræ ædis custodem: vel qui sacri loci curam haberet. Gellius: Aedituósq; eius templi sæpe esse demiratos. Varro æditimũ dicendum existimat, non æditũum.

instar, tenétque ciuitatem opinio, tanquam & natus ibi sit. Huc introire, nisi necessariò, & castè, religio est, concepta opinione veteri, quasi temere adeuntibus horror quidam & metus obiiciatur: sed & mox confirmata est. Nam quum possessor villæ nouus, seu fortè, seu tentandi causa cubitum se eò contulisset, euenit, vt post paucissimas noctis horas exturbatus inde subita vi & incerta, penè semianimis cum strato simul ante fores inueniretur.

De *nominibus & cognominibus eius, & causis ipsorum.* VII.

INfanti cognomen Thurino inditum est in memoriam maiorũ originis, vel quòd in regione Thurina, recèns eo nato, pater Octauius aduersus fugitiuos prosperè rem gesserat. Thurinum cognominatum satis certa probatione tradiderim, nactus puerilem imagunculam eius æream veterem, ferreis ac penè iam exolescentibus literis hoc nomine inscriptã, quæ dono à me principi data inter cubiculares colitur. Sed & à M. Antonio in epistolis per contumeliam sæpe Thurinus appellatur: & ipse nihil amplius,

HIL. Suo, ac peculiari.] Domestico, & familiari.
Ea pars domus.] Qua Augustus esset natus.
Auito suburbano.] Suburbana sui aui villa.
Cellæ penuariæ.] Ad differentiam: nam & vinaria cella, & alia id genus loca ad res aliquas reponendas in ædibus septa, cellæ dicuntur. A penu igitur penariam cellam appellauit. Quid sit penus, Gellius, Seruius, & alii plerique docent.

INstar.] Ad imaginem. Quidam idonei scriptores ad instar vsurpant: sed frequentius sine præpositione ponitur, iuxta illud Vergilianum:
Instar montis equum.
Laurentius Vallensis morosè nimium cõtendit reprehendere Seruium in significatione instar.
Castè.] Sicuti cũ castimonia adire templa solemus. Hinc illa Ciceronis lex: Ad dinos castè adeunto. &, vt ipse interpretatur, Castè iubet lex adire ad deos: animo videlicet, in quo sunt omnia: nec tollit castimoniam corporis.

Religio est.] Nefas est, nõ licet, metus est. Hoc enim interdum significat religio, sicuti Seruius Donatúsque prodiderunt. Plinius in XXVIII. Næuos in facie tondere, religiosum habent etiam nunc multi. vbi religiosum, significat illicitum, & nefas, ac ominosum.
Horror.] Pauor, & formido. Tale est illud Vergilianum: Mihi frigidus horror Membra quatit. & illud, Horror vbique animo. Scribit Celsus in tertio, Horrorem febres antecedere, quæ certum habent circuitum. Idem alibi ait eleganter: Frigus voco, vbi extremæ partes membrorum inalgescunt: horrorem, vbi totum corpus intremit. Ab horreor horrendũ significare formidandum putat Hieronymus scribens ad Sumiam & Fretelam, de interpretatione psalmorum. Eò.] In id suburbanum, in quo nutritus dicitur Augustus. Exturbatus subita vi.] Deiectus repentina violentia. Incerta.] Cuius causam ignorabat vnde prouenisset. Cum strato.] Opertorio lecti. Stratũ enim dicimus, quod sterni solet: inde & strata equorum. Et instratum Iurisconsultus appellat vestem omnem, quæ sternitur. Thurino.] Dicimus, authoribus grammaticis, nomen est mihi Iulus, & Iuli, & Iulo. Autumat Gellius per nouam figuram dici posse, Mihi nomen est Iulum. Inditum.] Impositum. Impositiua nomina dicuntur à Plinio, quæ vnicuique imponuntur. In memoriam.] Tanquam ex pago Thurino habuerit auum argentarium: sicut ei exprobrauit Antonius. Recèns eo nato.] Ordo est, vel quòd pater Octauius in regione Thurina rem prospere gesserat, eo recèns nato: vt sit sensus ideo cognominatum esse Thurinum, quia quo tempore natus est, pater eius profligauerat, deleuerátque fugitiuos in regione Thurina. Recèns dictum est, pro recenter, more veterum. Tale est illud Vergilianum:
Sole recens orto. pro recenter. Quod allegat Priscianus libro XVII. ostendens nomen poni pro aduerbio.
Nactus imagunculam.] Cum repererim pusillam Augusti imaginem. ἀπὸ μικροῦ (?), ab imagine fit imagunculа. Exolescentibus literis.] Ob vetustatem euanescentibus: exolescere enim est earũ rerum, quæ vetustate deficiunt. Agretius grammaticus: Adolescere, augmenti est: inolescere, coagmenti: exolescere, vanescentis est.
Hoc nomine.] scilicet Thurini. Principi data.] Adriano: cuius Tranquillus (vt in eius vita docuimus) fuit epistolarum magister. Inter cubiculares.] Imagines cubiculares dicũtur, quæ colũtur in cubiculo. Prisci locũ in quo simulacra imaginésque venerabantur, eleganti vocabulo larariũ appellauerunt: à laribus, credo, nomine deducto. Lampridius scribit, Alexandrum Imperatorem Romanum habuisse in larario maiore Apollonium, Abrahamum, & Orpheum. Eundem ait in secundo larario habuisse imaginem Vergilii cum Ciceronis simulacro. Quibus verbis docet, veteres habuisse lararium duplex: alterum sanctioribus dicatum, alterum minoribus.
Ipse.] Augustus.
Prius nomen.] scilicet Thurini.

M. AN. INstar.] Ad similitudinem, vt Seruio placet, vel æquationem potius, & Laurentius Vallensis scribit.
Castè.] Sine labe, piè, sanctè, religiosé.
Horror.] Metus quidam, tacitáque religio.
Originis maiorum.] Ad illud refertur, quod Antonius illi auum argentarium ex Thurino agro exprobrarat.
Aduersus fugitiuos.] Spartaci, & Catilinæ reliquias.
Imagunculam.] Paruam imaginem.
Ferreis.] Sed ferrugineis potius legerem id est ferrugine opertis.
Exolescentibus.] Vetustate euanescentibus.
Principi.] Cui non dicit, quum de Domitiano, Nerua, & Adriano intelligi possit.
Cubiculares.] Quæ in eius sunt cubiculo.

quàm mirari se, rescribit, pro opprobrio nomen prius sibi obiici. Postea C. Cæsaris, & deinde Augusti cognomen assumpsit: alterum testamento maioris auunculi, alterum Munatii Planci sententia, quum quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi & ipsum conditorem vrbis, præualuisset vt Augustus potius vocaretur, non tantùm nouo, sed etiam ampliore cognomine, quid loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur, ab auctu, vel ab auium gestù gustúve: sicut etiam Ennius docet scribens:

Augusto augurio postquàm inclyta condita Roma est.

PHIL. QVàm mirari.] Nimirũ stultitia est, obiicere cuipiam nomen inditum à parentibus, veluti probrosum: cùm in potestate nostra non sit impositio nostri nominis. Hinc Cicero illusus ab amicis ob nomen, suadentibúsque, vt id immutaret, dixit, se Ciceronis nomen effecturum ἐνδοξότερον, id est gloriosius, quàm essent nomina Catulorum, Catonũ, & Scaurorũ. Maioris auũculi.] scilicet Iulii Cæsaris, qui testamento Augustum adoptauit in familiã & nomen suum: vt scilicet Cæsar nuncuparetur. Auunculus maior dicitur frater auiæ: sicut patruus magnus aui frater: author Caius Iurisconsultus. Iulius autem Cæsar maior erat auonculus Augusti, quoniã frater fuerat Iuliæ ex qua genita est Accia mater Augusti. Refert Appianus, Augustum ab exercitu consalutatum fuisse Cæsarem Romanorum more, qui adoptiuis filiis adoptantium nomina imponunt: quod ille libens assumpsit: eodémque tempore repudiato nomine paterno dici maluit Cæsar, Cæsarisque filius, quàm Octauius. Alterum.] scilicet Augusti cognomen. Munatii Planci sententia.] Hic est ille Plancus, cuius extant epistolæ luculenter scriptæ, qui, authore Eusebio, cùm Galliam Comatam regeret, Lugdunum condidit: quæ mox ciuitas temporibus Senecæ incendio deflagrauit. Plancos dici voluerunt eos, qui supra modum pedibus planis essent: à tabulis planis, quæ plancæ appellantur. Plinius in octauo: Nec pontes asini transeant, per raritatem plancarũ translucentibus fluuiis. Mendosi codices habent plantarũ, pro plancarum. Romulum appellari oportere.] Hinc opinor emanasse Seruianum illud commentum: scribit enim in primo Commentario sic: Populus Romanus adulans Octauiano, tria ei obtulit nomina, vtrũ vellet Quirinus, id est Romulus, an Cæsar, an Augustus vocari. Ille ne vnum eligendo partem læderet, quæ aliud offerre cupiebat, diuerso tempore omnibus vsus est. Et primò Quirinus dictus est: & inde Cæsar: postea, quod & obtinuit, Augustus. Quod & Suetonius probat. hæc Seruius. Ex quibus coniecto, sicuti latius asseruimus in annotationibus in Seruiũ, multa legi in Seruianis commentariis vel subdititia, vel inuersa: quale est in primis vel hoc. Vbi enim, quæso, Suetonius probat fabulam illam cõmentitiam de tribus nominibus à populo oblatis Augusto? Vbi, quæso, refert Augustum, ne offenderet populũ, esse vsum vicissim tribus illis nominibus? Nusquam hæc in Suetonio leguntur, qui ait tantummodo quosdam censuisse vt Romulus appellaretur: sed ea appellatio fuit repudiata, cùm Augusti nomen ex sententia Planci præualuisset. Camillus ille assertor Romani Imperii appellatus fuit per iocos militares Romulus, & secundus vrbis conditor. De cognomento Augusti L. Florus in calce operis hæc: Tractatum etiam in Senatu, an quia condidisset Imperium Romulus vocaretur: sed sanctius & reuerentius visum est nomen Augusti, vt scilicet iam tum, dum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur. Etiam ampliore cognomine.] Cognomen Augusti haud dubie maius sanctiúsque quàm Romuli. Loca augusta dicantur.] In hanc sententiam proditum est illud ab Ouidio:

Sancta vocant Augusta patres, augusta vocantur
Templa sacerdotum rite dicata manu.

Et, vt scribit Festus Pompeius, Augustus, locus sanctus dictus est, ab auium gestu, id est qui ab auibus significatus est: siue ab auiũ gustatu, quia aues pastæ id ratum fecere. Ab auctu.] id est incremento. Ob hoc verbosa, & perinde inanis, est illa disputatio apud leguleos, nunquid Imperator possit minuere Imperium, cùm ab auctu dicatur, tanquã id augere debeat. Ad hoc nomen allusit Ouidius scribens:

Augeat Imperium nostri ducis, augeat annos.

Cui adstipulatur Egesippus, qui sic scribit in quinto belli Iudaici: Augustum apud Romanos nomen Imperii est, quòd augeat suos, non quòd alienos opprimat.

Augusto augurio.] Huius Enniani versus meminit quoque M. Varro libro tertio De re rustica. Notissimum autem est, Romulum in vrbe condenda obseruasse augurium vulturum, qui sese numero illi duodecim ostenderunt: cùm Remo sex tantùm vultures augurium fecissent. Itaque Romulus augur, vt est apud Ennium, cum fratre item augure, Curantes magna cum cura, concupientes Regni, dant operam simul auspicio, auguriόque. &, vt mox ait,

- Seruat genus altiuolantum.
Certabant vrbem Romámne Remámne vocarent.
Cedunt ter quatuor de cœlo corpora sancta
Alitum præpetibus sese pulchrísque locis dant.

Augusti vocabulum non immeritò accepit Octauius: huius siquidem tempore mirum in modum auctum est fastigium Romanum, non modò publicum, sed etiam priuatum, licet luxus vitæ diminutus esset, exemplum prodente principe. Mittebat enim in prouincias consulares & Prætorios, & Equestris ordinis viros, quoscunque honore dignos iudicabat: qui etiam quò plures partem administrandæ Reipublicæ caperent, noua officia excogitauit. Hæc alibi Tranquillus.

M. AN. AVgustus potius.] Quàm Romulus.

Nouo.] Appellationis nouitate.

Ampliore.] Maius in se pondus, & omen habente.

Quòd loca.] Ratio cur id potissimùm nomen sit ab omnibus receptum.

Ab auctu.] Incremento.

Vel gestu, gustúve.] Nam inter augurandum non gestum solum, id est volatum obseruabant, sed gustum etiam, an tripudium esca faceret.

Augusto augurio.] Liuius, Dionysius, Plutarchus, & Plinius authores sunt, Romulum, & Remum in conditione vrbis vulturum augurio vsos.

Quadr

De breui descriptione totius uitæ & gestorum eius. VIII.



Vadrimus patrem amisit: duodecimum annum agens auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit. Quadriennio pòst virili toga sumpta, militaribus donis triumpho Cæsaris Africano donatus est: quanquam expers belli propter ætatē. Profectum mox auunculum in Hispanias aduersus Cn. Pompeii liberos, vix tum firmus à graui valetudine, per infestas hostibus vias paucissimis comitibus, naufragio etiam facto, subsecutus magnopere demeruit, approbata citò etiam morum indole super itineris industriam. Cæsare post receptas Hispanias expeditionem in Dacos, & inde in Parthos destinante, præmissus Apolloniam, studiis vacauit. Vtque primùm occisum eum, hæredémque se comperit, diu cūctatus an proximas legiones imploraret, id quidē consilium vt præceps immaturúmq; omisit.

PHIL. QVadrimus.] Natus quatuor annos: sicuti trimus, & bimus dicitur trium & duorum annorum: inde bimatus, trimatus, quadrimatus pro ætate biennii, triennii, quadriennii. Pro concione.] Secundum morem priscorum, apud quos matronis hic honos habitus est, vt earum post mortem solennis laudatio esset. Causa in primo Commentario relata est. Quadriennio post.] id est, post quadriennium id est, agens iam XVI. annum. Hæc particula post, quando præpositio est, vt inquit Priscianus in XIIII. ablatiuo iungi non potest: quando verò iungitur ablatiuo, loco aduerbii ponitur. Virili toga sumpta.] Finita pueritia prætextam ponebant, virilemque togam sumebant, tanquam non pueriliter, sed viriliter vita esset peragenda. Seneca in I. Epistolarum: Tenes vtiq; memoria quantum senseris gaudium, cùm prætexta posita sumpsisti virilem togam. Ex censione Seruii Tullii pueritia decimoseptimo anoo finiebatur: puerique esse existimabantur, qui minores essent annis septendecim. Hoc idē seorit Vlpianus Iurisconsultus, qui titulo De postulando, sic inquit: Pueritium duntaxat minorem annis septendecim, qui eos non in totum compleuit, prohibetur postulare. Augustus non expectato vt ætas pueritiæ integra perageretur, in decimosexto ætatis anno sumpsit virilem togam, tanquam virtute vicisset ætatem. Sic & M. Antonius Imperator Romanus virilem togā sumpsit decimoquinto ætatis anno, vt author est Spartianus.

Triumpho Africano.] Quem egit Cæsar deuictis in Africa Scipione, Iuba, & Catone. Militaribus donis.] Militaria dona sunt torques, armillæ, hastæ, phaleræ, & coronæ multiiugæ: qualibus olim donis Sicinium Dentatum ob fortitudinem fuisse donatum Plinius & Gellius tradiderunt. Expers belli propter ætatem.] Pueri non militabant, quorū ætas minimè est militaris: nec minoribus septendecim aoois stipendia procedebant. Vnde annotatū est ab Historicis, quòd in secundo Punico bello ob militum inopiam decretū est, vt qui minores septem & decem annis sacramento dixissent, his perinde stipendia procedereot, ac si septem & viginti annorum, aut maiores milites essent. Auunculum.] scilicet maiorem: & significat Iulium Cæsarem.

Demeruit.] Sibi conciliauit atque deuinxit. Ita Quintilianus: Simul vt pleniore obsequio demereret amantissimos mei. Ouidius:

Nec tibi sit seruos demeruisse pudor.

Naufragio facto.] Profectum fuisse in Hispaniam Augustum itinere maritimo significat. Indole morū.] Significanter locutus, cùm in pueris non tam virtus, quàm virtutis indoles elucescat. Liuius in III. Neque in ciuitate Romana tantā indolem tam maturæ virtutis iuniorum extitisse. Interdum in malam partem vsurpatur. Idem Liuius dixit: Cum hac indole virtutum, & vitiorum.

Super.] Vltra, præter.

Itineris industriam.] Strenuitatem celeritatémque, qua vsus erat Augustus eundo in Hispaniam. Author est Plinius libro VII deuigesimo, ab Hostia vsque ad Herculis Columnas nauigatum esse septē diebus, & quarto die in citeriorem Hispaniam.

In Dacos, inde in Parthos.] Destinauerat Iulius Cæsar Dacos coercere Thraciæ populos; mox Parthis inferre bellum, sicuti antè dictum est. Existimat Strabo, Dacos olim vocitatos fuisse Dauos: ex quo apud Athenienses Dauorum nomina seruilia plurimum abundabāt. Hinc factum est, vt in Comœdiis serui introducātur Daui nominati. Parthi lingua Scythica exules dicuntur. Regna Parthorum, eadem & Persarum intelliguntur: quæ duodeuiginti fuisse, testis est Plinius in VI. Apolloniam.] Apollonia quondam Corinthiorum colonia, ciuitas est Epiri optimis olim instituta legibus, vt refert Strabo in VII. vulgò his temporibus Valonia nominatur. Apolloniæ Augustus sex menses tantum moratus est: cui circa horam vespertinam renunciatum fuit, Cæsarem in Senatu fuisse trucidatum. Aliæ sunt Apolloniæ in diuersis regionibus, Stephanus vrbes Apollonias numero vigintiquinque percenset.

Proximas legiones.] Amici suadebant Augusto, vt in Marcedoniam ad exercitum transiret: nam ex ducibus quidam fuere, qui pollicerentur, se illum defensuros.

M. AN. QVadrimus.] Quatuor annos natus.

Auiam.] Iuliam Acciæ matrem: quæ Cæsaris Dictatoris fuit soror.

Quadriennio pòst.] Annos iam sexdecim natus.

Virili toga.] Quam pueritiæ annos egressi, prætexta deposita, sumebant.

Militaribus donis.] Armillis, hastis, phaleris, atque aliis id genus insignibus, quibus milites donari consueuere.

Infestas.] A latronibus infessas: aut quæ tum certè ab hostibus tenerentur.

Demeruit.] Sibi deuinxit.

Officio.] Quòd per tot pericula ad eum venisset.

Indole.] Futuræ virtutis imagine: seu, vt Nonio placet, incremento.

Industriam.] Solertiam.

Apolloniam.] Macedoniæ vrbem, quatuor millibus passuum à mari, à Corinthiis, vt Strabo ait, & Corcyræis conditam. Thucydides, & Plinius Corinthiorum tantùm aiunt esse coloniam.

Cæterùm vrbe repetita, hæreditatem adiit dubitante matre: vitrico verò Martio Philippo consulari multùm dissuadente. Atque ab eo tempore exercitibus comparatis, primùm cũ M. Antonio, Marcoq; Lepido, dein tantùm cum Antonio per duodecim ferè annos, nouissimè per quatuor & quadraginta solus Rempublicam tenuit.

De quinque bellis ciuilibus per eum gestis. IX.

PRoposita vitæ eius velut summa, partes sigillatim, neque per tempora, sed per species exequar, quò distinctius demonstrari cognoscique possint. Bella ciuilia quinque gessit, Mutinense, Philippense, Perusinum, Siculum, Actiacum. Ex quibus primum ac nouissimum aduersus Marcum Antonium: secundum aduersum Brutum & Cassium: tertium aduersum L. Antoniũ triumuiri fratrem: quartum aduersus

PHIL. VRbe repetita.] Augusto Cæsare Romam repetente post obitum Cæsaris, ad nomen ingens capessendum, visæ sunt coronæ versicolores circa orbem Solis: de qua re mox plura. Hæreditatem adiit.] Cùm in foro Caium Antonium prætorem fortè obuium habuisset, professus est, se Cæsaris adoptionem suscepisse, & hæreditatẽ. Mos enim fuit apud Romanos authore Appiano lib. III. bellorum ciuilium, adoptioos testimonium exhibere prætoribus vrbanis.

Vitrico Philippo.] Matris vir ex alio viro natis vitricus appellatur, vt scribit Modestinus Iurisconsultus: Vitricus & priuignus inter se oppoountur. Accia mater Augusti denupserat Martio Philippo post obitum Octauii. Tradunt historici, Philippum vitricũ & matrem Acciã scripsisse ad Augustum Apolloniæ morantem, ne se quippiam extolleret, & conditiones priuati magis eligendas esse, vtpote tutiores.

Velut summa.] Facto veluti summario breuiarióque Augusti Cæsaris vitæ: deinceps particularim, ac veluti membratim se omnia dicit exequoturum.

Neque per tempora.] Testatur Tranquillus, se in describenda Augusti vita noo esse secuturum ordinem temporum, sed speciatim potius & membratim singula explicaturum: vt res ita fiat distinctior atque dilucidior. Per species.] Martianus in Dialectica, & Boethius in primo Commentario Topicorum subtilissimè disserunt, quæ differentia sit inter partes & species, quas Cicero formas vocat. Est enim species, quæ nomen integrum definitionémque capit totius: veluti homo, atque equus animalis: partes verò neque nomen, neque definitiooẽ totius accipere possunt: vt caput, & pedes, & manus hominis. noo enim caput dici potest homo. In diuisione per species currimus: in partitione per partes. Hîc Tranquillus ait per species de Augusto se scripturum: hoc est, qualis fuerit domi, qualis foris, qualis in iuuenta, qualis in senecta. Species enim hominis sunt, puer, iuuenis, senex: quæ omnia nomen hominis definitionémque recipiũt. Sed tamen historica eloquutio non est reducenda ad Dialecticæ spineta. Mutinense.] Aceruatim io præsentia colligit, quæ mox sigillatim explicat. Mutinense autem ciuile bellum ad Muonam gestum est ab Augusto, Hircio & Pansa aduersus Marcum Antonium: qui, vt scribit Cicero in Philippicis, Mutinæ circunsedit oppugnauítqoe Decimũ Brotum consulem designatum contra Senatus authoritatem.

Philippense.] Quod in campis Philippicis gestum est ab Augusto & Antonio contra Brutum & Cassium. Philippi autem, vnde Philippense bellum dicitur, ciuitas est Thraciæ, siue, vt inquit Stephanus, Macedoniæ: quam Philippus Macedonum rex à nomine suo Philippos nuncupauit. In campis Philippicis primò Cæsar & Pompeius, postea Augustus & Brutus cum Cassio dimicauerunt. Inde à Vergilio dictum est:

Romanas acies iterum videre Philippi.

Et matrona fureus apud Lucanum inquit:

- Vidi iam Phœbe Philippos.

Fuit & Philippopolis ciuitas in Macedonia à Philippo Amyntæ filio condita. Perusioum.] Quod Perusiæ gestum est aduersus Lucium Antonium Marci Antonii fratrẽ: & tunc Perusia peouria annonæ conflictata venit in deditionem. Inde ait Lucanus: Et Perusina fames. -

Siculum.] Aduersus Sextũ Pompeium magni Pompeii filium: quod bellum nauale fuit.

Actiacum.] Contra Marcum Aotonium & Cleopatrã apud Actium Epiri promontorium.

Primum.] Mutinense. Nouissimum.] Actiacum. Secundum.] Philippense.

Tertium.] Perusinum. Quartum.] Siculum.

M. AN. HAereditatem adiit.] Professus est se hæredem: siquidem mos fuit, quod Appianus docet, eum, qui hæreditatem adire vellet, apud vrbis prætorẽ profiteri se hæreditatem, seu adoptionem suscipere, quod Octauius ipse apud C. Antonium prætorem vrbanum fecisse dicitur. Vitrico Martio Philippo.] Cui mater Accia post Octauii patris obitum nupserat. Vitricus, & nouerca priuigni sunt correlatioa. Ouidius:

Vitricus & gladiis, & acuta dimicet hasta.

Quum Cupidinem poëta alloquatur, cuius mater Venus Marte mariti loco abuteretur.

Consolari.] Qui consul quandoque fuerat.

M. Antouio & Lepido.] Cum quibus triumuiratum iniit. Solus Rempublicam tenuit.] Mira breuitate amplissimam perstrinxit rerum seriem: sed lectoris præparatio verius, quàm narratio dicenda. Siquidem id fecit, ne temporum ratio illi minus liqueret: quum per rerum species, non tempora, esset narratio processura.

Partes.] Vitæ. Per tempora.] Temporum ordinem. Per species.] Vt alio bellica gesta loco, alio politica, alio œconomica dicerentur. Hæc sparsim, per tempora scilicet, sed vt soo quæq; loco referãtur. Bella ciuilia.] Aduersus ciues gesta. Mutinense.] Enumeratione vsus contioo expositionẽ sobiecit, per quam quæ numero complexus esset, cognoscerentur. Mutinense.] Ad Mutinam aduersus M. Antoniũ, qui Decimum Brutum obsidione premebat: authores sunt Plutarchus, & Appianus. Aduersus Brutum & Cassium.] Quod bellũ idcirco Philippense appellauit, quòd circa Philippos Macedoniæ sit gestum. Philippos super Thraces cõdidit Philippus, vrbémq; à suo nomine nuncupauit: Appianus author est. Olim à propinquis fontibus Crene dicebatur. L. Antonium.] M. Aotonii triumuiri fratrem, quem Perusiæ obsessum fame domuit. Lucanus: Hic Cæsar Perusina fames. -

Totius belli rationem Appianus abundè explicat.

Necem

Sextum Pompeium Cn. Pompeii filium. Omnium bellorum initium & causam hinc sumpsit, nihil conuenientius ducens, quàm necem auunculi vindicare, tueríque acta.

De bello Mutinensi, & alijs gestis eius. X.

Confestim vt Apollonia rediit, Brutum Cassiúmque etiam nec opinantes, & quia præuisum periculum subterfugerant, legibus aggredi, reósque cædis absentes deferre statuit. Ludos autem victoriæ Cæsaris non audentibus facere, quibus obtigerat id munus, ipse edidit. Et quò constantius cætera quoque exequeretur, in locum Trib. plebis fortè demortui candidatum petitorem se ostendit, quanquam patritius, necdum Senator. Sed aduersante conatibus suis Marco Antonio consule, quem vel præcipuum adiutorem sperauerat, ac ne publicum quidem, & translatitium vlla in re sibi sine pactione grauissimæ mercedis impertiente, ad optimates

PHIL. Necem auunculi.] Mortem Cæsaris Dictatoris. Vindicare.] Vlcisci. Acta.] scilicet Cæsaris. &, sicut docet Cicero, acta Cæsaris, quæ in vrbe & toga egit, propriè intelligimus leges, in quibus acta consistunt.

Præuisum periculū.] Brutus & Cassius cùm ad domos interfectorum Cæsaris incendendas populus cōcurrisset, periculum effugerūt: paulòpost ex vrbe discessere, primumque apud Antium cōmorati sunt, mox in regiones transmarinas traiecerunt. Legibus aggredi.] Lege Pedia damnati fuerunt conscii authoresque Cæsarianæ necis. Absentes.] Sicut indēnati indicta causa violari nō debent: sic etiā absentes non videtur esse rei faciendi, cùm causam dicere non possint. Tamē Augustus Brutum Cassiúmq; , vtpote principes coniurationis, vel absentes reos fecit, accusauitq; de parricidio.

Deferre.] Accusare. Inde delatores, accusatores dicti. In locum tribuni plebis.] Defuncto quodam ex tribunis, existimauit populos Augustum affectare tribunitiam potestatem, sed ob adolescentiam minimè petere: itaq; instituit illum declarare tribunum: verùm Senatus incremento eius inuidens timuit, ne si tribunus crearetur, percussores patris in iudicium ad patres vocaret. Tradit Plutarchus in Antonio: cùm Aogustus tribunatum peteret, & sellam patris auream posuisset, minatum esse Antonium, se illum in carcerem ducturum, nisi desineret plebem solicitare. Qoanquam patritius.] Suprà docuimus qoinā forent patritii, & quæ dignitas patritiatus, & quemadmodum non omnis patritius illico erat senator, nec senator omnis patritius. Illud adde qood scribit Cincius, patritios eos appellari solitos, qui nunc ingenui vocentur. Augustus petitorem se exhibuit tribunatus, quamuis esset patritius: cùm tribunatus sit magistratus plebeiorum, nec à patritiis geri possit. Nanque, vt scribit Liuius in 2 1. in conditiones tribunorum plebis additum fuit, ne cui patrum eum magistratū capere liceret. Legimus tamen aliquando patritios fuisse cooptatos tribunos plebis ab ipsismet tribunis. Vel præcipoom adiotorem.] Propter beneficia Cæsaris Dictatoris collata in ipsum Marcum Antoniū: & quia se semper acerrimū propugnatorem Cæsaris præstiterat Antonius. Ideóque scribunt Historici, Augustum ad Antonium, vtpote amicum paternum, consulémque, domum accessisse, & multa inter se esse collocutos: sed Antonium, qui pecunias Cæsaris defuncti penes se haberet, Augusto repetenti restituere noluisse. Ne publicum.] Quia qui consul est, exuere debet priuatam personam, & induere publicam: sed nec quidem talem Antonius coosul se impartiebatur Aogusto.

Et translatitium.] Asconius Pedianus enarrans quid sit edictum translatitium, in Verrinis Ciceronis refert translatitia dicta esse, non noua, nec ouper inoenta, sed aliunde translata. Aulus Gellius verba appellat non translatitia, quæ transferri vertique ex Græca lingua in Latinam cum iucunditate non possunt. Sensus est Tranquilli, Antonium nec quidem se translatitiū impartisse Cæsari Augusto: cùm neq; suo, neque aliunde translato auxilio Augustū tutari vellet. Quidam translatitium accipiunt pro indifferentem & promiscuum: & in hoc significatu tralatitium scribere malunt, quàm translatitium. Ad optimates.] In primis ad Ciceronis authoritatem tutelámque se contulit Augustus. Qni sint optimates, declarauimus in Iulio Cæsare. Laudat Cicero Augustū in Philippicis, veluti diuinitus è cœlo missum, qui furori Marci Antonii opponeretur: aitque eum esse complexum causam eam, qoæ esset Senatui, quæ populo, quæ cūctæ Italiæ, quæ diis omnibus gratissima.

Sextum Pompeium.] Hunc circa Siciliam nauali prælio vicit. Lucanus: Leucas & ardenti seruilia bella sub Aetna. Plutarchus in Antonio, & Appianus lib. 1 1 1. ciuilium sunt eiusdem belli authores. M. AN.

Deferre.] Accusare. Cicero: Certum est nomen deferre hominis. Quintilianus, Diuitem detuli reum.

Ludos victoriæ.] Pharsalicæ. Plinius: Veneri Genitrici sacros fuisse ait. Appianus, templum Victoriæ Cæsarem in Pharsalia vouisse tradidit. Varro Venerem, & Victoriam eandem esse sentire videtur.

Qnanquàm patritius.] Patritii generis. Erat enim, vt diximus, patritia dignitas ad honores consequendos maximè accommodata.

Necdum senator.] id est, nondom in curiam allectus. Ex his quoque apertè datur intelligi, patritium haud continuò senatorem fuisse: nec, vt suprà ostendimus, senatorem patritium: sed nos bis hæc attigimus, quoniam sciebam nonnullis aliter persuasum: est alioqui res ipsa (qnis non videt?) omnino notior, quàm longiore sit sermone explicanda.

Publicum.] Vt consulem.

Translatitiō.] Aliunde, quàm ex publico acceptū, translatum, sumptum. Plinius: Translatitium in Aegypto est. Pedianus: Translatitia veteres dixere non noua, neqne nuper inuenta, sed alionde translata. Vt sit sensus, quum Antonius neque publice vt consul, neque per amicos, aut clientes, vt priuatus, auxilii quicquam Augusto sine mercede impertiret, contulit ille se ad optimates. Dicuntur adhæc translata, quæ non solent apud eos remanere, à quibus transferuntur, præter mores. Cicero: Quod ab Ennio positum in vna re, in multas transferri potest. Eritque idem sensus: vt neq. Antonio

tonio ex publicæ personæ, quam gerebat, authoritate fauere vellet: neque ipsius priuata, aut amicorum, clientumve ope. Cæterùm ad pecuniam, quæ C. Cæsaris fuerat, in alios ab Antonio, vt Appianus ait, translatam, nõ est cur referas. Ad optimates.] Quippe quos sciebat Antonio infensos, quanquã ne sibi quidem ob Cæsaris nomen amicos.

se contulit, quibus eum inuisum sentiebat, maximè quòd D. Brutum obsessum Mutinæ prouincia à Cæsare data, & per Senatum confirmata, expellere armis niteretur. Hortantibus itaque nonnullis, percussores ei subornauit. Hac fraude deprehensa, periculum inuicem metuens, veteranos simul in suum ac Reipub. auxilium, quanta potuit largitione, contraxit. Iussúsque comparato exercitui proprætore præesse, & cum Hircio ac Pansa, qui consulatum susceperant, D. Bruto opem ferre, demandatum bellum tertio mense confecit duobus præliis. Priore Antonius eum fugisse scribit, ac sine paludamento equóque post biduum demum apparuisse. Sequenti satis constat non modò ducis, sed etiam militis functum munere, atque in media dimicatione, aquilifero legionis suæ grauiter saucio, aquilam humeris subiisse, diúque portasse.

De eodem, & morte consulum. XI.


Hoc bello cùm Hircius in acie, Pansáque pòst ex vulnere perissent, rumor increbuit, ambos opera eius occisos, vt An-

PHIL. PRouincia.] Citeriore Gallia, quã Decimus Brutus obtinebat, datã sibi primò à Cęsare, mox confirmatam decreto Senatus. Antonius verò à populo hanc prouinciã per plebiscitum sibi dari impetrauit: & cùm illic circunsederet Mutinam, & oppugnaret Brutum, authore Cicerone, hostis patriæ iudicatus est. Percussores subornauit.] Antonius per communes amicos in gratiam rediit cũ Augusto, congresso ad inuicem in Capitolio habito: nec multò pòst nunciatum est illi, Augustũ insidias tẽdere: qua de re cùm Augustus se purgaret, nec tamẽ persuaderet, rursus inter eos exitiales inimicitiæ exortæ sunt. Hinc discursiones per Italiam ab vtroque factæ: veterani præmiis vtrinque allecti, legionésque solicitatæ: author Plutarchus in Antonio. Veteranos.] M. Tullius in quinta Antonianarum: Cæsar autem annis multis iunior veteranos cupientes iam requiescere armauit. Comparato exercitu.] Scribit Cicero in Antonianis legionem Martiam & quartam, deserto Antonio, secutas esse authoritatem Augusti Cæsaris, & summo consensu milites veteranos eundem secutos Reipub. præsidio fuisse.

Proprætore.] Loco prætoris. Cicero in v. Philippica sic inquit: Demus imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest: proprætorem faciamus: qui honos, quanquam est magnus illi ætati, tamen ad necessitatem rerum gerendarum, non solùm ad dignitatem, valet. Idem paulò pòst ita censet decernendum quòd C. Cæsar proprætor summo Reip. tẽpore milites veteranos ad libertatem pop. Romani cohortatus sit: & quòd difficillimo Reip. tempore saluti dignitatíque populi Romani subuenerit, ob eas causas Senatui placere, C. Cæsarẽ pontificem proprætorem, senatorem esse, sententiámque loco prætoris dicere. Refert Marianus in lib. de grãmatica, quosdam proconsule, & proprætore, e litera finire in nominatiuo, intuentes naturam præpositionis pro: quippe hæc particula pro, ablatiuo tantùm præfertur: sed non respiciũt cùm proconsul & proprætor dicitur, nõ duabus vocibus, sed cõposito nomine dici, vt procurator.

Bruto opem ferre.] Quem Mutinæ obsidebat Antonius. Bellũ confecit duobus præliis.] Bellum & prælium hoc differunt, quia bellũ significat totum tempus obsidionis, in quo sunt omnia: præliũ verò dicitur ipse conflictus. Vnde à Vergilio dictum est, Media inter prælia belli. & Liuius refert, populum Romanũ nullo bello, multis verò præliis victum esse. Ac sine paludamento.] Paludamẽta sunt insignia & ornamenta militaria: ideò cum ad bellũ exit Imperator, mutata veste paludatus dicitur proficisci: quæ quia palàm conspiciuntur, paludamenta dicta.

Sequenti.] Secundo prælio. Nõ modò ducis, sed militis.] Sallustius de Catilina: Strenui militis, & boni Imperatoris officia simul exequebatur. Militis autẽ munus, vt viriliter pugnet: Imperatoris, vt cuncta solerter præparet, præuideátq; ad victoriam conducentia. Ammianus Marcellinus in xxv. Fortitudo certaminum, & feruor corporis munus à milite: ab Imperatore verò animi poscitur. Aquilifero.] Ferenti aquilam: quæ est principale signum Romanorum: sicuti in Iulio Cæsare affatim docuimus. Pansa ex vulnere.] Hircius inter Antonianos viriliter pugnãs confossus est: Pansa verò sagitta percussus in ilibus Bononiam delatus est: qui antequã moreretur, Augustum monuit, vt sibi reconciliaret Antonium: quod vnicũ, inquit, felicitati tuæ, ô Cæsar maxime, cõducibile esse arbitramur. Cadauer Hircii & Pansæ Romam deferri iussit Augustus, in quorum funere libitinarii rerum suarum vsum ministeriumq; gratuitũ pręstiterũt, quia pro Rep. dimicãtes occiderant. Rumor increbuit.] Sermo sine vllo certo authore dispersus rumor est. [illegible], id est diminutiuè dicitur rumusculus. Loci sunt communes apud rhetoras pro rumoribus & contra rumores.

M. AN. PRouincia.] Gallia cisalpina. Percussores ei.] Antonio. Etenim tentata per amicos reconciliatione, Antonius, vt Appianus tradit, quosdã ex corporis custodibus ad amicos traxit, qui ad insidias instructi ab Augusto dicebantur. Veteranos.] Qui sub Cæsare Dictatore militarant. Comparato exercitu.] Duas ab initio Augustus collegerat legiones, sed eas semiplenas, nec armis legitimè instructas. Mox tyronũ tertiã adiecit, nouissimè duæ ab Antonio ad illum legiones transiere.

Proprætore.] Prætoris loco. Bruto opem ferre.] Qui ab Antonio, Mutinæ obsidebatur. Aquilifero.] Signifero, aquilam ferenti. C. Marius, vt Plinius tradit, primus instituit vt aquilæ tantùm in Romanis signis essent, quũ anteà lupi, & minotauri, equi, & apri fuissent. Hircius.] Consul. Acie.] Pugna, dum circa hostium castra fortiter dimicaret. Pansa.] Hircii collega sagitta saucius Bononiæ periit.

tonio fugato, Republica consulibus orbata solos victores exercitus occuparet. Pansæ quidem adeò suspecta mors fuit: vt Glyco medicus custoditus sit, quasi venenum vulneri indidisset. Adiicit his Aquilius Niger, alterum ex consulibus Hircium in pugnæ tumultu ab ipso interemptum.

De secta optimatium per eum deserta. XII.



Sed vt cognouit, Antonium post fugam à M. Lepido receptum, cæterósque duces & exercitus consentire pro patribus, causam optimatium sine cunctatione deseruit, ad prætextũ mutatæ voluntatis dicta factáq; quorundam calumniatus, quasi alii se puerum, alii ornandũ tollendúmque iactassent, ne aut sibi, aut veteranis par gratia referretur. Et quò magis pœnitentiam prioris sectæ approbaret, Nursinos grandi pecunia, & quã pendere nequirent, mulctatos extorres

PHIL. Consulibus.] Hircio & Pansa. Orbata.] Priuata. Glyco medicus.] Huius meminit M. Brutus in epistolis ad Ciceronem, cuius verba hæc sunt ad hanc rem pertinentia: Tibi Glycona medicum Pansæ, qui sororem Achilleos nostri in matrimonio habet, diligentissime cõmendo. Audiuimus enim venisse in suspicionem Torquato de morte Pansæ, custodirique; vt parricidam: nihil minus credendũ est: quis enim maiorem calamitatẽ morte Pansæ accepit? Præterea est modestus homo, & frugi: quem ne vtilitas quidem videatur impulsura ad facinus fuisse. Rogo, & quidẽ valde rogo, eripias eũ à custodia, conseruesque. Ab ipso.] scilicet Augusto.

A Marco Lepido.] Antonius apud Mutinam profligatus transcẽdit alpes, & M. Lepido se coniunxit: cùm lugubri veste, barba promissa, crinibus impexis, habitu maximè miserabili militares animos flexisset ad misericordiam, maximo exercitu parato, Plancus quoque Munatius Antonio se coniunxit cum exercitu, cuius & ipse in Gallia ductor extabat. Pro patribus.] Pro causa Senatus. Quod si legas, pro partibus, sicut legendum censeo, erit lectio nitidior, vt sensus referatur ad partes Antonii & Lepidi, quas Plancus & alii cum exercitu secuti sunt. Sic enim partes dicuntur in bellis ciuilibus. Lucanus:

Partésque in bella rogatæ. M. Tullius in Philippicis ostendit partes dici cum vituperatione potius, quàm cum laude. Causam optimatium.] Augustus desciuit à Cicerone, causámque Senatorum, quæ ad libertatem asserendam spectabat, deserens Antonio reconciliatus est. Ad prætextum.] Ad conuelandam aliqua honestate mutationem voluntatis.

Alii se puerum.] Vt M. Brutus, qui in epistolis puerum appellat Augustum, & vix virũ, his verbis: Et nunc puerũ istum extulit, vt tu iudicares precibus esse impetrandam salutem talibus viris: misericordiáque vnius, & vix nunc viri, tutos fore nos haud vlla alia re.

Alii ornandum.] Vt M. Tullius, qui in Philippicis decernit Cæsarem ornandum amplissimis honoribus, & formulam decreti conficit: atque se habere cognitos omnes sensus adolescentis: nihilque illi esse Repub. charius, nihil Senatus authoritate grauius, nihil vera gloria dulcius. Sed cùm mox Augustus mutata voluntate coniunxisset se cum M. Antonio, exclamat Cicero: O me nunquam sapientem, & aliquando id, quod non erat, frustra existimatum: quantum te pop. Roma. de me fefellit opinio. Ego Rempublicam fefelli, cùm te Iunonium puerum, & matris tuæ partum aureum esse dixi. Tollendúmque iactassent.] Hic locus enarratur à D. Bruto in epistola ad M. Tullium, cuius verba subieci: Nouissimè Labeo Segulius narrauit mihi, apud Cæsarem se fuisse, multúmque sermonem de te habitum esse, ipsum Cæsarẽ nihil planè de te questum, nisi dictum quòd diceret te dixisse, Laudandum adolescentem, ornandum, tollendum: se non esse commissurum, vt tolli possit. Ex his Bruti verbis liquidò apparet in quem sensum accipiatur illud tollendum. Est enim amphibolon: nam cùm Cicero significare vellet extollendum, sublimandũ: Augustus intellexit e medio remouendũ, atque perdendum. Tollere enim verbum est amphibolon: nam sublimare significat, & auferre de medio: & in hoc secundo significatu accipitur, cùm tamen in primo dici videatur. Par gratia.] Præmia congruentia. Prioris sectæ.] Quando optimates optimatiúmque sectam secutus est. Extorres.] Extra terram patriam eiectos. Vergilius: Finibus extorris complexu auulsus Iuli. Dicti autem sunt extorres, vt etymologici interpretantur, quasi extra terram: sicut exules, extra solum. Gellius: Exul extorrisque esto.

Pendere.] Soluere. Tractum est à pecunia, quæ antiquitus pendebatur. Libralis enim & dupondius appendebatur assis: vnde æris grauis pœna dicta. Hinc illud: - Tum pendere pœnas.

Orbara.] Priuata. Exercitus.] Quos consules circa Mutinam habuerant. Custoditus.] Sub custodia habitus: quasi dicat, pro suspecto in publico retentus. Ab ipso interemptum.] Ob id, credò, multis persuasum, quia cadenti consuli primus omniũ, vt Appianus ait, Augustus affuit. M. AN.

A Lepido receptum.] Idem Appianus author est, prodidisse quosdam Lepidum subito Antonii accessu consternatum, ad eius genua procubuisse: sed plures, in quibus est Plutarchus, affirmãt benignè Antonium à Lepido acceptum, vbi militum animos in eum inclinatos vidit: atque ita castris inter se collatis, Munatio Planco subueniente, qui & ipse validum ductabat exercitum, breui contigisse vt tres & viginti legiones, & cum his decem, & amplius equitum millia in Antonii potestatem venerint.

Cæterósque exercitus.] Qui sub Bruto, Cassio, & Dolabella erant.

Causam.] Voluntatem, consilium, authoritatem, vel dignitatem potius, & salutem ipsam.

Ad prætextum.] Vt mutatæ voluntati causam aliquam prætenderet. Quorundam.] Senatorum.

Calumniatus.] Calumnia insectatus. Ornandum.] Nouis honoribus subleuandum. Tollendum.] Fraude aliqua perdendũ, aut certè honoribus ademptis in ordinem redigendum. Veteranis.] Quorum opera fuerat ab initio vsus. Par gratia.] dignum præmium. Pœnitentiá.] Animi mutationem.

Sectæ.] Prioris sententiæ, studii, voluntatis. Nursinos.] Qui altissimos Vmbriæ montes incolunt.

Extorres.] In exilium egit.

Oppi

egit oppido: quod Mutinenſi acie interemptorum ciuium tumulo publicè extructo adſcripſerant, pro libertate eos occubuiſſe.

De bello Philippenſi, & imperio eius, Antonio dimiſſo. XIII.

INita cum Antonio & Lepido ſocietate Philippenſe quoque bellum, quanquam inualidus atq; æger, duplici prælio tranſegit: quorum priore caſtris exutus, vix ad Antonii cornu fuga euaſerat. Nec ſucceſſum victoriæ moderatus eſt, ſed capite Bruti Romam miſſo, vt ſtatuæ Cæſaris ſummitteretur, in ſplendidiſſimum quenque captiuum non ſine verborum contumelia ſæuit. Vt quidem vni ſuppliciter ſepulturam precanti reſpondiſſe dicatur, iam iſtam in volucrum poteſtatem fore. Alios patrem & filium pro vita roganteis, ſortiri, vel dimicare iuſſiſſe, vt alterutri cõcederetur: ac ſpectaſſe vtrunq; morientem, cũ patre, qui ſe obtulerat, occiſo, filius quoque

PHIL. OPpido.] Nurſia: quæ ciuitas à Vergilio frigida nuncupatur: & Gracchi io concionibus ſuis Nurſinos appellare ſolebant ſceleratos. A Plinio in quarta regione Italiæ collocatur. Apud priſcos palma fuit & principatus bonitatis rapis io Nurſino agro naſceotibus. hinc ait Epigrãmatarius: Nurſinas poteris parcius eſſe pilas.

Ciuium.] ſcilicet Nurſinorum.

Publicè extructo.] Nurſini publica impenſa extruxerunt ſepulcrũ ciuibus ſuis, qui in prælio Mutinenſi perierant: & pro epitaphio hanc ſententiam adſcripſerant, quòd pro libertate tutanda occubuiſſent.

Inita ſocietate.] Antonius, Lepidus & Auguſtus conuenerunt in inſulam, quam facit Lauinus fluuius Boonienſis: quam nos ob id ipſum cùm parum deuia ſit, olim ſtudioſe inſpeximus. Ibi noo ſolùm ſcelerata colloquia inter ſe habita ſunt per triduum, verùm & facta ſceleratiora extiterunt. Hîc proſcriptio illa nefaria: hîc commutatio cædium infanda confecta eſt: hîc in primis Cicero proſcriptus: quem Auguſtus ob reuereotiam patrem appellare ſolebat. Exiſtimant Hiſtorici, nihil vnquam crudelius aot tetrius fuiſſe factitatum iſta proſcriptione triumuirali, in qua homicidia homicidiis permutata ſunt.

Philippenſe.] Quod aduerſus Brutum & Caſſium geſtum eſt. Caſtris exutus.] Auguſtus ab Artorio medico admonitus propter ſomnium noctis antecedentis, oon cooinuit ſe caſtris, quanuis implicitus graui morbo abſtinere prælio ſtatuiſſet: ſed in aciem in lectica perlatus eſt. Accidit itaque vt eo die caſtra eius à Bruto caperentur: creditúmque eſt, Auguſtum occiſum fuiſſe, propterea quòd lecticã ipſius, licet vacuam, Brutiani milites pilis gladiiſque perforarunt, & laceratam abſtraxerunt: authores Plutarchus & Lactantius.

Ad Antonii cornu.] Accidit in eo prælio vt Auguſtus ſuperaretur à M. Bruto cum ſuo cornu, quod erat ſiniſtrũ, & econtrario M. Antonius ſuperaret in dextro Q. Caſſium: quæ res io perniciem duxit aduerſarios. Nam Caſſius victus Brutum quoque victum eſſe credens iugulandum ſe præbuit Pindaro liberto. Altero prælio victus M. Brutus Stratonem rhetoricæ diſciplinæ peritum apud ſe conſtituit, ac enſem nudum ambabus manibus ſuper capulo erigens cuſpidi incubuit, vitámque finiuit. Alii dicunt, Stratonem Bruti precibus victum ſubieciſſe illi enſem oculis alıorſum flexis, Brutum impeto toto pectore ſe immiſiſſe. More Romano acies diducta in duo cornua extendebatur: &, vt aothor eſt Vegetius in II. equites locabãtur in cornibus. &, vt ſcribit Helianus in Tacticis, fit phalangis circumuentio, cùm cornu vtrunque explicatum complectitur aduerſarios: & qui ſuo cornu ſuperat aduerſarium, noo propterea idem victor eſt in altero quoque cornu. poteſt enim fieri vt altero corou vincamus, altero vincamur. Nec ſucceſſum.] Felicitatem proſperitatémq;.

Victoriæ.] Suapte natura victoria eſt inſolentiſſima, adeò vt difficillimum ſit victori ſeruare temperamentum: ſed io bellis ciuilibus inſolentior: quæ, vt ait M. Tullius, etiam ſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores impotentioréſque reddit, vt etiam ſi natura tales oon eſſent, neceſſitate eſſe cogantur. Auguſtus ſicut in matura ætate fuit mitis princeps, ita io iuuenta truculentus; vt inquit Seneca.

In volucrum poteſtatẽ.] Sepultura dicitur eſſe in poteſtatem auium, quando aues facultatem habent cadauer relictum diſcerpendi & recondendi intra ventrem, tanquam intra ſepulcrum: talis fuit ſepultura Curionis: de quo ſic ſcribit Lucanus:

En nobile corpus
Paſcit aues oullo contectus Curio buſto.

Apud Vergilium: Alitibus liquere feris.

Apud Iberos vultures erant pro ſepulcro: ſicut apud Hyrcanos canes ob id dicti ſepulcrales. Silius in XIII. Punicorum:

Tellure (vt perhibent) is mos antiquus Ibera,
Exanima obſcœnus conſumit corpora vultur.

Sortiri.] Vt ſors decerneret an patri, an filio vita eſſet indulgenda.

M. AN. INteremptorum.] Nurſinorum, qui bello Mutinenſi perierant.

Pro libertate.] Quum publicam libertatem tuerentur. Societate.] Fœdere, quod in Lauini fluuii inſula haud longè à Mutina eſt ictum: vbi triduo commorati ad trecentos Senatores, & doo millia equeſtris ordinis proſcripſere.

Inualidus.] Plinius: Fuga, & triduo in palude latebræ ægroti. Valerius ait in aciem deſcendiſſe medici inſomnio monitum. Appianus ob idipſum non adfuiſſe ſcribit, vt Auguſtus ipſe io ſuis Commentariis ſcripſit. Duplici prælio.] Priore Auguſtus à Bruto caſtris exutus eſt, Caſſius altero cornu ab Antonio ſuperatus ſibi mortem cooſciuit: altero prælio Brutus & ipſe caſtris ſpoliatus ferro incubuit: Liuius, Appianus & Plutarchus in Bruto authores.

In volucrum poteſtatem.] Quæ te diſcerptum ſuis condere poterunt corporibus.

Pro vita rogantes ſortiri.] vt alteri ſorte parceretur. Vel dimicare.] Quaſi dicat, non id modò non conceſſit, ſed coëgit etiam inter ſe dimicare. Egnatios patrem, & filium telis concurriſſe, mutuiſque ſe confeciſſe vulneribus Appianus prodidit: ſed vltro id eos, non cuioſquam imperio feciſſe.

Voluo

voluntaria occubuisset nece. Quare cæteri, & in his M. Fauonius ille Catonis æmulus, quum catenati producerentur, Imperatore Antonio honorificè salutato, hûc fœdissimo conuicio coràm prosciderunt. Partitis post victoriam officiis, quum Antonius Orientem ordinandum, ipse veteranos in Italiam reducendos, & municipalibus agris collocandos recepisset: neque veteranorum, neque possessorum gratiam tenuit: alteris pelli se, alteris, non pro spe meritorum tractari querentibus.

De bello Perusino. XIIII.



Vo tempore L. Antonium fiducia consulatus, quem gerebat, ac fraternæ potentiæ, res nouas molientem confugere Perusiam coegit, & ad deditionem fame compulit, non tamen sine magnis suis & ante bellũ, & in bello discriminibus. Nam quum spectaculo ludorum,

PHIL. Voluntaria nece.] Vitrooeus [illegible]se obtulerat filius, cum patri occiso superstes [illegible]e noluisset.

Fauonius.] M. Fauoniu Marci Catonis imitator non doctrina magis, quàm insano fermè affectu philosophabatur. Hunccum olim Pompeius gloriabundus dixisset: Cùm Italiam pede pulsauero, scatebunt pedestres equestresque copiæ. dixit instáte iam Cæsare, Nunc terram pede pulsa: vt ita quas promiserat copias conuocaret. Idem olim ædilis muneribus obeundis præfecit Catooē. Idem Bruti Cassiique familiarissimus eos aliquando inter se dissidentes reconciliauit, qui post profligatum Brutum venit in Augusti potestatem. Aemulus.] Aemulario dupliciter dicitur, vt & in laude & in vitio sit. Nam & imitatio virtutis æmulatio dicitur: vnde æmulus, vt in hoc loco laudabile nomen est: & æmulario est ægritudo, si eo, quod quis concupierit, alius potiatur, ipse careat: author Cicero in IIII. Tusculana.

Hunc.] Augustum.

Prosciderunt.] Probrosis contumeliis incesserunt, infamauerunt, lacerauerunt. Itidem Plinius: Hic est Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus. Idem alibi aurum proscissum scribit conuiciis ab optimis quibusque.

Municipalibus agris.] Veteranis post emerita stipendia agri assignabantur. Inde apud Lucanum ait Cæsar: - Quæ rura dabuntur, Quæ noster veteranus aret? quæ mœnia fessis? Igitur Augustus confecto bello Philippensi Romam deportatus est grauissima implicitus valetudine, ita vt parũ victurus speraretur. & ob hanc valetudinem sibi assumpsit hoc onus, vtpote leuius, vt militibus agros domósque assignaret in Italia municipatim: hoc est in agris municipalibus. Antonius verò ad nationes transmarinas deflexit iter ad cogenda stipendia, quæ militibus solueret. Pollicitus enim erat singulis militibus quinque millia drachmarum: vnde illi opus erat pecunia grandi.

Veteranorum.] Author est Appianus, Augustum, cùm veteranos per colonias distribuere, agrósque illis assignare niteretur, magna solicitudine fuisse districtũ, cùm illi vrbes sibi pollicitas tanquam belli præmia reposcerent, & agrorum pretia efflagitarent. Vnde indignitas & insolentia militaris in Imperatorē exorta est, cùm passim raperent vexaréntque finitimos.

Neque priorum.] scilicet possessorum. In bonis codicibus legitur possessorum: & significantur illi, qui agros dominii iure possidebant.

Alteris pelli se.] Conquerebantur priores agrorũ possessores, quòd agris suis exturbarentur: tuncquoque Vergilius agro suo Mantuano spoliatus est, coactúsque cedere Ario centurioni: à quo paulùm abfuit quin interficeretur.

Alteris.] Veterani conquerebantur, quòd nō præmia sibi promissa exhiberentur, neque tractarentur ab Augusto prout ex meritis se trac[illegible]bere sperabant: [illegible]bus de rebus multa scribit Appianus libro quinto.

Lucium Antonium.] Lucius Antonius frater M. Antonii inflammante Fuluia M. Antonii coniuge ad bellum capessendũ aduersus Augustum, cùm possessores quoq; ex propriis agris expulsi ad ipsum concurrerēt opem offerētes, cúmque ipse id tēporis consul foret, fiducia tantarum rerũ rebellauit contra Augustũ, receptis in partes populis, quorũ agri veteranis assignati fuerāt: & cum à populo Imperator esset appellatus, Perusiam se contulit: quam Cæsar vallo, fossáq; præcinxit, murum erexit, turres ligneas mille & quingentas numero constituit. Vnde factũ est vt fames intrinsecus pugnaret atrociter, cogerétq; Luciũ Antoniũ ad deditionem faciendā. Perusinis quoq; se dedentibus Cæsar indulsit. Sed accidit casus miserandus: nam cùm Cestius cognomēto Macedonicus, domũ propriam incendens, se, suáque iniecisset igni, flamma ventis flantibus excitata totam vrbem corripuit: sicque momento temporis Perusia tota consumpta est, excepto Vulcani templo. Perusiam caput olim Hetruriæ fuisse, testis est Liuius in x. De hoc Perusino bello sic scribit Florus: Alterum bellum concitauit agrorum diuisio, quos Cæsar veteranis in castris precium militiæ persoluebat. Insuper L. Antonii pessimum ingenium Fuluia gladio cincta virilis militiæ vxor agitabat: hunc Cæsar compulit ad extrema deditionis turpi, & nihil non experta fame.

Caeteri.] Alii ad suppliciũ producti. Ille Catonis æmulus.] Erat Fauonius, vt Plutarch. scribit, Catonis non solùm æmulus, sed amicus etiā, qualis Apollodorus Phalereus dicitur Socratis fuisse. Prosciderũt.] Probris, & conuiciis lacerarunt. Municipalibus agris.] id est municipiorũ agrus. Appian. author est, decem & octo opulentissimarũ vrbium Italiæ agrũ ab Antonio, Augusto, & Lepido in triũuiratu ineundo militibus destinatum. Veteranorum.] Qui in agris locandi erant. M. AN.

Possessorũ.] Qui agrorũ possessione erāt pellendi.

L. Antonium.] M. Antonii triumuiri fratrem. Post Cæsaris interitũ ita accidit, vt vno tēpore M. Antonius cōsul esset, Caius alter frater prætor, Lucius, qui tertius erat, tribunus plebis: sed is Lucius sob id tēpus, quo ad Perusiam bellatũ est, consul erat. Res nouas.] Nouarum rerum motus: sed belli ipsius consilia, & euentus Appianus abundè explicat.

Fame compulit.] Lucanus: Is Cæsar Perusina fames.

Ante bellum.] Perusinum scilicet.

gregarium militem in quatuordecim ordinibus sedentem excitari per apparitorem iussisset, rumore ab obtrectatoribus dilato, quasi eundem mox discruciatum necasset, minimùm abfuit, quin periret concursu & indignatione turbæ militaris. Saluti fuit, quòd qui desiderabatur, repentè comparuit incolumis, ac sine iniuria. Circa Perusinum autem murum sacrificans penè interemptus est à manu gladiatorum, quæ oppido eruperat.

De pœna inflicta captiuis in bello Perusino. XV.

PErusia capta, in plurimos animaduertit: orare veniam, vel excusare se conantibus, vna voce occurrens, moriendum esse. Scribunt quidam, trecentos ex dedititiis electos vtriusque ordinis, ad aram diuo Iulio extructam, Idibus Martiis hostiarum more mactatos. Extiterunt qui traderent, consulto eum ad arma isse, vt occulti aduersarii, & quos metus magis, quàm voluntas, contineret, facultate L. Antonii ducis præbita, detegerentur: deuictísque his, & confiscatis,

PHIL. GRegarium in quatuordecim.] Olim in ludis theatralibus miles quidam gregarius, id est vilis & ignobilis processit sessum in ordines equestres, qui numero quatuordecim sunt: qua ex re, vt inquit Appianus, populus turbatus est: iubente Cæsare illum exurgere, milites irati excedentē theatro commilitonem reuocarunt, ita rati se concitare posse ad rixā eos quoque, qui id non inspexerant: nam veluti redeuntem ex carcere duci ad suppliciū prodiderunt: abnuentem deinde illum, &, vt res gesta erat, enarrantem arguebant: ac veluti communia commoda prodentem increpabant. Plinius inter infortunia Augusti numerat curam Perusinæ contentionis.

Excitari.] Remoueri de equestribus gradibus. Locutus est significanter & propriè. Nam excitare, verbū est accōmodatum his, qui de spectaculis, in quibus ex lege sedere prohibentur, exurgere iubentur. Quintilianus in tertio: Si accusabitur, theatrali lege depulsio erit rei. Si excitatus fuerit de spectaculis, & aget iniuriarum, depulsio erit accusatoris. Epigrammatista in hoc significatu dixit suscitat, illo versu: Et quereris si te suscitat Oceanus.

Per apparitorem.] Ministrum. Apparere enim, est præsto esse ad obsequium: vnde & apparitores constat esse nominatos: author Seruius. Quin etiam apparitura dicitur ipsum ministerium. Scribit Tranquillus in libro de grammaticis, Orbilium apparituram fecisse magistratibus: cùm significare vellet, eum fuisse apparitorem ministrúmque magistratuum.

Dilato.] Diuulgato. Quin periret.] scilicet Augustus. Comparuit.] Apparuit, visus est ille gregarius miles. A manu.] A multitudine. Oppido.] Perusia. Animaduertit.] Puniuit.

Moriendum esse.] Hæc erat illa vox, qua occurrebat veniam orantibus.

Ex dedititiis.] Dedititii dicuntur, qui se dedunt in victoris potestatem. Formula deditionis talis erat, qualem describit Liuius in deditione Collatiæ: Ita enim Rex interrogauit: Estísne vos legati oratoréśq; missi à populo Collatino, vt vos populúmque Collatinum dederetis? Sumus. Est'ne populus Collatinus in sua potestate? Est. Deditísne vos, populúmque Collatinum, vrbem, agros, aquam, terminos, delubra, vtensilia, diuina, humanáque omnia in meam populique Romani ditionem? Dedimus. Et ego recipio. Scribunt Iurisconsulti, libertinos quosdam dictos esse dedititios: quorum pessima erat conditio. Scribit Appianus, Augustum Senatores Perusinos custodiri iussisse, qui non multò pòst interfecti fuerunt, Lucio Aemylio excepto.

Idibus Martiis.] Tanquam ad parentalia celebranda, cum eo die Cæsar in Senatu interemptus fuisset.

Consulto.] De industria, & ex animi sententia.

Detegerentur.] Aperirētur, demonstrarentur. Confiscatis.] Fisco adiudicatis. fisci, fiscinæ, & fiscellæ, authore Asconio, sunt nummorum receptacula, ad maioris summæ pecunias capiendas, quàm marsupia. Vnde qoia maior summa est pecuniæ publicæ quàm priuatæ, dicitur fiscus pecunia publica. Vnde & confiscare, & res fiscales dici solent. Obseruauimus ex curiosa lectione, fiscum propriè dici principis: ærarium verò publicum, populique Romani. Quod euidenter ostendit illud Plinianum ex Panegyrico ad Traianum: At fortasse non eadem seueritate fiscum, qua ærarium cohibes: imò tantò maiore, quantò plus tibi licere de tuo, quàm de publico credis. Quin etiam Iurisconsulti titulo, Ne quid in loco publico fiat: hoc idem declarant his verbis: Res fiscales, quasi propriæ & priuatæ principis sunt. In hanc sententiam est illud Satyrici poëtæ:

Res fisci est vbicunque natat.

Significare enim voluit principis esse omnia in mari pretiosa. Titulus est apud Iureconsultos De iure fisci: à quibus alibi dictum est, debitores fisci, itémque Reipu. vectigalia conducere prohibentur. Scitu dignum est, & memoratu dictum illud Traiani Imperatoris: qui correptus ab vxore Plotina, quòd calumniis suorum procuratorū prouinciæ diuexarētur, detestari cœpit improbas exactiones, vsurpans verbū hoc memorabile, quod in præcordiis omniū principum penitissimis deberet esse reconditum: nam quadam egregia similitudine fiscum vocabat lienem: sicut enim crescente in corporibus nostris liene, artus reliqui tabescunt, ita turgente principis fisco, reliqua ciuitatis membra marcescunt & ægrotant. Vis vt corpus validum sit? Effice ne lien intumescat. Vis, ô princeps, vt membra tua, hoc est, ciues tui bene valeant? noli fiscum habere tumentem.

M. AN. PEr apparitorem.] Per ministrū, siue lictorem. Rumore.] Fama. Mox discruciatum.] Cruciatibus affectum. Concursu & indignatione.] Appianus tumultuarium omnino aliquid, sed ita, vt Tranquillus ait, à militibus sæuitum negat. In plurimos.] In Perusinum duntaxat Senatum post receptam vrbem sæuitum Appianus scribit, cui Liuii authoritas adstipulatur. Vna voce.] Sola denuntiatione. Vtriusque ordinis.] Senatorii

promissa veteranis præmia soluerentur.

De bello Siculo, & alijs gestis eius. XVI.

Bellum Siculum inchoauit in primis, sed diu traxit intermissum sæpius: modò reparandarum classium causa, quas tempestatibus duplici naufragio, & quidem per æstatem amiserat: modò pace facta, flagitante populo, ob interclusos commeatus, famémque ingrauescentem, donec nauibus ex integro fabricatis, ac viginti seruorum millibus manumissis, & ad remum datis, portum Iulium apud Baias immisso in Lucrinum & Auernum lacum mari, effecit. In quo quum hyeme tota copias exercuisset, Pompeium inter Mylas &

torii, & equestris. Idibus Martiis.] Quo die C. Cæsar fuerat in Senatu occisus.

Facultate.] Materia, occasione.

PHIL. Bellum Siculum.] Quod aduersus Sextum Pompeium Magni Pompeii filium gestum est: qui, vt inquit Lucanus:

Polluit æquoreos Siculus pirata triumphos.

Traxit.] In longum protulit.

Naufragio amiserat.] Sextus Pompeius adeò mari ac Neptuno confidebat, vt se Neptuni filium vocitari permitteret: ratus non sine Dei auxilio æstatis tempore bis Cæsarianos naufragio obrutos: ferunt ob hæc gloriabundum Imperatoria paludaměta ex purpureo colore demutasse in cæruleum colorem, ob Neptunum scilicet cærulei maris præsidem: author Appianus in v. Plinius quoque in VII. & Solinus in Polyhistore inter Augusti aduersa, naufragia Sicula recensent.

Commeatus.] Cùm sextus Pompeius Siciliam obtineret, quam Cato cellam penariā Reipublicæ, nutricem plebis Romanæ nominauit, cúmque penè mari dominaretur, interclusi erant commeatus, hoc est cibaria & annona rei frumentariæ: adeò vt populus Romanus fame laboraret, & ob id pacem fieri deposceret. Cuius rei ita meminit Paulus Orosius lib. VI. Sextus Pompeius postquam se in proscriptorum numerum relatum comperit, conuersus in latrocinia, omnem oram Italiæ cædibus rapinísque vastauit: Sicilia prærepta, commeatibúsque impeditis Romam fame affecit: móxque cum eo pacem triumuiri, id est Lepidus, Cæsar, Antoniúsque fecerunt. Ad remum datis.] Vt remigare, & remos tractare condiscerent. Mos fuit Romanorum, vt in penuria militū seruitia armarent: sicuti post cladem Cannensem seruorum delectus habitus est. Ita itidem nunc Augustus manumisit viginti millia seruorum, eósq; exercuit in nautica disciplina, vt pro classiariis vteretur. Plinius in VII. inter Augusti infortunia seruitiorum delectus iuuentutis penuria enumerat. Scribit Polybius lib. I. per hunc modum in primo Punico bello exerceri solitos nauticos homines ad remigiū: Subselliis, inquit, in arena per ordinem dispositis, remiges insidentes ad vocem præcipientis, qui in medio eorum erat, omnes vnà protendere brachia, ac reducere, remósq; per arenam mouere pariter edocebantur: ad illius vocem simul omnes incipiebant, simul desinebant: per hūc modum nauigandi artem in primis ediscebant. Portum Iulium.] Vergilius in II. Georgicorum in laudem Augusti Cæsaris sic celebrat hunc portum Iulium:

An memorem portus, Lucrinóque addita claustra?
Atque indignatum magnis stridoribus æquor,
Iulia quà ponto longè sonat vnda refuso,
Tyrrhenúsque fretis immittitur æstus Auernis?

Seruius sentire videtur, Iulium portum opus fuisse Iulii Cæsaris Dictatoris: sed malè. In Lucrinum & Auernum lacum.] In Campania iuxta portus Baiarum sunt duo lacus, Lucrinus scilicet & Auernus. Author Plinius in III. & Strabo in V. Geographiæ sic inquit: Contiguus Baiis Lucrinus adest sinus, intra quem Auernus est. De vtroque Martialis:

Dum modò Lucrino, modò se permittit Auerno.

Auernum dici quasi aornon, id est auibus inaccessum, testes sunt Maro & Lucretius. Augustus ductis hincinde duobus brachiis, immissóque mari Iuliū portum fecit. Mylas & Naulochum.] Oppida Siciliæ. Geographi Mylas celebrāt, scribúntque Seneca in IIII. quæstionum, & Plinius in II. circa Mylas & Messanam in Sicilia fimo similia in litus expui purgaměta: vnde fabula est exorta, illic stabulare Solis boues. Stephanus docet, Mylas fuisse in Sicilia, alteras quoque in Thessalia: vnde gentile nomē ducitur Myleus, cùm à Mylis Siciliæ dicatur μυλάται. De Naulocho meminit Silius in XIIII. Punicorum illo versu:

Non herbesos iners, non Naulocha pigra pericli
Sederunt. - Naulochi mentio nulla fit, quod equidem animaduerterim, neque à Ptolemæo, neque à Plinio, neque à Strabone. Historici tradunt, inter Mylas & Liparas Pompeiū ab Augusto fuisse profligatū.

M. AN. Bellum Siculum.] In Sextum Pompeii filiū. Tempestatibus.] Plinius naufragia Sicula: Appianus priorem ait classem amissam quū ab Rauenna Tarentum à Cornificio duceretur: rursus per noctem alterā circa Messanam, tempestate penè absumptam: sed aliis, atque aliis naufragiis ab hoste factis ita elatus est Pompeius, vt se Neptuni filium appellari sit passus: atque, vt idem author prodidit, cæruleum sumpserit paludamentum. Ob interclusos commeatus.] Plinius de eiusdem Augusti incommodis: Fames, inquit, sitísque Italiæ. Appianus: Instante populo ob ingentem famem, naues reparare pergit. Viginti seruorum millibus manumissis.] Libertate donatis. Plinius seruitiorum delectum inter Augusti infelicitates reponit: sed Appianus copiosius omnem delectus rationem explicat. Ad id quoque fortè referri posset & illud Lucani:

Leucas & ardenti seruilia bella sub Aetna.

Quanquam hostis quoque nauales turmas ex eo genere hominum magna ex parte expleuit.

Portum Iulium.] Lucanus de Baiano portu:

Tandem intrat positas inclusa per æquora moles.

Vergilius: - Lucrinóque addita claustra?
Atque indignatum magnis clamoribus æquor,
Iulia quà ponto longè sonat vnda refuso?

Immisso in Lucrinum & Auernum mari.] Strabo author est, Lucrinum portum Auerno sinui esse prætentum. Mylas.] Siciliæ oppidū litorale. Plinius: Circa Messanam, inquit, & Mylas. Ptolemæus & ipse non procul Messana in occidua Siciliæ ora Mylas posuit. Polybius circa Mylas ait Carthaginienses primo bello Punico à C. Duellio nauali prælio victos. Appianus;

Naulochum superauit, sub horam pugnæ tam arcto repente somno deuictus, vt ad dandum signũ ab amicis excitaretur: vnde præbitam Antonio materiam putem exprobrandi, ne rectis quidem oculis eum aspicere potuisse instructam aciem. Verùm* supremum cœlum intuentem stupidum cubuisse, nec prius surrexisse, ac militibus in conspectũ venisse, quàm à M. Agrippa fugatæ sint hostiũ naues. Alii dictum factúmque eius criminantur, quasi classibus tempestate perditis, exclamauerit, etiam inuito Neptuno victoriam se adepturum: ac die Circensium proximo solenni pompæ simulacrum dei detraxerit. Nec temere plura ac maiora pericula vllo alio bello adiit. Traiecto in Siciliam exercitu, quum partem reliquam copiarum continenti repeteret, oppressus ex improuiso à Demochare & Apollophane præfectis Pompeii, vno demũ nauigio ægerrimè effugit. Item quum præter Locros Rhegyũ pedibus iret, & prospectis biremibus Pompeianis terram legentibus, suas ratus, descendisset ad litus, penè exceptus est. Tunc etiam per deuios tramites refugientem, seruus Aemylii Pauli comitis eius, dolens proscriptum olim ab eo patrem Paulum, & quasi occasione vltionis oblata, interficere conatus est.

* aliâs supinum.

Mylæ, inquit, & Artemisium parua oppida, vbi dicuntur fuisse boues Solis, & Vlyssis somnium.

PHIL. Sub horam pugnæ.] Hæc particula sub, quando tempus significat, iungitur accusatiuo, & ponitur pro per: vt Vergilius ait,

Sub lucé exportant calathis.

Et alibi: -Sub noctem cura recursat. Pro per lucem, per noctem. Ita in hoc loco sub horam, pro per horam. Consimiliter apud Historicos crebro reperies, sub idem tempus.

Arcto somno.] Profundo. Talis enim arctat & complectitur artus dormientis.

Antonio.] M. Antonio Augusti inimico.

Ne rectis oculis.] Sed conniuentibus, & dormientibus.

Supremum cœlum.] Summum, altum. Dicitur supremus Iupiter, supremum cœlum, suprema mulcta: & pro maximis accipiuntur.

A M. Agrippa.] Scribit Liuius, classem, cui præerat Agrippa fuisse victricem aduersus Sextum Pompeiũ, cùm altera, quam Cæsar duxerat, deleta fuisset: &, vt author est Appianus, Agrippa fortiter incumbens nullo labore intermisso potissima fuit causa adipiscendæ victoriæ. De Agrippa mox non pauca.

Et inuito Neptuno.] Tanquam Neptunus faueret Sexto Pompeio périnde ac filio: sibi verò obesset périnde ac priuigno.

Circensium.] Ludórum: de quibus in Iulio Cæsare dictum est copiosissimé.

Simulacrum Dei.] Imaginem Neptuni tanquam inimici: nam in pompa Circensi simulacra deorum ferebantur: quæ qui portabant, baiuli simulacrorum sacrorum dicuntur. Iulius Firmicus in I I I. Mercurius cum Venere faciet simulacrorum sacrorum baiulos.

Continenti.] Ex Italia. Scribit Apuleius in Cosmographia, plerosque authores, orbem terrarum ita diuisisse, partem eius insulas, partem continentem vocari. Vulgus continentem terram firmam appellat. Prodidit Vlpianus, continentes prouincias accipi debere eas, quæ Italiæ coniunctæ sunt, vt puta Galliam.

Aegerrimé.] Cum maxima difficultate.

Præter.] Iuxta.

Locros.] Locri multiplices sunt: alii in Græcia cognominati Ozolæ à malo odore: alii Opontii Bœotiis finitimi, qui & Epicnidii dicti sunt: & in Italia Locri Epizephyrii cognominati à Zephyrio promontorio, cui imminent: de quibus Maro:

Illhic Neritii posuerunt mœnia locri.

Author est Plinius, à Locris incipere Italiæ frontem, quæ magna Græcia appellata est: de his nunc loquitur.

Rhegyum.] Oppidum in margine Italiæ collocatum, cui Græci nomen dedere à fractura, qua auulsa est Sicilia ab Italia. Ῥήγνυμι Græcè, rumpo dicitur Latine: inde rhagades & rhagadia, fissuræ sunt & rimæ inter sedis vitia annumeratæ: quorum crebra mentio est apud Plinium. Auicenna non solùm in ano, sed & in mentula nasci rhagadias prodidit. Rhegynos timidos fuisse & meticulosos, tradit Antiquitas, & testatur prouerbium Græcorum, quo dicitur, Ῥηγίνων δειλότεροι. id est, Rhegynis meticulosior.

Biremibus.] Biremem Erythræi primi fecerunt.

Terram legentibus.] Verbum accõmodatum nauigantibus. Vergil.

Littoráque Epiri legimus. -

Donatus in Commentariis Vergilianis inquit: Legimus, verbum est nauticum: nam legere aiunt, cùm colligunt funem. Legere dicunt cùm pelagi prolixa transmittunt.

Deuios tramites.] Deuium dicimus, quod est extra viam remotum. Inde Horatius deuium scortum appellat. A Cicerone populi nominantur deuii, qui sunt extra viam militarem collocati. Similiter deuii tramites dicuntur semitæ extra viam.

Patrem.] scilicet Pauli domini sui.

M. AN. Naulochum.] Appianus aliter appellat. Ex Mylis, inquit, nauicularias, & peloridam, & maritima omnia Pompeii præsidia tenebant. Antonio.] Triumuiro. Die Circensium.] Quum Circensis pompa, & thensa duceretur. Simulacrum dei.] Neptuni, quod inter cæteras deorum imagines ferebatur. Dionysius totius pompæ rationem exequitur. Continenti.] Ex Italiæ ora, quæ continens est. Locros.] Inter Zephyrum, & Scyllaceum promontoria in extremo Italiæ cornu. Rhegyum.] Oppidum iuxta fretum, à Chalcidensibus conditum. Legentibus.] Annauigantibus. Patrem Paulum.] Qui proscriptorũ, vt Appianus ait, primus fuit, quanquam Lepidi frater.

Post

Poſt Pompeii fugam collegarum alterum M. Lepidum, quem ex Africa in auxilium euocarat, ſuperbientem viginti legionum fiducia, ſummáſque ſibi partes terrore ac minis vindicantem ſpoliauit exercitu: ſupplicémque, conceſſa vita, Circeios in perpetuum relegauit. M. Antonii ſocietatem ſemper dubiam & incertam, reconciliationibúſque variis malè focillatam, abrupit tandem. Et quò magis degeneraſſe eum à ciuili more approbaret, teſtamentum, quod is Romæ etiam de Cleopatræ liberis inter hæredes nuncupatis reliquerat, aperiendum, recitandúmque pro concione curauit. Remiſit tamen hoſti iudicato neceſſitudines, amicóſque omnes, atque inter alios, Caium Soſium, & Titum Domitium tunc adhuc conſules. Bononienſibus quoque publicè, quòd

PHIL. Poſt Pompeii fugam.] Sextus Pompeius, Pompeii Magni filius, perditis rebus, profugit, annulis in mare proiectis, Aſiam velis petebat fugiturus ad Antoniũ, tanquam ad eum, cuius matrem ipſe ſeruaſſet incolumem: verùm in manus hoſtiũ & catenas cùm veniſſet, à Titio interficitur in ciuitate Mileto, quæ caput eſt Ioniæ Aſiaticæ. Collegarum.] Tres erant in triumuiratu collegæ, Auguſtus, Antonius, & Lepidus. Superbientem.] M. Lepidus Imperator effectus maximarum copiarum Siciliam occupare tentauit, & excludere Auguſtum, cùm anguſtias locorum omnes occupaſſet. Auguſtus de Lepido conqueſtus apud amicos, ingreſſus eſt Lepidi caſtra, exceptúſque ſalutatione militari: & quanuis telo percuſſus foret, tamen potitus eſt rerum. Lepidus à ſuis deſtitutus, ex ſummóque faſtigio in imum præcipitatus ad genua Auguſti Cæſaris procumbere volens, prohibitus eſt.

Viginti.] Appianus dicit, fuiſſe duas & viginti legiones. Circeios relegauit.] Circeii quondam inſula, immenſo quidem mari circundata, ſi creditur Homero, vbi Latium antiquum terminabatur. Strabo in v. Poſt Antium, inquit, Circeium eſt ſtadiis ducentis diſtans & nonaginta, mons mari & paludibus inſtar habens inſulæ: habet caſtellum, & Circes ſacellum, & Mineruæ aram. Maro in v i i.

Proxima Circææ raduntur littora terræ,
Diues inacceſſos, vbi Solis filia, lucos
Aſſiduo reſonat cantu. -

De inſula Circeiorum ſcribit non pauca Plinius noſter in i i i. Malè focillatam.] Malè roboratam, maléq; firmatam. Scribit Plutarchus in Antonio, inter ipſum & Auguſtum quotidianas fuiſſe pene ſimultates, & quotidianas fere reconciliationes. Mecœnas & Nerua Cocceius ſoliti erant auerſos componere amicos, vt inquit Horatius in primo Sermonum.

Teſtamentum de Cleopatræ.] Titus & Plancus viri conſulares ab Antonio ad Cæſarem confugerunt, & Antonii teſtamentum, quod apud Veſtales erat, edocuerunt: quod teſtamentum cùm Cæſar peteret, reddere id quidem virgines Veſtales noluerunt, ſed facultatẽ fecerunt, vt per ſeipſum aſſumeret. Cæſar frequenti Senatu multa ex hoc teſtamento legit, quæ perabſurdè, & parum ciuiliter ſcripta videbantur. Solitus erat Antonius, ſuos, & Cleopatræ filios, reges regum nominare: & cùm ex illa vno partu geminos ſuſcepiſſet, maſculo cognomentum Solis, fœminæ cognomentum Lunæ adiunxit.

Neceſſitudines.] Neceſſarios & affines. Appellatiõe neceſſitudinis, ius quoddam, & vinculũ religioſæ coniunctionis familiaritatíſve ſignificatur: vnde & neceſſarii dicuntur officio obſeruantiæ affinitatíſve cõiuncti.

Exiſtimat Gellius, nihil intereſſe inter neceſſitatem & neceſſitudinem: nam & apud Salluſtium, & apud Ciceronem neceſſitudinem reperies vſurpari pro eo, quod neceſſum eſt. Senſus eſt, Auguſtum promiſiſſe vt omnes neceſſarii & familiares Antonium hoſtem iudicatum ſequi poſſent.

M. AN. Collegarum.] In triumuiratu. Summáſque ſibi partes.] Primũ ſcilicet dignitate, & authoritate locum.

Spoliauit.] Exercitu nudauit. Lepidi, & Auguſti ſimultas non ſolùm ex triumuiratus adminiſtratione, ſed iam inde à magiſterii equitum petitione, viuo adhuc Cæſare, orta eſt. Plinius: Auguſti repulſa in magiſterio equitũ apud auunculum, & contra voluntatem eius prælatus Lepidus. Vbi, & quando legiones fuerint illi adéptæ, Appianus demonſtrat.

Circeios.] Locum in Latio celebrem, olim Homeri teſtimonio inſulam, quam ipſe Aeæam appellat. Poëtæ ex Odyſſea carmen eſt:

Αἰαίην δ' ἐς νῆσον ἀφικόμεθ', ἔνθα δ' ἔναιε,
Κίρκη ἐϋπλόκαμος δεινὴ θεὸς αὐδήεσσα.

In quo ſuccurrit mirari Seruii, viri alioqui doctiſſimi, imprudentiam, qui in Vergilianum illud:

- Aeææque inſula Circes: A voce ea litora eiulantium dixit id nomen factum, quum appareat Apollonium vidiſſe, qui aperte Medeam Circes ſororem Aeæam ſæpius appellat: ille Argonauticôn tertio, αἰαίη, inquit, μέσσην κατ' ἐπακτίδα γαῖαν. & rurſus in quarto, μέσσαν αἰαν μέσσαν πελαγίδα γαῖαν ἔναιε. quibus apparet non à præternauigantium voce, ſed ab Colchidis oppido potius factum eſſe nomen, vnde Circe à Sole patre in Italiam eſt aduecta: quod ipſum apud eundem Apollonium Aeetæ regis verba demonſtrant. Nunc Circeius mons continens eſt: ambitum eius octoginta ſtadiorum Clitarchus tradidit.

Malè focillatam.] Infirmam, ac parum ſtabilem. De Antonii, & Auguſti multiplici diſcordia, variáque reconciliatione, Appianus & Plutarchus abundè ſcribũt.

A ciuili more.] A veri ciuis officio, modeſtia, verecundia.

Cleopatræ liberis.] Ex externa, & barbara matre, parúmque legitimè natis inter Romanos, & ingenuos filios teſtamento relatis.

Neceſſitudines.] Neceſſarios, id eſt propinquos, & affines: & breui, omnes familiaritatis vinculo ei coniunctos. Cæſar neceſſitatem pro neceſſitudine, id eſt, iure affinitatis, vſurpauit: Sempronius Aſellio neceſſitudinem pro neceſſitate. Gellius in Noctibus Atticis vtriuſque authoritatem vno eſt capite complexus.

Domitium.] Is rurſus ab Antonio ad Auguſtum ſub Actiacæ pugnæ tempus tranſiit: author eſt Plutarchus.

in Antoniorum clientela antiquitus erant, gratiam fecit coniurandi cum tota Italia pro partibus suis. Nec multò pòst nauali prælio apud Actium vicit, in serum dimicatione protracta, vt in naui victor pernoctauerit.

De bello Actiaco, & Alexandrino, & victoria eius contra Antonium & Cleopatram. XVII.



AB Actio, quum Samum insulam in hyberna se recepisset, turbatus nuntiis de seditione militum, præmia & missionem poscentium, quos ex omni numero, confecta victoria, Brundusium præmiserat, repetiit Italiam, tempestate in traiectu bis conflictatus, primò inter promontoria Peloponnesi, atque Aetoliæ, rursus circa montes Ceraunios, vtrobique parte

PHIL. IN Antoniorum clientela.] Mos fuit apud veteres, vt quilibet populus, ac natio Romæ suum patronum haberet: ita Syracusanos in clientela Marcellorum fuisse legimus: ita Lacedæmonios in clientela Claudiorum: ita Allobrogas patronum habuisse Fabium Sangam. Similiter Bononienses municipes nostri in clientela fuerunt familiæ Antoniorum: in qua illustris fuit orator ille Marcus Antonius, qui apud Ciceronem disputat in libris de Oratore: qui in bello ciuili Mariano fuit interfectus. Bononiensibus concessit Augustus, vt possent iuuare partes Antonianas omnibus suis suorúmque viribus. De coniunctionibus clientium, & patronorū, quæ nihil distabant à necessitudinibus propinquorum, scribit abunde Dionysius in secūdo: & quemadmodum clientes patronis indigentibus succurrebant. Sed ne videantur Bononienses fuisse in clientela sordidorum patronorum, scito familiam Antoniorum fuisse nobilissimam, vetustissimámque: vtpote quæ ab Antone Herculis filio & oominata & oriuoda prodatur: vnde M. Antonius ab Augusto olim in colloquio dictus Herculeus: authores Plutarchus & Appianus. Apud Actiom.] Actium, promontoriū est Epiri, cum templo Apollinis nobili, in quo loco Antonius cum Cleopatra Aegypti regina superatus est nauali prælio ab Augusto. In serum.] In horam serotinam & vespertinam.

Cùm Samum insulam.] Samos, insula est in mari Icario modica, in qua fanum Iunonis antiquum, famigeratum fuit: vt luculenter scribit Apuleius in secundo Floridorum. Samos, insula est altera à Plinio collocata prope Itacham apud Dulichium: de qua hîc videtur intelligendum, cùm non multùm distet ab Epiro. Est & Same, est & Samothracia, diuersæ ab hac. Ex Samothracia, quæ fuit domicilium ceremoniarū, Dardanus deos penates detulit in Phrygiam: ex Phrygia Aeneas in Italiam: qui ob id dicti sunt dii Samothraces: de quibus Iuuenalis:

- Iures licet & Samothracum,
Et nostrorum aras. -

Samos, vt author est Stephanus, iuxta Cariam est: aliis nominibus Parthenia, Dryusa, Athemusa, & Melamphylos nominata. Hoc idem memorat Strabo, qui ait, eam adeò fuisse feracem, vt prouerbio diceretur: Samos fert lac gallinaceum.

Hyberna.] Loca, in quibus hyberno tempore milites hybernare consueuerunt: sicut æstiua, ab æstiuo tempore dicta. Missionem poscentium.] Honestam: quæ emeritis stipendiis impetrari solebat. Suprà abundè dictum est de missionibus militaribus.

Repetiit alia.] Expungendum est, alia: & substituendum, Italiam: ibique distinguendum, vt sit sensus, Augustum repetisse Italiam, turbarum nuntiis & seditione militum, qui erant apud Brundusium ciuitatem Italiæ portuosam.

Peloponnesi.] Pelopōnesus Apie antè appellata, & Pelasgia, peninsula haud vlli terræ nobilitate postferenda, inter duo maria, Ioniū, & Aegæū, platani folio similis excurrit. Peloponneso nomen indidit Pelops, qui ex Phrygia secum in eam regionem duxit populum: author Strabo in vii.

Aetoliæ.] Aetolia, regio est Græciæ, quam Plinius ab Acarnania dirimi scribit fluuio Acheloo.

Ceraunios.] Cerauni montes sunt Epiri. A Plinio & Horatio Acroceraunia nominātur. Refert Seruius Ceraunia dici à crebris fulminibus. Nā Græci κεραυνὸς fulmen appellāt. Tertius Europæ sinus ab Acrocerauniis incipit montibus.

Vtrobique.] id est, vtraque tempestate: & inter promontoria Peloponnesi, & circa montes Ceraunios.

M. AN. ANtoniorum clientela.] Antoniorum enim familia ciuitatem ipsam veteri patrocinio protexerat. Patrocinia apud Romanos cum ipsa pene vrbe nata Dionysius credidit. Antoniorum gentem ab Antone Herculis filio fluxisse tradidit Plutarchus. Augustus Antonium apud Appianum alloquens, Si de Herculeo, ait, Aeneadarum vnus fieri voluisses. Coniurandi.] Societatem, & fœdus ineundi, atque aduersus Antonium intellige conspirandi. Pro partibus suis.] Pro suarum partium defensione: quo decreto apparebat, nihil amplius futurum fraudi Bononiensibus ipsis, quòd in Antoniorum clientela fuissent. Ad Actium.] Ambracii sinus promontorium, in cuius conspectu Antonius & Cleopatra sunt ab Augusto nauali prælio victi. Superbissimum eius belli apparatū Plutarchus in Antonio explicat. Samum insulam.] Quam Samum, non dicit, eam crederem, quæ inter Dulichiam, & Cephaleniam in alto ante Echinades iacet. Sed quia tempestate iactatū dicit circa Peloponnesi promontoria, quum inde Brundusium hyberna nauigatione transmitteret; de ea, quæ inter Miletum, & Chium in ora Ioniæ sedet, est potius intelligendum: quanquam non eo inficias ex illa quoque priore Samo profectum ob locorum vicinitatem potuisse Augustum circa Peloponnesi promontoria aliquo modo iactari. De Samothracia autem nullo modo intelligendum dixerim. Peloponnesi.] Pelopis insula dici potest, olim Apie appellata, dicta est & Pelasgia: peninsula est, quā diuersa lancinant maria, Ionium, Siculum, Creticum, Aegæum, Myrtoum.

Aetoliæ.] Quæ terra inter Acarnaniam est, vt Plinius ait, & Phocidem. Strabo ab Aetolo ait Diomedis filio Aetolos dictos. Ceraunios mōtes.] Vnde tertius Europæ sinus incipit, Epiri sunt montes, à crebris fulminum casibus dicti, Græci τοὺς κεραυνοὺς fulmina dicūt.

Libur

Liburnicarum demersa, simúlque eius, in qua vehebatur, fusis armamentis, & gubernaculo defracto. Nec amplius, quàm septem & viginti dies, donec desideria militum ordinarentur, Brundusii commoratus, Asiæ, Syriæ'que circuitu Aegyptum petit. Obsessáque Alexandria, quò Antonius cum Cleopatra confugerat, breui potitus est. Et Antonium quidem seras conditiones pacis tentantem, ad mortem adegit, viditque

PHIL. Liburnicarum.] Agilium, bellicarúmque nauium, à Liburnis, qui in Illyrico populi sunt, qui olim nauibus velocibus vsi, velocitateque præcipuis, Ionium mare, insulásque prædabantur: qua ex causa Romani naues leuitate celeritateque præstantes appellauere Liburnicas, sicut refert Appian. in lib. Illyricorum. Vegetius quoq; li. s s s s. de re militari, de Liburnicis ita scribit: Augusto dimicante Actiaco prælio, cum Liburnorum auxiliis præcipuè victus fuisset Antonius, experimento certaminis patuit, esse Liburnorũ naues cæteris aptiores. Ergo similitudine, & nomine vsurpato ad instar earundẽ classem Romani principes texuerunt. Liburnia nanque Damalıiæ pars est: cuius exemplo nunc naues bellicæ fabricátur, & appellantur Liburnæ. hactenus Vegetius. A Lucano quoque Liburnæ dictæ sunt illo versu:

Ordine contentæ gemino creuisse Liburnæ.

Plinius, & Tranquillus Liburnicas vocant. Iulius Fiemicus Liburnicum Imperium vsurpat pro nauali, scribens quòd Liburnicum illi cõmittitur Imperium, quicunque natus est in decima parte Piscium. Apud Iuue. in eo loco, - Ingenti curres super ora Liburno: sicut alibi quoque declarauimus, neque currus, neque lectica significatur, prout Commentatores existimans, sed seruus lecticarius. A locis enim serui denominantur: vt Syri & Cappadoces apud Martialem, sic Liburni apud Iuuenalem: & est sensus, Diues ille delicatus, & impotens, lectica gestabitur, & vehetur super ora virorum: cùm lecticarii ex Liburnia ingentes, & staturosi supereminent. Vsus est numero singulari pro plurali more poetico, & historico.

Armamentis.] Armamenta sunt nautica instrumẽta, sicus funes, & vela. Armamenta nauis singula erũt vendicanda, vt ait Vlpianus. Armamentariũ verò, significat repositorium armorum, & nauium receptaculum: quale fuis illud, quod Athenis Philon fabricauit mille capax nauium. Spartum, vs ait Plinius, est io vsũ naulum armamentis. Ex lino quoque nauiũ armamenta fuisse, interpretantur erudiri apud Homerum. Armamenta non solùm de nauibus, sed de aliis rebus dici posse, testis est idem Plinius: qui loquitur de vinearum armamentis. Qua appellatione perticæ, pali, vincula continentur. Gubernaculo.] scilicet nauigii. Adminicula gubernandi nauigium Tiphys primus inuenit.

Asiæ.] Prouinciæ. Nam Agrippa in duas Asiam partes diuisit: vnam inclusit ab Oriente Phrygia & Lycaonia: alteram determinauit ab Oriente Armenia minore: author est Herodotus. In Melpomene Asiam ab vxore Promethei nomen esse sortitam.

Syriæ.] Refert Iosephus Assyrios, qui postea Syri dicti sunt, ab Assure Hebræo denominatos.

Confugerat.] Post cladem Actiacam.

Ad mortem adegit.] Antonius existimans Cleopatram sibi mortem consciuisse, semetipsum vulnere percussis, ne illi superstes esses: mox cùm audisset illam viuere, iussis se ad eam deportari: à qua intra monumenta tractus est, alligatus funibus e fenestra demissis. quod spectaculum plane fuit miserabile. Antonius petiis vinum potui sibi dari, vt ita celerius moreretur: móxque cùm Cleopatram admonuisset, vt sibi, ac rebus suis consuleret, expirauit. Hanc historiam Paulus Orosius explicat his verbis: Antonius se ferro transuerberauit, ac semianimis ad Cleopatrã in monumentum, in quod se illa mori certa condiderat, perlatus est. Cleopatra postquam se ad triumphum seruari intellexit, voluntariam mortem petens, serpentis (vt putatur) morso in sinistro tacta brachio exanimis inuenta est, frustrà Cæsare etiam Psyllos admouente, qui venena serpentium è vulneribus hominum haustu reuocare, atque exugere solent.

Cleopatræ Psyllos admouit.] Psylli, populi sunt io Africa à Psyllo rege dicti, vt refert Plinius in v s s. qoorum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, ex cuius odore sopirent eas. Scribit Cornelius Celsus in v. quod memoratu dignum est, Psyllos non habere scientiam aduersus venena præcipuam, sed audaciam vsu ipso confirmatam, qua vulnera exugunt: nanque venenum serpentis non gustu, sed in vulnere nocet: ergo quisquis exemplum Psylli secutus exuxerit, & ipse tutus erit, & tutum hominem præstabit. De Psyllis Lucanus:

- Gens vnica terras
Incolit: à sæuo serpentum innoxia morsu,
Marmaridæ Psylli, par lingua potentibus herbis.

Cæterùm quemadmodum Psylli vi Austri, & spiritu obruti ad vnũ omnes interierint, fabulosè magis, quàm historicè Herodotus & Gellius prodiderunt. Plutarchus quoque author est, Catonem iter per deserta Libyes factitantem, secum Psyllos duxisse, qui morsibus serpentum mederentur, partim ore trahentes venenum, partim serpentes cantibus mitigantes. Psylli reliquarum venena terrarum inuehentes quæstus sui causa, peregrinis malis impleuere Italiam, in quam scorpiones quoque ex Africa importare conati sunt.

Liburnicarum.] Expeditissimarum nauium. Plinius, Incursúque ceu Liburnicarũ rostris effodiuns. MAN.
Horatius: Ibis, dixit, Liburnis inter alta nauium. vt sit hoc Liburnũ nomen rei, à Liburnis populis ipsius nauigii inuentoribus. Dictum est & Liburnum, currus ad similitudinem nauis ipsius constructum. Iuuenalis:

- Es ingenti curret super ora Liburno.

Est & viator Liburnus dictus. Idem Satyrus:

- Clamante Liburno Currite, iam sedit. -

Armamentis.] Nautico apparatu, nauticis instrumentis. Gubernaculo.] Clauo. Vergilius:

- Clauúmque affixus, & hærens
Nusquam amittebat. - Et paulò pòst:
Cúmque gubernaclo liquidas proiecit in vndas.

Desideria militũ.] Quæ à militibus efflagitarentur.

Asiæ.] Minoris scilicet.

Syriæque.] Vt Phœniciæ, & Iudææ expeditionem longissimam in arctissimum coniecit verborum orbem.

Seras conditiones.] Rebus perditis tentatas. Petierat Antonius, vt Plutarchus tradit, vt priuato sibi Athenis agere liceret.

Ad mortem adegit.] Ad cosciscendam sibi mortem compulit.

mortuum. Cleopatræ, quam seruatam triumpho magnopere cupiebat, etiam Psyllos admouit, qui venenum ac virus exugerent, quòd periisse morsu aspidis putabatur. Ambobus communem sepulturæ honorẽ tribuit, ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici iussit. Antoniũ iuuenem maiorem de duobus Fuluia genitis, simulacro diui Iulii, ad quod post multas & irritas preces confugerat, abreptum interemit. Item Cæsarionem, quem ex Cæsare patre Cleopatra concepisse prædicabat, retractum è fuga supplicio affecit. Reliquos Antonii reginæque communes liberos, non secus ac necessitudine iunctos sibi, & conseruauit, & mox pro conditione cuiusque sustinuit, ac fouit.

PHIL. SEruatam triumpho.] Augustus iussit, Proculeium curare pro viribus, vt Cleopatra viuens in suam veniret potestatem: solicitus enim erat pro pecuniis congestis, & simul ad gloriam suam putabat pertinere, si illa in triumpho duceretur. Referunt Historici, Cleopatram cùm de industria ab Augusto indulgétius tractaretur, dicere solitam fuisse Græce, οὐ θριαμβεύσομαι. quod Latinè significat, non triumphabor.

Exugerent.] Sugendo educerent, extraherentque de corpore. A sugo fit suctus, pro exuctione: qua dictione peculiariter vtitur Plinius. Morsu aspidis.] In Propertianis Commentariis non indiligenter, opinor, perscripsimus quemadmodum Cleopatra aspida serpentem in ficis furtim sibi deferri iussit, cui Iritatæ brachium denudatum porrexit mordendum: & sic morte, quasi somno, soluta est. Ad quod allusit Horatius in 1. Carminum:

Fortis & asperas tractare serpentes.

Sunt qui opinentur, eam venenum habuisse delibutorium in lamina quadam cõcaua, quam sub crinibus occultabat. Augustus cùm de viuente Cleopatra triumphare non posset, eius imaginem tulit in triũpho, cum aspide mordicus affixa. Propterea cecinit Propertius:

Brachia spectaui fixis admorsa colubris.

Plures autem sunt aspidum species, disparésq; effectus ad nocendum, vt scribit Solinus in Polyhistore. Illa, qua periit Cleopatra, hypnale nominatur, propterea quòd somno necet, qui Græcè dicitur ὕπνος. Vnde & aspidum somnificã vim appellat Plinius, qui etiam in xxsx. sic tradit, Aspides percussos torporẽ, & somno necant, omnium serpentium minimè sanabiles. Cinna in poematis somniculosam vocat aspida: nõ quòd ipsa somni plena sit, sed quòd somnum lethiferum percussis immittat. Habet aspis internecinum bellum cum ichneumone, qui loricat se limo, & progressus in pugnam inuadit aspida in fauces, in dimicatione caudam attollens, qua excipit ictus irritos. De hoc intellexit Lucanus illo versu, qui est in esss. Pharsaliæ:

Aspidas vt Pharias cauda solertior hostis Ludit.-

Communem honorem.] Augustus admiratus Cleopatræ in obitu generositatem, magnificè ac regiè illam vnà cum Antonio sepeliri iussit.

Tumulum.] Quo conditus erat, sepultúsque Mar. Antonius Cleopatræ manibus magnifico ac regio funere, quem corona imposita coronauit.

Antonium maiorem.] Scribit Plutarchus, septem fuisse filios M. Antonio ex tribus vxoribus, Fuluia, Octauia, & Cleopatra. Aryllus Antonius, qui erat maior natu ex Fuluia, necatus est à Cæsare Augusto. Theodorus pueri pædagogus, qui illum Cæsari prodiderat, cùm ceruix adolescẽti iussu Cæsaris abscinderetur, lapidem pretiosissimum, quem circa collum gestabat, clàm subripuit: cuius criminis accusatus, & conuictus, ad crucem damnatus est. Ad quod confugerat.] Qui ad statuam principis confugerat, violari nõ solebat. Legimus apud Liuium, Magium Campanum, qui vinctus fuerat ab Anibale, confugisse ad statuã regis Ptolemæi. Inde apud Iurisconsultos scriptum est, De seruis, qui ad statuã sacram principis confugerunt. Seneca quoque ait: Licet seruis ad statuam Cæsaris confugere. Verùm filio Antonii nihil profuit, confugisse ad simulacrum diui Iulii: nam illhic fuit interemptus.

Cæsarionem supplicio affecit.] Augustus interfecit Cæsarionem, quẽ Cleopatra quidem mater cum magna vi auri & argenti in Indiam miserat. Sed Rhodon pædagogus per fraudem, quasi Cæsar eum in societatem Imperii vocaret, reduxerat. De Cæsarione cùm sententias amicorum sciscitaretur Augustus, dixisse Attium philosophum ferunt, non esse probandam Cæsarum multitudinem.

Reginæ.] Cleopatræ.

Non secus ac.] Non aliter quàm.

Reliquos fouit.] Plutarchus in Antonio sic ait: Cæteri filii apud Octauiam educati sunt, quæ Cleopatram Antonii, & Cleopatræ filiam Iubæ humanissimo & pulcherrimo regi dedit: Antonium verò ex Fuluia genitum ita magnũ apud Cæsarem fecit, vt post Agrippam & Liuiæ filios primas partes obtineret.

SEruatam triumpho.] Vt eam in triũpho duceret.

Psyllos.] Psylli à Psyllo rege, vt Agatarchides scripsit, cuius sepulcrum in parte fuit Syrtium: exitiale serpentibus virus genti ingenitum, cuius odore eas sopirent, à Nasamonibus, vt Plinius tradit, deleti. Herodotus in expeditione, quam aduersus Austrum suscepissent, totum genus arenis obrutum interiisse ait. Sed de his Lucanus libro Pharsalidos vltimo longe plura. M. A N.

Putabatur.] Plutarchus quoque & Strabo in dubium trahunt, qua Cleopatra vi petierit: quasi tum quoq;, quum extincta est, parum constiterit, quanquã Augustus aspide mammæ affixa eius imaginem in triũpho tulerit. Verg. Patrio, inquit, vocat agmina sistro,

Nec dum etiam geminos à tergo respicit angues.

Tumulum.] Ab ipsis inchoatum. Martialis:

Nec sibi regifico placeat Cleopatra sepulcro.

Ex Fuluia genitis.] Septem ex Fuluia, Octauia, & Cleopatra liberi Antonio superstites fuere: atque omniũ maximus natu Atyllus cognomine, qui à Theodoto pædagogo Augusto traditus, eius iussu occisus est.

Cæsarionem, quem ex Cæsare patre.] Huncquoque cum magna vi auri à matre, vt in Indiam effugeret, missum, ex itinere, quasi in regni societatem reuocaretur, Rhodon pædagogus Augusto perdendum dedit.

Pro conditione cuiusque.] Plutarchus In Antonio demonstrat, qua pietate reliquos eius liberos Augustus fouerit.

De geſtis per eum in Aegypto. XVIII.

Er idem tempus, conditorium, & corpus Magni Alexandri, quum prolatum ē penetrali ſubieciſſet oculis, corona aurea impoſita, ac floribus aſperſis veneratus eſt: conſultúſque, num & Ptolemæum inſpicere vellet, regem ait ſe voluiſſe videre, non mortuos. Aegyptū in prouinciæ formam redactam vt feraciorē habiliorémque annonæ vrbicæ redderet, foſſas omnes, in quas Nilus exæſtuat, oblimatas longa vetuſtate, militari opere deterſit. Quóq; Actiacæ victoriæ memoria celebratior & in poſterum eſſet,

PHIL. Conditorium.] Alexandriæ pars regiarū eſt illud quod corpus appellatur. id autem circuitus quidā eſt, in quo regum erant ſepulturæ, & Alexādri Magni: cuius corpus Ptolemæus Lagi filius Perdicæ abſtulit, detulitque Alexandriam: quod in alueolo aureo fuit repoſitum: ſed Coccas, ablato aureo repoſitorio, vitreum repoſuit: author Strabo lib. vltimo. De ſepulcro Alexandri ita cecinit Lucanus:

Illhic Pellei proles veſana Philippi
Felix prædo iacet.-

Tranquillus conditorium appellat illum alueolum & loculamentum, in quo reconditum erat corpus Alexandri. Conditorium enim à condendo dictum. Ammian. Marcellinus conditorium appellat muralium tormentorum repoſitorium, & machinarum. Petronius Arbiter conditoriū in quo erant repoſita ſepulcra, claudi ſolitum fuiſſe oſtendit, cùm ait: Præcluſis videlicet conditorii foribus: vt ſi quis ad monumentum veniſſet, putaſſet expiraſſe ſuper corpus viri pudiciſſimam vxorem. Idem: In conditorium etiam proſequuta eſt defunctum: poſitúmque in hypogæo Græco more corpus cuſtodire cœpit. Ex hoc cognoſcimus, conditorium dici repoſitorium monumentorum, quod foret ſubterraneum. ὑπόγεια enim Græci dicunt ſubterrenea: quæ dictio frequens eſt apud Ioſephum & Egeſippum.

Prolatum.] Depromptum.

Regem.] Scilicet Alexandrum. Non mortuos.] Ptolemæos: tanquam illi verè mortui ſint, de quorum vita & obitu pariter ſiletur: & tales nimirū fuere Ptolemæi, qui omnes poſt tertium malè vixerunt, deliciis corrupti: omnium verò peſſimè quartus, & ſeptimus, & vltimus Auletes: qui præter alia flagitia, etiam choraulam exercuit. Penè ſimile eſt illud Alexandri Magni exemplum: qui cùm Achillis ſtatuam coronaſſet, interrogatus nunquid & Paridis citharam videre cuperet, reſpondit, illam curæ ſibi non eſſe: Achillis verò citharam ſe quæſiuiſſe: qua ille fortiſſimorum virorum geſta & res inclytas decantare ſolebat.

In prouinciæ formam.] Diximus ſuprà prouincias appellitari regiones longè ab Italia acquiſitas bello, à porrò vel procul vincendo dictas: ad quas regendas Romani magiſtratus mittebantur. Scribit Cicero, Siciliam primam omnium prouinciam fuiſſe appellatam. De prouinciis ita ſcribit Egeſippus li. 11. Romani cùm in ius ſuū vincendo redigerēt procul poſitas regiones, appellauere prouincias. Aegypto per Auguſtum prouinciæ factæ præpoſitus fuit Cor. Gallus.

Annonæ vrbicæ.] Romanæ: nam ab vrbe vrbicus & vrbanus deriuatur: ſicut ab oppido oppidicus & oppidanus. Gellius: Quid, inquam, oppidici dicitis mihi? Quòd autem Aegyptus eſſet annonæ Romanæ ſubſidium, docent Hiſtorici, & teſtatur Plinius in Panegyrico his verbis: Percrebuerat antiquitus vrbem noſtrā niſi opibus Aegypti ali, ſuſtentarique nō poſſe. Superbiat ventoſa & inſolens natio, quòd victorem populū paſceret. Egeſippus & Ioſephus tradunt, annonā quatuor menſiū ſingulis annis populo Romano miniſtrari ab Aegypto ſolitam.

Exæſtuat.] Inundat incremento. Nili autem incrementū iuſtum, eſt ſedecim cubitorum: &, vt author eſt Plinius, in duodecim cubitis famem ſentit Aegyptus: in tredecim etiamnum eſurit: quatuordecim cubita hilaritatē afferunt, quindecim ſecuritatem, ſedecim delicias. In Cōmentariis Cæſaris traditū eſt, Alexandriā habere ſpecus ad Nilum pertinētes, quibus aqua in priuatas domos inducitur. Nilus vice coloni fungens, & fœcunditatis parens vbertat Aegyptū.

Oblimatas.] Limo obductas, & cœno obturatas. Oblimare enim eſt limo replere, & ita meatus claudere: Verg. Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes. Seneca eodem verbo vſus eſt de Nilo ſcribens in quarto Quæſtionū, quum ait: Fertilem Aegyptum facit Nilus. Iuuat agros duabus de cauſis, & quòd inundat, & quòd oblimat. Exiſtimat Seruius Nilum dici quaſi νέαν ἰλὺν, hoc eſt, nouum limum trahentem, quo oblimet, hoc eſt, limo obturet Aegyptum, & oppleat. Hanc hiſtoriam ita ſignat Sextus Aurelius, Regionem Aegypti inundatione Nili difficilem, inuiámque paludibus in prouinciæ formam redegit: quam vt annonæ vrbis copioſam efficeret, foſſas incuria vetuſtatis limo clauſas, labore militum patefecit.

Deterſit.] Repurgauit, deduxit, patefecit.

Quo.] Vt.

Conditorium.] Quod in Muſæo fuit, vt Strabo ſcribit, regiæ domus parte, vbi Alexandri, & Ptolemæorum corpora aſſeruabantur: ſed conditorium ſimpliciter pro loco, quo corpus ipſum erat clauſum, accipias. Alexandri Magni corpus, vt idem author tradit, Ptolemæus Lagi filius Perdicæ ademit ex Babylone delatum, Alexandriæque intulit. M. AN.

Floribus aſperſis.] Patrium in Auguſto morem expreſſit Vergilius:

-Manibus date lilia plenis
Purpureos ſpargam flores.-

Plinius: Et iam tunc coronæ deorum honos erant larium, publicorum, priuatorúmque ſepulcrorum.

Ptolemæum inſpicere.] Non dicit quem: ſed eum ſuſpicari libet, qui Alexandro ſucceſſit, qui fuit Lagi filius.

Regem ſe voluiſſe videre.] Figuratè Alexandrū intellexit. Nam ad Ptolemæum non eſt cur referas. De Ptolemæorum ſerie Strabo, Ioſephus, Euſebius, & Iuſtinus copioſè ſcribunt.

In formam prouinciæ.] Quod C. Cæſar veritus fuerat facere: ſed de prouinciis, ne omnia vnum in locum congerantur, opportuniore loco dicemus.

Nilus exæſtuat.] De incrementis Nili Plinius: Nilus coloni vice fungens, euagari incipit à ſolſtitio, aut noua luna, ac primò lentè, deinde vehementius, quandiu Sol in Leone eſt, &c. Sed Herodotus multò plura.

Oblimatas.] Limo repletas.

Militari opere.] Militibus operi adhibitis.

vrbem Nicopolin apud Actium cōdidit: ludósq; illhic quinquennales constituit, & ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum, quibus fuerat vsus, exornatum naualibus spoliis, Neptuno ac Marti consecrauit.

De cōiurationibus & conspirationibus cōtra cum. XIX.

TVmultus post hæc, ac etiam rerum nouarum initia, coniurationésque complures prius, quàm inualescerēt, indicio detectas compressit, & alias alio tempore: Lepidi iuuenis, déinde Varronis Murenæ, & Fannii Cepionis: Mox M. Egnatii, exin Plautii Rufi, Luciíque Pauli progeneri sui: ac præter has, L. Andasii falsarum tabularum rei, ac neque ætate neque corpore integri, Themasini Epicadi ex gente Parthica

PHIL. NIcopolim.] Νικόπολις Græcè dicitur ciuitas victoriæ. Nicopolim ædificauit Augustus, victoriæ suæ cognomen imponens, qua Antonium Cleopatrámq; superauerat. Nicopolis, authore Strabone, egregia incolarum multitudine abundans, amplificatur in dies, latos fines habens, & hostilibus ornata spoliis. Meminit Plin. ciuitatis Nicopolitanæ, quam liberam fuisse prodidit. Scribit Stephanus, alteram Nicopolin fuisse in Bithynia, tertiam in minori Armenia. A Nicopoli dicitur Nicopolites.

Quinquénales.] Erat Nicopoli lucus cum gymnasio, stadióque ad quinquennale ludorum certamen apparatus. Ludi Actia vocabantur, Actio Apollini consecrati, qui prius & à finitimis agebātur: à Cæsare verò Augusto honorificentius celebrati fuerūt. Ad ludos hos Actiacos allusit Vergilius in honorem Augusti sic scribens:

Actiáque Iliacis celebramus littora ludis.

Vetere Apollinis templo.] Vetus Actii Apollinis templum in tumulo conditum fuisse, testis est Strabo in septimo. Idem in decimo memorat, fanum fuisse Apollinis in Leucate, ex quo saltus fiebat ad sedādos amores. Cuius rei mentio quoque fit in epistola Sapphus. De templo Apollinis apud Actium veteri meminit Maro: hoc ampliauit Augustus post victoriam naualem.

Naualibus spoliis.] Sunt, inquit & Strabo, naualia iuxta Apollinis Actii templum, in quibus Cæsar vndeuiginti naues decimarum nomine reposuit. Memoriæ proditum est, & naualia, & naues incendio deflagrasse.

Neptuno.] Quia in vndis Neptuno dicatis nauale prælium gestum est.

Marti.] Tanquam bellorum præsidi, & Romanæ gentis authori. Osci Mamertem vocant Martem: vnde cognomina Mamercorum, & Mamertini dicti populi Siciliæ.

Indicio detectas.] Index est, qui facinoris, cuius ipse est conscius, latebras indicit, impunitate proposita: author Asconius.

Inualescerent.] Roborarentur, atque augerent.

Varronis Murenæ.] De his coniuratoribus sic loquitur Liuia Augusti vxor apud Senecam in primo de Clementia: Seueritate adhuc nihil profecisti. Saluidenum Lepidus sequutus est, Lepidum Murena, Murenam Cepio, Cepionem Egnatius: vt alios taceam, quos tantum ausos pudet. Et paulò suprà inquit Augustus: Ego sum nobilibus adolescentulis expositum caput, in quo mucrones acuant. Idem in libro de breuitate vitæ: In ipsa vrbe Murenæ, Cepionis, Lepidi, Egnatiorum mucrones in Augustum acuebant. Porphyrio sentire videtur, Murenam & Cepionem fratres fuisse Proculeii, cum quibus bona sua æquis partibus diuiserit, cùm illi bello ciuili spoliati fuissent.

Progeneri.] Socer magnus dicitur vxoris meæ auus, qui & prosocer dicitur, & ego sum illius progener: & auus meus socer magnus est vxoris meæ, illa illi proauus: author Modestinus Iurisconsultus. Lucium Paulum progenerum Augusti appellat Tranquillus, quoniam Iuliam illius neptem vxorē habebat: sicut inferius declarabitur. Seneca Tyberium appellat progenerum Pomponii Attici, quia vxorem duxerat Agrippinam illius neptem ex M. Agrippa genitam. Verba Senecæ sunt ex libro tertio Epistolarum: Nomen Attici perire Ciceronis epistolæ non sinunt. Nihil illi profuisset gener Agrippa, & Tyberius progener, & Drusus Cæsar pronepos.

Falsarum tabularum rei.] Ad legem Corneliam de falsis declaratur, quinam pœna falsarum tabularum teneantur: nam qui testamentum deleuerit, resignauerit, quive testamentorum falsum scripserit, qui in tabulis falsum fecerit, pœna falsarii damnantur. Pœna autem falsi, deportatio est, & omnium bonorum publicatio. Verres aliquot damnauit, tanquam publicas tabulas corrupissent.

NIcopolim.] Victoriæ, vt est apud Strabonem, ciuitatem. Plinius: Colonia Augusti Actium, cum templo Apollinis nobili, ac ciuitate libera Nicopolitana. M. A N.

Ludos quinquennales.] Quinto quoque anno celebrandos. Instar, inquit Strabo, Olympiorū ludi Actiaci designantur Actio Apollini consecrati: eorum curæ Lacedæmonii præfecti. Actia, eodem authore, ante Augusti tēpora celebrabantur: sed Augustus honorificentius edidit. Vetere Apollinis templo.] Strabo & Maro authores sunt, vetustum ibi fuisse templum,

Et formidatus nautis aperitur Apollo.

Thucydides: [illegible] Locum castrorum.] Vbi castra aduersus Antonium fuerat metatus.

Naualibus spoliis.] Nauali prælio captis. Strabo author est, decimæ nomine naues viginti in naualibus ipsis repositas. Post hæc.] Vltra. Si enim ad tempus id referas, nō procedit, quum viuo etiam Antonio periculosis Augustus coniurationibus petitus sit.

Rerum nouarum initia.] Nouos rerum motus.

Inualescerent.] Validæ fierent, præualerent.

Lepidi iuuenis.] Lepidi triumuiri filius fuit. Liuius eius coniurationis meminit. Murenæ.] Quem Augustus Castritio indice oppressit. L. Pauli.] Pauli censoris filii. Progeneri.] Scilicet Augusti: nam Iuliam ex Agrippa, & Iulia Augusti filia genitā vxorem duxerat. Progenero prosocer respondet, qui est sponsæ auus. Oui. Cuiq; senex Nereus prosocer esse velit. Siquidem Thetidis pater est Nereus. Falsarum tabularum.] Falsò, seu fraude signatarū. Neq; ætate, neque corpore validi.] Senio, & morbo confecti.

Themasini Epicadi.] Fuit Cornelius Epicadus gramma

hybridæ, ad extremū Telephi mulieris serui nomenclatoris. Nam ne vltimæ quidem sortis hominum conspiratione & periculo caruit. Andasius atque Epicadus Iuliam filiam, & Agrippā nepoté ex insulis, quibus continebantur, rapere: ad extremum Telephus, quasi debita sibi fato dominatione, & ipsum, & Senatū aggredi destinauerāt. Quin etiam quōdam iuxta cubiculum eius lixa quidam

grāmaticus Syllæ Dictatoris libertus: eiusdémne, an alterius, parum intelligi potest. Macrobius tamen Epicadi meminit. Epicadum, inquit, refert Herculem occiso Geryone, &c.

PHIL. Hybridæ.] Hybridæ, sicuti docet Porphyrio, dicūtur canes, qui ex imparibus parétibus nati sunt, hoc est ex venatico & gregario. Per hanc similitudinem, qui patre Romano & matre peregrina natus est, vel econtrario, hybrida appellatur. Plinius verò in v III. scribit, hybridas vocari sues ex fero & domestico sue progenitos, quæ appellatio ad homines quoq; translata est: adeò vt Caius Antonius collega Ciceronis in consulatu Hybrida vulgò diceretur. Dicuntur autem Hybridæ à verbo Græco ὑβρίζω, quod significat contumelior, & conuicior: & ὕβρις cōtumelia dicitur: quasi per contumeliā nati, quales sunt ex adulterio procreati. Mart. Hybridarum grex iam tibi foret plenus. Valerius Maximus author est, Quintum Varium cognominatū fuisse Hybridam, propter obscurum ius ciuitatis. Sensus est Tranquilli, Augustum compressisse coniurationem Themasini Epicadi, qui erat Hybrida è gente Parthica, tanquam patrem habuerit Romanū, matrem verò ex gente Parthorum, vel econtrario.

Ad extremum Telephi.] Scilicet coniurationem cōpressit: hoc enim verbum ad singula repetendū est.

Nomenclatoris.] Nomenclatores dicuntur serui, qui memoriter vnūquenque nominatim calare, id est, vocare didicerunt, vnde & illis nomen: quorum opera potissimùm vtebantur candidati, vt sibi in præhensando suffragatores nomina ciuium suggererent. Vnde & alio nomine fartores antiquitus dicti sunt. Veteres Romani cùm seruorum legiones domi haberent, quorum nomina ignorabant, mancipiorum causa nomenclator erat adhibendus: vt eleganter scribit Plinius. Cato Vticensis laudatur ab Historicis, quòd legem seruauerit, quæ candidato nomenclatores adesse vetat, vt per seipsū, sine nomenclatore, nominatim salutaret ciues Romanos, prænsarétque suffragatores. Augustus, authore Macrobio, quondam nomenclatori suo, de cuius obliuione querebatur, dicenti numquid ad forum mandas? Accipe, inquit, cōmendatitias: quia illhic neminem nosti. Refert Spartianus, Adrianū tanta memoria fuisse præditum, vt nomina plurimis sine nomenclatore reddiderit: ita vt nomenclatores suos sæpius errantes emendauerit. Nomenclatura verò dicitur quasi nuncupatio quædam & nominatio.

Vltimæ sortis.] Seruilis & sordidæ cōditionis: qualis est nomenclatoris, & hybridæ.

Andasius.] Quem suprà reum dixit falsarum tabularum.

Epicadus.] Quem vocat Hybridam. Fuit alter Cornelius Epicadus grammaticus Syllæ Dictatoris libertus, quem Tranquillus inter grammaticos numerat in libello de grammaticis.

Ex insulis rapere.] Scribet infrà Tranquillus, quemadmodum Augustus Agrippam nepotem abdicauit, ob ingenium sordidum, & in dies amentiorem in insulam transportauit: Iuliam quoque filiam relegauit in insulam, & demum post quinquennium ex insula transtulit in continentem. Sensus est Tranquilli, Andasium, atq; Epicadum destinasse rapere ex insulis Iuliam Augusti filiam, & Agrippam nepotem: cùm Telephus destinasset Augustum & Senatum trucidare.

Debita fato.] Vetus est verbum, principatum non nisi fato dari. Lampridius verò dixit, Imperatorem fortunæ esse: nam & minus boni reges fuerunt, & pessimi imperarunt.

Lixa.] Lixæ, ministri sunt militum, quorum officium est, vt aquam subministrent, quam veteres lixam vocauerunt. De Lixarum significatione lege Nonium, & Festum Pompeium. De his dixit Silius libro v. Punicorum: Inutile Marti lixarum vulgus. Et Lucanus ait in IX.

Stat dum lixa bibat. Scipio apud Liuium in concione militari Accium Vmbrū gregarium militem seditionis principem appellat semilixam, quasi semimancipium, nomine sordido & ignominioso. Præterea scribit Varro, lixulas, & semilixulas vocabulo Sabino dici circulos ex farina, caseo, & aqua commistos: & inter cibaria numerantur.

Hybridæ.] Ex apro, & sue: fero vno, & domestico altero cōceptos hybridas dixere. Manifestè enim & ad homines in contumeliam transfertur: ὕβρις enim Græcè, contumelia dicitur. quod Tranquillus significanter expressit, Romanum hominem Parthica gente creatum demonstrans. M. A N.

Ad extremum.] Nouissimé.

Serui nomenclatoris.] Quasi dicat, & fortunæ, & officii sordidissimi. Erant enim nomenclatores, qui ciuium nomina memoria tenebant, vocabántque quum opus erat. Seneca: Habebis conuiuas, quos ex turba salutantium nomenclator digesserit. Et rursus, Nemo verus nomenclator, qui nomina non reddit. Ab ipsa vocandi ratione nomenclator dictus: vnde & nomenclatura. Plinius: Et fit quædam in his nomenclatura.

Vltimæ sortis.] Sordidissimæ fortunæ: vt ad nomenclatorem, & hybridam id referas.

Andasius & Epicadus.] Frigidè nimis rem tantam attigisset, nisi coniuratorum saltem subiecisset cōsilia.

Iuliam filiam.] Ad neptis differentiam, quæ & ipsa Iulia est nuncupata: sed hæc, de qua nunc, Augusti filia, illa verò neptis: cæterùm vtraque adulterii conuicta in insulas, vt posteà dicetur, est relegata.

Agrippam nepotem.] Hunc Iuliæ & Agrippæ filium ob ferox ingenium Surrentum primò Augustus sepofuit: mox & in Campaniæ insolas deportari iussit.

Lixa quidam.] Qui exercitum quæstus causa sequebantur, lixæ à maioribus sunt dicti, vt Festo placet. Nonius, qui militibus aquarentur, ab eo quòd veteres aquam lixam dixerint, à ministerio lixas nominatos credidit. Alii à lixa, qui Herculem & ipse secutus sit. Quidam à quæstu liguriendo, quia quæstus gratia sequantur exercitum. Sed à lixe melius nomen factum, id est, cinere dixeris, quo vtuntur illi in tergenda supellectile: & inde coquendis cibis eam proruant, qui minimi ordinis sunt in popinis. Plinius Varronem sequutus, Lixa, inquit, cinis est foci: etenim cinis luxatis potus medetur: vt licet videre gladiatores, quum deluserint, hac iuuari potione.

Ianitor

ex Illyrico exercitu, ianitoribus deceptis, noctu deprehensus est, cultro venatorio cinctus, impósne mentis, an simulata dementia, incertum: Nihil enim exprimi quæstione potuit.

De bellis externis per eum gestis. XX.



EXterna bella duo omnino per se gessit, Dalmaticum adolescens adhuc, &, Antonio deuicto, Cantabricum. Dalmatico etiam vulnera excepit, vna acie dextrum genu lapide ictus: altera autem & crus, & vtrunque brachium ruina pontis consauciatus. Reliqua per legatos administrauit, vt tamen quibusdam Pannonicis atq; Germanicis, aut interueniret, aut nō longè abesset, Rauennam, vel Mediolanū, vel

PHIL. [Anitoribus.] Scilicet Augusti: qui sunt in numero seruorum. Cultro venatorio.] Venatores non solum armantur venabulo, sed etiā cultro breui, qui dicitur venatorius, muniuntur: de quo ait Martialis in Apophoretis: Hic breuis in grandem comminus ibit aprum.

Imposne mentis.] Mente captus: &, vt anóqui dicebant, menceps: tales enim per demētiam multa faciūt temere.

Quæstione potuit.] Tormentis. Apud Iurisconsultos titulus est, De quæstionibus. quo significatur, seruos in quæstione torquēdos esse. Apud eosdem titulus est, De Senatusconsulto Syllaniano, vbi sic scribit Vlpianus Quæstionem autē sic accipimus, non tormenta tantùm, sed omnem inquisitionem. Apud Oratores sunt communes loci à quæstionibus coutra quæstiooes.

Nihil exprimi.] Scribit Iurisconsultus, plerosque patientia siue duritia tormentorum ita tormenta contemnere, vt exprimi ab eis veritas nullo modo possit.

Per se.] Suo ductu, nō autem per legatos: quibúsq; ipse præsens non solùm interfuit, sed præfuit: expeditiones noo mandauit aliis, sed ipsemet sumpsit.

Dalmaticum.] Scribit Appianus, Dalmatas nationem Illyricam, domitos fuisse ab Augusto: qui fame fatigati se illi dediderunt, & obsides numero septingentos ex propriis filiis exhibuerunt. Ab his recepit signa, quæ Gabinio ademerant: & in porticu Octauia suspendit. Cantabricum.] Cantabri, Hispaniæ populi efferi sunt, & nullam vitam sine armis esse existimāt: de quibus sic scribit eleganter Silius:

Cantaber ante omneis hyemisq;, æstúsque, famísq;
Inuictus.- Et mox:
Nec vitam sine Marte pati: quippe omnis In armis
Locis causa sita, & damnatum viuere paci.

Cantabros, & vicinas illis gentes, quæ latrocinia exercebant, vt Scribit Strabo, oppressit Augustus. Hinc exiit illud Horatianum: Seruit Hispanæ vetus hostis oræ Cantaber sera domitus catena. De Cantabrico bello ita scribit Lucius Florus In 1111. Cantabrorū & prior, & altior, & magis pertinax io rebellando animus fuit. In quos non mandata expeditio, sed sumpta, ipse venit, & totam amplexus Cantabriam, efferam gentem, ritu ferarum, quasi indagine debellabat. Postquā extrema Cantabri vident, certatim igne, ferro, inter epulas, venenóque, quod ibi vulgò ex arboribus taxis exprimitur, percepere mortem, seque pars maior à captiuitate vindicauere. Augustus captiuos Cantabros sub corona iure belli vendidit,

Genu ictus.] Appianus: Serouia vrbe obsessa, barbarorum manus ingens in auxilium aduenerat: quos, obuiam eundo, Cæsar vrbem intrare prohibuit. Eo in prælio lapide genu saucius, per multos dies æger iacuit: conualescens Romam ad consulatum rediit.

Ruina pōtis.] Dum Augustus oppugnat Metuliū, quæ metropolis est Iapodum nationis Illyricæ, cōscendit pontem cum quatuor satellitibus, ex quo verecundantes milites confertim aduolauerunt: itaque prægrauatus pons corruit, ex cuius ruina plurimi ad terram labentes perierunt. Cæsar ipse crus dextrum, & vtrūq; brachium, saucius denuò turrim conscendit, ex qua quę fierent prospectabat. Pontem hunc significare videtur Appianus oō fuisse supra flumē collocatū, sed paratū ad mœnia scādenda. Romani enim quatuor pōtes struxerunt, vt per illos Metuli mœnia cōscendere possent: qui omnes alius post alium corruerunt. Lucius verò Florus tradit, Augustū iussisse pontem fieri, eúmq; & hoste, & aquis turbantibus, scutū de manu militis rapuisse, primúmq; ascendisse supra pōtem: qui cùm multitudine succubuisset, tunc Cæsar Augustus saucius manibus, ac cruribus, speciosiore sanguine, & ipso periculo augustior, terga hostium præcidit. Plinius inter incommoda Augusti reponit ruinas pontis.

Pannonicis.] Panuonii appellantur à Romanis, quos Græci Pæonas vocitāt: quorum fama olim formidine totam cūcussit Italiam, tanquam essent bello insuperabiles. Hi tribus fluuiis, Drauo, Sauo, & Istro vallantur: Hos subegit Augustus per Vibium: quorum arma in profluentes data, vt cæteris, qui resistebant, sic victoria nūntiaretur.

Germanicis.] Bella aduersus Germanos confecit in primis per Drusum priuignum.

EX Illyrico exercitu.] Quo Illyrico est bello vsus: aut certe ad Illyrū præsidium. M. AN.

Ianitoribus.] Ianuæ custodibus.

Cultro venatorio.] Venatoribus apto. Martialis:
Si deiecta geres longo venabula rostro,
Hic breuis in grandem comminus ibit aprum.

Quæstione.] Cruciatu. Externa.] Non ciuilia.

Per se.] Suo ductu, & auspiciis, non per legatos.

Dalmaticum.] A Dalmaria Istriæ, & Macedonicæ oræ interiecta, cui hæret à tergo Liburnia. Dalmatæ à Dalmanio vrbe, Appiano authore, sunt dicti.

Cantabricum.] Cantabri, vt Ptolemæus ait, citerioris Hispaniæ sunt populi, ad Septentrionem Oceano propinqui: vnde & Cantabricus Oceanus.

Vna acie dextrum genu.] Ad Setouiam in Illyrico vrbem primum vulnus accepit.

Ruina pontis consauciatus.] Ad Metulium ruina pontis, vt Appianus scribit, vtrunque brachium & crus consauciatus periculum vitæ adiit Augustus.

Quibusdam.] bellis.

Pannonicis, & Germanicis.] In Pannonas, & Germanos gestis.

Interueniret.] Præsens esset, aut certe suis iandudum bellantibus superueniret.

Mediolanum.] Cisalpinæ Galliæ oppidum, Insubriúmque, vt Polybius ait, metropolim.

Aquil

Aquileiam vsque ab vrbe progrediens.

De prouincijs per eum domitis, & in amicitiam receptis. XXI.



DOmuit autem partim ductu, partim auspiciis suis, Cantabriam, Aquitaniã, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni: item Rhetiam & Vindelicos ac Salassos, gentes alpinas. Coercuit & Dacorum incursiones, tribus eorum ducibus cum magna copia cæsis, Germanósque vltra Albin fluuium summouit. Ex quibus Sueuos & Sicambros, dedentes se traduxit in Galliã, atque in proximis Rheno agris collocauit.

PHIL. AQuileiam.] Plinius Aquileiam collocat io decima regione Italiæ. Fuit autem colonia Romanorum duodecim millibus passuum à mari sita: quam præterfluit Turrus amnis. Olim Aquileieses hoc specimen fidei erga Romanos exhibuerunt, vt in bello contra Maximinum funes de capillis mulierũ facerent, cum deessent nerui ad sagittas emittẽdas: quod aliquãdo Romæ dicitur factitatũ: vnde in honorem matronarum templũ Veneri Caluæ Senatus dicauit: author Iulius Capitolinus. Partim ductu.] Quãdo ipse ductor erat copiarum, & præsens bellicas sumebat expeditiones. Partim auspiciis.] Quando aliis bella gerẽda mandabat: quæ ipse quidem suis suscipiebat auspiciis, sed per alios absens hostes debellabat. In hanc sententiam est illud ab Ouidio dictum:

Auspiciis, animisque patris puer arma mooebis:
Et vinces animis, auspiciisq; patris.

Auspiciis, collegióque augurũ tantus honos erat apud antiquos vt nihil domi, belliq; nisi auspicio gereretur. Scriptum est in canonicis Decretis XXIII. q. v. duo esse genera auspiciorũ: alterũ ad oculos, alterum ad aures pertinere: ad oculos, scilicet volatum: ad aures, vocem auium.

Cum Illyrico omni.] Appianus enumeras quàm plurimos Illyrici populos, quos omnes ab Augusto domitos fuisse refert. Aquitaniã.] In qua, vt scribit Eutropius, M. Agrippa rem prosperè gessit. Est autem Aquitania, tertia pars Galliæ vlterioris. Rhetiam.] Thusci, duce Rheto, auitis sedibus amissis Alpes occupaoere: & à nomine ducis gentem Rhetorũ coondiderunt: author Iustinus in XX. De Rhetis ita Plinius in III. Rhetos Thuscorum proiem arbitrantur à Gallis pulsos duce Rheto. Vindelicos.] Contermini Rhetis sunt Vindelici, incolæ Alpiũ populi: qui in bello securibus vtũtur ritu Amazonio. Rhetos autem, & Vindelicos vicit Augustus virtute Drusi Neronis priuigni: in cuius laudem cecinit Horatius:

Videre Rheti bella sub Alpibus Drusum gerentem Vindelici.

Salassos.] Salassi, Alpini sunt populi, quos Cato Tauricæ gentis esse arbitratur. Salassorum sellus aurifodinas habet, diúq; olim potentes fuerunt: à quibus Decimus Brutus, data viritim drachma, sese redemit. Hi quãdoque Cæsaris pecunias diripuerunt. Tandem Augustus eos funditus deleuit, & omnes sub corona vendidit: author Strabo in IIII. Dacorum incursiones.] Daci solebant, duce Corissone, decurrere, & vicina populari, quoties Danubius gelu conglaciatus vndas concretas habebat: visum est Cæsari Augusto gentem aditu difficilem summouere. Misso igitur Lentulo, Dacos repulit vltra ripam Danubii vlteriorem: author L. Florus in IIII. Epitomatis. Dacos, vt inquit Stephanus, κάλουμεν Δάους, id est, vocamus Daos. Vnde apud Athenienses seruorum nomina sunt Δᾶοι, Daui, sicut & Getæ, quibus & poetæ vtontur in Comœdiis. Vltra Albin.] Albis fluuius est, qui in duo spatia Germaniam disterminat: vt author est in I. Geographiæ Strabo: qui in VII. quoque tradit, Romanos non transcendisse fluuium Albin. Olim à Sueuis tenebatur Australis Germaniæ pars trans Albin: de quo Lucanus in secundo Pharsaliæ:

Fundat ab extremo flauos Aquilone Sueuos
Albis, & indomitum Rheni caput.

Suenos & Sicambros.] Scribit Cæsar in IIII. Cõmentario, Sueuorũ gentem longè esse maximam, & bellicosissimam Germanorum omniom. Hi centũ pagos habere dicebãtur: dediti sunt venationibus: vinum ad se omnino importari non sinebant, quòd ea re ad laborem ferendum remollescere homines, atque effœminari arbitrabantur. Sicambros.] Sicambri & ipsi populi sunt Germaniæ transrhenani, qui quondã se in solitudinem ac syluas abdiderunt, quo tempore pons à Cæsare institutus fuit super Rhenum. Drusus auspiciis Augusti Sueuos & Sicambros pariter aggressus est: qui, viginti centurionibus interemptis, hoc velut sacramento sumpserant bellum. Victor Drusus pecora, & torques eorum, ipsósque nomine prædæ diuisit, & vendidit.

AQuileiam.] Carnorum vrbem, incumbentibus barbaris, vt Strabo ait, impositam: Latinam, id est, iure Latii donatam, vt Liuius scribit: vt alii, Romanorum coloniam. MAN.

Partim ductu.] Rebus gerendis præsens, quod proxime ostendit, quum per se duxit: Partim auspiciis suscepto, sed per alios administrato. Bella non nisi auspicatò, quod Liuius & Valerius docent, suscipi cõsueuere. Siquidem repetendorum auspiciorum causa summos magistratus in vrbem ex prouincia reuersos, non vno Liuius tradidit loco.

Aquitaniam.] Comatæ Galliæ partem, Pyrenæis montibus adiectam.

Pannoniam.] Quæ duplex est, superior, & inferior.

Rhetiam.] In Alpibus, & à Rheto Thuscorum duce dictam: hi à Gallis pulsi in Alpibus, vt Pliuius ait, consedere.

Salassos.] Eripsos Alpium incolas, ac Tauricæ gentis, vt Cato tradidit.

Gentes Alpinas.] Trophæi inscriptio, qood Augusto fuit io Alpibus erectum, habuit omnes Alpinas gentes à mari supero ad inferum, ductu, & auspiciis Augusti domitas. Eosebius Tyberium de Rhetis, & Vindelicis triumphasse scribit, Liuius à Druso, & Tyberio Rhetos domitos.

Dacorum incursiones.] Dacia inter Sarmatiam, & Istrum fluuium. Liuius omni Dacorũ mentione omissa, Bastarnas ait, & Mysos, & Thraces Augusti principatu à Crasso subactos. Eusebius Sarmatas à Tyberio.

Albin Germanos summouit.] Qoi Ptolemæo aothore, non longe à Cymbrica Chersoneso in Germanicum iabitur Oceanum. Suenos & Sicambros.] Eiusdem Germaniæ populos: &, vt idem author tradidit, inter se cõtiguos. Germanos autem transrhenanos Drusus Tyberii frater multiplici bello afflixit: Liuius & Eusebius sunt authores.

Alias

Alias item nationes malè quietas, ad obsequium redegit. Nec vlli genti sine iustis & necessariis caussis bellum intulit. Tantúmque abfuit à cupiditate quoquo modo Imperium, vel bellicam gloriam augendi, vt quorundam Barbarorum principes in æde Martis Vltoris iurare coegerit, mansuros se in fide, ac pace, quam peterent: à quibusdam verò nouum genus obsidum fœminas exigere tentauerit, quòd negligere mariū pignora sentiebat: & tamen potestatem semper omnibus fecit, quoties vellent obsides recipiendi. Neque aut crebrius, aut perfidiosius rebellantes grauiore vnquā mulctatus est pœna, quàm vt captiuos sub lege venū-daret, ne in vicina regione seruirēt, néve intra tricesimum annum liberarentur. Qua virtutis moderationísque fama, Indos etiam ac Scythas, auditu modò cognitos, pellexit ad amicitiam suam, populíq; Romani vltrò per legatos petendā. Parthi

PHIL. Alias nationes.] Scribit Florus, Noricos, Mysos, Thraces, Sarmatas, & in Germania Marcomanoos, atq; Cheruscos, & ad Meridiem Getulos, atq; Marmaridas, & ad Orientem Armenios, aliásq; nationes fuisse domitas, & ad obsequiū redactas ab Augusto. A Liuio quoque Cherusci Tenchteri, Cauci, aliæq; Germanorū trans Rhenum gentes subactæ à Druso referuntur.

Barbarorum.] Barbari dicebātur antiquitus omnes gentes, exceptis Græcis: Romani qooq; inter Barbaros numerabātur. Vnde ait Cato de Græcis ad filium: Nos qooq; dictitāt barbaros, & spurios. Et apud Liuiū Philippus rex Macedonū Romanos barbaros vocat.

Martis Vltoris.] Infrà scribet Tranquillus, quēadmodum Augustus forum extruxit cum templo Martis cognomento Vltoris: quod vouerat bello Philippensi, vltione paterna suscepto. Nouum genus obsidū.] Cor. Tacitus refert, efficacius obligari animos Germanorum, qoibus inter obsides puellæ quoq; nobiles imperātur. Ait Tranquil. Augustū à quibusdā accepisse fœminas pro obsidibus: quod nouum genus obsidū vocat, respiciens ad cōsuetudinem Romanorum, qui fœminas obsides accipere nō consueuerant: quāuis legerimus apud Historicos, ioter obsides à Romanis Porsenæ regi datos, fuisse virgines traditas: quarū clarissimæ Valeria, Publia & Clœlia. Mariū.] Masculorū pro obsidibus datorū. Mulctatus est.] Puniuit. A mulcta deriuatur mulctatitiū: inde leges apud Liuium ex pecunia mulctatitia factos ludos, & pateras aureas ad Cereris ædem positas fuisse. Sub lege.] Sub hac cōditione, quæ subsequitur. Liberarentur.] Per manumissionem liberi fierent. Pellexit.] Induxit, traxit. Et hoc cōmentus est Aogustus, vt ita in officio continerentur, metu longi, diuturnique seruitii.

Indos.] Tradunt Historici, Scythas misisse legatos ad Augustū, amicitiam petentes. Quinetiā Seres illos primos hominū, qui noscātur, Indósq; sub oriente Sole habitantes, cū gemmis, & margaritis, elephātos inter munera trahentes, venisse vltro petitū Augusti Cæsaris amicitiā. De quo ita Paulus Orosius: Interea Augustum Cæsarem apud Tarraconem Hispaniæ vrbem legati Indorū & Scytharū, toto orbe transmisso, tandem ibi inuenerunt: quem cum gentilitio munere supplex Eous Indus & Scytha Boreus orault.

Scythas.] Scythia duplex est, & Scythæ bipartiti: alteri Europæi sunt, alteri Asiatici: authores Plinius & Curtius. A Scythe Herculis filio nominātur. Quidam vt docet Stephanus, autumant dici Scythas ἀπὸ τοῦ σκυθίζειν, quod significat irasci. Sont enim ἐγχαύραται, id est, iracundissimi. Scythice, genus est calceamenti.

Parthi quoque.] Parthi, Scythico sermone exules dicuntur, sicuti refert Iustinus in x l. docens ab exulibus Scytharum Parthorum Imperium fuisse deductum. Regna Parthorum olim fuerunt duodeuiginti, authore Plinio, qui scribit Parthos cum Scythis ex æquo degere. Idem alibi tradit, regna Persarum esse eadem, quæ Parthorū: quorū rex Orodes, duce Surena, bella cum Romanis gessit: Crassúmque Romanorum Imperatorem cum filio & omni exercitu deleuit. Sequētibus quoque temporibus, M. Antonius bellum cum sedecim legionibus intulit Parthis, propterea quòd aduersus se & Augustū auxilia miserant Bruto & Cassio: sed multis præliis vexatus, à Parthia refugit, vix tertia parte exercitus incolumi. Augustus cùm in Syriam ad componendum Orientis statum peruenisset, metum iniecit Phraati Parthorū regi, ne bellum Parthiæ vellet inferre. Itaq; tota Parthia ex Crassiano Antonianóque exercitu captioi recollecti sunt, signáque cum his militaria Augusto remissa: sed & filii nepotésque Phraatis obsides Aogusto dati: plúsque Cæsar magnitudine sui nominis fecit, quàm armis alius Imperator facere potuisset.

M. AN. Alias nationes.] Vt Dalmatas, Pannonios, Thraces, ac præter hos Cheruscos, in Germania Cencreos, Caucos, qui omnes, Liuii testimooio, partim bello domiti sunt, partim ad Imperium reuocati.

Martis Vltoris.] Quod Philippensi bello vouerat: ritéque posteà construxit, & dedicauit.

Nouum genus obsidum.] Cur oouum, quum Liuio, Plutarcho, & Diooysio authoribus, constet à Romanis puellas obsides Porsenæ datas: sed ad recentiora, credo, tempora Tranquillus respexit, quibus mos ille vetus exoleuerat: aot certè ad Parthos, qui id genus obsidum dare non consueuerant.

Exigere.] Poscere.

Marium pignora.] Mares in pignus datos.

Crebrius, & perfidiosius.] Hoc ad violata fœdera: illod ad inconstantiam, & leuitatem attinet.

Rebellātes.] Temere ad arma, & bellū recurrētes.

Mulctatus est.] Actiuè dixit: io Cæsare aliter.

Sub lege.] Certa condioone.

In vicina regione.] Quò minus via vlla ad effugiū pateret. Triginta annos.] Vt non solùm graui, sed longo etiam plecterentur seruitio.

Indos.] Duplex India: citra, & vltra Gangem: hæc tam Macedonicis, quàm Romanis armis intacta: illa, quia proximior, idcirco & notior Alexādri signis peragrata. Scythas.] Qui longè latéqoe à Sarmatiā ad Aquilonem, & ortū solstitialem ad incognitas vsq; terras diffunduntur. Herodotus à Scythe Herculis filio putat nomen genti inditum.

Pellex

Pellexit.] Traxit. Parthi.] Qui à Scythis, vt Trogus scripsit, oriundi ingentes quandoque clades Romano populo intulere, Marco Licinio Crasso cum filio, & florentissimis legionibus primò cæsis, mox Antonio pluribus hominum millibus amissis procul repulso: Plutarchus, Liuius, & Appian. sunt authores.

authoritate subnixi, censemus legendum esse, ter clausit: sicut emendati codices habent, & quadrat historiæ: cuius incuriosi legunt, tertiò clausit: existimantes nihil aliud esse subintelligendum, quàm quòd tertio loco Augustus clauserit Ianum. In sacris veteres Romani

quoque & Armeniam vendicanti facilè cesserunt, & signa militaria, quæ M.Crasso, & M.Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt, obsidésque insuper obtulerunt: denique pluribus quondam de regno concertantibus, non nisi ab ipso electum comprobauerunt.

De Iano per eum clauso, & triumphis, & ouationibus eius. XXII.


Anum Quirinum semel atque iterum à condita vrbe ante memoriā suam clausum, in multo breuiore temporis spatio, terra mariq; pace parta, ter clausit. Bis ouans in-

PHIL. Armeniā vēdicanti.] Ad se trahenti Augusto. Titul. est apud Iurisconsultos De rei vendicatione, quo vendicantur res, quæ sunt Iuris nostri. & sic Augustus Armeniam vendicabat à Parthis, tanquam pertinentem ad ius Romani Imperii. Duæ sunt Armeniæ, maior scilicet & minor, regiones Asiaticæ: quarum latitudinem & lōgitudinem describit Plin. in v i. Inde à Luca. dictū est :- Nec tu populos vtraq; vagātes Armenia. Tradit Strabo in x i. Iasonem cum Armenio Thessalo ad ea loca processisse, & de nomine Armenii Armeniam fuisse nuncupatam. Scribit Rufus Armeniam conspirasse cum Parthis, missúmq; Caium nepotem ab Augusto cum exercitu, maiestate Romani nominis cuncta sedasse: &, vt author est Lucius Florus, recuperatum est per Caium Augusti nepotem ius olim seruitutis intermissum. Nanque Armenios, victo rege Tigrane, ad hoc seruitium Pompeius assueuerat, vt rectores à Romanis acciperent.

De regno concertantibus.] Similiter olim Aonibal fuit disceptator inter fratres de regni certamine ambigentes. Nam reguli Allobrogū fecerunt eum regni arbitrum, omnísque seditionis illius disceptatio ad eum delata est: qui Imperium dedit maiori fratri.

Ianum Quirinum.] Numa secundus Romanorum rex, Iani templum ad infimum Argiletum extruxit, qui index pacis foret & belli, vt apertus in armis, clausus in pace ciuitatem esse significaret. Semel ab ipso Numa clausus fuit: iterum post primum Punicum perfectum bellum: tertiò post bellum Actiacum ab Imperatore Cæsare Augusto pace mari, terrâque parta: quod nostræ, inquit Liuius, ætati dii dederunt vt videremus. Ad quod allusit Vergilius illo versu:

Claudentur belli portæ.- Sed diligenter animaduerte, Trāquillum scripsisse Ianum ter clausum fuisse ab Augusto, propter historiam, quam viri alioquin eruditi parum diligenter obseruauerunt. Scito igitur Augustum Cæsarem ab Oriente post Antonium Cleopatrámque deuictos, cum victoria redeuntem, tum primum clausisse Iani portas: quo die primùm Augustus cōsalutatus est: mox profecturus in Hispanias cū exercitu aduersus Cantabros, aperuit belli portas: quas iterum claustro cohibuit in honorem Cantabricæ victoriæ. Deinde cùm ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum cūctæ gentes vna pace compositæ forent, Iani portas tertiò Augustus clausit: & ita clausus est Ianus quinquies: semel à Numa Pompilio: iterum Tito Manlio consule, & ter per Augustum Cæsarem, multò breuiore tempore, quàm bis clausus fuisset à superioribus. Historia traditur explicatè ab Orosio libro v i. Historiarum: cuius

inuocabant Ianum Quirinum, Ianum Patultium, & Clausium. Quirinū autem cognominabant, quasi bellorū potentem: ab hasta quam Sabini curim vocant. Patultium, & Clausiū, quia bello portæ eius patent, pace clauduntur. Ouans.] Ouatio, minor est triumphus: Ouandi autem, & non triumphādi, causa est, quum hostium nomen humile est, aut cùm incruenta victoria obuenit: ideóq; oualis corona myrtea erat, tanquā nō Martius, sed quasi Venereus triūphus foret. Est enim myrtus, arbuscula Veneri dicata. Qui ouabant, introire solebant vrbem equo vehentes: quanuis Sabinus Massurius pedibus ingredi ouantes dicat, sequentibus eos non militibus, sicut in triumpho fieri solebat, sed vniuerso Senatu. De ouatione sic scribit Seruius enarrans illud Vergilianum:

Sola fuga nautas comitabor ouantes. Qui ouationem meretur, & vno equo vtitur, & à plebeiis, vel equitibus Romanis, deducitur ad Capitoliū, & de ouibus sacrificat: vnde ouatio dicta. Plutarchus quoq; in Marcello, tradit, in triumpho bouem immolari solitum: in ouatione autem ouem. Vnde huic triumphi generi nomen extat ouatio. Dionysius Halicarnaseus scribens quemadmodum Posthumius ouans introiuit, hæc memoratu digna tradit de ouationis triumphíque differentia: Primùm, inquit, ouans pedes ingreditur, nec in curru, sicut triumphator: deinde non picta veste induitur, nec ornatur trabea, qui peculiaris est consulum, ducúmque amictus: præterea non eodem vtitur sceptro, quo ille, qui triumphat.

Rmeniam.] Quam Tyberius, vt Eusebius ait, recepit: estq; Asiæ prouincia inter Taurum, & Caucasum. Trogus ab Armenio Iasonis comite tradidit, illi nomen inditum. Ptolemæus duplicem facit Armeniā: quod & Lucani carmen significanter demonstrat. M. A N.

-Nec tu, ait, populos vtraque vagantes Armenia.

Vendicanti.] Ad Romanum Imperium trahenti.

Facilè cesserunt.] Parthi scilicet.

Signa militaria.] Quæ Crasso fuerant adempta.

De regno concertantibus.] De regis electione, regnandique iure.

Ianum Quirinum.] Bellicosum, & Martium: vt quidam, Plutarcho authore, interpretantur. Vergilius:

Claudentur belli portæ. Quoties ab vrbe condita Iani templum claudi cōtigerit, Liuius, Plutarchus, & Dionysius docent. Semel Numa rege: Iterum post primum bellum Punicum M. Attilio, & T. Manlio consulibus.

Breuiore temporis spatio.] Quàm prius illud fuisset à Numæ temporibus ad primi belli Punici exitum.

Parta pace.] Plutarchus post victum Antonium Ianum scribit ab Augusto clausum.

Ouans

gressus est vrbem, post Philippense, & rursus post Siculum bellum. Curules triumphos treis egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, cótinuo triduo omneis.

De duabus cladibus eidem illatis. XXIII.



GRaues ignominias cladésq; , duas omnino, nec alibi, quàm in Germania, accepit, Lolianã & Varianam: Sed Lolianã maioris infamiæ, quàm detriméti: Variana penè exitiabilem, tribus legionibus cum duce legatísq; & au-

Ouans.] Minorem triumphum agens. Dio. Minorem triumphum Romani ouationem appellát: equo enim non curru vehebatur in ouatione, qui triumphabat, coronámq; gestabat myrteam: quã M. Cato vt mollem repudiasse dicitur, primúsque per ambitionem laurea in ouatione visus.

Ouare à militum voce potius quàm ab ouibus circa aras cæsis, vt quidã interpretantur.

PHIL. Post Philippense.] Bellum gestum in cãpis Philippicis aduersus Brutũ & Cassium.

Siculum bellũ.] Contra Sextũ Põpeium. Author est Valerius in capite de iure triumphandi, quòd quanuis quis præclaras res ciuili bello gessisset, Imperator tamen eo nomine appellatus non est, neq; vllæ supplicationes decretæ sunt, neque onauit, neq; curru triumphauit: quia vt necessariæ istæ, ita lugubres semper existimatæ victoriæ sunt, vtpote non externo, sed domestico partæ cruore. Attamé Augustus bis ouauit in ciuilibus bellis duobus: quorum alterũ gestum est aduersus Brutũ & Cassiũ: alterũ aduersus Sextum Pompeium Magni Pompeii filium.

Curules triumphos.] Magnus, verúsq; triumphus, curulis est: propterea quòd in curru deaurato triumphator vehebatur: & ita olim Camillus pust Veios debellatos, curru equis albis iuncto, vrbem inuectus est. De pompa, ordine, & formula triumphi, scripsimus in Commentariis in Propertium copiosissimè, illhinc, si quid desideraueris, poteris mutuari. Dalmaticum.] Dalmatas Illyrici populos domitos Augustus coegit fodere terras, aurúmq; venis repurgare: quod gens omnium cupidissima studiosa acquirit diligeutia: ex quibus victis triumphum egit Dalmaticum.

Actiacum.] Propter Cleopatram deuictam vnà cum Antonio apud Actium pugna nauali.

Alexandrinum.] Potitus Alexandria vrbe Aegypti omnium longè opulentissima & clarissima: cui dixit Augustus se parcere primò propter illius & magnitudinem & pulchritudinem: secundò propter conditorem Alexandrum: tertiò propter Arium philosophum Alexandrinum sibi in primis amicum.

Continuo triduo.] Octauo Idus Ianuarii vrbem triplici triumpho ingressus est Augustus. Et ad hos tres triumphos referendum est illud Maronianum:

At Cæsar triplici inuectus Romana triumpho.

Quod enarrans Seruius sic inquit: Tres Augustus habuit triumphos: primo die triumphauit exercitus, qui Antonium vicerat: secundo, qui Dalmatas vicerat: tertio ipse cum Alexandrino est ingressus triumpho. Author est diuus Hieronymus, Augustum celebrata de M. Antonio victoria, Romam repedasse, ducentem secum infinitum captiuorum numerum, & antiquorum Ptolemæorum omnium gazas: vt nec antè, nec postcà, tanta copia auri, argenti, gemmarúmque Romam aduecta fuisse noscatur.

Lolianam.] Loliana clades à M. Lolio dicta est, qui primus Galatiam prouinciam proprætore administrauit, vt docet Eutropius. Hic cùm in Germaniam ab Augusto missus esset, ignominiosa clade affectus est.

Varianam penè exitiabilem.] Quintilius Varus cum tribus legionibus à Germanis rebellantibus funditus deletus est, quum illius superbiam, libidinem, atque auaritiam ferre non possent: qui ruptis fœderibus, calcata fide, duce Arminio, arma corripuerunt, & Quintilium Varum nihil tale metuentem improuisò adorti vndique inuadentes castra rapueruut, legionibus tribus obtruncatis: nihil illa cæde cruentius, nihil insultatione barbarorum intolerantius: præcipuè sæuitum est in patronos causarum, quum aliis oculos foderent, aliis manus amputarent. Vni lingua recisa est: quam in manu tenens barbarus, Tandem, inquit, vipera sibilare desiste. Ipsius Quintilii Vari corpus effossum est, quod milites humauerant. Hac clade, vt tradunt Historici, factum est, vt Romanum Imperium in ripa Rheni fluminis staret. Plinius in septimo, inter infelicitates Augusti Varianam cladem numerat, his verbis: Iuxta hæc Variana clades, & maiestatis eius fœda sugillatio.

Legatis cæsis.] Legati ex viris consularibus mittebantur ad exercitus, secundi ab Imperatore: quibus legiones, & auxilia vniuersa obtemperabant: absente autem legato, præfectus legionis, tanquam vicarius, ipsius potestatem maximam retinebat: author Vegetius in secundo de re militari. De his legatis militaribus, eorúmque numero, ita scribit Liuius libro XXXVIII. in oratione Manlii Volsonis: Ex decem legatis, si diis placet, quod consilium dispensandæ, cohonestandæque victoriæ Imperatoribus maiores dederunt nostri, aduersarios habeo. Dignum memoratu est, quod refert M. Tullius in epistolis ad Atticum, maiores nostros non solitos legare iu decem legatis, qui essent Imperatorum necessarii.

Auxiliis cæsis.] Auxilia differunt à legionibus: quoniam auxilia sunt sociorum, legiones sunt Romanorum. Auxilia autem semper legionibus tanquam leuis armatura in acie iungebantur. Scribit Vegetius, minorem militũ numerum adscribi consueuisse in auxiliis, maiorem in legionibus. Hinc legionarii, & auxiliares milites discretim ab Historicis memorantur.

M. A N. CVrules.] Ad ouationis differentiam, quæ minoris triumphi, vt dixi, erat species.

Actiacum & Alexandrinum.] Vtranque ob Cleopatram.

Et Varianam.] Multi, & varii fuerunt Augusti successus: sed non propterea tales, vt non eos identidem fortuna variarit: nulla fuit vnquam in humanis rebus tam certa felicitas, quæ non aliquo modo fuerit ab ea conuulsa: vsqueadeò verissimum est illud Herodoti: [illegible]: dierum nullus prorsus quod alius affert. Vnde datur intelligi, tot esse in rebus vices, quot & dies. Sed hæc eò tendunt, vt Augustum, qui felicissimus eorum, qui Romæ rerum potiti sunt, iudicatus est, ipsum quoque per multa vtranque fortunam expertum nõ ignoremus. Sed Plin. vt cætera, elegãter Augusti est infortunia executus: & quod ad præsentem locũ attinet, Iuxta hæc, inquit, Variana clades, & fœda eius maiestatis sugillatio.

Excub

xiliis omnibus cæsis. Hac nuntiata, excubias per vrbem indixit, ne quis tumultus existeret: & præsidibus prouinciarum propagauit imperium, vt à peritis & assuetis socii continerentur. Vouit & magnos ludos Ioui Optimo Maximo, si Rempublicã in meliorem statum vertisset: quod factum Cymbrico Marsicóque bello erat. Adeò denique consternatum ferunt, vt per continuos menses, barba capillóque summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans: Quintili Vare, legiones redde: diémque cladis quotannis mœstum habuerit, ac lugubrem.

De disciplina eius circa rem militarem. XXIIII.

IN re militari & commutauit multa, & constituit: atque etiam ad antiquum morem nonnulla reuocauit. Disciplinam seuerissimè rexit: ne legatorum quidem cuiquam

PHIL. EXcubias.] Excubiæ, authore Seruio, diurnæ sunt, & oocturnæ: vigiliæ, tantummodo nocturnæ.

Indixit.] denuntiauit.

Præsidibus.] Præsidis nomen generale est, eò quòd omnes prouincias regentes præsides appellãtur: &, vt inqoit Vlpianus Iuriscõsultus, præses prouinciæ maius imperiũ in ea prouincia habet omnibus post priocipé.

Vt à peritis & assuetis cõtinerentur.] Quidam improbãt institutum illud Romanorum qoo annoos sũcim præsides, annuósq; ductores copiarũ faciebant: vt interdum prius se circũ ageretannus, quàm omnia forent expedita: & vt sæpe igoorareot milites, & ignorarentur à militibus. Vnde Annibal apud Liuium inquit: An me cum hoc semestri confesrã duce, cui si quis, demptis signis, Pœnos, Romanósque hodie ostendat, ignoraturũ certum habeo, vtrius exercitus sit cõsul. Igitur Augustus prolatault, ampliauítq; imperiũ his, qui erant præsides prouinciarũ: vt illæ administrarentur à iam cognitis, & peritis administrationum. Magnos ludos.] Circenses intelligit, qui modò Romani, modò magni variè appellati sunt: quos primus fecit Tarquinius Priscus: sicut affatim diximus in Iulio Cæsare. Tale est illud apud Liuium scribentem, quemadmodũ Ioui ludos magnos vouendos esse retulerunt decemuiri Senatoribus, si bellarũ esset prospere aduersus Annibalem, Résque publica io eodem, quo erat ante bellum, statu permansisset. Traditur etiã, Scipio Carthaginis victor, olim precatus esse deos, vt in eo statu Rempublicam seruarent, in quo tunc esset.

Quod factũ.] Vt scilicet ludi magni Ioui vouerẽtur.

Cymbrico.] Qood Caius Marius aduersus Cymbros ex Germania venientes gessit. Historia à nobis superius explicata est, & in Commentariis Propertii latius tradita. Marsico.] Marsicũ bellum oominatum est sociale, quoniã à Marsis rebellandi suscitatũ fuerat initium: author Strabo, qui scribit in v. Geographiæ, Marsos cõtra populum Romanũ constituisse receptaculum, propugnaculúmq; Corfiniũ metropolim Pelignorum, & Imperatoribus creatis biennio belligerasse aduersus Romanos: donec effectum est, vt ipsi io ciuitatem Romanã pariter vocarentur. Dictum est autem hoc sociale bellum, qooniam omne Larium, atq; Picenum, & Hetruria omnis, atq; Campania, postremò Italia contra matrem ac parentem suam Romam consurrexerunt Belli Marsici, siue socialis, ductor præcipuos fuit Popedius. Appianus in I. & Florus in III. de bello sociali multa conscribunt: de quo est illud Satyricum:

Calcatámqoe tenet bellis socialibus vuam.

Plinius tradit, bella socialia ooo minus pernicialia fuisse, quàm ciuilia. Capillo summisso.] Prolixo, immisso, intonso. Seneca: Caii inconstantia modò barbã capillúmq; sommittens. Frontinus: Nam & barbam & capillum submisit, & postea nunquam recumbens cibum cepit. Illideret.] Orosius hoc idem sic tradit: Cæsar Augustus hanc cladem adeò grauiter tulit, vt sæpe per vim doloris caput parieti collidẽs clamaret: Quintili Vare, redde legiones. Diem cladis.] Eodem die accepta est Variana clades, quo clades illa Cannensis pugnæ vastissima facta est. Fuit autem ante diem quartũ Nonas Sextiles, sicuti Historici meminerunt.

Lugubrem.] Inominalem, & atrum. Nam Romani dies atros appellabant funestos, & Reipu. Romanæ ob rem male gestam calamitosos.

Disciplinã.] Scilicet militarẽ: quæ virtus nomen populo Romano, & æternam gloriã peperit, quæ orbem terrarũ parere Romano Imperio coegit, vt tradit Cicero in oratione pro Murena. De hac ita loqmitur Titus Manlius apud Liuium: Disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem, Romana Respublica, soluisti. Legarorom.] Militarium, de quibus paulò antè. Scribit Liuius, quòd polluta semel militari disciplina, non miles centurionis, oon ceoturio tribuni, nõ tribonus legati, nõ legatus consulis pareat imperio.

M.A.N. EXcubias.] Vt nihil interdio, noctúve esse ex statione remissum intelligas: nanque diei, & noctis excubiæ sunt.

Præsidibus.] Iis, qui proninciis præsidebant. Est enim præsidere, ad opem præstandam præesse: generaléque oomen Martianus esse ait: omnes enim & procõsules, & legati Cæsaris, qui prouinciis præerant, præsides sunt dicti. Propagauit.] Ampliauit.

A peritis.] Gerendarum rerum non ignaris.

Magnos ludos.] De his io Cæsare abundè diximus.

Cymbrico bello.] Quod C. Marii ductu, & auspiciis est feliciter in Cymbros, Teutones, & Ambrones gestum. Plutarchus in Mario, & Liuius authores sunt.

Marsico.] Sociali bello, quum vno tempore plures Italiæ populi à Romanis defecere: sed Marsicum idcirco appellatum, vt Appianus scribit, quia à Marsis orta sit defectio.

Illideret.] Impingeret.

Diem cladis.] Quo clades fuerat in Germania accepta.

Quotannis mœstum.] Quasi statum diem per mœrorem, & luctum omnibus annis egerit.

Legatotum cuiquam.] Per quos, Marc. authore, ostendimus Augustum, & alios prouincias administrasse: non enim propria, vt Fenestella ait, sed mandata vtebantur iurisdictione. Varro, qoi ante hæc tempora, & adhuc libera ciuitate scripsit: Legati erant, inquit, publicè lecti: quorum opera, consilióq; magistratus peregrè vteretur.

nisi grauatò, hybernísque demum mensibus permisit vxorem interuisere. Equitem Romanum, quòd duobus filiis adolescentibus causa detrectãdi sacramenti pollices amputasset, ipsum, bonáq; eius subiecit hastæ: quem tamen, quòd imminere emptioni publicanos videbat, liberto suo addixit, vt relegatum in agro, pro libero esse sineret. Decimam legionem contumacius paren-

PHIL. GRauatò.] Grauatè, grauatim, aduerbium est.

Hybernis mensibus.] Quo scilicet temporis spatio, vt ait Liuius in v. omnium bellorum quies esse solet: & hyeme saltem milites in domos ac tecta reduci oportet, & aliquo tempore anni parentes liberósq; ac coniuges inuisere.

Vxorem interuisere.] Ita Annibal apud Liuium ad milites inquit: Si quis vestrûm suos visere vult, cõmeatum do: primo vere edico, adsitis, vt, diis bene iuuantibus, bellum ingentis gloriæ prædæq; futurũ incipiamus. Sic per totum tempus hyemis quies renouauit corpora, animósq; ad omnia de integro patienda. Interuisere, est inuisere, reuisere: &, vt videtur Donatus innuere, hæc particula inter, significat totum: vnde intercipit, quasi totum capit, ab eodem exponitur. Et Plautus in Aulularia, interbibere dixit, quasi totum bibere. Interuisere verò, est ex interuallo reuisere. Sic, apud Palladium, interlegere poma, est non tota colligere, sed per interualla decerpere, vt relicta in arboribus fiant grandiora, meliúsque maturescant, & vt succus ad meliora vertatur.

Sacramenti.] Scilicet militaris. Nanq;, teste Seruio legitima erat militia eorum, qui singuli iurabant pro Repub. se esse facturos: nec discedebant, nisi cõpletis stipendiis: & sacramentum vocabatur. Sententiæ Seruii adstipulatur Vegetius, sic scribens in II. De re militari: Milites iurare solent: & ideo militiæ sacramenta dicũtur. Iurant autem se omnia strenuè facturos, quæ præceperit Imperator, nunquam deserturos militiam pro Romana Repub. Hinc à Iuuenale milites sacramenta dicuntur illo versu:

Præmia nunc alia, atque alia emolumenta notemus
Sacramentorum.

Liuius verò tradit vsque ad tempus secundi Punici belli sola sacramenti religione auctoratos fuisse milites: mox iureiurando adactos à tribunis militum se conuenturos iussu consulum, neque iniussu abituros.

Pollices.] Qui militiæ munus ob formidinem subterfugiebant, soliti erãt sibi pollices præcidere, tanquã idonei amplius minimè forent ad arma tractãda. Hinc apud Fortunatianum exemplum causæ asystatæ, quæ dicitur ἄχρωμος, id est, sine colore, tale proponitur: Decem milites tempore belli pollices sibi amputauerunt: rei sunt læsæ Reipub. Est enim manus in homine organum organorum, sicuti philosophi docent, adeò vt Anaxagoras hominem prudentissimum omniũ animalium ideo esse crediderit, quoniam vnus omnium manus obtinet. Ipsi verò pollices in manibus dominãtur. Nanque, vt eleganter tradit Macrobius libro Saturnalium nouissimo, pollex nomen accepit ab eo quòd pollet: qui nec in sinistra cessat, nec minus, quàm tota manus, semper in officio est. Vnde apud Græcos ἀντίχειρ vocatur, quasi manus altera. Legimus apud Valerium in capite de Crudelitate, & apud Ciceronem libro III. Officiorum, Athenienses præcidisse pollices Aeginensium iuuentuti, ne populus, qui classe valebat, secum descendere posset in certamen virium maritimarum. Idem Valerius in capite De seueritate, refert seueram Senatus animaduersionem in C. Vectienum, qui sinistræ manus digitos, ne bello Italico militaret, absciderat. Scitu dignum est, & ad rem pertinens, id, quod tradit Ammianus Marcellinus, qui scribens de Gallorum moribus, sic ait: Nec eorum aliquando quisquam, vt in Italia, munus Martium pertimescens pollicem sibi præcidit: quos iocularìter murcos appellant. Murci autem, vt Marcellini verbum intelligas, dicuntur, Latino vetere vocabulo, desidiosi, & ignaui. Scribit Augustinus in quarto De ciuitate Dei, quòd Romani Deam vocauerũt Murceã, quæ faceret hominẽ murcidum, id est, nimis desidiosum, & inactuosum: sicut ecõtrario dicta est dea Strenua, quæ hominem faciat strenuũ. Præterea, ne hoc quoq; prætereamus, mos fuit regibus barbarorum, quoties in societatem coibant, applicare dextras, pollicésq; inter se vincire, nodóque perstringere: vbi mox sanguis in artus extremos peruenerat, leui vulnusculo cruorem eliciebant, atque inuicem lambebant. Id fœdus, vt refert Cornelius Tacitus, arcanum habebatur, quasi mutuo cruore sacratum.

Subiecit hastæ.] Vendidit in auctione, quæ fiebat apposita hasta: de qua copiose scripsimus in IIII. Propertii Commentario. Tertullianus eleganti vocabulo hastarium ab hasta nominauit id genus venditionis.

Imminere emptioni.] Dicũtur publicani imminere emptioni, conductionìve, quando quodam quasi calore licitationis inflati immodice licentur.

Addixit.] Vendidit. Est enim addicere, vendere in auctione: & propriè addicere dicitur prætor, quando debitorem tradit creditori, vt in eum & vitæ, & necis habeat potestatem. Inde addicti vocati, de quibus scriptum est in I. Commentario. Lex decemuiralis permittit creditoribus secare, si velint, partirique corpus addicti. Vnum est ex tribus verbis prætoriis, quæ sunt hæc, Do, Dico, Addico. In disciplina augurali aues dicuntur addicere, quando ratum faciunt auspicium. Liuius: Fabio auspicanti aues semel atque iterum non addixere.

NIsi grauatò.] Aduerbium, pro grauiter ferens. M. AN.

Hybernísque demum mensibus.] Quibus ob anni inclementiam aut nulli, aut rari ab hoste motus timentur.

Detrectandi.] Subterfugiendi.

Sacramenti.] Cui veteri militiæ instituto milites adhibebantur.

Pollices.] Primos vtriusq; manus digitos: seu quia veteres, vt quidam putant, his digitis vsi sunt, cùm iureiurando adhibebantur: aut, quod magis placet, vt militiæ inutiles redderentur, sicque sacramentum subterfugerent.

Subiecit hastæ.] Pro seruo vẽdi iussit. Qui auctionibus tam publicæ, quàm priuatæ præerant in atrio auctionario, hasta, vt Cicero ait, bona emptoribus adiudicabant.

Imminere emptioni.] Immoderatius licitantes.

Publicanos.] Publicorum vectigalium redemptores.

Addixit.] Destinauit, vt Seruio placet, vel habendum declarauit. Addicere enim, est licitanti rem auferendam permittere, hoc est lingua vernacula, deliberare: quo modo accipitur Cod. Ne pro dote mulieri, &c.

Cum

tem cum ignominia totam dimisit. Item alias immodestè missionem postulantes, citra commoda emeritorũ præmiorũ exauctorauit. Cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pauit. Centuriones statione deserta, itidem vt manipulares, capitali animaduersione puniit. Pro cætero delictorũ genere variis ignominiis affecit, vt stare per totum diem iuberet ante prætoriũ, interdum tuni-

PHIL. CVm ignominia.] Missione ignominiosa.

Missionem.] Legitimam & honestam. Suprà de missionum generibus satis dictum est.

Citra commoda.] Sine commodis, quæ emeritis stipendiis veterani consequi solent.

Exauctorauit.] Exauctorare, est liberare, priuaréque ab auctoramento, hoc est, obligatione militari, atq; stipendio: à quo exauctorati milites dicuntur, qui missionem habuerunt. Et quamuis frequenter cum dedecore exauctorare dicatur, persæpe tamen significat missos facere à militia milites citra vituperationem: sicut apud Liuium sic scribentem in XXV. Volonum exercitus, qui viuo Graccho summa fide stipendia fecerat, velut exauctoratus morte ducis ab signis discessit. Idem in trigesimosexto, Cùm differuisset, milites exauctoratos dimisit. Seneca quoq; sententialiter ait: Ille demũ necessitates supregressus est, & exauctoratus, ac liber, qui viuit vita peracta. Vlpianus exauctorare interpretatur, insignia militaria detrahere, quod cum infamia perficitur. Et ita in hoc loco accipimus, Augustum exauctorasse legiones cum ignominia: sicut etiam apud Lampridium scribentem, quòd Alexander tumultuantes legiones exauctorauerat.

Decimatas.] Decimari legiones dicuntur, quando decimus quisque supplicio afficitur ab Imperatore: cuius rei meminit Liuius in secundo ab vrbe condita, his verbis: Cætera multitudo sorte decimus quisque ad supplicium lecti. Macrinus Imperator, authore Iulio Capitolino, cùm seditiones militares pateretur, multos decimauit, aliquando etiam centesimauit: quod verbum proprium ipsius erat, quum se clementem diceret, quando eos centesimaret, qui digni essent decimatione atque vigesimatione. Est enim centesimare, ex centenis singulos afficere supplicio. Frontinus in quarto: Marcus Antonius cùm ager ab hostibus incensus esset, ex his, qui in opere fuerant, duarum cohortium militem decimauit.

Pauit.] Aluit, nutriuit.

Hordeo.] Non tritico, ignominiæ causa. Frontinus quoque ait, Marcum Antonium legatum cum ignominia dimisisse, reliquis ex legione hordeum dari iussisse. Hordeum antiquitus fuit cibus gladiatorum: qui ob hoc hordearii vocabantur: author Plinius in decimooctauo. Voluptas est, inquit Seneca, posse capere voluptatem ex hordeaceo pane. Veteres hordeariũ æs vocauere, quod pro hordeo equiti Romano dabatur.

Statione deserta.] Statio militaris significatur, quando milites stantes vigilant. Vergilius:

Succedunt, seruantque vices statione relicta.

Scribunt Iurisconsulti Digestis De re militari, quòd qui stationis munus reliquit, plus quàm emansor est. Itaque pro modo delicti aut castigatur, aut gradu militiæ deiicitur.

Itidem.] Similiter.

Vt manipulares.] Gregarios milites, viliorésque centurionibus. In legione Romana triginta sunt manipli, vt scribit Cincius in libro De re militari. Manipli dicũtur ab eo, quòd plures militum manus iunguntur, vt interpretatur M. Varro. Seruius enarrans illud Marouianũ: Desolatiq; manipli: inquit, Manipli dicti sunt signiferi, quia sub Romulo paupere adhuc, Romanus exercitus hastis fœni manipulos illigabant: & hoc pro signis gerebant. vnde hoc nomen remãsit. Manipulus, authore Liuio, leues vicenos milites, aliã turbã scutatorũ habebat: & manipulatim structa olim cœpit esse acies Romana. Vegetius verò in II. De re militari, scribit, manipulum vocari cõtubernium decem tantũmodo militũ sub vno papilione degentium: ab eo quòd coniunctis manibus dimicabant. Ouidius in Fastis aliunde deducit manipularis militis etymologiam, congruens cum sententia Seruiana. sic enim ait:

Pertica suspensos portabat longa maniplos:
Vnde maniplaris nomina miles habet.

Qui sunt in eodem manipulo, cõmanipulones dicti: inde etiam commanipulatio: quibus dictionibus vtitur Spartianus. Sensus est Tranquilli, Augustum pœna capitis pariter affecisse Centuriones desertores stationis, sicuti & manipulares milites, qui viliores sunt: quum tamen discrimina pœnarũ à Iurisconsultis adhibeantur, neq; omnes eadem pœna affici debeant: sicuti Digestis De pœnis, copiosè explicatum est.

Animaduersione.] Punitione & supplicio.

Stare.] Rectos esse: cui contrarium est, sedere. Masinissa rex stans cibum capere solebat. Statarium prandium eleganter dicitur, quod à stante capitur.

Prætorium.] Tabernaculũ ducis, quod alio nomine Augustale dicitur, prout docet Quintilianus in VIII. De prætorio mox plura.

Tunicatos.] Induros sola tunica, hoc est camisia: quæ & interula dicitur. Hinc illud, Quem vestire debuit interula, vestiuit interitus. Tunica sine manicis olim fuit: fuit & manuleata. Ad opulentiam Latinæ linguæ augendam nihil impedit, vt ait Priscianus, formare verba, tunico, tunicor, tunicatus.

CVm ignominia.] Quid sit ignominiosa missio, requite suprà. M. AN.

Immodestè.] Imprudenter, & tumultuosé.

Citra commoda.] Stipendiis, aliisque præmiis, quæ emeriti essent, non redditis.

Exauctorauit.] Militaribus insignibus, vt Vlpiani vtar verbis, spoliauit.

Cessissent.] Pro decessissent. Loco.] Præsidio, statione. Decimatas.] Decimo quoq; capitali supplicio affecto. In Dalmatia ad Pronomã, vt Appianus docet, cohortem vnam decimauit Augustus: reliquos per æstatem hordeo pauit. Quid Dion. de desertorum animaduersione scripserit, in Cæsare diximus.

Itidem.] Similiter. Manipolares.] Manipulis insertos: & ob id gregarios, & qui nullũ ducerent ordinẽ.

Tunicatos.] Centuriones scilicet. Quintilianus: Cui latus clauus non erit, ita cingatur, vt tunicæ prioribus oris infra genua paululùm, posterioribus ad medios poplites vsque perueniant: nam infra mulierum est, supra centurionum: tunicatos igitur, id est, tunicam tantùm habentes, omnique alio vestitu exutos: nam supra tunicam aliam vulgò vestem induere consueuerunt.

catos, discinctósque, nonnunquam cum decempedis, vel etiam cæspitem portantes.

De gestis eius circa rem militarem. XXV.

NEque post bella ciuilia, aut in concione, aut per edictum vllos militum commilitones appellabat, sed milites: ac ne à filiis quidem, aut priuignis suis imperio præditis aliter appellari passus est, ambitiosius id existimãs, quàm aut ratio militaris, aut temporũ quies, aut sua, domúsque suæ, maiestas postularet. Libertino milite, præterquam Romæ, incendiorum causa, & si tumultus in grauiore annona metue-

PHIL. DIscinctos.] Mos erat militaris, vt milites cingulo cincti semper essent: quod ad conuiuium euntes deponebant: &, vt inquit Iulius Capitolinus in Salonino Gallieno, à discinctis cum Imperatore cœnatur. Discincti, vt interpretatur Seruius, inhabiles sunt militiæ. Omnes enim, qui militant, cincti sunt: vnde discincti, inefficaces, & ignaui dicuntur: sicut ecõtrario præcinctos strenuos vocamus. Augustus iussit milites delinquentes pedibus stare discinctos: quod erat ignominiosum.

Decempedis.] Decempeda, pertica est, qua metatores vtuntur, à numero pedum dicta, sicut quincupeda à quinque pedibus. Cicero: Vrbem iã peritus metatur, & callidus decempeda sua saxa diuiserat. A decempeda decempedator deriuatur. Idem Cicero: Cauebat etiam Lucio Antonio, qui fuerat æquissimus agri priuati & publici decempedator. Idem in oratione pro Milone: Qui cum architectis & decempedis villas multorum hortósque peragrabat.

Cæspitem.] Cæspes, est terra in modum lateris cæsa cum herba. Ex cæspite agger Castrensis fit. Circunciditur autem ferramentis, continétque herbarum radicibus terram. Docet Vegetius in tertio, qua altitudine ac latitudine cæspes circuncidi debeat. Plinius de cæspitibus in x x x v. scribit hæc: Hinc & cæspitum natura castrorum vallis accommodata cõtra fluminũ impetus aggeribus. Ex cæspite in castris aræ erigebantur: quas ob id cæspititias Capitolinus appellat. Tibullus:

Cæspitibus mensas, cæspitibúsque torum.

Hæc autem omnia sunt genera ignominiarum, quibus milites delinquentes afficiebat Augustus.

Commilitones.] Augustus, authoribus Sexto Aurelio, & Eutropio, auunculi Iulii Cæsaris inuentum vehementer arguebat, qui milites commilitones nouo blandóque more appellans, dum affectat charior fieri, authoritatem principis emolliuerat. Græci *συστρατιώτας* vocant commilitones.

Aliter appellari.] Sensus est, Volebat Augustus, quòd filii, quòd priuigni, quando erant in imperio, milites semper appellarent, nunquam commilitones. De filiis Augusti, & priuignis, infrà explicatius dicetur.

Maiestas.] Tanquam minueretur Imperatoria sublimitas, & pollueretur apex Cæsareæ maiestatis, si commilitones appellarentur.

Libertino milite.] Libertinis militibus: singularis numerus pro plurali. Ideo autem libertino dixit, tanquam non foret legitimus miles: cùm ingenui sint milites scribendi. Attamen, vt luculenti scriptores tradunt, vt refert Macrobius, libertini post cladem ad Trasimenum acceptam in sacramentum militare vocati sunt. Bello sociali cohortes duodecim ex libertinis conscriptæ operam memorabilis virtutis præstiterunt. Cæsar Augustus in Germania & Illyrico cohortes libertinorũ plures legit, quas voluntarias appellauit.

Incendiorum causa.] Scribunt Iurisconsulti Digestis De officio præfecti vigilum, diuum Augustum septem cohortes ad arcenda vrbis incendia opportunis locis cõstituisse, vt binas regiones vrbis vna quæq; cohors tueretur: præpositis eis tribunis, & super omnes præposito spectabili viro, qui præfectus vigilum appellatur. Has septem cohortes ex libertinis militibus cõscriptas fuisse innuit Tranquillus.

Tumultus.] Perturbatio popularis: quoniam, vt inquit Lucanus, nescit plebes ieiuna timere. Liuius famẽ in ciuitate ingens malum vocat. Tumultus autẽ quid aliud est, inquit Cicero, nisi perturbatio tanta, vt maior timor oriatur: vnde & nomen ductum est tumultus, quasi timor multus. Itaq; maiores nostri tumultũ Italicũ, quòd erat domesticus: tumultum Gallicum, quòd erat Italiæ finitimus: præterea nullum tumultum nominabant. In tumultu vacationes datæ non valebant: quum in bello valerent.

Annona.] Caritate rei frumentariæ. De aliis quoq; cibariis annonam dici significat Cicero, scribens in secundo de Diuinatione: Annonam futuram cariorem in macello. Ab anno, annona inclinari videtur, tãquam sit anni alimonia: & cùm ex fame mala atrocia exoriantur, apud Romanos institutus fuit magistratus, qui huic curationi præerat, dicebaturque Præfectus annonæ: de cuius origine Liuius in IIII. Ab annona annonaria prouisio, & annonariæ leges dictæ.

DIscinctos.] Quod desidiæ, & otiosi erat, atq; militaris ignominiæ genus, vt Spartianus in Seuero principe demonstrat. MAN. Decempedis.] Ad ignominiam totum hoc referas necesse est: vt quasi opifex, non centurio, decempedam haberet: cùm centurionis esset ferre vitem, qua fabros, & milites segnius operantes pulsabat. Iuuenalis: -Et pigra muniret castra dolabra. Est enim decempeda regula, quæ ex decem pedibus constat. Horatius: Nulla decẽpedis metata. Græci *δεκάποδα* appellant. Posses & decempedas pro instrumento accipere, ad vinciendos pedes quæsito: sed prior sententia magis quadrat. Cæspitem.] Cæspitibus castrensis agger communiebatur. Ferre cæspitem gregarii erat militis, non centurionis: quin si segnius id ille faceret, à centurione, qui vitem gestabat, puniebatur. Iuuenalis:

-Frangebat vertice vitem. M. Varro: Parethonias lata modò vite per vrbes. Qui igitur in ordinem redactus, quod fabrorum erat, & gregarii militis insigne habere, munúsq; obire cogebatur. Cæspes, herba est cum terra reuulsa. Ne à filiis quidem.] Caio, & Lucio: de quorum adoptatione alibi. Priuignis.] Tyberio, & Druso Liuiæ filiis. Ratio militaris.] Lex, & ratio militandi. Temporũ quies.] Vt non tam ambitiose, quàm necessitate temporum appareat, C. Cæsarem eam vocem vsurpasse, vt commilitones pro militibus appellaret. Sua, domúsq;.] Domestica dignitas. Maiestas.] Sublimitas, & amplitudo. Libertino milite.] Quali Siculo bello est vsus, quum ad viginti seruorũ millia manumisit. Incendiorum causa.] Vt ab nocturnis incendiis vrbem tuerentur. Iuuenalis:

Noctur

retur, bis vsus est: semel ad præsidium coloniarum Illyricum contingentium: item ad tutelam ripæ Rheni fluminis: eósque seruos adhuc viris fœminísque pecuniosioribus indictos, ac sine mora manumissos, sub priore vexillo habuit, neque aut cómistos cum ingenuis, aut eodem modo armatos. *Dona militaria aliquantò facilius, phaleras, & torques, & quicquid auro, argentóq; constaret, quàm vallares, ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat: has quàm parcissimè, & sine ambitione, ac sæpe etiam caligatis tribuit. Marcum

-Nocturna incendia lapsus Tectorū assiduos.- Grauiore annona.] Rei frumentariæ penuria.

PHIL. Item ad tutelam.] Hoc est, iterū vsus libertino milite, dum Rhenum Germaniæ tuetur, ne transrhenani cis Rhenum possint commeare.

Seruos adhuc.] Antequam manomitterentur, fierentque libertini.

Indictos.] Sensus est: Augustus opulentioribus indixit, denūtiauitque, vt seruos pro facultatibus sibi darent, quibus manumissis

aliâs, donaria in militia vteretur: nam qui diuitiores erant, in illos onera inclinabātur: sicut olim à Seruio Tullio VI. Romanorū rege institutū fuisse docet Liuius.

Sub priore vexillo.] In prima acie, in qua hastati erant. A vexillo vexillarius deriuatur. Liuius: Ordo sexagenos milites, duos centuriones, vexillarium vnum habebant.

Donaria militaria.] Existimat Seruius, donaria esse loca, in quibus dona deorum reponuntur: sed malè, cùm donaria apud luculentos scriptores pro ipsis donis accipiantur. Iulius Capitolinus in Maximinis: Donaria militibus diuisit. Macrobius in III. Ornamenta sunt clypei, coronæ, & huiuscemodi donaria. Neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra sacrantur. Donaria autem, siue dona militaria, sicut habent quidam codices, sunt multiiuga: vt armillæ, hastæ puræ, torques, phaleræ, & militares coronæ, quæ sunt multifariæ. Sensus est, Augustum facilius dedisse militibus dona militaria pretiosa, quàm honorata.

Phaleras.] Phaleræ nō tam equorū, quàm equitum, nobiliúmque sunt ornamenta. Tradit Liuius in VII. comitia Flauii ædilitia tantum habuisse indignitatis, vt pleriq; nobilium aureos annulos & phaleras deponerent. Plinius quoque refert in XXIII. olim ab ordine equestri phaleras fuisse positas ex indignatione. A phalera phaleratus dicitur: inde apud Terentium phalerata dicta, pro honestis & ornatis. Græci, vt docet Suidas, vocant φάλαρα neutro genere, προμετωπίδας, id est, frontalia equorum, & ornatum.

Torques.] Torquis, circulus est flexibis ex auro obtorto ornamentum colli & summi pectoris. Masculino & fœminino genere dicitur ab eruditis. Gellius: Caput Galli præcidit, torquem detraxit, eamq; sanguinolentam in collum posuit. Refert Plinius, quod scitu dignum est, torquibus aureis auxiliares externos donatos fuisse à Romanis: at ciues nō nisi argenteis. A torque Gallo detracta Titus Manlius posteriq; eius Torquati sunt cognominati: historia notissima, & à nobis in quarto Propertii Commentario vberius explicata. Præterea torquatos vocari milites scribit Vegetius libro secundo De re militari, quibus aureus torquis ob virtutis præmium dabatur: & hi duplas consequebantur annonas. Torques, phalerásque præmia fuisse militaris virtutis, docent Gellius, & Plinius, qui scribunt, Sicinium Dentatum donatum fuisse torquibus tribus & sexaginta, phaleris vigintiquinque.

Quàm vallares.] Facilius dabat Augustus dona ex auro & argento militaria, quàm coronas castrenses, & murales: quæ tamen & ipsæ, si Aul. Gellio credimus, ex auro fieri solebant. Est enim vallaris corona, quæ alio nomine dicitur castrensis, qua donat eum Imperator, qui primus hostium castra pugnans introiuit. Ea corona insigne valli habet. Muralis est corona, qua donatur ab Imperatore, qui primus murū subit, inque oppidum hostium per vim ascēdit: idcirco quasi muri pinnis decorata est. Hæ tamen murales, vallaresq; coronę, quanquam aureæ, cedunt ciuicæ coronæ, quæ ex arbore glandifera fit. Author Plinius in XVI.

Caligatis.] Sensus est, Etiam si vilissimus miles coronam muralem, vallarémq; ob rem bene gestam meruisset, eam illi dabat Augustus, habita ratione virtutis, non ambitionis. Causam enim, non hominem perpendebat. Caligatus autem miles, dicitur gregarius, & infimæ conditionis, à caliga calceamento militari: de quo infrà dicetur in Caligula. De caliga Maximini Imperatoris prouerbium est apud Iulium Capitolinum, qui ait, calceamentum Maximini fuisse maius hominis vestigio, atq; mensura. Vnde vulgò tractum fuit, vt de longis, & ineptis hominibus diceretur, Caliga Maximini. A caliga, caligaris clauus dictus: ad quem est illud Satyrici poetæ referendum:

Et in digito clauos mihi militis hæret.

Illyricum contingentium.] Vt Aquileiæ, Concor- M. AN.
diæ in Carnis, Istriæ finitimarum: vel Polæ, & circuniectarum Arsiæ fluminis Italiæ confinio vrbium.

Pecuniosioribus.] Ditioribus.

Indictos.] Adscriptos: vt quò maioribus quisque esset opibus præditus, eò plures priuata pecunia ad Reipublicæ vsum seruos pararet.

Sub priore vexillo.] Liuius primum vexillum triarios duxisse ait: alterum rorarios minoris roboris ætate, ac factis: tertium accensos, minimæ fiduciæ manum. Sed Liuius ad dignitatem respexit, Tranquillus ad ordinem, quo in acie disponuntur.

Cum ingenuis.] Liberæ conditionis.

Phaleris.] Quas Græci alio nomine προμετωπίδια dicunt, quibus equorum frontes ornantur. Gellius: Equitatum frænis, ephippiis, monilibus, phaleris refulgentem. Græci τὰ φάλαρα neutro genere pronuntiant.

Torquésque.] Aureus torques solidus virtutis militaris præmium, vt Vegetius scripsit, ita vt qui eo munere donati essent, duplicem interdum acciperent annonam. Iuuenalis:

Vt læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

A torque hosti Gallo adempto, Torquati cognomen familiæ datum est: Liuius & Ouidius authores.

. Quàm vallares.] Quàm dixit, quòd diuersa materia constarent: sed Gellius murales, castrenses, siue vallares ex auro solitas fieri scripsit: verùm figura ipsa distabant, quòd muralis in pinnarum, vallaris verò in veram speciem figurabatur. His donari consueuere, qui primi aut castrorum vallum, aut hostiles transcendissent muros.

Sine ambitione.] Non gratia, sed meritò.

Caligatis.] Caliga,militari habitu præditis,ac quasi gregarius,& obscuræ militiæ hominibus dicere voluisset. Sed de caliga militari suo loco.

M. Agrippam.] Per quem naualem victoriam fuerat adeptus.

stolis, σπεῦδε βραδέως. id est, matura. per quod monebat, vt ad rem agendam simul adhiberetur industriæ celeritas,& diligentiæ tarditas: ex quibus duobus contrariis fit maturitas.

Et,sat celeriter fieri.] Sententia Catoniana est: Sat citò, si sat bene.

Agrippam in Sicilia post naualem victoriam cæruleo vexillo donauit. Solos triumphales, quanquam & socios expeditionũ,& participes victoriarum suarum,nunquam donis impartiendos putauit: quòd ipsi quoque ius habuissent tribuendi ea, quibus vellent. Nil autem minus in perfecto duce, quàm festinationem temeritatémque conuenire arbitrabatur. Crebrò itaq; illa iactabat: Σπεῦδε βραδέως· ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης. Id est, Festina tardè: tutus enim est melior, quàm temerarius Imperator. Et, sat celeriter fieri, quicquid fiat satis bene. Prælium quidem aut bellum suscipiendum omnino negabat, nisi cùm maior emolumenti spes, quàm damni metus ostenderetur. Nam minima commoda nõ minimo sectantes discrimine, similes aiebat esse aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnũ nulla captura pensari posset.

PHIL. CAeruleo vexillo.] Cùm virtute & opera Marci Aprippæ Sextus Pompeius nauali prælio profligatus fuisset, meritò ei dono dedit Cæsar vexillum cæruleũ, hoc est, glauci marinique coloris, vt insigne esset maritimi prælii, naualísque victoriæ. Tradit Seruius in VIII. Aeneidos Commentario, quòd Imperator Romanus iturus ad bellum cum exercitu, ex Capitolio proferebat duo vexilla: alterũ roseum, quod pedites euocabat: & alterum cæruleum, quod erat equitũ. Nam cæruleus color, est maris, à cuius deo Neptuno equum constat inuentum. Præterea scribunt idem Seruius,& Plinius, Augustum tribuisse Marco Agrippæ coronam rostratam, quia vicerat Sextum Pompeium nauali certamine. Rostrata autem corona est, qua donari solet maritimo prælio, qui primus in hostium nauem vi armatus transiliuit. Ea quasi nauium rostris insignita fieri ex auro solebat. Cæruleus autem color, est maris, quem Venetum quoque,& thalassicum appellari ab eruditis, docuimus in libro Annotationum. Gellius quoque in secundo, refert cæruleum colorem esse viridem, qui Græco verbo à Latinis vsitato dicitur glaucus: sentitq; cæsium esse eundem, quum ait: Nostris Latinis veteribus cæsia dicta est, quæ à Græcis γλαυκῶπις dicitur, vt Nigidius ait de colore cæli, quasi cælia. Glaucopis autem epitheton est Mineruæ, quasi habentis oculos glaucos. Homerus, γλαυκῶπις Ἀθήνη.

Quæ quum à perfecto Oratore in præfatiuncula diceretur, risisse se Hieronymus adhuc adolescẽtulus profitetur in epistola ad Pammachium consolatoria, vbi subiungit: Meminisse te puto erroris mutui, quando omne Athenæum scholasticorum vocibus consonabat, Sat citò, si sat bene.

Spes & metus.] Antitheton est: spei enim opponitur metus, cum illa sit de futuro bono, hic de futuro malo.

Aureo hamo piscantibus.] Sextus Aurelius: Arma, nisi maioris emolumenti causa, nequaquam mouenda esse, dicebat Augustus: ne compendio tenui, iactura graui petita victoria similis sit hamo aureo piscantibus, cuius abrupti, amissique detrimentum nullo capturæ lucro compensari potest.

Triumphales.] Quemadmodum consulares dicũtur, qui olim gesserunt consulatum: ita triumphales viri, qui aliquando triumpharunt.

Nunquam donis.] Augustus nulla vnquam dona militaria impartiuerat viris triumphalibus participibúsque victoriarum: tanquam indecorum esset donare his, qui & ipsi eandem donandi facultatem habuissent.

Quàm festinationem.] Apud Liuium sic ait Fabius: Festinatio, improuida est & cæca. Et idem temeritatem, præter quàm quòd stulta sit, infelicem etiam esse demonstrat.

σπεῦδε βραδέως.] Verba Græca sunt, quæ ita interpretantur: Festina tardé. Cautus enim est melior, quàm temerarius Imperator militaris. Aulus Gellius scribit libro nono Noctium Atticarum, Diuum Augustum solitum esse dicere in sermonibus, & scribere in epi-

M. AN. CAeruleo vexillo donauit.] Colore marinis fluctibus simili. Sextus Pompeius & ipse, vt Appianus scribit, ob multiplices maris successus cæruleum paludamentum pro purpureo induit. Seruius author est, cæruleum vexillum equitum alas apud maiores cogere solitum: ob id, credo, quia & Neptunus equester ab initio Romæ cultus est, & quia equus eidem numini adscribitur. Vergilius:

-Túque ô cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti.

Cæruleus color, medius inter viridem, & nigrum, vt Seruio placet. Eundem Græci glaucum, Latini rursus & cæsium dixere, quasi cælium, à cæli colore, vt Nigidius tradidit.

Triumphales.] Eos, qui triumphum egissent.

Donis impartiendos.] Quasi militaribus donis ornandos.

Quod ius habuissent.] Reddit causam cur eiusmodi viris nulla impartiuerit dona: parum enim decorum visum esset, eos ab aliquo ea munera exigere, aut accipere, quæ aliis tribuendi ipsi potestatem quandoque habuissent.

In perfecto.] In optimo, & consummato.

Σπεῦδε βραδέως· ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης.] hoc est, Festina tarde: Cautus enim melior est, quàm temerarius Imperator.

Emolumenti.] Lucri.

Nulla captura pensari posset.] Nullum capti piscis pretium.

De consulatibus, & alijs gestis per eum. XXVI.



MAgistratus atque honores, & ante tẽpus, & quosdam noui generis, perpetuósque cepit. Consulatum vigesimo ætatis anno inuasit, admotis hostiliter ad vrbem legionibus, missisque, qui sub nomine exercitus deposcerent: cùm quidem cunctante Senatu, Cornelius centurio princeps legationis, reiecto sagulo ostendens gladii capulum, non dubitasset in curia dicere, Hic faciet, si vos non feceritis. Secundum consulatum post nouem annos, tertium anno interiecto gessit, sequentes vsque ad vndecimum continuauit. Multísq; mox, cùm deferrentur, recusatis, duodecimum magno, id est, septendecim annorum, interuallo, & rursus tertiumdecimũ biennio pòst vltro petiit, vt Caium & Lucium filios amplissimo præditus magistratu, suo quenque tyrocinio de-

PHIL. ANte tempus.] Scilicet præscriptum à legibus, quæ annales dicuntur. Etenim, inquit Cicero in quinta Philippica, Legibus annalibus cùm grãdiorem ætatem ad consulatum constituebant, adolescentiæ temeritatem verebantur. Itaque maiores nostri, veteres illi admodum antiquas leges annales nõ habebant, quas multis pòst annis attulit ambitio. Censet itaque Cicero, vt Cæsar Augustus soluatur à legibus annalibus: & allegat exempla nobilium Romanorũ, qui admodum adolescentes consules facti tantas res gesserunt, vt Imperiũ populi Romani auxerint, nomen ornauerint. Senatus, authore Appiano, indulsit Cæsari Augusto, vt consulatũ petere posset per decennium antequam per legem liceret. Leges annales alio vocabulo comitiales dixerũt, vt ostẽdit Pacatus sic scribens in hãc sententiam: In præturis, aut ædilitatibus capessendis ætas spectata sit petitorũ: nec quisquam tantum valuerit nobilitate, vel gratia, vel pecunia, qui annos comitiali lege præscriptos festinatis honoribus occuparit. Noui generis.] Vt triumuiratũ.

Perpetuos.] Vt tribunitiam potestatem, quã perpetuam recepit. Missisque.] Scribit Appianus, Augustum misisse ad Ciceronem, vt pro se peteret consulatum, videlicet asserentem se consulis nomine duntaxat contentum fore: Ciceronem verò consulatus futurum gubernatorem atque magistrum. Praeterea turmarum duces ad Senatum mittendos statuerunt, qui consulatum Cæsari dandum postularent: quibus quidam Senatores obstrepere cœperunt. Quod cùm intellexisset exercitus, iracundia flagrans, se ad vrbem deduci proclamauit, veluti Augustum Cæsaris filium facturus consulem. Sagulo.] Vestimento militari. De sagis, & sagatis diximus in 1. Commentario. Vergilius:

Virgatis lucent sagulis.-

Capulum.] Capulum dici voluerunt antiqui, loculum, in quo cadauera portabantur: Græcè σορὸν appellatur: à capiendo capulus dictus. Inde senex capularis vocatur à Plauto, iam morti vicinus: & prisci, authore Placiade, reos capulares dicebant, qui capulo digni essent. & Lucilius ait: Pergit capulare cadauer. Capulus quoque significat manubrium gladii: in quo significato hîc accipitur. Scribit Plinius, Indos factitare capulos gladiorum de sardonyche gemma. Apud Plautum in Casina, iocus est festiuissimus, quo sub nomine capuli significatur manubrium membri virilis. Sic enim inquit Olympio villicus: Dum gladiũ quæro ne habeat, arripio capulum. Hic faciet.] Scilicet gladius: quasi dicere vellet, vi & armis milites facturos Augustum consulem, si ex Senatus decreto non fieret. Simile est exemplum illius Centurionis, qui à Cæsare Dictatore Romam missus, stans pro foribus curiæ, quum tempus imperii minimè Cæsari prorogari cognouisset, cõcusso manu gladii capulo: Hic prorogabit, inquit.

Post nouem annos.] A primo scilicet consulatu. Lege cautũ erat apud Romanos, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet: authores Liuius in VII. & Cicero libro III. de Legibus: sed Augustus huiusce legis fuit præuaricator.

Continuauit.] Sine aliquo temporis interuallo.

Recusatis.] Consulatibus.

Duodecimum.] Consulatum.

Interuallo.] Temporis spatio, intercapidine, interstitio. Biẽnio pòst.] A duodecimo scilicet consulatu.

Filios.] Scilicet per adoptionem: de quibus pauló pòst. Tyrocinio.] Tyrociniũ, præter illud militare rudimentum, dici ab eruditis solet, quando adolescentuli togam sumũt, & barbam ponunt, eloquentiámque in foro auspicantur. tunc enim & ipsi tyrones dicebantur: & illa prima actio, tyrocinium. Seneca libro III. Declamationum: Ille in foro primùm dicturus, tyro dictus est. Tyrocinii die induebantur toga, quæ pura est cognominata. Vnde ait Plinius libro VIII. Tanaquil prima texuit rectam tunicam, qua simul cum toga pura tyrones induuntur, nouæque nuptæ. Et M. Tullius in epistolis ad Atticum, in tyrocinio filii Ciceronis togam puram illi dedisse se Arpini scribit. Infrà refert Tranquillus, Caligulam togam sumpsisse, barbámque posuisse sine vllo honore: qualis contigerat tyrocinio fratrum eius. Idem tradit, quemadmodum Nero deductus in forum tyro, populo cõgiarium, miliò donatiuum proposuit. De hoc itaque tyrocinio intelligas hoc loco indubitanter. & est sensus, Augustum sponte petiisse duodecimum, & tertiumdecimum consulatum, vt consul filios deduceret, hoc est, comitaretur in forum maximo honore ad auspicandam eloquentiam sumpta toga pura. De hoc tyrocinio videtur Seneca loqui, cùm ait: Quantũ senseris gaudiũ, cùm prætexta posita sumpsisti virilem togam, & in forum deductus es.

Suo quenque.] Maiorem natu in duodecimo consulatu, minorem natu in decimotertio.

ANte tempus.] Vt consulatum: quum ante trigesimum annum lege creari non posset. Plutarchus, Nondum, inquit, triginta natus annos, consul fit. M. A N.

Perpetuos.] Vt tribunatum, & censuram.

Inuasit.] Vi ciuitati expressum.

Hostiliter.] Minaciter, vt hostis: Appianus & Liuius sunt authores.

Cunctante.] Tardius decernente.

Princeps legationis.] Legatorum primus.

Sagulo.] Militari veste.

Capulum.] Manubrium, vt Satyri verbo vtar. Iuuenalis: Manubria cultellorum. Cæterùm Vergilius:

duceret in forum. Quinque medios consulatus à sexto ad vndecimum annuos gessit. Cæteros autē sex, aut nouem, aut sex, aut quatuor, aut tribus mensibus, secundum verò paucissimis horis. Nam die Calendarum Ianuarii cùm manè pro æde Capitolini Iouis paululùm curuli sella præsedisset, honore abiit, suffecto alio in locum suum. Nec omnes Romæ, sed quartum consulatum in Asia, quintum in insula Samo, octauum & nonum Tarracone iniit.

De gestis per eum in officijs triumuiratus, & tribunitiæ potestatis. XXVII.

TRiumuiratum Reipublicæ constituendæ per decem annos administrauit: in quo restitit quidem aliquandiu collegis, ne qua fieret proscriptio, sed inceptam vtroque acerbius exercuit. Nanque illis in multorum sæpe personam per gratiam, & preces exorabilibus, solus magnoperè contendit, ne cui parceretur: proscripsitque etiam C. Toranium tutorem suum, eundémque collegam patris sui Octauii in ædilitate. Iunius Saturninus hoc amplius tradit: cùm peracta proscriptione M. Lepidus in Senatu excu-

-Capulo tenus abdidit ensem.

Post nouem annos.] Vndetrigesimo vitæ anno.

Septendecim.] Decimoseptimo anno. Gellius: Qui minores essent annis septendecim.

Caium & Lucium.] Agrippæ, & Iuliæ filios, quos sibi adoptarat.

num opus. Tarraconensia vina nobilitantur elegantia. Inde à Silio dictum est: -Dat Tarraco pubem

Vitifera, & Latio tantùm cessura lyæo. Eiusdem sententiæ adstipulator est Epigrammaticus poeta, qui ait in Xeniis: Tarraco Cāpano tantùm cessura lyæo.

Magistratu.] Cōsulatu.

Suo tyrocinio.] Noua, rudiq; exercitatione, vt duodecimo Augusti consulatu Caium in forum traductum intelligas, decimòtertio, quem biennio pòst gessit, Luciū eius fratrem.

PHIL. ANnuos.] Est enim consulatus annuus magistratus. Secundū paucissimis horis.] Quia statim iniit consulatum, & statim deposuit.

Pro æde.] Ante templū, vel in templo. Iouis Capitolini.] Ostendit Liuius, cōsules die initi magistratus solitos fuisse adire omne templum Iouis, & proficisci in Capitolium ad vota nuncupanda.

Calendarum Ianuariarum.] Qui dies solennis erat ineundis magistratibus. Aliquando tamen alii dies fuerunt huic solennitati attributi: sicut olim Idus Maias fuisse solennes ineundis magistratibus refert Liuius in III. idem in v. Idus Decembres solennem fuisse ineundis magistratibus diem prodidit. Idem memorat, consules iniisse consulatum olim Calēdis Sextilibus: quia principiū anni eo die agebatur. Idem XXXI. ait, quòd Idibus Martiis olim consulatus inibatur. Curuli sella.] Calendis Ianuariis noui cōsules inibant magistratū, & in sella eburnea sedere solebant: de qua intellexit Ouidius illo versu ex I. Fast.

Et noua conspicuum pondera sentit ebur.

Et Horatius in I. Epistolarum sic inquit:

-Dabit, eripietque curule

Cui volet importunus ebur.- Curulis autem sella ob eam causam appellatur, quòd curru honoris gratia soliti erant in curiam vehi Senatores, qui curulem magistratū, hoc est, maiorem honorem gessissent: in quo curru sella esset, supra quam considerent.

Honore abiit.] Consulatum deposuit. Suffecto.] Substituto, subrogato. - Nec omnes Romæ.] Soliti erant consules designati inire consulatū Romæ, & non alibi. Inde Flaminius cùm Arimini, & nō Romæ, consulatum iniisset, iram mouit Senatoribus, tanquā pollutor & euersor veteris instituti. Nunc ait Tranquil. Augustum similiter consulatus iniisse diuersis in locis.

Samo.] De hac insula superius nimis multa.

Tarracone.] Tarraco ciuitas est Hispaniæ, Scipio-

Triumuiratū.] A numero virorū magistratus interdum appellantur: vt quatuoruiratus, decēuiratus, & triūuiratus. Fuerunt etenim tres, Augustus, Antonius, & Lepidus, qui triūuiratū inierunt, nō tam Romanā Rempublicā reformaturi, quàm crudelitate & proscriptionibus euersuri.

Collegis.] Antonio & Lepido.

Ne qua fieret proscriptio.]. Hæc est illa nefaria proscriptio, qua in primis Cicero proscriptus fuit vnà cum filio, fratre, fratrisq; filio, omnibus denique clientibus & amicis: cùm tamen diu recusasset Augustus proscribi Ciceronem, quem patrem appellare solebat: tādem expugnatus Ciceronem proscribi concessit Antonio hac conditione, vt Antonius sibi L. Cæsarem auūculum, & Lepidus Paulum fratrem proscribendos necandósque concederent.

Ne cui parceretur.] Scribit tamen Appianus & Metellum & Marcū proscriptos, à Cæsare Augusto incolumes seruatos esse: cùm Metello ob filiū pepercisset: & Marcū Agrippæ causa ex proscriptorū numero exemisset. Caium Toraniū.] De hoc Appianus: Erat inter proscriptos C. Toranius, à nonnullis Cæsaris procurator habitus. Alius fuit Toranius ille mango, cuius symphoniacis inter cœnā delectatus est Augustus: quāuis quidam Macrobii codices nō Toranium scriptum habeāt, sed Turoniū. Eiusdē Toranii meminit Pli. in v. II.

ANnuos.] Per integrū annū. Capitolini Iouis.] Quò noui consules primo honoris die cōscendebant. Ouidius, & Tranquillus in Cæsare id docent. M. AN.

Tarracone nonum.] Citerioris Hispaniæ oppido: vnde & ipsa Tarraconensis appellata. Triumuiratū.] Quem ad Remp. arbitrio cōstituendam cū Lepido, & Antonio iniit. Proscriptio.] Eam alio loco in Lauini fluuii insula factā ostendimus. Exorabilibus.] Gratiæ, & precibus facilè cessuris. Contendit.] Pertinaciter obstitit. Ne cui parceretur.] Sed Appiano authore constat, proscriptorum quosdam numero per gratiam exemptos. Tutorem.] Gubernatorem, siue defensorem potius, quasi tuitorem, vt Vlpianus interpretatur: dictus est enim tutor, cui ciuili iure potestas est liberi capitis tuendi, eius dico, qui per ætatem se

sponte

sponte tueri nequeat.

Peracta proscriptiooe.] Sumpto de proscriptis sopplicio.

PHIL. PRæterita.] Tanquam iustis de causis proscriptionem illam fecissent. Præterita, vt ioquit Annibal apud Liuium, magis reprehendi possunt, quàm corrigi. Eadẽ sententia iisdem verbis apud eundem vsurpatur à Philippo.

Hunc.] Augustũ.

Modum.] Terminum & finem.

Reliquerit libera.] Tanquam adhuc proscribere posset quoscunqoe ei libitum fuisset.

Proscriptum celasse.] Multi liberti fidelissimi extitisse feruntur erga patronos proscriptos, multique serui dominos seruauerunt: quæ omnia, si nosse cupis, perlege librũ quartum bellorum ciuilium ab Appiano diligeotissime perscriptum.

Potestate.] Triumuiratu.

Pinarium.] In superioribus dictum est de familia Pinariorum inclyta, qui custodes fuerunt sacri Herculanei, cùm potitii extis solenoibus vescereotur.

Admissa.] Introducta ab Augusto.

Torba paganorum.] Pleraque vocabula sunt, quæ apud eruditos aliud interdum significant, quàm vulgus existimet, & grammatici prodiderint: sicuti est paganus vocabulum in sermonibus celebre, atque obuium: cuius tamen significantia oon omnibus satis est perfecta, vt in hoc Tranquilli loco. Noo enim hic pagani pro rusticanis significatione illa vulgari accipiuntur, sed pro hominibus non militantibus, tametsi vrbani sint: & est verbum peculiare Iurisconsultorum, à quibus hæc duo pèrinde ac coortatia opponuntur, miles, & paganus. Quod vt magis colliquescat, authoritate legali demonstrabitur. Vlpiaous titulo De militari testamento: Est rescriptum à diuo Pio in eo, qui cùm esset paganus, fecit testamentum, mox militare cœpit. Idem: Quemadmodum plerique pagani solent, cùm testamentum faciunt, per scripturã adiicere velle. Idem in titulo De irrito facto testamento: Si paganus, qui habebat iam factum testamentum, aliud fecisset, & in eo comprehendisset, fidei se hæredis committere, prius testamentum ruptum est. Martianus quoque ait: Timebatur an tale aliquid & in paganorum testamentis indulgendum esset. Expressius Tertullus hoc significat, cùm ait: Omni modo posthumus rumpet illius testamentum: sed si qoidem pagano iam illo facto natus sit. Quin etiam Paulus sic scribit: Fecit testamentum exemplo eius, qui paganus fecit, dèinde militare cœpit. Idem De libetis & posthumis: Filiosfamilias miles, similiter vt paganus, nominatim à patre hæres scribi debet. His omnibus exemplis euidẽter ostenditur, paganũ militi veluti diuersum componi, tanquã non militantem militanti. Quod etiam in II. lib. Institutionum liquidò cognosces: vbi in titulo De militari testamẽto, verba hæc scripta sunt: Sed testati quidem, etsi filiifamiliâs sunt, propter militiam conceduntur, iure tameo communi eadem obseruatione & in eorum testamentis adhibenda, quam in testamentis paganorum proximis exposuimus. Nimirum Imperator titulo proximo locutus est de testamento ciuium Romanorum, qui milites non sunt, vt paganorum exponas, pro non militantium. Hinc plane illud est non minus scienter, quàm eleganter dictum à Iuuenale:

- Citius falsum producere testem
Contra paganũ possis, quàm vera loquentem
Contra fortunã armati, contráque pudorem.

Quo in loco enarratores nihil occulti subesse suspicantes, paganum simpliciter exponunt, pro rusticum io pagis degentem: cùm poëta eruditè paganum opposuerit armato, tanquam non militantem militanti: quæ tota seotentia ex Iurisconsultorum crebriori elocutiooe dedocta est, si qois rem totam non somniculose perpenderit. Itidem Tranquillus hîc pagaoos haud dubie intelligi voluit pro Romanis non militantibus, cùm ad oppidicos concioonetur, non ad rusticos. Et est sensus, Pinarium iusso Augusti confossum fuisse, cùm quædam apud milites suboonotaret, veluti speculator militaris, ipso cõcionante apud paganos, hoc est oon militantes. Cæterùm dum studiose & diligenter inquiro, quomodo pagani dicantur, qui vrbani sunt, videor reperisse apod Dionysium in IIII. Antiquitatum, quòd Roma dioisa erat in tribus quatuor, quas pagos vocitabant: in quibus habitantes pagani dicebantur, qui io nullam aliam habitatiooem transferri poterant.

Curiosum.] Sententia vetus est: Nemo est curiosus, qui non sit maleuolus: quicunque, vt ait Iulius Firmicus in VIII. Matheseos, oriente Capræ sydere nascentur, erunt curiosi omnium rerum: vt semper noua qoæque curiosa desiderii cupiditate sectentur. Seneca, Curiosum, ait, nobis natura ingenium dedit.

cessasset præterita, & spem clementiæ in posterum fecisset, quoniam satis pœnarum exactũ esset: hunc è diuerso professum, ita modũ se proscribendi statuisse, vt omnia sibi reliquerit libera: in cuius tamẽ pertinaciæ pœnitentiam, postea T. Iuniũ Philopœmenem, quòd patronũ suum proscriptum celasse olim diceretur, equestri dignitate decorauit. In eadem hac potestate, multiplici flagrauit inuidia: nam & Pinariũ equitem Romanum, cùm concionante se admissa turba paganorum apud milites, subscribere quædã animaduertisset, curiosum ac

M. AN. SAtis pœnatum.] Quas ad satietatem, & fastidium dicerent. Exactum.] Sumptum.

Hunc.] Octauiũ. Professum.] Aperte denũtiasse.

Modom.] Finem.

Omnia reliqoerit sibi libera.] Vt sibi integrum esset proscribere quos vellet, ac quoties libitum esset.

Pertinaciæ pœnitentiam.] Mutati animi argumentum.

Patronom.] Philopœmeoem: ergo libertum intellige. Est enim patronus liberti correlatiuum.

Inuidia.] Odio.

Pinarium.] De Pinariæ familiæ vetustate Herculis sacris ante vrbem conditam admotæ, Plutarchus, Dionysius, & Liuius satis scribont. Cæterùm fueritne hic Augusti cohæres, an ex eius gentilibus vnus, parũ perspici potest. Pari ratione & illud in dubium venire posset, vtrum ab Octauio admissa dicatur paganorum turba, an à Pinario potius: sed ad coocionantem id melius referas.

Paganorum.] Agrestium in pagis agentium. Pagus villa, ἀπὸ τῆς πηγῆς, id est, à fonte, circa quem villæ constitui consueuere: aut paganorum nõ militantium, vt quidam interpretantur.

Apud milites.] Qui præsidii causa circunstabant.

Subscribere.] Subnotare, aut certè signare.

ſpeculatorem ratus, coràm confodi imperauit. Et Tedium Afrum conſulem deſignatum, quia factum quoddam ſuū maligno ſermone carpſiſſet, tantis perterruit minis, vt is ſe præcipitauerit. Et Quintum Gallum prætorem in officio ſalutationis tabellas duplices veſte tectas tenentem, ſuſpicatus gladium occulere, nec quicquam ſtatim, ne aliud inueniretur, auſus inquirere, paulò pòſt per centuriones & milites raptū è tribunali, ſeruilem in modum torſit: ac fatentem nihil, iuſſit occidi, prius oculis eius ſua manu effoſſis: quem tamen ſcribit, colloquio petito, inſidiatum ſibi: coniectúmque à ſe in cuſtodiam, deinde, vrbe interdicta, dimiſſum, naufragio, vel latronum inſidiis periiſſe. Tribunitiā poteſtatē perpetuā recepit: in qua ſemel atq; iterū per ſingula luſtra collegā ſibi

PHIL. Speculatorem.] Exploratorem eorum, quæ ipſe diceret pro concione. Speculator, authore Varrone, eſt quem mittimus ante, vt reſpiciat quæ volomus. Sinon primus inuenit in bello Troiano ſpecularem ſignificationem. Natus ſub ſydere equi cæleſtis, erit ſpeculator, vt docet Maternus in v i i i.

Subſcribere.] Subſcriptores in cauſarum actione dicuntur, qui accuſatorē poſſunt adiuuare: quos oportet ſummiſſius agere, quàm dicit ille, quem ſequuntur. Inde ſubſcribere, ſignificat fauere: in quo ſignificato dictum eſt illud Columellæ: Quòd ſi voto fortuna ſubſcribit. Præterea ſubſcribere, eſt ſubnotare, ſubſignare: in qua ſignificatione hîc accipitur.

Carpſiſſet.] Vituperaſſet, reprehendiſſet. Næuius vituperones, carptores appellat.

In officio ſalutationis.] Moris fuit apud Romanos, vt prima, & ſecunda hora matutina ſalutatum irent potentiores principes. Martialis:

Prima ſalutantes, atque altera continet hora.

Salutatores priuſquàm admitterentur, conſiſtebant ante fores ædium in veſtibulis. Vnde Gellius in quarto noctium Atticarum ſic ait: In veſtibulo ædium Palatinarum omnis ferè ordinum multitudo opperientes ſalutationem Cæſaris conſtiterant.

Tabellas duplices.] Tabellarum, in quibus maiores ſcribere ſolebant, plura ſunt genera & oomina. Aliæ enim quincuplices, aliæ triplices dicebantur. Erant & pugillares citrei, & pugillares eborei: de quibus Epigrammatarius poëta io Apophoretis. Fuerunt quoqoe in hoc ordine tabellæ duplices oominatæ à numero (vt opinor) foliorum: quarum peculiariter meminit Ouidius in primo Amorum:

Tunc ego vos duplices rebos pro nomine ſenſi,
Auſpicii numerus noo erat ille boni.

De his nunc loquitur Tranquillus: & ita Doplices erit nomeo tabellarum, ſicut Triplices, & Quincuplices. De his affatim ſcripſimus io Cōmentariis Propertianis.

Oeculere.] Occultare.

Ne aliud quàm.] ſcilicet gladius, quem occuluiſſe videri volebat, période ae inſidiatorem.

Fatentem nihil.] Vtpote ioſontem. Interdum tamen ſontes, & noxii, nihil in tormentis fatentur ex patientia, ſiue duritia tormentorum: vt nullo modo ab eis veritas exprimi poſſit.

Seruilem in modum.] Quia propriè ſerui torquebantur in quæſtionibus, cùm liberi homines torquendi non ſint, vt tradunt Iuriſconſulti.

Scribit.] Ipſe Auguſtus.

Vrbe interdicta.] Ne ſcilicet Romæ habitare poſſet. Interdictus dicitur & locus, & homo, & res. Ouid.

Interdicta mihi cernitur Italia.

Gellius: Philoſophi vrbe & Italia interdicti ſunt.

Tribunitiam poteſtatem.] Conſoeuerunt Imperatores Romani vſurpare tribunitiam poteſtatem, quæ erat ſacroſancta. Scribit Spartianus, Adriano factum eſſe omen ad perpetuam tribunitiam poteſtatem, quòd tribunus plebis factus penulas amiſerit, quibus vti tribuni plebis pluuiæ tempore ſolebant, Imperatores autem nunquam. Flauius Vopiſcus refert, tribunitiam poteſtatē eſſe partem maximam regalis Imperii. Per ſingula luſtra.] Luſtrum nominatum eſt tempus quinquennale, à luendo, id eſt, ſoluendo: quòd quinto quoque anno vectigalia & alia tributa per cenſores perſoluebātur: author Varro. Hiſtoria traditur à Liuio libro primo, & à Dionyſio lib. quarto Antiquitatū, quemadmodū Seruius Tullius ſextus Romanorum rex luſtrum primus condidit, exercitúmque omnem ſue, oue, tauriſque luſtrauit. Millia octoginta primo luſtro ciuium cenſa dicuntur.

M. AN. Speculatorem.] Speculatum veniſſe, quæ à ſe dicerentur. Feſtus, Speculator eſt, inquit, qui ſilentio hoſtilia perſpicit.

Coràm.] Se ſpectante.

Maligno ſermone.] Graui obtrectatione.

Se præcipitauerit.] Se ex altiore loco præcipitem dederit.

Officio ſalorationis.] Officii gratia ſalutatum veniſſet.

Tabellas duplices.] Atque ob id magis promioentes.

Ne alind inoeniretur.] Quàm ferrum, ae per hoc vani argueretur timoris: vel Ne aliud, aduerſus ſe paratum.

Raptum.] Corripi iuſſum.

E tribunali.] Vode ius dicebat.

Seruilem in modum.] Fœdè, ac crudeliter, velut mancipium quoddam.

Torſit.] Cruciatibus affecit.

Scribit.] Octauius.

Colloquio petito.] Per colloquii ſpeciem inſinuatum.

Vrbe interdicta.] Cùm illi vrbe interdixiſſet, extorrémque eieciſſet.

Tribunitiam poteſtatem.] Vt perpetuò tribunus eſſet. Iulius Capitolinus author eſt, Maximum, & Balbioum Imperatores creatos, in primis tribunitiam poteſtatem conſulari iure recepiſſe.

Per ſingula luſtra.] Luſtrum quinto quoque anno à cenſoribus condebatur: primúſque omnium Seruius Tullius condidit: Dionyſius & Liuius ſunt authores.

Collegam cooptauit.] Mos collegæ io tribunatu cooptandi, authore Liuio, vetuſtiſſimus: &, vt quidam authores ſunt, cum ipſa poteſtate natus.

Coop

cooptauit. Recepit & morum, legúmq; regimen, æquè perpetuum: quo iure, quanquam sine censuræ honore, censum tamen populi ter egit: primum ac tertium cum collega, medium solus.

De cogitatione resignandi Imperium, & de ornatu urbis. XXVIII.

DE reddenda Republica bis cogitauit: primò post oppressum stâtim Antonium, memor obiectum ab eo sibi sæpius, quasi per ipsum staret, ne redderetur: ac rursus tædio diuturnæ valetudinis, cùm etiam magistratibus ac Senatu domum accitis, rationarium Imperii tradidit. Sed reputans & se priuatum non sine periculo fore, & illam plurium arbitrio temere committi, in retinenda perseuerauit, dubium euentu meliore, an voluntate: quam voluntatem cùm identidem præ se ferret, quodam etiam edicto his verbis testatus est: Ita mihi

PHIL. COoptauit.] Significanter locutus est. Cooptare enim, proprie pertinet ad electioοem collegarum. Cicero in Bruto, cooptatum se ab Hortensio in collegium augurum fuisse refert. Liuius in tertio author est, apud Romanos legem fuisse, quæ iuberet collegas cooptari ab his tribunis, qui creati essent. Carmen legis hoc est: Quos sibi collegas cooptassent, vt illi legitimi ea lege tribuni sint, vt illi, qoos hodie tribunos plebis feceritis.

Morũ regimen.] Censuram significat, penes quam morum, disciplinæque Romanæ regimen erat: vt docet Liuius in IIII. & à Cicerone censura, magistra pudoris, atque modestiæ oominatur. Græci censuram vocant τιμητείαν, & censores τιμητάς: qui duo erãt.

Aequè perpetuum.] Cùm antiquitus cẽsura fuerit magistratus quinquennalis, legem tulit Aemylius Dictator, ne plus quàm annua ac semestris censura esset. Præterea, quod scitu dignum est, quoties ex duobus censoribus alter decessisset, nunquam in demortui locum nouus censor sufficiebatur.

Sine censuræ honore.] Cum censor noo diceretur. Vita principis, vt inquit eleganter Plinius, censura est, eáque perpetua.

Ceosum populi.] Seruius Tullius primus apud Romanos instituit ceosum, rem, vt ioquit Liuius, saluberrimam Imperio Romano: tunc io classes centuriásque ciuitas Romana descripta est.

Cum collega.] scilicet ceosore: duo enim erant censores. Primos censui agendo Papyrium, Semproniúmque populus præfecit: censores ab re appellati sunt. Celebrator Augusti ille census, quo censeri omnes homines iussit, quando C R A T S T V S Romano censui statim adscriptus, vt natus est.

De reddenda Republica.] Scribit Donatus, Augustum cogitasse de tyrannide omittenda, & Republica Senatui reddenda: tunc Vergilium suasisse vt dominaretur. Si enim, inquit, iustitiam, quod modò facis, omnibus io futurũ distribues, dominari te, & tibi conducet, & vrbi. Vergilii sententiam secutus Augustus principatum teouit: qoi suapte natura cupidissimus erat domioãdi, vt inquit Eutropius, supra quàm existimari potest

Diuturnæ valetudinis.] Infrà latius explicabitur de valetudine Augusti.

Rationarium Imperii.] Liber, in quo rationes rerum gestarum continentur, dicitur rationarium. Rationarius quoque homo dicitur, qui rationarium conficit, vel qui rationibus præest. Marcellinus: Quidam ex mercatore opulento rationarius apparitor.

Accitis.] Ob id euocatis.

Non sine periculó.] Sententia Phalaridis in epistola ad filium, scribeotis ideo se nolle deponere tyrannidem, quoniam vndique periculis obnoxius foret.

Temere committi.] Megabyzus apud Herodotum dicit, multitudine nihil esse insipientius, neque insolentius: cui suum est, oihil intelligere. Apud eundem Darius vnius viri principatu, qui sit optimus, nihil melius esse affirmat. Vidit Augustus, temerarium esse committere credereq; Rempublicam arbitrio plurium, à quibus per factiones distraheretur.

Ao voluntate.] Voluntas, & euentus pariter de bonitate cootendunt: vt dubium sit an euentus voluntatem in Augusto, an voluntas euentum bonitate superauerit. Scribit Sextus Aurelius, vulgò iactatum esse de Augusto: Vtinam oon nasceretur, aut non moreretur. Nam & in adipiscendo magistratu oppressor libertatis est habitus, & in gerendo princeps optimus.

Identidem.] Frequenter.

Præ se ferret.] Ostenderet, præmonstraret.

Ita mihi.] Verba Augusti ex edicto sunt, quibos optat posse stabilire Rempublicam, ita vt moriens speret eam io eodem statu permansuram sine conuulsione.

M. AN. MOrum regimen.] Censuræ periphrasis est.

Sioe censuræ hooore.] Sine censoris appellatiooe: ob idque morum regimen dixit.

Reddenda.] In pristioum statum restitueoda: quod & L. Sylla olim fecerat.

Rursus.] Iterum.

Tædio diuturnæ valetudinis.] Aduersa valetudine diu conflictatus.

Accitis.] Ad hoc ipsom vocatis.

Rationarium Imperii.] Librum, in quo omnis publicæ administrationis ratio cootinebatur.

Reputans.] Consyderans. Subiicit nunc causas, cur Rempublicam in libertatem non restituerit.

Priuatum.] Sine Imperio, & in ordinem redactum.

Sine periculo.] Ob iniurias in triumuiratu, & reliqua administratione multis illatas.

Illam.] Rempublicam.

Plurium arbitrio.] Ac per hoc oon multò pòst in discrimen redituram.

Committi.] Credi.

Retioenda.] Administranda.

Euentu.] Fine, qui optimus fuit.

An voluntate.] Quam & ipsam optimam fuisse ex iis, quæ sequuntur, potest intelligi.

Identidem.] Sæpius.

saluam ac sospitem Rempublicam sistere in sua sede liceat, atque eius rei fructũ percipere, quem peto, vt optimi status author dicar, & moriens vt feram mecum spem, mansura in vestigio suo fundamenta Reipublicæ, quæ iecero. Fecítque ipse se compotem voti, nisus omni modo, ne quem noui status pœniteret. Vrbem * nanq; pro maiestate Imperii ornatam, & inundationibus incendiisque obnoxiã, excoluit adeò, vt iure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam lateritiã accepisset. Tutam verò, quantum prouideri humana ratione potuit, etiam in posterum præstitit.

De operibus publicis per eum & aliis instructis. XXIX.

PVblica opera plurima extruxit, ex quibus vel præcipua, forum cum æde Martis Vltoris, templum Apollinis in Palatio, ædem tonantis Iouis in Capitolio. Fori extruendi causa fuit, hominum & iudiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus

PHIL. Sistere.] Firmare, collocare, constabilire. Aliâs sistere, est se, vel alium præsentem exhibere ad diem præstitutam coram iudice, vel prætore. Vnde & vadimonium sisti dicitur. Verbum est frequens apud Oratores & Iurisconsultos. Cato dixit: Quid si vadimonium capite obooluto stitisses? per i, literam: non autem stetisses per e: sicut falsi emendatores non emendarunt, sed corruperunt. Compotem voti.] Effecit quod optabat.

Nisus.] Pro viribus conatus.

Inundationibus.] Legimus apud Historicos, Tyberim sæpe suo incremento vrbem Romam inundasse, & detrimento maximo affecisse. Scribit Iulius Capitolinus, inundationem Tyberis grauissimã fuisse sub M. Antonio, quæ & multa vrbis ædificia vexauit, & plurima animalia interemit, & famẽ grauissimam peperit. Liuius in xxxv. Aquæ ingentes eo anno fuerũt, & Tyberis loca plana vrbis inundauit. Circa portam Flumentanam etiam collapsa quædam ruinis sunt. Idem alibi: Aquæ ingentes eo anno fuerunt: Tyberis duodecies campum Martium, planáque vrbis inundauit. Idem sæpe meminit, Tyberim inundasse cum strage. Plinius quoque tradit in III. aquas Tyberinas nusquam magis, quàm in ipsa vrbe stagnantes fuisse subitis incrementis. Tunc monitor est Tyberis, & auctu religiosus verius quàm sæuus.

Incendiis.] Aulus Gellius lib. noctium Atticarum XIIII. Magni, inquit, reditus vrbanorum prædiorum, sed pericula sunt longè maxima: si quid autem posset remedii fore, vt ne tam assiduè Romæ domus arderẽt, venũ hercle dedissem res rusticas, & vrbicas emissem. Scribit Iul. Capitolinus, Romæ incendiũ fuisse tempóribus Antonini Pii, quod trecentas quadraginta domos absumpsit. Fuit & tũc inundatio Tyberis. Plinius quoque in XXX. indicat, Romam fuisse incendiis obnoxiam, cùm ait, Ex Salamandris, quæ tradũt Magi contra incendia, quoniam ignes sola animalium extinguat: si forent vera, iam esset experta Roma. Liuius volumine ab vrbe condita trigesimo: Annus insignis incendio ingenti, quo cliuus publicus ad solũ exustus. Idem: Romæ fœdum incendium per duas noctes ac diem vnum tenuit.

Obnoxiam.] Subiectam, & expositam.

Lateritiam.] Lateritiis parietibus extructam. Sunt autem lateres, qui in fornacibus coquuntur: quorum, vt docet Plinius in XXXV. & Vitruuius in s I. tria sunt genera: vnum longum sesquipede latum: alterum tetradoron: tertium pentadoron. Ita enim à quatuor & quinque palmis, prout sunt, nominantur. Nanque Græci antiqui δῶρον palmum vocabant. Parietes lateritii, si ad perpendiculum fiant, æterni in ædificiis creduntur: quos Græci non improbauerunt. Rectus casus singulatiui numeri est later. Vitruuius: Siue silex, siue cæmentum, aut coctus later, siue crudus, his erit vtendum. Diminutiuum est laterculus. Ait Curtius, laterculo coctili structos fuisse muros Babylonis. Eutropius sic inquit in hanc sententiam: Auxit, ornauítque Augustus Romam ædificiis multis, isto glorians dicto: Vrbem Lateritiam reperi, relinquo marmoream.

Forum.] Sicut Iulius Cæsar forum extruxerat, ita Augustus, auunculum imitatus, forũ confecit cum templo Martis Vltoris cognominati.

Templum Apollinis.] Liuius Augustum Cæsarem templorum omniũ conditorem aut restitutorem meritò appellat. Idem facit Ouid. scribẽs in Fastis: Templorum positor, templorũ sancte repostor. De hoc Apollinis templo sic Horatius in Epistolis:

Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.

Et in primo Carminum eiusdem sic meminit:

Quid dedicatum poscit Apollinem vates.

Et Porphyrio, Apollinis, inquit, templum in Palatio Augustus dedicauit. De quo à nobis copiose scriptum est in Cõmentariis Propertianis. De hoc Propertius:

Musa Palatini referamus Apollinis ædem.

Plinius ait, à Scopa factum esse Apollinem Palatinum.

Fori extruendi.] Causas refert, quibus impulsus Augustus memorata opera extruxerit.

Tonantis.] Inter cognomenta Iouis multiiuga, hoc quoque numeratur. Plinius in 15. Inter Statores, & Tonantes, & Feretrios Eliciũ quoq; accepimus Iouem.

M. AN. Sistere.] Stabilire. Fructũ.] Voluptatem. Author dicar.] Dicit quẽ ex ea re fructũ expeteret. Mansura.] Stabilia futura. Nisus.] Enixè operatus. Noui status.] Nouæ rerũ conditionis. Ornatã.] Excultam.

Inundationibus.] Plinius, Nulli, inquit, fluuiorũ minus licet, inclusis vtrinque lateribus: nec tamen ipse pugnat, quanquã creber, & subitis incrementis: & nosquã magis aquis, quàm in ipsa vrbe, stagnantibus: quinimo vates intelligitur potius, ac monitor, auctu semper religiosus verius quàm sæuus. Sed purgato alueo inundationes sublatas Tranquillus intelligit. Incendiis.] Mutata ædificiorũ ratione. Lateritiam.] Lateribus, nõ lapidibus constructã. Forum.] Nunc, vt solet, à summa ad partes descendit: sed dubiũ & anceps verbũ: sed tu iudiciale forum intellige Martis Vltoris, quod Philippensi bello vouerat. Templũ Apollinis.] In Palatinæ domus parte, quæ è cælo fuerat icta.

Tonantis Iouis.] Cantabrica expeditione eam vouerat, cùm eius lecticã nocturnũ fulmen perstrinxisset.

Tertio

duobus, etiam tertio indigere. Itaque festinantius, necdum perfecta Martis æde, publicatum est: cautúmque vt separatim in eo publica iudicia, & sortitiones iudicum fierent. Aedem Marti bello Philippensi pro vltione paterna suscepto, vouerat. Sanxit ergo, vt de bellis, triumphisque hîc consuleretur Senatus: prouincias cum imperio petituri, hinc deducerentur: quíque victores redissent, huc insignia triumphorum inferrent. Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitauit, quam fulmine ictam desiderari

PHIL. Tertio indigere.] Romæ antiquitus fuerat forum Romanum, de quo ait Martialis:

Romanum propius, diuitiúsque forum est.

Quod olim totum Cæsar Dictator intexit velis: quod Cato Censorius sternendum muricibus censuerat, vt ita litigantes eiicerentur. Alterũ fuit forum Cæsareum: cuius meminit Papinius in I. Syluarum:

Cæsarei stat sede fori. -

De quo dictum est in Iulio Cæsare. Ouidius:

- Hæc sunt fora Cæsaris, inquit.

Tertium forũ extruxit Augustus, quod Plinius in XXXVI. inter magnifica vrbis opera enumerat. Vnde à Statio dictum est in IIII. Syluarum:

Quæ trino iuuenis foro tonabas.

Et ab Epigrammatico poëta:

Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Erant & alia fora, vt boarium, vt olitorium, piscarium: ab his rebus cognominata, quæ illhic vendebantur: author Varro.

Festinantius.] Properantius, celerius.

Publica iudicia.] Vt repetundarum, ambitus, maiestatis.

Sortitiones iudicum.] Moris erat, nomina iudicum conscribi, & in vrnam mitti, vt de pluribus necessarius numerus per sortitionem confici posset: tunc ex illo delectorum iudicum numero permittebatur accusatori, ac reo reiicere, quos putarent sibi aut inimicos, aut ex aliqua re incommodos fore. Reiectione celebrata, prætor in locum eorum, qui reiecti fuerant, subsortiebatur alios, quibus ille iudicũ legitimus numerus compleretur: & hæc sortitio dicebatur, qua perfecta iurabant in leges iudices, vt obstricti religione iudicarent. Hanc iudicum sortitionem significauit poëta maximus scribens in VI. Aeneidos:

Quæsitor Minos vrnam mouet. -

Bello Philippensi.] Quod in Philippicis campis aduersus Brutum & Cassium est gestum.

Pro vltione paterna.] Vt vlcisceretur Iulium Cæsarem per adoptionem patrem.

Sanxit.] Decreuit, constituit. Inde leges sanctæ dicuntur, quia sanctione quadam subnixæ sunt, vt scribit Vlpianus. Sancire etiam est confirmare: vnde sagmina dici autumant etymologici, de quibus Plinius, Liuius, & cæteri. Sunt enim herbæ puræ, & verbenæ, quibus vtebantur legati ad fœdus faciendum, bellúmque indicendum. Sancire, est sanctum facere, id est consecratum.

Hîc.] In æde Martis Vltoris.

Bellis.] Indicendis.

Triumphis.] Decernendis.

Hinc deducerent.] Deducere, est officii causa comitari. Antiquitus qui in prouinciã proprætore aut proconsule exibat, eum ad portam deductum prætoris nomine soliti erant salutare: vt docet Cincius in libro De consulum potestate.

Huc.] In ædem Martis Vltoris.

Insignia triumphorum.] Lege Appianum in Libycis, & Plutarchum in Aemylio, & Iosephum in VII. belli Iudaici: qui abundè scribunt de pompa & insignibus triumphorum. Ornatus verò triumphalis erat sella curulis eburnea, scipio eburneus, toga picta, tunica palmata, quibus olim Scipio donauit Masinissam.

Ictam.] Percussam.

M. AN. Duobus.] Romæ, & quod à Cæsare de manubiis fuerat inchoatũ. Papinius: - Qui contra templa Diones Cæsarei stat sede fori. - Plinius ab hoc factam inquit Venerem Genitricem in foro Cæsaris.

Tertio indigere.] Ita triplex forum inde celebratum. Martialis:

Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Publicatum.] Publico vsui addictum.

Publica iudicia.] Ad publicas, & priuatas causas attinentia.

Sortitiones iudicum.] Iudicum enim nomina forte trahebantur. Plutarchus: Quum soli, inquit, Senatores anteà iudicarent, ob eámque rem à plebe timerentur, Gracchus trecentos ex equestri ordine iudices adiecit, parem Senatoribus numerum statuens. hæc ille. Pedianus, quod valde miror, T. Gracchus, ait, legem tulerat, vt equites Romani iudicarent: iudicaueruntq; per annos triginta sine infamia: pòst victor Sylla leges tulit, vt senatorius ordo iudicaret: iudicauitq; per annos decem turpiter. Quæ Pediani verba videntur significare penes equites prius, quàm Senatores ipsos fuisse populi Romani iudicia: quod aperte Plutarchi scriptis repugnat. Et rursus idem author, Secundo, inquit, anno belli Italici, quod bellum præcessit Syllæ Dictaturam, cùm equester ordo in iudiciis dominaretur. Quo apparet prius in vrbe equites, quàm Senatores, vt diximus, iudicasse. Sed vtcunq; res habet, satis constat, Aurelia lege iudicia, quæ cõmunia erant Senatus, & equestris ordinis, communicata fuisse tribunis ærariis, quibus ea dignitas à Cæsare Dictatore posteà adempta est. Plaucia igitur lege comparatum erat, vt singulæ tribus ex his ordinibus, quos dixi, quinos denos suffragio crearent, penes quos eo anno iudicia essent. Ex eo numero, quũ iudicandum in aliqua causa erat, sorte trahebantur iudicum nomina: quod in Milonis causa, & Pisonis factitatũ Pedianus docet: & hæc sortitio illa est, de qua nunc Tranquillus. Philippensi.] Contra Brutum, & Cassium gesto. Paterna.] C. Cæsaris patris vltione.

Sanxit.] Statuit. De bellis & triumphis.] Vt Senatus de inferendo bello, triumphóve cuiquam decernendo consulturus huc coiret. Cum imperio petituri.] Cum imperio in prouincias abituri. Deduceretur.] Multis officii gratia ad portas vrbis, aut vlterius comitantibus, cùm inde in prouinciam abiret. Deduco, & reduco præter notissimã significationẽ, eleganter vsurpantur, quũ aliquis officii gratia domo in publicum deductus dicitur, & mox inde domũ reductus: vt, deduxi Catonem in curiam, eúmque domum reducam.

Insignia triumphorum.] Vel nobilissima quæque triumphis prælata: vel simpliciter imagines, titulos, fercula, & alia triumphorum instrumenta.

Excitauit.] Erexit.

à Deo haruspices pronuntiarant. Addita porticus cum bibliotheca Latina Græcáque: quo loco iam senior sæpe etiam Senatum habuit, decuriásque iudicum recognouit. Tonanti Ioui ædem consecrauit liberatus periculo, cùm expeditione Cantabrica, per nocturnũ iter lecticã eius, fulgur perstrinxisset, seruúmque prælucentem exanimasset. Quædã etiã opera sub nomine alieno, nepotũ scilicet, & vxoris, sororísq; fecit, vt porticũ, basilicámque Lucii & Caii. Item porticus Liuiæ & Octauiæ,

PHIL. A Deo.] Apolline.

Cum bibliotheca.] Ad hanc bibliothecam allusit Horatius illo versu:

Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.

Libraria, elegaoter & Latinè dicitur, quæ Græcè bibliotheca nominatur. Gellius: In libraria ego, & L. Paulus consederamus. Viderut tamen libraria potius significare officinam, qua libri venales exponũtur, quàm bibliothecam. Quod & sequentia in Gellii capite declarãt, scribentis ibi expositos fuisse annales Fabii, quos venditor sine mendis esse contendebat: & ab emptore adhibitum esse grammaticum ad spectandos libros, qui in libraria venales erant expositi.

Decurias.] Ordines. Fuerunt autem quatuor decuriæ iudicum, primò pluribus discretæ nominibus. Nanque aliæ tribunorum æris, aliæ iudicum, quidam nongenti, quidam selecti vocabantur. Et diuisus hic quoque ordo erat superba vsurpatione nominum, cùm alius se nongentum, alius tribunum, alius selectum appellaret: author Plinius in XXXIII. De selecto iudice dixit Ouidius illo versu:

Non bene selecti iudicis arca patet.

Et Horatius in primo Sermonum Satyra quinta:

Vnum ex iudicibus selectis obiiciebat.

Expeditione Cantabrica.] Quam parauit aduersus Cantabros Hispaniæ populos: de quibus dictum iam est.

Fulgur.] Seneca in II. Quæstionum naturalium, fulgurationem distinguit à fulminatione, tanquam fulguratio comminatio sit sine ictu: fulminatio autem, iaculatio cum ictu. Idem in eodem ait: In fulguratione latè ignis explicatur: fulmen est coactus ignis.

Perstrinxisset.] Afflauisset, & leuiter tetigisset. Præstringere verò, verbum est à præstigiatoribus translatum, qui aciem oculorum suis vafrامentis præstringere consueuerunt: vnde & præstigium deriuatur: cuius inuentor fuit Mercurius, vt scribit Augustinus, & repetitum est in Decretis, XXVI. quæst. V. De voluptate dictũ est à M. Tullio, quòd mentis præstringat oculos.

Præducentem.] Existimo legendum esse, prælucentem: nam prælucere dicitur seruus, qui fert cereum ante dominum per iter nocturnum. Simile est illud Plautinum in Curgulione: Tute tibi puer es lautus: luces cereum. Idem in Casina: Huic lucebis nouæ nuptæ facem.

Exanimasset.] Interemisset, aliàs perturbasset. Inde exanimati, & mortui, & perturbati dicuntur: sicut & exanimes. Nanque apud eruditos exanimem non solùm pro mortuo, sed etiam pro perturbato, dici reperies. Liuius: Lictorem expediri securim iussit: ad quam vocem exanimi stante Prænestino.

Basilicam.] Quid sit basilica, copiosè scripsimus in Iulio Cæsare.

Porticus Liuiæ.] De porticu Liuia sic scribit Ouidius in primo De arte:

Porticus authoris Liuia nomen habet.

Et Octauiæ.] De porticu Octauiæ, imò porticibus, crebra est mentio apud Plinium referentem, in porticibus, & in scholis, & in curia Octauiæ fuisse opera complusculа artificum probatissimorum. Porticum Octauiæ [illegible] signauit Ouidius illo versu:

Aut vbi muneribus nati sua munera mater
Addidit externo marmore diues opus.

Illud adde, duas fuisse porticus Romæ appellatas Octauias, quarum alteram theatro Marcelli propiorẽ Octauia soror Augusti fecit, alteram theatro Pompeii proximam, Cn. Octauius, qui triũphauit de rege Macedonum Perse nauali triumpho: quam combustam reficiẽdam curauit Cæsar Augustus.

M. AN. A Deo.] A quo, non dicit, sed ab Apolline crediderim, cui est templum erectum. Sed quo pacto ab Apolline, dixerit aliquis, si à Ioue sunt fulmina? Cui occurras licet, non solùm à Ioue, sed à Saturno quoque, vt Plinius ait, & Marte prouenire: verùm Martẽ, & Apollinem eundem esse Macrobius subtilissima dissertatione demonstrat. Quum igitur, inquit ille colligens, Liber Pater idem ac Sol sit, Mars verò idem ac Liber, Martem Solem esse quis dubitet?

Quo loco.] Quo templo potius, quàm porticu: nam nisi in templo, aut loco augurio consecrato Senatus haberi, vt Gellius scribit, non poterat.

Decurias iudicum.] Iudicum decuriæ pluribus discretæ fuerint nominibus: cùm alii nongenti, alii selecti, alii tribuni, vt Plinius scribit, dicerentur: sed quæ Augusto principe ob paucitatem impleri nequiuere, iure annulorum à Tyberio constituto ita creuit numerus, vt Caligula quintam adiecerit decuriam. Idem Plinius ait, singulas decurias Augusti temporibus mille numero habuisse.

Expeditione.] Bello.

Perstrinxisset.] Leuiter attigisset.

Exanimasset.] Exanimatum reddidisset. Est enim exanimatus, vt Seruio placet, timens: vt Donato, exterritus, perturbatus. Terentius: Sed quid exanimatum Pamphilum video? Exanimus verò, & exanguis mortuus dicitur. Vergilius:

Exanimúmque auro corpus vendebat amici.

Nepotum.] Lucii & Caii ex M. Agrippa, & Iulia Augusti filia natorum.

Vxoris.] Liuiæ.

Sororis.] Octauiæ, ex Octauio, & Ancharia, non Accia, genitæ. De Octauiæ porticu Plinius non vno loco.

Basilicam.] Regiam domum, siue ædificium: cuius vestigia adhuc Romæ in Exquiliis visuntur. De ædificii ratione alibi.

Porticus Liuiæ.] Coniugis scilicet, fuitque ea porticus iuxta sacrã viam, vbi domus C. Cæsaris, quam sumptuosè à Iulia filia ornatam Augustus diruit, ibique Liuia porticus erecta. Ouidius:

Disce tamen veniens ætas, vbi Liuia nunc est
Porticus, immensæ tecta fuisse domus.

Plinius ad eam porticum Vespasianum Pacem suam ædificasse ait.

Thea

theatrúmq; Marcelli. Sed & cæteros principes viros sæpe hortatus est, vt pro facultate quisq; monumentis vel nouis, vel refectis & excultis vrbē adornarent: multáq; à multis extructa sunt: sicut à Martio Philippo ædes Herculis & Musarum, à Lucio Cornificio ædes Dianæ, ab Asinio Pollione atrium Libertatis, à Munatio Planco ædes Saturni,

PHIL. Theatrum Marcelli.] Marcellus Octauia Augusti sorore genitus in ædilitate forum velis inumbrauit: periit apud aquas Baianas: cuius obitum describi à Propertio validissimis argumentis docuimus in illa Elegia, cuius initium est, Qualis ab vmbroso. Ad decus atque memoriam Marcelli Octauia mater bibliothecā struxit: Augustus verò theatrū Marcelli nomine fecit: nam dictum est Marcellianum: author Plutarchus in Marcello.

Principes.] Primores Romanorū.

Hortatus est.] Scribit Plutarchus in Apophthegmatis, cùm Piso ædes ad tectū vsque pulcherrimas magnificenter exædificasset, lætatum Augustum dixisse, εὐθυμόν με ποιεῖς οὕτως οἰκοδομῶν ὡς ἀιδίου τῆς Ῥώμης ἐσομένης. Latinè significat: Lætum me facis, sic ædificans tanquam Roma futura perpetua.

Monumentis.] Aedificiis. Monumenta enim non solùm sepulcra, sed & ædificia, & omnia, quæ scripta atque facta sunt seruandæ memoriæ causa, dicuntur: author M. Varro, & docet Iureconsultus De religiosis.

Refectis.] Ex vetusto renouatis.

Aedes Herculis Musarum.] Eumenius in oratione pro reparandis scholis eleganter scribit, ædem Herculis Musarum in circo Flaminio à Fuluio nobiliore ex pecunia censoria primā factam fuisse: qui cùm in Græcia esset Imperator, acceperat Herculem Musagetem esse, id est comitem, ducémque Musarum. Hic idem primus nouem Musarum signa sub tutela Herculis consecrauit: nam Musarum quies defensione Herculis iuuari debet: & virtus Herculis ornari voce Musarum. Vnde intelligimus hanc ædem à Martio Philippo vitrico Augusti non nouam fuisse factam, sed refectam. Illud quoque attendas velim, quòd non legendum est, ædes Herculis & Musarum, sed ædes Herculis Musarum, expuncta illa connexione &, vt vna tantùm res esse videatur. Et ita in emendatis codicibus reperitur. Macrobius quoque in primo Saturnalium, Fuluium conditorē huius ædis significare videtur, sic scribens: Nam Fuluius nobilior in Fastis, quos in æde Herculis Musarum posuit. Præterea Plutarchus in Problematis Romanis refert, quòd Herculi, ac Musis communem aram Romani statuerunt, quia Hercules Euandrum literas docuit. Et à Papinio Hercules socius Calliopes nuncupatur libro tertio Syluarum:

Dic agè Calliope, socius tibi grādè sonabit Alcides.

Plinius in xxxv. tradit in Philippi porticibus fuisse Helenam Zeuxidis manu pictam. Forsitan illæ porticus erant circa hanc ædem Herculis Musarum à Martio Philippo extructam: cuius quoque meminit Ouidius in vi. Fastorum:

Sic ego, sic Clio clari monumenta Philippi.

Aedes Dianæ.] Romæ multæ ædes erant Dianæ: Inter quas illam, quæ in angiportu patritio erat, viros ingredi nefas existimabatur: & cùm in cæteris Dianæ templis ceruorū cornua figerentur, in Auentinæ Dianæ templo boum tantummodo suspendere consueuerunt. Cuius rei causam prodidit Plutarchus in Problematis.

Atrium libertatis.] Atrium, appellatū est ab Atriatibus Thuscis. Illhinc enim exemplum sumptum, vt docet Varro libro primo Latinæ linguæ: & est propriè, authore Festo Pompeio, genus ædificii ante ædem continens mediam aream, qui atrium quasi aterrarium, quòd à terra oriatur, deduci existimat. Scribit Vitruuius architectus in vi. atria ianuis esse proxima, quibus Græci non vtebantur. Atriorum longitudines & latitudines ab eo scienter perscribuntur. Minusculum atrium [illegible] dicitur atriolum. Cicero in epistolis ad Quintum fratrem: Te scribere aiunt vt atriolum fiat. mihi, vt est, magis placebat: neque enim satis loci esse videbatur atriolo. Atrium verò Libertatis Romæ fuerat vetustissimum. Scribit Liuius, custoditos fuisse obsides Tarētinos in atrio Libertatis. Libertatem deam in primis Romani venerabantur, vtpote libertatis assertores. Idem lib. xxxiiii. author est, atrium Libertatis refectum fuisse, ampliatúmque ab Helio Pæto, & Cor. Cethego censoribus. Et ita nunc intelligendum est, fuisse refectum ab Pollione atrium Libertatis, non nouum extructum. Clodius domum Ciceronis Libertati consecrauit: vbi signum meretricis pro simulacro Libertatis collocatum fuisse, vehementer & grauiter conqueritur Marc. Tullius in oratione, quam habuit ad Pontifices pro domo sua.

Aedes Saturni.] Plutarchus & Macrobius prodiderunt, ærarium Romanū fuisse in templo Saturni: quia sub illo nullum furtum commissum fuisse fertur: aut quia sub illo nihil erat cuiusque priuatum. Tullum Hostilium quidam consecrasse templum Saturno ferunt: Quidam Lucium Tarquinium. Varro refert, Titum Largium Dictatorem ædem Saturni Saturnalibus dedicasse. Liuius in secundo ab origine vrbis sic scribit: Aulo Sempronio, & M. Minutio consulibus ædes Saturno dedicata: Saturno institutus festus dies. Aedes quoque Saturni hæc refecta fuisse significatur, restitutáque à Planco.

M. AN. Marcelli.] Ex Octauia & C. Memmio geniti. Hic est, quem extinctum Vergilius miserabili carmine in sexto prosequitur.

Refectis.] Instauratis.

A Martio Philippo.] Augusti vitrico: huic enim post Octauii patris interitum Accia mater nupsit.

Aedes Herculis & Musarum.] Ouidius:

Sic ego, sic Clio clari monumenta Philippi
Aspicis, vnde trahit Martia casta genus.

Cur Herculi & Musis communis ædes poneretur, Plutarchus in Quæstionibus docet.

Aedes Dianæ.] Dianæ ædes in Auentino fuit. Ait enim Martialis:

Laudat Auentinæ vicinus Sura Dianæ.

Vetustissimum eiusdem templum in Auentino communi Romanorum & Latinorum nomine Seruio Tullio rege Liuius ædificatum tradidit: de quo fortè vrbanissimus poëta.

Atrium Libertatis.] Libertatis ædes fuit in eodem colle. Atrium, ædificii genus mediam ante ædem continens aream, in quam ex omni tecto descendit collecta pluuia: ab Atriatibus Thuscis, vnde sit sumptum exemplum, credidit Varro ipsi rei nomen factum. Liuius Tarentinorum obsides secundo bello Punico in atrio Libertatis ait asseruatos: quæ vetus custodia ipsam celebritatem loci arguit, & vetustatem.

Aedes

Aedes Saturni.] Nisi ædem ipsam refectam intelligas, aliam ab ea, in qua ærarium fuit, accipi oportet: nam quod ad priorem illam attinet, post reges vrbe exactos Publicola, vt Plutarchus tradidit, in ea ærarium constituit. Lucanus:

- Tunc conditus imo
Eruitur templo multis non tactus ab annis
Romani census populi. -

PHIL. A Cornelio Balbo.] Is est ille Cornelius Balbus Cæsaris perquàm familiaris, & Ciceronis amicissimus: ad cuius nomen alludens Cicero sic iocatur in epistolis: Quæso ne pluris balbos, quàm disertos putes. Fuisse autem eodem tempore duos Balbos, maiorem & minorem, testatur idem M. Cicero in epistolis ad Atticum.

A Statilio Tauro.] Tacitus meminit Statilii Tauri vnius ex posteris istius, quem opibus illustrem accusatũ fuisse repetundarum tradit, Agrippina extimulante accusatorem, quæ Statilii hortis amœnissimis inhiabat. Statilius impatiens iniuriæ sibi mortẽ consciuit. Mar. Varro docet, Statilios Tauros nominatos esse à tauris, qui sunt in pecore maiori. Sic enim scribit in secundo de Re rustica: Nomina multa habemus ab vtroque pecore, à maiore, & à minore: Porcius, Ouinius, Caprilius: sic Equitius, & Taurius: & dicuntur Annii Capræ, Statilii Tauri, Pomponii Vituli.

Ab Agrippa complura.] Marcus Agrippa in ædilitate sua Romam duxit aquam Virgineam: præterea fontes fecit centumquinque, castella centum triginta: complura etiam cultu magnifica, ac operibus, & gratuita tribuit balnea centum sexaginta: author Plinius in trigesimosexto. Idem scribit, Pantheon Ioui Vltori ab Agrippa factum. De ductibus aquarum ab Agrippa vel factis vel refectis, sic scribit Frontinus: Agrippa ædilis ductus Appiæ, Anienis, Martiæ penè dilapsos restituit. Idem Iuliam deduxit. Virginem quoque Romam perduxit.

In regiones vicósque.] Iam dictum est, Romam fuisse diuisam in regiones quatuordecim: Quarum singulæ compita supra ducẽta, & vicos innumeros continebant. Sed cùm dicat Tranquillus, Augustum diuisisse vrbem regionatim: caue credas ab eo diuisam fuisse in illas quatuordecim regiones celebratissimas, quæ ante Augustum præscriptæ fuerãt: sed intellige, nouam quandam diuisionem ab Augusto factam esse regionatim & vicatim, vt hac noua formula magistratus annui regionibus tuendis præessent: magistri verò singuli singulis vicis. Scribit Dionysius, constitutos fuisse à Seruio Tullio vicorum præfectos, quos scire iussit vbi quisque habitaret.

Sortitò.] Voluit vt præfecti regionum tuendarum per sortitionem crearentur.

Illas.] Regiones.

Hos.] Vicos.

Magistri.] Rectores, moderatores. Scribit Paulus Iurisconsultus, quòd hi magistri appellantur, quibus præcipua cura rerum incumbit, & qui magis, quàm cæteri, diligentiã & solicitudinem rebus, quibus præsunt, debent. Vnde etiam cuiuslibet disciplinæ præceptores magistri appellantur. Magistrare enim, est moderari, vt scribit Festus Pompeius: vnde magistri pagorum, societatum, vicorum, collegiorum, equitum dicuntur.

Excubias nocturnas.] Augustus occurrere volens incendiis, septem cohortes constituit, vt binas regiones vrbis vnaquæque cohors tueretur, præposito super omnes eo, qui præfectus vigilum appellatur.

Commentus.] Excogitauit, inuenit. Comminisci, vt inquit Varro, dictum à con & mente: vnde & commentum.

à Cornelio Balbo theatrum, à Statilio Tauro amphitheatrum, à Marco verò Agrippa complura & egregia.

De diuisione urbis, & templis, ac uijs refectis, & Tyberi ampliato. XXX.

SPatium vrbis in regiones vicósque diuisit: instituitque vt illas annui magistratus sortitò tuerentur, hos magistri è plebe cuiusque viciniæ electi. Aduersus incendia excubias nocturnas vigilésque commentus est: ad coercendas inundationes, alueum Tyberis laxauit, ac repurgauit, completum olim

Laxauit.] Laxiorem & capaciorem fecit.

Alueum.] Conceptaculum, &, vt vulgò dicitur, lectũ fluminis. Scribit Caius Iurisconsultus titulo De acquirendo rerum dominio, quòd si, toto alueo naturali relicto, flumẽ alio fluere cœpit, prior quidem alueus eorum est, qui prope ripã possident prædia: nouus autẽ alueus eius incipit esse, cuius & flumen est: id est, publici iuris gentium.

Repurgauit.] Purgare, vt inquit Vlpianus, propriè dicitur ad libramentum proprium redigere, sublato eo, quod superest.

M. AN. AMphitheatrum.] Locum ad spectacula comparatum, quod ratio nominis arguit: differtque eius forma à theatro, quod plena luna à dimidiata. Marc. Scaurus primus, authore Plinio, temporarium theatrum Romæ posuit. Amphitheatrum in dubium venire potest. C. Tacitus à C. Cæsare primùm in campo Martio constitutum scripsit. Tranquillus destinatum duntaxat, atque apparatum omnem ab Antonio in Mausolei dedicatione disiectum.

M. Agrippa.] Pantheon ab Agrippa Ioni Vltori factum, author est Plinius. Quod & vetustissimæ literæ, quæ in vestibuli supercilio durant, perspicuè demonstrant. De aquæductibus, præter Plinii testimonium, extat & Augusti elogium illud, Agrippam generum suum satis prouidisse, ne in vrbe siti laboraretur.

In regiones & vicos.] Plinius author est, quatuordecim fuisse in vrbe regiones, vicos verò supra mille.

Sortitó.] Sorte ducti.

Tuerentur.] Hos vicos scilicet. quod si disiunctim legas, vt plerique habent, non procedit.

Magistri.] Moderatores: sic sodalitii, collegii, & equitum magistri dicuntur.

E plebe cuiusque viciniæ.] Ex eo plebeiorum numero, quem quælibet haberet vicinia.

Inundationes.] Inundantis Tyberis euagationes.

Alueum.] Intercapedinem vtrinque ripis coërcitam.

Laxauit.] Ampliauit: vt quò laxius flueret, eò minus inundaret.

ruderibus, & ædificiorum prolapsionibus coarcta tum. Quò autem facilius vndique vrbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit. Aedes sacras vetustate collapsas, aut incendio absumptas refecit, eásque, & cæteras opulentissimis donis adornauit, vtpote qui in cellam Capitolini Iouis sedecim millia pondo auri, gemmásque ac margaritas quingenties sestertiûm vna donatione contulerit.

PHIL. RVderibus.] Rudera, sunt saxa contusa, & fragmenta ædificiorum dirutorum comminuta: alterum nouum, alterum vetus rudus appellatur. Ex nouo pauimenta solidantur. Vnde ait Vitruuius in VII. Deinde ruderi nouo tertia pars testæ tusæ admisceatur, calcisq; duæ partes ad quinque mortarii misti omnibus præstent responsum. Hoc idē Plinius noster in XXXVI. retulit. A rudere fit verbū ruderor, quod significat rudus inducere. Vitruuius: Ne minore saxo, quàm quod possit manus implere staluminationibus inductis ruderetur. Apud eundem titulus est De ruderatione. Mar. Cato ruderum vocat locum rudere refertum, cùm ait: Lentem in rudecto, & rubricoso, qui herbosus non fiet, serito. Palladius quid sit rudus interpretatur, cùm ait in primo: Tunc superstaruminabis rudus, id est saxi contusi duas partes, & cum vna calcis temperatæ constitues. Plinius in XXI. ait, ruderatum agrum amari à rosa, hoc est, rudere conspersum. De rudere, quod significat quisquilias & fragmenta ædificiorum lapsorum comminuta, loquitur Tacitus, cùm de ruinis incendii Neroniani sic inquit: Ruderi accipiēdo Hostienses paludes destinabat: vtq; naues, quæ frumentum Tyberi subuectassent, onustæ rudere decurrerent. De his ruderibus nunc intelligit Tranquillus, de quibus Iurisconsultus quoqoe intellexit, cùm ait De damno infecto: Licet dominus velit rudera agere, eáque derelinquat. Item, Non cogi posse vt rudera tollat. Eruderare verò, significat repurgare, & quasi, rudere detracto, emundare: quod non solùm de agro, sed de aliis quoque rebus decenter dicitur. Sidonius: Defert & volumen prophetarum superuacuis sententiis eruderatum. Coarctatum.] Angustiorem factum, & strictiorem. Facilius adiretur.] Commodius, & breuiori temporis curriculo. Similiter Papinius celebrans hendecasyllabo viam Domitianam, sic inquit: At nunc quæ solidum diem terebat Horarum via facta vix duarum. Flaminia via.] Caius Flaminius collega M. Lepidi in consulatu, victor Ligurum strauit viam Flaminiam ex vrbe Roma per Tusciam, & Vmbriam, vsque Ariminum: author Strabo in v. Geographiæ. Liuius verò lib. XXXIX. Consul Flaminius ne militem in otio haberet, viam à Bononia perduxit Aretium. Ita habent impressi ferè omnes Liuiani codices. Ego existimo emendandum esse, à Roma perduxit Ariminum. nisi altera Flaminia significetur. Aemylius aotem collega viam Aemyliam à Placentia, vt Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit. Et intelligimus, Augustum magis refecisse, restituisséque viam Flaminiam, quàm nouam fecisse: cùm antea facta fuisset à cōsule Flaminio. Restituere autem, vt ait Iulianus Iurisconsultus, videtur is, qui in pristinum statum reducit quod sit.

Arimino tenus.] Vsque Ariminum.

Monienda.] Constituenda. Munire viam, est silicibus, & lapide sternere, atque construere.

Reliquas.] Vias scilicet publicas & militares.

Ex manubiali pecunia.] Manubialis pecunia dicitur illa, quæ redacta est ex manubiis, hoc est, hostili præda diuendita. De vario significatu manubiarum, antè dictum est.

Vetustate collapsas.] Scribit Liuius, Augustum Cæsarem refecisse ædem Feretrii Iouis vetustate collapsam.

Refecit.] Reficere, est quod corruptum est in pristinum statū restaurare. Verbo reficiendi, tegere, substruere, sarcire, ædificare, item aduehere, apportaréque ea, quæ ad talē rem opus essent, continentur, sicuti docet Vlpianus titulo De riuis.

Vtpote.] Tanquam.

Pondo.] Libras. Centena pondo dicebant antiqui referentes ad libram. Aliàs accipitur pro pondere: sicut apud Liuium scribentem, coronam auream libræ pondo Ioui dicatam fuisse.

Gemmas ac margaritas.] In Commentariis Propertii scripsimus quemadmodum margaritæ non numerantur in numero gemmarum. Vnde & Plinius distinxit margaritas à gemmis: cùm gemmæ propriè ad lapides pretiosos referantur. Et crystallum quoque gemmarum nomine continetur. Liuia Augusta dicauit magnitudinem crystalli in Capitolio librarum circiter quinquaginta. Iurisconsulti autem gemmas à lapillis distinguunt, tanquam gemmæ sint perlucidæ materiæ: veluti smaragdi, chrysolithi & amethysti: lapilli verò contrariæ superioribus naturæ, vt sunt obsidiani. Emendanda dictio est apud Iurisconsultos deprauatam nam pro obsidiani, passim abasiani legitur. Margaritas autem nec gemmis, nec lapillis contineri satis constitisse Sabinus Iurisconsultus ait. Potior est apud me authoritas Plinii, qui gemmas generali vocabulo intelligit omnes lapides pretiosos, siue materiæ sint perlucidæ, siue obscuræ.

M. AN. RVderibus.] Ruptorum ædificiorum disiecta materia, lapidibus, calce, & arena commistis: estq; nouum, & vetus: rudus nouum materia pauimenti, hoc est saxa nopertime cōtusa, seu testæ fractæ ad pauimentum faciendum: vetus rudus veterum pauimentorū materia, quæ calce, arena, lapidibus, siue testis fractis cōstat. Plinius: Complanatæ erant veteri rudere viæ. Hinc ruderarus ager apud eundem, qui einsmodi materia est respersus. Rosam raris ait, argilosisque locis esse contentam, ruderatúmque agrum amare. Vitruuius: Tunc super stratum duces rudus: hoc est, saxa contusa duabus partibus, & vna calcis. Flaminia via.] Flaminiæ viæ cura. Munienda.] Cur muniendaiam enim constat viam ipsam diu anteà communitam. Strabo: Eodem enim cōsulatu Mar. Aemylius Lepidus, & Caius Flaminius collegæ fuerant: victores autem Ligurum straoere, hic quidem Flaminiam è Roma per Tusciam, & Vmbriam vsque Ariminum: alter reliquam porrò vsque Bononiam. Rectè igitur muniendam, id est resarciendam dixeris. Reliquas.] Vias scilicet, vt Latinam, Appiam, Valeriam, Aemyliam.

Manubiali.] E manubiis. Quid autem manubiæ essent, aliàs abundé.

Pondo.] Libras.

Quingenties sestertiûm.] Ad pretium, non ad pondus referas.

PHIL. Viuo Lepido.] De hoc ita Seneca libro primo de Clementia: Lepidi pontificatum maximum noo, nisi mortuo illo, transferri io se passus est Augustus: maluit enim illum honorem vocari, quàm spolium. Scribit Cassiodorus, pontificatum à pontifice non deponi, nisi cum vitæ munera derrlinquit.

De hoc nunc intelligendum, vel de illo, quem ex marmore Scopas fecit, & quem Plinius appellat Apollinem Palarinum. Fuit & alius Apollo eboreus in foro Augusti Cæsaris, ad quem referri potest illud Satyricum:

Sportula deinde forum, iurisque peritus Apollo.

De gestis per eum in pontificatu maximo. XXXI.



Postquam verò pontificatum maximum, quem nunquam viuo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit: quicquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis authoribus, vulgò ferebatur, supra duo millia contracta vndique cremauit: ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito: condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi. Annum à diuo Iulio ordinatum, sed postea negligentia conturbatum

Fatidicorum librorum.] Fatidici libri dicuntur, qui continent fata populorum: quales erant decem Sibyllarum, quos fatales Historici appellãt: qualia etiã fuerunt volumina Martii vatis. Sic vates fatidici dicti, & fatidica Manto nominatur à poëta, quoniã erat fatiloqua, vaticinabaturque diuinitate prædita. Sensus est, Augustum concremasse magnam copiã librorum fatidicorum, qui essent adulterini, & subdititii, nullóque idoneo authore subnixi. Et hoc ab Augusto factitatum est ex ritu priscorum. Nam, vt ait Liuius libro vndequadragesimo ab vrbe condita, sæpe hoc patrum, auorúmque ætate negotium est magistratibus datum, vt sacra externa fieri vetarent, vaticinos libros conquirerent, comburerentque, omnem disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano, abolerent. Mendum est in codicibus Liuianis: nanque pro vaticinos libros, passim legitur aracinos. Vaticini autem libri sunt iidem, qui fatidici, quibus vaticinia, fatáque Romana continentur. Idem xxv. Edixit prætor, vt quicunque libros vaticinos haberet, eos libros ad se deferret.

Delectu habito.] Ante Augustum retulit ad Senatum Caius Curio cosul, vt legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita Romam deportarent. Itaque missi tres legati, descriptos à priuatis versus circa mille Romam deportarunt: authores Varro, Lactantius, & Fenestella. Præterea libri Sibyllini, qui à Romanis in arcano seruabantur, non vnius fuere Sibyllæ, sed ex pluribus in vnum congregati: ex quo credibile est, quædam in his fuisse quasi confusanea, quæ ab Augusto repurgata sunt.

Forulis.] Fori, masculino genere, pluratiuo numero, significant Circensia spectacula: de quibus Liuius io primo sic ait: Loca diuisa à patribus, equitibúsque, vbi spectacula sibi quisque facerent, fori appellari. Inde forulos per diminutionem dici existimat Festus, quasi minores foros, hoc est, minora spectacula. Præterea fori dicuntur in nauibus sedilia nautarum. Verum apud Iuuenalem:

Hic libros dabit, & forulos.-

& in hoc loco apud Tranquillum foruli accipiuntur pro capsulis, loculamentisque. Apud Vergilium Forulos pro oppido accipimus, cùm ait in septimo:

Casperiámque colunt, Forulos, & flumen Hymellæ.

Sub basi.] Fulcimento statuæ. Vulgò quoque bases columnarum vocantur. Refert Plinius, honores in basibus inscribi solitos.

Apollinis.] Scribit Plinius, vidisse se Apollinem in bibliotheca templi Augusti quinquaginta pedum à pollice, dubium ære mirabiliorem, an pulchritudine.

Et illud Horatianum:

-Sic me seruauit Apollo.

Quanuis Porphyrio aliud remotius confinxerit interpretamentum.

M. AN. Viuo Lepido.] Eo, qui triumuir fuerat: nam post Cæsaris Dictatoris mortem Lepidus pontificatum inuaserat.

Fatidicorum.] Populi Romani fata continentium.

Parum idoneis authoribus.] Quibus fides haud habenda esset.

Sibyllinos.] Tres ab initio fuere, quos Dionysius, & Gellius aiunt ad Tarquinium Superbum à Sibylla delatos, Lactantius ad Tarquinium Priscum prodidit: adeò in re etiam vulgatissima variant authores. Dionysius, & Valerius à duumuiris eos prius asseruatos docent: inde quindecim viri habuere, quod Gellius testatur: item & decemuiri, vt Macrobius. Marsico bello in Capitolii conflagratione incendio sunt absumpti: quare Senatusconsulto ex Erythris, & locis Asiæ compluribus, ex Italiæ ad hæc vrbibus, nonnullis legatis ad id missis, alii conquisiti sunt, quos item Sibyllinos dixere, Augustúsque pontifex maximus duobus forulis clausit.

Forulis.] Armariolis, siue pluteis. Iuuenalis:

Hic libros dabit, & forulos, mediámque Mineruam.

Lactantius de falsa religione libro primo, capite sexto, de libris Sibyllinis scribit: Marcus Varro Sibyllinos libros ait non fuisse vnius Sibyllæ, sed vno nomine Sibyllinos, quòd omnes fœminæ vates, Sibyllæ sunt à veteribus nuncupatæ, vel ab vnius Delphidis nomine, vel à consiliis deorum denuntiandis: σιοὺς enim deos, nõ θεοὺς: & consilium non βουλὴν, sed βουλλὰν appellabant Aeolico genere sermonis. Cæterùm Sibyllas decem numero fuisse, eásque omnes enumerauit sub authoribus, qui de singulis scriptitarunt. Primam fuisse de Persis, cuius mentionem fecerit Nicanor. Secundam Libycam. Tertiam Delphicam. Quartam Cumæam in Italia, &c.

Basi.] Cui colossi moles erat imposita.

Palatini Apollinis.] Colossi pedum quinquaginta. Plinius: Factitauit colossos & Italia, videmúsque certè Apollinem in bibliotheca templi Augusti Tuscanici quinquaginta pedum à pollice, dubium ære mirabiliorem, an pulchritudine. Horatius ad Florum:

Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.

Conturbatum.] Quum ex Cæsaris institutione, vt Macrobius scribit, diem, qui ex quadrantibus fiebat, quarto quoque anno, antequam quintus inciperet, intercalari oportuisset, pontifices quarto nõ peracto, sed incipiente intercalabant: qui error sex & triginta annis (tam diu enim error ille indeprehensus fuit) ita annum turbarat, vt duodecim dies in eo corrigendo intercalati sint.

Ad prist

atque confusum, rursus ad pristinam rationem redegit: in cuius ordinationem Sextilem mensem è suo cognomine nuncupauit magis, quàm Septembrem, quo erat natus: quia hoc sibi & primus consulatus, & insignes victoriæ obtigissent. Sacerdotum & numerum, & dignitatem, sed & commoda auxit, præcipuè Vestalium virginum. Quúmque in demortuæ locum capi aliam oporteret, ambiréntque multi ne filias in sortem darent, adiurauit, si cuiusquam neptium suarum competeret ætas, oblaturum se fuisse eam. Nonnulla etiam ex antiquis ceremoniis paulatim abolita restituit: vt

PHIL. Ad pristinam rationem.] Antè dictum est, quemadmodum Iulius Cæsar annum diligentissime ordinauit, qui instituit, vt annus haberet trecentos sexagintaquinque dies & quadrantem: sed tunc quoque vitium admissum est per sacerdotes. Nanque, authoribus Solino in Collectaneis, & Macrobio in Saturnalibus, cùm præceptum esset, vt anno qoarto intercalarent diem, vt oporteret confecto anno quarto obseruari, antequã quintus aospicaretur, sacerdotes incipiente quarto, non desinente intercalarũt: sic per annos sex & triginta, cùm nouẽ tantũmodo dies suf ficere debuissent, duodecim sunt intercalati. Quem errorem deprehensum Augustus correxit, iussitque annos duodecim sine intercalatione decurrere: vt tres illi dies, qui vltra oouenarios temere fuerant intercalati, hoc modo possent repensari: qua reformatione omnis futuri temporis fundata ratio est. Ammianus Marcellinus libro XXVI. refert quemadmodum ab Augusto sit compositus annus, qui vitio sacerdorum confusus, & erroribus erat implicatus. Verba Marcellini hæc sunt: Quibus abolitis, Octauianus Augustus Græcos sequutus hanc inconstantiam, correcta turbatione, composuit, spatiis duodecim mensium & sex horarum magna deliberatione collectis.

Ad pristinam rationem.] A Dictatore Cæsare institutam: de qua affatim dictum est in primo Cõmentario.

Sextilem mensem.] Martium mensem principium fuisse anni apud priscos, ex hoc maxime probatur, quòd ab ipso Quintilis quintus est dictus, Sextilis sextus, & deinceps pro numero numerabantur: verùm qui Sextilis antea vocabatur, appellatus est Augustus, in honorem Augusti Cæsaris, facto Senatusconsulto in hæc verba: Cùm Imperator Cæsar Augustus mense Sextili & primum consulatum inierit, & triumphos tres intulerit in vrbem, & ex Ianiculo legiones deductæ, secutǽque sint eius auspicium, ac fidem, & Aegyptus hoc mense in potestatem redacta sit, finísque hoc mense bellis ciuilibus impositus sit: atque ob has causas hic mensis huic Imperio felicissimus sit, ac fuerit, placere Senatui vt hic mensis Augustus appelletur. Hieronymus quoque in epistola ad Eustochium scribit, Augustum Cæsarem Calendis Sextilibus Romam repedasse cum triumpho ab Alexandrina victoria: statutúmque esse, nuntiarúmqoe per vniuersum orbem vniuersis gentibus, Octauianum Augustum inter deos debere coli: & vt mensis iste, qui antiquitus in ordine mensium Sextilis dicebatur, in honorẽ Augusti Augustus vocaretur.

Vestalium virginum.] Sex Vestæ sacerdotes constitutæ sunt, vt populus pro sua quaque parte haberet ministram sacrorum: quia ciuitas Romana olim in sex fuit distributa partes. Geganiam & Berenlam primas à Numa sacratas virgines Vestales ait Plutarchus: dein Camillam, & Tarpeiam: postea Seruium Tullium duas addidisse: qui numerus senarius seruatus est.

Capi aliam.] Capi dicitur virgo Vestalis, quando ad id sacrificium legitur, propterea quòd pontificis maximi manu præhensa ab eo parente, in cuius potestate est, veluti bello capta, abducitur. Pontifex maximus hæc verba dicebat, cùm virginem capiebat: Amata, te capio. Ideò autem Amata inter capiendum à Pontifice maximo appellatur, quoniam eam, quæ prima capta est, hoc fuisse nomine tradit Gellius in primo Noctium Atticarum. Flamines qooque Diales, item augures, & pontifices, capi dicebantur. De flamine capto exemplũ est apud Liuiũ sic scribentem in XXVII. ab vrbe condita: C. Flaccus flamen captus à P. Licinio pontifice maximo.

Ambirent.] Ambiendo deprecarentur.

In sortem darent.] Scribit Gellius, Papiam legem se inuenisse, qua cauebatur, vt pontificis maximi arbitratu virgines è populo viginti legerentur, sortitióque in concione ex eo numero fieret.

Neptium.] De neptibus Augusti paulò pòst.

Competeret ætas.] Qui de virgine capienda scripserunt, minorem qoàm annos sex, maiorem quàm annos decem natam negauerunt capi fas esse. Item quæ non patrima & matrima, hoc est, qoæ nec patrem habeat, nec matrem.

Oblaturum.] Insinuat Gellius, fuisse homines honesto loco natos, qui adibant pontificem maximum, & offerebant ad sacerdotium filias.

M. AN. E Suo nomine.] Augustus, qui antea Sextilis dictus est.

Capi.] Capere se dicebat põtifex maximus ex veteri instituto, non eligere virgines, quas ad Vestæ ministerium accersebat: vt Fabius Pictor, authore Gellio, tradidit: quanquã & flamines, & augures capi dicerentur.

Ambirent.] Ambiendo subterfugerent. Ambitio olim duplex fuit: Vna, lege vetita, vnde leges de ambitu latæ, cùm tributim pecuniæ diuisorum ministerio distribuerentur: hoc est, τῶν ψήφων ὠνούμενοι. Altera non vetita, quæ sine largitione fiebat. Ambitiosum etiam enixum dicunt, & affectatũ, quod Græci κακοζηλούμενον dicunt, id est ingenti studio factum.

In sortem.] Lege Papia comparatum erat, vt pontificis maximi arbitratu virgines è populo viginti legerentur, sortitióque ex eo numero in concione fieret: quanquam huic legi Popilia sit postea lege abrogatum, ita vt vnicuique liceret, modò ætas competeret, filiam ad id sacerdotium vltro offerre.

Adiurauit.] Iureiurando affirmauit.

Neptium suarum.] Iuliæ, & Agrippæ filiarum.

Competeret ætas.] Antisthius Labeo, eam, quæ capienda esset, minorem sex annos natam esse oportere negauit, maiorémve decem.

Oblaturum.] Quoniam legi, quæ pontifici maximo eam curam detulit, fuerat, vt diximus, abrogatum: alioqui quia pontifex capturum se dicere debuisset.

Ceremoniis.] Sacrorum institutis. Ceremoniæ à carendo, vt Massurius Sabinus tradidit, dictæ: vt religio à relinqoendo. Valerius à Ceritibus, qui Romana sacra Senonico bello seruarunt, in publicæ pietatis monumentum appellatas credidit.

Salutis augurium, Diale flaminiũ, sacrum Lupercale, ludos seculares, & cõpitalitios. Lupercalibus vetuit currere imberbes. Item secularibus ludis iuuenes vtriusque sexus prohibuit vllum nocturnũ

PHIL. SAlutis augurium.] Scribit Cornelius Tacitus, Salutis augurium quioque & viginti annis omissum repeti, ac deinde conrinuari, placuisse Claudio Imperatori. Dion quoque apud Græcos quod foret saluris augurium, luculenter tradidit: qui ait, modum fuisse augurii, vt si Deus permittat, salutem populo poscant: quasi ne salutem quidem à diis petere fas sit, nisi prius hoc ipsum dii concesserint. Obseruabatur autẽ vna dies qnotannis, in qua nullus ad bellũ proficisceretur exercitus, nemo contra se pararet, nemo pugnaret: quod in bellis ciuilibus haudquaquam obseruari poterat. Hoc Salutis augurium ab Augusto restitutum fuisse significat, quod prius omissum, abolitúmque fuerat: sicuti à Claudio ex authoritate Cor. Taciti diximus fuisse repetitum, continuatúmque. Præterea ædes fuit Romæ Salutis à Iunio Bubulco censore locata: quam consul bello Samnitium vouerat. Ad Salutem deam alludit Plautus in Asinaria, illo versu:

Vt consueuere, homines Salus frustratur, & Fortuna.

Diale flaminium.] Flaminis Dialis sacerdotium: de quo affatim dictum est io principio Commentariorum: sicut etiam de Lupercis & Lupercalibus.

Ludos seculares.] Primos ludos seculares à Valerio institutos esse post reges exactos, Censorinus tradit in libro de die natali. Valerius quoqne Maximus originem ludorum secularium refert in capite de institutis antiquis. Seculares dicti sunt à seculo. Est autem seculum, spatium centum annorum: dictum à sene, vt Interpretatur M. Varro: quod longissimum spatium senescendorum hominum id putauerunt. Et quia ciuile Romanorum seculum centum annis transigitur, ab hoc spatio cùm post centum annos hi ludi celebrarentur, à seculo seculares nominati sunt. Opinatur Censorinus, seculares dici potuisse, quòd plerunque semel fiant hominis ætate: sicut multa alia, quæ rara sunt, post seculum euenire loquentium consuetudo vsurpat. Quintos ludos seculares Cæsar Augustus, & Agrippa fecerunt: in quibus cantatum est in Capitolio à virginibus, puerísque carmen Horatianum, quod Seculare inscribitur: quo significatur post centum & decem annos ludos seculares celebrari solitos.

Compitalitios.] Compitalitii ludi dicti sunt à viis compitorum, io quibus per vrbem agitabantur. Compita autem erant singularum regionũ supra ducenta. Refert Macrobius in primo Saturnalium, Compitalia à Tarquinio Superbo instituta fuisse Laribus, ac Maniæ deæ matri deûm, quibus capitibus allii & papaueris pro capitibus hominũ supplicabatur. Porphyrio Horatianus interpres author est, Lares, id est, deos domesticos, in compitis ab Augusto positos fuisse: & ex libertinis sacerdotes datos, qui Augustales sunt appellati. Compita sub tutela Larium esse docet Ouidius in Fastis, cùm ait:

Fitque grauis, geminósq; parit, qui compita seruãt:
Et vigilant nostra semper in vrbe lares.

De Compitalibus hæc M. Varro: Compitalia dies attributus Laribus, vbi viæ competunt, tum in compitis sacrificatur, quotannis is dies concipitur. Dionysius in quarto author est, templa iussu Seruii Tullii Regis extructa fuisse in compitis omnibus: vbi anniuersaria sacrificia peragebantur à seruis, tanquam seruile ministerium diis gratum foret. Celebrabatur autem solennitas Compitaliorum paucis diebus post Saturnalia. Græci στενωποὺς καὶ ἄμφοδα vocant compita: vnde dicta Compitalia, & ludi Compitalicii.

Currere imberbes.] Soliti erant adulescentes Luperci nudi in orbem discurrere, & scuticis obuios cædere: sicut & superius enarratum est. Augustus prohibuit nudos currere pueros, & adolescentiores, honestatis causa.

Vllum spectaculum nocturnum.] Ludi seculares continuis tribus noctibus celebrabantur: quia totidem filii Valesii, qui primus fuit ludorum institutor, periculo liberati fuerant. Vnde ab Ausonio eleganter dictum est:

Trina Tarentino celebrata trinoctia ludo.

Seculares autem, Tarentinos ludos appellari docuimus in libro Anootationum, enarrantes illud Epigrammatici poetæ:

Bis mea Romano spectata est vita Tarento.

SAlutis augurium.] Dion author est, & Ianum ab Augusto clausum, Salutisque auguriũ factum, quod fuerat iam antea multis causis omissum. & rursus: Tum verò Salutis augurium, quod appellant, longo interuallo fecerunt. Est autem modus augurii quispiam, vt si Deus permittat, salutem populo poscant: quasi ne salutem quidem à diis petere fas sit, ni prius hoc ipsum dii concesserint: hæc ille, & alia in huiusmodi sententiam non pauca. Plinius, Augurio, inquit, coronario augẽdo. M. AN.

Diale flaminium.] Diale sacerdotium: de cuius dignatione Liuius, Dionysius, & Plutarchus plura.

Sacrum Lupercale.] In quo ad tollendam omnem stupri occasionem voluit impuberes per vrbem nudos vagari.

Ludos Seculares.] Qui centesimo quoque anno, vt Aurel. Augustinus, Festus, & Acron scribunt, celebrari consueuere. Est enim seculum, centum annorum spatium, vt Varro ait: quanquam minus seculum, eodem authore, fuit trigiota annorum. Vetuit Augustus, ea ludorum celebritate iuuenes vtriusque sexus sine propinquorum aliquo maiore natu nocturnis spectaculis interesse: quod edictum eò tetendit, ne in eam ætatem, quæ iniuriæ obnoxia est, occasione tẽporis plura committerentur flagitia, quòd tribus continuis noctibus ludi, & lectisternia celebrarentur, ob tres Valesii filios morbo seruatos, Valerius est anthor. In cuius mentione non ab re fuerit locum in eodem capite obiter corrigere, quod mendum à nullo, quod sciam, est ad hunc diem animaduersum: siquidem de Valesio ille scribens, qui Tarentum iussus fuerat ægrotos filios deuehere: Habitabat, inquit, in villa sua prope vicinum Sabinæ regioni fretum. Quod si ita legas, manifestè apparet, Valerium nesciuisse Sabinæ regionis situm, qui nõ freto, sed Tyberi ad occasum coërcetur, ac totus mediterraneus est. Eretum ergo pro freto legendũ contenderim. Strabo: Apud Eretum Sabinorum vicum supra Tyberim iacentem. Liuius: Et ad Eretum cum Sabinis pugnatum. At locum eò libentius attigi, quia non solùm eos, qui in Valerium scripsere, sed virum etiam quendam exactæ obseruationis, & vtraque lingua sine controuersia doctissimum, cuius nomini ob excellentem alioqui doctrinam, mutuæque beneuolentiæ studium parcimus, in apertum errorem traxisse video.

Compitalitios.] Cùm singulæ Laribus feriæ datæ essent, atque illæ ipsæ, vt Macrobius & Varro scribunt, conceptiuæ, Augustus bis quotannis celebraoda censuit. Compitalitia ex viis, vt iidem authores aiunt,

compitorum, in quibus agitabantur, dicta: Maniæ, & Laribus ex oraculo Apollinis constituta. Sed dirus olim sacrorum ritus, eiectis regibus, à Iunio Bruto sublatus, Macrobius est author. Plinius & ipse duplicis Larium coronationis meminit.

re statuarum loqui videtur & Iuuenalis scribens:

- Huius enim stat currus aheneus, alti
Quadriiuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curuatum hastile minatur.

Idem de statuis triumphalibus ait:

Atque triumphales, inter quas ausus habere
Nescio quis titulos. -

Statuæ autem antiquitus togata effigie dicabantur, aliæ thoracatæ: cùm Romanares, ac militaris sit thoracas addere. Aliæ penulatæ. Aliæ factæ sunt habitu Lupercorum. Aliæ equestres. Aliæ pedestres. Quædam in columnis, quarũ ratio erat attolli supra cæteros mortales. Fuerunt & statuæ effigie triumphali in curribus, eorum scilicet, qui triumphauissent. A diuo Augusto seiuges facti sunt: hoc est, currus ducti à sex equis.

spectaculum frequentare, nisi cum aliquo maiore natu propinquorum. Compitales Lares ornare bis in anno instituit, vernis floribus, & æstiuis. Proximum à diis immortalibus honorem memoriæ ducum præstitit, qui Imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Itaq; & opera cuiusque manentibus titulis restituit, & statuas omnium triumphali effigie in vtraque fori sui porticu dedicauit. Professus est edicto, commentum id se, vt ad illorum velut exemplar, & ipse dum viueret, & insequentium ætatum principes exige-

PHIL. Nisi cum aliquo maiore natu.] In nocturnis sacris, spectaculisque multa infanda, multa probri, stuprique plena fieri solent per occasionem tenebrarum. Nam, vt inquit eleganter Statius,

Nox fœcunda operũ, pulchréque accommoda fraudi.

Sic Liuius, in Bacchanalibus stupra nocturna, & infanda flagitia fieri solita luculentè perscribit. Ideóque Augustus, vt obuiam iret huiuscemodi corruptelis, & ne stupratores illuderent ætati puerili, néve iuuentus in Venerem, in quam propensa est, lasciuiret, prohibuit iuuenes & puellas interesse nocturnis Secularium ludorum spectaculis, nisi secum haberent aliquem ex propinquis, atque necessariis, seniorem, qui veluti custos, & moderator, cohiberet à probro: præsentia enim senioris facit iuuenes modestiores, verecundioresve.

Compitales Lares.] Quibus compita dicata sunt, & in quorum honorem fiunt ludi Compitalitii.

Vernis floribus.] Scribit Plinius in XXI. quod coronæ deorum honos erant Larium publicorum, priuatorúmque. Verni autem flores sunt heliochrysos, hyacinthus, rosa, & viola alba, quæ prima florum est ver nunciantium: quam Columella Græca dictione λευκόϊον vocat: quasi dicas albam violam. Sunt & alii flores verni, quorum nomina refert Plinius in XXI. Aestiui verò flores, qui succedunt vernis, hi in primis memorantur, Lychnis, Iouis flos, amaracus, iris, & quoddam genus lilii. Nam liliorum quædam sunt verna, quædam æstiua, quædam autumnalia.

Ex minimo maximum.] Apud Sallustium in Catilina ait Cato: Nolite existimare, maiores nostros armis Rempublicam ex parua magnã fecisse. Subiungítque illa, quæ magnos illos fecere, domi industria, foris iustũ imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius.

Opera cuiusque.] Ducum scilicet, qui Imperium maximum reddidissent: quales sunt illi, quorum ita meminit Iupiter apud Silium:

- Hinc tibi Paulus,
Hinc Fabius, gratúsque mihi Marcellus opimis:
Hi tantum parient Latio per vulnera regnum.

Manentibus titulis.] Veterum scilicet ducum, qui inscribi solent in operibus, vt cognoscant posteri, quorum hominum fuerint illa monumenta. In hoc laudandus Augustus, qui magis consulebat famæ priscorum, quàm suæ, dum sub titulis illorũ opera reformat: econtrario vituperandus Domitianus, qui restituit quidem opera maiorum, sed omnia sub titulo tantùm suo, abolita veterum conditorum memoria.

Triumphali effigie.] Quales triumphantibus dicabantur. Plinius in XXXIIII. refert, statuas in curribus dicatas fuisse his, qui triumphassent: de quo gene-

In vtraque porticu fori.] Græci in quadrato amplissimis, & duplicibus porticibus fora constituebant, crebrísque columnis ornabant. Sed, vt inquit Vitruuius in quinto, in vrbibus Italiæ forum non est eadem ratione faciendum: nam propter spectacula spatiosioribus intercolumniis fora distribuenda sunt: circáque in porticibus argentariæ tabernæ collocandæ.

Commentum.] Excogitasse. Comminisci, est excogitare, cùm finguntur in mente, quæ non sunt: à con, & mente dictũ: author Varro. Commentitium verò idem est quod fictitiũ: quod Græci πλασματῶδες appellant. Significat etiam nouum & recens excogitatum, hoc est, non translatitiũ, non aliunde sumptum. Ad illorum exemplar.] Exemplum est, authore Festo, quod sequamur: exemplar est, ex quo simile faciamus.

Exigerentur.] Sensus est: Voluit Augustus, vt Romani, & ipsum, & futuros principes exigerent, ac veluti ex debito reposcerent, tales esse debere, quales fuissent illi duces, qui Imperium auxissent.

M. AN. Opera cuiusque eorum.] scilicet, qui Rempublicam auxissent.

Manentibus titulis.] Quibus intelligi posset, cuius memoriæ id præstaretur: nam, illis prorsus obsoletis, sciri non potuit in cuius gratiam ea restituerentur.

Sui fori.] Quod ad ædem Martis Vltoris publicauit. Lampridius author est, Alexandrum principem Augusti exemplo forum Neruæ Imperatorum imaginibus excoluisse.

Triumphali effigie.] De his, credo, Iuuenalis:

Atque triumphales inter quas ausus habere
Nescio quis titulos. -

Commentum.] Excogitasse.

Ad exemplar.] Ad similitudinem, & exemplum. Est enim exemplar, vnde exemplũ ducitur: Græci τὴν ἰδέαν, id est ideam vocant: Exemplum verò τὸ ἴδος. Annæus Seneca, Alterum, inquit, exemplar est: alterum forma ab exemplari sumpta, & operi imposita. Et paulò pòst: Idos in opere est, idea extra opus est: nec tantùm extra opus, sed ante opus.

Exigerentur.] Requirerentur: aut certè collatis vtrorumque virtutibus pro meritis conferrentur.

I 3

rentur à ciuibus. Pompeii quoque statuam contra theatri eius regiam marmoreo Iano superposuit, translatã è curia, in qua C. Cæsar fuerat occisus.

De correctione & reformatione abusuum & excessuum. XXXII.

PLeraque pessimi exempli correxit, quæ in perniciem publicam, aut ex consuetudine licentiáque bellorum ciuilium durauerant, aut per pacem etiam extiterant. Nam & grassatorũ plurimi palàm se ferebant succincti ferro, quasi tuẽdi sui causa: & rapti per agros viatores sine discrimine, liberi seruíq; ergastulis possessorũ supprimebãtur: & plurimæ factiones titulo collegii

PHIL. EIus.] scilicet Pompeii. Fuit autem theatrum Pompeianum Romæ clarissimum, quod ille condidit ad similitudinem theatri Mitylenæi, quanquam maius & speciosius. Ante Pompeium subitariis gradibus, & scena temporaria ludi solíti erant celebrari. Pompeius mensuram theatri sedem posuit, tanquam ita parsimoniæ consuleretur: author Cor. Tacitus. Sensus est, Augustum supposuisse simulacro Iani marmorei statuam è regione regiæ Pompeii, translatã ex Pompeiana curia, in qua occisus fuerat Iulius Cæsar, Cuius statuæ meminit Plutarchus, scribens, Cassium, antequam trucidandi Cæsaris facinus aggrederetur, ad imaginé Pompeii versum, illam, veluti animatam, adorasse: quáuis ab opinione Epicuri nõ multũ dissimilis foret.

Iano marmoreo.] Simulacra Iani multifaria extrui solita, testis est Domitianus, qui multos Ianos, vt inferius declarabitur, Romæ extruxit. Verùm & hîc, & illhîc apud Suetonium, non tam Ianus accipitur pro statua Iani, quàm pro arcu marmoreo, & fornicata transitione, quasi ianua sit peruia transeuntibus: nam & Ianus ab eundo dictus est Eanus: & fores ianuæ nominantur. Ianos in hoc significatu accipere potes apud Marc. Tullium in Philippicis, apud Horatium in Epistolis, apud Ouidium scribentem in Fastis:

Cùm tot sint Iani, cur stas sacratus in vno?

Et ita expones infrà, Domitianum extruxisse Ianos multos, hoc est arcus, & fornices, & quasdã quasi transitiones viarum publicas. Quadrat & talis intellectus huic loco congruenter, fitque sententia nitidior & apertior.

E curia.] Quam Pompeius inter alia ornamenta ante theatrum suum dedicauerat.

Regiam.] Latino verbo basilicam designauit. Ita Papinius de basilica Pauli:

-Sublimis regia Pauli.

Grassatorum plurimi.] Grassatores, sunt latrones, qui grassari dicuntur, cùm vias obsident, & viatores spoliant. Officium præsidis est, vt scribit Iurisconsultus, prouinciam à grassatoribus liberare.

Se ferebant.] Ostentabant, & in propatulo grassabantur.

Licentia bellorum ciuilium.] Tunc magna est gladiorum licentia, tunc impunè peccatur: tunc, vt ait Silius:

Vis colitur, iurísque locum sibi vendicat ensis.

Et, vt inquit Orator, silent leges inter arma, cedit stylus gladio, decus dedecori, probitas improbitati.

Succincti ferro.] Tales penè fuerũt sicarii illi, & collegia latrocinalia, quæ Iosephus & Egesippus scripserunt infestasse Hierosolyma. Ibant enim succincti sicis, hoc est, breuioribus gladiis, luce percutientes.

Sine discrimine.] Indifferenter, passim.

Ergastulis.] Ergastula, loca sunt in agris, in quibus vincti serui operantur: quos Plinius eleganter describit his verbis: At nunc eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus exercent. Idem ait, ergastulorum non eadem emolumenta esse, quæ fuerunt Imperatorum. Quemadmodum ergastuli mancipia recognosci debeant, atque tractari ab ergastulariis, docet Columella lib. primo De re rustica: qui ergastularios eleganter appellat eos, qui præsunt ergastulis. Scribit Iulius Firmicus, natos sub sydere Andromedæ futuros ergastulis præpositos. Leges sæpe apud Historicos refracta fuisse ergastula, & seruos ad arma vocatos ab authoribus seditionum. Et olim Caius Marius seruitia & ergastula armasse fertur. Et Athenio pastor familiam ergastulo liberatã sub signis ordinauit. Et Eunus Syrus, refractis ergastulis, numerosum fecit exercitum. Ergastulum à verbo Græco ἐργάζομαι, quod significat operor, deriuatur: inde ἐργάτης operarius, ἐργαστήριον officina dicitur. In Decretis, distinct. XLVIII. scriptum est: Nulli clerico liceat tabernam, aut ergasterium habere.

Collegii noui.] Libro XLVII. Digestorum, titulo De collegiis illicitis, præcipitur, vt collegia illicita, & noua, dissoluantur. In summa, nisi ex Senatusconsulto, vel Cæsaris authoritate collegium coierit, dissoluendum est. Numa Rex instituit collegia tibicinum, aurificum, architectorum, tinctorum, coriariorum, fabrorum & figulorum. Vnde Plinius cum de plastice, & figulinis scriberet in XXXV. subiunxit: Propter quæ Numa Rex septimum collegium figulorum instituit.

M. ANT. REgiam.] βασιλικὴν Græca voce id ædificii genus alio loco appellauit. Ordo est, Supposuit Augustus statuam Pompeii, è curia, in qua Cæsar occisus, & ad cuius pedes concidisse dicitur, translatámque, Iano marmoreo, qui erat contra regiam theatri eius Pompeii, & theatrum, & curia Pompeii non multùm inter se distabant: author est Plutarchus. Ea ædificia Romæ circa ædem Laurentii in Damaso fuisse, antiquarii quidam, & in his Blondus Forliuiensis, coniectura haud inepta memoriæ prodiderunt.

Grassatorum.] Latronum. Grassari, est gradiendo sæuire: hinc latrones vias obsidentes grassari dicuntur, vnde grassatores dicti, qui hostiliter in viatores gradiuntur, qui vi spoliant, occidunt. Iuuenalis:

Subitò grassator agit rem.

Viatores.] Peregre transeuntes. Iuuenalis:

Cantabit vacuus coram latrone viator. Vergil.

-Carpe viator iter.

Erant viatores & ministri, qui magistratibus parebant, & quos, cùm opus erat, ex agris vocabant. Cicero: A villa in Senatum accersebantur Curius, & cæteri senes: ex quo qui eos accersebant, viatores nominati sunt.

Ergastulis.] Locis, in quibus lapides, aut metalla foderentur. Iuuenalis:

Nempe in Lucanos & Tusca ergastula mittas.

Sed vbicunque serui vincti, aut sub custodia operarentur, erg

noui ad nullius non facinoris societatem coibant. Igitur grassatores, dispositis per opportuna loca stationibus, inhibuit, ergastula recognouit: collegia, præter antiqua & legitima, dissoluit. Tabulas veterum ærarii debitorum, vel præcipuam calumniandi materiam * excussit: loca in vrbe publica iuris ambigui, possessoribus adiudicauit. Diuturnorum reorũ, & ex quorũ sordibus nihil aliud quàm voluptas inimicis quæreretur, nomina aboleuit, conditione proposita, vt si quem quis repetere vellet, par periculum pœnæ subiret. Ne quod autem maleficium, negotiúmve impunitate vel mora elaberetur, triginta amplius dies, qui honorariis ludis

* aliàs, exussit.

tur, ergastulũ à veteribus dictum crediderim. Plinius: Coli rura ergastulis pessimum est, & quicquid agitur à desperantibus. ἐργάζομαι Græcè operor: vnde ἐργάτης operarius.

PHIL. NVllius non.] Cuiuscunque.

Coibant.] Contrahebantur. Verbo vsus est significantissimo: nã propriè coiri societas dicitur. Apud Iurisconsultos Digestis Pro socio, sic inquit Paulus: Societas coiri potest vel in perpetuum, vel ad tempus. & Modestinus: Societatem coire & re, & verbis, & per nuntium posse, dubium non est. Et ab Vlpiano societas coita, pro contracta accipitur.

Stationibus.] Militaribus custodiis.

Inhibuit.] Repressit, cohibuit. Recognouit.] More boni patrisfamillâs, qui ergastuli mancipia recognoscit, & explorat diligenter, num villicus alligauerit quempiam, ipso nesciente, aut reuinxerit: ita Augustus recensuit ergastula, reuinciens, resoluénsque, si quos liberos supprimi deprehenderat. Adrianus, authore Spartiano, ergastula seruorum & liberorum sustulit.

Aerarii debitorum.] Laudat Ausonius Gratianum Imperatorem, quòd argumenta omnia flagitandi publicitus sustulerit, condonatis tributorum residuis. Tabulas enim omnes debitorum publicorum, ex quibus emergere subinde consueuit materia calumniarum, iussit incendi: quod incendium salobre fuisse testatur, propterea quòd ardebant stirpes fraudum veterum, ardebant seminaria futurarum. Adrianus quoque ad colligendam gratiam nihil prætermittens, infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur, priuatis debitoribus in vrbe, atque in Italia, in prouinciis verò ingentes summas remisit: syngraphis in foro, quò magis securitas omnibus roboraretur, incensis. Tale quiddam fecisse videtur Augustus, excussis tabulis ærarii debitorum, &, vt dici solet, ventilatis, ne inde præberetur calumniatoribus veluti ansa calumniandi.

Iuris ambigui.] De quibus ambigebatur, an priuatorum essent, an ad publicum pertinerent.

Adiudicauit.] Assignauit. Abiudicare verò, significat rem, de qua controuersia est, iudicando eripere, atque intercipere. Vnde ager abiudicatus Liuio dictus, quem Romani per iniquum iudicium interceperant, eripuerántque Ardeatibus.

Possessoribus.] Qui id temporis possidebant: quia in re dubia possessorum melior est conditio, vt scribunt Iurisconsulti.

Diuturnorum reorum.] Reos appellat Antonius orator apud Ciceronem, non eos modò, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur. Et reum fieri, vt inquit Asconius, nihil aliud est, quàm apud prætorem legibus interrogari. Diuturni dicuntur rei, quorum causæ in longum tempus protrahuntur: cùm neque absoluantur, neque damnentur. Talium nomina aboleuit Augustus: quoniam videbat nihil aliud quæri ab inimicis, quàm vt diutius essent sordidati.

Sordibus.] Quoniam reorum mos erat, vt vestem sordidam induerent in publicũ, capillum, barbámque summitterent, essentque in squallore, vt ita facilius misericordiam mouerent, & absolutionem impetrarent. Cicero in Pisonem: Nec minus lætabor, cùm te semper sordidum, quàm si paulisper sordidatum viderem. Scribit Iurisconsultus, nulli licere vestem sordidam nomine rei in publico habere, capillúmve summittere, nisi ita coniunctus esset affinitate, vt inuitus in reum testimonium dicere non possit.

Si quem.] Reum.

Quis.] Accusator.

Repetere.] Iterũ postulare, & in iudicium vocare.

Honorariis ludis.] Honorarios ludos alio nomine dici Liberalia scribit Festus Pompeius. Videntur autẽ ita vocitari ab honore prætoris. Nam & prætorium ius, honorarium nominatur. Officium autem prætorum hoc erat apud Romanos, vt ludos exhiberent in prætura. Inde à Iuuenale dictum est:

Prædo caballorum prætor sedet. -

Qui nodus Satyricus enodatus est à nobis in libro Annotationum.

NVllius non.] Cuiuslibet. Facinoris.] Flagitii M. AN. nunc, ac sceleris. Est enim alioqui mediũ verbum.

Per opportuna loca.] Tam vrbis, quàm suburbanarum regionum. Iuuenalis:

- Armato quoties custode tenentur,
Et Pontina palus, & gallinaria pinus.

Inhibuit.] Compressit. Recognouit.] Purgauit, non per se, sed per Tyberium, qui posteà princeps fuit. Collegia.] Quid collegia essent, quæ vetera, quæ item recentia, in Cæsare ex Asconio, & aliis docuimus. Veterum ærarii debitorum.] Qui vel iudicio ærarii olim facti essent, aut alia ratione publicum æs haberent. Calumniandi.] Crimina intendendi.

Materiam.] Occasionem.

Excussit.] Sustulit, aboleuit.

Possessoribus.] Iis, qui tum possiderent.

Adiudicauit.] Addixit, habenda dedit.

Diuturnorum reorum.] Eorum, qui iudiciorum metu diu in squallore, & sordibus fuissent.

Inimicis.] Quibus ille reorum squallor, & metus voluptati esset.

Nomina aboleuit.] Debitorum titulos obliterauit. Nomina enim Asconius pro debitis, ipsísque debitoribus à Iureconsultis sæpius vsurpari docet.

Conditione.] Denuntiatione, lege.

Si quem.] Reorum, ex iis, qui iudiciis erãt obnoxii.

Quis.] Accusatorum aliquis, aut litigatorum.

Repeteret.] Iterum in iudicium traheret. Par periculum.] Idem discrimen, in quod reum trahere perseuerasset. Impunitate.] Sine pœna.

Vel mora.] Mora ad negotium, impunitas ad maleficium refertur.

Honorariis ludis.] Prætoriis, quos & Liberalia con

occupabantur, actui rerum accommodauit. Ad tres iudicum decurias, quartam addixit ex inferiore censu, quæ ducenariorum vocaretur, iudicaréntque de leuioribus summis. Iudices à tricesimo ætatis anno allegit, id est, quinquennio maturius quàm solebant. At plerisque iudicandi munus detrectantibus vix concessit, vt singulis decuriis per vices annua vacatio esset, & vt solitæ agi Nouembri ac Decembri mense res omitterentur.

De modo & more in iure dicendo. XXXIII.

IPse ius dixit assiduè, & in noctem nonnunquam, si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans. Dixit autem ius non diligentia modò summa, sed & lenitate. Siquidem manifesti parricidii reum, ne culeo insueretur, quòd non nisi confessi afficiebantur hac pœna, ita fertur interrogasse: Certè patrem tuum

ftat vocatos. Dictum est & ius honorarium.

PHIL. OCcupabantur.] Dies illi, quibus ludi Romæ fiebant, minime idonei erant ad agendas causas: id quod Cicero abunde demonstrat in Verrinis, scribens ludos votiuos, quos Pompeius facturus erat, ablaturos dies quindecim. Sensus est, Augustũ accõmodasse actui, id est actioni rerum caussique agendis supra triginta dies, qui ludis prætoriis occupari solebant tanquam feriati: & hoc fecit, ne maleficia, aut negotia sub terlaberentur.

Quartam.] scilicet decuriam: hoc est, quod ait Plinius, iudicum non nisi quatuor decurias fuisse primò: quintam decuriam adiecit Caius princeps. Ducenariorum.] Equites legitimi, quorum ordo iudicabat, quadringenta habebant in censu: qui additi sunt ab Augusto, cùm ducenta tantummodo haberẽt, ducenarii dicti sunt: de quibus loqui videtur & Plinius sic scribens: Diuo Augusto decurias ordinãte, maior pars equitum in ferreo annulo fuit. Hi non equites, sed iudices vocabantur. Quinquennio maturius.] Tanquam legitima ætas legendi iudicis foret quintus & trigesimus annus. Iudicandi munus.] Officium & onus: nam munus, vt scribit Iurisconsultus, dicitur donum, & officium, & onus. Decuriis.] Iudicum ordinibus.

Annua vacatio.] id est, vicissim alia post aliam decuriam haberet annuam vacationem, vt scilicet quarto quoque anno quælibet decuria immunis foret ab onere iudicandi. Solitæ res.] Causæ & lites. Antiqui enim, authore Cicerone, rem litem dici voluerunt.

Omitterentur.] Cùm illa tempora sint magis rebus genialibus, Saturnaliniisque voluptatibus dicata, quàm negotiis seriis obeundis.

Ipse ius dixit.] Magnificum est, vt ait Plinius in Panegyrico, non solùm ciuibus iura, sed etiam hostibus reddere. Laudátque Traianum, quòd assiduus erat in tribunali, adeò vt labore refici ac reparari videretur. Et profectò, vt inquit verissimè Cyrus apud Xenophontem, decet principem non otio anteire subditis, sed industria, & prouidentia. Et quemadmodum cælestia stare nesciunt, sed perpetuo motu, & iugi agitatione vegetantur, ita princeps debet esse semper exercitus, semper irrequietus, vigilando, ius dicendo commodis inseruire subditorum: &, quod facere solebat Alexander Magnus, alteram aurem accusatori præbere, alteram reo reseruare. Pro tribunali.] Vel ante tribunal, vel in ipso tribunali, ex quo ius reddit magistratus. Lenitate.] Clementia, comitate. Scribit Callistratus Iurisconsultus, obseruandum esse ius reddenti, vt in adeundo se facilem præbeat: neque præsides in cognoscendo excandescere oportere aduersus eos etiam, qui mali sunt. Cicero in epistola ad Quintum fratrem didascalica sic ait: Adiungenda etiam est facilitas in audiendo, lenitas in discernendo, in satisfaciendo, ac disputando diligentia. Ne culeo insueretur.] Pœna parricidæ more maiorum hæc instituta est, vt parricida virgis verberatus culeo insuatur vnà cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia: deinde in mare, vel in flumen culeus deiiciatur: vt author est Modestinus Iurisconsultus libro Digestorum duodequinquagesimo. Scribit Valerius lib. I. M. Tulliũ duumuirum culeo insutũ in mare abiici iussum esse à Tarquinio rege ob librum, quem exscribendũ dederat, secreta sacrorũ continentem: idque supplicii genus multò pòst parricidis lege irrogatũ esse. Cicero in oratione pro Roscio Amerino, de culeo, pœnáque parricidarũ scribit eloquenter. Culeus autẽ, authore Placiade, saccus dicitur coriaceus, in quo parricidæ conclusi in mare demittuntur. Præterea culeus nomen est mensuræ continentis amphoras viginti. Priscianus:

Est & bis decies, quem conficit amphora nostra
Culeus: hac nulla est maior mensura liquoris.

M. AN. ACtui.] Actioni, siue cognitioni potius. Acta, & actus ab ago. Cicero: Quòd si de mea vita, atque actibus huic conuiciatori respondero. Lucanus:

- Licet ingentes abruperit actus.

Quartam.] scilicet decuriam. Quintam, vt Plinius scribit, Caligula addidit. Ex inferiore censu.] Ex iis, qui quadringenta non haberent sestertia: sed id Plinii verba declarant, qui ex equestri ordine Augusti temporibus decurias iudicum impleri non potuisse ait. Ducenariorum.] A censu, credo, potius, quàm à numero, quia equestrem censum semiplenum possiderent, ducenisq;, nec amplius, censerentur sestertiis.

Allegit.] Decuriis adscripsit. Maturius.] Tempestiuius quàm solebãt. Annua vacatio.] Vt quũ quatuor decuriæ essent, quarto quoq; anno singulis annua à iudicandi munere vacatio esset. Lectica.] Qua cubans ius diceret. Ne culeo insueretur.] Qui parentes necasset, eo supplicio lege puniebatur, vt M. Tullius ait. Lex est, inquit, vt qui parentem necarit, in profluentem deueheretur. Diony. in bubulo culeo M. Tullium scribit Tarquinii iussu in profluentem deiectum, quia Sibyllinos libros priuato homini transcribendos dedisset. Quo apparet impietatis conuictos, solitos eo genere supplicii à maioribus affici. Includebantur cum sonte simia, serpens. Quidam & gallinaceum addunt. Iuuen.

Cuius supplicio non debuit vna parari
Simia, non serpens vnus, non culeus vnus.

Certè patrem tuum non occidisti.] Apertè reum negare docuit.

Non

PHIL. Non occidisti.] Lenitas Augusti mira exprimitur, qui docebat parricidam negare, neque confiteri parricidium, vt ita per inficiationem atrocitati pœnæ subduceretur.

non occidisti? Et quum de falso testamento ageretur, omnesque signatores lege Cornelia tenerẽtur, non tantùm duas tabulas damnatoriam & absolutoriam simul cognoscentibus dedit, sed tertiã quoq; qua ignosceretur iis, quos fraude ad signãdum, vel errore inductos constitisset. Appellationes quotannis vrbanorum quidem litigatorum prætori delegabat vrbano: at prouincialium consularibus viris, quos singulos cuiusque prouinciæ negotiis præposuisset.

De legibus per eum sancitis, & aliis retractatis. XXXIIII.

LEges retractauit, & quasdam ex integro sanxit, vt sumptuariam, & de adulteriis,

Falso testamento.] Qui testamentum amouerit, celauerit, rapuerit, deleuerit, interleuerit, subiecerit, resignauerit, quive testamentum falsum scripserit, signauerit, recitauerit, mutauerit dolo malo, cuiúsve dolo malo id factum fuerit, legis Corneliæ pœna dãnatur: author Vlpianus.

Senatores.] Pensitata diligenter, curioseq; sententia, non Senatores videtur legendũ, sed signatores: errore lubrico, & procliui, propter dictionum similitudinẽ. Nam quum loquatur de falso testamento, signatores testamenti significat, qui sæpe testamentum falsum vel pecunia, vel gratia corrupti signare consueuerunt: qui omnes lege Cornelia de falsis tenentur. Signatorem falsi testamenti notat morsu Satyrico Iuuenalis, eùm ait:

Signator falso. Talis autem lectio verior est, puriórque, & magis accommodata.

Lege Cornelia.] Lata scilicet à Cornelio Sylla. Titulus est apud Iurisconsultos Ad legem Corneliam de falsis. lib. XLVIII. Digestorum.

Damnatoriam & absolutoriam.] Iudices in cistam tabellas coniicere solebant, quæ insculptas literas habebant absolutionis, siue condemnationis: absolutoriæ autem tabellæ nota erat, A: cõdemnatoriæ, C. Tertiam quoque tabellam intermediam inter absolutoriam & damnatoriam, quæ dici posset ignotoria ab ignoscendo. Penè talis apud antiquos fuit ampliationis tabella: cuius signum erat, N. & L. quod significabat non liquere. Vnde ampliatio nascebatur: & inde rei ampliati dicti. Super qua re non indiligenter scripsimus in libro Annotationum.

Ad signandum.] Scribit Vlpianus, pœnam legis Corneliæ irrogari illi, qui sciens dolo malo signauerit falsum testamentum, signaríve curauerit.

Fraude.] Scilicet aliena.

Errore.] Error veniam meretur. Cicero: Liceat semel impunè peccare: sit errantis medicina, confessio.

Appellationes.] De quibus titulus est apud Iurisconsultos. Appellatio dicitur alio nomine prouocatio. Fuit autem appellatio, prouocatióque inuenta aduersus iniuriam magistratuum. Dictatura erat sinè prouocatione.

Prætori vrbano.] Pomponius author est libro primo Digestorum: quum Consules auocarentur bellis, neque esset, qui in ciuitate ius reddere posset, prætorem creatũ esse, qui vrbanus appellatus est, eò quòd in vrbe ius redderet: post aliquot deinde annos, non sufficiente vrbano prætore, creatum esse alterum prætorem, qui peregrinus appellatus est, ab eo quòd plerunque inter peregrinos ius dicebat: quorum turba multa in Romanam ciuitatem quotidie conueniebat. Augustus instituit, vt prætor vrbanus cognosceret de appellationibus vrbanorum, hoc est, ciuium Romanorum: viri verò consulares præessent appellationibus prouincialium, qui Romæ litigabant.

At prouincialium.] Nomine prouincialiũ propriè intelligimus omnes, præter Italicos. Inde à Plinio libro octauo epistolarum scriptum est: Italicus es, an prouincialis? Augustus appellationes prouincialium litigatorum delegabat consularibus, hoc est, his, qui olim cõsulatum gessissent: & singulos singularum prouinciarum negotiis præposuerat, vt ita & diligentius, & expeditius causæ explicarentur: verbi gratia, vt hic præesset negotiis Gallorum, ille Hispanorum, alius Asiaticorum.

Retractauit.] Ab aliis antea latas emendauit.

Sanxit.] Constituit.

Sumptuariam.] Hanc retractasse intelligas velim, quæ à Iulio Cæsare, & à Sylla, & Fannio, & à multis aliis fuerat prius lata. De legibus sumptuariis, quas Cato cibarias appellat, abunde scripsimus in Iulio Cæsare.

De adulteriis.] Vlpianus in titulo Ad legem Iuliam de adulteriis, sic loquit: Hæc lex lata est à Diuo Augusto. Plutarchus quoque author est, Augustum legem tulisse de adulteriis, qua sanxit quo pacto adulteri iudicandi, ac deprehensi puniendi essent. Hinc illa est exclamatio adolescentis ab Augusto percussi, périnde ac Iuliã eius filiam adulterantis: Νόμον ἔθηκας ὦ Καῖσαρ. hoc est, Legem tulisti ô Cæsar.

M. A N. AGeretur.] Quæreretur. Cornelius tribunus plebis, pro quo extat clara illa Ciceronis oratio, plures tulit leges, & aliquot promulgauit tantùm ad comminuendam Senatus authoritatem: sed illæ ipsæ parũ nunc rei conueniunt. Cæterùm Cornelius Sylla de falso legem tulit, ad quam hoc melius referas.

Cognoscentibus.] Iudicibus.

Damnatoriam.] Quæ damnantium esset.

Absolutoriam.] Quæ absoluentium.

Tertiam.] Tabellam scilicet.

Fraude, vel errore.] Propterea digni, quibus ignosceretur.

Indoctos.] Ad significandum fraude accersitos.

Appellationes.] Prouocationes.

Vrbanorum.] Vrbem incolentium.

Prætori vrbano.] Vrbanas causas cognoscenti: ad peregrini differentiam dixit.

Prouincialium.] Appellationes.

Consularibus.] Qui consules quandoq; fuissent.

Sumptuariam.] Ad moderãdos sumptus latam: qua lege ducentis cœnarum sumptus profestis diebus taxabatur: Calendis, Idibus, Nonis, aliisq; festis diebus trecentis: nuptiis autem, & repotiis mille sestertiis. Dubitat Gellius Augustine, an Tyberii edicto à trecentis

& de impudicitia, de ambitu, & de maritandis ordinibus. Hanc quum aliquantò seuerius, quàm cæteras, emendasset, præ tumultu recusantium perferre non potuit, nisi adempta demum, lenitáve parte pœnarũ, & vacatione triennii data, auctísq; præmiis. Sic quoque abolitionem eius publico spectaculo pertinaciter postulante equite, accitos Germanici liberos, receptósque partim ad se, partim in patris gremium ostentauit, manu vultúque significans, ne grauarentur imitari iuuenis exemplum. Quúmque etiam immaturitate sponsarum, & matrimoniorum crebra mutatione

sestertiis ad duo millia vsq; sit cœnarum sumptus ampliatus. Atteius Capito scripsit, omnium antiquissimã Fanniam legem fuisse, secutas inde Liciniam, Aemyliã, Antiam. Macrobius primam omnium de cœnis legem Orchiam fuisse ait, secutas inde Fanniam, Didiam, Liciniam, Corneliã: videturq; Fanniã ad Augustum referre.

De adulteriis.] In adulteros. De hac, credo, lege Satyrus:

Vbi nũc lex Iulia dormis?

PHIL. De impudicitia.] Quæ pertinet ad eos, qui muliebria patiuntur, qui famosi sũt, qui puniebãtur antiqua lege Scatinia: de qua mox pauló. Hinc elegãter ab Horatio dictum videtur in laudem Augusti sancientis legẽ de coercendis adulteriis:

Nullis polluitur casta domus stupris:
Mos, & lex maculosum edomuit nefas:
Laudantur simili prole puerperæ:
Culpam pœna premit comes.

De ambitu.] Adhuc extat titulus Ad legem Iuliam de ambitu: cuius & suprà mentio habita est.

De maritandis ordinibus.] Olim Quintus Metellus censor cognomento Numidicus censuit, vt omnes ducere vxores cogerentur causa liberorum procreandorum: habuítque super ea re orationem ad populũ, quam Augustus Cæsar, authore Liuio, cùm de maritandis ordinibus ageret, velut eo tempore scriptam in Senatu recitauit. Decemuiri legem tulerũt, ne connubiũ patribus cum plebe esset: tanquam per connubia promiscua turbentur diuina, humanáq; omnia: & qui tali matrimonio nascatur, dimidius sit patrũ, dimidius plebis: sed C. Canuleius tribunus plebis rogationem promulgauit de connubio inter patres & plebem communicando, & de ordinibus indifferenter maritandis: obtinuitque, consentientibus patribus, vt connubium foret promiscuum. Vacatione.] Deuteronomio sic scriptũ legimus, Cùm acceperit homo nuper vxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis iniungetur publicè: sed vacabit absque culpa domui suæ, vt vno anno lætetur cum vxore sua.

Auctísque præmiis.] Quibus prouocabantur ad capessenda matrimonia: nãque, vt ait Plinius νέωτερος, id est, iunior, locupletes ad tollendos liberos ingentia præmia cohortantur: pauperibus educandis vna ratio est bonus princeps.

Abolitionem eius.] Abrogationem, antiquationémque legis de maritandis ordinibus.

Equite.] Ordine equestri: singularis numerus pro pluratiuo. Accitos.] Euocatos.

Germanici. Hic filius erat Drusi Augusti priuigni, qui ex Agrippina Marci Agrippæ filia nouem liberos tulerat.

In patris.] Drusi Neronis.

Exemplum.] Vt scilicet ducta vxore ita filios procrearent, quemadmodum iuuenis Germanicus factitauerat.

Immaturitate sponsarum.] Sensus est: Cùm diutius sponsi esse perseuerarent, vel cùm subinde diuortium facerent, vtrique rei occurrit Augustus. Nam tempus habendarum sponsarũ fecit Augustus, & diuortiis adhibuit moderamentum. Sponsalia hoc more, atque iure solita fieri, scribit Seruius Sulpitius: Qui, inquit, vxorem ducturus erat, ab eo, vnde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductũ iri: qui daturus erat, itidem spondebat daturum. Is contractus stipulationũ, sponsionúmque, dicebatur sponsalia: tum quæ promissa erat, sponsa appellabatur: qui spopõderat ducturum, sponsus. Immaturitas verò sponsarũ dicitur, quando adhuc immaturæ puellulæ despõdentur, & ita diutius durant sponsalia, antequam nuptiæ fiant: ex quo eludebatur lex Augusti. Nam maritari quidem videbantur, prout iubebat lex de maritandis ordinibus, nec tamen vxores ducebantur, cùm nõdum maturæ viro ob ætatulam forent sponsæ. Nanque, vt scribit Modestinus Iurisconsultus titulo De sponsalibus, in sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, vt in matrimoniis: quapropter primordio ætatis sponsalia effici possunt. Sunt qui aliter hunc locum interpretantur.

Crebra mutatione.] Per diuortium. Sic enim dirimuntur matrimonia: & ita legi fucus fit.

M. A N. De impudicitia.] Aduersus paticos, qualis Scatinia fuit. Idem Satyrus:

Quòd si vexantur leges, & iura citari,
Ante omnes debet Scatinia.- Eius legis Ausonius, & Cælius ad Ciceronem meminere.

De ambitu.] Calphurnia lex, vt Pedianus scribit, de ambitu lata est.

De maritandis ordinibus.] Qualem C. Canuleius tribunus plebis, authore Liuio, tulit, qua patritii, & plebeii ordinis iuncta connubia, vel qualem potius Metellus in censura, vt Gellius scribit, populo suasit, quippe quæ & ætatem, & fortunam, aliáque huiusmodi contineret.

Lenitáve parte pœnarum.] Delinquentibus irrogatarum.

Vacatione.] Non à militia, sed à connubio.

Auctísque præmiis.] Quæ iis proposita erant, qui ex præscripto legis vxorem ducerent.

Abolitionem.] Legis antiquationem.

Equite.] Equestris ordinis iuuentute.

Germanici.] Ex Druso Tyberii fratre, & minore Antonia geniti.

Liberos.] Quos admodum iuuenis ex Agrippina Iuliæ, & Agrippæ filia procreatat.

In patris gremium.] Receptos supple.

Iuuenis.] Germanici.

Immaturitate.] Adhuc viro immaturas ducerent, atque ob id ad voluptatem, non ad sobolis vsum fieri appareret.

Crebra mutatione.] Quia temerè plures repudiarentur.

vim legis eludi ſentiret, tempus ſponſas habendi coarctauit, diuortiis modum impoſuit.

De reformatione Senatus, & modo conueniendi eiuſdem. XXXV.

SEnatorum affluentem numerum deformi & incondita turba (erant enim ſuper mille) & quidam indigniſſimi, & poſt necem Cæſaris per gratiā & præmium allecti, quos abortiuos vulgus vocabat) ad modum priſtinum & ſplendorem redegit duabus lectionibus, prima ipſorum arbitratu, quo vir virū legit: ſecunda ſuo & Agrippæ, quo tempore æſtimatur lorica ſub veſte munitus, ferróq; cinctus præſediſſe, decem valentiſſimis Senatorii ordinis amicis ſellam ſuā circunſtātibus. Cordus Cremutius ſcribit, ne admiſſum quidem tunc quēquam Senatorum, niſi ſolū, & prætentato ſinu. Quoſdam ad excuſandi ſe verecundiam compulit, ſeruauítque etiam excuſantibus inſigne veſtis, & ſpectandi in orcheſtra

PHIL. DIuortiis.] Dioortiū vel à diuerſitate mentium dictum eſt, vel quia in dinerſas partes eunt, qui diſtrahunt matrimonium. Comprobata autem ſunt hæc verba in renunciatione matrimonii: Res tuas tibi habeto: Res tuas tibi agito. Deformi.] Propter indignitatē illorum, & ſordes.

Incōdita.] Inordinata, indigeſta, incōpoſita. Allecti.] Io oumerū Senatorū.

Abortiuos.] Quēadmodū abortiuus fœtus eſt imperfectus, & informis: ita elegāti trāſlatione Senatores illos nō veros, deformatóſque abortiuos vulgò nominabāt. Abortare, eſt abortiuū facere. Iulius Firmicus in VI. Matheſeos: Abortabit filios geminos.

Ad modū.] Ad onmerū legitimū. Scribit Liuius, Iunium Brutum expleuiſſe numerum Senatorum ad trecentorum ſummā. Dionyſius quoque io VIS. ait, ex trecētis conſtare Senatum. In libro Machabæorū I. ſic ſcriptum legimus: Romani curiam fecerunt ſibi, & conſulebant trecenti viginti conſilium agentes. Et ita modum opponet numero, ſplendorem verò indigniſſimis.

Vir virum.] Senator Senatorem. Secunda.] Lectione. Lorica munitus.] Id eſt, loricatus. Lorica à loro dicta: nam, vt ioterpretatur M. Varro, è loris de corio crudo pectoralia antiqui faciebāt: poſtea Galli ſuccuderunt è ferro, ſub id vocabulum ex annulis ferreā tunicam. A lorica fit verbū lorico, loricas. Plinius: Mox vbi pluribus eodem modo ſe coriis loricauit. Inde loricatus, lorica indutus. Sellam circunſtantibus.] Inſtar ſtipatorum ſellam Auguſti cingentibus, qoos antiqui laterones eleganter appellaoerunt, eò quòd circū latera erant regi, atque ad latera habebant ferrum.

Cordus Cremutius.] Aoòqui corda, frumenta dixerunt, quæ ſerò matureſcunt: ſicut fœnum autumnale, cordum appellauerunt: cuius meminit Plinius in XVIII. De quo & Columella: Aluntur oues commodiſſimè autūnali fœno, quod cordum vocatur. Itidem cordi, agni nuncupantur ſerotini, quos vulgus, vocabulo inde deducto, cordiſcos nominat. Plinius in VIII. Gerunt partum diebus centumquinquaginta, poſtea concepti inualidi: cordos vocabāt antiqui poſt id tempus natos. Varro in II. De re ruſtica, docet vt in emptionibus agni, cordi duo pro vna oue annumerantur. Hinc cognomenta ſunt virorū, vt cordi dicantur ſerotino fœtu nati. Et hoc eſt, quod Quintilian. præcipit in I. Inſtitutionum, ſcrutandas eſſe à ſubtili præceptore origines nominum, vnde Agrippa, & Opiter, & Cordus, & Poſthumus dicantur. Agrippæ, & Poſthumi nomina ſatis oota: intermedia obſcuriora. Opiter enim dictus eſt is, cuius pater auo viuo mortuus eſt. Hinc apod Liuiū Verginius Opiter conſul celebratur. Cordus verò dictus, qui ſerotina fœtura natus eſt, vt cordū frumentum, & fœnum, & agni cordi vocātur. Incurioſi apud Quintilianum legunt, Codrus, propter oomen Codri vulgatiſſimum: cùm Cordus ſit legendum. Quæ dictio ſecundum hanc noſtram interpretationem eſt enarranda, & in Quintil. codicibus corrigenda. Hinc dictus Cordus iſte Cremutius. Hinc alius Cordus ſcriptor hiſtoriarum: quem ſequi ſe ait Iulius Capitolinus in vita Gordianorum: qui io ſcribenda hiſtoria vel minutiſſima quæque fertur eſſe ſectatus. Apud Martialē Cordus alpha dicitur penulatorum: & ita nos legere conſueuimus, quāuis alii paſſim legant Codrus.

Prætentato ſinu.] Excuſſa veſte, & explorata, oe ferrum ſub ea occultaretur. Scribūt Hiſtorici, Mithridatem olim ferrū inter faſcias occultatū geſtaſſe, qui ſcrutatori ab Ariarathe regio more miſſo curioſius imum ventrem pertractanti dixit, caueret ne aliud telum iouenirer, quàm quod quæreret: atq; ita, riſu protectis inſidiis, ſeuocatū Ariarathem veluti io ſecretum ſermonem interfecit.

Ad excuſandi ſe.] Vt excuſarent ſe, minimè poſſe fungi Senatoria dignitate: vel quòd idooei nō forent, vel ob alias cauſas.

Veſtis.] Vt ſcilicet induere poſſent latum clauum: qoæ veſtis erat inſigne ordinis Senatorii.

In orcheſtra.] In qua Senatorum ſedibus erant loca deſignata. De orcheſtra diximus io I. Commeotario.

VIm legis.] Virtutem, poteſtatem legis. M. AN.

Eludi.] Falli, decipi, frandem legi fieri. Fraus tum legi fieri dicitur, vt Vlpianus ait, quum fit id, quod lex fieri noluit, fieri autem non vetuit.

Coarctauit.] Nubendi tempora contraxit, vt non iotempeſtiuè, aut præmaturè, nec ſerò nimis connubia quærerentur. Diuortiis modum impoſuit.] Cùm quot diuortium fieri liceret, præſcripſit.

Incondita.] Ineleganti, & malè digeſta.

Abortiuos.] Illegitimos partus, vtero ſcilicet ante legitimum tempus excuſſos.

Vir virum.] Qua electiooe oportuit dimidium primò ademptum iri.

Secunda.] Electione. Suo arbitratu.] Iudicio.

Valentiſſimis.] Robuſtiſſimis, qui auxilio adeſſent, ſi qua noua vis in ſe orta eſſet.

Prætentato ſinu.] Explorato an ferrum ſub veſtè haberent.

Excuſandi ſe.] Quaſi iooiò in cutiā allecti eſſent, aot parum conſideratè eam dignitatem affectaſſent.

Inſigne veſtis.] Latum clauum.

Io orcheſtra.] Vode ille ordo ſpectabat.

Epulaodi

epulandíque publicè ius. Quò autem lecti probatíque & religiosius, & minore molestia senatoria munera fungerentur, sanxit, vt prius quàm consideret, quisque ture ac mero supplicaret apud arã eius dei, in cuius templo coiretur: & ne plus, quàm bis in mense, legitimus Senatus ageretur, scilicet Calendis & Idibus: néve Septembri Octobríve mense vllos adesse alios necesse esset, quàm sorte ductos, per quorum numerũ decreta confici possent: sibique instituit consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis antè tractaret. Sententias de maiore negotio non more, neque ordine, sed prout libuisset, prærogabat, vt périnde quisque animum intenderet, ac si censendum magis, quàm assentiendum esset.

PHIL. Epulandi.] In epulo publico: quale fieri solebat ludorum, vel triumphi causa: nullus cum toga pulla accumbebat, sed omnes albati cœnitabãt. Inde Cicero Vatinium reprehendit, quòd io epulo Q. Arii atratus, hoc est, cum toga nigra accubuisset. Quando Ioui epulum libabatur, Senatus io Capitolio epulabatur: in quo olim fortè iunctim locati sunt Scipio, & Gracchus, ibíq; ex inimicis amicissimi facti.

Munera fungerentur.] Accusatiuo casu extulit, quod nos ablatiuo dicimus. Vetus autem est, & elegans locutio. Sicuti potior illam rem, pro illa re, veteres dixerunt: ita fungor munus, pro munere. Plautus in Menæchmis: Parasitus octo hominũ munus facilè fungitur. Fungi, vt inquit Agretius, agere est: defungi peragere.

Consideret.] In curia sederet in sella Senatoria.

Ture ac mero.] Hæc in sacris priscorum peculiariter adhibebantur. Plinius: Mola salsa litant, qui non habent tura. Tus masculum vocant, quod rotunditate guttæ pependit. Mirúmque est, masculum vocari, vbi non sit fœmina. Religioni id tributum esse autumat Plinius, ne sexus fœmineus in sacris vsurparetur. ὑποκοριστικῶς, id est, diminutiuè dicitur Tusculum. Plautus in Aulularia: Hunc tusculum emi, & hasce coronas floreas. Vbi annotandum est, masculino genere diminutiuum enuntiasse, cùm tus neutro genere dicatur. Vinum autem libari diis, sat notum: &, vt ait Plinius in XIIII. Lege Numæ Pompilii ex imputata vite libari diis nefas erat, ratione excogitata, vt putare cogerentur. Lucius Papyrius Imperator aduersus Samnites dimicaturus votum fecit, si vicisset, Ioui pocillum vini. Romulus lacte libabat, non vino.

Templo.] Scribunt Varro, & Gellius, Senatusconsulta fieri iure non potuisse, nisi in loco per augures constituto, qood templum appellaretur. Non enim omnes ædes sacræ templa sunt, ne ædes quidem Vestæ templum est. Curia, in qua habebatur Senatus, templum erat. Habebatur autem modò in æde Apollinis, modò in delubro Concordiæ, modò in hoc, modò io illo templo: sicut apud Historicos facile est obseruare.

Coiretur.] Conuenirent Senatores. Coire, est conuenire, colligere: vnde coitur, vt ait Priscianus in octauo, accipimus pro colligitur, & conuenitur. Lucanus: -Multúmque coitur

Humani generis maiore in prælia damno.

Inde Senatus coactus apud Historicos sæpissimè vsurpatur pro collectus, & congregatus.

Legitimus.] Curia frequentissima, omnibus Senatoribus in Senatu coeuntibus. Si Senator non adesset, cùm in Senatum venire deberet, mulctabatur, vt Varro, & Gellius prodiderunt.

Sorte ductos.] Sensus est, Augustum instituisse, vt per duos menses Septembrem, & Octobrem Senatores quasi essent feriati, neque in curiam venire cogerentur, exceptis his, quibus sors obtigisset vt adesse deberent, per quos fieri possent decreta, & Senatusconsulta, ad quæ conficienda opus est certo numero, quũ alioqui rata non haberentur.

Consilia semestria.] Consiliarios sex mensium.

Sortiri.] Per sortem eligere. Et ita nullus, quasi præteritus, conqueri poterat, cùm res sorti committeretur, & post sex menses sortiretur alios semestres consiliarios.

Referendis.] De rebus diuinis prius quàm humanis, ad Senatum referendum esse, docet Marcus Varro io epistola ad Opianicum scripta.

Non more.] Gradatim sententias rogari solebant Senatores: incipiebatúrque à consulari gradu. Dictum est in Iulio Cæsare, quemadmodum ordo rogandi sententias varius fuit. Ordinem maiorum in rogandis sententiis minimè secutus est Augustus, sed pro arbitrio, voluntatéque modò hunc, modò illum primum rogabat: idq; faciebat, vt omnes animum intenderent, tanquam singuli sententiam dicere deberent.

Censendum.] Non aliam comprobare assentiendo. Censet Senator, cùm sententiam dicit de eo, qood sibi videatur: assentitur, cùm alienam approbat. Volebat itaque Augustus, vt Senatores animo essent intento, & erecto, tanquam dicenda sententia foret ab vnoquoque, non aliena assensu comprobanda. Cicero in Philippicis frequenter ait: Censeo ita faciendum.

Perinde ac si.] Tanquam.

M.A N. Epulandi publicè.] Liuius, Senatum, inquit, eo die fortè in Capitolio cœnantem.

Considerer.] Sessum concederet.

Supplicaret.] Ad id, qnod religiosius dixerat, refertur. Ne plus quàm bis.] Et hoc ad illud, qood minore dixerat molestia.

Legitimus.] Quando extra ordinem qooque coire potuisset.

Quorum.] Sorte ductorum.

Sortiri.] Sorte parare.

Consilia semestria.] Centum Senatorum numerum, cum qoibus de iis, quæ ad frequentem essent Senatum referenda, prius consultaret.

Non more.] Consuetudine. Sed quæ rogandarum in curia sententiarum vetus ratio fuisset, abundè Gellius demonstrat.

Perinde.] Ita.

Animum intenderet.] Diligenter aduerteret.

Ac si.] Tanquam.

Censendnm.] Sententia magis dicenda, quàm ea, quam alius dixisset, assensu probanda.

In queis

De eodem. XXXVI.



AVthor & aliarum rerum fuit, in queis, ne acta Senatus publicarentur: ne magistratus, deposito honore, statim in prouincias mitterentur: vt proconsulibus ad mulos & tabernacula, quæ publicè locari solebant, certa pecunia constitueretur: vt cura ærarii à quæstoribus vrbanis ad prætorios prætorésve transiret: vt centumuiralem hastam, quam quæstura functi consueuerant cogere, decemuiri cogerent.

De officijs per eum excogitatis. XXXVII.



QVóque plures partem administrandæ Reipublicæ caperent, noua officia excogitauit: Curam operũ publicorũ, viarũ, &

PHIL. IN queis.] In quibus. Publicarentur.] Hoc fecit Augustus contra Dictatoris Cæsaris institutum, qui inito consulatu primus omnium instituerat vt tam Senatus, quàm populi diurna acta conficerentur, & publicarentur. Refert Liuius in 151. institutũ fuisse à L. Valerio, & M. Horatio Consulibus, vt Senatusconsulta in ædem Cereris ad ædiles plebis deferrentur, quæ antea arbitrio Consulum supprimebantur, nuntiabãturq;

Deposito honore.] Finito magistratu. Magistratus autem, tam personã significat, quàm honorem. Inde dicere solemus: Magistratus iussit: &, Titio magistratus datus est.

Statim.] Ne cõtinuatio honorum pareret insolentiã: ne continuato magistratu vsi, fierent imperiosi. Ad mulos.] Alexander Romanus Imperator præsides prouinciarum necessariis instruebat, vt & mulos, & equos, & vestes & coquos ab eo acciperent: reddituri, deposita administratione, mulos, eqnos, muliones, & coquos: cætera sibi habituri, si bene egissent: in quadruplum reddituri, si male. Sensus est Trãquilli, Augustum constituisse certam pecuniam, quæ proconsulibus daretur ad mulos, & tabernacula comparanda: quæ prius publicè locabantur.

Cura ærarii.] Cùm ærarium populi Romani opulentius esse cœpisset, constituti sunt quæstores, qui pecuniæ publicæ præessent: dicti ab eo quòd inquirendæ, & conseruandæ pecuniæ creati erant. Author Põponius Iurisconsultus. Augustus à quæstoribus ad prætores, & eos, qui præturã olim gessissent, transtulit curam ærarii. Erat autem ærariũ populi Romani in æde Saturni. Laudatur Cato Vticensis, qui cùm esset quæstor, primus ex quæstoribus veniebat ad ærarium, vltimus recedebat: qui in quæstura scribarum fraudes retexit: & insolentiã repressit. Annotandum est quòd curæ ærarii forma varie habita est, & sæpe mutata. Nã, authore Cor. Tacito, Augustus Senatui permisit deligere præfectos. Deinde, ambitu suffragiorũ suspecto, sorte ducebantur ex numero prætorum, qui ærario præessent: neque id permansit diu, quòd sors deerrabat ad parum idoneos. Mox Claudius quæstorem rursum imposuit. Deinde Nero curam tabularum publicarum, quæ in ærario seruabantur, transtulit à quæstoribus ad præfectos.

Centũuiralem hastam.] Romæ iudicium fuit centumuirale clarissimum, à numero virorũ dictum: nam cùm essent Romæ triginta & quinque tribus, terni ex singulis tribubus sunt electi ad iudicandum: qui centumuiri appellati sunt. Et licet quinque amplius quàm centum fuerint, tamen quò facilius nominarentur, centumuiri sunt dicti. In causis centumuiralibus, vsucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluuionũ, nexorum, mancipiorum, testamentorum, stillicidiorũ, cæterarũmque rerum innumerabilium iura versabantur: sicuti L. Crassus docet apud Ciceronem in primo de Oratore. Plinius in epistolis, centumuirales causas tractasse se scribit, conqueritúrque, sic in foro pueros à centumuiralibus causis auspicari, vt ab Homero in scholis. Erant diuisæ centumuirales causæ in duas hastas, prout significat Quintilianus in quinto: quibus positis conueniebant iudicaturi. De hasta centumuirali intellexit Martialis illo versu:

-Centum grauis hasta virorum.

Sensus est, Augustum instituisse decemuiros, qui cogerent hastam centumuiralem, hoc est, centumuiros, hasta posita, cõgregarent ad iudicia peragenda: quod prius fuerat officiũ, & munus quæstoriorũ: ita enim appellantur hi, qui quæstura functi sunt: sicut prætorii, qui prætura.

Quóque.] Vtq; Duæ sunt particulæ.

Curam operum publicorum.] Hæc sunt noua officia ab Augusto excogitata, vt plures Reipublicæ administrãdæ participes esse possent. Voluit enim vt essent alii, qui opera publica curarent, alii viarum sternendarum curam susciperent. Scribit Cicero in Verrinis, officium fuisse censorũ, ædes sacras locare, & sarta tecta exigere. Inde carpit Verrem, quòd contra legem locationis ad perpendiculũ columnas exegerit in æde Castoris. Viarum.] Scribit Plinius, amico datam fuisse curam viæ muniendæ.

M. A N. PVblicarentur.] Cæsar Dictator suo primo consulatu effecit, vt diurna Senatus & populi acta publicarentur. Statim.] Ne assiduæ potestati nimiùm insuescerent. Quem Veneti morem hodie, vt pleraque alia à maioribus accepta, diligentissimè seruant.

Ad mulos, & tabernacula.] Quibus magistratus in prouinciam abituri publicè instrui consueuere.

Publicè locari.] Aliis publico ære instruenda, siue paranda dari.

Certa pecunia.] Qua magistratus in prouinciam abiturus suo arbitrio, vnde vellet, conduceret. Lampridius author est, prouinciarum præsides ita instrui ab Alexandro principe consuesse, vt ab eo argenti pondo vicena acciperent, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, coquos singulos: &, si vxores non haberent, concubinas singulas, reddituri post administrationem mulos, equos, muliones, & coquos.

A quæstoribus.] Quæstura vetustissimus penè omnium, qui Romæ fuerunt magistratus, Gratianus, qui de temporibus scripsit, Romulum, & Numam duos habuisse quæstores, atque eos ipsos populi suffragio creatos tradidit. A publica pecunia quærenda dictos plerique existimant: M. Varro à quærendis criminibus. Eorum numerus adeò auctus est, vt viginti numero quandoque creati sint. Sed de his Pomponius Lætus præceptor noster ad M. Pantagatum: & quisquis ille fuit, qui Fenestellæ nomine librum de Romanorum magistratibus edidit, plura.

aquarum aluei Tyberis, fruměti populo diuidendi: præfecturam vrbis, triumuiratum legendi Senatus, & alterum recognoſcendi turmas equitum, quotieſcunq; opus eſſet. Cenſores creari deſitos longo interuallo creauit, numerum prætorum auxit. Exegit etiam, vt quoties conſulatus ſibi daretur, binos pro ſingulis collegas haberet: nec obtinuit, reclamantibus cunctis, ſatis maieſtatem eius imminui, quòd honorem eum non ſolus, ſed cum altero gereret.

Ad prætorios viros.] Ac per hoc maiore fide, & authoritate præditos. Siquidem prima Senatoris adminiſtratio erat, quæſtorem fieri: contrà prætura in maioribus magiſtratibus, vt Gellius docet, habebatur.

Centumuiralem haſtam.] A centum iudicibus dicta, cùm, Feſto authore, quinq; ſupra centum eſſent. Hi de teſtamentis, & hæreditatibus iudicabant: quod & Valerius, & Cicero pro Cecinna agraria lege plane demonſtrant. Haſta centũuiralis idcirco dicta, quia haſta in ſuo foro poſita iudicabant.

Decemuiri.] Ad hoc ipſum creati, an potius ex eo numero ſorte ducti.

Cogerent.] Cogendi reliquos, vocandíque poteſtatem haberent.

Curam.] Nouum magiſtratum, qui publicorum operum curam haberet.

Viarum.] Quæ ſternendæ, reſarciendæque eſſent.

PHIL. ET aquarum.] Scribit Frontinus, ductus aquarum multos fuiſſe inductos in vrbem Romã, multóſq; refectos, ſicuti à Quinto Martio rege, & ab Agrippa: quorum meminit Plinius. Fuit autem Agrippa, velut perpetuus curator aquarum ſub Auguſto: ſicut temporibus poſterioribus Cocceius Nerua, Neruæ Imperatoris auus factus eſt curator aquarum, quæ deinde curatio tranſlata fuit ad Frontinum.

Aluei Tyberis.] Repurgandi, & laxioris faciendi. Priſci locare ſolebant flumina retanda, (hoc enim verbum legitur in edicto Prætorum) quod ſignificat purganda. Retas enim arbores vocauerunt, quæ aut ex ripis fluminis corruerent, aut in alueis eorum extarent. A retibus autem dicuntur, quòd prætereuntes naues impedirent, & inſtar retium retinerent.

Frumenti populo diuidendi.] Vt ſcilicet viritim, & æquis portionibus inter ciues frumentum diuideretur. Olim in penuria annonæ, vt ait Liuius in 11. agitatum eſt in Senatu, quantũ frumenti daretur plebi, quod ex Sicilia fuerat aduectum. Præfectum quoque annonæ veteres creauerunt, qui prouidebat ne inopia laboraretur: & cùm nihil ſit populo ſaturo lætius, in primis curabãt Imperatores, vt frumenti copia larga ſuppeteret. Inde legimus, Seuerum Imperatorem ita rei frumentariæ conſuluiſſe, vt moriens ſeptem annorum canonem frumentarium populo Romano reliquerit. Affluentia annonæ, vt inquit eleganter Plinius in Panegyrico, inſtar eſt perpetui congiarii. Auguſtus nouum excogitauit officium, vt eſſent aliqui curatores frumenti diuidendi in populũ, nõ tam tributim, quàm viritim, vt æqualis fieret diſtributio: ſiue id donaretur à principe, ſiue pretio paruo venderetur à fiſco.

Præfecturam vrbis.] Titulus eſt apud Iuriſconſultos De officio præfecti vrbis: &, vt inquit Vlpianus, omnia omnino crimina præfectura vrbis ſibi vendicauit: nec tantùm ea, quæ intra vrbem admittuntur, verùm ea quoque, quæ extra vrbem intra Italiam fiunt.

Triumuiratum.] Tres viros, qui Senatores legerent ex animi ſentẽtia eos, quos exiſtimarent eſſe magis idoneos: neque enim omnes ad Senatorium munus obeundum ſunt accommodati.

Alterum.] Scilicet triumuiratum. nam tres viros Auguſtus inſtituit, qui recognoſcerent, recenſerentq; turmas equeſtres: quod officium fuiſſe cenſorum docet Plutarchus. Turma autem continet duos & triginta equites, cuius caput decurio nuncupatur.

Deſitos.] Intermiſſos: à deſino deſitus deriuatur. Aul. Gellius: Diſciplina tibiis canendi deſita eſt. Cẽ cenſoribus, qui duo erant magiſtratus quinquénales, iam dictum eſt.

Numerum prætorum.] Scribit Pomponius Iuriſconſultus, ſedecim prætores ab Auguſto fuiſſe creatos.

Binos collegas.] Collegium conſulum conſtat ex duobus: tamen Auguſtus depopoſcit vt in ſuis conſulatibus non vnum haberet collegam, ſed binos, & ita à pluribus Reſpublica adminiſtraretur: ſed id impetrare non potuit, populo reclamante.

Honorem.] Conſulatum. Tantò maior maieſtas magiſtratus videri ſolet, quantò pauciores illius ſunt participes. Vnde eleganter à Hieronymo dictum eſt, idq; repetitum in Decretis, diſtinc. x c I I I. quòd diacones paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles facit. Idem ad Pammachium ſcribens ait: Quanuis clarus honor, vileſcit in turba. Et apud viros bonos indignior fit ipſa dignitas, quã multi poſſident.

AQuarum.] Aquæ ductuum, & corriuationum fontium. M. AN.

Aluei Tyberis.] Purgandi.

Frumenti populo diuidendi.] De populi frumentatione alibi.

Præfecturam vrbis.] Dionyſius author eſt, Romulum vrbanis negotiis vnum præfeciſſe. Euſebius tradit primum vrbis præfectum Meſſalam Coruinum fuiſſe, qui ſexto die ſe poteſtate abdicarit. Cæterùm tantum is ſibi magiſtratus procedente tempore iuris vendicauit, vt omnia in vrbe crimina cognoſceret, ſummúmq; in ciuitate, abſentibus Cæſaribus, imperiũ obtineret.

Triumuiratum.] Triumuiros, qui Senatores ſuo arbitrio legerent.

Alterum.] Triumuiratum.

Recognoſcendi.] Recenſendi.

Creari deſitos.] Qui diu creari deſierant.

Numerum prætorum.] Vnus ab initio prætor in vrbe fuit, ac primus omnium Sp. Furius Camillus M. filius eam Romæ dignitatem adeptus eſt, dictúſque à præeũdo, vt Varro ſcribit, quòd exercitui præiret. Veteres, vt Pedianus ſcribit, omnem magiſtratũ, cui pareret exercitus, prætorem appellarunt. Liuius quoq; conſulem, & prætorem indifferenter appellatum affirmat. Hinc prætorium, cohors prætoria, & alia eiuſmodi appellationis monumenta. Creatus inde alius prætor, qui peregrinus ab ipſa iuriſdicendi ratione eſt dictus: inde alii ſuper alios additi: vt duodeuiginti quandoq; prætores Roma habuerit.

Exegit.] Petiit.

Binos pro ſingulis.] Duos pro vno, qui dari conſueuerat.

Eum honorem.] Conſulatum.

Cum altero.] Collega: cùm pro maieſtatis amplitudine ſolus gerere deberet.

Iuſtos

De bellica uirtute per eum honorata. XXXVIII.

Ec parcior in bellica virtute honoranda, super triginta ducibus iustos triumphos, & aliquantò pluribus triumphalia ornamenta decernenda curauit. Liberis Senatorum, quò celerius Reipublicæ assuescerent, protinus virilem togã, latum clauum inducere, & curiæ interesse permisit: militiámq; auspicantibus, non tribunatum modò legionũ, sed & præfecturas alarum dedit. At ne quis expers castrorum esset, binos plerunque laticlauios præposuit singulis alis.

PHIL. IVstos triumphos.] Legitimos. Valerius in secundo capite, De iure triumphandi scribit, lege cautũ fuisse, ne cui triumphus decerneretur, nisi quinque millia hostium vna acie occidisset.

Triumphalia ornamenta.] Liuius libro trigesimo ab origine vrbis, ornamenta triumphalia fuisse refert auream coronam, auream paterã, sellam curulem eburneam, scipionem eburneum, togam pictam, & palmatam tunicam: quibus Scipio olim donauit regem Masinissam. Augustus compluribus per decretum Senatus concessit ius gestãdi ornamenta illa, quibus viri triumphales insigniri solent.

Protinus.] Ante legitimum tempus quod erat ab anno decimoseptimo: tunc enim finita pueritia virilem togam induebant.

Latum clauum.] Vestem Senatoriam.

Induere.] Legitur & inducere, iuxta illud Maronianũ:

Consurgit senior, tunicáque inducitur artus.

Curiæ interesse.] Mos Senatoribus Romæ fuit, in curiam cum prætextatis filiis introire: sicuti Cato, Gellius, & Macrobius tradiderunt: deinde post illud Papyrii Prætextati celebratissimum exemplum, factum fuit Senatusconsultum, ne pueri posthac in curiã introirent, nisi ille vnus Papyrius. Nunc ab Augusto vetus institutum reuocatur, vt ita filii Senatorum fierent solertiores, circunspectioresque.

Militiam auspicantibus.] Incipientibus, & felici auspicio, inchoantibus. Auspicari enim, significat incipere, & initiare, propterea quòd nihil veteres rei magnæ ordiebantur, nisi auspicató. Plinius in septimo: Animal cæteris imperaturum à suppliciis vitam auspicatur. Columella in x i. Possit ab Idibus Ianuarii auspicari culturarum officia.

Tribunatum legionum.] Ordo in Romana militia hic erat, authore Iosepho, vt milites ad centuriones, illi ad tribunos militum, quos Græci χιλιάρχας vocant, manè conuenirent salutatum: cum quibus ad summum omnium ducem vniuersi ordinũ principes proficiscebantur. Tradit Vegetius, tribunos militum, & centuriones obtemperasse præfecto legionis: qui, absente legato, erat tanquam vicarius ipsius. Liuius quoque in octauo, docet militem centurionis, centurionem tribuni, tribunum legati, legatum consulis imperio sobrium parere. Officium autem tribunorum est, milites in castris continere, & ad exercitationem perducere, vigilias circuire, delicta castigare, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere: sicuti traditum est libro Digestorũ vndequinquagesimo.

Præfecturas alarum.] In exercitu Romano erant equites, qui ab Historicis modò alares, modò alarii dicuntur: ab eo quòd ad similitudinem alarum ab vtraq; parte protegant acies. Aliud erat genus equitum, qui legionarii vocabantur, ab eo quòd legioni essent contexti: author Vegetius. Augustus alarum, hoc est equitum alariorum, dabat præfecturas auspicantibus militiam, hoc est militare incipientibus filiis Senatorum: vt ita repente fierent honorati, libentiúsque capesserent munia militaria. Hæc enim dignitas inter dignitates militares erat honoratissima.

Laticlauos.] Legendum est laticlauios, tanquam à lato clauo nomina deducto. Dicuntur autem laticlauii Senatores, à veste: de qua sæpius dictum. Et filii Senatorum laticlauii dici possunt, quibus latum clauum inducere permissum est.

Singulis alis.] Equestribus: cùm antea singulæ alæ singulos præpositos haberent, voluit Augustus, vt pro vno duo præficerentur: vt ita plures fierent participes honorum militarium.

M.A.N. PArcior Remissior, & minus promptus ad omnium animos demerendos. Legerat, credo, Augustus apud Herodotũ, nihil esse melius imperio vnius, qui optimus sit. Quod vt in se omnia Reipub. membra æquè experirentur, enixè dedit operam, vt præter ea, quæ in ciuitate recte sanxerat, in militari quoque administratione non minus æquus, quàm in vrbicis rebus reperiretur.

Ducibus.] Qui se principe Rempublicam foris feliciter administrant.

Iustos.] Legitimos: sic non minus à iustitia, quàm à gratitudine, & beneficentia probandus.

Triumphalia.] Eorum insignium vsum, siue honoribus, quibus qui triumphum egissent, præditi essent.

Decernenda.] Publico decreto tribuenda.

Latum clauum.] Tunicam lati claui, Senatorum insigne. Plinius: Annuli distinxere alterũ ordinem à plebe, vt semel cœperant esse celebres: sicut tunicæ ab annulis Senatum tantùm.

Militiam auspicantibus.] Militare incipientibus: inde sumptum, quòd veteres nihil arduum inauspicatò inchoabant. Tribunatum legionum.] Tribunatum militarem: cuius, vt Marcel. De re militari scripsit, & Capitolinus in Maximo demonstrat, erat milites in castris continere, eosdem ad exercitationem producere, claues portarũ habere, vigilias circuire, frumentationibus militũ interesse, frumentum probare, mensuræ fraudem coercere, multa pro potestate in castris corrigere, omniáque militum desideria cognoscere. Duo eorum genera esse ex Pediani sententia in Cæsare ostendimus.

Præfecturam alarum.] Alis equitum præfecit. Alæ equitum, id est, ordines: ab eo, vt Gellius docet, dictæ, quia dextra, læuáque, vt alæ auium corporibus, in acie locarentur.

Binos laticlauios.] Duos Senatorii ordinis. Erat latus clauus vestis, qua soli Senatores, & patritii vtebantur: aliquando sacerdotibus, ac pontificibus dabatur. Silius Italicus:

Sacrificam lato vestem distinguere clauo.

Singulis alis.] Vt adhuc plures honoribus insignirentur.

Equitum turmas frequenter recognouit, post longam intercapedinem reducto more transuectionis. Sed neque detrahi quenquam in transuehendo ab accusatore passus est, quod fieri solebat. Et senio, vel aliqua corporis labe insignibus permisit, præmisso in ordine equo, ad respondendum, quoties citarentur, pedibus venire: mox reddendi equi gratiam fecit eis, qui maiores annorum quinque & * triginta retinere eum nollent.

De ratione vitæ exacta per eum ab unoquoque equite Romano. XXXIX.



Mpetratísq; à Senatoribus decem adiutoribus, vnumquenq; equitum rationem vitæ reddere coegit: atq; ex improbatis

PHIL. Recognouit.] Recensuit, lustrauit.

Intercapedinem.] Interuallũ, & temporis spatium. Obiter annotádum est, quòd intercapedo interdum habet obscœnam significationem, & inter obscœna verba numeratur, quando scilicet diuiduntur nates à subactore. Hoc subobscure duo eloquentissimi scriptores intelligi voluerunt, M. Tullius & Quintilianus: quorũ alter in epistola ad Pætum sic ait: Quid enim? nõ honestum verbum est diuisio? at ei inest obscœnum, cui respondet intercapedo. Alter verò in VIII. Institutionũ sic scriptũ reliquit: Sed diuisio affert eandem iniuriam pudori, vt si intercapedinis nominatiuo casu quis vtatur. Reducto more transuectionis.] Fabius Rutilianus primus instituit, vt equites Romani Idibus Quintilibus ab æde Honoris equis insidentes in Capitoliũ transirent. Trabeati autem, hoc est, induti veste trabea, transuehebantur: vt docet Valerius libro II. capite De institutis antiquis. Ea autem transuectionis die turmæ equitum corona oleagina coronabãtur, vt ostendit Plinius in XV. Hunc transuectionis equitũ iam intermissum morem post longum temporis interuallum ab Augusto reductum fuisse significat Tranquillus. Operæpretium facturus videor, si quæ à Dionysio super equitũ transuectione produntur, non omisero: qui sentit in VI. in honorem apparitionis Castorum, eiúsque victoriæ, quæ ad lacũ Regillum parta est, Equites in equis sedentes transuehi incipientes à templo non Honoris, sed Martis extramurano, pergentésque per forum iuxta ædem Castorum. Fit autem hæc transuectio Idibus Quintilibus: quo die apud lacum Regillum prosperè pugnatum est, Castore & Polluce auxiliantibus. In transuectione equites vehuntur coronati oliuarum ramis, indutíque trabeis punicei coloris, secum gestantes ornamenta, præmiáque omnia fortitudinis, quæcunque in prœliis ob rem bene gestam à ductoribus suis acceperunt. Detrahi.] Ex equo deduci, arripive in ius.

In transuehendo.] Dum ab æde Honoris, siue Martis in Capitolium transuehuntur.

Senio insignibus.] Senecta laborantibus. Insignis dicitur & cum laude, & cũ vituperatione. Vnde insignia scelera à Tacito dicuntur. Senium verò, est tædium & odium. Nævius senium sonticum appellat, quasi nocẽs, quia senectus res mala est: &, vt inquit Aristoteles, naturalis morbus est. Apollodori celebrata sententia est, Τὸ γῆρας ἐστὶν αὐτὸ νόσημα. hoc est, Senectus ipsa est morbus. quod & Terẽtius in Hecyrã transtulit. Lex decẽuiralis iubet, iumentum dari ægro, aut seni in ius vocato. Verba legis sunt hæc: Si in ius vocat, si morbus, æuitásve vitium existit, qui in ius vocabit, iumentum dato. In hac lege morbi appellatione non morbus febriculosus, sed vitium inualentiæ demonstratur. Aeuitas verò pro senio, & longa ætate accipitur: qua dictione vtitur Cicero in lege censoria sancienda.

In ordine.] Transuectionis.

Corporis labe.] Vitio. De vitiis corporalibus latissime scribunt Iuriscõsulti Ad ædilitium edictum: & quantum vitium à morbo differat.

Ad respondendum.] Accusatori.

Reddendi equi.] Indulsit Augustus equitibus senioribus, vt equũ, quem ex publico accepissent, reddere, si vellent, possent: & ita ab equestris militiæ munere soluerentur. Scribit Liuius, Seruium Tulliũ centurias equitum duodecim scripsisse ex primoribus ciuitatis, quibus ad equos emendos dena millia æris ex publico data sunt, & quibus equos alerent viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos singulos penderent. Idem in quinto author est, equites in bello Veienti, primùm equis merere cœpisse: quibus certus numerus æris est assignatus.

Quinq; & triginta.] Videtur legendum esse quinque & quadraginta: quoniam ex censu instituto à Seruio Tullio vsque ad annum quadragesimumquintum iuniores appellati sunt, supra eum seniores: seniores autem ad vrbis custodiam domi manebant, iuuenes foris bella gerebant.

* aliàs, quadraginta.

Rationem vitæ reddere.] Scribit Plutarchus in Pompeio moris fuisse, vt equites peracta legitima militia, equum per medium forum ducerent coram censoribus, illísque recenserent duces & Imperatores, sub quibus militassent. Censores quemlibet notabant vel laude vel infamia iuxta meritum cuiusque. Tale quiddam videtur Augustus factitasse, qui coegit singulos equites rationem vitæ reddere: vt hoc pacto honestatem sequerentur, memores rationem esse reddendam. Olim Amasis Aegypti rex, vt scribit Herodotus in Euterpe, legem tulit longe vtilissimam, vt singuli quotannis apud præsides rationem vitæ redderent, & vnde viuerent, quóve quæstu sustentarẽtur, demõstrarent: qui hoc non fecisset, morte plectebatur. Hæc lex à Solone ab Aegyptiis translata est ad Athenienses: cuius & Valerius & Diodorus meminerunt.

M. A N. Transuectionis.] Transuehendorum equitum mos iam inde, vt Dionysius scribit, institutus, ex quo Aulus Posthumius ad Regillum lacum Latinos ingenti prælio vicit. Valerius à Quinto Fabio, qui primus Maximi cognomẽ in ea familia tulit, aliáq; de causa transuehendi morem inductum tradidit. Transuectionis ratio ex alterutro petenda, sed apud Dionysiũ largius explicatur: equites enim equo sedentes insigni veste prçculti tota vrbe vagabantur.

Detrahi.] Numero eximi. quod erat ignominiæ nota.

Et senio vel labe.] Subiicit causas, quibus detrahi solerent.

Insignibus.] Vel senio, vel vitio aliquo corporis.

Præm

alios pœna, alios ignominia notauit, plures admonitione, sed varia. Leuissimũ genus admonitionis fuit traditio coràm pugillarium, quos taciti & ibidem statim legerent. Notauítque aliquos, quòd pecunias leuioribus vsuris mutuati, grauiore fœnore collocassent.

De quibusdam eius ordinationibus circa Rempublicam. XL.



Omitiis tribunitiis si deessent candidati, Senatores ex equitibus Romanis creauit, ita vt potestate transacta, in vtro vellent ordine, manerent. Quum autem pleriq; equitum, attrito bellis ciuilibus patrimonio, spectare ludos è quatuordecim non auderent metu pœnæ theatralis, pronuntiauit nõ teneri ea, quibus ipsis, parentibúsve equester census vnquam fuisset. Po-

Præmisso equo.] Pompam sequi iusso.

Ad respondendum.] Iis, quæ obiicerentur.

Pedibus.] Non equo sedentes: quæ ignominiæ ratio leuior omnino fuit, quàm si equus fuisset in trasuectione detractus. Maiorum annorum.] Ex antiquo Seruii Tullii instituto, qui supra septimum & quadragesimum annum, vt parum rei militari idoneum militem non allegit.

Adiutoribus.] Collegiis.

PHIL. TRaditio coràm.] Sensus est: Augustus equitibus, quos leuiter admonere volebat, tabellas ceratas tradebat legendas, in quibus continebantur crimina omnía, quæ illis obiicerensur: ita soli probra sua recognoscebãt, neque inuulgabantur. Sunt ausem pugillares tabellæ ceratæ, quæ & pugillaria neutro genere dicuntur. Scribit Plinius, pugillarium vsum fuisse ante tempora Troiana. In Euangelio Lucæ scriptũ est: Et postulans pugillarem scripsit. Quod Græcè dicitur: καὶ αἰτήσας πινακίδιον ἔγραψε. Ab Ausonio pugillar dictũ est neutro genere, numero singulari: quod infrequens sanè est. sic enim inquit: Bipatens pugillar expedi.

Pecunias mutuari.] Mutuari pecunias, est accipere pecunias mutuas, non mutuo dare. Augustus notauit aliquos, qui mutuabantur pecuniam sub fœnusculo, hoc est, minima vsura, & eandem mox aliis locabãt sub grauiori fœnore, vt ita lucrarentur instar fœneratorũ.

Comitiis tribunitiis.] Comitia tribunitia, quibus tribuni creantur: sicuti ædilitia, quibus ædiles. Nec hîc comitia tribunorum plebis significari videntur: ille enim magistratus erat plebeius, sed tribunorum militarium, quos comitiatos vocabant, quia Romæ comitiis designabãtur: author Asconius in interpretatione Verrinarum. Fuerunt tribuni militum cõsulari potestate, de quibus multa mentio apud Liuium.

Candidati.] Petitores tribunatus.

Potestate transacta.] Finito tribunatu.

In vtroque ordine.] Vel equestri, vel Senatorio.

E quatuordecim.] Lege Iulia theatrali constitutũ est, ne cui ius esset sedendi in quatuordecim ordinibus, nisi sestertia quadringẽta haberet in cẽsu: hic enim erat legitimus equitis Romani census: pœnáque irrogabatur in præuaricatorem. Fuit & lex Roscia, qua, vt author est Porphyrio, cauetur, vt in proximis ab orchestra quatuordecim gradibus spectent, quibus census est quadringentorum sestertiorum. Hanc tulit Roscius Otho. Vnde ab Horatio dictum est in Epodo:

Othone contempto sedet.

Ea.] Pœna theatrali. Augustus noluit, obnoxios esse pœnæ theatrali illos equites, quorum per bella ciuilia attritum, hoc est imminutum, mutilatúmque, & consumptum fuerat patrimonium, vt non amplius haberent legitimum censum equestrem. Non enim sua culpa opes attriuerant, sed temporum calamitate.

Apud Nabathæos Arabas, qui patrimoniũ imminuit, publice mulctatur: qui auget, honore afficitur.

Ipsis, parentibúsve.] Ait Plinius in trigesimotertio, constitutum fuisse, ne cui ius esset sedendi in quatuordecim, nisi ingenuo ipsi, patrique, & auo paterno sestertia quadringenta census fuissent.

Equester.] Quadringentorum sestertiorum.

M. AN. IGnominia notauit.] Quid esset militem ab Imperatore ignominia notari, suprà ostendimus.

Pugillarium.] Libellorum, qui omnia, quæ obiicerentur, crimina continerent.

Leuioribus vsuris mutuati.] Sensus est, Ob eam rem notati sunt aliqui, quòd pecuniam, quam ipsi leuiore vsura ab aliis mutuati essent, eandem lucri cupiditate aliis maiore fœnore locassent.

Comitiis tribunitiis.] Quibus tribuni creabantur. Pedianus duo ait fuisse tribunorũ militariũ genera: alios comitiatos, id est, comitiis creatos, de quibus nunc: ad quem honorem author proximo ostendit loco, Senatorum filios latum clauum, id est, Senatoriam vestem sumentes Augustum vltro admisisse.

Senatores ex equitibus.] Eos, qui iam latũ clauum sumpsissent.

In vtro vellent ordine.] Siue equestri, siue senatorio.

Attrito.] Profligato, consumpto.

E quatuordecim.] Gradibus. Otho tribunus plebis legem tulit, ne quis, nisi cui quadringenta essent sestertia, è quatuordecim spectaret gradibus. Iuuenalis:

Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.

Liuius, & alii ipsius legis meminerunt.

Pœnæ theatralis.] Qualis sedendi ordinem in theatro turbantibus, seditionumq́ue authoribus fuerat irrogata. Plinius lib. VII. cap. XXX. Te suadente, Roscio theatralis seditionis authori leges ignouerunt. Nisi forte alia illi crimini pœna adscripta esset.

Quibus ipsis.] Qui ob inopiam inter equites spectare non auderent.

Aut parentibus.] Plinius legis illius meminit: Hac, inquit, de causa constitutum, ne cui ius eius esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, auóq; paterno sestertia quadringenta census fuissent, & lege Iulia theatrali in quatuordecim ordinibus sedendi.

Equester census.] Quisque vel ipse, vel pater quadringenta sestertia quandoque habuisset: quando iniquitate temporum is census profligari potuisset, esset modò ingenuus, ne spectãdi loco deiiceretur. Nam hic ordo ius habebat spectandi in quatuordecim ordinibus theatri, id est, quatuordecim gradibus, vt Senatorius ordo in Orchestra spectabat. Iuuenalis Satyra XIIII. -Effice summam

Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.

puli Romani censum vicatim egit: ac ne plebs frumentationũ causa frequentius à negotiis auocaretur, ter in annum quaternûm mensium tesseras dare destinauit: sed desiderãti consuetudinem veterem, concessit rursus, vt sui quisque mensis acciperet. Comitiorum quoque pristinum ius reduxit: ac multiplici pœna coercito ambitu, Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis, die comi-

PHIL. Vicatim.] Per singulos vicos. Qua in re Cæsaris Dictatoris vestigia sequutus est: qui & ipse, vt superius explicatum est, recensum populi vicatim egit per dominos insularum.

Frumentationum.] Frumentationes dicuntur donationes frumentariæ, quæ in populũ fieri solebant. Scribit Asconius, Clodium tulisse legem annonariam valde popularem, vt scilicet frumentum populo gratis daretur. Igitur cùm causa istarũ frumentationum, quæ singulis mensibus solitæ erant fieri, sæpe plebeii à negotiis suis abducerentur, constituit Augustus, hoc frumentum dare, nõ per singulos menses, sed ter in anno: ne tam sæpe plebeii occasionem haberent negotiorũ deserendorũ: sed id efficere nequiuit, cùm consuetudinem veterem efflagitaret populus, vt scilicet per singulos menses acciperet: adeò consuetudinem tollere difficile est.

Tesseras.] Tessera cùm multa significet, in hoc loco priuatim, peculiariterq; significat signum frumentarium: quo exhibito, vnusquisq; frumentum pro portione accipiebat à principe. Vt autem rem apertius intelligas, scito tesseram frumentariã pene talem fuisse apud priscos Romanos, quales sunt illæ, quæ ex more vetusto erogantur bis in anno in patria nostra pauperibus, pro quibus exhibitis sigillatim accipiunt quartarium farinæ triticeæ: vulgò nostrates ferrulinos appellant: qui per se nullius sunt pretii, sed pro signo & symbolo mensuræ farinariæ. Fit autem hæc erogatio publica impẽsa semel natali Seruatoris nostri: iterum solennitate paschali. De tessera frumentaria loquitur Iuuenalis:

Summula ne pereat, qua vilis tessera venit
Frumenti.- Et Persius:
-Scabiosum tesserula far
Possidet.-

De tessera frumentaria, quòd legari possit, sic refert Iurisconsultus secundo De legatis: Si Titio tessera frumentaria, vel militia legata sit, & is decesserit, quidam putant extingui legatum. De multiplici tesseræ significantia, alibi plura.

Coercito ambitu.] Compressa ambitione. Est enim ambitus crimen honoris affectati, qui multos mortales falsos fieri coegit. Qui in cupiditate honoris excedit, vt inquit Aristoteles in secũdo Ethicorum, dicitur ambitiosus: qui deficit, remissus. Media est magnanimitas, & ob id laudanda: cùm virtutes sint mediocritates, & extrema tam ab excessu, quàm à defectu reprehensibilia. A Caio Petilio tribuno plebis primùm de ambitu ad populũ latum est: eáque rogatione nouorũ maxime hominum ambitio compressa est, vt refert Liuius in septimo. Fuit & lex Calphurnia de ambitu, quã tulerat Calphurnius Piso: in qua, præter alias pœnas, pecuniaria quoque pœna erat adiecta: cuius meminit Asconius apud Iurisconsultos titulus est Ad legem Iuliam de ambitu: quam Modestinus hodie cessare scribit: quia ad curam principis magistratuum creatio pertinet, non ad populi fauorem.

Fabianis.] Fabia, & Scaptia tribus erant Romanæ. De Fabia Horatius:

Valet hic Fabia, valet ille Velina. -

Scaptia verò tribus, authore Festo, nomine vrbis Scaptiæ appellatur. De Scaptia tribu Liuius hæc in VI. Eodem anno census actus, nouíq; ciues censi: tribus propter eos additæ Metia, & Scaptia: censores addiderunt Q. Philo, Sp. Posthumus. Quidam codices pro Fabianis habent Sabatinis. Est autem Sabatina tribus à lacu Sabate dicta: de qua Liuius in sexto: Tribus quatuor ex nouis ciuibus additæ: Stellatina, Sabatina, Promentina, Arniensis: eæque triginta quinque tribuum numerum expleuere.

Tribulibus.] Tribules dicuntur à tribu. Horatius:

Et cum pileolo soleas conuiua tribulis.

In sua quisque tribulis tribu suffragium ferebat. Candidati largitione tentabãt corrumpere tribules, & decurias: quod minime licebat, lege de ambitu lata. Vnde ait Cicero: Doce Plancium largitum esse, conscripsisse tribules, decuriauisse. Viri boni apud tribules suos gratiosi esse cupiebant: vt illorum suffragia ferrẽt citra corruptionẽ. Legito orationem Ciceronis pro Gn. Plancio. Sensus est, Augustum suis tribulibus diuisisse singula millia nummûm: & hoc ideo fecisse, ne à petitoribus magistratuum pecunia corrupti suffragium ferrent. Quidam codices habent, Tribubus, sensu eodem manifesto, quo significatur, Fabiam, & Scaptiam tribus duas fuisse Augusti omnino. Indicat hic locus, Augustum fuisse duarum tribuum, Fabiæ scilicet & Scaptiæ, tanquam natus in altera, mox insertus in alteram: cùm & ipse natus foret in gente Octauia, & per adoptionem insertus Iuliæ familiæ.

Vicatim.] Per vicos. Frumentationum.] Gracchus legẽ de frumento populo distribuendo tulerat. Sed P. Clodius vt gratuitum daretur frumentũ, recentiorem tulit legem, quum antea senis æris trientibus in modios veniret. Plutarc. author est, gratuitam frumentationem ducentis quinquaginta supra mille talentis Reipublicæ quotannis stare solitam. M. A N.

Ter in annum.] Cùm antea sæpius daretur.

Quaternûm mensium.] Quarto quoque mense.

Tesseras frumentarias.] Sunt qui tesserã pro parua accipiunt mensura: sed est tessera lignum vtrinque complanatum, in quo numeri describuntur, quod & talea dicitur. Plautus: Suam vterque tesseram habet. Plinius: Frumenti rationem tesserulis ostendebat. Iuuenalis: -Qui vilis tessera venit.

Est & tessera bellicum symbolum, quod in pugnam exeuntibus datur. Verg. - Et belli tessera signum. Liuius: Cæteris omnibus tesseram dari iubet. Est & instrumentum lusorium. Martialis:

Non mea magnanimo depugnat tessera talo.

A tessera, tesserula, & tessella, est lapis minimus quadratæ figuræ, vnde & tessellatum opus: quanquam nõ eo inficias & eburneum, & ligneum tessellatum dici posse, tesserulis, siue ligneis, siue eburneis præditum.

Vt sui quisq; mensis.] Sic enim legas, non cuiusq;, vt quidam habent: vt sit ordo, Concessit vt quisq; sui mensis tesseram acciperet.

Comitiorum pristinum ius.] Ne quid ambitu in comitiis peccaretur, ad quem coercendũ Fabiana lex, & Pompeia latæ: aut ius pristinum, quale fuit prius, quàm Cæsar Dictator cum populo comitia partitus est.

Multiplici pœna.] Delinquentibus irrogata.

Scap

tiorum, ne quid à quoquam candidato desiderarent, singula millia nummûm *asse diuidebat. Magni præterea existimans, syncerum, atque ab omni colluuione peregrini, ac seruilis sanguinis, incorruptum seruare populum, & ciuitatem Romanam parcissimè dedit, & manumittendi modum terminauit. Tyberio pro cliente Græco petenti rescripsit, non aliter se daturum, quàm si præsens sibi persuasisset, quàm iustas petendi causas haberet. Et Liuiæ pro quodam tributario Gallo roganti, ciuitatem negauit, immunitatem obtulit, affirmans se facilius passurum fisco detrahi aliquid, quàm ciuitatis Romanæ vulgari honorem. Seruos non contentus multis difficultatibus à libertate iusta remouisse, quum & de numero, & de conditione, ac differentia eorum, qui manumitterentur, curiosè cauisset, hoc quoque adiecit, ne victus vnquam, tortúsve quis

* aliàs, à se.

PHIL. Scaptiensibus & Fabianis.] Scaptiæ tribus, & Fabiæ hominibus. Singulæ tribus suũ habebant nomen, vt Scaptia, Fabia, Quirina, Sergia, Sabatina.

Tribulibus.] Sic enim legendum est, non tribubus, vt omnes Traoquilliani habent codices: nam si tribubus ille scripsisset, Scaptiæ, & Fabiæ dicturus fuisset, aut certe Scaptiensi, & Fabianæ: Scaptiensibus, & Fabianis, ne in solœcismi vitium incideret, dixisset ounquam. Cæterùm cur duabus Augustus insertus esset tribubus, nõ video, nisi Octauiæ gentis vna, Iuliæ verò, in quam familiã fuerat adoptatus, altera fuisset.

Asse diuidebat.] Tanquam asses essent illi nummi, quos Augustus diuidebat. Quidã discretim legunt, à se, vt sint duæ particulæ, significantes Augustum suamet manu noo per dispensatorem diuisisse nũmos suis tribulibus: vt ita in officio firmius constantiúsque permanerent.

Ciuitates Romanas.] Corrige ciuitatem Romanã: vt sit sensus, Augustum rarenter aliqoem fecisse ciuem Romanum, vt populus incorruptus, impollutúsque à colluuiooe, & sordibus peregrinorum conseruaretur. In vrbé enim omnes passim confluebant. Vnde ait Seneca in libro de coosolatione ad Albinam matrem: Nullom noo hominum genus concurrit in vrbem. Lucanus Romam repletam Mundi fæce luculenter scripsit. Præterea à Senatu aliquãdo indicta senteotia est, vt seruos à liberis cultus distiogueret. Déinde apparuit quantum periculum immineret, vt inquit eleganter Seneca, Si serui nostri oumerare nos cœpissent.

Ab omni colluuione.] Labe, & sordibus. Liuius: Ea colluuione mistorum omnibus generibus animantium. Colluuionem, & colloui em veteres dixere: vnde & colluuiaria dicta in ductibus aquarum, per qoæ colluuies, & immunditia eiectantur. Vitruuius in v I I I. Etiam in ventre colluuiaria sunt facienda, per quæ vis spiritus relaxetur.

Manumittendi modum.] Statuit ne quispiam dominus vltra præscriptum numerum seruos manumittere posset. Manumissio autem nihil aliud est, vt inquit Iuriscoosultus, quàm datio libertatis. Manumittendi species plures sunt. Nam aut censu, aut vindicta, aut testamento liberi efficiebantur: sicut docet Boethius io primo Commentario Topicorum. Author est Tacitus, corpus libertioorum latè fusum fuisse in vrbe Roma: manumittendi duas species iostitutas, vt qnos vindicta patronus non liberaoit, illi velut vinculo seruitutis attineantur.

Tyberio.] Priuigno, mox successuro.

Petenti.] Vt ciuitate Romana cliens donaretur.

Ciuitatem.] Ius Romanæ ciuitatis.

Immunitatem.] Vt immunis fieret à tributo. Nam tributarius erat Gallus ille, pro quo Liuia vxor rogabat.

Vulgari.] Maiestas, & honos Romanæ ciuitatis vilescere videtur, quando etiam peregrinis, & sordidis hominibus impartiũtur.

Seruos non cõtentus.] Sensus est, Augustũ omnibus modis prouidisse, ne serui manumitterentur: ne ita libertinorum colluuione corrũperetur legitimus populus Romanus: ideóque inter alias caorioneshoc quoque cauisse, ne ciuis Romanus fieri posset per adeptam libertatem, quicunque fuisset in seruitute, aut vinctus, hoc est cõpeditus, aut per tormenta quæstionum cruciatus.

De numero.] Præscripto, quot serui possent domino manomitti.

Conditiooe.] Alii sunt honestioris conditionis, alii sordidioris. nam serui vrbani rusticis præferuntur: textores muliooibus: obsonatores, hoc est, qui præsunt emendis obsoniis, præpoountur coquis, & lecticariis. Differentia quoque fit inter seruos à locis, ab artificiis. Nam, vt ait Iurisconsultus, officium seruorum artificio mutatur.

M.A N. Singula millia.] Singulis tribobus.

Asse diuidebat.] Per assem summa viritim diuisa.

Mannmittendi.] Seruos libertate donandi.

Tyberio.] Priuigno.

Petendi.] Ciuitatem.

Tributario.] Tributum publicè soluenti.

Ciuitatem.] Ius ciuitatis.

Immunitatem obtulit.] Tributi remissionem despondit.

Fisco.] Pedianus, Fisci, ioquit, fiscinæ: fiscellæ spartea sunt vtensilia ad maioris summæ pecunias capieodas. Et rursus: Vnde fiscus pecunia publica, & confiscari dici solet.

Multis difficultatibus.] Difficilibus decretis, siue edictis.

A libertate iusta.] Conditione, qua legitimè manumitti potuissent.

De numero.] Vt supra certum numerum ab vno manumitti non possent.

Conditione, ac differentia.] Vt non solùm numero caueretur, sed & corporis, & ingenii, vel pristinæ etiam fortunæ haberetur ratio.

Ne vinctus.] Vt fugitiuus.

Tortúsve quis.] Vt perfidus, alteriúsve flagitii conscius.

vllo libertatis genere ciuitatem adipiſceretur. Etiã habitum veſtitúmq; priſtinum reducere ſtuduit. Ac viſa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans, En, ait,

Romanos rerum dominos, gentémq; togatã.

Negotium ædilibus dedit, ne quem poſthac paterentur in foro, circóve, niſi poſitis lacernis, togatum conſiſtere.

De liberalitate eiuſdem. XLI.

Lberalitatem omnibus ordinibus per occaſiones frequenter exhibuit. Nam & inuecta vrbi Alexandrino triumpho regia gaza, tantam copiam nummariæ rei effecit, vt, fœnore diminuto, plurimum agrorum pretiis

PHIL. Libertatis genere.] Triplex eſt libertas, & libertinorum ſtatus tripartitus erat. Nam qui manumittebantur, modò maiorem & iuſtam libertatem conſequebantur, & fiebant ciues Romani: modò minorem, & Latini fiebant ex lege Iulia Norbana: modò inferiorem, & fiebant ex lege Aelia Sentia in numero deditiorum. Ob hanc triplicem libertatis formulam dixit Auſonius:

Triplex libertas, capitiſq; minutio triplex. Et Plautus ſcienter in Caſina, Tribus, inquit conduci non poſſum libertatibus; quin ego hodie illis comparem magnum malum. Boethius quoq;, quod & dudũ annotauimus, faciendi liberti, & datæ libertatis tres ſpecies eſſe refert, cenſum, vindictã, teſtamentũ.

Habitum.] Vergilius:

Tam variæ linguis, habitu, quàm veſtis, & armis.

Alius eſt habitus: de quo differunt philoſophi & Oratores.

Priſtinum.] Modò priſcum & veterem: aliâs priorem. Curtius: Dies priſtino procelloſior.

Pullatorum.] Pullati dicuntur nigras veſtes induti: eſt enim pullus color niger, vt docet Seruius enarrans illud Vergilianum:

-Ne maculis infuſcent vellera pullis

Naſcentum.- Iuuenalis:

Pullati proceres.- Author eſt Cicero, neminem cum toga pulla vnquam in epulo accubuiſſe. Auguſtus cùm pullatos multos, & neque more Romano togatos vidiſſet in concione ſtantes, per indignationem protulit illud Vergilianum ex libro Aeneidos 1. En

Romanos rerum dominos, gentémque togatam.

Quidam codices non pullatorum habent, ſed bullatorum: vt hoc referendum ſit ad ingenuos pueros Romanos, qui bullati dicuntur ab ornamento bullæ, quã geſtant: quos cùm minimè togatos, viriliterque indutos conſpexiſſet Auguſtus, indignatus eſt. Apud Gellium Caſtricius rhetor itidem indignatus, cùm vidiſſet diſcipulos quoſdam ſuos Senatores tunicis, & lacernis indutos, Equidem, inquit, maluiſſem vos togatos eſſe.

Indignabũdus.] Vehementer indignans. Hæc enim nomina, quæ deſinunt in bundus, exuperantiam quandam, vehementiámq; potius quàm ſimilitudinem demonſtrant, ſicuti copioſe, diligentérque perſcripſimus in notis Seruil.

In foro.] Ait Cato: Veſtiri in foro honeſtè mos erat.

Circóve.] In ſpectaculis Circenſibus.

Poſitis lacernis.] Multa fuerunt apud priſcos genera lacernarum. Nam & coccineæ, & Bæticæ, & amphitheatrales celebrantur ab eruditis. Hîc intellige loquutum Tranquillum de lacernis amphitheatralibus, quæ ad vſus ſpectaculorũ, tam Circenſium, quàm theatralium commendantur: quibus albentes togas, vt indicat Epigrammaticus poeta, contegebant. Has Auguſtus deponi voluit, dato ædilibus negotio, vt in toga veſtitu Romanó forent honeſtiores.

Liberalitatem.] Liberalis in dando eſt, qui dat quibus oportet: virtus profectò in primis digna principibus. Nihil enim magis principem decet, quàm pecuniam ad beneficentiam, liberalitatémque conferre: & imitari Cyrũ illum Xenophontis, qui theſauris ſibi amicos fecerat. Liberales, vt ait Ariſtoteles in quarto Ethicorum, maximè omnium diliguntur. βασιλικώτερόν ἐστιν, vt dicebat Ptolemæus, τοῦ πλουτεῖν τὸ πλουτίζειν. id eſt, regalius eſt ditare, quàm diteſcere.

Regia gaza inuecta.] Scribit Hieronymus, Auguſtũ Cæſarem cùm poſt victoriam Alexandrinam domum repedaſſet, exportaſſe ſecum antiquorum Ptolemæorum gazas: vt nec antea, nec poſtea tanta copia auri, argenti, gemmarúmque Romam adducta fuiſſe noſcatur. Gaza, dictio Perſica eſt, & ſignificat diuitias: author Seruius. Pomponius Mela, Gazã, inquit, Perſæ ærariũ vocant: & inde nomen eſt Gazæ ciuitati, eò quòd Cambyſes illhuc belli & opes, & pecuniam intulerat. Inde gazophylacia dicta gazæ, diuitiarúmque repoſitoria. In libro Eſdræ: Ad gazophylacium deportabant filii Iſrael, & filii Leui primitias frumenti, vini, & olei. Corbonam Iudæi vocabant ſacrum theſaurum: Authores Ioſephus & Euſebius. De gaza Perſica, quæ venit in Alexandri mancipatũ, Curtius multa: qui etiam libro tertio ait: Igitur quaſi parum munimentis oppidi fidens (Parmenio ſcilicet) ante Solis ortum pecuniam regiam, quam gazam Perſæ vocant, cum pretioſiſſimis rerum afferri iubet, fugam ſimulans, re vera vt prædam hoſti offerret.

Habitum.] Cultum.

M. AN. Vllo libertatis genere.] Siue publicè, ſiue priuatim quæſita eſſet: tam redempta libertate, quàm gratis accepta.

Pullatorum.] Togati enim ciues ſpectare ſolebãt. Togæ plurimùm albæ erant. Quòd togati ſpectarent, Lampridius demonſtrat: Contra conſuetudinem, inquit, pullatos ſpectare iuſſit, non togatos ad munus conuenire, quod funeribus ſolebat, ipſe in pullis veſtimentis præſidens. Quibus verbis apparet pullam veſtem alienam ab vſu ſpectandi fuiſſe, togam verò accõmodatam: quem peruerſum in ciuibus morem Auguſtus non tulit, & idcirco quaſi togam in illis deſideraret, Vergilianum illud iactauit: En

Romanos rerum dominos, gentémque togatam.

Regia gaza.] Regiis diuitiis.

Nummariæ rei.] Pecuniæ.

Fœnore diminuto.] Alterũ ex altero pendet: cùm pauciores in nummoſa ciuitate egerent, cœpit pecunia vilius locari.

Acceſſ

accesserit. Et postea quoties ex damnatorum bonis pecunia superflueret, vsum eius gratuitum iis, qui cauere in duplum possent, ad certum tempus indulsit. Senatorum censum ampliauit, ac pro octingentorum millium summa duodecies sestertiûm taxauit, suppleuítque non habentibus. Congiaria populo frequenter dedit, sed diuersæ ferè summæ, modò quadringenos, modò tricenos, nonnunquam ducenos, quinquagenósque nummos: ac ne minores quidem pueros præteriit, quanuis non nisi ab vndecimo ætatis anno accipere consuessent. Frumentum quoque in annonæ difficultatibus sæpe leuissimo, interdum nullo pretio viritim admensus est: tesserásque nũmarias duplicauit.

PHIL. Accesserit.] Io hanc sententiam sic scribit Orosius: Roma intâctum opibus Alexandrinæ victoriæ aucta, vt propter abundantiã pecuniarum, duplicia, quàm vsque ad id temporis fuerant, possessionum, aliarúmq; rerum venalium precia statuereotur.

Superfloeret.] Suberabũdaret vltra mulctam, ac pœnam damnationis.

Gratuitum.] Si ne fœoore.

Cauere io duplum.] Exempli causa: Augustus illis indulgebat ex bonis damnatorũ mille aureos, qui in duo millia cauere potuissent.

Duodecies sestertiûm.] Census Senatoris legitimus erat octingentorum sestertiorũ, conduplicato eque stri censu, qui erat quadringentorũ. Augustus ampliauit hunc censum, vt pro sũma octiogentorum sestertiûm haberent Senatores mille & duceota, scilicet in censu: & ita facultates vnius Senatoris implebant censum trium eqoitũ. Iam docuimus, sestertia continere numerum millenarium, vt in hac supputatione.

Congiaria.] Diximus in Iulio Cæsare, congiarium esse Imperatoris donationem: de quo sic ait Quintilianus in sexto: Congiarium, commune oomen est liberalitatis, atque meosuræ. Fabius Maximus incusans Aogusti congiariorum, quæ amicis dabantur, exiguitatem, hemioariam esse dixit, alludens ad mensuram. Differt congiarium à donatiuo, quòd congiarium datur populo, donatiuum verò militibus. Et ita vsurpant hi, qui significanter, & propriè loqountur. Supersedeo exemplis, quæ innumera leguntur: vno interim contentus Corn. Taciti testimonio ita scribentis: Additum nomine eius donatiuum militi, coogiarium plebi. Laodat Plinius in Panegyrico Traianum, quòd congiarium populo dedisset, quo locupletatæ sunt tribus, cùm donatiuum milites accepissent.

Quadragenos.] Quadrageni à numero quadraginta dicuotur: quadringeni verò, sicut in hoc loco legendum est per syncopam, quadringenteni significantur, sicut duceni ducenteni, triceni, tricenteni, quingeni quiogenteni, & reliqua: author Priscianus in libro de ponderibus.

Viritim.] In singulos viros.

Ne mioores quidem pueros.] Laudat Plinius Traianum, quòd in dando coogiario infantes quoque admisisset, vt ita alimentis principis crescerent, experireotúrque ab infantia parentem publicum munere educationis: & profectò nullum est magno principe genus impendii dignius, quàm quod erogatur in posteros. Augustus quoque consimiliter voluit etiam minores pueros participes fieri congiarii popularis: vt ita munificentissimus & esset, & diceretur Imperator.

In annonæ difficultatibus.] Dicebat Aurelianus, nihil esse lætius Romano populo saturo. Vnde hæc prima principum cura, ne populus Romanus esuriret, Olim annonæ cura non minus addidit gloriæ Pompeio, quàm Orieus triumphis, Occidensque lustratus. Celebratur Manius Martius ædilis plebis, quia frumentum populo in modios assibus donauit. Itidem Trebius io ædilitate assibus populo frumentum præstitit. Igitur Augustus, quum annonæ frumentariæ penuria foret, in singulos viros vel gratuitum, vel mioimo pretio venditum frumentum populo erogauit.

Tesseras nummarias.] Sicuti tesseræ sunt frumentariæ, ita & nũmariæ: quibus exhibitis, summa nũmûm præscripta repeosari solet. Has duplicauit Augustus, vt liberalitate magis celebraretur. Deus est enim, vt inquit Plinius, mortali iuuare mortalẽ: & hæc ad æternam gloriam via. Et, vt elegantissimè ait Pacatus, rei & famæ consulit munificus Imperator.

M.A N. Gratuitum vsum.] Sioe fœnore.

Qui cauere io duplũ possent.] Qoi duplo plura possiderent, quàm mutuo acciperent: aut certè datis prædibus cauerẽt, ne pecuniæ sors fisco deperiret.

Indulsit.] Indulgenter concessit.

Duodecies sestertiûm taxauit.] Sic omnes Tranquilliani codices, quos vidimus, habent: sed minuere id fuisset censum, noo augere: si ex octingentis millibus nummûm ad duodecies sestertiûm contraxisset. Quare aut hæc nostra, aut oulla, quod videam, alia quadrare poterit lectio: erit igitur duodecies vera lectio, non sestertiûm, sed duodecies centies sestertiûm, vt ex parte tertia auctus sit census: quòd quum octingentis millibus prius Senatorius taxaretur census, quadringentis amplius taxari cœperit: quod idem valet, ac si dicas, Noluit Augustus vt singuli Senatores, qui octingenta possiderent sestertia, mille & ducenta possiderent. Habuit enim sestertium mille nummos, vt alio perspicue loco ostendimus: quaoquam Plutarchus in Antonio pluris taxauerit.

Congiaria.] Munera, quæ à principe populo dantur: vt donatiua militibus. Capitolinus: Congiarium populo dedit, militibus donatiuum addidit.

Tricenos.] Nũmos scilicet, ac viritim datos intellige. Annonæ difficultatibus.] In annonæ caritate.

Admensus est.] Metiendo dedit.

Tesserásque nummarias.] Pecuniarum summam, qoam pro frumentaria tessera dabat, duplicatam dedit. Fuit & tessera olim hospitii dicta, dum hospites, id est, externi amici tesseras hospitii seruarent, vt ius hospitii etiam ad posteros trãsiret. Tesserã enim secũ ferentes hospitũ liberi, agnoscendos se præbebãt: cùm autẽ hospitiũ renuntiare volebant, tesseras frangebãt.

De seueritate eius in reprimendis populi uoluptatibus indiscretis. XLII.



Sed, vt salubrem magis, quàm ambitiosum, principem scires, querentem de inopia & caritate vini populum, seuerissima coercuit oratione, satis prouisum à genero suo Agrippa perductis pluribus aquis, ne homines sitirent. Eidem populo promissum quidem congiarium reposcenti, bonæ fidei se esse respondit. Non promissum autem flagitanti, turpitudinem & impudentiam edicto exprobrauit, affirmauitq; se non daturũ, quanuis dare destinarat. Nec minore grauitate atq; cõstantia, cũ proposito congiario multos manumissos, insertósq; ciuium numero cõperisset, negauit accepturos, quibus promissum nõ esset. Cæterísq; minus, quàm promiserat, dedit, vt destinata summa sufficeret. Magna verò quondã sterilitate, ac difficili remedio, cùm venalitias

PHIL. QVerentem.] Lamentantẽ. Perductis pluribus.] à M. Agrippa, qui in ædilitate sua Virginem aquã adduxit iotra vrbem: idem restituit aquam Martiam, quæ, authore Plinio, clarissima est aquarum omnium in toto orbe, frigoris, salubritatísque præconio ioter reliqua deûm munera vrbi tributa. Idem fontes eeotũ, & castella cõplura Romæ fecit. Idem gratuita præbuit balnea: de quo Frõtinus in 1. hæc: Agrippa ædilis ductus Appiæ, Anienis, Martiæ penè dilapsos restituit. Iuliam deduxit, Virginem quoque Romã perduxit. Idem Frootinus in 11. Agrippa, velut perpetuus curator aquarum, habuit familiam, qua tueretur, ducens castella & lacus.

Ne homines sitirent.] Ceu saluberrimum ad potum aquæ liquorem natura dederit; quo cætera omnia animantia vtuntur. Consimile exemplum illud Pescenii Nigri Romani Imperatoris: qui eùm apud Aegyptum ab eo milites vinum peterent, respondit: Nilum habetis, & vinum quæritis? Cyrus apud Xenophontem monet suos, vt consuescant aquam bibere, vt fiant ὑδροπόται, hoe est, aquæ potores. Iuxta illam sententiam vulgatissimam:

-Satis est populis fluuiúsque, Cerésque.

Celebratur illud Cyri dictum à Marcellino: qui quum delatus ad hospitem interrogaretur ab eo, quid ad coouiuium parari deberet, panem responderat solum: sperare enim aiebat se prope riuum cœnaturum. Apollonius Tyanæus, authore Philostrato, aquam bibebat, tanquam anima à vioo pura conspiciat vaticinatiooem, & homo abstemius suauius quiescat. Carthaginienses in militia vinum non bibebant, vt doeet Aristoteles in Oeconomicis. Monet Plato in tertio de Republica, abstinendum esse à vini temulentia custodibus ciuitatum: ridiculum quippe foret, custodem indigere custode.

Bonæ fidei.] Quod princeps promittit, id ratum esse debet: & ita vulgò dici solet. Idcirco Pacatus in Panegyrico laudat Theodosium, quòd nihil ita primoribus labris pollicebatur, quin promisso fidem subderet, & verba reipsa sanciret: atque perquàm eleganter: Tam sunt certa, quæ spondes, vt tum videantur accepta, quum spondes. Agesilaus verò ille Magnus, quum quispiam sæpius ad eum diceret, ὑπέσχου, hoc est, promisisti: festiuiter inquit: Per Iouem certè promisi, si istud iustum est: si autem iniustum dixi, non promisi. Et quum idem subdidisset: Veruntamen decet reges quicquid annuerint perficere: non magis, inquit, quàm illos, qui reges adeunt, petere iusta decet.

Impudentiam.] Quòd impudenter, & petulanter nimis flagitarent congiarium, quod noo promiserat, & propterea non debebat.

Destinarat.] Deliberaoerat.

Insertos ciuium numero.] Qui maiorem libertatem adipiscuntur, hi fiunt ciues Romani. Augustus manumissos, hoc est libertinos, qui se inserebant numero ciuium Romanorũ, tanquã & ipsi legitimi ciues forent, reiecit à cõgiario, tanquam talibus non promisisset, sed solis veris ciuibus Romanis. Laudatur Traianus qoòd congiarium etiam dederit his, quibus non erat promissum.

Quondam sterilitate.] Plinius inter infelicitates Augusti numerat famem, sitimque Italiæ.

Venalitias familias.] Appellatione familiæ seruos contineri eertissimum est, & id traditum à Iuriscõsultis pluribus io locis: vnus etiam seruus oomine familiæ continetur. Inde familiæ venalitiæ seruorum dictæ, quæ venales proponuntur: &, vt author est Quintilianus in octauo, peculiariter accipimus venales pro nouitiis, quum & multa venalia sint: & Iurisconsultus Digestis De ædilitio edicto, venalitiarios eleganter appellat eos, qui venalitia habent mancipia, qui & mangones dicuntur. Cicero venalitios pro venalitiariis, nisi codex mendosus sit, posuisse videtur in Corneliana: cuius verba sunt hæc: Neque diuitiæ me mouent, quibus Africanos & Lælios multi veoalitii mercatorésque superarunt.

M.A N. SAlubrem.] Publicæ, & priuatæ salutis studiosum.

Quàm ambitiosum.] Laudis cupidum.

Scire.] Cognoscere, intelligere posses.

Genero suo Agrippa.] Qui præter cætera ædilitatis suæ opera duas nobilissimas aquas Martiam, & Virginem, hanc nouo ductu, illam veteri instaurato vrbi inuexit, in plurimósque lacus corriuauit. Vrbanè satis, & grauiter populum admoouit, satis prouisum ciuitati ne siti laboraret, si aquarum affatim adesset.

Reposcenti.] Populo.

Bonæ fidei.] Constantis, & non vanæ.

Non promissum.] Congiarium intellige.

Flagitanti.] Impudenter nimis, ac pertinaciter petenti.

Exprobrauit.] Probro dedit.

Destinarat.] Dare proposuerat.

Multos manumissos.] Libertate donatos, vt libertorum multitudine maiorem facerent in congiario accipiendo lucrum.

Insertos ciuium numero.] Inter ciues relatos.

Comp

& lanistarum familias, peregrinósque omnes, exceptis medicis & præceptoribus, partémque seruitiorum vrbe expulisset, vt tandem annona conualuit, impetum se cepisse scribit frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quòd earum fiducia cultura agrorum cessarat, neque tamen perseuerasse, quia certum haberet posse per ambitionem quandoque restitui. Atque ita pòst hanc rem temperauit, vt non minorem aratorum ac negotiantium, quàm populi rationem deduceret.

De spectaculis uarij generis per eum editis. XLIII.



Pectaculorum & assiduitate, & varietate, & magnificentia, omnes antecessit. Fecisse ludos se ait suo nomine quater, pro aliis magistratibus, qui aut abessent, aut non sufficerent, ter & vicies. Fecítque nonnunquam vicatim, ac pluribus scenis per omnium

Comperisset.] Resciuisset.

Quibus promissum non esset.] Proountiauie non se daturum congiarium illis, qui tum, quum id destinasset, non liberi, sed serui essent: qua denuo oatione excludebat omnes, qui per eos dies fuerant manumissi. Siquidem non seruis, peregrinisve congiarium dabatur, sed ciuibus.

Venalitias.] Mangonicas familias. Plinius: Mangonicis venalitiis pulchrè nota: pueros scilicet qui sub mangonibus venales alebantur. Iuuenalis:

Non Phryx, aut Lycius, oon à mangone peritus.

Martialis:

-Pro puero centum me mango poposcit.

Afranius, quia homines in mercis appellationem haud venire credidit, mangones nõ mercatores, sed venalitiarios appellãdos putauit.

PHIL. Lanistarum.] Lanistas habuisse famibas gladiatorias, quas munerariis, id est, editoribus muneris gladiatorii venditabant, docuimus in primo Commentario.

Seruitiorum.] Seruorum. Nihil enim differt, seruũ dicas, an seruitium.

Annona conualuit.] Abuodantia & copia rei frumentariæ cœpit reualescere. Appellatione annonæ non solùm alimoniam frumenti, sed cæterarum quoque frugum contineri, alibi docuimus. Vnde & annona macelli dicta: & Iulius Capitolinus vrbicas annonas appellat omne genus vrbaoorum alimentorum. Dicuntur & annonæ præscripta præfinitáque ad certam mensuram alimenta annua, quæ dabantur binæ & ternæ miliiibus, aliísque honoris causa. Ait Lampridius, Alexandrum dedisse annonas binas & ternas medicis.

Impetum se eepisse.] Ita Ooidius:

-Io medias impetus ire vias.

Frumentationes publicas.] Largitiones illas frumentarias significat, qoæ per tesseras singulis meosibus populo dari solebant.

Cultura agrorum cesserat.] Melius legendum videtur cessauerat: nanque dum eonfidunt plebeii se accepturos tesseras frumentarias à principe, agricolatione supersedent: & ita agrorum cultora deseritur.

Restitui.] Scilicet publicas frumentationes.

Per ambitionem.] Tanquam secututi principes, velut ambitiosi, & popolaris auræ captatores essent restituturi frumentationes. Cicero miserrimam omnino esse dixit ambitionem.

Aratorum.] Quum ex agricolatione consistant ciuitates, in primis Augustus rationem aratorũ habendam esse duxit, & negotiatorum frumentariorum: sicut olim in Sicilia aratorum à Senatu Romano ratio in primis habita est: prout docet Cicero in Frumentaria. Ibi annotandum, aratores accipi non pro colonis, agricolísque (vt ferè omnes existimant) sed pro viris oobilibus, qui arationes maximas habebant, potissimùmque in Sicilia, qui decumas frumenti soluebant ex lege hieronica, qui copia rei frumentariæ alebant Romanã plebem. De his loquitur Marcus Tullius, quum grauiter insectatur Verrem, quòd aratores in Sicilia vexauerit, spoliaueritque homines honestissimos, & locupletissimos, ooo solùm Siculos, sed etiã Romanos ciues. Longa est apud eundẽ de aratoribus his, luculentáque enarratio. De quibus & Tranquillus in hoc loco sentit, vbi & negotiantiũ nomine priuatim significantur negotiatores frumentarii, quos idem Marcus Tullius ab eodem Verre vexatos refert, scribens de frumento decumano, & empto.

Non sufficerent.] Non tolerarent impensam, quã exigunt ludi, apparatúsque ludorum.

Vicatim.] Per vicos.

Varietate spectaculorum.] Delectant populum nõ tam assidua spectacula, quàm varia: quoniam varietas rerum omnium dulcissima est, vt inquit Aristoteles in septimo Ethicorum. Et, vt author est Quiotilianus io primo, reficit animos, ac reparat varietas ipsa: sicut in cibis, quorum varietate reficitur stomachus, & pluribus minore fastidio alitur. Igitur Augustus & assidoitate, & varietate ludorum, oblectabat, hilarabátque Romanum populum voluptati ludicræ vehementer addictum. Liuius ludicrum copia, & varietate celebratum tradit libro vndequadragesimo.

Pluribus scenis.] Scenici ludi significantur, qui per plures scenas exhibiti sunt. Scribit Vitruuius, tria esse geoera scenarum: tragicum, comicum, satyricum. Tragica scena deformatur signis & regalibus rebus. Comica ædificiorum priuatorum habet speciem: Satyrica ornatur arboribus, & speluncis, & rebus agrestibus.

M. A N. Lanistarum familias.] Gladiatorias intellige, vt mangones venales pueros alebant, ita lanistæ gladiatores.

Peregrinos.] Non cioes. Peregrinus olim hostis dictus, vt Varro, & Cicero docent.

Seruitiorum partem.] Quorum opera ciues noo ita commodè carere poterant.

linguarum histriones, non in foro modò, nec in amphitheatro, sed in Circo, & in septis, & aliquãdo nihil, præter venationem, dedit. Athletas, extructis in campo Martio sedilibus ligneis, item nauale prælium circa Tyberim cauato solo, in quo nunc Cæsarum nemus est. Quibus diebus custodes in vrbe dispósuit, ne raritate remanentium grassatoribus obnoxia esset. In Circo aurigas, cursorésque, & confectores ferarum, & nonnũquam ex nobilissima iuuentute produxit. Sed & Troiæ ludum edidit frequentissimè magnorum minorúmve puerorum delectu, prisci decorique moris existimans, claræ stirpis indolem sic notescere. In hoc ludicro Caium Nonium Asprenatem lapsu debilitatum aureo torque donauit, passúsque est, ipsum, posterósque Torquati ferre cognomen. Mox finem fecit talia edendi, Asinio Pollione oratore grauiter, inuidioséque in curia questo

edidit

Annona conualuit.] In pristinum rediit statum, vbi caritas illa annonæ remisit. Plinius: Fames, & sitis Italiæ. Nam & hæc quoque ab illo inter Augusti infortunia reponuntur.

Frumentationes publicas.] Consuetudinẽ frumenti publice distribuendi.

Per ambitionem.] Ambitiosa principum gratificatione.

Vt non minore aratorum, ac negotiantiũ.] Vt agros non paucióres colerent, forísque negotiarentur, quàm populi exigeret magnitudo.

Non sufficerent.] Sumptus pares essent.

PHIL. In septis.] Septa loca erant in cãpo Martio, authore Seruio, inclusa tabulatis: in quibus stans populus Romanus suffragia ferre consueuerat. Scribit Plinius lib. XVI. trabem relictam fuisse à Marco Agrippa in porticibus septorum. De his Martialis:

In septis Mamura diu, multúmque vagatus.

Ausonius in Panegyrico:

Non passus septa, non campum, non suffragia, non loculos. In notis Seruii non pauca leges de septis à nobis iam pridem non incuriose perscripta.

Athletas.] Repete quæ dicta sunt superioribus de spectaculis Iulii Cæsaris. Refert Liuius, athletarum certamen primò Romanis spectaculo fuisse, quando à Marco Fuluio exhibitum fuit. Quintilianus in XII. tradit athletarum corpora, etiam si validiora fiant exercitatione, & lege quadam ciborum, nõ tamen esse naturalia. Galenus ait, vitam & artem athletarum saginam esse, nec eos diu viuere posse, nec sanos esse. Idem refert, ἐυεξίαν, id est, bonam corporis habitudinem esse fallacem in athletis.

Extructis sedilibus.] In quibus spectatores athleticorum certaminum considerent.

In vrbe dispósuit.] Campus Martius erat inter vrbem & Tyberim: & quum in eo ludi athletarum exhiberentur, vrbs penè inanis relinquebatur. De cãpo Martio hæc Liuius: Ager Tarquiniorum, qui inter vrbem ac Tyberim fuit consecratus Marti, Martius deinde campus fuit.

Obnoxia.] Subiecta.

Grassatoribus.] Latronibus, subsessoribus. Antiquitus qui ad conuiuia se adplicabat, is grassator vocabatur.

Confectores ferarum.] Conficere, interdum significat & frangere: inde confectores ferarum dicti, qui aduersus feras congrediuntur, eásque trucidant. Vergilius: Nunc vulnus acerbum Conficit. A Lucilio dicti confectores cardinum, pro fractores.

Puerorum delectu.] Idem fecit Iulius Cæsar, qui Troiæ ludum celebrari voluit per maiores minorésq; pueros.

Indole.] Indoles propriè specimen est futuræ virtutis, quæ in pueris peculiariter collucet. Apud Valeriũ caput est de indole, vbi puerorũ exempla tãtummodo referuntur. Silius:

Indole prô quãta iuuenis.

Quintilianus: Indoles læta melior, generosísque conatus. Interdum accipitur pro ipsa virtute.

Ludicro.] Spectaculo Troiæ. Vergilius præmia ludicra appellauit vilia, & digna ludo, vt interpretatur Seruius.

Torquati ferre cognomen.] Sicuti Titus Manlius à torque, quem detraxit Gallo, ipse, posterique eius, Torquati sunt cognominati: ita Augustus permisit, Nonium Asprenatem, & eius posteros, Torquatos cognominari. Seneca in libris Controuersiarum, meminit Asprenatis declamatoris, eiúsque declamationes interserit. Olim Cassius Seuerus accusator obiecit Asprenati reo, centum triginta conuiuas ipsius veneno interiisse. Torque autem nõ solùm ad ornatum pectoris, & colli vtebantur, sed etiam brachiorum: & talis dicebatur torquis brachialis. Militibus ob virtutis præmiũ dabatur torquis aureus: dicebantúrq; torquati simplares, vel duplares, ab annonis, quas modò simplas, modò duplas consequebantur.

M. A N. Amphitheatro.] Statilii Tauri. Posses & Cæsaris intelligere, si vera sunt, quæ Cornelius tradidit.

In septis.] In campo Martio: & si legere est apud quosdam septa, seorsum à campo.

Sedilibus.] Vt commodius athletarum certamina spectarentur.

Cæsarum nemus.] Quod fuit in parte Martii campi. Strabo de Mausoleo Augusti: A tergo, ait, lucus est mira continens ambulacra.

Grassatoribus.] Latronibus.

Claræ stirpis.] Nobilium puerorum.

In hoc ludicro.] Troia: de quo abundè in Cæsare.

Asprenatem.] Hirtius, siue Oppius in Commentariis, Quum equites, inquit, ex Italia cum Asprenate ad Cæsarem venissent.

Lapsu.] Graui casu.

Debilitatum.] Et ad animum referri potest, & ad corpus.

Torquati ferre cognomen.] Vetustum tamen inter Romanos non recens, vt alio est loco demonstratũ. Ouidius in Fastis, Liuius, & Gellius id testantur.

Inuidiosè.] Tam grauiter, vt ex ea re Augusto inuidia fieret. Asinio Pollione.] De eo Fabius pluribus locis, & Vergilius in Bucolicis:

Pollio & ipse facit noua carmina.

Esernini nepotis sui casum; qui & ipse crus effregerat. Ad scenicas quoque & gladiatorias operas & equitibus Romanis aliquando vsus est, verum prius quàm Senatusconsulto interdiceretur: postea, nihil sanè, præterquam adolescentulum Lucium honestè natum exhibuit, tantùm vt ostenderet, quòd erat bipedali minor, librarum septendecim, ac vocis immensæ. Quodam autem muneris die, Parthorum obsides tunc primùm missos, per arenam mediam ad spectaculum induxit, supérque se subsellio secundo collocauit. Solebat etiam citra spectaculorum dies, si quando quid inusitatũ, dignúmque cognitu aduectum esset, id extra ordinem quolibet loco publicare,

PHIL. Esernini nepotis sui.] Seneca lib. I I I. Declamationum, de Esernino Marcello Pollionis nepote hæc refert: Marcellus Eserninus Pollionis nepos, quamuis puer, iam tantæ indolis erat, vt Pollio ad illum pertinere successionem eloquentiæ suæ crederet, cùm filium Asinium Gallum relinqueret oratorem. Idem in libris Controuersiarum eiusdem meminit inter declamatores, & ex declamatiõibus ipsius inserit sententias. De eodẽ loquitur Cor. Tacitus sic scribens: Facile Asiniũ & Messalam inter Antonium & Augustum bellorum præmiis refertos, aut ditium familiarũ hæredes Eserninos, & Aruncios magnum animum induisse.

Casum.] Lapsum.

Ad scenicas operas.] Scribit Augustinus in I I. de ciuitate Dei, scenicos actores, & artes ludicras in magnò fuisse honore apud Græcos: cùm apud Romanos probrosæ haberentur omnes operæ scenicæ, & id genus hominum tribu amoueri, ac censoria nota notari voluerint. Præterea apud Iurisconsultos lib. I I I. Digestorum scriptum legimus, eos, qui in scenam ob præmium prodierint, & omnes, qui operas suas locauerint arti ludicræ, famosos esse. Attamen Augustus equites Romanos operas & scenicas, & gladiatorias exercere voluit, quamuis id foret ignominiosum.

Interdiceretur.] Tũc planè cessauit exhibere equites Romanos ad operas scenicas, cùm propter Senatusconsultum foret id interdictum, vetitúmque.

Bipedali minor.] Cuius statura duos pedes nõ implebat. M. Antonius triumuir Sisyphum pumilionem habuisse fertur intra bipedalem staturam, ingenio tamen viuacem. Fuit & sub diuo Augusto alter minimus homunculus binûm pedum & palmi altitudinem non excedẽs, Conopas nomine, in deliciis Iuliæ neptis eius. Manium quoque Maximum, & M. Tullium equites Romanos binûm cubitorũ fuisse author Varro: quos Plinius vidisse se refert in loculis asseruatos.

Librarum septendecim.] Hoc erat pondus illius corpusculi.

Vocis immensæ.] Poterat huic meritò accommodari illud à Spartano de luscinia dictum: Vox est, & præterea nihil. Magnitudo vocis, vt inquit Galenus in Microtechni, fit propter amplitudinem fistulæ spiritalis, quam medici cannam pulmonis vocant. Aetate Quintiliani fuit orator nomine Trachalus, voce tam felici, & sonora, vt superaret omnes tragœdos, vt audiretur, laudaretúrque ex quatuor tribunalibus.

Muneris.] Spectaculi gladiatorii. Nam munera ludos gladiatorios significare, superius satis docuimus.

Parthorum obsides.] Filii, nepotésque Phraatis Parthorum regis obsides Augusto dati fuerunt.

Per arenam.] scilicet spectaculi. Inde arenarii dicti gladiatores, qui in arena depugnant. Author est Iulius Firmicus lib. V I I I. Matheseos, arenarios nasci eos, qui caniculam habuerint in horoscopo. Iuuenalis:

Municipalis arenæ
Perpetui comites.

Nos vero forum arenam appellamus: quia illhic sic depugnant actores causarum, vt in arena gladiatores digladiabantur. Seneca: Hoc ita habitum est, scholam quasi ludum esse, forum arenã. Hinc Plinius arenã suam eleganter appellat centumuiros: quoniam in iudicio centumuirali certabat frequenter telis oratoriis.

Secundo subsellio.] Subsellium dici Varro ait sedile, quod non planè sit sella: sicut subsipere, quod non planè sapit. Ista enim particula sub, vt aiunt grammatici, significat temperamentũ. Bisellium verò dixere, in quo duo sederent.

Super se.] Tanquam in honoratiore loco.

Citra dies.] Hæ particulæ citra, intra, vltra, vt inquit eleganter Gellius, sunt quasi conterminæ, iunctis inter se finibus cohærentes: & apud veteres singularibus syllabis appellabantur, in, cis, vls: dicebatúrque cis Tyberim, & vls Tyberim: mox dici cœptum est citra Tyberim, & vltra Tyberim: & intra Calendas, citra Calendas, quod est ante diem Calendarum. Itidem citra spectaculorum, significat ante dies dicatos ex more spectaculis, & quando non erat tempus spectaculorum edendorum. Suprà docuimus etiam accipi pro sine: vt, citra musicen, sine musica: citra fastidium. & illud Senecæ: Ede citra cruditatem, bibe citra ebrietatem.

M. AN. Crus effregerat.] Sic eleganter à maioribus vsurpatum potius, quàm sibi fregerat: siquidem fregi pedem dixerunt, fregi brachium.

Ex equitibus.] Ex honesto ordine ad gladiaturam, & histrionicam admisit, non sine Romani nominis ignominia.

Interdiceretur.] Quò minus vt antea admitterentur.

Locium.] Quidam Lycium habent: sed non procedit, nam Romanum hunc intelligas oportet: quum sit sensus, Augustum post decretum illud patrum abstinuisse à quoquam Romani sanguinis in arenam producendo, aut in spectaculum: præterquam ab adolescentulo vno, qui enormis fuit paruitatis.

Ostenderet.] In conspectum daret.

Bipedali.] Statura scilicet.

Librarum septendecim.] Ac per hoc portentosæ paruitatis.

Muneris die.] Gladiatorio spectaculo. Iuuenalis: Munera nunc edunt.

Per arenam.] Imam theatri partem, vt magis conspicui essent.

Subsellio secundo.] Secundo ab eo, vnde ipse spectabat: aut, quod magis placet, secundo, quia primus Senatorio ordini vacaret.

Citra spectaculorum dies.] Legitimo spectaculorum tempore non expectato.

vt rhinocerotem apud septa, tigrim in scena, anguem quinquaginta cubitorum pro comitio. Accidit votiuis Circensibus, vt correptus valetudine, lectica cubans, thensas deduceret. Rursus commissione ludorum, quibus theatrum Marcelli dedicabat, euenit vt, laxatis sellæ curulis compagibus, caderet supinus. Nepotum quoque suorum munere, quum consternatum ruinæ metu populum retinere & confirmare nullo modo posset, transiit è loco suo, atque in ea parte consedit, quæ suspecta maximè erat. Spectandi

PHIL. RHinocerotem.] Rhinoceros, animal est vnicum habens in nare cornu. Hic genitus est hostis elephanto: cornu ad saxa limato præparat se pugnæ: in dimicatione aluum maxime petit, quam scit esse molliorem. Longitudo ei par: crura multò breuiora sunt, color buxeus. Rhinocerota primum ludis Pompeii Magni visum esse Plinius Solinúsque notificant. Olim Romæ Philippus Imperator exhibuit ludis secularibus inter cæteras feras vnum rhinocerotem, cùm millesimum annum vrbis Romæ celebraret. Falluntur, qui existimant monocerotem, & rhinocerotem esse eundem. Docet apertissimè Plinius in octauo quid distet alter ab altero.

Apud septa.] De septis copiose jam dictum est.

Tigrim.] Idem Philippus, authore Iulio Capitolino, decem tigres Romæ exhibuit in ludis. Est autem tigris animal velocitatis tremendæ, & maximè cognitæ, dum capitur. De tigride Plinius, Solinus, Albertus Magnus, & Ambrosius lib. v i. Examerì, luculentissimè scripserunt. Tigrim Medi appellant sagittam. Vnde à celeritate Tigris fluuius nomen accepit. De hac tigri ab Augusto publicata, hæc Plinius in v i i i. Diuus Augustus Quinto Tuberone, Quinto Fabio consulibus, i i i i. Nonas Maii theatri Marcelli dedicatione tigrim primus omnium ostendit in cauea mansuefactam.

Pro comitio.] Quid sit comitium, declarauimus in Iulio Cæsare. Comitium fuisse tectum, quo tempore Annibal venit in Italiam, memoriæ proditum est. Hæc autem particula pro, modò ante, modò in significat: sicuti pro rostris, pro muris: de cuius particulæ varietate luculentum caput est apud Gellium lib. x. Noctium Atticarum: & à nobis ante dictum est. Miror, Tranquillum omisisse quadringentas viginti pantheras Romæ ab eodem fuisse monstratas.

Votiuis.] Quos vouerat Augustus. Cicero in secunda Verrinarum ludos votiuos appellat, quos, vt inquit Asconius, Pompeius vouerat, si Sertorium superasset. Liuius in x x x i i i i. Ver sacrum, ludique votiui, quos vouerat Seruius Sulpitius Galba consul, facti.

Thensas.] Sacra vehicula, quæ in Circensi pompa deferebantur. De thensis superius copiose scripsimus.

Anguem quinquaginta cubitorum.] Megasthenes scribit, in India serpentes in tantam magnitudinem adolescere, vt solidos hauriant tauros, ceruósque. Angues, authore Plinio, venenati non sunt, nisi per mensem Luna instigati. Inesse anguibus remedia multa creduntur, & ideò Aesculapio dicantur. Cubitum verò constare ex sex palmis, digitisque vigintiquatuor, testis est Vitruuius in tertio. Sesquipes, hoc est, pes vnus cum dimidio, facit cubitum. Pes est sexta pars altitudinis in corpore nostro: cubitus quarta. Est præterea cubitus Regius, qui maior est cõmuni cubito tribus digitis, sicuti refert Herodotus in primo. Est & cubitus geometricus, qui tantum valet, quantum sex nostra cubita: vt Origenes, Augustinúsque prodiderunt.

Lectica cubans.] Iacens: aliâs ægrotans. Horatius:

Trans Tyberim lõgè cubat is, prope Cæsaris hortos.

Hinc iocus ille Plautinus in Casina: Est ei quidam seruus, qui in morbo cubat: imò hercle verò in lecto, ne quid mentiar.

Deduceret.] Comitaretur religionis causa.

Laxatis compagibus.] Commissuris resolutis, quibus sella curulis erat compacta, atq; connexa, qua gestabatur Augustus.

Munere.] Spectaculo.

Consternatum.] Pauefactum, perturbatum.

Suspecta maximè esset.] Quæ ruinam in primis minari videbatur: vt princeps in loco subiecto ruinæ confidens cohiberet tumultuantes.

M. AN. RHinocerotem.] Rhinoceros Pompeii, vt Plinius scribit, munificentia primùm Romæ conspectus est: illi in nare cornu: alter hic genitus hostis elephãto, coloris buxei, crura elephãtinis breuiora, par lõgitudo.

Apud septa.] In campo.

Tigrim in scena.] Hyrcani, & Indi ferunt id animal, de cuius velocitate, & tremenda sæuitia idem author plura, sed tum maximè truculentum, quum catuli ei adimuntur. Iuuenalis:

Tunc orba tigride peior.

Papinius:

Citius me tigris abactis
Fœtibus, orbæsique velint audire leones.

Pro comitio.] In comitio: loco inter Palatium, & Capitolium celebri: à coëundo dicto, quòd eò, vt Plutarcho placet, Romani & Sabini ad sanciendam inter se pacem coiuerint.

Votiuis.] Quos ipse, vt suprà ostendit, vouerat Ioui Optimo, si Reipublicæ status post cladem in Germania acceptam melior factus esset. Nam Circenses, & magni ludi iidem erant.

Circensibus ludis.] Non quia in Circo tantùm fierent, dictis: nam Claudius in Vaticano sæpius Circenses edidit: sed ab eo quòd hinc ensibus dispositis, inde ripa fluminis obiecta, velut clauso quodam, vt Seruius scribit, loco committerentur: quanquàm, eodem authore, ab agitatorũ circũactu quidam dictos existimarint.

Thensas.] Vehiculum, in quo sacra Circensi pompa deferebantur.

Deduceret.] Religiose sequeretur.

Curulis sella.] Romanorum magistratuum insigne: ab eo, vt quidam tradunt, quòd curru locata veheretur. Plutarchus à pedum curuatione dictã existimauit.

Nepotum.] Caii, & Lucii.

Ruinæ.] Quam theatrum minabatur.

Confirmare.] A metu, & consternatione reuocare.

Ea parte.] Theatri. Plinius lib. xxxvi. cap. xv. de theatris: Hic (de M. Scauro loquitur) fecit in ædilitate sua opus maximum omnium, quæ vnquam fuere humana manu facta, nõ temporaria mora, verùm etiam æternitatis destinatione: Theatrũ hoc fuit. Scena ei triplex altitudine, ccclx. columnarum, in ea ciuitate, quæ sex hymettias nõ tulerat sine probro ciuis amplissimi. Ima pars scenæ è marmore fuit, media è vitro, inaudito, etiã postea, genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis, &c.

Consu

confusissimum atque solutissimum morem correxit, ordinauítque, motus iniuria Senatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos consessu frequenti nemo receperat.

De ordine subselliorum in spectaculis. XLIIII.


Acto igitur decreto patrum, vt quoties quid spectandi vsquam publicè ederetur, primus subselliorum ordo vacaret Senatoribus: Romæ legatos liberarum sociarúmque gentiū vetuit in orchestra considere, cùm quosdā etiā libertini generis mitti deprehendisset. Militem

PHIL. COnfusissimum.] Cùm sine discrimine nobiles, ignobilesque commisti spectarent. Olim Africanus Scipio, cùm in promiscuo omnes spectarent, loca Senatorum secreuit, separauitque à locis plebeiorum: propter quod facinus maximo odio plebeii Scipionē insectati sunt. Author est Liuius, ad quingentesimum octauum annum ab origine vrbis in promiscuū spectatum esse. In ludis, quos Attilius Serranus, & Scribonius Libo ædiles fecerunt, Senatus primùm à populo secretus spectauit: tunc sermones indignantium exorti sunt: quid repentè factum, cur immisceri sibi in cauea patres plebem nolint? cur dites pauperem consessorem fastidirent. Africanum, quòd author eius rei fuisset, pœnituisse ferunt: tanquam omnia discrimina talia, quibus ordines discernuntur, & concordiam minuant, & libertatem.

Puteolis.] Puteoli olim colonia dicæarchia: dicti à Iustitia, propterea quòd ea ciuitas quondam iustissimè regebatur. Græci Δίκην iustitiam vocant, & ἀρχὴν principatum. Puteolos verò dictos putant ab aquæ calidæ putore: quidam à multitudine puteorum: super quo M. Varro sic scribit in primo Latinæ linguæ: A puteis oppidum Puteoli, quòd sint circa eum locum aquæ frigidæ, & calidæ multæ: nisi à putore potius, quòd putidus sit locus odoribus sæpe ex sulphure, & alumine. Puticuli autem sepulcra sunt vetustissimi generis, dicti à puteis, quòd ibi in puteis obruebantur cadauera: vel ab eo quòd in his corpora putescerent. Romæ vltra Exquilias fuit locus publicus dictus Puticuli, quoniam illhic erat commune sepulcrum miseræ plebi: vt ostendit Horatius in Sermonibus.

Nemo receperat.] Olim idem euenerat seni Atheniensi, qui in Panathenæis spectaculis à nullo sessum recipiebatur, tandem à Lacedæmoniis, qui seniores in primis venerabantur, receptus est cum maximo plausu populari. Tunc quendam Lacona dixisse ferunt: Per deos, Athenienses sciunt quæ honesta sunt, non autem faciunt. Similiter in Olympiis ludis quidam olim senex vbi sederet non habebat: ad multos verò profectus consessorum explodebatur ab omnibus: tandem cùm ad Lacedæmonios venisset, pueri omnes Laconici assurrexere, viríque complusculi loco cesserunt seni: qui, cæteris Græcis id facinus plausu & admiratione efferentibus, mouens caput & barbam lacrymabundus inquit: Heu me miserū, vt Græci omnes nouerunt quæ honesta sunt, sed his soli vtuntur Lacedæmonii. Quoniam incidit mentio Panathenæorum, obiter annotandum videtur, cur ab Isocrate dicat Cicero conscriptum esse librum, cui titulus esset Panathenaicus. Panathenæa, sunt ludi gymnici in honorem Mineruæ Athenis celebrati. Primus Theseus, authore Plutarcho, instituit Panathenæa, quod est Mineruæ festum, communísque celebritas: vnde & nomen. Nam Græci Ἀθηνᾶν vocant, quam nostri Mineruam nuncupauerunt. De hac festiuitate sic ait Eusebius chronographus: Agon gymnicus, quem Panathenæon vocant, Athenis actus. Scribit Thucydides in sexto, Hipparchum fuisse occisum ab Harmodio, & Aristogitone tyrannicidis, dum pompa magnorum Panathenæorum ordinatur ab Hippia. Panathenæorum mentio fit à Platone in Parmenide: ab Aristophane in Nephele: ab aliísque luculentis scriptoribus. Igitur Isocrates, ex cuius schola, tanquam ex equo Troiano innumeri principes prodierunt, librum condidit, in quo explicabātur Panathenæa, festiuitatesque Atheniensium: vnde inscriptio Panathenaici. Est prætereà Panathenaicon vnguenti genus peculiare Atheniensiū: quod, vt inquit Plinius in XIII. Athenæ perseueranter obtinuere. Scribit Suidas, vt id tanquā auctariū sit, duplicem fuisse festiuitatē Panathenæorū, alteram anniuersariam, alteram quinquennalem, quæ & magna Panathenæa vocabantur: quæ primus Erichthonius in honorem Vulcani & Pallados instituit.

Subselliorum ordo.] Dictum est suprà, subsellia esse sedilia iudicialia, minorúmque magistratuum: hic verò ordo subselliorum accipitur pro cuneo theatrali, hoc est, ordine, quo in spectaculis spectatores ludos spectare consueuerunt. Existimat M. Varro subsellium dici, quod non planè erat sella: sicut subsipere, quod non planè sapit. Hæc enim particula sub, (vt grammatici tradunt) significat temperamentum.

In orchestra.] Quo in loco Senatorum sunt sedibus loca designata.

Quosdam.] Legatos.

Militem.] Milites. Singularis numerus pro pluratiuo: quæ locutio frequēs est apud Poëtas & Historicos.

M. AN. COnfusissimum.] Ordinibus, sexu, & ætate indiscretis.

Puteolis.] Dicæarchia olim Puteoli dicti: Plinius est author. Papinius:

Celsa Dicarchæi speculatrix villa profundi.

Puteoli inde dicti à puteorum frequentia: vel à putore, vt Varro, & Strabo scribunt: litorale id Campaniæ oppidum.

Celeberrimos.] Frequentissimo hominum conuentu editos.

Nemo receperat.] Consessum receperat: quo nomine Athenienses à Lacedæmonum legatis increpiti dicuntur: qui quum quendam grandem natu virum à nullo in publico spectaculo admissum ad se recepissent, essetque ob id illis ex tota cauea applausum, Vos, eorum vnus inquit, Athenienses, quid sit rectè facere didicistis, sed præstare minimé.

Vacaret.] A nullo occupatus pateret.

In orchestra.] Orchestra, vt Vitruuius ait, loca erant Senatorum designata. Festus locum in scena esse tradidit, sed locus erat eminentior, & ad spectandum constructus. Erat enim in scena prosceniū, id est, locus ante scenā porrectus, vbi pulpitum excitatum erat, quò actores fabularū prodirent, ita vt scena altior esset pulpito, pulpitū autem altius orchestra: quę ipsa locus erat saltantiū, ob id orchestra dicta, quasi saltatorium.

Libertini generis.] Ad ingenuæ fortunæ differentiā.

secreuit à populo. Maritis è plebe proprios ordines assignauit: prætextatis cuneum suum, & proximum pædagogis. Sanxítque, ne quis pullatorum media cauea sederet. Fœminis ne gladiatores quidem, quos promiscuè spectari solenne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit. Solis .virginibus Vestalibus locum in theatro separatim, & contra prætoris tribunal dedit.

PHIL. SEcreuit.] Separauit. Voluit enim vt in spectaculis milites sederent separati à popularibus.

Maritis è plebe.] Refert Gellius in secũdo Noctium Atticarum, antelatos esse quibusdam in rebus eos, qui vxores, qusque liberos haberent, senioribus neque liberos, neque vxores habentibus. Capite v t s. legis Iuliæ continebatur, vt priori ex consulibus fasces sumendi potestas fieret, qui maritus, autqui in numero esset maritorum.

Prætextatis.] Pueris ingenuis, quibus ex instituto vetusto vt toga prætexta vterétur, indultum fuit. Super qua re superius satis ac super.

Cuneum.] Cunei, sunt ordines graduũ theatralium, in quibus sedent spectatores: quorum meminit Vitruuius in v. de Architectura his verbis: Cunei spectaculorum in theatro ita diuidantur, vt anguli trigonorum, qui currunt circa curuaturam circinationis dirigant ascensus, scalásque inter cuneos ad primam præcinctionem. Inde theatrum eleganti epitheto cuneatum dicitur à Vergilio illo versu:

- Cuneati hinc læta theatri Seditio. -

De cuneis theatralibus loquitur Martialis:

Aera sed à cuneis vlteriora petis.

Et Iuuenalis:

- Cuneis an habent spectacula totis.
Quod securus ames. -

In alio significatu cuneus est ordo militaris: de quo Vergilius:

Disiecti cunei desolatíque manipli.

Cunei formam ita scribit Vegetius libro tertio rei militaris: Cuneus dicitur multitudo militum, quæ primò angustior, deinde latior procedit, & aduersariorum ordines prorumpit: milites caput porcinum nominant. Vegetio adstipulatur Ammianus sic scribens lib. xvII. Desinente in angustum fronte: quem habitum caput porci simplicitas militaris appellat. Translatum est autem id vocabulum ab ea re, cuius imaginem repræsentat: vt docet Gellius in tx. Est enim cuneus instrumentum, quod scindendis lignis est peculiariter accommodatum: de quo ait poëta:

- Cuneis scindebant fissile lignum.

A cuneo fit verbum cuneatur, quo vtitur Plinius cùm ait in tertio, quòd Hispania cuneatur angusthiis. Inde aduerbium quoque cuneatim deriuatur. Ammianus: Imperator cuneatim stipatus. A Liuio eleganter forma scuti cuneatior appellatur, cuius summum latius, imum strictius erat. Per translationem venustè dictum est à Cypriano: Stipatus clientum cuneis. Et ab Apuleio non inscitè excuneati dicti, quibus sedendi locus non fuit in cuneis confertis. A Plinio conchæ discuneatæ nominantur, quasi immisso cuneo apertæ ac patentes; sicut ligna diducta fiunt, & hiantia adactis cuneis.

Pædagogis.] Scribit Iurisconsultus, pædagogos nomine comitum contineri: &, vt author est Donatus, quem Latini magistrum, hunc Græci παιδαγωγὸν appellant. Quales esse debeant pædagogi, docet Quintilianus in primo.

Pullatorum.] Eorum, qui essent atrati: ita enim appellantur, qui pullas vestes, hoc est, nigras induunt. Spectaculis autem albati interesse solebant. Inde iocus ille est Epigrammatici poëtæ:

Albis spectat Horatius lacernis.

Quidam codices habent bullatorum: & tunc ad pueros ingenuos, qui bulla aurea vtebãtur, erit referendũ.

Cauea.] Cauea theatralis est consessus, vbi populus spectat. Plautus in Amphitruone: Vt conquisitores singuli in subsellia erant per totam caueam spectatoribus. Cyprianus in epistola ad Donatum, Spectabãt, inquit, filios suos parentes: frater in cauea, & soror præsto est. Maro in v t s s.

Consessu caueæ magnis Circẽsibus actis.

Promiscuè.] Indifferenter, nullo discrimine.

Nisi à superiori loco.] Causa honestatis noluit Augustus vt fœminæ gladiatoria certamina spectare possent, nisi ex loco superiore, qui remotior erat ab arena, in qua gladiatores digladiabantur. Scire autem debes quòd munera gladiatoria in foro dabantur in Italia, sicuti docet Vitruuius libro quinto de Architectura.

Contra prætoris.] Ex opposito, & è regione prætoris, qui præest ludis.

M. AN. SEcreuit.] Diuisit.

Maritis è plebe.] Plebeiis vxorem habentibus: nã equitibus, & patribus sua vtrisq; discreta erant loca.

Prætextatis.] Pueris prætextam adhuc habentibus. Prætexta, quia purpura prætexeretur, dicta: olim regum, summorúmque magistratuum insigne: mox & pueris concessum. Tarquinius Priscus filium, quia Sabino bello strenuè in hostem pugnasset, prætexta, & bulla insigniuit: Macrobius, Dionysius, & Plinius sunt authores.

Cuneum.] Sunt, qui cuneum pro multitudine accipiant, quæ nullo ordine spectaret. Vitruuius verò locum esse demonstrat, eùm non minus semipede dicat extare oportere. Vergilius:

- Hunc plausum hiantem Per cuneos. - Iuuenalis:

- Cuneis an habent spectacula totis
Quod securus ames. -

Pædagogis.] Puerorum magistris, siue custodibus, ἀπὸ τοῦ ἄγειν τὸν παῖδα id est, à puero ducendo.

Ne quis pullatorum.] Quia in togis, quæ plurimùm erant albæ, spectare moris fuit: vt suprà ostendimus.

Cauea.] Populi consessu, vt Seruio placet: siue locus, vnde populus spectat. Vergilius:

- Raptas sine more Sabinas
Consessu caueæ. -

Plinius de Scauri theatro; Cauea ipsa cepit hominum octoginta millia. Cassiodorus: Cauea illa saxis pendentibus absidatis ita iuncturis.

Promiscuè.] A maribus & fœminis promiscuè sedentibus.

Ex superiore loco.] Ex remotissima theatri parte, maximéque ab arena remota.

Solis.] fœminarum. Virginibus Vestalibus.] quæ sex erant numero. De earum captura, & ministerio Gellius: Plerique autem capi virginem debere dici putant. Sed flamines quoque Diales, item pontifices & augures capi dicebantur. Virgo Vestalis Amata inter capiendum à Pontifice Max. appellatur, quoniam quæ primò capta est, hoc nomine fuisse traditum est.

Athle

Athletarum verò spectaculo muliebrem sexum omnem adeò summouit, vt pontificalibus ludis pugilum par postulatum, distulerit in sequentis diei matutinum tempus, edixerítque, mulieres ante horam quintam venire in theatrum nõ placere.

De locis, unde ipse spectacula cernebat, & tempore. XLV.

Pse Circenses ex amicorum ferè libertorúmque cœnaculis spectabat, inter-

PHIL. Athletarum spectaculo.] De athletis satis multa superius explicata sunt. Augustus ideò noluit fœminas interesse spectaculo athletarum, quoniam nudi exercent corpora. Primi Lacedæmonii, authore Thucydide, corpora certaturi nudauerunt, propalàm se exuentes, oleóque vnxerunt, cùm olim in Olympiaco certamine athletę subligacula circum verenda habentes depugnarent. Refert Augustinus in decimoquarto iuuenes, qui nudi exercebantur in campo, pudenda operire solitos esse: vnde qui ita succincti sunt, campestratos vulgus appellat. Dionysius in septimo tradit, athletas velari solitos circa pudibunda, cùm cætera nudarent: quæ consuetudo Romæ diu seruata est, cùm apud Græcos esset dissoluta: quippe apud illos nudari tota corpora cœperunt: nudúsque in Olympiis cucurrit Acanthus Lacedæmonius. Athletarum exercitatores, & palæstricis semper obsequiis deputati nascentur habentes horoscopum in decimaoctaua parte Geminorum, vt tradit Iulius Firmicus in VII. Matheseos. Galenus interpres Hippocratis doctissimus ait, athletas, quorum vita, & ars sagina est, nec posse diu viuere, nec sanos esse, animásque eorum nimio sanguine, & adipibus quasi luto inuolutas nihil tenue, nihil cæleste meditari, sed solam ventris ingluuiem cogitare. Idem memorat Hieronymus in libro contra Iouinianum: & in Decretis canonicis, distinct. vltima de consecratione repertum est. Athletæ antiquitus ficis siccis pascebantur, propterea quòd corpus & vires adiuuant. Pythagoras exercitator primùm ad carnes eos transtulit: vt author est Plinius in XXIII. qui in XI. ait, athletas cibos ambulatione potius debere perficere, quàm somno concoquere. Panis athletarum, vt inquit Galenus, non debet esse nimis coctus. Scribit Cor. Celsus in primo, athleticos cibos nobis esse superuacuos.

Pontificalibus ludis.] Quos ipse pontifex pro pontificatu suscepto exhibuit.

Pugilum par.] Pugiles certatores sunt à pugnando dicti, vt ait Varro, quorum certamen pugilatus appellatur. Ouidius:

- Pollucem pugiles, Castora placet eques.

Inde aduerbium est pugilicè, sicut ab athleta athleticè: quod significat firmiter, & valenter. Plautus in Epidico: Quid herilis noster filius valet? pugilicè, atque athleticè. Græci πύκτας vocant pugiles: qua dictione & nostri vtuntur. Lampridius in Heliogabalo: Gladiatores ante conuiuium pugnantes sibi, & pyctas frequenter exhibuit. Iulius Firmicus in VII. Matheseos ait: Lepus in Geminorum parte septima oritur: hoc sydere nati leuitate corporis aues superare videbuntur. Hunc locum si Luna cũ Marte respexerit, pyctas machærarios faciet. Vbi machærarios intelligi vult, eum machæris, hoc est, gladiis depugnantes. A pycta, id est, pugile pyctale certamen dictum. Seruius pyctale certamen appellat pugnam cæstuum: qua apud Vergilium Dares & Entellus inter se contendunt. Hinc Columella gallinaceum in certaminibus gallorum pugnacem elagantissima translatione pycten vocat: cuius verba subscripsi ex libro VIII. agricolationis: Non rixosarum auium lanistæ, cuins plerunque totum patrimonium pignus aleæ victor gallinaceus pyctes abstulit. Vbi μεταφορικῶς quoque atque decenter lanistam auium dixit eum, qui educat, & erudit, præparátque ferocissimum quenque alitum pugnæ instar gladiatorum. Pergami antiquitus quotannis edebatur spectaculũ gallorum, ceu gladiatorum. Ante horam quintã.] Ideò Augustus ita per edictum publicauit, vt prius spectaculum pugilum, athletarúmque finiretur, quàm mulieres in theatrũ venire possent. Hora enim quinta diei multũ occupat, exacto iam tempore matutino. Et ita consuluit muliebri pudori, & postulationi populi fecit satis. Ex hoc intelligimus, hoc spectaculum fuisse matutinum. Erant enim quædam apud Romanos dicta matutina, quædam meridiana spectacula. Hinc matutinæ feræ dicuntur à Martiale, quæ in matutino spectaculo exhibebantur. Hinc meridiani gladiatores à Tertulliano, qui meridiano ludicro digladiantur. Augustinus in octauo Confessionum pomeridianum spectaculum appellat, quod post meridiem edebatur.

Cœnaculis.] Vbi cœnabant, cœnaculum antiqui vocitabant: sed postquam in superiori parte cœnitare cœperunt, superioris domus vniuersa cœnacula dicta sunt: author Marcus Varro, cui adstipulatur Festus scribens, cœnacula dici, ad quæ scalis ascenditur: ea autem cœnacula inquilinis locare solebant. Hinc illud dictum est:

- Rarus venit in cœnacula miles.

Quo versu significat Satyricus poëta, ad inquilinos, & pauperes, qui in cœnaculis conductis habitare consueuerunt, rarenter mitti à principibus iugulatores. Apud Iurisconsultos scriptum est de his, qui cœnaculariam exercent (vbi cœnaculariam exercere, nihil aliud est, quàm cœnacula locare inquilinis, & eam exercere negotiationem) titulo De his, qui deiecerunt: Si quis cœnaculariam exercens modicum sibi hospitium retinuerit, residuum locauerit pluribus.

M. AN. Athletarum spectaculo.] Quia nudi ferè certabant: quanquàm campestria habentes ab eo sexu spectari noluit.

Pontificalibus.] Quos pro pontificatu maximo post Lepidi mortem recepto edidit.

Pugilum.] Athletarum.

Par.] Duo enim in pugnam committebantur. Sunt qui pugiles pro his solùm accipiant, qui pugnis, & cæstu pugnabant: vt Pollux: Homerus ἰλι. γ.

Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα,
Αὐτοκασιγνήτω, τώ μοι μία γείνατο μήτηρ.

Castorem equorum domitorem, & Pollucem bonum pugnis.

Postulatum.] Par scilicet gladiatorum, vt in arenam introduceretur.

Distulerit.] Protraxerit.

Edixerit.] Edicto denuntiarit.

Ante horam quintam.] Diei intellige: ne pugilum spectaculo interessent.

Cœnaculis.] Eminentioribus ædium partibus, ad quas scalis, aut cochleis ascenditur.

dum è puluinari, & quidem cum coniuge, ac liberis sedens. Spectaculo plurimas horas, aliquando totos dies aberat, petita venia, cōmendatísque qui suam vicem præsidendo fungerentur. Verùm quoties adesset, nihil præterea agebat: seu vitandi rumoris causa, quo patrem Cæsarem vulgò reprehensum commemorabat, quòd inter spectandum epistolis, libellísque legendis, ac rescribendis vacaret: seu studio spectandi, ac voluptate, qua teneri se neque dissimulauit vnquā, & sæpe ingenuè professus est. Itaq; corollaria, & præmia, alienis quoq; muneribus, ac ludis, & crebra, & grādia de suo offerebat: nulliq; Græco certamini interfuit, quo nō pro merito certantiū quenq; honorauerit. Spectauit autē studiosissimè pugiles, & maximè Latinos, nō legitimos, atque ordinarios modò, quos etiam

PHIL. E Puluinari.] E loco religioso. Nam puluinaria, vt suprà dictum est, sunt lectuli, qui sterni in templis consueuerunt: & abusiuè puluinaria pro templis ponimus, vt docet Seruius. Suam vicem fungerentur.] Sensus est: Nolebat Augustus tanquam ἀγωνοθέτης, hoc est præfectus, præsesque ludorū, præsidere spectaculis: sed vt périnde ac priuatus spectator otiosè spectaret, vicem suam præsidendi mandabat aliis, eósque, qui hoc officio fungerentur, commendabat populo. Fungi vicem & officium in accusatiuo dicimus: & id suprà priscorum authoritatibus confirmatum. Inter spectandum epistolis vacaret.] Quoties aliqua re vehementer gaudemus, vt inquit Aristoteles in x. Ethicorum non ferè aliud agemus: at alia faciemus, cùm leuiter delectamur: veluti illi, qui in theatro comedunt, tūc maximè hoc faciunt, cùm inepti sunt pugiles. Igitur Cæsar Dictator vulgò reprehensus fuerat, qui inter spectandum vacaret, hoc est, operam daret epistolis, tanquam popularibus spectaculis parum oblectaretur.

Libellis.] In quibus petitiones supplicum continentur. Ingenuè.] Simpliciter, & apertè. Plinius: Est ingenui pudoris, fateri per quos profeceris.

Corollaria.] Corollarium, vt author est M. Varro lib. primo de lingua Latina, significat id, quod additum est præterquam quod debitum, tanquam auctarium quoddam: ita enim dicebant antiqui: & dixit Plautus id, quod supra mensuram vel poodus iustum adiiciebatur. Vocabulum corollarii est à corollis, quòd eæ, cùm placuerant actores in scena, dari solitæ sint: vnde & corollaria dicuntur ipsæ coronæ. Plinius lib. xxi. sic scribit: Paulatim & Romæ subrepsit appellatio corollis inter initia propter gracilitatem nominatis, mox & corollariis, postquam e lamina ærea tenui inaurata aut inargentata dabantur. Sensus est Tranquilli, Augustum etiam in alienis spectaculis dedisse grandia & crebra corollaria scenicis & histrionibus: id est, ea munera, quæ vltra legitima præmia illis dono dari solebant: de quibus Cicero in Frumentaria: Noli hos colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum bonis, ac de scenicûm corollariis decumam emerunt. Idem: De vno igitur erat aliquid resecandum, vt esset vnde Apronio ad illos fructus arationum hoc corollarium nummorum adderetur. Hæc autem, cùm pretii haud magni forent, factum est vt corollarium pro re leuiori, &, vt ita dicam, supernumeraria accipiatur. Plinius in c x. Atilla corollarium id esse. Apuleius συμβολικῶς corollarium vocauit posticum concubitum, cùm ait: Mihi iam fatigato, de propria liberalitate Photis puerile obtulit corollarium.

Muneribus.] Spectaculis gladiatoriis.

Græco certamini.] Græca certamina celebratissima hæc fuerunt, Olympia, Pythia, Isthmia, Nemeæa, in quibus Græci magnos honores constituerunt victoribus athletis: author Vitruuius in ix. Sensus est, Augustum honorasse pro meritis etiam certantes athletas in certaminibus Græcorum. Quòd autem Augustus non solùm Romæ, sed etiam in Græcia ludos spectaverit, hinc colligimus, quòd omnes penè prouincias ipse per lustrauit: in qua per lustratione potuit, sicut Flaminius Romanus Senator, sicut Nero, interesse certaminibus Græcorum. Nec mihi videtur hoc referendum esse ad ludos, qui Romæ fiebant ritu moreque Græcanico. Autumant enim quidam, certamen Græcum dici à Suetonio id, quod Romæ fiebat more Græcorum, in quo corpora nudabant: cùm palæstræ vsus apud Athenięses primùm repertus fuisse memoretur, & Græca res sit, nihil velare. Superior sententia magis placet.

Legitimos.] Pugiles legitimi & ordinarii intelliguntur hi, quorum nomina in ordine, &, vt ita dicam, in albo pugilum perscripta sunt.

M. AN. INterdum e puluinari.] Ad quem locum, vt Festus docet, Circensibus ludis deferebantur sacra.

Coniuge.] Liuia.

Commendaos.] Studio, & fidei creditis.

Corollaria.] A corollis è lamina ærea inaurata, aut argentata, vt Plinius scribit. Varro: Corollarium (quod vocabulum fictum à corollis, quòd hæ cùm placuerant actores in scena dari solitæ) significat quicquid additur præter illud quod est debitum: nam præter promissas in ludis coronas, quum actores maximè placuissent, aliæ quoque his dari consueuerunt. Augustus in alienis ludis, & muneribus & grandia, & crebra præter proposita munera de suo sæpe obtulit: quæ corollaria Tranquillus vocat. Plinius: Cleopatra id corollarium esse dixit, quasi dicat, supra cœnæ taxationem, quam se, sponsione interposita, sumptuosissimam Antonio paraturam promiserat.

Alienis muneribus.] Gladiatoriis spectaculis alieno, non suo, nomine editis.

Grandia.] Corollaria, siue munera.

Offerebat.] Proponebat.

Græco certamini.] Gymnico: nudare enim corpora in certaminibus Græcorum antiquissimum est: quanquàm succincti ob pudorem heroicis temporibus certarent, vt Homerus testatur: inde totum corpus in stadio, vt Dionysius ait, Acanthus Lacedæmonius primus nudauit. Thucydides quoque de eisdem Lacedæmoniis: ἐγυμνώθησαν πρῶτοι καὶ ἐς τὸ φανερὸν ἀποδύντες.

Legitimos.] Arte, & lege quadam certantes, aut legitime institutos.

Ordinarios.] Ex præscripto ordine admissos.

Commie

committere cum Græcis solebat, sed & cateruarios oppidanos inter angustias vicorum pugnantes temere ac sine arte. Vniuersum denique genus operas aliquas publico spectaculo præbentium, etiam cura sua dignatus est. Athletis & conseruauit priuilegia, & ampliauit. Gladiatores sine missione edi prohibuit. Coercitionem in histriones, magistratibus omni tempore & loco, lege vetere permissam ademit, præter quàm ludos, & scenam: nec tamen eò minus aut xysticorum certationes, aut gladiatorum pugnas seuerissimè semper exegit. Nam histrionum licentiam adeò compescuit, vt Stephanionem Togatarium, cui in puerilem habitum circuntonsam

PHIL. Committere.] Ad manus, vt dici solet, certamenq; deducere. In hanc sententiã est illud Epigrãmaticũ:

Cùm Iuuanale meo quid me committere tentas?

Et Lucanus ait:

- Exiguum dominos commisit asylum.

In libro quoq; II. Machabæorũ, committere pro confligere atque certare accipitur: Primo Solis ortu vtriq; commiserunt. Et pòst paulò: Rex commisit cum Iuda, & superatus est. Ludi propriè committi dicuntur, iuxta illud Maronianum:

Et tuba commissos medio canit aggere ludos.

Et commissiones vocantur exhibitiones spectaculorum: qua dictione suprà vsus est Suetonius: & à Macrobio dictum est: Sed & Laberius sequenti statim cõmissione mimo nouo interiecit hos versus.

Cateruarios.] Cateruatim conglobatos, non seruato in conflictu ordine, formuláque legitima. Galli, authore Vegetio, & Celtiberi, pluréſque barbaricæ nationes, cateruis vtebantur in prælio; in quibus erant sena millia armatorum. Vnde cateruarii dici possent, per quasdam quasi cateruas inducti ritu barbarico.

Sine arte.] Qua palæstricus ille magister pugilem instruit. Nam, vt inquit Quintilianus, qui docendum panctatiasten susceperit, pugno ferire, vel calce docebit, omnésque ictus, qui sunt eius certaminis, demonstrabit. Dignatus est.] Dignum iudicauit, cui curam impenderet, & dignatione prosequutus est. Apud Vergilium dignatus pro digno habitus accipitur illo versu:

Coniugio Anchisa Veneris dignate superbo.

Conseruauit priuilegia.] Athletas in sacris Græcorum certaminibus victores maximis honoribus prisci decorauerunt: de quibus latius dicetur in Nerone.

Sine missione.] Sensus est: Noluit Augustus vt gladiatores exhiberentur ad gladiaturam exercendam, nisi victoribus missio pro præmio proposita foret: qua impetrata, virga donabantur, quæ dicitur rudis. De hac missione gladiatoria ait Martialis:

Nuper cùm Myrino peteretur missio læso.

Edi.] Exhiberi. Verbum est accommodatum spectaculis. Iuuenalis:

Munera nunc edunt. -

Et suprà dictum est: Edidit spectacula varii generis. Vnde editores dicti exhibitores ludorum.

Coercitionem in histriones.] Magistratus, qui habebant ius coercendi histriones, erant propriè prætores & ædiles. Nanque ad hos duos magistratus in primis pertinebat officium ludos faciendi: quibus Augustus ademit eam, quam diu habuerant, facultatem coercendi histriones: voluit enim vt in solis ludis scenicis histriones coercere possent: de cætero nullã haberent coercitionem. Iurisconsulti Digestis De pœnis, inter genera pœnarum enumerant corporis coercitionem.

Xysticorum certationes.] Xystici dicuntur athletæ, à xysto porticu, in qua per hyberna tempora exercebantur. In explicatione xysticorum non ero prolixior, cùm non pauca de xysto & xysticis perscripserim in libro Annotationum, vbi hic quoque locus enarratur.

Exegit.] Tanquam exactor veluti debitum repetiit, vt ad perfectum atque præscriptum absoluerent pugnas.

Stephanionem Togatarium.] Nomen est histrionis: qui Togatarius ideo appellatur, vel quia primus togatus saltauit fabulas, vt indicat Plinius his verbis: Minus miror, Stephanionem, qui primus togatus saltare instituit, verisque secularibus ludis saltasse: vel quia fabulas togatas actitabat. Togatæ autem fabulæ dicuntur, vt ait Diomedes, quæ scriptæ sunt secundum ritus & habitus togatorum, id est Romanorum: sicut Græcas fabulas ab habitu æquè palliatas nominari, author est Marcus Varro. Togatis scribendis excelluit Afranius poëta. Togatarum meminit Horatius in Arte poëtica:

Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

Quarum scenici actores vocari possunt togatarii.

In puerilem habitum.] Olim Hipsicratea vxor Mithridatis sequuta est maritum fugientem, tonsis in habitum virilem capillis.

M. AN. Committere.] Conferre.

Cateruarios.] Cateruatim, quod hodie quoque in plerisque Italiæ locis seruatur, inter se certantes.

Temerè.] Inconsultè: & magis vi, quàm arte.

Cura sua.] Sua indulgentia.

Sine missione.] Nisi conditione proposita, vt si victor extitisset, liber, suique iuris esset: alioqui in theatrum produci vetuit.

Coercitionem.] Vt cùm libuisset ad exhibendam operam coercere possent.

Xysticorum.] Hastili certantium. Erant enim xystici athletæ hastilibus inter se certantes: ξυστὸν enim Græci hastam appellant. Vel xystici ab eo quòd olim athletæ hyberno tempore in porticu exercebantur, quam xyston appellari Vitruuius demonstrat lib. v. de Græcanicis ædificiis loquens: Xystos, inquit, Græca appellatione porticus ampla latitudine dicitur, in qua athletæ per hyberna tempora exercentur. Nostri autem hypætras ambulationes xysta appellant, quas Græci παραδρομίδας dicunt. Est & xystos locus arboribus consitus. Plinius ad Apollinarem: Xystus, inquit, concisus in plurimas species, distinctúsque buxo.

Seuerissimè.] Seueritate inexorabili, si quid quisquam deliquisset.

Exegit.] Pugnæ rationem pensitauit.

Licentiam.] Licentiosam libidinem, & petulantiam.

Togatarium.] Togatarum fabularum actorem. Togatarum statim in principio Satyrarum Iuuenalis meminit.

Circuntonsam.] Capillis virilem in modum tonsis.

Per tri

matronam ministrasse compererat, per trina theatra virgis cæsum relegauerit. Hylam Pantomimum, querente prætore, in atrio dómus suæ, nemine excluso flagellis verberauerit: & Pyladem vrbe atque Italia summouerit, quòd spectatorem, à quo exibilabatur, demonstrasset digito, conspicuúmque fecisset.

De ordinatione Italiæ facta per eum. XLVI.



AD hunc modum vrbe vrbanísque rebus administratis, Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum ab se frequentauit, operibúsque, ac vectigalibus publicis plurifariàm instruxit: etiam iure, ac dignatione vrbi quodam modo pro parte aliqua adæquauit, excogitato genere suffragiorum, quæ de magi-

PHIL. PEr trina theatra.] Strabo libro quinto Geographiæ meminit trium theatrorum, simul & amphitheatri, quæ magnificentissima Romæ visebantur. Ouidius quoque sic ait in tertio de Arte amandi in hanc sententiam:

Visite cōspicuis terna theatra locis.

Augustus voluit virgis cædi per trina theatra histrionem, vt vulgatior fieret eius infamia, & insignior contumelia: propterea quòd matronam per conciliabula histrionica circunduxerat perinde ac ministrum: cùm circuntonsis capillis puerum repræsentaret.

Relegauerit.] Callistratus Iurisconsultus sic ait: Cæteræ pœnæ ad æstimationem, & si non ad capitis periculum pertinent: veluti relegatio ad tempus, vel in perpetuum, vel in insulam. Titulus est De relegatis, vbi ita scriptum legimus: Relegatorum duo genera sunt: sunt quidam, qui in insulam relegantur: & sunt, qui simpliciter, vt prouinciis eis interdicatur. Ouidius relegati, quàm exulis, nomen honestius, & pœnam existimat mitiorem, cùm de se ait:

Quippe relegatus, non exul, dicor in illo.

Hylam Pantomimum.] Hylas histrio discipulus fuit Pyladis. Fauor populi inter Pyladis & Hylæ suffragia diuisus erat. Lege Macrobium in secundo Saturnalium: Pantomimos histriones appellamus, quasi omnium imitatores. Olim Bibaculus scriptor egregius ob eximiam imitationem Pantomimus vocabatur. Si Venus Leporem in horoscopo respexerit, faciet Pantomimos, & Mimologos, vt inquit Maternus in octauo.

Querente prætore.] Licentiam histrionis culpanse. Et ita à verbu queror querente deducto interpretabimur. Quod si à quæro prima producta quærente deducitur, significabit prætorem quæsiuisse, hoc est, quæstioni exercendæ præfuisse. Prior sententia magis placet: tanquam prætor, qui præest ludis exhibendis, conquestus sit de licentia & petulantia Hylæ histrionis: & ob id Augustus eum verberauerit.

In atrio.] Tanquam in propatulo: erant enim atria ianuis proxima.

Flagellis.] Flagella à flagito, quod personare significat, dici Donatus existimat: quoniā sine sonitu crepitúque nō sunt. μάστιξ Græcè dicitur: vnde Διαμαστίγωσις difflagellatio nominatur, qua pueri Lacedæmonii in ara cædebantur toleranter & citra lamenta. Sunt & flagella summitates arborum, de quibus ait Maro in Georgicis: Néve flagella Summa pete.

Pyladem.] Hic est Pylades præceptor in histrionica disciplina ipsius Hylæ, vt iam dictum est: de quo sic scribit Seneca lib. III. Declamationum; Pylades in comœdia, Bathylus in tragœdia excelluerunt. Idem in vltimo Quæstionum: At quanta cùm laboratur ne Pantomimi nomen intercidat: stat per successores Pyladis & Bathyli domus: harū artium multi discipuli & multi doctores.

Exibilabatur.] Boni actores fabularum plausu excipiuntur: mali verò exhibilantur, hoc est, sibilis exagitantur. Cicero in Paradoxis: Histrio si paulò se mouit extra numerum, aut si versus pronunciatus est syllaba vna breuior aut longior, exibilatur, exploditur. Prisci sifilatores dixere sibilatores, & sifilare, quod nos dicimus sibilare: & est contumeliosa significatio, si quis exploditur à sifilatoribus. Pylades sifilatorem digito, qui dicitur index, indicauerat: cùm nō liceret demonstrare, denotaréque sifilatores: vnde ab Augusto eiectus est ex Italia.

Duodetriginta.] viginti & octo. Veterus enim dicendi cōsuetudo hæc est, vt duodeuiginti, duodetriginta dicantur, tanquā duo desint de viginti, itidem duo desint de triginta. Et hanc loquendi consuetudinem videntur Latini traxisse à Græcis, qui sic enunciant δύο ἐξ εἴκοσι.

Frequentauit.] Frequentiorem, cultiorémve fecit, & numero coloniarum celebriorem.

Vrbi adæquauit.] id est, eas vigintiocto colonias pene pares fecit vrbi Romæ, attributo iure suffragiorum, & aucta dignatione.

M. AN. MAtronam.] Fœminā matrimonio locatam. Quid matrona sit, quid materfamiliâs, alio est loco demonstratum.

Trina theatra.] Pompeii, credo, Marcelli, & Corn. Balbi. Strabo: Proximus huic alter adiacet campus, & innumerabiles circuncirca porticus, hortique nemorosi, theatra tria.

Pantomimum.] Histrionem, à multiplici, & varia imitatione dictum, ἀπὸ τῶν πάντων καὶ μιμεῖσθαι.

Quærente.] Quæstionem exercente.

Pyladem.] Et ipsum pantominum, qui cùm alii anteà canerent, atque saltarent, primus Romæ sibi chorū, & fistulam præcinere instituit: Eusebius est author.

Monstrasset digito.] Præter histrionicam legem digito conspicuum fecisset.

Duodetriginta.] Vt optimi nauium gubernatores, qui non solùm ea parte, qua sedent, vtilia procurant, sed consilio & tempestiua prouidentia quæcunque ad salutem attinent, quasi vbique sint, vno tempore prospiciunt: ita Augustus, quanquam in ornanda ciuitate, variísque spectaculis exhilaranda vehementer esset occupatus, haud tamen eorum, quæ foris essent, & Italiæ in primis immemor, passus est eam in vastitate illa, & solitudine diutius esse, quam ciuilia bella fecerant: sed octo & viginti coloniis passim deductis, vt longè frequentius coleretur, effecit.

Vectigalibus.] Vectigal tam ex publico, quàm priuato capitur. Cicero: Ego ex meo tenui vectigali. Sunt vectigalia fructus, qui ex agris, rebúsque siue priuati, siue publicè locatis percipiuntur.

Instruxit.] Italiam ipsam.

Vrbi

stratibus vrbicis decuriones colonici, in sua quisque colonia ferrent, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent. Ac necubi aut honestorum deficeret copia, aut multitudinis soboles, equestrem militiam petentes etiam ex commendatione publica cuiusque oppidi ordinabat. At iis, qui è plebe regiones sibi reuisenti, filios filiásve approbarent, singula nummorum millia per singulos diuidebat.

De *ordinatione aliarum prouinciarum.* XLVII.

PRouincias validiores, & quas annuis magistratuum imperiis regi nec facile, nec tutum erat, ipse suscepit: cæteras proconsulibus sortitò permisit. Et tamen nonnullas commutauit interdũ, atque ex vtroque genere plerasque sæpius adiit. Vrbium quasdam fœderatas, sed

PHIL. VRbicis.] Romanis.

Decuriones colonici.] Decurio, præfectus est turmæ equestris. A priscis dictus decurionus, qui Græce dicitur *δεκάδαρχος*. Decuriones dicuntur in municipiis, coloniisque, qui Romæ Senatores. Titulus est apud Iurisconsultos De decurionibus, vbi scriptum est, minores vigintiquinque annis eligi, nisi ex causa, non posse: contrà maiores annis quinquagintaquinque ad decurionatus honorem inuiti vocari constitutionibus prohibentur. Scribit Pomponius Iurisconsultus Digestis de verborum significatione, decuriones dictos ex eo, quòd in initio, cùm coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui deducerentur, consilii publici gratia sconscribi solita sit. Cicero in Orat. identidem citat decreta decurionum. Sensus est, Augustum, cùm vellet suas colonias dignitate condecorare, commentum esse, vt decuriones in coloniis suffragium ferrent de magistratibus, qui Romæ creabantur: quæ ad tempus dierum comitialium Romam mitterent obsignata, hoc est, sigillis appositis clausa. Non omittendum hoc loco videtur, quòd ciuitas Romana dabatur quibusdam ciuitatibus sine latione suffragii, quibusdam cum latione: quæ res erat honoratior. Hoc ex Liuiana lectione facile est intelligere. Ait enim Liuius, Acerranis Romanam ciuitatem sine suffragio datam. Idem alibi Formianis, Fundanisque, & Arpinatibus concessum scribit, vti illis suffragii latio esset, cùm anteà sine suffragio ciuitatem habuissent. Et talibus, quibus concessa erat latio suffragii, assignabantur tribus Romanæ, in quibus ferrent: vnde Arpinates ferebant in Cornelia tribu, Fundani in Aemylia.

Honestorum copia.] Non solùm Romæ, sed etiam in municipiis, & coloniis.

Equestrem militiam.] Hoc referendum est ad copiam honestorum: est enim equestris militia dignitas honesta. Regiones.] Non solùm vrbis Romæ, quæ diuisa erat in regiones quatuordecim, sed aliarũ quoque ciuitatum. Italia diuisa erat in regiones vndecim, ex descriptione ipsius Augusti. Filios filiásve.] Hoc referendum est ad sobolem multitudinis. Per singulos diuidebat.] Viritim, & per capita singulorum filiorum. Erat autem hæc liberalitas principis Incitabulum ad sobolem propagandam. Obiter enarrandum est, quemadmodum apud Persas lege cautum fuit, vt cùm primò Persarum rex vrbem aliquam ingreditur, mulieres, quotquot in vrbe sunt, singulos aureos singulæ à rege accipiant. Cuius legis authorem Cyrum fuisse constat. Idcirco Ochus Persarum rex, cùm esset auarissimus, vrbem sæpius circumuectus, nunquam intrare eandem voluit, ne mulieribus debitum munus ex lege persolueret. At Alexander Magnus bis eandem ciuitatem ingressus, toties quoque nummos dari mulieribus iussit, prægnantibus duplicem mercedem dari præcipiens.

Validiores.] Et ob id indigentes præside potentiore, præsidiisque maioribus.

Annuis imperiis.] Rectores prouinciarum Romanarum ferè semper erant annui, vt proconsules, & prætores: quanuis quibusdam interdum imperium prorogaretur. Nonnullas commutauit.] Scribit Strabo in calce operis sui, Augustum totum Imperium bifariàm diuisisse: nam partem sibi adsciuit, partẽ populo dedit: ac sibi quidem quæcunque militum præsidio indigeret. Ea est regio barbara, iugúmque detrectans. Populo autem pacatas regiones concessit. Harum prouinciarum aliæ Cæsaris, aliæ populi dicuntur. In suas præfecturas Cæsar ipse procuratores, partim consulares, partim prætorios viros mittit. In populi prouincias populus Imperatores vel consules mittit. Rufus quoque refert, prouinciarum alias fuisse consulares, alias proconsulares, alias præsidiales. Augustum Mar. Antoninus Imperator imitatus videtur, qui, teste Iulio Capitolino, prouincias ex proconsularibus consulares, aut prætorias, pro belli necessitate fecit.

Ex vtroque genere.] Prouinciarum populi, & Cæsaris. Fœderatas.] Fœdere percusso sociatas. Scribit Plinius, oppida fuisse in Hispania, alia ciuium Romanorum, alia veterum Latinorum, alia fœderatorum, alia stipendiaria.

M. AN. DE magistratibus vrbicis.] Qui in vrbe crearentur, qui Romæ potestatẽ exercerent. Decuriones colonici.] Qui in coloniis essent: qui iidem, vt alio loco diximus, erant qui & Senatores Romæ. Pedianus: Erat autem allocutus Aricinorũ decuriones. Cice. Recita P. Sexti quid decreuerunt Capuæ decuriones. Fuerunt qui dicerẽt decuriones ab eo dictos, quòd decima pars eorum, qui in nouã coloniam mitterentur, solita esset consilii publici gratia conscribi. Tempanius apud Liuium primos singularum decuriarum decuriones esse ait: Festus, qui denis equitibus præsunt. Sed verissima interpretatio, quæ primo est loco recitata. Obsignata.] Sub signo clausa suffragia. Ordinabat.] Ordini adscribebat. Regiones.] Vrbem regionatim. Reuisenti.] Lustranti, recognoscenti. Approbarent.] Graui testimonio ostenderent esse sibi filios, filiásve ingenuè procreatas. Per singulos.] In singulorum natorum capita singula nummorum millia, vt inuitamentum, & illecebra quædã esset ad matrimonia celebranda. Validiores.] Maioris negotii, & momenti. Ipse suscepit.] Administrandas scilicet: quo factum est, vt prouinciarum aliæ populi, aliæ Cæsaris, vt Strabo ait, sint dictæ: rursúsque populi, aliæ prætoriæ, aliæ consulares: populi prouincias proconsules, & prætores sortiebantur. Cæteras.] Quæ populi dicebantur. Non-

ad exitium licentia præcipites, libertate priuauit. Alias aut ære alieno laborantes leuauit, aut terræmotu subuersas denuò condidit, aut merita erga populum Romanum allegantes, Latinitate, vel ciuitate donauit. Non est (vt opinor) prouincia, excepta duntaxat Africa, & Sardinia, quam non adierit. In has fugato Sexto Pompeio traiicere ex Sicilia apparantem continuæ & immodicæ tempestates inhibuerunt: nec mox occasio, aut causa traiiciendi fuit.

De ordinatione regnorum. XLVIII.

REgna, quibus belli iure potitus est, præter pauca, aut iisdem, quibus ademerat, reddidit, aut alienigenis contribuit. Reges, socios etiam inter semetipsos necessitudinibus mutuis iunxit, promptissimus affinitatis cuiusque atque amicitiæ conciliator & fautor: nec aliter vniuersos, quàm membra partésque Imperii curæ habuit. Rectorem quoque solitus est apponere ætate paruis, a: mente lapsis, donec adolescerent, aut resipiscere it: ac plurimorum liberos & educauit simul cum suis, & instituit.

De ordinatione legionum, & militum. XLIX.

EX militaribus copiis legiones & auxilia prouinciatim distribuit. Classem Miseni,

nullas commutauit.] Vt quæ populi essent sibi adsciuerit, suásque populo reliquerit. Ex vtroque genere.] Prouinciarum. Fœderatas.] Amicas, & socias.

PHIL. LIcentia præcipites.] Terentiana sententia est, Omnes deteriores fieri licentia. Ita quædam ciuitates ex immodica libertate lasciuiẽtes ruebant in interitum. Leuauit.] Subleuauit, iuuitq; in dissoluendo ære alieno, hoc est, debita pecunia. Terræmotu subuersas.] Principatu Augusti Trallis, & in Cypro plurimæ ciuitatum partes terræmotu conciderunt: aothor Eusebius chronographus.

Latinitate.] Iure Latii, quod habebant Latinæ coloniæ, qualis fuit Bononia. Duo enim erant genera earũ coloniarum, quæ à populo Romano deductæ sunt. Nanqne aliæ Latinorũ dicebantur, aliæ Romanorum. Hinc leges apud Liuium, illud agitatũ in deducenda colonia fuisse, vtrum Latinam, an ciuium Romanorum deduci placeret. Scito Mutinam deductã fuisse coloniam Romanorum ciuium: Bononiam verò Latinorũ. Plinius quoque refert, multa Hispaniæ oppida Latio antiquitus donata fuisse. Vel ciuitate.] scilicet Romana. Maius autem beneficium est donare ciuitate, quàm Latinitate. Quam non adierit.] Idem de Adriano scribit Spartianus: Nullus enim ferè principum tantum terrarum tam celeriter, quantum Adrianus peragrauit. Excepta Africa.] Per omnem Africam sex prouinciæ factæ sunt: ipsa, vbi Carthago, est proconsularis: author Rufus. Sardinia.] Prouinciarum Romanarum prima fuit Sicilia: secunda Sardinia: vtraque insula in Romanam potestatem iisdem temporibus redactæ fuerunt: eodem anno Sardiniam M. Valerius, Siciliã Flaminius prætor sortiti sunt.

Inhibuerunt.] Vetuerunt, remoratæ sunt. Verbũ nauticum est inhibere: &, vt docet M. Tullius in epistolis ad Atticum, Remiges, cùm iubentur inhibere, non tam sustinent remos, quàm alio modo remigant. Reddidit.] Augustus Herodi non solum ei terram, quam perdiderat, reddidit: sed eius regno etiam addidit Gadara, Ioppen, Samariam, & maritimam Gazam, turrímq; Stratonis: author Iosephus lib. Antiquit. xv. Necessitudinibus.] Affinitatibus. Rectorem ætate paruis.] Scribunt Iurisconsulti, pupillis subueniendũ esse, dandósq; tutores: similiter & mente captis, & surdis, & mutis, quia rebus suis superesse nõ possunt, curatores dandi sunt. Hoc officio functus est Augustus, vt rectorẽ apponeret impuberibus, donec adolescerẽt: insanientibus verò, donec resipiscerẽt. Menceps ab antiquis dictus lapsus mente, qui vulgò dicitur mẽtecaptus: Græcè φρενίληπτος. Legiones & auxilia.] Suprà declarauimus, legiones constare ex Romanis, auxilia ex sociis: in auxiliis minor, in legionibus maior numerus adscribi solebat.

Prouinciatim.] Per prouincias.

Classem Miseni.] Apud Misenum & Rauennam singulæ legiones cum classibus stabant, ne longius à tutela vrbis abscederẽt: & cùm ratio postulasset, sine mora, sine circuitu ad omnes Mundi partes nauigio peruenirent. Nanque, vt inquit verissimè Vegetius, Misenensium classis Galliã, Hispanias, Mauritaniam, Africam, Aegyptũ, Sardiniam, atque Siciliam habebat in proximo. Classis autem Rauennatiũ Epirum, Macedoniã, Achaiã, Pontũ, Cretam, Cyprum: petere directa nauigatione cõsueuerat. Naues, quæ in Campania stabant, ad præfectum classis Misenensium pertinebant: quæ verò in Ionio mari locatæ fuerant, ad præfectum classis Rauẽnatium spectabant: sub quibus erant deni tribuni per cohortes singulas constituti. Plinius scriptor ille luculentus, atque multiscius, quo tempore periit, præerat classi Misenensi. Misenum autem in Campania promontorium est prope Cumas. Rauenna verò in octaua regione Italiæ Sabinorum oppidũ in ora litoris Adriaci, olim tota ligneis compacta ædificiis: & cùm à mari fiunt inundationes, non mediocrem accipit partem cœni palustris. Inter cætera illud Rauennæ mirabile est, quòd palustribus in locis aer est innoxius.

M. AN. AD exitium.] Ad excidium, & interitum. Licentia.] Aperta seditione, & tumultu. Libertate priuauit.] Libertatem ademit. Aere alieno.] Debito.

Laborantes.] Pressas, degrauatas. Leuauit.] Sua munificentia iuuit. Aut terræmotu subuersas.] Vt Trallis, & Coum ea tempestate motu terræ concussas.

Allegantes.] In suæ calamitatis argumentum adducentes. Latinitate vel ciuitate donauit.] Ex his apertè datur intelligi aliud esse iure Latii, aliud ciuitate donari: de quo plura in Cæsare. Inhibuerunt.] Prohibuerunt. Quibus belli iure.] Quæ vi armorum sublecerat

& alteram Rauennæ ad tutelam superi & inferi maris collocauit. Certum numerum partim in vrbis, partim in sui custodiam allegit, dimissa Calaguritanorum manu, quam vsque ad deuictum Antonium, item Germanorũ, quam vsque ad cladem Varianã, inter armigeros circa se habuerat. Neque tamẽ vnquam plures, quàm tres cohortes in vrbe esse passus est, easq; sine castris: reliquas in hyberna & æstiua circa finitima oppida dimittere assuerat. Quicquid autem vbiq; militum esset, ad certam stipendiorum, præmiorúmque formulam adstrinxit, definitis pro gradu cuiusq; & temporibus militiæ, & commodis missionum, ne aut ætate, aut inopia post missionem solicitari ad res nouas possent. Vtque perpetuò, ac sine difficultate sumptus, ad tuendos eos, prosequẽdósque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis constituit. Et quò celerius, ac sub manum annuntiari, cognoscíque posset, quid in prouincia quaq; gerere-

cerat. Præter pauca.] Quæ retinuit. Alienigenis.] Nouis regibus. Necessitudinibus.] Amicitiæ, & affinitatis vinculis. Rectorem.] Moderatorem, curatorem. Mente lapsis.] Amentibus, & furiosis.

Cum suis.] Liberis. Instituit.] Eadem disciplina instituendos curauit. Prouinciatim.] Per prouincias. Miseni.] Quod in ora Campaniæ Tyrrheno mari incubat.

Rauennæ.] Rauenna Adriæ adiacet: vt superi maris oræ hæc, illa verò inferi præsidio esset.

PHIL. Superi.] Venetici, quod Adriacum, & Adriaticum vocant: à poëtis Adria nuncupatur. Lucanus:

-Sonat Ionio vagus Adria ponto. Inferi.] Quod Tuscum vocant, & Tyrrhenum: hinc opes, opulẽtiæque Tuscorum noscuntur. Qui mari supero, inferóque nomina indiderunt, alterum Tyrrhenum vocarunt communi vocabulo gẽtis: alterum Adriacum, ab Adria Tuscorum colonia.

Manu.] Multitudine.

Calaguritanorum.] Calaguriũ, ciuitas est Hispaniæ in Vasconibus collocata. Calaguritani Sertorium fouerunt: cuius interfecti cineribus vt fidem præstarent, obsessi à Cn. Pompeio, vxores suas, natósque ad vsum nefariæ dapis verterũt, humanis carnibus vescentes, cùm nullum iam aliud animal in vrbe eorum superesset. Quintilianum Calaguritanum fuisse, innuere videtur diuus Hieronymus: cuius verba contra Vigilantium sunt hæc: Iste caupo Calaguritanus, & in peruersum propter nomen viculi mutus Quintilianus, miscet aquam vino. Item Germanorum.] scilicet manu dimissa. Varianam.] Quando Quintilius Varus in Germania cum tribus legionibus & auxiliis cæsus fuit. Historia Varianæ cladis superius est enarrata.

Armigeros.] More Alexandri Magni, qui armigeros tutandi corporis causa circa se habebat: &, vt inquit Curtius, habitus armigerorum erat vt lanceam gestarent. Idem sic ait: Iam armigeri, quibus imperatum erat, produxerant eos. Scribit Seruius, armigerum esse, qui arma gerit domini. Manifestarius est error vulgi armigeros appellantis, quos milites appellare deberet. Plautus in Casina, armigerum ministrũ esse docet, cùm ait: Filius autem armigerum allegauit suum. Idem mox paulò eundem appellat scutigerulũ, tanquam officium armigeri sit, scutum domini gestare.

Easque sine castris.] Noluit Augustus vt cohortes in vrbe haberent castra, sed dispersim habitarent. Tyberius postea instituit Romæ castra prætoria: de quibus in Tyberio.

In hyberna & æstiua.] Hyberna dicimus loca, in quibus, milites hybernare solent: sicut æstiua, in quibus æstiuo tempore commorantur. Varro appellat hybernacula: sunt autem proprie hybernacula, tentoria illa castrensia, in quibus hyberno tempore milites commorantur: quæ, vt docet Liuius in quinto, in bello Veienti primùm Romano militi cœpta sunt ædificari, vt ita hyemando continuarent bellum: erant autem pellibus consuta.

Pro gradu.] scilicet militari. Sunt etiam militiæ gradus alii maiores, alii minores: vt centurionatus, decurionatus, tribunatus, & alia id genus.

Et temporibus militiæ.] Quantũ quisque tempus militare deberet.

Et cõmodis missionũ.] Quæ commoda post impetratam militiæ legitimam missionem accipere deberent.

Prosequendos.] Stipendio militari, & commodis decorandos.

Aerarium militare.] Quod peculiariter solis militibus inseruiebat, ex quo pecunia militibus impendenda promebatur, vnde & nomen acceperat: militare enim dicebatur à militibus, quorum causa erat institutum. Sub manũ.] Prouerbialis, vulgarisque locutio est: & significat statim, temporisque momentũ, quasi de manu in manum. Seneca libro decimo epistolarum ad Lucilium: Consilium nasci sub die debet, & hoc quoque tardum est nimis: sub manu quoque, quod aiunt, consilium nascatur.

Calaguritanorum.] Hispanorum. Calaguritani citerioris Hispaniæ fœderati, vt Plinius ait.

Varianã cladem.] Quintilii Vari, & legionum, quæ cum eo perierant in Germania, interitum.

M. AN. Armigeros.] Qui armis accincti eius latera stipare consueuerunt. Quanquam armiger etiam sit dictus, qui arma pugnantibus suggerebat.

Eásque sine castris.] Vt sparsim tabernacula haberent: quando enim & vbi primùm castra prætoriæ cohortes habuerint, posteà dicetur.

Stipendiorum formulam.] Quatenus, & qua præmiorum spe stipendia fierent.

Pro gradu.] Dignitate.

Temporibus militiæ.] Quandiu esset militandum.

Commodis missionum.] id est, missionibus singulorum desideriis accommodandis.

Aut ætate.] Feroci adhuc, rerúmque nouarum cupida.

Inopia.] Qua pressi veterani nulli rei minus, quàm otio studerent: vt totum hoc ad commoda referas, illud verò ad ætatem.

Tuendos.] Dum circa signa essent.

Prosequendos.] Præmiis post missionẽ ornandos.

tur, iuuenes primò modicis interuallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit. Commodius id visum est, vt qui à loco iidem perferunt literas, interrogari quoque si quid res exigant, possint.

De sigillis eius, & datis, quibus in epistolis utebatur. L.



IN diplomatibus, libellísque, & epistolis signandis, initio sphinge vsus est, mox

Suppeteret.] Sufficeret. Aerarium militare.] Ad militum stipendia persoluenda.

PHIL. Militares vias.] Viæ militares, vt inquit Paulus Iurisconsultus, exitum ad mare, aut in vrbem, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent. Viam publicā eam dicimus, cuius etiā solum publicū est. Publicas vias Romani partim prætorias, partim consulares appellauerunt. Sunt viæ priuatæ, sunt & vicinales, quæ in vicis sunt, vel quæ in vicos ducunt: quas publicas esse quidam dicūt. Præterea aliæ rusticæ dicuntur, aliæ vrbicæ: sicuti copiose scribunt Iurisconsulti lib. XLIII. Digestorum: De militaribus viis nunc loquitur Tranquillus, quæ inter publicas sunt latiores, vt capere possint milites agminatim iter facientes, vnde & illis nomen. Q. Curtius: Cum hoc agmine Darius paulùm declinauit via militari. In hoc autem videtur Augustus voluisse imitari Cyrum illum magnum Persarum regem, qui vt celeriter sentiret ea, quæ maximis locorum interuallis distabant, hoc excogitasse fertur: stabula equorum tantum distantia fecit, quantum itineris die vno equus facere possit: In quibus equos constituit, equorúmque custodes: virum quoque ordinauit, qui aptus esset ad literas accipiendas, quæ ferebantur, eásque tradendas, quique reciperet equos defatigatos, atque homines, recentésque alios substitueret: diurno quoque nuntio nocturnus succedebat, & ita nuntii velocius ire credebantur, quàm sit gruum volatus. Hæc discursatio velocissima erat humanorum pedestrium itinerum, vt author est Xenophon libro Pædiæ VIII. Præterea Herodotus refert, in Vrania à Græcis institutum esse, vt quot ex diebus tota via constat, totidem viri, atque equi sint distributi ad singulorum dierum iter faciendum: quos neque nix, neque imber, neque æstus, neque nox distinet, quin propositum sibi cursum celeriter conficiant. Horum cursorum primus mandata tradit secundo, secundus item tertio, & ita deinceps illa mandata in alium atque alium pertranseunt. Hanc equorum cursitationem Persæ angareion appellant: quibus nuntiis nihil pernicius transcurrere in rebus humanis opinatur idem Herodotus. Augustus verò noluit vt nuntius subinde mutaretur, sed tantummodo vt ille, qui literas acceperat ferendas, idem perferret, possétque interrogari de rebus illis, quibus præsens interfuisset: & ita idem nuntius permanebat, equi mutabantur. Modicis interuallis.] Tales nunc sunt in Italia veredarii à principe Mediolanensi dispositi per modica interualla: vt citissimè possint alius ad alium literas perferre. In diplomatibus.] Diplomata, tabellæ sunt, & codicilli: videntúrque propriè accipi pro his principalibus libellis, & publicis, quibus imperata perscribuntur, & principis nomen adscribitur: vulgus bullas vocat. Hoc indicare videtur Cicero scribens in quadam ad Titum Appium epistola: Diploma statim non est datum. & mox: Pansa recepit perceleriter se ablaturum diploma. Cor. Tacitus: Eo quòd diplomatibus nullum principem præscripsisset. Apud Iurisconsultos De verborum obligationibus, duploma aliud significat, videtúrq; accipi pro duplicata itineris festinatione. Verba Iurisconsulti sunt hæc, quibus interpretatio quasi quædam inserta est: Is, qui Ephesi daturum se spoponderit, vt neque duplomate, id est, diebus, ac noctibus, & omni tempestate contempta, iter continuare cogatur. & mox: Quod si duplomate, aut felici nauigatione maturius, quàm quisque peruenerit Ephesum, confestim obligatus est. Græci διπλοῦν dicunt duplum, & διπλόω duplico: vnde diploma inclinari traditur, tanquam duplices illæ tabellæ, de quibus suprà memorauimus, dici possint diplomata. In epistolis Plinii ad Traianū, & Traiani ad Plinium est animaduertere, diplomata esse quoddam quasi genus beneficii principalis, sed temporarii. Sic enim inquit Traianus: Diplomata, quorum præteritus est dies, non debent esse in vsu. Plinius: Vsque in hoc tempus, domine, neque cuiquam diplomata commodaui. Indicátque in eadem epistola, se vxori suæ vsum diplomatum nomine Imperatoris commodasse, volenti ad Amitam excurrere. Ex quo colligimus, diplomata conuenire cum significatu Iurisconsultorum, esséque indultum, cuius gratia in celeritate consistat. Nescio an id sit, quod vulgò patentes, & literas passus appellant: vt qui diplomata impetrauerit, possit iter facere sine interpellatoribus.

Libellis.] Supplicibus scilicet, quibus qui præpositus fuerat à principe, is à libellis dicebatur: sicuti qui epistolis præerat, ab epistolis: quales sunt archigrammatei, hoc est, principes scribarum.

Sphinge.] Plinius libro nat. histo. nouissimo sic inquit: Diuus Augustus inter initia sphinge signauit. Duas autem in matris annulis, indiscretæ similitudinis inuenerat. Altera per bella ciuilia, absente eo, amici signauere epistolas, & edicta, quæ ratio temporum nomine eius reddi postulabat, non infaceto lepore accipientium, ænigmata afferre eam sphingem. Vnde Augustus posteà ad deuitanda conuicia sphingis, Alexandri Magni imagine signauit. Est autem sphinx animal fusco pilo, mammis in pectore geminis, monstro simile: quod Aethiopia generat. Albertus Magnus in vigesimosecundo de animalibus, Inter simiarū genera numerat sphinga, insignem duabus in maxilla maculis nigricantibus; cauda coloris subnigri, oblonga. Sphinga Thebanum monstrum describit luculenter, & poëtice, Statius in secundo Thebaidos: de qua & Diodorus non pauca lib. quinto Bibliothecæ. &, vt inquit Ausonius:

Nota in portentis Thebana tricorporibus sphinx.

Hortēsius orator habuit sphingem ex ære Corinthio, quam circunferebat, Verri reo ablatam: propter quam Cicero illo iudicio Verrino in altercatione neganti el se ænigmata intelligere, respondit debere, quoniam sphingem domi haberet.

Nouis vectigalibus.] Ad alendos exercitus recenter excogitatis. M. AN.

Per militares vias.] Quibus ex castris ad vrbem iretur: vel militaribus præsidiis, & stationibus frequentes.

Disposuit.] Per interualla posuit.

Qui à loco.] Siquidem Romam vsque vecti rogari poterant, vtpote rerum castrensium nō ignari: quod in militibus, qui literas per manus acceptas ferrent, euenire non poterat.

Imag

imagine Magni Alexandri, nouissimè sua Dioscoridis manu sculpta, qua signare insecuti quoque principes perseuerauerunt. Ad epistolas omnes, horarum quoque momenta, nec diei modò, sed & noctis, quibus datæ significarentur, addebat.

De clementia, & ciuilitate eiusdem. LI.



Lementiæ, ciuilitatísque eius multa & magna documenta sunt. Ne enumerem quot, & quos diuersarum partium venia & incolumitate donatos, principem etiam in ciuitate locum tenere passus sit: Iunium Nouatum, & Cassium Patauinum è plebe homines, alterum pecunia, alterum leui exilio punire satis habuit, quum ille Agrippæ iuuenis nomine, asperrimam de * eo epistolam in vulgus edidisset: hic conuiuio pleno proclamasset, neque votum sibi, neque animum deesse confodiendi eum. Quadam verò cognitione cùm Aemylio Aeliano Cordubensi inter cætera crimina vel maximè obiiceretur, quòd malè opinari de Cæsare soleret, conuersus ad accusatorem, commotóque similis: Velim, inquit, hoc mihi probes: faciam, sciat Aelianus & me linguam habere: plura enim de eo loquar.

* aliàs se

Diplomatibus.] Codicillis, vt Seruio placet, siue tabellis: vt verò alii interpretantur, duplicibus pugillaribus; vnde diplomata Græca voce dicta: διπλοῦς enim Græci duplum dicunt. Cicero ad Appium: Diploma statim non est datum. Anneus Seneca de Augusto, Adeò, inquit, non odit, vt dimissis, quò tutiores essent, diploma ta daret.

Signandis.] Sigillo muniẽdis. Veteres signare pro eo etiam quod est scribere, & notare dixerunt.

Sphinge.] Thebani monstri imagine. Celebrata est sphinx illa, quam Hortensius orator Verri ademit: vnde vrbanissimus ille Cicero, vt Plinius, & Pedianus scribũt, in Hortensium extitit iocus. Est sphinx mõstrosum Aethiopiæ animal, è simiarum genere, fusco pilo, mammis in pectore, ad hominis speciem accedens. Poëtæ faciem habere virginis fingũt, pennas auiũ, pedes leonis. Diodorus: Sphinx bellua biformis Thebas eo tẽpore venisse traditur. Ausonius:

Terruit Aoniã volucris leo, virgo triformis:

Sphinx volucris pennis pedibus fera fronte puella.

PHIL. IMagine Alexandri.] Familia Macrianorum speciale hoc semper habuit, vt Alexandrum Magnum viri in auro, & argento: mulieres in reticulis, & dextrocheriis, & annolis exculptum semper gestarent: &, vt ait Iulius Capitolinus, dicuntur iuuari in omni actu suo, qui Alexandrũ expressum vel auro gestitant, vel argento.

Sua.] scilicet imagine vsus est in signando. Signatoriũ autem annolũ ornamenti appellatione non contineri, docet Paulus Iurisconsultus.

Dioscoridis.] Dioscorides sculptor in artificio gemmarum optimus fuit, qui diui Augusti imaginem similem expressit, qua postea principes signabant: vt refert Plinius in vltimo nat. histo. Horarum momenta.] Quando nos literas scribimus, diem, quo datæ sunt, apponere solemus: Augustus verò non solùm diem, sed etiam horas, horarúmque momenta adscribebat.

Ciuilitatis.] Iulius Capitolinus Antoninum Pium laudat, quòd Imperatorium fastigium ad summam ciuilitatem deduxerit. Similiter Aelius Lampridius refert, nimiam ciuilitatem obiectam fuisse Alexandro Imperatori Romano: vbi ciuilitas accipitur pro moderatione quadam, atque modestia magis ciui hominíque politico accommodata, quàm Imperatori: quam in Augusto fuisse, nunc testatur Tranquillus. Quintilianus in secundo, tradit ciuilitatem à quibusdam iudicatam esse rhetoricen.

Principem.] Principalem, & primarium.

Diuersarum partium.] Hostilium, & contrariæ factionis. Ille.] Iunius Nouatus.

Agrippæ.] Qui Augusti erat nepos ex Agrippa & Iulia.

De eo.] scilicet Augusto. Hic.] Cassius Patauinus.

Eum.] Augustũ.

Aeliano Cordubensi.] Corduba, inclyta est Senecis duobus, & vnico Lucano. Fuit Cordubensis quoque Sestilius homo ingeniosus magis, quàm eruditus, inæqualis poëta, & peiè talis, qualis Seneca Cordubenses poëtas ait esse, sonantes quiddam peregrinum. Laudatur etiam ab olei præstantia. Hinc ait Martialis: Vncto Corduba lætior Venafro. Aes quoque Cordubense in summa fuit gloria: quod & Marianum dicebatur.

Cõmotóque similis.] Indignanti, & conturbato.

Me linguam habere.] Tanquam detrahẽti esset detracturus, & obloquenti obloquuturus: iuxta illud triuiale, Si dixeris quod vis, audies quod non vis. Olim Alexander Magnus, cùm audisset, se à quodam conuiciatore affici conuiciis, nõ excanduit in vltionem, sed dixit: βασιλικόν ἐστιν εὖ ποιοῦντα κακῶς ἀκούειν. id est, Regium est benefacientem male audire.

M. AN. MOx imagine Magni Alexandri.] Trebellius author est, creditos in omni actu iuuari, qui Alexandrum auro, vel argento sculptum gestarent: & idcirco in Macrianorum familia, viri, & fœminæ omni domestico cultu cælatum, & intextum habuere.

Dioscoridis.] Plinius: Quíque diui Augusti imaginem similem expressit, qua posteà principes signabant, Dioscorides.

Momenta horarum.] Vt non solùm quo die, quota hora, sed quo etiam momento datæ essent literæ, significaret. Ciuilitatis.] Ciuilis moderationis.

Documenta.] Exempla, & demonstrationes.

Diuersarum partium.] Qui pro hostibus aduersus se stetissent.

Principem.] Primum.

E plebe homines.] Plebeios scilicet, ac per hoc ignobiles: quo apparet qualis in honestioris quoque fortunæ viros fuerit. Agrippæ iuuenis.] Quem ob sordidum ingenium relegatum diximus.

Eum.] Augustũ. Accusatorem.] Qui ea obiiciebat.

Nec quicquam vltrà, aut statim, aut postea inquisiuit. Tyberio quoque de eadem re sedulò violentius apud se per epistolam conquerenti, ita rescripsit: Aetati tuæ, mi Tyberi, noli in hac re indulgere, & nimiùm indignari, quenquam esse, qui de me malè loquatur. Satis est enim, si hoc habemus, ne quis nobis malè facere possit.

De bonoribus ei collatis, & spretis per eum. LII.

Templa, quanuis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen prouincia, nisi communi suo Romæq; nomine recepit. Nam in vrbe quidem pertinacissimè abstinuit hoc honore, atque etiam argenteas statuas olim sibi positas cõflauit omnes, ex quibus aureas cortinas Apollini Palatino dedicauit. Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, deiecta ab humeris toga, nudo pectore, deprecatus est.

Commoto.] Irato.

Hoc.] Quòd Aelius soleat de me malè opinari.

Et linguam me habere.] Quasi dicat, efficiam vt & ipse contrà malè audiat. Sic apud Homerum Iliad. Υ.

ὁπποῖόν κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.

id est, Talia dicentur tibi, qualia dixeris ipse. Verbis scilicet, non ferro vlturum aduersarii maledicta professus est, quasi ex æquo, non vt princeps cum priuato certaturus.

PHIL. De eadem re.] Quòd scilicet Aelianus malè opinari, maléque loqui de Augusto soleret.

Aetati tuæ.] Verba sunt ex epistola Augusti, quibus Tyberium monet, ne indulgere velit ad vltionem parādam iuuenili ætati, quæ feruescēs & sanguinis calore exæstuās, ad vindictā suapte sponte propensa est, litiúmque, & rixarum cupida. Vnde ait Horatius:

Non ego hoc ferrem calidus iuuenta
Consule Planco.

Quenquam esse.] Hoc dixit propter Aelianum.

Proconsulibus decerni.] Verres prætor non quidem templa sibi decerni voluit, sed statuas innumeras erigi, & diem festum dicari, quæ Verrea dicebantur: sicut Cicero in Verrinis abunde demonstrat. Tito quoque Flaminio dicata fuisse templa, & gymnasia à Chalcidensibus, testis est Plutarchus, qui ait, sua etiam ætate sacrificia, & rem diuinam fieri solitam Tito Flaminio, perinde ac Deo apud Chalcidenses: & hoc ob merita, quibus ille prosequutus est amplissimis Græcos.

Communi nomine.] Vt scilicet templa nomen Augusti, & Romæ haberent in inscriptione: pariterq; dicarentur genio Augusti, & maiestati vrbis Romæ.

In vrbe.] Roma.

Hoc honore.] Templorum sibi decernendorum.

Conflauit.] Redegit in massam, atque resoluit.

Aureas cortinas.] Cortina nomẽ est πολύσημον, id est, multa significans: nam cortinæ sunt vasa, in quibus pigmenta, coloresque coquuntur, quibus lanæ tinguntur, & vela pinguntur immersa. Plinius in ix. Decimo ferè die liquatis cortina vellus elutriatum mergitur in experimentum. Idem in xxxv. Hoc cùm fecere, non apparet in velis, sed in cortina pingui: mirúmque cùm sit vnus in cortina color, ex illo alius, atque alius fit in veste accipientis medicaminis qualitate mutatus. Cato in re rustica cortinam plumbeam accipit pro vase, quo oleum fluit, vbi oleum in torculario factores premunt. A cortina cortinale deducitur, accipitúrque pro loco, in quo sunt cortinæ, hoc est, vasa, quibus sapa decoquitur. Columella: Cortinale, vbi defrutum fiat, nec angustum, nec obscurum sit: vt sine incommodo minister, qui sapam decoquit, versari possit. Præterea cortinæ, sunt vela ad locum contegendum: sicut vulgò vernacula lingua vocitari solent. In Exodo scriptum est: Decem cortinas de bysso retorta, & hyacintho, ac purpura, coccóque bis tincta variatas, opere plumario facies. Et pòst paulò inquit: Quinque cortinæ sibi iungentur mutuò. Cortina quoque tripos est, authore Seruio, vnde oraculum datur. Dicitur autem cortina, vel quòd Apollinis tripus corio Pythonis serpentis tectus sit: vel quòd certa illhic respōsa fundātur, quasi certina: vel quia illhic cor vatis tenetur. Illhuc enim raptæ Phœbades vaticinabantur. De cortina ita scribit Varro li. iii. de Latina lingua: Cortina dicta est, quòd est inter terram, & cælum, à similitudine cortinæ Apollinis: & à corde, quòd inde sortes primùm æstimatæ. Sensus est Tranquilli, Augustum ex statuis conflatis aureas cortinas fecisse, hoc est, tripodas, & mensas Apollineas, easque Apollini dedicasse, cuius templum in Palatina domo extruxerat: sicut suprà dictum est. Cùm autem hæ cortinæ Apollini Delphico antiquitus dicarentur, alio nomine Delphicæ sunt nūcupatæ. Porphyrio, & Acron enarrantes illud Horatianum:

-Et lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet-

Mensam Delphicam significari exposuerunt. Plinius in xxxiiii. de cortinis Apollini dicatis, quæ Delphicæ dicuntur, hæc tradit: Ex ære factitauere & cortinas tripodū nomine Delphicas, quando donis maximè Apollinis Delphici dicabantur.

Dictaturam deprecatus est.] Abigendo detestatus, execratúsque. Frequens est hæc elocutio: Deprecari seruitutem: deprecari ignominiam. nam, vt inquit Gellius, deprecor in hoc significatu dictum est, quasi detestor, vel execror, vel depello, vel abominor prece adhibita, vel quo alio modo. Ouidius:

Sæpe precor mortem, mortem quoq; deprecor idẽ.

Inquisiuit.] An vera essent, quæ reo obiicerentur. M. AN.

De eadem re.] Eiusmodi obtrectatione.

Violentius.] Minus ciuiliter.

Aetati tuæ.] Quæ annis ferox est, & ad vltionem prona.

Suo Romæq; nomine.] Vt vrbis, & Augusti genio inscriberetur: nec id nouo exemplo: nam & Chalcidenses Tito Flaminio & deis quibusdam templa consecrarunt: vt Tito & Herculi, Tito & Apollini: Plutarchus est author.

Hoc honore.] Templorum dedicatione.

Conflauit.] Liquefecit.

Argenteas statuas.] Quidam primas statuas argenteas Augusto Romæ dicatas credidere, sed falsò: nam ante Augusti tempora, quæ Pharnacis, & Mithridatis fuerant, sunt in ea vrbe conspectæ, à Pompeio Mithridatico triumpho translatæ.

De eodem, & ciuilibus gestis eiusdem. LIII.

DOmini appellationem, vt maledictum, & opprobrium semper exhorruit. Quum spectante eo ludos, pronuntiatum esset à mimo, O dominum æquum, & bonum: & vniuersi, quasi de ipso dictum exultantes comprobassent, statim manu, vultúque indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissimè corripuit edicto: dominúmque se posthac appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus suis, vel serio, vel ioco passus est, atque huiusmodi blāditias etiam inter ipsos prohibuit. Non temere vrbe oppidóve vllo egressus, aut quôquam ingressus est, nisi vespere, aut noctu, ne quem officii causa inquietaret. In consulatu pedibus ferè, extra consulatum sæpe adaperta sella per publicum incessit. Promiscuis salutationibus admittebat & plebem, tan-

Aureas cortinas.] Seruius tripodes, & Pythonis corium instratum cortinam ait appellatam: ab eo quòd ibi cor vatis teneretur: vel quia [illegible], id est puellā extendit. Sed quid cortina esset, Plinius apertius: Facti tauere, inquit, & cortinas tripodum nomine Delphicas: quoniam donis maximè Apollinis Delphici dicabantur. Deprecatus.] Precibus auersatus.

PHIL. DOmini appellationē.] Noluit Augustus appellari dominus: quæ res documētum est magnum illius ciuilitatis, cùm Domitianus, vt infrà dicemus, per insolentiā dominus, & deus dici voluerit. Diuersa natura sunt hæc duo, vt inquit elegāter Plinius in Panegyrico, dominatio, & principatus: nec aliis est princeps gratior, quàm qui maximè dominum grauentur. Tanquam nomen domini sit detestabile: principis verò fauorabile. Hinc Alexander quoque Romanus Imperator dominū se appellari vetuit. Scribūt Seneca, & Macrobius, nostros maiores omnem dominis inuidiam, omnem seruis contumeliam detrahentes, dominum patremfamiliàs, seruos familiares appellauisse. Ludos.] Scenicos, quibus fabulæ agebantur. Mimo.] Fabula, poëmate: de quo in Iulio Cæsare affatim dictum est.

O dominum æquum.] Verba hæc sunt ex mimo fabula, quæ in ludis pronuntiata sunt: quæ auditores, tanquam in Augusti laudem pronuntiata, libenter accipiebant. Manu vultúque.] Persius:

Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Maiestate manus. -

Indecoras.] Aristoteles ait in quarto Ethicorum, adulationes omnes esse seruiles, & humiles adulatores. Præcipit Cicero in Officiis, ne adulari nos sinamus. Hoc malum viget maximè in aulis principū, vbi assentatores dominantur, & vanidici.

Corripuit.] Castigauit adulationes populares.

Vel serio, vel ioco.] Neque in rebus seriis, neque per iocum. Seriò, & iocò sibi vicissim opponuntur. Horatius: Sed tamen amoto quæramus seria ludo. Quintil. Iocum id accipimus, quod est contrariū serio.

Huiusmodi blanditias.] Consueuerunt filii regum, principúmque vicissim se per bladimenta dominos appellare: quas appellationes Augustus prohibuit fieri inter filios suos, & nepotes. Vnde cùm olim Nero Britannicum nomine, Britannicus Domitium obuii inter se salutauissent, id pro signo discordiarū acceptum est: author Cornelius Tacitus.

Vrbe, oppidóve.] Videtur hoc in loco Tranquillus differentiam facere inter vrbem, & oppidum: tanquam vrbes sint nobiliores, oppida viliora, ac veluti castella. Scribit Varro, colonias Romanas in literis antiquis scribi vrbes, quæ item conditæ sint, vt Roma: oppidum, quod primum conditum in Latio fuit, Lauinium.

Vespere.] Hora vespertina. In diuisione ciuilis diei apud Romanos nouissimum tempus diei dicebatur suprema tempestas: deinde vespera: deio prima fax.

Officii causa.] Quo deductores funguntur, dum principē egredientem vrbe comitantur, aut regredienti obuiā progrediuntur. Pedibus ferè.] Plinius in Panegyrico Traianū laudat, quòd Imperator factus ita incedat pedibus, sicut priuatus incedebat: reprænditque Traiani antecessores, quòd fastidio hominum vsum pedum amiserant, quos humeri, ceruicesq; seruorū vehebant super ora Romanorum. Adoperta sella.] Clausa, cooperta. Quid si legas, adaperta: vt sit sensus, Augustū in hoc ciuilitatis documentum præstitisse, vt per publicū incederet lectica patefacta, vt ita omnibus adeundi, alloquēdíque potestas fieret. Laudatur à scriptoribus Græcis illud Artaxersis cognomento Memnonis factum humanissimū, qui reginam iussit aulæa, cortinásque vndique remouere à carruca, in qua ipsa vehebatur, vt ita indigentibus in itinere aditus pateret.

Promiscuis.] Indifferentibus, &, vt dici solet, generalibus. Admittebat & plebem.] Inter primas Traiani laudes celebratur admissionū facilitas: cuius ædes, vt inquit Plinius, non minus reseratæ, nec minus publicæ erant, quàm templa, quàm forū. Mox subiungit: Ipse autem vt excipis omnes, vt expectas. Pacatus quoque laudat Theodosium, quòd facilis esset adiri, quòd ex proximo acciperet vota suorum hominum. Cicero in epistola ad Quintum fratrem didascalica, præcipit adiungendā esse facilitatem in audiendo, lenitatem in discernendo. Admissionales Latino vocabulo dicuntur, quorum officium est admittere intra cubiculum volentes salutare principem, & alloqui. Lampridius laudat Alexandrum Romanum, quòd salutaretur patente velo, admissionalibus remotis. Ab Ammiano Marcellino dictus est magister admissionum, qui præerat huiuscemodi negotio.

DOmini appellationem.] Vt dominus vocaretur. M. AN.
Maledictum.] Contumeliosum, & execrabile.

In mimo.] Ridiculis scriptis. Quid mimus sit, quid mimographus, abundè alibi. Indecoras.] Turpes, & seruiles. Blanditias.] Blandas, & adulatorias appellationes. Inter ipsos.] Ne mutuò se quidem dominos appellarent. Nisi vespere.] Terentius vesperi dixit, vterque tamen aduerbialiter: vt alterum primæ sit declinationis, tertiæ alterum. Liuius vespere, & prima vespera dixit. Ouidius quoque:

- Primóque tenent à vespere nomen.

Officii causa.] Honoris causa obuiam prodeundi. In consulatu.] Cùm consul esset. Pedibus.] Vt

ta comitate adeuntium desideria excipiens, vt quendam ioco corripuerit, quòd sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem. Die Senatus nunquam patres, nisi in curia, salutauit, & quidem sedẽtes, ac nominatim singulos, nullo submonente: & discedens eo modo sedentibus singulis vale dicebat. Officia cum multis mutuò exercuit: nec prius dies cuiusque solennes frequentare desiit, quàm grandior iam natu, & in turba quondam spõsaliorum die vexatus. Gallum Terrinium Senatorem minus sibi familiarem, sed captum repentè oculis, & ob id inedia mori destinantẽ, præsens consolando reuocauit ad vitam.

fieret, credo, omnibus potestas sui adeundi. Adoperta.] Contecta. Promiscuis.] Commistis, indiscretis.

PHIL. Comitate.] Comes, vt inquit Cice. in oratione pro Cor. Balbo, dicũtur benigni, faciles, suaues: iode comiter aduerbiũ pro benignè. Inde comitas pro facilitate, benignitateq; accipitur. M. Varro enarrãs illud Ennianũ, Si voles aduertere animũ, comiter monstrabitur. Comiter esse hilare ac libẽter, cuius origo sit Græca κῶμοι: vnde & comesatio ducta. Ioco.] Id inter Augusti iocosa dicteria oumeratur ab eruditis.

Libellum.] Hic libellum intelligere debemus supplicem. Vulgus indoctum supplicationẽ appellat.

Quasi elephanto stipem.] Quintilianus io sexto, in capite de risu, sic inquit: Adhibetur similitudo interim palàm, seriò ioterim: sed & parabolæ: cuius est generis id Augusti, qui militi libellum timidè porrigenti: noli, inquit, dubitare, tanquam assem elephanto des. Qui enim assem, hoc est nummum elephanto dabat, cum pauore & formidine porrigebat. Quòd autem elephantis à populo nummi darentur, testatur Plinius sic scribens io VIII. de elephantis: Stipes, quas populus dedisset, seruatæ, & in suũ effusæ. De hoc eodem Augusti ioco Macrobius iu secundo Saturnalium: Augustus cùm ei quidam libellum trepidus offerret, & modò proferret manũ, modò traheret: Putas, inqnit, te assem elephanto dare? Stipem.] Refert M. Varro, stipem dici æs atque pecuniam à stipando, eò quòd asses, qui erant librales, qui acceperant maiorem numerum, non io arca ponebant, sed io aliqua cella stipabant, id est, componebant, quò minus loci occuparetur. Ab stipe dictum stipendium. Die Senatus.] Quo Senatus in curia cogebatur. Nisi in curia.] Ciuilitas Augusti maxima, qui Senatores die Senatus salutare noluit domi, sed in curia: tanquam & ipse vnus foret ex Senatoribus.

Ac nominatim.] Exempli caosa, dicebat: Salue Pollio: salue Messala. Et ita singulos propriis nominibus salutabat. Submonente nullo.] Nomina Romanorum suggerente: oam cùm esset memoria præditus singulari, non indigebat nomenclatore, qui io eius aurem nomina Senatorum infarciret, quos salutabat. Vale dicebat.] Quemadmodum salue verbum est salutantis: ita vale verbum est discedentis. Interdum tamen Cicero in calce epistolarum hæc duo iunctim locat, vt dicat: salue, vale mi Tyro. Dies solennes.] Quales sunt dies natales, & nuptiarum solennitati dicati. Ita Iuuenalis: Quæ causa officii? qoid quæris? nubit amicus.

Grandior iam natu.] id est, senex, & longa iam ætate prouectus: quod & magno natu dicitur. Liuius: Magno natu quidam cum omnium maiorum suorum insignibus se in forum proiecit.

Sponsaliorum.] Quæ sint sponsalia, superius declarauimus. Illud adde, quòd antiqui Saturnaliorum, Bacchanaliorum, viridiorum, & sponsaliorum dicere malebant, quàm Saturnalium, Bacchanaliũ, viridium, & sponsalium, sicut regula grammatices exposcit. Itaque alterum regula, alterum veterum defendit authoritas.

Captum oculis.] Subitò luminibus orbatum. Cor. Rufus dormiens oculorum vsum amisit, cùm id sibi accidere somniaret. Asconius Pedianus ille Marci Ciceronis luculentus enarrator septuagesimo ætatis suæ anno captus est luminibus. Timoleoo quoque Corinthius sine vllo morbo lumina oculorum amisit. Si Saturnus & Sol vnum hospitiũ partis acceperint, tunc quorum talis fuerit genitura, eorũ oculos miserum exitiũ cæcitatis impugnabit: sicuti tradit Iulius Firmicus in VI. Matheseos.

Inedia.] Cibi abstineotia. Scribit Plinius io XI. quòd inedia ante diẽ septimum non est homini lethalis: durasse & vltra vndecimum diem plerosque, idem est author. Aulus Gellius scribens de potentia, & vi septenarii numeri ait, illos septimo demum die mortem oppetere, quibus ioedia mori consilium est. Rem non minus admirandam, quàm memorandam tradit Albertus Magnus, si modò vera est. Ait enim lib. de animalibus VII. fœminam fuisse, quæ sine cibo dies interdum vigino, interdum triginta durabat. Virũ quoque melaocholicũ idem se vidisse testatur, qui inedia, hoc est, cibi abstinentia septem vixerit septimanas, alternis tantùm diebus gustum aquæ limpidæ exorbentem, & præterea nihil. Sisigambis Darii Persarum regis mater inedia est extincta, cùm cibo, & luce pariter abstinuisset. Præsens consolando.] Omnis consolatio efficax est, sed principis efficacissima, qua io partes omnes flecti possunt animi mortalium. Potuit itaque consolatio Augusti persuadere vt viueret ille, qui mori decreuerat.

M. AN. Comitate.] Facilitate, benigno congressu. Desideria.] Quæ ab adeuntibus desiderarentur.

Ioco.] Iocosis, & facetis verbis.

Sic.] Tam meticulosé.

Elephanto stipem.] Quòd populus stipem elephanto daret, Plinius, Argumenta, ioquit, amoris, gaudium, blandiociæ. Stipis, quam populus dedisset, seruatæ meminit Plioius. Meminit & ioci huius Macrobius in Saturnalibus. Die Senatus.] Quo die Senatus habendus erat. Nisi io curia salutauit.] Vt publicæ salutationis occasio relioqueretur: aut certè ne per salutarioois coogressum de publicis negotiis cum aliquo prius consultasse videretur. Nominatim.] Suo quenque nomine. Nullo.] Nomenclatore, aut alio nomina suggerente, satis probabili memoriæ argumento: sed longè probabiliore Cyneas Pyrrhi regis legatus, postridie quàm Romam venerat, Senatui, & equestri ordini nomen reddidit: Illa verò adhuc maiora, quòd Cyrus rex omnium, qui io exercitu suo erant, militum nomina tenuit: L. Scipio totius populi Romani. Aoneus Seneca, quod ooo minus admirationis habet, prodidit se ætate florentem duo millia nominum eo ordine, quo recitata essent, extemplo reddere solitum.

Mutuò

De patientia eius in contradictores. LIIII.

N Senatu verba facienti dictum est, Nō intellexi:& ab alio, Contradicerem tibi, si locum haberem. Interdum ob immodicas altercationes disceptantium è curia per irā se proripienti quidam ingesserunt, licere oportere Senatoribus de Republica loqui. Antistius Labeo Senatus lectione quum triumuirum legeret, M.Lepidum, hostem olim eius, & tunc exulantem legit: interrogatúsque ab eo, an essent alii digniores, suum quenque iudicium habere respondit. Nec ideo libertas, aut contumacia fraudi cuiquam fuit.

Motuò.] Ex æquo cum multis officio certauit.

Solennes.] Natales dies,& peculiares familiæ alicuius ferias.

Grandior natu.] Iam senio confectus.

Sponsaliorū die.] Seruius Sulpitius, Gellio authore, quid sponsalia essent eleganter, vt alio est loco demōstratum, expressit.

Captum oculis.] Visu priuatum.

Inedia.] Fame. quod plerique alii fecisse dicuntur: & in his Sili. Italicus. Plinius ad Rufum: Modò nūtiatus est Silius Italicus In Neapolitano suo inedia finisse vitā.

Destinantem.] Statuentem.

Consolando.] Tempestiua consolatione adhibita.

Reuocauit ad vitam.] Vt viuere perseueraret. Siquidem omnis tempestiua admonitio vtilis ad persuadendum: sed viri authoritas, vt est apud Euripidem, plus omnino valet. Λόγ☉ γὰρ, inquit, ἐκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν κἀκ τῶν δοκούντων αὑτὸς οὐ ταὐτὸν σθένει.

PHIL. Verba facienti.] Scilicet Augusto in Senatu disserenti dictum est à quodam Senatore animi liberioris, Non intellexi.

Si locū haberem.] Vel dicendæ sententiæ, vel quia sæpe locus est causa vt simus modò audentiores, modò modestiores.

Altercationes disceptantium.] Contentiones Senatorum vicissim cōtradicentium. Attamen disceptator dicitur rei, sententiæq́ue moderator: sicut docet Cicero in Partitionibus ad filium. Liuius in 1. disceptatorem ait se sumptum inter patrem & filium.

De Republica loqui.] Hæc sunt verba à Senatoribus ingesta Augusto è curia discedenti pleno indignationis, tanquam Senator & possit, & debeat liberè loqui de Republica. Hoc enim proprium est veri Senatoris munus in libera ciuitate. Vnde apud Liuium in III. L. Valerius postulat vt de Republica dicere liceat: cui postulationi minaciter refragati sunt decemuiri. Præceptum Platonis est, & à Cicerone repetitū, vt qui Reipublicæ præfuturi sunt, quicquid agunt, id referant ad vtilitatem ciuium, obliti commodorum suorum: & dum conseruant honestatem, quamuis grauiter offendant, mortem oppetant potius, quàm deserant illa, quæ dixerunt. Debet Senator liberè, non obnoxiè dicere sententiam in Senatu.

Ingesserunt.] Identidem immiserunt, iactarúntq; hæc dicta in Augustum proripientem se è curia.

Antistius Labeo.] Hic iuris ciuilis, legúmque populi Romani apprimè doctus fuit: sed agitabat hominem, vt inquit Gellius, libertas quædā nimia, & vecors vsque eò, vt diuo Augusto iam principe, & Rempublicam obtinente, ratum tamen, pensúmq; nihil haberet, nisi quod iustum sanctúmq; esse in Romanis antiquitatibus legisset. Scribit Porphyrio, Antistium Labeonem memorem libertatis, in qua natus erat, multa contumaciter aduersus Cæsarem Augustum & dixisse, & fecisse: propter quod Horatius in Sermonibus dixisse videtur: Labeone insanior inter Sanos dicatur. Iurisconsulti libro 1. Digestorum multa prodiderunt de Antistio Labeone: qui ita annū diuiserat, vt Romæ sex mensibus cum studiosis esset, & secederet sex mensibus, vbi conscribendis libris operam dabat.

Triumuirum.] Suprà dictum est, Augustum constituisse triumuiratū legendi Senatus: cùm ad hunc triūuiratum conficiendum ipse triumuiri vnius lectionem habuit, legit non aliquem ex his, qui Augusto chari erāt sed illius inimicū M.Lepidū, qui tūc exulabat, Circeios ab Augusto relegatus: sicut suprà iam diximus.

Interrogatus.] Scilicet Labeo ab Augusto.

Suum quenque iudicium.] Iuxta illam sententiā vulgatissimā, Quot capita, tot sententiæ. &, Velle suum cuique est. &, Quot capitum, totidem studiorum millia.

Libertas.] Licentia liberè loquendi: & hoc refertur ad eos, qui dixerant, licere oportere Senatoribus de Republica loqui.

Contumacia.] Ad Labeonem referendum, cuius contumax fuit responsio.

Fraudi.] Periculo, & detrimento, vt exponit Seruius enarrans illud Vergilianum: Quis deus in fraudem. In iure lectum est, Fraudi erit illa res: id est periculo, & pœnæ. Liuius in VII. Cauendum ne fraudi secessio esset. Vlpianus in titulo De ædilitio edicto, ait: Veteres fraudem pro pœna ponere solebant.

M. AN. Verba facienti.] Sermonem in curiam habenti.

Non intellexi.] Non percepi.

Si locum haberem.] Si meus esset dicendæ sententiæ locus: quibus apparet, vt in foro, ita in curia se in ordinem redigere solitum.

Immodicas altercationes.] Senatorum inter se contentiones.

Proripienti.] Irato animo abeunti.

Ingesserunt.] In abeuntem iactarunt.

Triumuirum.] Qui triumuir fuerat potius, quàm ad legendum Senatum: nam id negotium duabus profligatum constat electionibus, vna, qua vir virum legit, de qua nunc credo intelligi oportere: altera Augusti, & Agrippæ arbitratu.

Hostem olim eius.] Iam inde enim à magisterii equitum petitione, qua Lepidus fuit Augusto prælatus, simultas inter eos orta dicitur: inde ante triumuiratum initum hostes apertè fuerāt: nouissimè Augustus superbienti illi legiones in Sicilia ademit.

Interrogatus.] Antistius, qui eum legerat.

Ab eo.] Augusto.

Libertas.] Liberè loquēdi. Nestor ille Homericus: Τῶ, σε χρὴ πέρι μὲν φάσθαι ἔπ☉ ἠδ' ἐπακοῦσαι. Sensit cōsultissimus ille senex in publica consultatione æquè omnes & loqui, & audire oportere. Iliad. 9.

Fraudi.] Vitio, noxæ.

De libellis famosis contra eum factis. LV.

Etiam sparsos de se in curia famosos libellos, nec expauit, & magna cura redarguit. Ac ne requisitis quidem authoribus, id modò censuit, cognoscendum posthac de his, qui libellos aut carmina ad infamiam cuiuspiam sub alio nomine edant.

De moderatione, & ciuilitate eiusdem in agendo. LVI.

Iocis quoque quorundam inuidiosis aut petulantibus lacessitus, contradixit edicto. Et tamen de inhibenda testamentorum licentia, ne Senatus quicquam constitueret, intercessit. Quoties magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circuibat, supplicabátque more solenni. Ferebat & ipse suffragium in tribu, vt vnus è populo. Testem se in iudiciis & interrogari, & refelli

PHIL. Famosos libellos.] Lex duodecim Tabularum capitis pœna putauit esse sanciendum, si quis carmē condidisset, quod infamiam faceret. Praeterea scribūt Iurisconsulti lib x I. Digestorum, titulo De iniuriis, & famosis libellis: Si quis libellum ad infamiam alicuius scripserit, siue scripturam in notam alicuius fecerit, ediderit, etiam si alterius nomine fecerit, vel sine nomine, eum pœna ex Senatusconsulto teneri. Sensus est, Augustum libellos famosos cōtra ipsius maiestatem sparsos nō extimuisse: sed refutasse, redarguisseque tanquā falsos, omissa authorum ipsorum inquisitione. Cognoscendum posthac.] Vt deinceps quęstio haberetur, & disquisitio eorū, qui libellos famosos edidissent sub nomine alterius: quos & Iurisconsultus dicit esse puniendos.

Iocis.] Dicteriis, & scōmatibus: Græci λοιδορίας appellant: & alio vocabulo ἀποφθέγματα. Scribit Macrobius, apud veteres omnia, quæ facete, & breuiter, & acutè dicuntur, ea dicteria, iocósque appellari.

Inuidiosis.] Ex quibus inuidia, & odium conflabatur Augusto.

Petulantibus.] Procacibus, improbis.

Lacessitus.] Prouocatus.

De inhibenda testamentorum licentia.] Sensus est: Volebat Senatus inhibere licentiam testamentorum, quæ immodica vigebat: id prohibuit Augustus, volens vnicuique liberam esse testandi, legandíque voluntatem. Potest & hoc referri specialiter ad eos tantummodo, qui libellos famosos edidissent, quíque iocis petulantioribus principem irritassent: vt scilicet Senatus vellet tales priuari potestate, factionéq; testamenti faciendi: quod Augustus fieri vetuit. Et hic verior est sensus: quoniam, vt scribit Vlpianus, si quis librum ad infamiam alicuius pertinentem scripsit, etiam si alterius nomine ediderit, vel sine nomine, si condemnatus sit, qui id fecit, intestabilis esse ex lege iubetur. Vbi intestabilis significatur is, qui testamentum facere non potest. Quod & alibi declarat idem Vlpianus sic scribens in titulo De testamentis: Si quis ob carmen famosum dānetur, Senatusconsulto expressum est, vt intestabilis sit. Ergo nec testamentum facere poterit, nec ad testamentum adhiberi testis.

Cum candidatis suis.] Erant candidati, hoc est, petitores magistratuum, qui Cæsaris dicebantur. Hinc est ille iocus apud Quintilianum amphibologicus: nam Galba homini pilam negligenter petenti, Sic inquit, petis tanquam Cæsaris candidatus. Nam illud petis, ambiguum est.

Vt vnus è populo.] Tanquam vnus ex tribulibus, qui in sua tribu suffragium ferunt.

Testem in iudiciis.] In iudiciis testes iurati testimonium dicūt. Vnde Cicero multitudine testimoniorum Verrem, & Verris defensorem Hortensium adeò oppressit, vt obstupefactus Hortensius verbum nullū pro defensione fecerit, & Verres sua spōte iuerit in exilium. In actionibus pro testibus, atque in testes dici solet, qui interrogantur, & refellūtur ab aduersario. Cicero in oratione pro Fonteio Gallorum testimonia eleuat, sicut in oratiōe pro Flacco testes Græcos refutat. Scribit Quintilianus, separandum esse officium dantis testes, & refellentis: prouidendúmque ne timidus, ne inconstans, ne imprudēs testis sit, ne inducatur in laqueum.

Interrogari.] A patronis diuersæ partis testes interrogātur: quæ interrogatio, authore Quintiliano, in parte expeditior est, in parte difficilior. Refelli.] Refutari. Nam, vt ait Quintilianus, interlocutione patroni refutandus est testis, aut aliquo vrbanè dicto refrigerandus.

M.A N. Expauit.] Extimuit.

Redarguit.] Rediluit.

Sub alieno nomine.] Vt Iunius Nouatus, qui Agrippæ iunioris nomine asperrimam de Augusto epistolam in vulgus edidit.

Inuidiosis.] Inuidiam facientibus.

Petulantibus.] Procaci mordacitate incessentibus.

Inhibenda.] Comprimenda, quò minus liceret testatoribus quid cuique vellent legare. Sed magis illud placet, quod in iure est, vt famosorum libellorum authoribus, eiúsq; flagitii cōuictis testandi licentia adimeretur: quo decreto patres ad deterrendam eiusmodi hominum petulātiam intercessuri ab Augusto prohibiti sunt.

Intercessit.] Interposita authoritate effecit, ne quid super ea re decerneretur.

Cum candidatis suis.] Aut quos ipse ex Cæsaris instituto dabat: sicque pristinū suffragiorum ius haud populo restitutum intelligas, aut quum necessariorum aliquis peteret.

Tribus.] Iuratas in suffragia.

Supplicabat.] Suppliciter, ac de more petebat.

More solenni.] Patritio instituto.

In tribubus.] Inter tribules suos.

Interrogari.] Vt priuatum pro testimonio rogari.

Refelli.] A contradicentibus.

æquissimo animo patiebatur. Forum angustius fecit, non ausus extorquere possessoribus proximas domos. Nunquã filios suos populo commendauit, vt non adiiceret, si merebuntur. Eisdem prætextatis adhuc assurrectum ab vniuersis in theatro, & à stantibus plausum, grauissimè questus est. Amicos ita magnos & potentes in ciuitate esse voluit, vt tamen pari iure essent, quo cæteri, legibúsque iudiciariis æquè tenerentur. Quum Asprenas Nonius arctius ei iunctus, causam veneficii, accusante Cassio Seuero diceret, consuluit Senatum quid officii sui putaret: cunctari enim se, ne si superesset, eriperet legibus reum: sin deesset, destituere, ac prædamnare amicũ existimaretur. Et consentientibus vniuersis, sedit in subselliis per aliquot horas, verùm tacitus, ac

PHIL. Forum angustius.] Mira principis modestia, qui maluit forum facere arctius, & minus capax, ne iniuria afficeret possessores domorum vicinarum, quas inuiti dabant. Id tamen Augusti forum à Plinio numeratur inter magnifica vrbis Romæ ædificia.

Si merebũtur.] Tãquã nollet esse populo Romano commendatos, nisi propria virtute meruissent esse commendabiles.

Prætextatis plausum.] Illi, de quibus populus bene sentiebat, ingressi theatrum plausu excipiebãtur. Hos plausus Horatius tergeminos honores appellat, sicuti Porphyrio interpretatur. Fit autẽ plausus, vt scribit Seneca, palma collata cum palma. Augustus acerbè tulit, quòd populus honoris causa assurrexisset filiis suis adhuc prætextatis, hoc est, in poerili ætaté collocatis. Assurgimus enim his, quos tanquam superiores honoramus. Vnde assurgere, significat loco cedere: sicut apud Ausonium:

Assurgit musæ nostra Camœna tuæ.

& apud poetam:

Assurgit quibus & rex Ipse Phaneus.

De prætexta puerorum, & magistratuum iam dictum est.

Pari iure essent.] Docet Liuius, sodales regum regio more viuere solere, summáque in licentia, atque in libertate versari. Sic enim scribit in secundo ab origine vrbis: Erant in Romana iuuentute adolescentes aliquot, nec hi loco tenui orti, quorum in regno libido solutior fuerat, æquales, sodalésque adolescentium Tarquiniorum, assueti regio more viuere.

Legibus iudiciariis æquè tenerentur.] Vt accusari possent, & in iudicium vocari, & legibus, quibus iudicia constant, subiici: quod in ciuitatibus fieri solet, in quibus æqua libertas est, iurísque æquabilitas, & leges dominantur.

Accusante Cassio Seuero.] De hoc ita scribit Macrobius: Cùm multi, accusante Cassio Seuero, absoluerentur, & architectus fori Augusti expectationem operis diu traheret, ita locutus est Augustus: Vellem vt Cassius meum forum accusasset. De eodem ita Seneca libro tertio Declamationum: Seuerus Cassius sine commentario nunquam dixit. Historia autem hæc de Asprenate veneficii reõ, & accusatore Cassio Seuero, signatur à Plinio nostro in xxxv. cap. xii. cuius hæc sunt verba ad sententiam Tranquilli illustrandam conducentia: Memoria, non illa fœdiore, cuius veneno Asprenati reo Cassius Seuerus accusator obiiciebat interiisse centumtriginta cõuiuas. Asprenatis declamatoris meminit idem Seneca in libris Controuersiarum. In Cassio Seuero ingenii plurimùm, & acerbitatem miram, ac summam vrbanitatem fuisse, testis est Quintilianus in x. quẽ ait plus stomacho, quàm consilio dedisse.

Officii sui.] Verum Asprenati Nonio veneficii reo fauere deberet, an eum deserere.

Cunctari.] Hæsitare.

Ne si superesset.] Id est, aduocatus esset, reúmque defenderet: hoc enim significat Superesset. Hinc animaduerte hoc verbum superesse, cõtra Gellii sententiam à Tranquillo positum pro defendere, atque aduocatum esse. Nanque Aulus Gellius in I. Noctium Atticarũ scribit, falsam huius verbi significationem inueterasse, qua dicitur, Hic illi superest, quum significare volunt aduocatũ esse quẽpiam, causámque eius defendere: atque id dici non in compitis tantùm, neque in plebe vulgari, sed in foro, in comitio apud tribunalia.

Eriperet legibus reum.] Vbi princeps suscipit patrocinium rei, haud dubiè reus absoluitur: in quo absoluendo iudices non quid iubeant leges spectant, sed quid velit princeps.

Prædamnare.] Quasi facto præiudicio sua sententia damnare, quem nollet defendere.

Amicum.] Asprenatem.

In subselliis.] Iudicum: in quibus & testes, & rei, & accusatores sedere solebant. Alibi diximus de differentia subselliorum & tribunalium.

Angustius.] Strictius, contractius, minus amplum. M. A N.

Prætextatis.] Adhuc pueris.

Assurrectum.] Quòd in theatrum venientibus populus assurrexisset.

Pari iure.] Aequo iure. Cicero: Ius, & æquitas, quæ duo sunt vincula ciuitatis.

Causam veneficii diceret.] Plinius, Cuius, ait, veneno Asprenati reo Cassius Seuerus accusato obiiciebat centumtriginta conuiuas interiisse.

Cassio Seuero.] Quintil. Cassius, inquit, Seuerus si cæteris virtutibus colorem, & grauitatem orationis adiecisset, ponendus inter præcipuos foret: nam & ingenii plurimùm in eo est, & acerbitas mira, sed plus stomacho, quàm consilio dedit. Cornelius Tacitus plus virium eum, quàm sanguinis habuisse ait: nec pugnare visum, sed rixari, & ob id inter recentiores putat oratores reponendum.

Quid sui officii putaret.] Quid à se fieri oporteret.

Cunctari.] Hærere, dubitare.

Superesset.] Adesset. Nouiter, vt Gellius scribit, Inualuit vt plerique superesse, pro adesse dicerent: sed ab eruditioribus non facile receptum.

Prædamnare.] Quasi manifesti criminis reum destituere, & ante iudicium pro damnato habere.

In subselliis.] Subsellia sunt iudicum, vt ex Pediani sententia ostendimus, tribunalia verò magistratuum.

Laudat

ne laudatione quidē iudiciali data. Adfuit & clientibus, sicut scutario cuidam, euocato quondam suo, qui postulabatur iniuriarum. Vnum omnino è reorum numero, ac ne eum quidem, nisi precibus, eripuit, exorato coram iudicibus accusatore, Castritium, per quem de coniuratione Murenæ cognouerat.

De *dilectione Romanorum ad eum.* LVII.

PRo quibus meritis quātopere dilectus sit, facile est æstimare. Omitto Senatusconsulta, quæ possunt videri vel necessitate expressa, vel verecundia. Equites Romani natalem eius sponte, atque consensu biduo semper celebrarūt. Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute eius stipem iaciebant. Itē Calendis Ianuariis strenā in Capitolio etiā absenti, ex qua summa, pretiosissima deorū simula-

PHIL. Laudatione iudiciali.] Morem tangit antiquum, quo reos in iudicio amici laudabant, vt ita absolutionem facilius impetrarent. Hoc docet Plutarchus, scribens Pompeium vetuisse per legem vsurpari laudationes solitas fieri pro reis in iudiciis. Posteà quum ipse Munatiū Plancū laudaturus processisset in iudiciū, essetque vsurus iudiciali laudatione, Cato, qui in ea causa iudex erat, aures manibus obserauit, dicens se nolle audire laudationē lege aduersante.

Adfuit clientibus.] Patrociniū suscepit, causásque iuuit cliētium: quibus ex more Romano debetur antiquior locus, quàm cognatis.

Scutario.] Scutarii milites à scuto dicti sunt. Marcellinus: Nec scutarios adesse didicerat. Scutigerulus verò à Plauto dictus armiger, qui gerit scutum domini. In Romana militia habebant fabricas scutarias, & loricarias, vt inquit Vegetius in secundo, quibus armorum genera formabantur. Scutarius quoque artifex scutorum dici potest.

Euocato.] Euocati dicuntur hi, qui à principe euocātur ad militiam: &, vt inquit Seruius in VIII. Aeneidos Commentario, euocatio militaris fiebat, quum ad diuersa loca diuersi propter cogēdos mittebātur exercitus. Euocatos autem fuisse honoratioris loci testantur Historici: quod & Cæsar indicat, cùm ait: Erat Crastinus euocatus in exercitu Cæsaris, qui superiore anno apud eum primū pilū duxerat in legione decima.

Postulabatur iniuriarū.] Accusabatur de iniuriis.

Ex reorum numero eripuit.] Castritiū, qui accusabatur, sustulit Augustus de numero reorū: ita tamē vt prius accusatorē exorauerit, vt ab accusatione desisteret.

Exorato.] Exorare, vt inquit Donatus, est impetrare. nam orator est, dum rogat: exorator verò, cùm impetrauerit. Terentius: Orator ad vos venio, sinite exorator siem.

Murenæ.] Superius meminit Murenæ coniurationis, quam sic breuiter signat Seneca in libro De clementia: Seueritate nihil adhuc profecisti: Saluidienum Lepidus sequutus est, Lepidum Morena, Murenam Cepio. Idem in libro De breuitate vitæ: Murenæ, Cepionis, Lepidi, Egnatii in Augustum mucrones acuebantur.

In lacum Curtii.] Qui erat in foro Romano: de cuius nomine, vnde ductum sit, superius historia est explicata. Stipem.] Diximus suprà, stipem dici æs, atque pecuniam, à stipando.

Strenam.] Strenam vocamus munus, quod datur die festo, ominis boni gratia, à nomero, quo significatur alterum, tertiúmque venturum similis commodi: veluti trenam, quæ præposita s litera, dicitur strena, vt in loco & lite solebant antiqui dicentes stlocum, & stlitem. Quidam strenam à strenuitate dici existimant. Scito autem, strenarum nomine peculiariter significari munuscula illa, quæ Saturnalibus Christianorum passim dantur, & potissimùm die Dominicæ natiuitatis, & principio anni noui: quo stipes æreæ apud veteres quoque dabantur. Vnde ait Ouidius:

Tu tamen auspicium cur sit stipis vtile quæris.

Ausonius:

Curam pro strenis excubuisse tuis.

Pomponius: Asside, si qua ventura est alia strena strenæ. Populus Romanus Calendis Ianuariis, hoc est, anni noui principio ex ritu vetusto strenam dabat Augusto, etiam absenti: quod erat specimen maximæ in principem dilectionis.

Laudatione iudiciali data.] Iudicum electione, siue sortitione nondum probata, cuius cōtraria erat reiectio: de qua Cicero, & Asconius sæpius. M. AN.

Adfuit & clientibus.] Quasi dicat, non solùm amicis, qui clari nominis essent, sed clientibus quoque: quanquam ex veteri Romani populi instituto, primus in officiis accipiendis locus post parentes pupillis sit datus, ab eo proximus clientibus, mox hospitibus, inde cognatis, & affinibus. Massurius Sabinus hospitem clienti prætulit. M. Cato patronum proximum nomen esse dixit à patre: quasi proximum sit patronorum in clientes officium ab eo, quod est parentum in liberos: cui opinioni Halicarnasseus Dionysius adstipulatur.

Scutario.] Militi, à scuto dicto Paulus Diaconus lib. x. rerum Romanarū: Valentianus, inquit, quum esset scutariorum tribunus, apud Nicæam Augustus est appellatus; Potest & scutarius dici scutorum faber.

Euocato.] Euocari dicebantur, vt Seruius ait, qui ex diuersis locis collecti in exercitum coibant: neque hi milites erant, sed pro militibus habebantur: quod significanter Crispus demonstrat.

Postulabatur iniuriarum.] Iniuriarum erat reus.

Eripuit.] Iudicio detraxit.

Exorato.] Precibus victo: vt præsenti actione desisteret.

Castritium.] Reum.

Vel necessitate.] Maiestatis, & potentiæ metu.

Verecundia.] Rubore.

Sponte.] Non iussi, non rogati.

Omnes ordines.] Patritius, equester, & plebeius.

In lacum Curtii.] Locum inter Palatium, & Capitolium: de quo Liuius, Plutarchus, & Dionysius satis multa.

Ex voto.] Pro eius scilicet salute suscepto.

Stipem.] Pecuniam. Strenam.] Munus annuū: &, vt quidam interpretantur, quasi strenuam.

Absenti.] Si procul etiam abesset.

Vicat

cra mercatus, vicatim dedicabat, vt Apollinem Sandalariū, & Iouem Tragœdū, aliáq;. In restitutionem Palatinæ domus incendio absumptæ, veterani, decuriæ, tribus, atque etiam singulatim è cætero genere hominum, libentes, ac pro facultate quisque pecunias contulerunt, delibante tantummodo eo summarum aceruos, neque ex quoquam plus denario auferente. Reuertentem ex prouincia, non solùm faustis ominibus, sed & modulatis carminibus prosequebantur. Obseruatum etiam est, ne, quoties introiret vrbem, supplicium de quoquam sumeretur.

De honore eidem collato per Senatum, populúmque Romanum. LVIII.



Atris patriæ cognomen vniuersi repētino maximóque consensu detulerunt ei.

PHIL. Vicatim.] Per vicos. Apollinem Sandaliarium.] Apollo Sandaliarius dictus est à vico, cuius meminit Gellius his verbis libro Noctium Atticarum XVII. In Sandaliario fortè apud librarios fuimus. Videtur autem hoc nomen deduci à sandalio calceamento, tanquā in eo sandalia fierent, & illhic habitarent calceolarii. Ita enim appellantur à Plauto: quanuis quidam nō calceolarios in Aulularia Plauti legant, sed calceolarios. Sandalium autem calceamentum esse notissimum est vel vnius Terentii testimonio, ita scribentis in Eunucho: Comminuam tibi sandalio caput. Iulius Pollux docet, sandalia esse calceamenta peculiariter Hetruscorum. Legimus in libro Iudith, quemadmodum illa induit sandalia in pedibus suis, assumpsitque dextrariola, & inaures. Sunt autem dextrariola (vt hæc quoque verba obiter enarrentur) ornamenta brachiorum, quæ alio nomine dextrocheria nuncupantur. Scribit Iulius Capitolinus Maximinum patrem pollice fuisse ita vasto, vt vxoris dextrocherio vteretur pro annulo. Ab effigie sandalii, hoc est, soleæ, Sardinia insula nominatur Sandalioris: quam Myrsilus Ichnusam vocat, à similitudine vestigii, quod Græcè ἴχνος dicitur. Silius quoque in XII. Punicorum ob id Ichnusam appellat Sardiniam illo versu:

Inde Ichnusa prius Graiis memorata colonis.

Iouem Tragœdum.] Fortassis ita appellatū à vico tragœdorum: in quo tragœdi, hoc est, actores tragœdiarum diuersabantur. Potes referre ad habitum simulacri Iouialis, quod tragœdi amictu esset ornatū: quod non placet. Alia.] Scilicet simulacra deorum.

In restitutione Palatinæ domus.] Quum domus Augusti in Palatio cōflagrasset, ad eius restitutionem pecunias contulerunt sua sponte, & libenter veterani milites, ordines iudicum, quæ decuriæ dicuntur, & tribus omnes: quæ trigintaquinque numero erant in vrbe. Ex quibus planè colligimus, Augustum fuisse Romanis omnibus dilectissimum.

Singulatim.] Hoc est, multi separatim. A singulo singulatim aduerbium deducitur.

Delibante.] Modicè carpente: translatio sumpta ab his, qui cibaria, poculáque leuiter delibant.

Denario.] Denarius nummus est argenteus, qui, authore Plinio, pro decem libris æris placuit, sicut quinarius pro quinque. Faustis ominibus.] Felicibus acclamationibus. Scribit Cicero in I. de Diuinatione, quòd voces hominum, quæ vocant omina, maiores nostri valere censebāt: & idcirco omnibus rebus agendis, Quod bonū, faustum, felix, fortunatúmq; esset, præfabantur. De quoquā.] Sonte scilicet morti dānato. Legimus apud Historicos, virgines Vestales tāta fuisse maiestate præditas, vt si casu, dum in publicū prodirēt, in quenquā incidissent, qui ad mortem duceretur, necari eum nō liceret: verùm deierare virginem Vestalem oportebat, se fortuitò, non de industria, factam obuiam. Patris patriæ.] Post detectam vindicatámq; Catilinæ coniurationem Cato, qui tum tribunus erat, Ciceronē pro Rostris oratione luculenta laudauit, illúmq; patrē patriæ primū appellauit: quod nominis ornamentum à populo cōfirmatum est. hinc illud:

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Tradūt eruditi, huiuscemodi appellationem à Cicerone sumpsisse initium ex hac Catonis laudatione: ac deinde ad Imperatores, qui digni habebantur, paulatim defluxisse: nec enim qui liber, quanquā Imperator, statim pater patriæ appellabatur: sed in testimonium virtutis hoc cognomen optimis principibus deferri solebat: sicut in præsentia delatum est Augusto. Laudat Plinius Traianū, quòd soli omnium illi contigerit, vt pater patriæ esset antè, quàm fieret. Nam tūc meritò princeps est pater patriæ appellandus, quādo ita viuit cum ciuibus, quasi cum liberis parens. Ouid. in II. Fastorū tradit, cognomen patris patriæ datū esse Augusto Nonis Februarii ab omnibus ordinibus. Sic enim inquit:

Sancte pater patriæ, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques.

M.A.N. Vicatim.] Per vicos. Apollinem Sandaliarium.] Ad habitum quidam id referūt. Ego potius ad locum, vt à vico sandaliariis opificibus refero, in quo statua dedicata sit, cognomen fuerit illi datum. Est sandalium calceamenti genus. Terentius: Vtinam videā tibi comminigari sandalio caput. Græci σανδάλιον soleam vocant: vnde & Sardinia quādoq; ab illius forma Sandalioris, vt Plinius ait, est dicta. Iouē Tragœdū.] Vt illū à loco, ita hunc ab habitu cognominatū existimo. Est enim tragœdus, qui tragœdiā agit. Quo habitu in scena tragœdi vterentur, suo loco dicetur.

Veterani.] Iam emeriti. Decuriæ.] Iudicū scilicet.

Tribus.] Quæ quinque & triginta erant numero.

Singulatim.] Per se multi. Delibante.] Leuiter attingente, ne suorum munificentiam omnino aspernari videretur. Aceruos.] Cumulos.

Faustis ominibus.] Lucanus. -Non omina fausta,
Non fictas læto voces simulare tumultu.

Ne supplicium.] Ne publicè, aut priuatim quisquā supplicio afficeretur.

Patris patriæ.] Togatorum primus Cicero, Catone id censente, patris patriæ cognomen, Catilinæ cōiuratione oppressa, est assecutus. Plinius: Salue primus omnium parens patriæ appellate: primus in toga triumphum, linguæque lauream merite. Iuuenalis:

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Liuius, Plutarchus, & Appia. eiusdē sunt rei authores.

Prima plebs legatione Antium missa, dein quia nō recipiebat, ineunti Romæ spectacula frequēs, & laureata: mox in curia Senatus, neque decreto, neque acclamatione, sed per Valerium Messalam id mandantibus cunctis: Quod bonū, inquit, faustúmque sit tibi, domuíque tuæ, Cæsar Auguste. (Sic enim nos perpetuam felicitatē Reipublicæ, & læta huic precari existimamus) Senatus te consentiens cum populo Romano, consalutat patriæ patrem. Cui lacrymans respondit Augustus his verbis: (ipsa enim sicut Messalæ posui) Compos factus votorum meorum, patres conscripti, quid habeo aliud deos immortales precari, quàm vt hūc consensum vestrum ad vltimum vitæ finem mihi perferre liceat?

De honoribus eidem collatis per singulares ciues Romanos. LIX.



MEdico Antonio Musæ, cuius opera ex ancipiti morbo cōualuerat, statuā, ære col-

PHIL. PRima plebs.] Scilicet detulit cognomen patris patriæ. Antium.] Vbi erat Augustus. Est autem Antium ciuitas in Latio Volscorū caput, litoralis quidem sed portu carēns: ad otium, rerūmque vrbanarum vacationem accommodata: quo secessu Romani principes, authore Strabone vtebantur: quocirca in ea vrbe ædificatæ erant ædes magnificēter. Quemadmodū à Romanis sit deducta colonia, scribit Liuius: apud quem satis multa de Antiatibus.

Frequens, & laureata.] Ritu scilicet triumphali. Nanque Romani laureati currū triūphantis sequi solebant. Mox.] Post ipsam plebem.

Senatus.] Scilicet detulit cognomen patris patriæ.

Acclamatione.] Senatus, cùm in curia sedisset, solitus erat acclamationibus principem decorare, & laudationibus. Vnde ait Flauius Vopiscus in Tacito, Senatum omnem acclamasse, Tacite Auguste, dii te seruent: te diligimus, te principem facimus, tibi curam Reipublicæ, orbísque mandamus. Et post paulò, Acclamationes, inquit, Senatus hæ fuerunt. Acclamationum aliæ veræ erant, aliæ falsæ, prout bonis malísve principibus fiebant. Hinc Plinius in Panegyrico: Discant principes acclamationes veras, falsásque discernere. Sensus est Tranquilli, Senatum neque per acclamationem, neque per decretū detulisse Augusto cognomen patris patriæ, sed demandasse per Valerium Messalam clarissimum Senatorem. Fuit enim Messalarum familia Romæ clarissima: qui, sicut docet Seneca in libro De breuitate vitæ, primò Messanæ appellati sunt à nomine Messanæ ciuitatis Siciliæ, quam Valerius primus vicit: paulatim verò vulgo permutante literas Messalæ dici cœperunt.

Quod bonum.] Verba Messalæ.

Sicut Messala.] Corrige Messalæ. Ait enim Tranquillus, se apposuisse ita verba Augusti, sicut iam apposuit ipsius Messalæ verba, quibus consalutauit Augustum patrem patriæ.

Compos factus.] Verba Augusti.

Hunc consensum.] Quo Senatus vniuersus vnà cum populo de Augusto bene sentiebat.

Medico Antonio Musæ.] Antonius Musa medicus fuit Imperatoris Augusti, vt ait Porphyrio enarrans illud Horatianum: -Nam mihi Baias

Musa superuacuas Antonius, & tamen illis

Me facit inuisum.-

Hic viperas edendas dabat, cùm incidisset insanabilia vlcera, miráque celeritate persanabat: vt author est Plinius in trigesimo, qui in decimonono, cap. septimo ita scribit: Diuus certè Augustus lactuca conseruatus in ægritudine fertur, prudentia Musæ medici: quum priores eam ex religione minimè commanducarent. Idem in vigesimonono: Sed illa Antonius Musa mutauit authoritate diui Augusti: quem cōtraria medicina graui periculo exemerat. Legimus in Ecclesiastico: Honora medicum, propter necessitatem etenim illum creauit altissimus: à Deo enim est omnis medela. Cassius Hemina ex antiquis author est, primum venisse Romam ex medicis Archagatum Peloponnesium: cui datum est ius Quiritium, & taberna in compito Acilio: fuitque ab initio gratus, mox ob crudelitatem, sæuitiámque medendi inuisus. Cato inuectus est in medicos, & maximè Græcos. Extat apud Plinium luculenta in malos medicos peroratio. Sed meritò statuæ honore decoratus est Antonius Musa, & quia fuit medicus optimus, & quia sanauit Augustum genium Romanorum: ex cuius salute pendebat salus, non solùm vrbis, sed etiam orbis. Græci honores eosdem Hippocrati principi medicorum, quos Herculi, decreuerunt. Antonius Musa volumen condidit De medicina luculentum, quod hodie quoque extat. Antonii Musæ mentionem facit & Galenus.

Aere collato.] Quum vnusquisque æs contulisset ad statuam fabricandam: ita, authore Liuio, Menenium Agrippam extulit plebs Romana sextantibus collatis in capita.

ANtium.] Litorale Latii oppidum, quondā Aphrodisium dictum: vbi fortè Augustus erat. M. A N.

Laureata.] Laureos gestans ramos, aut laureas coronas habens.

Decreto.] Prius facto.

Neque acclamatione.] Tumultuaria appellatione, vt est apud Lampridiū: Acclamationes, inquit, Senatus graues fuere. & mox paulò, Acclamationes ipsas indidi, & sententiam: senatuscōsulto hosti patriæ honores detrahantur: parricidæ honores detrahātur, parricida trahatur. & alia quæ sequuntur.

Faustum.] Plutarchus, Quod felix est, inquit, & hilare, Romani faustum appellant.

Ipsa.] Augusti verba.

A Messala relata.] Id est, memoriæ prodita.

Compos factus.] Quasi votorum omnium summa fuisset, vt pater patriæ meritò quádoq; appellari posset. Consensum.] Hoc vestrū, hoc de me iudicium.

Antonio Musæ.] Antonio cognomento Musæ, medico ea tempestate illustri. Plinius: Diuus certè Augustus lactuca seruatus in ægritudine fertur, prudentia Musæ medici.

lato iuxta signum Aesculapii statuerũt. Nonnulli patrum familiarũ testamento cauerunt, vt ab hæredibus suis prælato victimæ titulo in Capitolium ducerentur, votúmque pro se solueretur, quòd superstitem Augustum reliquissent. Quædam Italiæ ciuitates diem, quo primùm ad se venisset, initium anni fecerunt. Prouinciarum pleræque super templa & aras, ludos quoque quinquennales penè oppidatim constituerunt.

De honore ei collato per reges ac ciuitates. LX.

REges amici, atque socii, & singuli in suo quisq; regno Cæsareas vrbes cõdiderũt, & cũcti simul ædẽ Iouis Olympici Athe-

PHIL. IVxta signum Aesculapii.] Prope statuam dei medicinæ loco honoratiore, perinde ac deo proximus foret in medendo. Aesculapium enim Apollinis filium, sicuti notissimum est, cœlo dicauerunt, & diis assignauerunt prisci, tanquam inuentorem medicinæ: authores Plinius, & Celsus. Aesculapium scripsisse Myriogenesim, testis est Iulius Firmicus lib. v. Matheseos: quo volumine omnium geniturarum ordines explicari inueniebantur. Aedes Aesculapii in insula Tyberina extra vrbem posita erat. Causam refert Plutarchus in Problematis: quia scilicet salubrius foris, quã in vrbe degitur. vnde & Græci templa Aesculapii construunt in excelsis, ac puris locis. Nota historia est de Aesculapio tollendæ pestilentiæ causa accersito, euocatóque ex Epidauro, quod oppidum Aesculapii delubro celebre est.

Testamento cauerunt.] Prouiderunt, præscripserunt in tabulis testamentariis.

Prælato titulo.] Antelata inscriptione, quæ significabat ideo victimas immolari, votúmque exolui, tanquam libenter morerentur, dum relinquunt tam bonum principem superstitem.

Initium anni.] Maximum specimen amoris, & venerationis in principem hoc erat, quòd sicut nos annũ auspicamur Calendis Ianuariis, ita quædam ciuitates annum incipere voluerunt ab eo die, quo Augustus primùm ad illas accessisset: tanquam ille dies esset omnibus aliis diebus anteponendus, quo Augustum vidissent sua mœnia inuisentem, & suos lares adeuntem.

Super templa.] Id est, vltra templa, quæ erexerant Augusto, ludos quoque celebrari voluerunt in illius honorem quinquennales. quod Herodem in primis factitasse legimus, qui in Cæsarea ciuitate Iudææ theatrum, amphitheatrúmque digna vocabulo collocauit, & quinquennali certamine instituto, nomen ei Cæsaris dedit: in quo maxima præmia victoribus proposuit, vt scilicet ipsi victores, & proximi, & tertii successores eorum regalibus diuitiis potirentur.

Penè oppidatim.] Quasi per singula oppida.

Cæsareas vrbes.] Sicuti Herodes, qui, authoribus Iosepho, & Egesippo, ciuitates in Iudæa condidit in honorem Cæsaris Augusti, quas partim Cæsareas, partim Sebastas, hoc est, Augustas appellauit. Idem in multis ciuitatibus templa constituit, quæ Cæsareæ nominantur. Iuba quoque rex condidit in Mauritania Cæsaream ciuitatem in honorem Cæsaris Augusti, sicut tradit Eutropius.

Aedem Iouis Olympici.] Inter cætera Iouis cognomenta, Olympii cognomen apud Græcos inclytũ est, & in primis Athenis. Existimat Diodorus in quarto Bibliothecæ, Iouem Olympium cognominatũ fuisse ab Olympio, à quo eruditus, & ad virtutem institutus fit. Alii verò à cælo, quem Οὐρανὸν Græci appellant, in quo regnare fertur. Athenis, vt scribit Thucydides in secundo Historiarum, templum visebatur Iouis Olympii, de quo nunc loquitur Tranquillus, scribens eam ædem dedicatam fuisse genio Augusti. De hoc Iouis Olympii templo sic scribit Plinius in trigesimosexto: Sic est inchoatum Athenis templum Iouis Olympii, ex quo Sylla Capitolinis ædibus aduexerat columnas. De eodem Spartianus in Adriano: Opera, quæ apud Athenienses cœperat, dedicauit: vt Iouis Olympii ædem. Scribit Cicero in Verrinis, fuisse Syracusis egregium templum Iouis Olympii. Refert Pollux in sexto Onomastici, quòd [illegible]. id est, Prima cratera dicitur Iouis Olympii, & deorum Olympiorum. Pericles Atheniensis ab eloquentiæ vi, atque excellentia cognominatus est Olympius, vt docet Plutarchus in Pericle. Hinc ait Plinius in XXXIIII. Stypax Cyprius vno celebratur signo, Splãchnopte, Periclis Olympii vernula. Vbi Splanchnoptes significatur euisceratus. Græci enim τὰ σπλάγχνα vocant viscera. In codice Plinii peruetusto legi sparganopte, vt exponas fasciato. Nam σπαργανίζω Græci dicunt fasciis vincio: & σπάργανον fasciam. Vtrunq; historiæ accommodatũ est. Faber enim, qui seruus erat charus Pericli, cùm in arce templum ædificaret, repsissétq; super altitudinem fastigii, inde præceps cecidit: ex quo lapsu cùm vehementer ægrotaret, essétque à medicis deploratus, fertur Minerua Pericli ob lapsum vernulæ dolenti in somnis demonstrasse herbam, quæ contra lapsus, & præcipitia est singularis: qua ille statim sanatus est. quare herba, quæ prius dicebatur perdicium, cœpta est vocari parthenium, à virgine Minerua. παρθένος enim Græce, virgo dicitur. Huius vernulæ effigies ex ære facta est ad perpetuum rei monumentum, qui quum formatus esset ab artifice visceribus effusis, vel fasciis vinctus, fuit cognominatus Splanchnoptes, siue sparganoptes. Apud Plinium, vt diximus, legitur in trigesimoquarto Splãchnoptes: apud eundem in XXII. legitur Sparganoptes. Ex quo cõiicimus vel hîc, vel illhic esse mẽdum: tamen siue hæc, siue illa lectio magis placet, habes vtriusque interpretamentum. Sed cùm cognitio rerum quotidie crescat, liceátque semper inuenire meliora præteritis, ego censeo apud Plinium esse legendum Splanchnopten, sed non pro euiscerato, verùm pro viscera, siue exta torrente. Hæc est proba Plinii lectio, hic verus intellectus, quod & dictio Græca docet. nam ὀπτᾶν est torreo, siue asso: τὰ σπλάγχνα viscera: & ipsemet Plinius ostendit, quum ait statim post mentionem Splanchnoptis: Hic fuit exta torrens, ignem oris pleni spiritu accendens.

M. AN. SIgnum Aesculapii.] Aesculapii templum in Tyberina insula fuit: Ouidius & Valerius authores sunt. Plutarchus tamen in Quæstionibus, quærit quid sit quòd Aesculapio extra vrbem ædes poneretur.

nis antiquitus inchoatam, perficere cõmuni sumptu destinauerunt, genióque eius dedicare: ac sæpe regnis relictis, non Romæ modò, sed prouincias peragranti quotidiana officia togati, ac sine regio insigni, more clientum præstiterunt.

De interiori, & familiari uita. LXI.

QVoniam qualis in imperiis ac magistratibus, regendáq; per terrarum orbem pace belloque Republica fuerit, exposui: referam nunc interiorem, ac familiarem eius vitam, quibúsque moribus, atque fortuna domi, & inter suos egerit, à iuuenta vsque ad supremum vitæ diem. Matrem amisit in primo consulatu, sororem Octauiam quinquagesimum & quartum agens ætatis annum. Vtrique quum præcipua officia viuæ præstitisset, etiam defunctæ honores maximos tribuit.

De sponsis, & uxoribus eius. LXII.

SPonsam habuerat adolescens P. Seruilii Isaurici filiam, sed reconciliatus post pri-

Cauerunt testamento.] Cautum voluerunt.

Prælato titulo.] Sacrificii causa titulo prælata.

Superstitem Augustũ.] Suscipiendi voti ratio fuit, si morientes Augustum superstitem reliquissent.

Initium anni.] Vt dies ille annum inchoares, quo primùm Augustus sua esset mœnia ingressus.

Oppidatim.] Per oppida.

Cæsareas vrbes.] Cæsaris nomine nuncupatas.

Cuncti simul.] Cõmuni nomine, quasi coniuncti: vt Pedianus interpretatur.

Iouis Olympici.] Velab Olympia regione Pisæi agri parte, vbi templum Iouis fuit: vel vt Diodo. scribit, ab eo quòd Iupiter puer Aegypti rex à Dionysio cõstitutus, ab Olympo quodã, quem ille præfecti nomine puero dederat, eruditus, & ad virtutẽ institutus esset, Olympius, siue Olympicus est dictus. Quòd Olympii Iouis templum Athenis fuerit, Thucydides author est: Hac, Inquit, præcipuè parte extructa delubra visuntur Iouis Olympii, Telluris: quæ loca videtur idẽ author significare esse ante Thesei tempora in vetustissima vrbis parte fuisse constructa. Dictus est & Iupiter Xenius, hospitalis deus, quẽ hospites inuocabãt, si quãdo hospitiũ violaretur.

PHIL. GEnio.] De geniis lege quæ scribunt Apuleius in libro De dæmonio Socratis: & Martianus in libro De nuptiis Philologiæ: & Augustinum in octauo De ciuitate Dei: & nos copiose scripsimus in Commentariis Propertii Illud in præsentia referendum est, quod à Censorino refertur, qui scribit, genium nullo sanguine colendum esse: ne die, qua lucem ipsi accepimus, alii demamus. Illud etiam adde, quod tradit Firmicus Maternus in secundo Matheseos, dignum memoratu, vndecimũ ab horoscopo In genituris locũ à nobis dici bonum genium: qui à Græcis appellatur ἀγαθὸν δαίμονα: qui est locus Iouis, & cum horoscopo exagona radiatione coniungitur. Genium die natali suo quisque venerabatur. Si quis iurauerit per genium principis dare se non oportere, & peierauerit, Imperator rescripsit, fustibus eum esse castigandum: & ita ei insuper dici, Importunè noli iurare: sicut docent Iurisconsulti Digestis De iureiurando. Citius, vt inquit eleganter Tertullianus, per omnes deos, quàm per vnum genium Cæsaris peieratur. De genio Constantii principis, & de geniis eruditè scribit Ammianus Marcellinus in xxs. Satis est locos indicare, ne volumen extuberet.

Togati.] Sensus est, Reges périnde ac clienses togatos more clientum Romanorum sine regio insi-

gni, hoc est, sine diademate ornamentísque regalibus solitos fuisse præbere officia Augusto iter facienti per prouincias. Toga enim Romani est habitus, & clietis. Vnde togati dicti. Martialis:

Mane vel à media nocte togatus ero.

Huius historiæ meminit Eutropius his verbis: Multi reges ex regnis suis venerunt, vt Augusto obsequerentur: & habitu Romano, togati scilicet, ad vehiculũ vel equũ ipsius cucurrerũt.

Quoniam qualis in imperiis ac.] Post explicatam Augusti vitam publicam, hoc est, qualis fuerit in publicis rebus administrandis, nunc referre se velle vitam priuatam testatur, hoc est, qualis fuerit in re domestica, qualiter vixerit cũ suis, nunquid fortunatior fuerit foris, quàm domi. Hæc enim, quæ pertinẽt ad cognitionem vitæ interioris, & domesticæ, non minus ostendũt principem, quàm res foris gestæ, & vita in propatulo acta. Vtitur autem Tranquillus transitione, quæ exornatio rhetorica est: quæ quum ostenderis breuiter quid dictum sit, item breuiter proponis quid consequatur.

Matrem.] Actiam.

Isaurici filiam.] Seruilius Isauricus, cùm mortuus esset, elatus fuit publico funere.

Interiorem vitam.] Domesticam, & qualis fuerit domi, & intra penates.

Vtrique.] Matri Actiæ, & sorori Octauiæ.

GEnio.] Deorum filio, vt Augustinus scripsit, & parenti hominum, ex quo homines gignuntur. M.A.N.

Laberius: Genius generis nostri parens. Alii omnium rerum gerendarum: alii cuiusque loci deum autumant.

Peragranti.] Lustranti.

Quotidiana officia.] Circa illum officii causa quotidie versati.

Togati.] Romano, ciuilique habitu, non regio culti. Est enim sagum vestis index belli, vt toga pacis, quam tamen Consulares non gestabant.

Insigni.] Sine purpura, & diademate.

Quoniam.] Transitio ex epilogo, & propositione constans, à politica vitæ ratione ad œconomicam.

Egerit.] Vixerit.

Matrem.] Actiam.

Octauiam.] Sororem: quæ C. Marcello, mox Antonio nupsit.

Officia.] Appianus author est eius pietatis in matrem: amoris autem, & officii in sororem, Plutarchus in Antonio.

Priuig

mam discordiā Antonio, expostulantibus vtriusq; militibus, vt* & necessitudine aliqua iungerentur, priuignam eius, Claudiam Fuluiæ ex P. Clodio filiam duxit vxorem vixdum nubilem. At simultate cum Fuluia socru exorta, dimisit intactam adhuc & virginem. Mox Scriboniam in matrimonium accepit, nuptam antè duobus consularibus, & ex altero etiam matrem. Cum hac etiam diuortium fecit, pertæsus, vt scribit, morum peruersitatem eius, ac statim Liuiam Drusillam matrimonio Tyberii Neronis, & quidem prægnantem abduxit, dilexítque, ac probauit vnicè, ac perseuęranter.

De filia Iulia, & matrimonijs eius. LXIII.



X Scribonia Iuliam, ex Liuia nihil liberorū tulit, cùm maximè cuperet. Infans, qui cōceptus erat, immaturus est editus.

PHIL. Priuignam eius, Claudiam.] Post initam proscriptionis societatem, censuerunt milites, amicitiam inter Augustum & Antonium esse affinitate firmandā: itaque Augusto vxor data est Claudia Fuluiæ & Pub. Clodii filia, Antonii priuigna. Nam Fuluia tres habuit maritos, P. Clodiū illū Ciceronis inimicum, ex quo erat hæc Claudia: secundū Curionem: tertium Marcum Antonium. Vnde ait Cicero in secunda Antoniana: Etenim ista tua minimè auara cōiunx, quam ego sine contumelia describo, nimiùm debet diu populo Romano pensionem tertiā.

alii ās, ex. alii, ei

Vixdum nubilem.] Adhuc viro immaturam. Contrarium illud:

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

Simultate cum Fuluia.] Extat epigramma Augusti Cæsaris, quo causa simultatis intee ipsum, & Fuluiam exortæ obscœna refertur. sic enim ait:

Quod futuit glaphyrā Antonius, hanc mihi pœnā
Fuluia constituit, se quoque vti futuam:
Aut futue, ant pugnemus, ait: quid quod mihi vita
Charior est ipsa mentula, signa canant.

Appianus verò lib. v. bellorum ciuilium refert, Fuluiā impulisse Lucium Antonium ad bellum aduersus Augustum capessendum. Erat enim, vt inquit Lucius Florus, fœmina virilis militiæ gladio cincta, quæ semper Antonii ingenium agitabat. Plutarchus quoq; sic scribit in Antonio: Erat Fuluia natura ferox, atque impigra, putabátque fore, vt Antonius à Cleopatra distraheretur, si quis rerū motus in Italia esset: verùm cùm illa in Asiam nauigaret, mortua est Sicyone.

Scriboniam.] In expositione nouissimæ apud Propertium Elegiæ nō pauca scripsimus de hac Scribonia, quæ fuit de familia Libonum. Hinc mendosus ille versus à nobis est emaculatus:

Altera maternos exæquat turba ligones: nō enim ligones apud Propertium legendum est, sed Libones, quum Scribonii Libones dicti sint. Et puteal, quæ erat sedes prætoris, dictū est Libonis, à Libone Scribonio, qui prope arcum Fabianum tribunal, & subsellia collocauit. Tranquillus in libello de grammaticis meminit Scribonii grammatici: quem ait, fuisse redemptū, & manumissum à Scribonia Libonis filia, quæ prior Augusti vxor fuerat. Etiam matrem.] Nomen est, quod dialectici dicunt ad aliquid: nam quum matrem audis, statim intelligis illam, quæ filios habet.

Abduxit.] Abducere propriè est per vim: sicut etiā perducere interdum significat: inde perductores à Cicerone in Verrinis dicti: qui, vt inquit Asconius, in hoc differunt à lenonibus, quòd lenones sunt scortorum, perductores etiam inuitarum personarum, & in quibus stupra exercitata legibus vindicātur. Significat, Augustum quasi per vim potius, quàm ab vitroneo accepisse Liuiam vxorem.

Prægnantem.] Posterius videbimus quemadmodum Liuia, cùm Augusto grauida nupsisset, intra mensem tertium peperit Drusum, qui fuit pater Claudii Imperatoris.

Nihil liberorum.] Plinius in septimo sic scribit: Est quædam priuatim dissociatio corporum, & inter se sterilis: at vbi cum aliis iunxeris, gignunt: sicut Augustus & Liuia.

Immaturus est editus.] Ex vtero materno maturus editur fœtus nono & decimo mense, interdum & septimo, sed rarenter: & hoc est partus tempestiui tempus à philosophis, medicísque obseruatum: ante quod editus fœtus est immaturus, & fit abortiuus: & tunc fœmina dicitur abortare. Iulius Firmicus: Abortabit filios geminos.

M. A N. Claudiam.] Ex P. Clodio, & Fuluia genitam. Plutarchus Curioni anteà nuptam ait Fuluiam, dein ab Antonio acceptam: quāquam diuerso loco Claudiā Fuluiæ filiam, & Antonii priuignam dicat concordiæ causa Augusto desponsatam: vnde colligi potest, Fuluiam primùm Clodio, mox Curioni, nouissime Antonio nupsisse.

Simultate.] Contentione, discordia. Appianus, & Plutarchus eiusmodi simultatis meminerunt.

Nuptam duobus Senatoribus.] Sunt qui Scriboniā intelligant, quæ L. Scipioni, qui in Africa à Cæsare Dictatore victus est, nupsit: sed non aduertūt, parum temporum rationem conuenire: nisi Augustus admodum iuuenis cōcordiæ causa ducere voluerit fœminā grandem natu. Fuit & alia Scribonia huius filia, cuius Tranquillus in libro de grammaticis, & rhetoribus meminit, de qua libentius intellexerim: sed quibus hæc, vel mater duobus Senatoribus nupserit, præterquam Liboni, adhuc quæro.

Pertæsus.] Eius mores auersatus.

Liuiam Drusillam.] Tyberii, & Drusi matrem.

Abduxit.] Abductam dixit, quasi authoritate magis, quàm voluntate Tyberio Neroni, cui locata erat, ademptā. In Tyberio, Liuiam, inquit, Drusillam, & tunc grauidam, & iam ante apud se Tyberium enixā, petenti Augusto concessit. Quibus verbis apparet, Liuiam non vi ademptam. cōtrà in Caligula: Cùm ille Liuiam Horestillā Caio Pisoni locatā medio nuptiarū officio domū abduxisset, gloriatus est Romuli, & Augusti exēplo quæsitam sibi vxorem, quasi vi dicere voluisset: quod & Antonius ad Augustum scribens in epistolis exprobrare videtur. Ex Scribonia.] Cum qua diuortium fecit M. Marcellus, qui ex C. Marcello, vt diximus, & maiore Octauia est natus.

PHIL. Marcello Octauiæ.] Octauia Augusti soror ex Marcello duas filias, & Marcellum genuit: quem generum sibi & filium fecit Augustus. Mortuo deinde Marcello, cùm Cæsar non facile quẽ sibi ex amicis generum eligeret, suasit Octauia vt Agrippã generũ suum caperet: quod cùm Cæsari placeret, Octauia cũ Agrippa genero egit, vt filiam repudiaret, & Cæsari gener fieret: quod & factũ est: author Plutarchus in Antonio.

Is obiit.] Scilicet Marcellus. De obitu Marcelli, qui periit in Baiano agens annum ætatis decimũoctauũ, scripsimus copiose in 15. Propertii Commentario.

Marcellarũ.] Filiarum Octauiæ, & Marcelli: quæ duæ erant. Tyberiũ priuignũ.] Filium Liuiæ Drusillæ. Priuignus enim est, vt dicunt dialectici, nomen ad aliquid: &, vt scribunt Iuris cõsulti, vxoris meę filius mihi priuignus est.

Iuliam primùm Marcello Octauiæ sororis suæ filio, tantúmque pueritiam egresso, deinde vt is obiit, M. Agrippæ nuptui dedit, exorata sorore, vt sibi genero cederet. Nam tunc Agrippa alterã Marcellarũ habebat, & ex ea liberos. Hoc quoq; defuncto, multis diu etiam ex equestri ordine circunspectis conditionibus, Tyberium priuignum suum elegit, coegítque prægnantem vxorem, & ex qua iam pater erat, dimittere. Marcus Antonius scribit, primùm eum Antonio filio suo despõdisse Iuliam, dein Cotisoni Getarũ regi, quo tempore sibi quoque inuicem filiam regis in matrimonium petiisset.

De nepotibus eius ex Iulia. LXIIII.

Nepotes ex Agrippa & Iulia tres habuit, Caium, Lucium, & Agrippam: neptes duas, Iuliam & Agrippinam. Iuliam Lucio Paulo censoris filio, Agrippinam Germanico sororis suæ nepoti collocauit. Caium & Lucium

cuius rei extat pulcherrima apud Propertium Elegia in calce operis. Nanque vt credam huic nupsisse post obitum Corneliæ Iuliam Augusti neptem, persuadet illud, quòd censoris filius vocatur à Trãquillo, & apud Propertiũ huius censuræ mẽtio fieri videtur illo versu

Me neque censuræ legem mollisse.

& paulò pòst:

Filia tu speciem censuræ nacta paternæ.

Sororis suæ nepoti.] Octauia Augusti soror duas ex Antonio filias Antonias suscepit: alteram vxorem duxit Domitius Aenobarbus: alteram Drusus Liuiæ filius Augusti priuignus: ex hac nati sunt Germanicus, & Claudius, qui postea imperauit: author Plutarchus: & inferius in Caligula id latè explicabitur. Erat itaque Germanicus hoc pacto nepos Octauiæ, vtpote genitus ex Antonia illius filia: quã Plin. Solinúsq; notificãt nunquã expuisse.

Prægnantem vxorem.] In Tyberio scribit Tranquillus, quemadmodum Agrippinam Marco Agrippa genitam vxorem duxit: susceptóq; ex ea filio, rursúsq; grauidam coactus est dimittere, ac Iuliam Augusti filiã confestim ducere, nõ sine magno angore animi: de quo mox plura. Iam pater erat.] Suscepto filio Druso.

Antonio filio.] Octauia Antonium Marci Antonii filium ex Fuluia genitum ita magnum apud Cæsarem fecit, vt post Agrippã & Liuiæ filios primas partes obtineret: cui & ipsa alteram filiarum Marcellarũ matrimonio collocauit. Cotisoni.] De hoc & Horatius loqui videtur lib. II. Carminum scribens:

Occidit Daci Cotisonis agmen:
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis.

Getarum regi.] Getæ populi sunt in Scythia Europæa, aduersus quos Cæsar Augustus exercitum quinquaginta millium misit: author Strabo in VII. Quidam Getas Dacos appellant: alii verò Dacos eos dicunt, qui ad Istri fontes vergũt: quos olim Dauos vocatos esse, idem Strabo arbitratur: Getas verò eos, qui ad Pontum in Orientem spectant. Plinius in IIII. cap. XII. sic ait: Omnes Scytharũ sunt gentes, variæ tamẽ litori apposita tenuere: aliàs Getæ, Daci Romanis dicti, aliâs Sarmatæ Græcis Sauromatæ. Refert Helius Spartianus, Getas dici Gotthos: vnde diasyrticus, hoc est, dubius iocus emersit in Antoninũ Caracallam: qui quum Getas deuicisset, & fratrem nomine Getam occidisset, à Pertinace festiuiter dictum, atque mordaciter, Getici nomen inter alia cognomenta Antonino adscribendum esse. Filiam regis.] Scilicet Cotisonis. Iuliam.] Scilicet neptem.

Lucio Paulo.] Forrassis hic ille L. Paulus est, qui prius habuit vxorem Corneliam ex familia Libonum,

M.A N. Exorata.] Precibus victa. Sibi genero cederet.] Generi possessione: vt pateretur Agrippam, facto cum Marcella filia diuortio, ex qua iam pater erat, Iuliam suam, Augusti, dico, filiam ducere vxorem.

Alteram Marcellarum.] Vnam ex duabus Octauiæ filiabus, quas illa ex C. Marcello fuerat enixa.

Hocquoque.] Agrippa scilicet

Priuignum.] Liuiæ, & Tyberii Neronis filium.

Prægnantem.] Grauidam.

Vxorem.] Agrippinam, Marco Agrippa, & Pomponii Attici filia genitam: ex qua Drusum filium Tyberius tulerat. Anneus Seneca, Nomen attici, inquit, perire Ciceronis epistolæ non sinunt: nihil illi profuisset gener Agrippa, Tyberius progener, & Drusus Cæsaris pronepos: inter tam magna nomina taceretur, nisi Cicero. Reliqua ex eo require. Tyberius, ne quis similitudine nominum erret, is est, qui priuignus fuit Augusti, ac post illum rerũ potitus est: & fratrem Drusum, & filium, quem ex Scribonia tulit, eiusdem nominis, habuit. Sed de vtroque aliàs. Ipse vt pater Tyberius Nero est appellatus: nam quum Tyberio Neroni Trãquillus ait Liuiam locatam, de patre loquitur: quum Iuliam Tyberio post Agrippæ mortem matrimonio iunctam, de filio, qui postea, vt dixi, Imperator fuit.

Antonio filio.] Quem Antonius ex Fuluia tulerat: Augustúsque Alexandria capta occidi iussit.

Cotisoni.] Cotisonis huius Horatius meminit:

Occidit Daci Cotisonis agmen.

Getarum regi.] Getæ supra Istrum Pontico mari adiacent. Plinius: Ab eo omnes Scytharũ gentes, variæ tamen litori apposita tenuere: aliàs Getæ, Daci à Romanis dicti. Quibus Plinii verbis Dacos, & Getas eandem esse gentem constat. Non mirum igitur, si hîc Ge

tarum

tarum regem vocat, quem Flaccus Dacum dixit.

Germanico sororis suæ nepoti.] Germanicus Drusi fratris Tyberii, & iunioris Antoniæ filius. Iunior autem Antonia M. Antonii triumuiri, & Octauiæ filia: Plutarchus in Antonio est author.

Commentario, in illius versus interpretatione:

Et ponit duras inter ephemeridas.

Salutatum venisset.] Tanquam sub prætextu salotationis obreperet ad adulterium filiæ. Sæpenumero enim sub honestis nominibus adulteri delitescunt.

adoptauit domi, per assem & libram emptos à patre Agrippa, tenerósque adhuc ad curam Reipublicæ admouit, & consules designatos circum prouincias, exercitúsque dimisit. Filiam & neptes ita instituit, vt etiam lanificio assuefaceret, vetarétque loqui, aut agere quicquam, nisi propalam, & quod in diurnos Commentarios referretur. Extraneorum quidem cœtu adeò prohibuit, vt Lucio Tucinio claro decoróq; iuueni scripserit, quondam parum modestè fecisse eum, quòd filiam suam Baias salutatum venisset.

PHIL. Per æs & libram emptos.] Mancipatio, vt Caius Iurisconsultus in Institutionibus, & Boethius in tertio Commentario Topicorum exposuerunt, est imaginaria quædam venditio: quod ipsum ius ipsorum Romanorum est ciuium: eáque res ita agitur: Adhibitis non minus quàm quinque testibus ciuibus Romanis puberibus, & præterea alio eiusdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens: aderat & ille, qui familiæ emptor dicebatur, qui mancipium emit, & æs tenet ita dicens: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio, isque emptus est hoc ære, æneáque libra. deinde ære percutit libram, idq; ne æs dat ei, à quo mancipiū accepit, quasi pretii loco. Ex lege XII. Tabularū quæcunque res abalienari non poterant, nisi per hanc solennitatem, quæ per æs & libram fieri dicitur: cuius rei meminit & Porphyrio, qui enarrans illud Horatianū:

Si proprium est, quod quis libra mercatur & ære.

sic scribit: Verba sunt iuris, quibus omnis emptio confirmatur, cùm per librā expensa pecunia per æs ipsum pretium demonstratur. Præterea scriptum legimus libro II. Institutionum, genus testamentorū fuisse, quod dicebatur per æs & libram: cuius solennitas agebatur per illam imaginariam venditionem, cuius solennitas suprà scripta est: de quo sic scribit Gellius lib. XV. Tertium testamentorum genus fit per familiæ emancipationem, cui æs & libra adhiberetur. Igitur Augustus, hac solennitate adhibita, adoptauit Agrippæ filios, tanquam alio iure non possent abalienari, transiréque in alienam potestatem.

Baias.] Baianas delicias insectatur Seneca libro se primo epistolarū moralium, tanquā diuersorium vitiorum essent, illhicq; sibi plurimùm luxuria permitteret.

M. AN. Per assem & libram.] Emptio fiebat, quum adhibitis testibus, qui empturus erat, libra, quam tenebat ille, qui in possessione mācipii erat, ære percussa, se mācipiū, id est seruū, aut aliud, quod sub eius dominio esset, vt filium, dicebat ea emptione vendicare. Sed quum tria essent testamentorum genera, quorum vnum calatis comitiis in concione populi fieret, alterum in procinctu quum milites in aciem processuri essent: tertium fuit, quod per familiæ emancipationem fieri consueuit, cui æs & libra, vt Gellius ait, adhibebantur. Verùm non ineptè quæri posset, cur domi emptos dixerit, si publicè alioqui id fieri consuesset. Cui occurras licet, calatis comitiis, authore Gellio, & execrationes, & testamenta fieri solita, quorum vnum id genus erat, quod per æs & libram fiebat: verùm eadem calata comitia pro collegio pontificum haberi solita Lælius Felix tradidit. pontifices coire oportuit in pontificis maximi domum potius, quàm aliò: Augustus tum pontifex maximus erat, ergo domi, id est, pro collegio pontificum ad se accersito. Vel domi emptos, quasi dicat, non extra familiam quæsitos: siquidem Caium & Lucium nepotes Augusti Iulia filia genitos pro domesticis habere potuit.

Circa prouincias.] Ad prouinciarum administrationes.

Filiam.] Iuliam.

Neptes.] Iuliæ & Agrippæ filias.

Lanificio assuefaceret.] Apud Romanos nuptialis vox in Talasio: quod signum fuisse lanificii, Varro, & Festus Pompeius prodiderunt. Talasionem enim vocabant quasillum: qui alio modo appellatur calathus: quod genus vasculi est vtique lanificiis accommodatum: &, vt inquit Plutarchus in Romulo, hæc vox exhortatio erat, & prouocatio ad lanificium: quod Græci ταλασίαν dicunt. nanque mulieres nulla alia in re viris operam suam nauabant, quàm in his, quæ ad lanificiū pertinerent. Vnde institutum est, vt nubentes virgines comitaretur colus compta, & fusus cum stamine. Non me præterit, historiam de talasio vulgatissimam aliter narrari ab Historicis: sed hæc omittenda non sunt, quæ ex literis interioribus deprompta magis iuuant studiosos. Lanificium sordida res, & ignominiosa apud Persas: vt enim inquit Curtius, nihil existimant turpius, quàm fœminas admouere lanæ manus.

Vt etiam lanificio assuefaceret.] Dixit quasi parū decorum illustriori loco natis esse lanificium, quod apud Ouidiū querula illa Penelope affirmare videtur:

Forsitā & narres, inquit, quàm sit tibi rustica cōiūx:
Quæ tantum lanas non sinit esse rudes.

Hæc illa. Verùm Tanaquil vel ob id ipsum à Romanis scriptoribus est maximè celebrata. Plinius: Lanā cum colo & fuso Tanaquilis, quæ eadem Caia Cæcilia vocata est in templo Marci Anci durasse, se hæc prodente, author est Marcus Varro. Plutarchus in Romulo eiusdem Tanaquilis, & lanificii eius meminit. Homerus heroidibus quoque opificium tribuit: sic apud illū libro VI. Iliados, Hector Andromachen alloquitur:

ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα, τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε,
ἱστόν τ' ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε
ἔργον ἐποίχεσθαι.

Brutus quoque ad bellum exiturus Portiam vxorem, vt Plutarchus scribit, ad colum & telam interpellantem remisit. Idem author Caios, & Caias voces in sacris nuptialibus in bonū rei omen, quia Tanaquil Caia sit dicta, vsurpatas tradidit: quanquam Fabius aliter interpretatus sit.

Diurnos.] Tanquam in diarium. Est enim diarium liber, in quo per dies singulos res gestæ scribuntur. Græci ἐφημερίδα vocant: author Gellius in quinto. Sed de ephemeride plura scripsimus in tertio Propertii

Propalam.] In aperto, & omnibus audientibus.

Diurnos commentarios.] Græci ἐφημερίδας dicunt. Iuuen. In cuius manibus ceu pinguia succina tritas
Cernis ephemeridas.

Baias.] Litorale Campaniæ oppidum, à Baio Vlyssis socio dictum. Silius Italicus:
-Itaceosia littora
Bai.

fossus est, Caius verò ex vulnere obiit. Hunc cùm Augustus mitteret in Armeniam rogauit deos, vt illum comitaretur beneuolentia Pompeii, audentia Alexádri, ipsius verò fortuna. Sed vota sæpe irrita ferũtur à procellis, vt aiunt poetæ.

Nepotes & literas & natare, aliáque rudimenta per se plerunque docuit, ac nihil æquè elaborauit, quàm vt imitarentur chirographum suum. Neque cœnauit vnà, nisi vt in imo lecto assiderent: neque iter fecit, nisi vt vehiculo anteirent, aut circa adequitarent.

De infortunio eius circa sobolem descendentium. LXV.

Sed lætum, atque fidentem & sobole, & disciplina domus, fortuna destituit. Iulias filiam & neptem omnibus probris contaminatas relegauit. Caium & Lucium in duodeuiginti mensium spatio amisit ambos, Caio in Lycia, Lucio Massiliæ defunctis: Tertium nepotem Agrippam, simúlque priuignum Tyberium adoptauit in foro, lege curiata. Ex quibus

PHIL. Natare.] Hoc erat officium, exercitatióque penè quotidiana Romanæ iuuentutis, vt in campo Martio armis exercerentur, & deinde in Tyberi natarent: vt ita sudorem, pulueremque diluerent, ac lassitudinē, cursúsq; laborem natando deponerent: author Vegetius. Hinc ab Horatio dictum est:
Cur timet flauum Tyberim tangere.

Rudimenta.] Tyrocinia, & prima exercitamenta disciplinarum.

Per se.] Vt ipsemet doctoris officio fungeretur.

Chirographum suum.] Suam, vt dici solet, in scribendo manum. Et Cicero scribit, se amare Alexis manum. A chirographo chirographarius deriuatur. Iurisconsultus titulo Commodati, eleganter appellat debitorem chirographarium, qui suo chirographo scripsit se in codice debitorem.

Vno in lecto.] Tricliniari & discubitorio, Scribit Plinius, Pompeiũ tertio triumpho Romã transtulisse lectos tricliniares tres ex auro & gemmis. Quid si legas, imo: vt exponas in ima & infima parte lecti assedisse. Horatius: Imi derisor lecti.

Vehiculo anteiret.] Ex more Persarum, apud quos iter facit rex in vehiculo cognatis antecedentibus, quum liberi regis in vehiculis subsequantur. Voluit Augustus vt nepotes secum eadem mensa discumberent: vt ipsius oculis subiecti essent modestiores.

Fortuna destituit.] Penè simile est illud, quod de Herode prodidit Iosephus, illũ quidem in aliis rebus omnibus fuisse fortunatissimum, in rebus verò domesticis infelicissimum: nam ex vxore Mariane, & filiis infortunia non pauca illi prouenerunt.

Probris.] Stupris, atque flagitiis. Probrum virginis Vestalis capite antiquitus ex lege puniebatur. Existimat Vlpianus Iurisconsultus probrũ & opprobriũ idem esse: quod interdum pro maledictis & conuiciis, acceptum est. Liuius: Occursant portis, ingerunt probra. Et Cicero ad Atticum: Epistolas mihi legerunt plenas omnium in me probrorum. Probra enim significãt apud vtrunque in hoc loco idem quod conuicia, & cõtumelias; sed probrum sæpius ad dedecus, flagitiúmq; refertur. Et pro stupro apud veteres vsurpabatur.

Caio & Lucio.] Caius ab Augusto cum exercitu missus ad Orientem sedandum, fuit interfectus à quodam nomine Dõne: qui simulata proditione libellum Caio obtulit, virúmque libello legendo intentum cultro percussit: percussor ipse à militibus quidem con-

In Lycia.] Regione Asiatica, in qua est mons Chimæra noctibus flagrans: & Xanthos oppidũ, fluménq; eodem nomine.

Lucio Massiliæ.] Lucius, vt inquit Florus, Massiliæ inglorius moritur ex morbo. Est autẽ Massilia Narbonẽsis prouinciæ ciuitas inclyta, opus Phocensium, quæ bene instituti legúmq; quondam æquitate fuerunt excellentes, quum Aristocratia Rempublicam gubernarent. Præterea studiis literarũ adeò clara fuit hæc ciuitas, vt temporibus Strabonis Romani pro Attica peregrinatione Massiliam peterent causa disciplinarum capessendarum. De Massilia superius satis multa.

Lege curiata.] Pũponius Iurisconsultus tradit, Romulum diuisisse populum Romanum in trigiota partes, quas curias appellauit: propterea quòd tunc Reipublicæ curam per sententias partium earum expediebat. Et ita leges quasdam & ipse curiatas ad populum tulit: tulerunt & sequentes reges curiatas leges, quæ omnes conscriptæ fuerunt in libro Sexti Papyrii, qui ob hoc appellatur ius ciuile Papyrianum. De lege curiata sic scribit Corn. Tacitus: Quæstores regibus etiã tum imperantibus instituti sunt. quod lex curiata ostẽdit ab Lucio Bruto reperita. Per hanc legem Augustus adoptauit Agrippã nepotem ex Iulia, & Tyberiũ priuignum ex Liuia. Comitia autem, quæ partim curiata, partim centuriata dicebãtur, quorum meminit Gellius in xv, nihil pertinent ad legem curiatam. In comitiis curiatis omnis potestas calculorum erat penes plebeios, cùm viritim suffragium ferretur: in centuriatis verò domini erant patritii: cùm singulæ centuriæ singula ferrent suffragia. Plures enim centuriæ diuitũ, quàm plebeiorum. Super qua re multa scienter, & subtiliter explicantur à Dionysio Halicarnasseo lib. ssss. & vii. Antiquitatum.

M.A.N. Nepotes.] Caium, & Lucium, & Agrippam Iulia genitos.

Per se.] Nullo externo præceptore adhibito.

Chirographum suũ.] Suum scribendi characterẽ.

Cœnauit vnà.] Eodem triclinio.

In vno lecto.] Eodem, quo ipse accubaret.

Fortuna.] Successus.

Omnibus probris.] Omni flagitio, & infamia.

Caium, & Lucium.] Quos adoptauerat.

In Lycia.] Asiæ regio est Lycia inter Cariam & Pãphylicũ sinum: à Lyco Pandionis filio, olim Termile dicta, sexaginta oppidis frequens, vt Plinius scribit.

Agrippam breui ob ingenium sordidum ac ferox abdicauit, sepofuítque Surrentum. Aliquantò autem patientius mortem, quàm dedecora suorũ tulit. Nam Caii, Luciíque casu non adeò fractus, de filia absens ac libello per quæstorem recitato, notum Senatui fecit, abstinuítque cõgressu hominum diu præ pudore, etiã de necanda delibcrauit. Certè cùm sub idem tẽpus vna ex consciis liberta nomine Fede, suspendio vitam finisset, maluisse

Massiliæ.] Insigne id Narbonensis Galliæ oppidũ, à Phocensibus conditum: Strabo, Plinius, & Lucanus sunt aothores.

Curiata lege.] Calata comitia, de quibus proximo loco diximus, alia, vt Gellius scribit, curiata erant, alia centuriata. Ceoturiata per cornicinẽ vocari. Curiata verò curiarim populum ad concionem calari, id est per curias, atq; id ipsum per lictorem, non cornicinem fieri.

PHIL. ABdicault.] Abdicare pro amouere, & priuare ponitur: vt, abdicauit se Dictarura, abdicauit se consulatu: quæ elocurio frequens est apud Historicos. Et ita pater filium abdicare dicitur, cùm eũ ex familia abiicit, & à bonis amouet, atque exhæredat. Scribit Quintilianus in Declamationibus, quòd lex abdicationis adoersus ferociam filiorum cõstituta est.

Sepofuit Surrentum.] Surrentum, ciuitas est Campaniæ cum promõtorio Mineruæ, Sirenum quondam sedes. Surrentina vina inter generosa numerantor, conualescentibus maximè comprobara, propter tenuitatem, salubritatémque. Tyberius Cæsar dicebar, consensisse medicos, vt nobilitatem Surrentino vino darent, alioqui esse generosum acetum. Caius Cæsar, qoi socceſſit Tybetio, nobilem vappam appellabat vinũ Surrentinum. Censebatur antiquitus Surrentum calicum quoqoe nobilitate, qui opere figulino præcipoi illhic conficiebantur, vt indicat Plinius in xxxv. Vnde à à Martiale dictum est:

Surrennina bibis, nec myrrhina picta, nec aurum
Sume, dabunt calices hæc tibi vina suos.

De Sorrento sic ait Silius in v. Punicorum:

Equana & Zephyro Surrentum molle salubri.

Dedecora.] Tanquam dedecus peius sit, quàm mors, quàm reliqua omnia infortunia.

Casu.] Morte, qoum alter Massiliæ, alter in Lycia occubuissent.

Non adeò.] Non multùm tristatus, neqne nimio dolore confusus.

Per quæstorem recitato.] Ex quæstoribus quidam sunt, qui candidati principis dicebantur, quíque epistolas eius in Senatu legebant: Vlpianus author. Talem qoæstorem modò significari intelligimus. Scribit Seneca libro vi. de Beneficiis, quòd diuus Augustus filiam impudicã relegauit, & illius stupra parum potens iræ publicauit: quæ non tam vindicanda principi fuerunt, quàm tacenda: quia quarundam rerum turpitudo etiã ad vindicantem redit. Deinde cùm interposito tempore in locum iræ subiisset verecundia, gemens quòd nõ illa silentio pressisset, exclamauit: Horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa, aut Mecœnas vixisseot. Mira sunt, & digna annotatu, quæ de impudicitia Iuliæ Augusti filiæ clarissimi conditores certarim prodiderunt: Quòd scilicet gregarim admittebat adulteros: quòd noctibus Marsyam coronabat: quòd forum ipsum, ac Rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, elegit in stupra: quòd ex adultera in quæstuariã versa, ius omnis licentiæ sub ignoto adultero petebat. Et quoniam mentio incidit Marsyæ, quem licentiosa Iolia coronabat, obiter annotanda videntur quædam non indigna cognitu, nec futora curiosis ingrata: Liberum Patrem tanquam libertatis deum veteres coluere: vnde & Marsyas eius minister in liberis ciuitatibus colebatur, veluti indicium libertatis: quod & Seruius memorat in quarto Aeneidos Commẽtario. Hinc Romani, vtpote libertatis cultores, assertorésq;, signum Marsyæ posoerunt in foro, apod quod, vt docet Porphyrio, vadimonium sistebatur. De hoc ait Horatius in Sermonibus:

-Obeũdus Marsya, qui se
Vultum ferè negat Noulorũ posse minoris.

Ad hunc quotidianus à Iulia concursus fiebat, vt refert Seneca in sexto de Beneficiis. Hunc Iulia luxu diffloens noctibus coronabat, vt testatur Plinius in vigesimoprimo: & describunt literæ Augusti. Hic est ille Marsya, cui cùm coronã è floribus dempsisset P. Mutianus, eámque capiti suo imposoisset, ob id in vincula duci iussus est à triumuiris. De hac Marsyæ statua nimirum intellexit Epigrammatarius poeta illo versiculo:

Ipse potest fieri Marsya causidicus.

In cuius enarratione enarratores hallucinãtur. voluit enim intelligi festiuissimus poeta, Marsyam, qui erat in foro, apud cuius statuam vadimonium sistebatur, & causæ agebantur, iam posse fieri causidicum, dum iugiter, & conriuenter audit strepitus clamosos litigantiũ, & qnotidianis causidicorum actionibus obtunditur. Cui simile est illud:

Frontonis platani, conuulsáque marmora clamant.

Fede.] Nomen est libertæ.

Vna ex consciis.] Vna ex his, quæ non erant Iuliæ heræ adulteria, & illius stuprorũ erant consciæ. Horat.

-Miseram se conscia clamat. Idem:
Qoò te demisit peccati conscia herilis.

AGrippam.] Caii, & Lucii defunctorum fratrem ex Iulia, & Agrippa natum. M. A N.

Sordidum.] Fœdum, & in vitia pronum.

Abdicauit.] Familia, & bonis expolit. Estq; viuentis adhuc abdicare, exhæredare verò mortui.

Surrentum.] Oppidum Puteolano sinni propinquum, calicibus, & vino nobile: sed Sirenũ sede adhuc nobilius. Papinius:

Est inter notos Sirenum nomine muros.

Martialis libro xiii. Epigram. cx.

Surrentina bibis, nec myrrhina picta, nec anrum
Sume, dabunt calices hæc tibi vina suos.

Plinius: Retinet hanc nobilitatem & Aretium in Italia, & calicum tantum Surrentum. & rursus quod ad vinũ attinet, idem author, Tyberius, inquit, Cæsar dicebat consensisse medicos, vt nobilitatem Surrentino darent, alioqui esse genetosom acetum. Papinius:

Qua Bromio dilectus ager, colléfque per altos
Vritur, & prælis non inuidet vua Phalernis.

Dedecora.] Infamia. Non adeò.] Nõ multùm, non omnino fractus. De filia.] De filiæ adulterio.

Per qoæstorem.] Quæstores ærarii id præstabant, vt publicas literas recitarent: vt est in eo libello, qui Fenestellæ nomine de Romanis inscribitur magistratibus. Congressum hominum.] Diu nulli sui adeũ-

di copiam fecit. Deliberauit.] Animo agitauit.

Ex consciis.] Adulteriorum ministris.

Fede.] Proprium libertæ nomen.

PHIL. FEdes patrem.] Ita videbatur optare vt filia se suspenderet, quemadmodum Fede seipsam suspenderat.

ctatione, sicut vulgò dicitur: quod non facilè reperias apud Oratores, & Historicos. Tales.] tam prostitutas, támq; impudicas, quàm prostituta, quamq; impudica foret ipsius filia. Et ita ostendebat non esse precandum pro talibus, in quibus sola libido dominaretur.

se ait Fedes patrẽ fuisse. Relegatæ vsum vini, omnémq; delicatiorẽ cultũ ademit, neq; adiri à quoquã libero, seruóque, nisi se consulto permisit: & ita vt certior fieret, qua is ætate, qua statura, quo colore esset, etiã quibus corporis notis, vel cicatricibus. Post quinquenniũ demũ ex insula in continentẽ lenioribúsq; paulò cõditionibus transtulit eã. Nã vt omnino reuocaret, exorari nullo modo potuit. Deprecãti sæpe populo Romano, & pertinacius instãti, tales filias, talésq; cõiuges pro cõcione imprecatus est. Ex nepte Iulia post dãnationẽ editũ infantẽ agnosci, aliq; vetuit. Agrippã nihilò tractabiliorẽ, imò in dies amẽtiorẽ in insulã trãsportauit, sepsitq; insuper custodia militũ. Cauit etiã Senatuscõsulto, vt eodem loco in perpetuũ cõtineretur: atque ad omnẽ & eius, & Iuliarũ mentionẽ ingemiscẽs, proclamare etiam solebat, Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τε

Vsum vini.] Vinum, & adolescentia, vt inquit Hieronymus, duplex est libidinis incendium. Idem præcipit virgini Eustochio, vt vinum fugiat pro veneno. Nam, vt ait Pelignus poeta,

Et Venus in vinis, ignis in igne fuit. Ideóq; non inscienter fabulata est antiquitas, Priapum ex Libero Patre, & Venere esse genitum: cùm hi, qui vino indulgẽt, sint ad Venerea propensiores. Præterea, vt author est Valerius, quæcũq; fœmina vini vsum immoderatè appetit, & virtutibus ianuam claudit, & delictis aperit. Hinc antiquitus non licebat fœminis vinum Romæ bibere: &, vt ait Cato, ideo propinqui fœminis osculum dabant, vt sentirent an temetum, hoc est, vinum olerent.

Delicatiorem cultum.] Hæc enim instrumenta sunt impudicitiæ. Vnde apud Liuium legimus, Minutiam Vestalem propter mundiorem iusto cultum insimulatam fuisse stupri. Idem alibi ait: Posthumia virgo Vestalis de incestu causam dixit, crimini obnoxia ob suspicionem propter cultum amœniorem.

Corporis notis, vel cicatricibus.] Hoc ideo facere videbatur Augustus, vt ita cognosceret, an filia ex talibus concepisset: nam plerunq; notæ paternæ, & signa quædam, vt næui, & cicatrices regenerantur. Præterea, vt author est Plinius, quædam sibi similes semper pariunt filios, quædam viro: verùm Iulia Augusti filia, cùm conscii flagitiorum mirarentur quomodo filios similes Agrippæ procrearet, quæ tam vulgò corporis sui potestatem faceret, festiuiter respõdit: Nunquam nisi plena naui tollo vectorem. Quo vrbanè dicto significabat, se non prius adulteros admittere, quàm ex marito grauida fuisset. Augustus, cùm ad nepotum turbam, similitudinémque respexerat, qua repræsentabatur Agrippa, dubitare de pudicitia filiæ erubescebat. Olim amico suadenti vt se componeret ad exempla paternæ frugalitatis, respondit: Ille obliuiscitur se Cæsarem esse: ego memini, me Cæsaris filiam.

Ex insula.] In quam fuerat Iulia à patre relegata. Inter genera pœnarum est in insulam deportatio.

In cootinentem.] In terram, vt vulgus appellat, firmam. Orbem enim terrarum diuisere Cosmographi, vt partem eius insulas, partem vocarent continentem: verùm, vt inquit Apuleius in Cosmographia, omnis terrarum orbis vna est insula, cum insulis suis omnibus, quam vndiq; circunfundit Oceanus. Apud Iuriscõsultos incõtinenti vsurpatur pro confestim, & sine cun-

Ex nepte Iulia.] Plinius inter Augusti infortunia enumerat adulteria filiæ & neptis.

Aliqne.] Educari: noluit vt aleretur, tanquam ex adulterio natus.

Agrippam.] Nepotem, quem adoptatum abdicauerat, seposuerátque Surrentum, ex Surrento in insulam, tanquam in locum deteriorem depoetari iussit.

Sepsit.] Clausit, circunuallauit. Sepire enim, est vndiq; claudere, atq; munire: vnde sepes, & septa, & sepimenta deriuantur.

Eodẽ loco.] Insula. Αἴθ' ὄφελον.] Latine significat, vtinam vtinã sine vxore esse, & sine filiis mori liceret. Phoroneus rex legum conditor, cùm moreretur, fratri dixisse fertur: Ad summã felicitatem nihil mihi deesset, si vxor semper defuisset. Ait Terentianus senex: Quod isti fortunatũ putant, vxorem nunquã habui. De filiis autem, quòd interdum plus mœroris præbeant, quàm voluptatis, indicat dictum illius, qui dixit, se filios inuenisse tortores. Euripides carentem liberis eleganter dixit infortunio esse felicem.

SE Fedes patrẽ.] Optabat vt eadem mens filiæ fuisset, mortémque sibi, vt Fede, consciuisset. M. AN.

Vsum vini.] Vino ab initio Romanæ mulieres decreto abstinuere: nam qui vxorem occidit, quòd vinũ è dolio bibisset, à Romulo absolutus dicitur: Plinius est author, Egnatium Menetinum secutus. Fabius Pictor, quia mulier loculum, vbi claues erant cellæ vinariæ, resignasset, à suis inedia mori coactam tradidit. Cato idcirco ait, propinquos domum reuersos osculum fœminis dare solitos, vt cognoscerent an olerent temetum. Diony. persuasum fuisse ait ab initio Romanis, corruptionis principiũ esse ebrietatem: insaniæ verò corruptionem. Consulto.] Causa prius ad se delata.

Is.] Qui ad illam traiecturus esset.

Notis ac cicatricibus.] Ne, credo, mœchorum quisquam ad eam sub aliena persona nauigaret.

Ex insula.] Ex qua, non dicit, sed Potiam, Pandatariam, & alias contra Campanũ litus sitas insulas hunc vsum principibus in suos sæuientibus præstitisse constat. Exorari.] Precibus vinci.

Tales filias, & cõiuges.] Tam impudicas, quàm ipse filiam & neptem expertus esset, pro quibus tam pertinaciter intercederet. Agnosci vetuit.] In apertum referri, sed cõtinuò extingui, quasi adulterio cõceptũ.

Transportauit.] Ex Surrento in insulam transpoetari fecit. Sepsit.] Circũdedit, ne quà pateret effugiũ.

Cauit.] Cautum voluit.

Senat

Senatusconsulto.] Publico decreto.
Iuliarum.] filiæ & neptis.

Αἴθ' ὄφελες ἄγονός τ' ἔμεναι ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι. Ἰλιάδ. γ.
Sic Hector ille Homericus conuiciabundus Paridem alloquitur: Vtinam nunquam esses natus, vel cælebs mortuus esses.

tissimus. Et Propertius in hanc sententiam inquit, cùm de amore loqueretur:

Hoc mihi perpetuò ius est, quòd solus amator
Nec citò desisto, nec temere incipio.

Vitia modica perpessus.] Vetus verbum est: Amici mores noueris, non oderis. Quo præcipitur amicorum vitia, si leuia sint, ferenda esse. In quam sententiã est illud ab Horatio decenter dictum:

Ac pater, vt gnati, sic nos debemus amici
Si quod sit vitium, non fastidire.

μένειν ἄγονός τε ἀπολέσθαι. nec alitèr eas appellare, quàm tres vomicas, aut tria carcinomata sua.

De receptione, & cultu amicitiarum eius. LXVI.

Amicitias neque facilè admisit, & constantissimè retinuit: & non tantùm virtutes, ac merita cuiusque dignè prosecutus, sed vitia quoque, & delicta duntaxat modica perpessus. Neque enim temere ex omni numero in amicitia eius afflicti reperirentur, præter Saluidenium Rufum, quem ad consulatum vsque, & Cornelium Gallum, quem ad præfecturam Aegypti, ex infima vtrunque fortuna prouexerat. Quorũ

PHIL. Vomicas.] Tumores in corpore nascuntur purulenti, quos vomicas vocant, à vomendo: vt indicat Serenus sic scribẽs:

Sunt odio, quos dira vomit matura tumores

Vomica, qualis erit, vel eidem proxima quædam.

Hinc Plautus non infestiuiter vomicam appellat crumenam nummis refertam, atq; tumentem, quum ait in Persa: Quid hoc in collo tibi tumet? vomica est: pressare parce. Nam vbi quis mala tetigit manu, dolores cooriuntur. In vulua vomicas nasci, testis est Plinius, qui ait in xx. quòd Syriation vomicas vuluæ curabat menta. Iuuenalis:

-Et vomicæ putres.

Cor. Celsus in tertio ait: Vomicæ finis est, vt rumpatur. Prisci vomicas appellauere loca concaua, & vetustate exesa.

Carcinomata.] Carcinomata sunt ex genere cancrorum de quibus hæc scribit Cels. in v. Carcinoma fit maximè in superioribus partibus circa faciẽ, nares, aures, labra, mammas fœminarum, & in iecore, aut splene hoc nascitur: color eius ruber est, curationibus iritatur. Est & alterum vlcus ex eodem genere, quod κακοήθη à Græcis nominatur: & hoc recipit curationem. Vix discerni potest cacoethes, quod curationem recipit, à carcinomate, quod non recipit. Scribit Plinius quòd polemonia herba, vlcera, quæ cacoethes vocant, sanat. Idem in vigesimosexto ait, ad carcinomata argemoniam herbam ex melle esse efficacissimam. Idem in trigesimoprimo: Sal carcinomatis imponitur cum vua taminia.

Amicitias non facilè admisit.] Amicitia, vt inquit Aristoteles octauo Ethicorum, res est in vita maximè necessaria, adeò vt sine amicis nullus eligeret viuere, licet cuncta possideret alia bona. Et, vt ait Ennius, quî potest esse vita vitalis, qui non in amici mutua beneuolentia conquiescat? Qui amicitiam è vita tollunt, Solem è Mundo, vt ait Lælius apud Ciceronem, tollere videntur. Iucundissimũ est, vt verissimè scripsit Plin. in rebus humanis amari, sed non minus amare. Laudátq; Traianum, quòd cùm ipse ardentissimè diligat, adhuc tamen ardentius diligatur. Adolescentes verò in amicitia colenda mobiles sunt, qui, cùm citò fiant amici, citò desistunt: sæpe, vt author est idem Aristoteles, eadem die propositum mutantes. Debemus itaque esse diligentes in amicis eligendis, vt idonei, & stabiles, & constantes eligantur. Hoc faciebat Augustus, qui amicitiarum erat morosissimus pensitator, & amicorum, vbi idonei ad amicitiam visi forent, constantissimus retentor. De quo Sextus Aurelius: Fuit, inquit, rarus quidem ad suscipiendas amicitias, ad retinendas constan-

Ad cõsulatum.] Vsque scilicet prouexit.

Ad præfecturã Aegypti.] Eusebius Chronographus sic in libris Chronicorũ: Cornelius Gallus, de quo Vergilius scribit in Bucolicis, primus tenuit Aegyptum, quæ ab Augusto facta est Romana prouincia: hic quadragesimo ætatis suæ anno propria se manu interfecit. De eodem ait Strabo in vltimo Geographiæ: Gallus Cornelius, cui primùm prouincia commissa est, heroum vrbem, quæ defecerat, cum paucis recepit, & seditionem in Thebaide exortam facile composuit. Prætereundum minimè est id, quod apud Ammianum Marcellinum legimus de Cornelio Gallo, eiúsque morte sic prodentem: Cornelius Gallus res tenens Romanas Aegypti procurator exhausit ciuitatem Thebarum plurimis interceptis: reuersúsque, quum furti arcesseretur, & populatæ prouinciæ, metu nobilitatis acriter indignatæ, cui negotium spectandum dederat Imperator, stricto incubuit ferro. Is est, si rectè existimo, Gallus poeta, quem flens quodammodo in postrema Bucolicôn parte Vergilius carmine decantat: hactenus Marcellinus.

M. AN. Vomicas.] Apostemata, seu fistulas, vt alii interpretantur.

Carcinomata.] Cancros Græci καρκίνους cancrum vocant, vnde & τὸ καρκίνωμα morbus ipse. Plinius huiusmodi Augusti clades breuiter executus, Incusatæ, inquit, liberorum mortes, luctúsque non tantùm orbitate tristes, adulterium filiæ, & consilia parricidæ palàm facta.

Neque facilè admisit.] Secutus, credo, sapientis illius Solonis præceptum, vt est apud Laertium, τοὺς φίλους μὴ ταχὺ κτῶ: amicos ne celeriter nimis acquiras. Quod & Cicero in Lælio præcipit. Quos amicos admisit, locupletare curauit. Mittebat enim in prouincias Consulares, & Prætorios, & Equestris ordinis viros, quoscũq; honore dignos iudicabat: qui etiam quò plures, vt ait Tranquil. partem administrãdæ Reipub. caperent, &c.

Cornelius Gallus.] Is est, de quo Maro in Bucolico carmine:

Pauca meo Gallo, sed quæ legat ipsa Lycoris.

Et quem Eusebius scribit primum omnium Aegyptũ in formam prouinciæ ab Augusto redactam administrasse.

alterum res nouas molientem, damnandum Senatui tradidit: alteri ob ingratum, & maleuolum animum, domo, & prouinciis suis interdixit. Sed Gallo quoque & accusatorum denuntiationibus, & Senatusconsultis ad necem compulso, laudauit quidem pietatem tantopere pro se indignantium: cæterùm & illacrymauit, & vicem suam cõquestus est, quòd sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci. Reliqui potentia, atque opibus ad finem vitæ, sui cuiusque ordinis principes floruerunt, quanquam & offensis interuenientibus. Desiderauit enim nonnunquam (ne de pluribus referam) & Marci Agrippæ patientiam, & Mecœnatis taciturnitatem: cùm ille ex leui rigoris suspicione, & quòd Marcellus sibi anteferretur, Mitylenas se, relictis omnibus, cõtulisset: & hic secretũ de cõperta Murenæ coniuratione vxori Terẽtiæ prodidisset. Exegit & ipse inuicem ab amicis beneuolentiam mutuam, tam à defunctis, quàm à viuis. Nam quanuis minimè appeteret hæreditates, vt qui nunquã ex ignoti testamento capere quicquam sustinuerit: amicorũ tamẽ suprema iudicia

PHIL. Alteri.] Saluideuio Rufo.

Prouinciis suis.] Diximus suprà, diuisas fuisse prouincias Romanas, vt aliæ Cæsaris, aliæ populi dicerentur. Augustus Saluidenium vetuit habitare in illis prouinciis, quæ ad ius ipsius pertinebant, & Cæsaris dicebantur.

Sibi soli.] Cogitur Imperator nõnunquam quędam facere ex aliorum sententia, in multis etiam non libens morem gerere amicis, adeò vt interdum seruare non possit, quem amici ad mortem deposcunt. Dicit Cicero in quadam ad M. Marcellum epistola: Multa victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam inuito facienda sunt.

Quatenus vellet.] Tanquam amicis irasci nollet vsque ad mortis supplicium.

Reliqui.] Augusti Cæsaris amici.

Offensis.] Offensa declinatur, cuius diminutiuum est offensiũcula: quo vtitur Cicero.

Cùm ille.] Scilicet Agrippa: qui indignabundus, & impatiens sibi Marcellum Octauiæ filium anteferri, contulit se Mitylenas: quæ ciuitas est in insula Lesbo, de qua in Iulio Cæsare dictũ est. Qui in pedes nascuntur, Agrippæ dicti sunt, vocabulo ab ægritudine, & pedibus, quos infelices propémodum esse eruditi annotauerunt. Vnicum felicitatis exemplum in talibus est hic M. Agrippa, qui & ipse ita natus est: quanquam is puerperii sui præposteri luisse pœnas existimatur multis incommodis, & in primis aduersa pedum valetudine conflictatus: quem dolorem quum perpeti nequiret, vnius medicorum portentosa scientia, ignorante Augusto demersit crura in acetum calidum, in acerrimo impetu morbi: atque ita euasit, tanti putans vsu pedum, sensúque omni carere, dummodo & dolore illo careret. Plinius inter infortunia Agrippæ numerat prægraue seruitium soceri: socer autem fuit diuus Augustus.

Vxori Terentiæ.] Caro dicere solebat, se duci pœnitudine, si rem vnquam arcanam cum vxore communicasset. Præceptum Aesopi fabulatoris est: Τῇ γυναικὶ μηδέποτε κρύφιον ἀπόῤῥητα. id est, mulieri nunquam commiseris arcana. Vituperatur Mecœnas, quòd nimis fuerit vxorius: qui cum vxore quotidie dissidium faciebat, & mox recõciliabatur. Ob hoc dixit Seneca in epistolis moralibus, hunc esse, qui millies vxorem duxerit, quum vnam habuerit. Idem in libro de Mundi gubernatione, scribit vxorem Mecœnatis anxiam fuisse, & morosam: cuius quotidiana repudia deflebat Mecœnas. Dissentiunt à Tranquillo Sextus Aurelius, & Eutropius, qui scribunt, Mecœnatem præcipuum fuisse Augusto amicorum, ob taciturnitatem: & Agrippam, ob patientiam, modestiámq;. Fuit alius Mecœnas Melissius, quem triennio silentium sibi imperauisse à cõuulsione reddito sanguine, proditũ memoriæ est.

Murenæ coniuratione.] Huius mentio facta in superioribus est.

Exegit.] Repetiit tanquam debitam. Hoc enim exigere interdum significat: aliquando excludere & eiicere. Inde apud Historicos leges Exactis regibus, pro eiectis. & exactor regum dictus Publicola, qui Tarquinios ex Romano Imperio eiecerat, exturbaueratque.

Mutuam.] In amore respondentem. Mutuus dicitur amor, vbi par volũtas accipitur, & redditur. In amore autem vinci turpe est.

Suprema iudicia.] Vltimas morientium voluntates: quæ in testamẽtis maximè apparent.

M. A N. Alterum.] Gallum.

Alteri.] Saluidenio.

Maleuolum.] Sibi infestum.

Ad necem compulso.] Eusebius est author, Gallũ sibi mortem consciuisse.

Pietatem.] Pium erga se patrum studium.

Vicem suam.] Parum felicem sortem.

Quatenus.] Quantum vellet. quasi dicat, Maiora sunt eorum scelera, quàm possit quisquam illis leuiter irasci, & idcirco se infelicem dicere: cui, vt est apud Anneum Senecam, malum esse necesse esset.

Reliqui.] Amici.

Offensis interuenientibus.] Quanquam & ab illis quandoque offensus.

Desiderauit.] Requisiuit.

M. Agrippæ patientiam.] Qui rigore quodam animi potius, quàm iniuria Mitylenas concessit. Plinius, Pudenda, inquit, Agrippæ ablegatio. quasi ab Augusto fuerit ille ablegatus, non vltro secesserit: nisi ad eius filium id potius referas.

Terentiæ vxori.] Plinius: Arcanorum proditionem. Ad Mecœnatis, credo, leuitatem alludens Anneus Seneca eum, vt mollem, & vxorium, taxat: celebre alioqui ipsius nomen Flacci Horatii, & Maronis carmine.

Hæreditates.] Legata.

Suprema.] Vltima, extremam voluntatem: nam voluntas ex iudicio pendet.

morosissimè pensitauit: neque dolore dissimulato, si parcius, aut citra honorem verborum: neque gaudio, si gratè, piéque quis se prosecutus fuisset. Legata, vel partes hæreditatũ & à quibuscunque parentibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concedere, aut, si pupillari ætate essent, die virilis togæ, vel nuptiarum, cum incremento restituere consueuerat.

De seueritate, & clementia eius erga libertos. LXVII.



Atronus, dominúsque non minus seuerus, quàm facilis, & clemens. Multos libertorum in honore, & vsu maximo habuit: vt Licinium Enceladum, aliósque. Cosinium seruum grauissimè de se opinantem, non vltra quàm compedibus coercuit. Diomedem dispensatorem, à quo simul ambulante, incurrenti repentè fero apro per metum obiectus est, maluit timiditatis arguere, quàm noxæ: rémque non minimi periculi, quia tamen fraus aberat, in iocum vertit. Item Proculum ex acceptissimis libertis mori coegit, compertum adulterare matronas.

PHIL. Morosissimè pensitauit.] Cum nimia diligentia & morositate perpendit, examinauitque.

Si parcius.] Sensus est: Apertè dolebat Augustus, si quis amicorum in testamento de se ipso nimis parcè, & sine honorificentia verborum meminisset. Idem apertè gaudebat, si amici benigne, & piè sui mentionem fecissent in testamento scribendo.

Partes hæreditatum.] Vt esset cohæres.

A quibuscũque parẽtibus.] Ab his, qui filios habuissent. Videtur enim iniquissimum esse, quòd patri alius succedat, quàm filius: quòd in hæreditates paternas alii, quàm liberi, succedant. Ideóq; eleganter, & verè dixit Cor. Tacitus in vita soceri Agricolæ, quòd à bono patre nõ scribitur hæres princeps, nisi malus: tanquã scilicet boni principes nolint inuadere aliena bona, minimèq; ad se pertinentia. Nunc laudatur Augustus, qui filiis testatorum bona sibi relicta concedebat, restituebátque cũ incremento.

Die virilis togæ, vel nuptiarum.] Sensus est, Augustum noluisse accipere legata ab his, qui liberos haberent: sed consueuisse restituere illis, vbi adoleuissent, quo die sumebant togam virilem, vel quo vxorem ducebant: vel, si essent fœminæ, quo die nupsissent.

Patronus, dominúsque.] Nomina hæc sunt relatiua, &, vt dialectici dicunt, ad aliquid: nam patronus liberti est, & dominus serui: & econtrario, libertus patroni, seruus domini est.

Licinium.] Quidam autumant, hunc esse illum Licinium, de quo vulgatum sit illud distichon:

Marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato paruo:
Pompeios nullo: credimus esse deos?

Dispensatorem.] In numero seruorũ erant dispensatores. Hinc ait Tacitus: Galbæ corpus dispensator Argius, è primoribus seruis, humili sepultura in priuatis eius hortis contexit. Et Plinius in XXXIII. cap. XI. sic inquit: Seruus Claudii Drusillanus, nomine Rotundus, dispensator Hispaniæ citerioris quingenariam lancem habuit. Dicti autem sunt dispensatores ab dispensanda pecunia. Nam, vt author est Plinius, libralis, & dipondius assis appendebatur: vnde & adhuc expensa in rationibus dicuntur: & stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensatores, libripendes dicti. Docent Iurisconsulti, dispensatorem mereri libertatem, si diligenter tractauerit dominicas rationes. Nam titulo De statu liberis, Labeo ita refert: Calenus dispensator meus, si rationes diligenter tractasse videbitur, liber esto, suáque omnia sibi habeto.

Fero apro.] Scribit Plinius in VIII. in omnibus animalibus cuiuscunque generis vllũ sit placidum, eiusdem inueniri & ferum: vtpote cùm hominũ etiam syluestrium genera reperiãtur. Complura tamen sunt nec placida, nec fera, sed mediæ inter vtrunque naturæ: vt hirundines, apes, delphini, mures. Problema est apud Aristotelem, cur in animantium genere quæcunque domestica, eadem etiã fera reperimus: quæcunque autem fera, non vtique eadem domestica natura creauit. Cum fero apro si misceatur sus domestica, quæ mistura facilis est, nascetur hybrida. Sic enim vocatur ex vtroque sue, & domestico, & fero genitus.

Arguere.] Accusare.

Quàm noxæ.] Criminis & culpæ. Aliâs noxa periculum significat, & damnum. De noxa, & noxia plura scripsimus in notis Seruii.

Adulterare matronas.] In hoc videtur imitatus esse Iulium Cæsarem, qui libertum gratissimũ capitali pœna affecit, ob adulteratam equitis Romani vxorem. Olim Claudius retulit ad Senatum de pœna fœminarum, quæ seruis coniungerentur, statuitque vt ad id prolapsa in seruitute haberetur, si maritus ignorasset: sin verò consensisset, esset loco libertæ.

M. AN. Morosissimè.] Nimis anxiè, & curiosè.

Parcius.] Remissius.

Citra honorem verborum.] An sine honorifica præfatione de se vltimo vitæ tempore locuti essent.

Pupillari ætate.] Vt aliena ope, & tutela indigerent.

Virilis togæ.] Quo die virilem togam sumpsisset.

Aut nuptiarum.] Aut cùm vxorem duxisset.

Cum incremento.] Auctis etiam rebus, aut muneribus superadditis.

Patronus.] In libertos.

Dominus.] In seruos.

Grauissimè.] Pessimé.

Dispensatorem.] Dispenso, vnde dispensator, à dispendo est. Pendendi æris mos longè antiquissimus: nam quum æs graue esset in vsu, appendi oportuit, nõ numerari: qui igitur patroni, aut domini æs dispendebant, dispensatores ab initio sunt dicti.

Fero apro.] Syluestri.

Per metum.] Qui dum apri declinaret incursum, irruenti illi Augustum pro se obiecit.

Quàm noxæ.] Culpæ.

Proculum.] Proculus dicitur, qui peregrinante patre est natus.

Adulterare.] Adulteria committere.

Thallo à manu, quòd pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura effregit. Pædagogum, ministrósque Caii filii, per occasionem valetudinis mortísque eius superbè auaréque in prouincia grassantes, oneratos graui pondere ceruicibus, præcipitauit in flumen.

De infamia dedecorum primæ iuuentutis eius. LXVIII.

PRima iuuenta variorum dedecorum infamiam subiit. Sextus Pompeius eum vt effœminatum insectatus est: M. Antonius adoptionem auunculi stupro meritum. Item Lucius Marci frater, quasi pudicitiam delibatam à Cæsare, Aulo etiã Hirtio in Hispania trecentis millibus nũmûm substrauerit: solitúsq; sit crura suburere nuce ardenti, quò mollior pilus surgeret. Sed & populus quondam vniuersus ludorum die, &

PHIL. A Manu.] Hoc est, amanuensem, & scribam. Repete quæ superius scripta sunt in Iulio Cæsare, vbi ait: Philemonem à manu seruum.

Prodita.] Reuelata, demonstratáque cuidam, cuius intererat eam inspicere. Hoc autem factum est contra officiũ scribarum: qui in primis arcanorum tenacissimi custodes esse debent. Mortísque eius.] Dictum iam est, quẽadmodum Caius Augusti per adoptionem filius, fuit in Lycia interfectus fraude Donnis, qui libellum legenti, quẽ ipse porrexerat, vulnus incussit: ex quo vulnere cùm periisset Caius, pædagogus illius, atq; ministri cœperunt superbè, & auarè grassari, atque prædari in Lycia prouincia: propter quod ab Augusto affecti sunt supplicio capitali, & in flumen præcipitati: quo olim supplicio vsus est Alexander in seditiosos.

Dedecorum.] Dehonestamentorum, flagitiorum.

Sextus Pompeius.] Filius Magni Pompeii hic fuit: exercuit piraticam in Sicilia: quem, vt in superioribus explicauimus, pugna nauali Augustus profligauit. Hic ergo, vtpote inimicus, de Augusto inimico obloquebatur. Solent autem inimici insectanter, & grauiter vituperare inimicos: & plerunque fit, vt quantò vituperationes fuerint acerbiores, tantò minus fidei habeãt. Potuerunt itaque cõmentitia esse, quæ Sextus Pompeius, & M. Antonius in Augusti iuuentam insectanter prodiderunt, qui eum fuisse mollem, & paticũ criminati sunt.

Adoptionem auunculi.] Iulii Cæsaris: qui, vt superius dictum est, maior auunculus fuit Augusti, hoc est, frater eius auiæ: per adoptionem verò pater.

Lucius Marci frater.] Significat Lucium Antonium fratrem Marci Antonii triumuiri, quem in bello Perusino victum ad deditionem compulit Augustus.

In Hispania.] Hoc ad illud tempus referendum, quo Iulius Cæsar profectus est in Hispanias aduersus Cn. Pompeii liberos, & tunc Augustus eum subsequutus est.

Delibatam.] Præfloratam, prægustatámque. Cor. Cethegus ab Ennio dictus cum laude, Flos delibatus populi.

Substrauerit.] Prostituerit pretio corruptus.

Nuce ardenti.] Dionysius ille Syracusanorum tyrannus solitus erat barbam sibi, & capillũ adurere candentibus iuglandium putaminibus, hoc est, ardentibus nucum corticibus: & hoc faciebat ex formidine, dum timet tonsori collum, capútque committere. Igitur Augusto probro datum videtur, quòd crura subureret nucibus ardentibus: tanquam illud putamen habeat vim psilothri, hoc est, medicamenti depilatorii. Scribit Plinius in XIIII. maximũ honorem fuisse resinæ in euellendis à virorũ corporibus pilis. Idem in XXIII. quod huic sententiæ congruit, refert, putamen nucis combustum, tritúmque in oleo, aut vino, infantiũ capite peruncto nutrire capillum: & eo sic vtebãtur ad alopecias. Sunt autem alopeciæ ex genere arearũ, in quibus emortua pellicula pili extenuantur, deinde excidunt. Fit alopecia in capillo, & in barba, vt ait Corn. Celsus. Hinc sæpe leges apud Pliniũ, medicamenta tradi ad alopecias repellendas. De quibus apud Auicennam quoq; magna mentio est. Alopecia autem nominatur à vulpe, quam Græci vocant ἀλώπεκα, quæ hoc morbo peculiariter conflictatur. Galenus primo librorum, qui Meri inscribuntur, sic refert: Alopeciæ propterea, vt aiũt, sic nominatæ sunt, quia frequẽter fiunt vulpibus. Græci autem ἀλώπεκας vulpes appellant. Igitur qui glabri, & molles diu videri volebant, pilos variis modis euellebant: Augustus nuce suburebat, hoc est, modice vrebat, vtebatúrque putamine nucis pro psilothro. Nam quanuis psilothra sint propriè medicamenta muliebria, tamen in vsu etiam virorum esse cœperunt, qui in fœmineam naturam se transferre pro viribus nitebantur, dolebántque quòd viri essent nati, prorsus enerues, euirati, effœminati. De psilothro iam dictum est: & ait Plinius in XXVI. Psilothrum nos quidem in muliebribus medicamentis tractamus, verùm etiam viris in vsu est.

Ludorum die.] Quo ludi scenici & histrionici agebantur.

M. AN. THallo à manu.] Qui serui à manu essent, qui à pedibus, diximus.

Pro epistola prodita.] Quia secretiorem epistolam pretio corruptus volenti legendam subiecisset, aut certe recitasset.

Caii.] Qui in Lycia periit.

Occasionem.] Temporis opportunitatem.

Valetudinis.] Morbi. Onerato graui pondere.] Grandioribus saxis eius collo alligatis.

Præcipitauit.] Præcipitari fecit. Dedecorum.] Probrorum. Sextus Pompeius.] Magni Pompeii filius: qui ab eo postea nauali est prælio victus.

Insectatus.] Proscidit. Auunculi.] Cæsaris. Maior enim auunculus Augusto Cæsar Dictator fuit.

Stupro.] Turpissimo corporis obsequio.

Lucius.] Antonius, qui circa Perusiam ab eo fame domitus est. Marci.] Antonii scilicet triumuiri.

Delibatam.] Primò violatam.

Aulo Hirtio.] Qui postea Mutinensi bello periit.

Substrauerat.] Abutendã dederat. Nuce ardenti.] Plinius: Tinguntur cortice earum lanæ, & rufatur capillus: cæterùm huiusmodi vsus nihil meminit.

accepit in contumeliam eius, & assensu maximo comprobauit versum in scena pronuntiatum de Gallo matris deûm tympanizante:

Vidésne vt cinædus orbem digito temperat?

De adulterio, & libidine eiusdem. LXIX.



Adulteria quidem exercuisse, ne amici quidem negant, excusantes sanè non libidine, sed ratione cõmissa, quò faciliùs consilia aduersariorum per cuiusque mulieres exquireret. M. Antonius super festinatas Liuiæ nuptias obiecit & fœminam consularem è triclinio * viro

* aliâs, viri coram

PHIL. IN contumeliam eius.] In contemptũ, opprobriúmq; Augusti. De Gallo tympanizante.] Agebatur fortassis in theatro fabula galliambo metro contexta: cuius argumentum erat de Cybele compositum, & de Gallis Cybelæis concinnatum: de quo ait & Martialis:

Nec dictat mihi luculentus Atys
Mollem debilitate galliambon.

Gallus autẽ nomen est, vt Græci dicunt, ὁμώνυμον: vt Latini interpretantur, æquiuocum: quod Martianus in Dialectica plurinocũ vocat: quando scilicet pluribus rebus eadem est appellatio. Est enim Gallus nomen gentis, nomen viri, nomen auis: & fortunam corporis significat, vt ait Fabius Quintilianus, id est, castratum. Nanque tales erant Galli sacerdotes matris deorum Cybeles, quod nomen traxerunt à Gallo fluuio: vt scribit Plinius in v. & tradit Ouidius in Fastis. De Gallis Cybeles, qui erant abscissi, multa scribit Augustinus libro VII. de ciuitate Dei, vbi refert, ideò abscissos matri Deûm seruire, vt significaretur, eos, qui semine indigeant, terram sequi oportere, quæ mater Deûm nominatur: in ea quippe omnia reperiri. Author est Firmicus Maternus, si Luna se in septimo loco Soli, Mercurio, Saturno aliqua radiatione coniunxerit, quòd talis constellatio faciet archigallos: ita enim dicuntur principes Gallorum abscissorum. Idem alibi ait: Venus in decimo ab horoscopo loco facit eunuchos, & archigallos. Tympanizante.] Tympanum pulsante. Eleganti vocabulo id genus homines tympanistas appellat Apuleius in lib. de dæmonio Socratis. Augustinus tradit, ideò magnam matrem, quæ & Tellus, & Cybele, & Ops, & Mater Deûm vocitatur, habere tympanum: vt significetur, eam esse orbem terræ: & ob hoc ipsum tympanum Galli Cybelæi in sacris pulsare solebant. Lucretius in II. de Gallis Cybelæis loquens ait:

Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concaua, raucisonóque minantur cornua cantu.

Catullus quoque tympanum tubam Cybeles non ineleganter vocat. Vidésne vt cinædus.] Hic est versus galliambus, pronuntiatus in scena de Gallo tympanum pulsante: cuius talis est sensus: Vides vt Gallus digito pulsans moderatur tympanum. Nam cinædus significatur Gallus, tanquam mollis, & effœminatus. Præterea cinædi apud veteres dicti sunt saltatores, & pantomimi: vnde & cãtio cinædica à Plauto dici videtur in Sticho. Non me præterit quæ tradantur de cinædica oratione, & eius inuentore Sotade. Orbem verò accipimus pro tympano orbiculato, ad orbem terræ significandũ: sed cùm hic versus de Gallo Cybelæo scriptus esset, cõuersus est per amphibologicam similitudinem in Augusti contumeliam, tanquam & hoc significaret, Vides vt cinædus Augustus orbem terrarum digiti nutu regat: & ita tanquam mollis, & paticus taxabatur Augustus à populo Romano. Per cuiusque mulieres exquireret.] Nihil est tam arcanum, quod mulier non prodat, detegátque, maximè in cõplexu amatoris subans. Tradunt magi, si cor bubonis imponatur mammæ mulieris dormientis sinistræ, fore vt omnia secreta pronuntiet. Super festinatas.] Scribit Sextus Aurelius, Augustũ, abiecta vxore Scribonia, amore alienæ cõiugis possessum Liuiam sibi coniunxisse. M. Antonius non contentus obiecisse Augusto quòd festinanter nuptias cum Liuia aliena vxore fecisset, tanquam amoris impatiens: etiam probro ei dedit, quòd alteram fœminam summatem, viri consularis vxorem, ex libidinis impatientia abduxerit è cõuiuio in cubiculum, peractóq; concubitu reduxerit. Viro coram.] Flagitium est abducere coniugem alienam: flagitiosissimum verò id efficere vidente ipso marito. Sensus enim oculorum est acerrimus, & animum vehementius lancinãt visa, quàm audita nostrorum dehonestamenta: nisi fortè maritus imitabatur Capium illum, qui Pararenchos dictus est, quia simulabat se dormire: &, vt ait ille, doctus erat stertere ad calicem vigilanti naso, quò impunitius eius vxor mœcharetur: cuius meminit Lucilius: à quo videtur natum illud vetus prouerbium, quod est, Non omnibus dormio. quod vsurpat & Cicero quadam ad Fabium Gallum epistola, cùm ait: Olim, non omnibus dormio: sic ego non omnibus, mi Galle, seruio.

Fœminam consularem.] Scribit Vlpianus libro primo Digestorum, consulares fœminas dici consularium virorum vxores. Adiicit Saturninus, & matres: quod nusquam relatum est. Fœminæ nuptæ clarissimis personis clarissimarum personarũ appellatione continentur. Fœminis enim dignitatem clarissimam mariti tribuunt. E triclinio.] In notis Seruii docuimus, triclinium & mensam, & cœnaculum significare.

M. AN. IN contumeliam.] In contemptum.

De Gallo.] De Cybeles sacerdote. Macrobius: Phryges fabulis, & sacrorum administrationibus immutatis circa matrem Deûm & Attinem eadẽ intelligi præstant. Quis enim ambigat matrem Deûm terram haberi? Hæc dea leonibus vehitur, validis impetu atque feruore animalibus: quæ natura cæli est, cuius ambitu aer continetur, qui vehit terram.

Tympanizante.] Tympanum pulsante. Martialis:

Attia Celænæos lugentia matris amores,
Esuriens Gallus vendere sæpe solet.

Iuuenalis:

Aut resupinati cessantia tympana Galli.

Catullus ministras quoque ipsas deæ Gallas appellauit,

Rapidæ, ait, ducẽ sequũtur Gallæ præproperè pedẽ.

Aut certè ad Gallorum mollitiem respiciens Gallas Catullus dixit: vt est illud apud Vergilium:

O verè Phrygiæ.

Cinædus.] Mollis Gallus: genitalibus nanque exectis mollissimi habebantur.

Orbem digito temperat.] Quum de Gallo tympanum pulsante esset à poëta dictum, populus in Augustum vertit, qui mollissimus, vt Gallorum vnus, orbem terrarum porrecto digito, quod imperantium est, regeret. Festinatas.] Quando prægnantem etiam abduxisset. Fœminam consularem.] Consulari viro nuptam: quo pacto ad Liuiam id referri possit, nõ video. Tyberius enim Nero nunquã, quod legerim, cõsul fuit.

coram in cubiculum abductam, rursus in conuiuium rubentibus auriculis, incomptiore capillo reductam: & dimissam Scriboniam, quia liberiùs doluisset nimiam potentiam pellicis: & conditione quæsitas per amicos, qui matresfamiliâs, & adultas ætate virgines denudarent, atque perspicerent, tanquam Thoranio mangone ven-

PHIL. RVbentibos auriculis.] Auricula propriè significat partem illam auris infimā, quæ mollis est. Inde pro uerbialiter à Cicerooe dictū est: Homioem reddo ima auricula molliorem. Græci ὤτιον appellant. Scribit Plinius in x s. in aure ima, hoc est auricula, memoriæ locū esse: quam tangentes attestamur. Vnde Horatianum illud: Ego verò appono auriculam. Auriculæ in fœmina rubentes, & capilli vexari, indicio sunt recentioris concubitus. Hoc idem indicat Iuuenalis illo versu:

Vexatásqoe comas, vultúmque, aurémque calētem.

Dimissam Scriboniam.] scilicet obiecit Augusto. Superius dictū est, quemadmodum Augustus Scriboniam accepit in matrimonium, cum qua mox diuortiū fecit, pertæsus morum eius peroersitatem. Fuit autem Libonis filia: à qua Scriboouis Aphrodisius grāmaticus fuit redemptus, & manumissus. M. Antonius ideò Scriboniam ab Augusto repudiatam fuisse dixit: quia illa doluerat ob impotenriam pellicis. Est autē pellex propriè ea, quæ cum eo corpus miscet, cui vxor est: & io hoc significatu ferè semper accipi reperies ab oratoribus, & poëtis. Vbi animaduertendum est, pellicem non dici tam viri, quàm vxoris: vt illud Sallustianum: Filia matris facta pellex. Et illud Ciceronianū in oratione pro Cluentio: Vxor generi, nouerca filii, filiæ pellex. Hinc lex à Numa Pompilio lata hæc est: Pellex ædem Iunonis ne tangito. Interdum pellex, vt inqoit Massurius Iurisconsultus, apud antiquos ea habita est, quæ, cùm vxor non esset, cum aliquo tamen viuebat: quam nunc vero nomine amicam, paulò honestiore concubinam appellari tradit. Matresfamiliâs.] Matremfamiliâs, vt inquit Vlpianus, eam accipere debemus, quæ nō iohoneste in domo vixit. Matrem enim familiâs à cæteris fœminis mores discernunt, atque separant: próinde nihil intererit nupta sit, an vidua, ingenua sit an libertina. Nam neque nuptiæ, neq; natales faciunt matremfamiliâs, sed boni mores. Boethius in Cōmentario s s. Topicorum tradit, matremfamiliâs esse non posse, nisi quæ conuenisset in manum mariti per coemptionem. Coemptio verò certis solennitatibus peragebatur, & sese in coemendo inuicem interrogabant: vir ita, an mulier sibi materfamiliâs esse vellet: illa respondebat, velle. Item mulier interrogabat, verum vir sibi paterfamiliâs esse vellet: ille respōdebat, velle. Aelius Melissus inter grammaticos celebratus, Matrona, inquit, est, quæ semel peperit: quæ sæpius, materfamiliâs. Cuius sententiā refellit Gellius lib. xviii. Noctium Atticarum, scribens matremfamiliâs appellatam esse eam solam, qoæ in mariti manu, mancipióque esset. De matrefamiliâs idem Seruius sensit, qood Boethius: qui illud præterea addidit, familiâs genitiuō esse antiquū à Græco deductum. Seruio adstipulatur Priscianus, qui sic ait in v i. Primæ declinationis fœmininorū genitiuū etiā in as, more Græcorum, solebāt antiquissimi terminare: vnde adhuc paterfamiliâs, & materfamiliâs, pro familiæ solemus dicere: & frequens hoc habet vsus. Mangones.] Māgones, sunt venaliriarii, hoc est, hi, qui vendunt seruos elegantiores, venustioresque: & cùm homines mercis appellatione nō contineantur, mangones, vt rectè ait Mela Iurisconsultus, non debent appellari mercatores. Mango dicitur quasi manu ago, vt interpretatur Porphyrio enarrans illud Horatianum: Nemo hoc mangonū facere tibi. Mangonū officiū est, vt docet Quintil. in ss. colorem fuco, & verū robur inani sagina mētiri. Ita enim mancipia vendibiliora, & pretiosiora efficiūtur. Docet elegāter Plinius, solitos fuisse mangones medicamētis pubertatē venaliū puerorū coercere, & noo pati erumpere: vode ait in xxs, Hyacinthi radix est bulbacea, mangonicis venalitiis pulchre nota: quæ vino dulci illita pubertatem coercet, & nō patitur erūpere. Idē in xxx. Ne sint malæ hirsutæ, formicarū oua pueris infricata præstant. Item mangonibus, vt lanugo tardior sit pubescentium, sanguioe, & testiculis agnorū, qui castrantur: qui euulsis pilis illitus & cōtra virus proficit. Māgones quoque fœminas dici posse, testis est idē Plioius, qui ait in xxxii. Ita pueros pubescere oegauit mango Salpe obstetrix. Aliquando aliarū quoque rerum venditores [illegible] dicuntur mangones: qui merces poliunt, atqoe interpolant, vt pluris vendant. Vnde ab eodē Plinio mangones gemmarū dicti. A māgone mangonium inclinatur, accipitúrque pro artificio māgonis. Plin. in x. Nec tamen in hoc mangonio quicquā totum placet. Infrà māgonicos quæstus vocat Tranquillus lucra, quæ mangones faciunt in vendendis mancipiis. Hinc mangonizare verbum est, quod significat expolire, ornare, vt emptores alliciaot ad facilius emendum. Plinius in xxiii. Succus bryoniæ vitis illitus per se, & cū eruo, lætiore quodam colore, & cutis teneritate māgonizat corpora. Idem io sx. villas mangonizatas appellat, quasi mangonio opere vendibiliores factas. Thoranio.] Huius Thoranii mangonis meminit Solinus in Polyhistore, & Plinius in vii. qoem scribunt vendidisse M. Antonio doos eximios forma pueros, alterum Asiaticum, alterum Gallicum, vt geminos: tanta vnitas erat. De eodem sic ait Macrobius in ii. Saturnalium: Delectatus erat Augustus inter cœnam symphoniacis Thoranii mangonis, atque eos frumento donaoerat. Sensus est Tranquilli, Antonium obiecisse Augusto, quòd per amicos matronas, & virgines sub conditiooe quæreret ad stuprū: qui illas denudaras ita diligenter, & oriosè cootemplarentur, tanquam eas empturi à mangone Thoranio. Mos est eoim eorum, qui seruos emunt, vt eos diligenter perpendant, inspiciántque.

M. AN. RVbentibus auriculis.] Qnod in fœmina patratæ libidinis est signum. Iuuenalis:

Vexatásque comas, vultúmque aurémqoe calētem.

Dimissam Scriboniam.] Obiecit, intellige.

Pellicis.] Quam marito præsente è triclinio ad stuprum abduxerat.

Conditione quæsitas.] Sic potius legeodum, quàm cōditiones, vnde nihil sequitur: vt sit sensus, Antonium obiecisse Augusto præter cætera flagitia, fœminas quoque per amicos illi conditione quæsitas, vt si nudæ placuissent, ipsius coogressu dignæ iudicarentur.

Thoranio mangone.] Qui venalia mancipia à mangonibus emebant, diligentius inspicere coosueuerant, ne quid vitii inesset: quanquam vitia quædam, licet nō intellecta, tanti haberi solita, vt seruus, quemadmodū Gellius scribit, iure redhiberetur. Eidem Thoranio M. Antonius duos iuueoes, quos mira similitudine fratres ratus coemerat, cùm diuersitate linguæ proditos redhibendos putasset, pretiū restituere coegisset, nisi tempestiuo illius sophismate fuisset delinitus.

Inimi

dente. Scribit etiam ad ipsum hoc familiariter adhuc, necdum plenè inimicus, aut hostis: Quid te mutauit? quòd reginam ineo? vxor mea est. Nunc cœpi, an ab hinc annos nouem? tu déinde solam Drusillam inis? ita valeas, vti tu hanc epistolam quum leges, non inieris Tertullam, aut Terentillã, aut Rufillam, aut Saluiã Titisceniam, aut omnes. An'ne refert vbi, & in quam arrigas?

De cœna eius, & discumbentium in apparatu deorum. LXX.

COena quoque eius secretior in fabulis fuit, quæ vulgò δωδεκάθεος vocabatur, in qua deorum, dearúmque habitu discubuisse conuiuas, & ipsum pro Apolline ornatum, non Antonii modò epistolæ singulorum nomina amarissimè enumerantis exprobrant, sed & sine authore notissimi versus:

PHIL. INimicus, aut hostis.] Scienter hæc duo tanquam diuersa disparauit. Inimicus enim, priuatus est: hostis, publicus. Sed attende quòd verbum inimicare ab altero inclinatur, significátque inimicum facere: vt apud Horatium, Et miseras inimicat vrbes. Ab altero verò hostire, quod significat ferire: vnde hostiam dici autumat Festus.

Quid te mutauit.] Verba M. Antonii, quibus Augustum subaccusat, tanquã erga ipsum immutatus sit, quòd cum regina Cleopatra cõcumberet: cũ ipse plures haberet, quas passim subagitaret: more eorum, qui acres sunt in vitiis vlciscendis, quibus ipsi vehemẽter indulgent: & ita Augustus à Sexto Aurelio reprehenditur, quòd cùm esset luxuriæ seruiẽs: erat tamẽ eiusdem vitii seuerissimus vltor.

Reginam ineo.] Cleopatram subagito. Inire enim coire est: & initus coitum significat. Ausonius:

Sic me taurus init, sic proxima buccula mugit.

Plinius in x. Primos quoque mares pariunt canes: in cæteris alternant, si ineant opportuno, & recto mense: ineuntur à partu sexto mense. Idem tradit, equos, & canes, & sues initum matutinum appetere. Ouidius:

Ineat quanlibet ante velim.

Habet præterea & alios significatus: nam Inire æstimationem dicimus, vt inire rationem, hoc est, inuenire modum & rationem alicuius rei æstimandæ: cuius verbi frequentior est vsus apud authores, quàm vt exẽplo opus sit. Meminit Laurentius copiosè lib. v. Elegant. Terentius in Heautont. Crucior, bolum tantum mihi esse ereptum tam subitò è faucibus. Quid agam? aut quid comminiscar? ratio de integro ineunda est mihi. Inire etiam nexum, est lege nexus addici. Quare apud Liuium lib. II. ab vrbe condita, non nexum dedisset, sed nexum inisset, legendum puto.

Solam Drusillam inis.] Per interrogationem legendum. Significat enim, Augustum minimè esse contentum vnius vxoris Liuiæ Drusillæ concubitu.

Tertullam.] Hæc sunt nomina matronarum, cum quibus rem habere solebat Augustus.

An'ne refert.] Quasi nihil differre putaret, an concumberet domi cũ vxore, an foris cum alienis coniugibus. Interdicit Aristoteles in VII. Politicorum, omni concubitu, præterquam vxoris: qui secus fecerit, dignam, inquit, pœnam patiatur.

Arrigas.] Obscœnum verbum est, vt illud epigrammatici poetæ:

Arrigis ad vetulas, fastidis, Basse, puellas.

In fabulis fuit.] In ore vulgi, quotidianísque rumoribus, & fabulationibus. Ouidius:

Fabula, nec sentis, tota iactaris in vrbe.

Δωδεκάθεος.] Duodecim deorum. Ne autem putes hunc numerum temere vsurpatum, scito duodecim esse deos, sex mares, totidem fœminas, qui ab antiquis inter selectos numerantur: quos in duos versus Ennius cohibiliter coarctauit. Enniani versus sunt hi: Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo. Herba quoque est, quã dodecatheon vocauerunt omniũ deorum maiestate commẽdantes, quã in aqua potam omnibus morbis mederi tradũt. De hac cœna Augusti dodecatheo nuncupata, quam in secreto agebat, intellexit Sextus Aurelius, cùm ait: Nam inter duodecim catamitos, totidémq; puellas accubare solitus erat.

Ipsum pro Apolline.] Augustus habitu Apollinis discubuit. Nã & Apollo, vt ex Ennianis versibus apparet, & M. Varro, diuúsque Augustinus prodiderunt, vnus est ex numero deorum, qui selecti nuncupantur.

Singulorum nomina.] Nominatim singulos cum amarulenta mordacitate annumerabant, qui in cœna dodecatheo epulabantur.

M. AN. REginam.] Cleopatram.

Ineo.] Pro coniuge vtor. Inire præter notum significatum, coire est. Plinius: Conceptio vno initu peragitur. Inire nexum etiam olim dicebantur debitores, qui quũ soluendo æri alieno non essent, creditoribus vincti addicebantur lege XII. Tabularum. Liuius: lib. VII. Non eadẽ domi, quæ militiæ, erat fortuna plebi Romanæ. Nam etsi vnciario fœnore facto leuata vsura erat, sorte ipsa obruebãtur inopes, nexúmque inibant. Dicimus etiam inire magistratum. Liuius: Consules, quo creati sunt die, magistratũ inierunt. Romæ autem Calendæ Ianua. solennes erant ineundis magistratibus.

Tu deinde.] quasi dicat, Tu, qui vis me vnius Octauiæ concubitu vti, quia sit vxor.

Solam Drusillam.] Solam Liuiam, quæ Drusilla cognominata est, quæ eadem tibi est & vxor.

Tertullam.] Nomina illustrium fœminarum, quibus Augustus congredi solebat.

An'ne refert.] An multùm differre putas?

Vbi.] Domi, an foris.

In qua.] In vxore, an aliena fœmina? Per interrogationem hæc legenda, sed quæ felle non careat.

Secretior cœna.] Secretiore loco instructa.

Δωδεκάθεος.] Duodecim deorum.

Pro Apolline.] Apollinis habitu.

Singulorum.] Qui cœnæ affuerunt.

Amarissimè.] Amara exprobratione.

Sine authore.] Authoris nomine suppresso.

Istorum.] Qui pro diis, deabúsque discumbebant.

Chora

Quũ primùm istorum conduxit mensa choragũ,
Séxque deos vidit Mallia séxque deas:
Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
Dum noua diuorum cœnat adulteria,
Omnia se à terris tunc numina declinarunt:
Fugit & auratos Iuppiter ipse thronos.

Auxit cœnæ rumorem summa tunc in ciuitate penuria, ac fames. Acclamatúmque est postridie, frumentum omne deos comedisse, & Cæsarem planè esse Apollinem, sed & tortorem: quo cognomine is deus quadam in parte vrbis colebatur.

PHIL. Choragum.] χορήγοs Græcè dicitur choreæ princeps, & expensæ suppeditator, & chori, cõuiuiíque magister. Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis, ὦ χορηγὲ, quod Latinè interpretatur, ô ductor chori, excogitasti quo pacto hic inhonoratus locus fieret honorabilis. Choragiũ verò dici virginale funus, ait Fulgẽtius Placiades: idq; confirmat illa Apuleii authoritate: Iã feralium nuptiarũ miserrimæ virgini choragiũ struitur. Sed, quod cum bona Fulgentii venia dictum sit, choragiũ, vt ego sentio, nõ significat apud Apuleium virginis funus, sed accipitur μεταφορικῶς pro instrumento, atq; apparatu nuptiarũ quidem feralium, atque funebrium. Nanque, authore Festo Pompeio, choragium est scenicum instrumentũ, quo scilicet scena instruitur, & apparatur: cuius præfectus dicitur choragus: vt hîc, & apud Plautũ in Persa, cùm ait, πόθεν: id est, vnde ornamenta? ab chorago sumito, dare debet: præbenda ædiles locauere. Item ait in Trinummo: Ipsa ornaméta à chorago hæc sumpsit suo periculo. Huius sententiæ adstipulator est Vitruuius, qui sic ait in quinto: Post scenam porticus sunt constituendæ, vti cùm imbres repentini ludos interpellauerint, habeat populus quò se recipiat ex theatro: choragiáq; laxamentum habeant ad comparandum, vti sunt porticus Pompeianæ. Apuleius in Apologia choragiũ Thymelicũ appellat, intelligi volens instrumentũ scenicũ & histrionicũ apparatũ. De Thymele & Thymelicis affatim scripsimus in Annotationibus. Sensus est versiculorum, deseruisse terras Iouem, & liquisse Capitolium, quando sub habitu deorũ dearúmque duodecim conuiuæ conduxerũt choragum, hoc est ductorem chori, præfectũmq; cœnæ apparandæ: in qua adulteria inter deos & deas patrata sunt, tanquam cœna hæc foret histrionica, sumeretúrque à chorago instrumentum.

Vidit Mallia.] Ego existimo συμβολικῶς & poeticè Malliam appellari domum Capitolinam ab illo Tito Manlio Capitolino, cuius ædes in arce erant, qui Capitoliũ in bello Gallico seruauit: vnde & Capitolinus dictus. Et est sensus: Mallia, hoc est, arx, ipsúmque Capitolium vidit sex deos, & sex deas simul accubantes: tanquam in Capitolio cœna dodecatheos celebrata fuerit. Scribunt Sextus Aurelius, & Eutropius, Augustum accubare solitũ inter duodecim catamitos, totidémq; puellas, tanquam essent duodecim mare sub habitu deorum, & duodecim puellæ sub habitu dearum discumbentes.

Phœbi mendacia.] Dum pro Apolline ornatus inter conuiuas discubuit. Ita enim Phœbum per mendacium irreligiosum effingere, ac repræsentare videtur. vnde impia optimo epitheto dixit.

Cœnat adulteria.] Quasi non tam ad cœnã conuenirent, quàm ad coitum exercendum. Vetus est loquutio: Tertullianus in Apologetico: Non tam cœnã cœnauerunt, quàm disciplinam.

A terris declinarunt.] Terras reliquerunt, ne viderent tanta flagitia. Ita Catullus:

Iustificam à nobis mentem auertere deorum:
Quare nec tales dignantur visere cœtus.

Iupiter ipse.] ἱεροθεσπίτηρ, tanquam Iupiter Capitolinus suũ deseruerit Capitolium, & sellas aureas ipsi dicatas, quæ erant in Capitolio, in quas sellas Iuno, & Minerua ad cœnam inuitari solebãt antiquitus, quando epulum Ioui fiebat. Potes exponere thronos pro sellis illis, in quibus sedentes conuiuæ Augustales cœnitabãt. Nam quãuis ex instituto antiquo Romanorum accubarent, nec sederent in conuiuio, tamen, vt ait Valerius, fœminæ sedentes cœnabant, viris accubantibus: & cùm in cœna Augusti essent conuiuæ sub habitu deaũ, meritò thronos dixit pro sellis, in quibus deæ sederunt cœnitantes.

Thronos.] Sedes: nam θρόνος dicitur sedes, sella, solium. Postridie.] Sequenti die. Valla ait: Postridie, quasi cras, non præsentis diei, sed cuiusdam alterius, aut præteriti, aut futuri.

Deos comedisse.] Duodecim illos conuiuas, qui deorum, dearúmque habitu discubuerant.

Tortorem.] Iocus est ductus ex Apollinis cognomine, qui Romæ colebatur sub hoc cognomento, vt Tortor vocaretur: sicuti Iupiter Prædator colebatur. Augustus in cœna discumbens habitu Apollinis, Apollo esse dicebatur: sed tortor, tanquam torqueret ciues Romanos fame, annonæque penuria cruciaret. Tortores à torquendo dicti. Mars in septimo ab horoscopo loco facit tortores, & carnifices. Dicitur etiam tortor, iaculator. Vnde ab Ammiano Marcellino tortores ballistarum appellati sunt, qui ex ballistis tela contorquent, & iaculantur.

M. AN. Choragum.] χορηγὸs choreæ princeps, & officii, suppeditator etiam expensæ: traducitúrque Latinè choragus. Est & choragium instrumentum scenicum, vt Festo placet: sed metri ratio non recipit.

Mallia.] Pro loco accipiunt quidam, in quo sit discubitum: sed cepit potius, quàm vidit, dixisset: quare libentius pro proprio mulieris acceperim, per quam omnia sint in vulgus edita.

Impia.] Deos lædentia: quia in re turpi eos affingerent. Cæsar.] Octauius. Mendacia.] Emeritas partes. Ludit.] Per lusum affingit.

Cœnat.] Cœnando repræsentat.

A terris.] Vbi ea scelera patrarentur.

Declinarunt.] Oculos auerterunt.

Auratos thronos.] Et ad sacras Iouis sedes id referri potest, & ad locum conuiuii, qui auratis esset sedibus instructus. Deos comedisse.] Obliqua exprobratio, quòd pro diis cœnassent.

Sed tortorem.] Quia fame populum torqueret. Plinius de Augusti infortuniis, Pestilentiæ vrbis, fames, sitísque Italiæ.

In quadam parte vrbis.] In ea videlicet, qua venalia tortorum flagella pendebant. Martialis: Vbi pendent flagella tortorum. Siue vicum intelligas, quem tortores incolerent. Iuuenalis:

Sunt quæ tortoribus annua præstent.

Nota pretiosæ supellectilis eius, & aleæ lusus per eum dilectus. LXXI.



Otatus est & vt pretiosæ supellectilis, Corinthiorúmque præcupidus, & aleæ indulgens. Nam & proscriptionis tempore ad statuam eius adscriptum est:

Pater argentarius, ego Corinthiarius.

Quum existimaretur quosdam propter vasa Corinthia inter proscriptos curasse referendos. Et deinde bello Siciliensi epigramma vulgatum est:

Pòst quàm bis classe victus naues perdidit,
Alíquando vt vincat, ludit assiduè aleam.

Ex quibus siue criminibus, siue maledictis infamiam impudicitiæ facillimè refutauit, & præsentis, & posteræ vitæ castitate.

PHIL. Corinthiorum.] Corinthia vasa dicuntur ex ære Corinthio fabrefacta: quod auro, argentóque cum ipso ære confusis fiebat: author Plinius in I X. idem in X X X I I I I. tria genera Corinthii æris facit: Candidum, quod nitore accedit quàm proximè argento. Alterum, in quo auri fuluus color conspicitur. Tertium, in quo æqualis temperies omnium fuit. Corinthium hoc æs casus miscuit: nam cùm caperetur à Mumio Corinthus, perustis quoq; plurimis statuis, atque simulacris, vt author est Florus, æris, auri, argentique venæ in cōmune fluxerunt. Cicero in oratione de signis refert, vas nullum Corinthiū fuisse in Sicilia, quin id quæsierit, inspexerit, abstulerit Verres: quē proscriptum ab Antonio fuisse tradunt, quia Corinthiis se ei cessurum negauisset. Scribit Iabolenus Iurisconsultus libro tertio de legatis: Cui corinthia vasa legata essent, bases huic quoque eorum vasorum collocandorum causa paratas deberi. Cicero in Paradoxis matellionem Corinthium appellat, vas ex ære Corinthio fabrefactum. Est enim matellio genus vasis, diminutiuum à matula. Propter æris Corinthii existimationem dixit Ouidius:

- Et nobilis ære Corinthos. Et Maro ait:
- Ephyreiáque æra.

Pretiosæ supellectilis.] Nemo nescit, appellatione supellectilis significari instrumentum quoddam patrifamiliâs rerum ad quotidianum vsum paratarum. Sed, vt ait Celsus Iurisconsultus, veteres fictili, aut lignea, aut vitrea, aut ærea denique supellectile vtebantur: nūc ex ebore, aut testudine, atque argento, iam ex auro etiā, atque gemmis supellectili vtuntur. Luxuria Asiatica inuexit primùm Romam supellectilem magnificam & pretiosam, vt Liuius, Pliniúsque notificant. Recto casu à nobis nunc dicitur supellex, à priscis dicebatur supellectilis: sicut etiam senis, qui nunc senex. Aleæ indulgens.] Scribit Plato in Phædro, Thent, cui dicata est ibis, inuenisse talos, & aleam. Herodotus verò in Clio author est, Lydos primos excogitasse aleam, & tesserarum ludum, cæteráque genera lusoria, præterquam talaria. Alea legibus Romanis erat vetita: hinc Cicero Lenticulam collusorem Antonii de alea condemnatum fuisse tradidit. Horatius:

Seu malis vetita legibus alea.

Aleatores, qui alio nomine à luculentis scriptoribus aleones nuncupantur, illiberales sunt, & sordidi: quoniam, vt inquit Aristoteles in quarto Ethicorum, in sordido lucro versantur. Et cùm alea dicatur omnis ludus in varietate fortunæ consistens, hinc factum est, vt pro periculo, periculíque dubitatione accipiatur. Lucanus:

- Placet alea fati
Alterutrum mersura caput: -

Liuius: In dubiam imperii, seruitiísque aleam imus. Qui habuerit horoscopum in vndecima parte Libræ, erit aleator popolari notione perspicuus.

Proscriptionis tempore.] Quando Augustus, Antonius, & Lepidus nefariam illam proscriptionem peregerunt, qua proscriptus fuit Marcus Tullius: qui ob id à Iuuenale dicti sunt tres Syllæ discipuli.

Pater argentarius.] Suprà dictū est, Octauium Augusti patrem à nonnullis argentarium dictum fuisse.

Ego Corinthiarius.] Verba hæc erant adscripta ad statuam Augusti: vt ita illius pater tanquam argentarius, ipse verò tanquam Corinthiarius taxaretur: hoc est, Corinthiorū amator immodicus.

Curasse referendos.] Sicut Marcus Antonius Verrem, quē Cicero damnauerat, proscripsisse traditur ob Corinthia vasa, quibus se ei cessurum negauerat.

Bello Siciliensi.] Quod gestū est in Sicilia aduersus Sextum Pompeium Pompeii Magni filium.

Postquam bis.] Verba epigrammatis vulgati, quod Augusto probro dat, illum esse factum aleatorem, vt aliquando vincat, resarciátque iacturam, quam passus est perditis classibus, quas tempestatibus duplici naufragio amiserat in bello Siciliensi.

Ludit aleam.] Vetus loquutio est: sic enim prisci loquebantur: viuit vitam, seruitutem seruit, pugnam pugnat. Impudicitiæ.] Quòd esset paticus, & muliebria pateretur.

Corinthiorum.] Vasorū: sunt qui à materia putent dicta, quæ Corintho Achaiæ vrbe à Romanis incensa, ex variis sit metallis conflata. Plinius: Hoc casu miscuit, Corintho, quū caperetur, incensa. Sed idē author certa temporū computatione ostendit opifices nobiles Corinthiorū vasorum, aut certè ad quos nobiliora referebātur opera, Corinthi excidiū præcessisse: quod si sic est, aut in materiæ iudicio, aut operis, est à maioribus erratum. Corinthiorū pretium supramodū temporum ambitione est auctū. Plinius: Mirum quū ad infinitum operū pretia excreuerint, authoritas artis extincta sit. Papinius: Aeráq; & Isthmiaus auro potiora metallis. M. AN.

Aleæ.] Lusui. Tēpore proscriptionis.] Quū proscriptionē exerceret: quo tempore præcipua flagrauit inuidia. Pater meus.] Illius persona, cuius erat statua, loquitur. Argentarius.] Campsor, trapezita, vt quidā volunt: vt alii, in quibus est Acron, qui auctioni præest, seu qui erat, & auctor est dictus. Corinthiarius.] Corinthiorum vasorū studiosus: sed inscriptionis author ad metallorū nomina allusit. Victus.] Octauius. Ludit aleam.] Ludo alea, & aleam dicimus. In alea sunt talus, tessera, alueolus, & breui omnia, quæ lusus esse dicuntur. Est enim alea ipse casus, siue euentus ludi. Mart.

Alea parua nuces, & non damnosa videtur. Impudicitiæ.] Qua infamia adolescēs nō caruit. Castitate.] Vitæ integritate omni ex parte seruata, quū pleriq; alii ætate prouecti non fecerint, sed pati perseuerarint.

Lauri

Item lautitiarum inuidiam, quum & Alexandria capta, nihil sibi, præter vnum myrrhinum calicem ex instrumento regio retinuerit, & mox vasa aurea assiduissimi vsus conflauerit omnia. Circa libidines hæsit, postea quoque (vt ferunt) ad vitiandas virgines promptior, quæ sibi vndique, etiam ab vxore, conquirerentur. Aleæ rumorem nullo modo expauit, lusitque simpliciter, & palàm oblectamenti causa, etiam senex, ac, præter quàm Decembri mense, aliis quoque festis, profestisque diebus: nec id dubiũ est autographa quadã epistola: Cœnaui (ait) mi Tyberi, cum iisdem. Accesserunt conuiuæ Vinitius, & Syluius pater. Inter cœnã lu-

PHIL. LAutitiarum inuidiam.] scilicet refutauit. Et hoc refertur ad supellectilem pretiosam, cuius nomine notatus fuerat. Lautitiam, epularum magnificentiam, authore Festo, appellamus: quam à lauatione quidam dictam putant: quoniam apud antiquos hæ elegantiæ, quæ nunc sunt, non erãt: & rarò aliquis lauabat. Lautia verò, sicut in libro Annotationum declarauimus, sunt munera, quæ legatis externarum gentium Romani per quæstores mittebant.

Murrhinum calicem.] Pompeius ex victoria Mithridatica primus in vrbem murrhina inuexit. Sunt autem pocula ex murrha gemma confecta, de qua Plinius hæc in vltimo naturalis historiæ: Oriens murrhina mittit, præcipua tamen in Carmania. Humorem putant sub terra calore densari. Splendor est murrhinis sine viribus, nitórque verius, quàm splendor. In pretio varietas est colorum, quando scilicet purpura rubescens, aut lac candescens in his visitur. Aliqua est & in odore commendatio: quod sensisse videtur Epigrammaticus poëta sic scribens in Apophoretis:

Si calidum potas, ardenti murrha Phalerno
Conuenit, & melior fit sapor idem mero.

Scribit Iabolenus Iurisconsultus, murrhea vasa, quæ ad vsum edendi & bibendi causa parata sint, esse in supellectili. Cassius Iurisconsultus murrhina vasa in gemmis non esse scribit: in quo dissentit à Plinio, qui murrham inter gemmas enummerat. De poculis murrhinis intelligit Lucanus illo versu:

Non auro murrháque bibunt. -

Ex instrumento regio.] Ex regum Alexandrinorũ opulentissima supellectile & gaza. Etenim tunc Roma in tantum opibus Alexandrinæ victoriæ aucta est, vt propter abundantiam pecuniarum duplicia possessionum, aliarúmque rerum venalium pretia statuerentur. Instrumento autem dixit pro apparatu: sicut apud Iurisconsultos titulus est De fundo instructo, & instrumento legato. Conflauerit.] Redegerit in massam, atque per fusuras dissoluerit. Cadmus Phœnix primus inuenit auri metalla, atque conflaturam.

Circa libidines hæsit.] Simile est illud, In eodem luto hæsitas. Horatius:

Hæres nequicquã cœno cupiens euellere plantam.

Augustus reliqua crimina refutauit, crimen libidinis in fœminas diluere non potuit.

Rumorem.] Rumor est sermo sine certo vllo authore dispersus, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas. A rumore rumusculus deriuatur. Hieronymus: Non magnopere cures quid imperitorum de Ingenio tuo rumusculi iactitent.

Decembri mense.] Propter Saturnalia hoc dictum est, quæ mense Decembri inter ludos, & talarios, & tesserarios, & omne genus aleæ licenter celebrabantur. Seneca in epistola quadam ad Lucilium: December est mensis, cùm maximè ciuitas desudat, ius luxuriæ publicè datum est, ingenti apparatu sonant omnia. Macrobius de Saturnaliorum die loquens ait: Sed vultisne diem, quem omnes plerique abaco, & latrunculis conterunt? Martialis in Xeniis, & Apophoretis ostendit aleam exerceri impunè solitam fuisse diebus Saturnaliis. Profestis diebus.] Profesti dies, sunt festis contrarii, ob administrandam rem priuatam, publicámque hominibus concessi. Profestis diebus insunt Fasti, Comitiales, Comperendini, Stati, Præliares: de quibus lege Macrobium in primo Saturnalium. Sensus est, Augustum non solùm lusisse in Saturnalibus, quibus passim ludebatur, & diebus festis, qui diis dicati sunt, sed etiam profestis, quibus magis negotia tractari solent, quàm ludus talarius exerceri.

Autographa epistola.] Αὐτόγραφον dicimus propria ipsius manu scriptũ: Græci αὐτὸν ipsum dicunt, & γράφω scribo. Vnde autographa epistola ipsius manu scripta significatur: antigrapha verò dicitur rescripta: nam ἀντιγράφω significat rescribo: ἀντίγραφον Græci dicunt exemplar: sed huic loco non conuenit. Vult enim significare Suetonius, Augustũ aleæ indulsisse, ab argumento efficacissimo, videlicet ab epistola ipsius manu scripta: quæ refelli non potest perinde, ac adulterina.

Vininius, & Syluius pater.] Nomina conuiuarum Augusti. Ideò autem Syluiũ patrem appellat, quia erat & Syluius filius: itidem Curio pater dictus est, ad differentiam filii Curionis. Est autem Syluius nomen Albanorum regum. Liuius: Mansit postea Syluius omnibus cognomen, qui Albæ regnarunt.

M. AN. LAutitiarum inuidiam.] Illud respicit, quod Corinthiarius est appellatus, hoc est Corinthiorum vasorum studiosus. Murrhinum.] A murrha: est enim murrha humor sub terra concretus, vnde pretiosissima vasa, quæ ex Oriente ad nos, vt scribit Plinius, deferuntur. Iuuenalis: - Maxima rursus Murrhina. - Lucanus: Non auro, murrháque bibunt. - Martialis:

Si calidum potas, ardenti murrha Phalerno.

Instrumento regio.] Regia supellectile.

Conflauerit.] Liquefecerit, in massam redegerit.

Circa libidines.] Circa mulierum congressus: nam quòd impudicitiæ infamiam declinatam dixit, illud ad Augusti corpus refertur: impudicus enim est, qui & pathicus, aut fellator. Iuuenalis:

- Non filius antè pudicus.

Ab vxore.] Liuia. Rumorem.] Infamiam.

Expauit.] Reueritus est. Simpliciter.] Sine fraude, aut arte vlla. Decembri mense.] Quo Saturnalibus vulgò ludebatur. Macrobius, & Martialis dierum licentiam explicant.

Festis.] Solennibus, & diis, vt Macrobius ait, dicatis. Lampridius, Calẽdis, inquit, Ianuariis, Hilaribus matris deũm ludis. Apollinaribus, Iouis epulo, Saturnalibus, & eiusmodi festis diebus.

Profestis.] Non festis, hominibus scilicet ob administrandam rem priuatam, publicámque concessis.

Autographa.] Ipsius manu scripta, ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ καὶ γράφω

simus γεροντικῶς & heri & hodie. Talis enim iacta tis, vt quisque Canem, aut Senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat: quos tollebat vniuersos, qui Venerem iecerat. Et rursus aliis literis: Nos, mi Tyberi, quinquatriis satis iucundè egimus. Lusimus enim

γράφων: potest & antigrapha legi, vt quidam habent, ἀντιγράφειν enim rescribo est, καὶ ἀντίγραφον exemplar. Syluius pater.] Ex quo apparet, duos tum Syluios fuisse Augusti familiares, patrem, de quo nunc, & filium.

PHIL. Γεροντικῶς.] Aduerbium Græcum est, quod Latinè dicitur seniliter. Græci senē γέροντα vocāt: ὑποκοριστικῶς, id est, dimiouriuè γερόντιον vetulum, quem Latini seneciooem, seniculúmque dixere: & γεροντικὸν senile: vnde & γερουσία, Senatus, siue curia nuncupatur, ab ætatis vocabulo. Hoc ideò dixi, vt intelligeres illud Plinianum ex lib. xxxv. Sic extruxere domum regiam Attali Trallibus, item Sardibus Crœsi, quam γερουσίαν fecere. Itidem Vitruuius ait: Crœsi domus, quam Sardiani ciuibus ad requiescendum ætatis otio seniorum collegio γερουσίαν dedicauerunt. Varro Senaculū vocatum ait, vbi Senatus, aut vbi seniores consisterent, dictum γερουσία. Significat Augustus se lusisse inter senes senili lusione. Quid autem talorum, tesserarúmque lusio senilis sit, indicat Cato, qui apud Ciceronem sic inquit: Nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant, & tesseras.

Talis.] De talis, qui Græcè dicuntur ἀστράγαλοι: vnde à Plinio ἀστραγαλίζοντες poeri ludentes talis appellantur. Scripsimus copiosissimè in Commentariis Propertii, & in libro Annotationum: repete quæ illhic explicata sunt. Iactatis.] Omnino tam manu, quàm orca intellige iactatos talos. Est autem orca, vasculum illud lusorium, quò coniecti tali, agitatíque emittuntur io tabulam aleatoriam: de qua intellexit Persius illo versu:

- Angustæ collo non fallier orcæ.

De qua ait eleganter Pomponius poëta Bononiensis:

Iterum dum contemplor orcam, taxillos perdidi.

A Martiale dicitur turricula, ex imitatione Græcæ dictionis, quam & Latini vsurpant: πύργον enim vocant. Horatius in Sermonibus:

Mitteret in pyrgum talos. -

Super qua re in libro Annotationum plura tradidimus, ostendentes fritillum idem significare: cùm alii existimauerint esse tabulam aleatoriā. Obiter annotandum videtur, talum impropriè dici in homine, si vera sunt, quæ Aristoteles, & Plinius noster prodiderūt: qui affirmant, hominem non habere talum, qui in bisulcis propriè est, & in solis cruribus posterioribus. Quando itaque Cor. Celsus, & Apuleius, aliique scriptores luculenti mentionem faciunt de hominis talo, videntur per quandam quasi translationem nominare talum id ossiculum, quod vertebra pedis ligatum sustinet totū corpus. A talo fit verbum talipedare, quod significat vacillare pedibus, & quasi talis insistere. Talus prænomen fuit Sabinorum. Canem.] Canis, qui Græcè dicitur κύων, iactus damnosus est in talis: sicuti docuimus apud Propertium, enarrantes versiculum illum:

- Damnosi subsiliere Canes. A Persio dicta est damnosa Canicula. Senionem.] Senio, punctus est in talis, qui interdū lucrosus erat: inde à Persio dexter, hoc est propitius, & felix iactus appellatur: interdum damnosus, vt in hac Augusti alea. Nam quicunque iecerat Canem, aut Senionem, ille denarios singulos conferebat in medium. De Senione, & Cane Martialis:

Senio nec nostrum cum Cane quassat ebur.

Videtur dici Senio à numero senario. Existimant eruditi, Senionem significare quaternarium, quòd scilicet

qui iecerat duos seniones, ille quatuor nummos lucrabatur. Seniones in alia significatione dici voluerunt deos minutulos, vt est Vertunos, & Pomona: quanuis legam Semones potius, quàm Seniones dictos. In singulos talos.] In libro Annotationum declarauimus, in ludo talario quatuor talos adhiberi solitos, cùm in tesserario tres tantúmmodo tesseræ, sicut etiam in præsentia fit, adhiberentur.

Venerē iecerat.] Venus in talis summum numerum habet, & est felicissimus iactus: de quo sensisse Horatium autumat Porphyrio illo versu:

Quem Venus arbitrum dicet bibendi.

Aristoteles de Venere & Cane, qui sunt in talis, hæc scribit digna annotatu in secundo De animalibus: Quæ Veneres vocantur, intus aduersæ sibi positæ sunt: quæ Canes, foris: quæ antennæ, suprà habentur: situs talorū omniū talis est. Idem lib. ss. de cælo & Mundo: Myrias, inquit, astragalos Chios iacere, difficile est: sed vnū, aut duo, facile. In prouerbio Græcorum est Χῖος πρὸς Κῷον: Chios ad Coon. id est, vnus ad sex: siquidem Coos astragalus, siue talus, siue in talis, iactus est, qui valet sex, Chios verò vnum. Quinquatriis.] M. Varro lib. ss. de lingua Latina, quinquatrum diem vnum festum esse dicit, sic appellatum, quòd erat post diem quintum Idus Martii: sicut sexatrus ab Tusculanis similiter vocatur dies post diem sextum: & septimatrus post diem septimum. Idem traditur à Festo Pompeio. Ouidius verò in Fastis, quinquatrus, siue quinquatria dies quinq; fuisse docet in mense Martio Palladi dedicatos. Gellius in secundo Noctium Atticarum inquit: Sicut in eo quod quinquatrus dicamus, quòd quinque ab Idibus dierum numerus sit, atrus nihil. Horatius in II. Epistolarum: Ac potius poet, vt festis quinquatribus olim. Quem versum enarrans Porphyrio sic inquit: Quinquatres à quinque diebus, qui dies ad ferias Mineruæ pertinent, propterea quòd festæ solennitates eius deæ per hoc spatium temporis celebrantur. Fuerunt & alteræ quinquatrus in mense Iunio minusculæ dictæ, ad similitudinem maiorum. Tunc tibicines feriati per vrbem vagabantur, & ad ædem Mineruæ conueniebant.

Γεροντικῶς.] Seniliter, ἐπιρρηματικῶς, ab eo quod γέρων senex est. M. AN. Talis.] Talus ossis genus est in articulo pedis, ventre eminens, concaua in vertebra quadratum, forma altera parte concauum, altera verò planum: in posteriori est suffragine duntaxat, nunquam in prioribus pedibus, nec homini, aut animalibus solidos vngues habentibus, sed bisulcis tantùm: Græci ἀστράγαλον vocant. Eo osse senes & pueri ludere consueuerunt. Vnde illud à Lysandro Lacedæmonio frequenter vsurpatum, Pueros astragalis, viros iureiurando fallere.

Canem aut Senionem.] Tali latera suum singula numerum faciebant: latus, quod vnitatem habuit, Canis, siue Canicula appellabatur: & quia minimus is numerus, idcirco damnosus. Ouidius:

Qoid valeant tali, quo possis plurima iactu
Figere, damnosas effugiásque canes.

Persius:

Damnosa Canicula quantum raderet. -

Latus huic oppositum Venus dicebatur, siue Cous, senarium continens, qui omniū maximus, sex lucrifaciebat nummos. Reliqua duo, Chius, & Senio dicta, ternarium ille, hic quaternarium continens: Chius treis nummos, Senio quatuor lucrantur. Binarius, aut quinarius in talo

non erat numerus. De talo Martialis:

Non mea magnanimo depugnat tessera talo,
Senio nec nostrum cum Cane quassat ebur.

& rursus: Cùm vultu nunquã steterit tibi talus eodẽ,
Munera me dices magna dedisse tibi.

ciis: Footem ipsum benignitatis exhaurit: ita benignitate benignitas tollitur. Ad cælestem gloriam.] Hic est vetustissimus, authore Plinio, referendi gratiam benemerentibus mos, vt tales numinibus adscribãt. Deus est enim mortali iuuare mortalem: & hæc ad æternam gloriam via. Et profectò, vt ait verissimè Pacatus in Paoegyrico, rei, & famæ bene consulit munificus Imperator: lucratur enim gloriã, cùm det pecuniam reuersurã. Ait Rabirius poëta:

Hoc habeo quodcunque dedi.

per omnes dies, forúmque aleatoriũ calfecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem gessit. Ad summa tamen perdidit non multum: sed ex magnis detrimentis, præter spem, paulatim retractus est. Ego perdidi viginti millia nummûm meo nomine, sed quum effusè in lusu liberalis fuissem, vt soleo plerunque. Nam si quas manus remisi cuique, exegissem, aut retinuissem quod cuique donaui, vicissem vel quinquaginta millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad cælestem gloriam efferet. Scribit ad filiam: Misi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos singulis cõuiuis dederam, si vellent inter se inter cœnam vel talis, vel par impar ludere.

De continentia, & habitationibus eiusdem. LXXII.

IN partibus cæteris vitæ cõtinentissimum fuisse constat, ac sine suspicione vllius vitii. Habitauit primò iuxta Romanum forum supra scalas annularias, in domo, quæ

Qui Venerem.] Vt sit sensus, qui Senionem, & Canem iecerat, in singulos talos singulos conferebat denarios, quos in mediũ collatos, qui Venerem punctum iecisset, vt victor tollebat.

Quinquatriis.] Iunenalis quinquatribus dixit: erant dies quinque, vt Ouidius ait, in hoorem Palladis celebritate consecrati: Vna, inquit, dies media est, & fiũt sacra Mineruæ: Nomináque à iunctis quinq; diebus habent. Varro vnum, nõ quinque fuisse ait, ac per errorem factum, vt quinq; celebrarentur: fuitq; ille dies celeber ad xv. Calendas Aprilis: is quia sextus esset ab Idibus, ac quintus ab atro, quioqoatrus dictus: Macrobius est author, cui Festus, Gellius, & Varro in nominis interpretatione adstipulantur.

PHIL. PEr omnes dies.] Quinque scilicet: tot enim sunt dies quinquatres.

Forum aleatorium.] Quò conferrent controuersias, & quæ vendere vellent quoque ferrent, forum appellarunt. Vbi quod generatim, additum est ab eo cognomen, vt forum boarium, forum olitorium: author M. Varro. Itaque festiuiter Augustus forum aleatorium appellauit locum, quò aleatores aleam, ludúmque conferrent, exercerénteque. Calfecimus.] Exercuimus, frequentauimus. A cootrario dixit Terentius: Nimirũ hîc homines frigent. Frater tuus.] Drusus Nero.

Magnis clamoribus.] Qui excitari solent ab his, qui fauent victori in alea. Vel potius iotellige clamores, & iurgia, quæ subinde gliscũt inter collusores: iuxta illud Nasonis de alea scribentis in secundo de Arte:

Crimina dicuntur, resonat clamoribus æther.

Præter spem retractus.] Nihil incertius est aleatorio ludo, io quo poti ssimùm fortuna dominatur: adeò vt sæpenumero qui iamiam victor erat abiturus, is repentè victus discedat: & qui victus videbatur, subitò victor euadat. Quod euenit Druso, qui cùm ab initio perderet, iacturámque faceret, ex inopinato cœpit ex damno aleatorio retrahi, & felicibus iactibus resarcire quod amiserat. Manus remisi.] Remittere manus in alea, est condonare collusoribus iactum, quem sua quisque manu damnosum sibi fecit, debuítque ob id nummos soluere. Exegissem.] Repetiissem. Vnde & exactores pecuniarum dicti. Sed hoc malo.] Potius volo donare, & remittere collusoribus, quàm exigẽdo vincere. Benignitas.] Liberalitas. Cicero in 11. de Offi-

Vel par vel impar.] Expungenda est particula illa vel, in medio collocata, & ita legendũ, par impar. Est enim genus ludi puerilis vulgò notũ: de quo sic ait Horatius:

Ludere par impar, equitare in arũdine longa.

Scalas annularias.] Annulariæ scalæ, opinor, dicuntur, quæ in cochleæ formam figurantur, & orbiculata figura instar annulorum rotundantur: quod scalarum genus alio nomine cochlidiũ dicitur. Strabo lib. vltimo: Hæc est etiã Panium altitudo quædam manufacta, turbinea, petrosæ ripæ persimilis, io quam per cochlidium ascenditur. Scribũt M. Varro, & Donatus in Eunucho Terentiana, scalas deûm penatium ædificatas fuisse ex bonis Macelli & Cupedinis, equitum, ciuium Romanorum, qui damnati fuerunt: à quorum altero macellum, ab altero forum Cupedinis appellatũ sit. Præterea scalæ Romæ fuerunt, quas Tarquinius superbus fecit, quas abominandi eius nominis gratia Tarquinias appellatas esse vulgò existimari ait Verrius.

M. AN. ALeatorium.] Sic libentius legerim, qoàm aleatorum, quod plures habent: vt vrbane locum aleatorum frequentia refertum, aleatorium appellauerit forum. Calfecimus.] Multitudine, & frequentia calorem induximus.

Frater tuus.] Drusus potius, quàm Agrippa, qui cum Tyberio adoptatus non multò pòst fuerat sepositus. Rem gessit.] Lusit.

Detrimentis.] Ex ingenti pecunia, quam amiserat.

Retractus.] Paulatim vincendo damnum resarsit.

Quas manus.] Pecuniarum grumos in aleam coniectos. Remisi.] Condonaui.

Exegissem.] Mihi persolui voluissem.

Aut retiouissem.] Aut noo exactarum loco vincentibus non reddidissem: aut certè exactas oe cui dedissem.

Qninquaginta millia.] Nummûm.

Sed hoc.] Me scilicet in omnes munificum fuisse.

Filiam Iuliam.] Ante eius damnationem id factum intellige.

Par impar.] Quod nucibus, & digitis solet fieri.

Calui oratoris fuerat: postea in Palatio, sed nihilò minus ædibus modicis Hortensianis, & neque laxitate, neque cultu conspicuis: vt in quibus porticus breues essent Albanarum columnarum, & sine marmore vllo, aut insigni pauimento conclauia. Ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hyeme & æstate mansit, quanuis parum salubrem valetudini suæ vrbem hyeme experiretur, assiduéque in vrbe hyemaret. Si quando quid secretè, aut sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis, quem Syracusas,

Ad scalas annularias.] Locum sic in vrbe ab annulariis, credo, officinis, siue pendentibus annulis dictum.

PHIL. Calui oratoris.] De Caluo non pauca dicta sunt in Iulio Cæsare. Illud adde, quòd hic laminis plumbeiis vsus esse traditur, ad cohibenda visa Venerea in quiete sponte naturæ erumpentia vsq; in morbi genus: qua re vires quoq; corporis studiorũ labore custodiuit.

Palatio.] Vbi domus Cæsarũ fuerunt, quas Plinius Palatinas appellat.

Hortensianis.] Quæ fuerant Hortensii oratoris: de cuius eloquẽtia Cicero, de cuius vestitu ad mũditiem curioso, Gellius, Macrobius, & Valerius tradidere. Vnde in eum multa quasi in histrionem dicta sunt. Hic, sicuti testatur Quintus Serenus, periit lingua in actione deficiente. In Hortensio duo singularia laudantur, memoria præcellens, & pronuntiatio plena venustatis.

Neque laxitate conspicuis.] M. Tullius in primo Officiorum præcipit, in domo clari hominis, in quam & hospites multi recipiendi, & admittenda hominum cuiusque generis multitudo est, adhibendam curã esse laxitatis: ita ampla domus decori domino sæpe fit.

Neque cultu.] Ornatu, magnificentia. Domus tripartitò probatur, fabri subtilitate, magnificentia, dispositione. Cùm magnificenter opus perfectum aspicitur, dominus impensæ laudabitur: cùm subtiliter, officinatoris exactio probabitur: cum verò venustate, & proportionibus, tunc erit gloria architecti.

Albanarum columnarum.] Ex lapide Albano structarum, qui vilior erat, & quia vernaculus, & quia mollis. Nam, vt author est Vitruuius in secundo, lapicidinæ quædam molles, & circa vrbem, Fidenates, & Albanæ. Saxa Albana in locis tectis sustinent laborem: si autem in apertis fuerint, & patentibus collocata, quia mollia sunt, pruinis, & gelicidiis dissoluentur.

Insigni pauimento.] Qualia fuerunt apud priscos lithostrota: &, vt indicat Lucillianus versus,

Arte pauimenta atque emblemate vermiculata.

De pauimentis in Iulio Cæsare satis dictum.

Conclauia.] Triclinia, cœnationes, & alia id genus membra domus conclauia dicuntur. Festus Pompeius ait, conclauia dici loca, quæ vna claue clauduntur. Paulus Iurisconsultus Digestis de seruitutibus prædiorum vrbanorum: Fotamen in vno pariete conclauis, vel triclinii. Scribit Vitruuius in sexto, in conclauibus vsum luminum maximum esse adhibendum. Martialis:

In omnibus vacerra quòd conclauibus.

Cicero appellat conclaue, quod Quintilianus tricliniũ dixit, tanquam idem sit.

Eodem cubiculo.] In hoc multũ distabat Augustus à Lucullo, qui cum tempore habitationẽ quoque permutandam censebat: ne grues, & ciconiæ hominibus prudentiores viderentur, quæ regiones subinde cum temporibus mutare consueuerunt.

Hyemaret.] Hyemem ageret, & totum hybernum tempus Romæ moraretur.

Sine interpellatione.] Interruptione, & interturbatione. Cicero: In studiis sine interpellatione versor. Suprà docuimus, interpellare esse mediam alterius orationem interrũpere, vel actioni se alterius interponere.

In edito.] In parte domus eminentiore.

Syracusas.] Ego existimo ideò ab Augusto locum in editiore parte domus secretiorem vocatum esse Syracusas, propter posituram Syracusarum vrbis in Sicilia omnium pulcherrimæ. Ea enim vrbs ex quatuor quasi vrbibus cõstare dicebatur, quarũ vna est insula, in qua domus erat Hieronis regis: altera est Acradina, in qua amplissima fuit curia. Tertia est Tyche nominata, in qua gymnasium clarissimum fuit: quarta est vrbs, quæ quia postrema ædificata est, Neapolis vocatur: quam ad summam theatrum est maximum: authores Cicero in v i. Verrinarum, & Liuius in x x v. Quẽadmodum ergo Syracusæ erant quadrifariàm dispartitæ, & pars à parte, tanquam vrbs ab vrbe disiuncta: ita locus, in quo Augustus aliquid secretò agere solebat, eleganter vocabatur ab eo Syracusæ, cùm esset separatus, & in edito, quasi à reliqua domo seiunctus, sequestratúsque. Quidam à verbo Græco id nomen deductum autumant, tanquam significet trahere ad quietem: à Græcis enim σύρω dicitur traho, & ἀκήν, quod aduerbium est, significans quietè & silenter. Non improbabilis est, opinor, illa prior nostra sententia, vt à similitudine vrbis Syracusarum, locum sepositum vocauerit Augustus Syracusas. Prouerbium apud Græcos non incelebre est, Συρακουσίων τράπεζα, de mensa lautiore, delicatioréque, propterea quòd Syracusani fuerũt maximè ἁβροδίαιτοι, id est delicati, & molles. Hinc Plato frugalitatis assertor Syracusanas mensas improbat.

M. AN. Calui oratoris.] Fabius: Inueni qui post Ciceronem Caluium præferrent omnibus.

In Palatio.] Palatii regione.

Hortensianis.] Quæ Hortensii oratoris Ciceronis æmuli fuerant. De Hortensio Fabius, Tacitus, & Gellius plura.

Albanarum columnarum.] Ex vicino quæsitarum, & idcirco vilioris pretii.

Conclauia.] Secretiora ædium loca, quibus aut viri colloqui, aut mulieres confabulari solent, dicta quòd habeant clauem vnã communem domesticis omnibus. Cicero triclinium conclaue appellauit. Quintilianus de Grannonæi Scopæ conuiuio, Vix eo, inquit, limen egresso triclinium illud supra conuiuas corruit. De quo Cicero interea ait, Conclaue illud cecidit. Vnde suspicari possis, triclinium à nostris rectè conclaue appellari. Terentius in Eunucho: Dum apparatur, virgo in conclaui sedet. Cicero 1. de Diuinat. Conclaue illud, vbi erat mansurus, si ire perrexisset, proxima nocte corruit. Conclauium idem significat, quod cõclaue.

Syracusas.] Nomen à re fictum, ἀπὸ τοῦ σύρω traho, καὶ ἀκὴν τὸ ἐπίρρημα: id est quietè, & cum silentio: vel σύρω πρὸς τὸ ἀκούσιον: quia inuitum trahere, id est ad animi labores: sic Syracusias potius legendum: vel ἀπὸ τοῦ σύριγγος, cuniculo, καὶ ἀκήν. Sunt alioqui Syracusæ in Sicilia vrbs clarissima, & omnino notior, quàm de ea longior suscipiatur sermo.

& τεχνόφυον vocabat. Huc transibat, aut in alicuius libertinorum suburbanum. Aeger autem in domo Mecœnatis cubabat. Ex secessibus præcipuè frequentauit maritima, insulásque Campaniæ, aut proxima vrbi oppida, * Lauinium, Præneste, Tibur, vbi etiam in porticibus Herculis templi persæpe ius dixit. Ampla & operosa prætoria grauabatur, & neptis quidem suæ Iuliæ profusè ab ea extructa etiam diruit ad solum. Sua verò, quanuis modica, non tam statuarũ, tabularúmque

* aliâs. Lauinium

PHIL. Τεχνόφυον.] Dictio Græca est, quæ significat artis productioné, &, vt ita dicam, natiuitatem: tãquam ille locus artium, disciplinarúmque excogitandarum Augusto causam suppeditaret. Loca enim secreta plurimùm vegetare possunt ingenia. Hinc ait Plinius in epistolis: O mare, ô litus, verum, secretúmque Musæum, quàm multa inuenitis, quàm multa dictatis. τέχνην Græci artem vocãt, & φύω produco.

Suburbanum.] Prætorium, siue villam. In domo Mecœnatis.] Quæ erat in Exquiliis. Olim Nero spectauit vrbis incendiũ ex turre Mecœnatiana, quam ille in hortis suis extruxerat: de qua est illud Horatianum:

Molem propinquam nubibus arduis omitte mirari.

Ex secessibus.] Loca sunt amœniora, ad quæ, tanquam diuerticula quædã, secedere solemus. Iuuenalis:

Ianua Baiarum est, & gratum littus amœni
Secessus. -

Maritima.] Loca litoralia, & mari vicina.

Insulas Campaniæ.] In sinu Campano sunt insulæ, Pandataria, Aenaria, Capreæ, Leucothea: vt Plinius & Martianus tradunt.

Lauinium.] Liuius in primo: Aeneas oppidum condidit, & ab nomine vxoris Lauiniũ appellauit: fuitq́; vt inquit Strabo in quinto, vrbi Romæ proximum.

Præneste.] Ciuitas est in regione montana, haud procul ab vrbe Roma: vbi Fortunæ templum illustre fuit, vnde certa edebantur oracula. Hinc ait Silius:

-Sacrísque dicatum
Fortunæ Præneste iugis. -

Et à Papinio in Syluis dictum est:

Et Prænestinæ poterant migrare sorores.

Præneste, authore Strabone, quõdam Polystephanon, id est multarum coronarum appellata est. Plinius: Prænestini, vrbe quondam Stephane dicta. Plutarchus in libello de Comparationibus clarorum virorum, historiam refert fabulosam, vnde Præneste nomen acceperit. Scribit enim Thelegonũ Vlyssis filium responsis deorum ad inuestigandum patrem, dimissum fuisse admonitum, vt in eo loco vrbem conderet, vbi saltatores coronatos cerneret. Itaque profectus in Italiam rusticos saltare conspexit, pini ramulis coronatos, ibíque ædificauit oppidum, quod ex appellatione coronæ Prænestinum nominauit, à quo deriuatum Præneste Romani vocitant. Seruius verò in septimo Aeneidos Commentario, à πρίνων, id est ilicibus Præneste nomen deductũ esse autumat.

In porticibus Herculis.] Tibur Herculi dicatum erat: hinc in Priapeiis legimus, Gades Herculis, humidúmque Tibur. & Strabo in v. Tibur appellat Herculeum. Aulus Gellius in x v. Noctium Atticarum, significat bibliothecam Tibure in templo Herculis fuisse satis commodè instructam libris. Et ad hoc Tiburtini Herculis templum scripsimus in Propertii Commentariis referendum esse illud Iuuenalis,

-Vincens Fortunæ, atque Herculis ædem.

Prætoria.] Villas elegantiores, cultioréſve prætoria appellauerunt. Palladius in primo de Re rustica, scribens quomodo ædificium institui in agro oporteat, sic ait: Ipsius prætorii situs sit loco aliquatenus erectiore, & sicciore, propter iniuriam fundamentorum, & vt læto fruatur aspectu. Idem alibi: Columbarium potest accipere sublimis vna turricula in prætorio constituta. Quinetiam Iurisconsultus libro nono Digestorum, titulo de seruitutib. prædiorum rusticorum, scribit, licere vel prætorium, vel protectum habere, quod officiat prædio vicini. Hoc idẽ innuit Martialis illo versu:

Ad lapidẽ Torquatus habet prætoria quartum.

Et Papinius in primo Syluarum:

-Alternas seruant prætoria ripas.

Aliâs prætorium dici tabernaculum Imperatoris, quod Quintilianus appellat Augustale, iam docuimus.

Profusè.] Largiore impensa pecunia.

Extructa.] scilicet prætoria.

Diruit ad solum.] Tota euertit vsque à fundamẽtis.

Statuarum ornatu.] Solebant lautiores Romani statuis nobilium artificum, & tabulis pictis domos exornare felicitate nimia luxuriantes. A contrario laudatus est Lucius Mumius cognomento Achaicus, qui amicis rogantibus facilè tabulas pictas largiebatur. M. Agrippa olim orationem habuit magnificam de tabulis omnibus signísque publicandis: quod, vt inquit Plinius, fieri satius fuisset, quàm in villarum exilia pelli. Idem in x x x v. inquit: Tabulæ pictorum pinacothecas implent. Sunt autem pinacothecæ, vt obiter id declaremus, repositoria tabularum pictarum. Varro scribit, multos spectatũ venisse Luculli villas, vt viderent pinacothecas. Et Vitruuius pinacothecarum meminit libro sexto, vbi ait, pinacothecas amplis magnitudinibus esse constituendas.

M. AN. Τεχνόφυον.] Et hoc quoque fictum: τέχνη ars à Græcis dicitur, φύω produco.

Suburbanum.] Villam, aut prædium vrbi proximũ.

Ex secessibus.] Ex locis, quæ in secessu frequẽtabat.

Insulas Campaniæ.] Campano litori adiectas: vt Capreas, Inarimen, Prochytam.

Lauinium.] Ab Aenea in Latio conditum, Appianus à Diomede dixit.

Præneste.] Vrbem in montibus sitam, ἀπὸ τῶν πρίνων, id est ilicibus, quibus locus abundat, vt Seruio placet, dictam.

Tibur.] Hoc quoque in Latio, vrbíque propinquum. Strabo, Tusculum, Præneste, Tibur in conspectu Romæ sunt. De Tiburis conditoribus alibi.

Herculis templi.] Martialis:

Itur ad Herculei gelidas quà Tiburis arces.

Strabo: Tibur quidem Herculeum est. Papinius:

Quódque in templa darent alias Tyrinthia sortes.

Prætoria.] Aedificia sumptuosiora. Asconius, Veteres enim, inquit, omnem magistratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellauerunt: vnde & Prætorium, tabernaculum eius, & in castris porta Prætoria.

Grauabatur.] Grauiter ferebat. De inuidioso Iuliæ in ædificando apparatu, & loco ab Augusto Romæ euerso, satis suprá.

Xystis

pictarum ornatu, quàm xystis, & nemoribus excoluit, rebúsque vetustate, ac raritate notabilibus, qualia sunt Capreis immanium belluarum, ferarúmque membra prægrandia, quæ dicuntur gigantum ossa, & arma heroum.

De parsimonia, supellectili, & uestimentis eius. LXXIII.


INstrumenti eius, & supellectilis parsimonia apparet etiã nũc residuis lectis, atque mensis, quorũ pleraque vix priuatæ elegantiæ sint. Ne toro quidem cubuisse aiunt, nisi hu

PHIL. XYstis.] In libro Annotationum docuimus, ξυστὸν Græca appellatione ampla latitudine esse porticũ, in qua athletæ per hyberna tempora exercentur. Nostri hypæthras ambulationes xysta appellãt, quas Græci παραδρομίδας vocant, in quibus voluptatis causa arbusculæ, & maximè buxus in varias effigies figurãtur. De hoc xysto in præsentia intelligit, de quo & locutus est Plinius, sic scribens in v. Epistolarũ: Ante porticum xystus cõcisus in plurimas species, distinctúsq; buxo. Cicero in Bruto: Cùm inambularem in xysto, & essem otiosus domi. De xysticis athletis superiùs dictũ. ξυστὰ autem ambulationes, Latinè dicuntur subdiales, quæ sub dio sunt, & in aperto.

Et nemoribus excoluit.] Nemora dicuntur syluæ amœniores, vt inquit Festus. Videtur autem significare opus topiarium, quod in viridariis conficitur ex arbusculis, aut fruticibus, aut herbis ita distinctis, compositisque, vt variæ rerum effigies repræsententur decoris, & ornatus causa: vt aues, cameræ, animalia, & id genus alia graphicè, & concinniter fieri videmus ex rore marino, & buxo, & hedera, & aliis arbusculis, quarum natura sequax est, & flexibilis. Plinius in XII. scribens de ficu Indica ait: Nouam sibi propaginem faciant circa parentem in orbes quodam opere topiario. Idem in XV. de lauro: Accedit in topiario opere taxa excrescente in medio folio. Idem in XXII. acanthon herbam appellat topiariam, quia topiario operi est accommodata, cùm lato, longóque folio vestiat crepidines marginum. Idem XXXV. Ludius primus instituit amœnissimam parietum picturã, villas, porticus, ac topiaria opera, lucos, nemora, colles. Dicitur & simpliciter topiarium, locus opere topiario spectabilis. Cicero in epistola ad Quintum fratrem: Topiariũ laudaui, ita omnia conuestiuit hedera. Ipsa verò ars topiarii operis appellatur topiaria, vt argentaria, vt sagaria. Idem Cicero in eadem epistola: Vt denique illi palliati topiariam facere videantur. Qui faciunt topiarium opus, scientésque sunt ipsius topiariæ, dicuntur topiarii. Plinius in XV. scribens de myrto: Satiuarum genera topiarii faciunt. Vlpianus titulo De fundo instructo: Si viridaria, inquit, sunt, topiarii accedunt instrumento fundi. Africanus quoque Iurisconsultus libro de legatis tertio, euidenter id docet, cùm ait: Prædiis legatis, & quæ eorum prædiorum colendorũ causa empta, paratáque essent, neque topiarium, neque saltuarium legatum videri. Topiarium enim ornandi magis fundi, quàm colendi causa paratum esse. Videntur autem dici topiaria à dictione Græca ἀπὸ τῶν τόπων. id est à locis, quæ vario opere topiario figurantur: quæ & topia ab idoneis scriptoribus nuncupantur. Scribit enim Spartianus, Adrianũ cryptas, & topia diruisse. Vitruuius in septimo, vbi loquitur de μεγαλογραφία, quæ pictura est magnarum imaginum figuratrix, sic ait: Habentes deorum simulacra, seu fabularũ dispositas explicationes, non minus Troianas pugnas, seu Vlyssis errationes per topia, cæteráq; quæ sunt eorum similibus rationibus ab rerum natura procreata. Adde quòd Græci τοπεῖον vocãt funiculum, & iuncum: vnde topiarium deriuari posset, cùm in tali opere funiculis sint subtiliter, & scite omnia penè vincienda. Capreis.] Caprearum insula in sinu Campano est, distans à Surrẽto octo millibus passuum: &, vt author est Plinius, & infrà latiùs explicabitur, Capreæ nobiles sunt Tyberii principis arce.

Gigantum ossa.] Scribit Diodorus in v. Bibliothecæ, Herculem in Campania depugnasse aduersus gigantes in cãpis Phlegræis, acríque commissa pugna, pluribus illorum trucidatis, eam regionem ab omni feritate purgasse. Strabo quoque huius rei meminisse videtur, scribens in quinto, gigantes vulnera lauisse in aquis Puteolanis, à quorum putore Puteolos dictos esse. Cùm igitur insula Caprearum sita sit in sinu Campano, & ibi Hercules bellũ confecerit giganteum, nõ absurdum est, ossa gigantum, qui staturosi fuerunt, & ingenti corporatura prædit, Capreis fuisse spectata, custoditáque.

Instrumenti eius.] scilicet domestici: nam & supellex nihil aliud est, quàm domesticum patrisfamiliàs instrumentum. Scribit Paulus Iurisconsultus, siue cum instrumento fundus legatus sit, siue instructus, duo legata esse intelligenda.

Vix priuatæ.] Vix conuenientis homini priuato, nedum principi orbis terrarum.

Elegantiæ.] Elegantia antiquitus dicebatur cultus amœnior, & victus uitidior: elegantémque hominem dici voluerunt, qui, vt inquit Gellius, nimis læto, amœnóque cultu, victúque esset. Scæuola à Cicerone dictus est parcorum elegantissimus: Crassus verò parcissimus elegantium.

M. AN. XYstis.] Porticibus, vt Vitruuio placet: sed melius hoc loco pro ambulacris, & locis cõsitis arboribus: vt Plinius in epistolis docet. Xystici à xysto, id est porticu dicti sunt, in qua per hyemem sub tecto exercebantur. Tranquillus in Augusto: Nec tamen eò minus xysticorum concertationes, aut gladiatorum pugnas seuerissimè semper exegit. Vitruuius lib. VI. de Græcanicis ædificiis loquens, Xystos, inquit, Græca appellatione porticus ampla latitudine dicitur, in qua athletæ per hyberna tempora tectis stadiis exercentur. Nostri autem hypæthras ambulationes xysta appellant, quas Græci παραδρομίδας dicunt.

Nemoribus.] Arboribus in nemorum speciem consitis. Papinius in Surrentina Pollii villa:

- Vbi nunc nemora ardua cernis,
Hîc nec terra fuit. -

Excoluit.] Ornauit.

Notabilibus.] Insignibus.

Gigantum ossa dicuntur.] Dicuntur dixit, quasi minimè credendum: verùm Gabinius, & Plutarchus mira quædam de Antei ossibus tradiderunt. Plinius in Creta motu terræ abrupto monte, stupendæ magnitudinis cadauer repertum prodidit. Residuis.] Durantibus. Priuatæ.] id est humilis, & non publicæ.

mili, & modicè instrato. Veste non temerè alia, quàm domestica, vsus est, ab vxore, & sorore, & filia, neptibúsque confecta. Togis neque restrictis, neque fusis. Clauo nec lato, nec angusto. Calceamentis altiusculis, vt procerior, quàm erat, videretur. Et forensia autem, & calceos nunquam non intra cubiculum habuit ad subitos, repentinósque casus parata.

De conuiuijs, & cœnis eiusdem. LXXIIII.

Onuiuabatur assiduè, nec vnquam nisi recta, non sine magno ordinum, hominúmque delectu. Valerius Messala tradit, neminem vnquam libertinorum adhibitum ab eo cœnæ, excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem, post proditam Sexti Pompeii classem. Ipse

PHIL. Modicè instrato.] Non valde pretiosis stragulis ornato. Instratus enim lectus dicitur, veste stragula excultus: &, vt ait Vlpianus, instratum significat omnem vestem stragulam insternendi causa paratam.

Alia, quàm domestica.] M. Cato Censorius in libro, qui inscriptus est, carmē de moribus, Versari, inquit, in foro honeste mos erat, domi quod satis erat. Est itaque domestica vestis, quam domi induimus, exuta forensi toga. Ea ferè semper vtebatur Augustus confecta manibus suarum fœminarum. Talis autē vestis neque sumenda est, neq; seruanda solicite. In hoc autem videtur Augustus Imitatus esse Alexandrum Magnum, qui & ipse veste induebatur confecta manibus, sororum. Vnde ait apud Quintū Curtium: Hanc vestem, quam indutus sum, sororum non solùm donum, sed etiam opus vides: nostri decepere me mores. Econtrario, apud Persas probrosum est fœminis admouere lanæ manus, vestésque conficere.

Neque fusis.] Neque nimis laxis. Temperamentum enim, quod in rebus omnibus laudabile est, in vestitu, & calceatu adhibebat Augustus.

Clauo.] Veste Senatoria. Ouidius:

- Claui mensura coacta est.

Neque lato.] Vnde latus clauus dictus ab ipsa textura: qua & in mappis vsos esse, testis est Martialis illo hendecasyllabo:

Et lato variata mappa clauo.

Latiore clauo vsum fuisse Tullum Hostilium, author est Plinius in IX. Augustus verò in hoc seruabat mediocritatem, quæ maxima est virtus. Tacitus Imperator interdixit auroclauatis vestibus; quæ à textura clauorum aureorum ita nuncupabantur: vnde & tunicæ auroclauatæ dictæ.

Forensia.] Vestimenta, quibus in foro vtebantur, forensia appellauerunt: sicuti cœnatoria, quibus domi vtebantur in cœna. Hinc Martialis ait in disticho, cuius titulus est Cœnatoria:

Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota,
Hîc opus est pictis accubuisse toris.

Dicuntur forensia ab eo quòd foris, atque in foro illis vtebantur: togæ forenses alio nomine vocantur.

Calceos.] A calceo calceolarius dicitur sutor: quo vocabulo vtitur Plautus in Aulularia. De calceo dixit Horatius:

Si pede maior erit, subuertet: si minor, vret.

Calcei patritiorum mullei nuncupabantur, à mullando, id est suendo. Fenestella putat nomen datū mullis piscibus à colore mulleorum calceamentorum. De calceis mulleis loquitur Flauius Vopiscus in Aureliano.

Conuiuabatur.] M. Cato Tusculanus mensam amicorum parentem esse existimabat, tanquam in conuiuio amici pararentur: sed tales à Seneca probari minimè videntur, damnante eos, qui amicos in conuiuio probant. Cato quoque Vticensis iniquum esse dicebat beneuolentiam cibo allici. Attamen regia res est, mensam participare cum conuictoribus, & ex conuictu amicorum capere voluptatem laude dignam: cùm illi vehementer carpantur, qui solitaria cœna distendūtur, & clandestinæ ganeæ soli indulgent. Laudandus est Augustus, qui assidue conuiuabatur, ita vt omnia omnibus forent communia, & eadem cunctis apponerentur: hoc est enim conuiuari ea cœna, quā rectam dixere.

Nunquā non.] Semper.

Nisi recta.] Rectam absolutè veteres cœnam appellauerūt, qua dicrores, & conuiuas recto ordine discumbentes laute, eisdemq; epulis accipiebant. Martialis:

Promissa est nobis sportula, recta data est.

Infrà fiet mentio sæpe cœnarum rectarum, quibus sportulæ obiiciuntur.

Mena.] Hic est ille Menas, qui bellorum ciuilium desertor dictus est: qui Magni Pompeii fuerat seruus, quem Cæsar libertate donauit. Hic à Sexto Pompeio ad Augustum, ab Augusto ad Sextum, deinde ad Augustum subinde transfugit. Appianus hunc appellat Menodorum, Plutarchus verò, & alii, Menam: in quem scribit Horatius mordaciter carmen illud ex Epodo:

Lupis, & agnis quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est.

Plinius in XXXV. scribit, Menam, & Menecratem seruos Sexti Pompeii visos esse à proauis in catasta pedibus argentaria creta denotatis. Talium seruorum pedes à poëtis gypsati dicuntur.

Non temerè.] Non alia ferè. Quàm domestica.] M. AN.
A domesticis confecta. Vetus, atque heroicū fuit, vt vestibus muliebri, domesticóque opere factis summi viri vterētur. Valerius Flaccus de Castore, & Polluce:

Illi Tænario pariter tremit ignea fuco
Purpura: quod gemina mater spectabile tela
Duxit opus bis, Taygeton, syluásque comantes
Struxerat. - Vergilius:
- Tyrióque ardebat murice læna
Demissa ex humeris, diues quæ munera Dido
Fecerat, & tenui telas discreuerat auro.

Et Andromache apud eūdem, Phrygiam chlamydem, quam dono dedit Ascanio, monumenta suarum manuū esse voluit. Plinius de Caia Cæcilia, Author est, inquit, M. Varro, factam ab ea togam regiam vndulatam.

Nec lato clauo.] Siquidem clauus, quum latior erat, latus clauus dicebatur. Augustus igitur nec lato, nec angusto vtebatur, sed mediocri proportione.

Forensia.] Vt sit nomen enuntiatum multitudinis numero, & neutro genere. Apuleius: Sumpsit pallium, forensia domi reliquit. Idem verò alibi, Aliter forensi, inquit, toga indutus accumbebat. Forensia autem dixere

scribit inuitasse se quendam, in cuius villa maneret, qui spiculator suus olim fuisset. Conuiuia nonnunquam, & serius inibat, & maturius relinquebat, quum conuiuæ, & cœnare inciperent prius, quàm ille discũberet, & permanerent digresso eo. Cœnam ternis ferculis, aut, quũ abundantissimè, senis præbebat, vt non nimio sumptu, ita summa comitate. Nam & ad communionem sermonis tacentes, vel summissim fabulantes prouocabat, & aut acroamata, & histriones, aut etiam

xere, quia in foro: vel, quod magis placet, foris: id est extra domum, eiusmodi siue toga, siue aliis ad cultum corporis quæsitis vterentur.

Recta cœna.] scilicet qua sublata, sportula dari cœpit. Libertinorum.] Et ad ordinem ipsum, & ad hominem referri potest. Mena.] Sic codices quidam habent: alii verò Metia: sed si Appiani lectio vera est, vtrunque mendosè: ille Menodorũ, non Menã, aut Metiam scribit, qui Magni Põpeii seruus fuerat. Is Siciliensi bello, cũ nauibus quibus præerat, à Sexto Pompeio ad Augustum transfugit. Menodorũ, inquit ille, ad se profectũ, liberum, id est ingenuum ex liberto declarauit, & iis, quas adduxisset, nauibus præesse voluit. Video tamen fieri potuisse, vt ex Menodoro postquã ad ingenuitatẽ est assertus, Menas sit dictus: sed id authoritate caret.

PHIL. SPiculator.] Spiculatores dicti sunt satellites principum, à spiculis, quæ gestant. Sunt autem spicula, vt ait Vegetius, tela missilia, quorum ferrum est triangulum vnciarum nouem, hastile pedum quinque & semis: antiqui pila vocauerunt. Aliàs spiculum dicitur cuspis ipsa, & aculeus: vt spicula sagittarum, & aculei apium. Q. Curtius: Inter promptissimos dimicans Alexander sagitta ictus est, quæ in medio crure fixa reliquerat spiculum. Vergilius de apibus:

- Et spicula cæca relinquunt Affixæ venis. -

A spiculo fit verbum spiculare, quod significat cuspidare, & acuere. Plinius in x I. Telum verò perfodiendo tergori quo spiculauit ingenio? De spiculatoribus verò, qui latera principis sepiunt spiculis armati, ait Cor. Tacitus: Dilapsis spiculatoribus, cætera cohors non aspernata concionantem. Mendosi codices pro spiculatoribus habent speculatoribus: eùm speculatores sint exploratores, quos Græci partim ἐπισκόπους vocant, partim κατασκόπους. Hoc obiter dictum sit, vt locum intelligas mendosum in Cæsaris commentariis: ita enim scriptum passim legitur in Commentario x I I I. Literis celeriter in Siciliam conscriptis, & per satascopum missis. vbi legendum est, per catascopum: quo nomine speculator significatur. Potes etiam, si libet, legere catascopium: quod nomen nauigii est exploratorii: vt sit sensus, Cæsarem literas misisse in Siciliam per nausculam velocem, & exploratoriam. Catascopii nauis exploratoriæ meminit Gellius lib. I x. Noctium Atticarum.

Serius.] Iam conuiuis discumbentibus.

Maturius.] Adhuc cõuiuis in cœna permanentibus.

Digresso.] Cùm iam esset satur. Ne credas, Augustum fecisse quod Domitianus, qui surgens è conuiuio referebat se ad occultam ganeam.

Ternis ferculis.] Sicut ista parsimonia ferculorum laudanda in Augusto est, ita luxuria in Heliogabalo vituperanda, qui viginti & duo fercula ingentium epularum exhibebat in conuiuio. Ausonius in Panegyrico Gratianum laudat à frugalitate his verbis: In cibis autem, cuius sacerdotis abstinentior ceremonia? In vino, cuius senis mensa frugalior? Laudatur & Cyrus ab Ammiano Marcellino: qui cùm delatus ad hospitem interrogaretur ab eo, quid ad conuiuium parari deberet: panem responderat solum esse parandum: sperare enim se aiebat prope riuum cœnaturum. Constantius quoque Imperator ex sobria edendi, potandique moderatione valetudinem firmam retinuisse fertur. Mamertinus ab eadem victus parsimonia laudat Iulianum, qui gauderet castrensi cibo, & poculo fortuito, caperetque prandium statariũ. Ferculum Fulgentius Placiades ait significare missum carnium.

Comitate.] Facilitate, & iucunditate. Ab simili humanitate conuiuali laudatur Traianus à Plinio.

Summissim.] Summissa voce, & depressa: quasi coram principe apertè loqui vererentur. Vnde ipse agens bonum conuiuatorem eos prouocabat ad sermonem cõmunicandum, vnáque confabulandum: sicut de Traiano ait Plinius: Non prouocas, reddísque sermones? Etenim in conuiuio nec loquaces, nec muti esse debemus: quoniam eloquentia in foro, silentium in cubiculo esse debet. Sermones autem conuiuales, vt Varro, Gelliúsque præcipiunt, iucundos esse oportet, atque inuitabiles, & cum quadam illecebra, & voluptate vtiles, ex quibus ingenium nostrum venustius fiat, & amœnius. Quid si legas summussim per u? Nanque summussos dici voluerũt murmuratores, qui non apertè loquuntur. Acroamata.] Græci ἀκροάματα voces, & auscultationes vocant. Aristoteles acroamata nominauit cõmentationes suas, quas discipulis tradebat, in quibus philosophia remotior, subtiliórque agitabatur: & huic disciplinæ, quæ acroamatice dicitur, tempus dabat in Lyceo gymnasio matutinum, eámque appellabat ἑωθινὸν περίπατον, id est matutinam ambulationem. Lampridius accipere videtur acroamata pro ipsis hominibus acroamatũ recitatoribus, cũ ait in Alexandro Romano: Omnia acroamata, & pantomimos populo donauit. Latini scriptores hanc dictionem ciuitate Romana donauerunt, appellaueruntque acroamata festiuas recitationes, ludicrásque narrationes. quod significat Cicero sic scribens in oratione pro signis: Hic quasi festiuum acroama, ne sine corollario de conuiuio discederet, ibidem conuiuis inspectantibus emblemata euellenda curauit. Idem in oratione pro Archia poëta: Themistoclem illũ summum Athenis virum dixisse aiunt, cùm ex eo quæreretur quod acroama, aut cuius vocem libentissimè audiret: eius, à quo sua virtus optimè prædicaretur. Idem in oratione pro Sestio: Ille ipse maximè ludus, non solùm spectator, sed actor, & acroama. Igitur Augustus id genus acroamata, hoc est narrationes, recitationésque ludicras, & mimicas interponebat conuiuiis ad conuictores oblectãdos. Quibus & hac tempestate vti videmus summates viros in hilaritate conuiuali.

SPiculator.] Minister, carnifex spiculo accinctus. Spiculum, telum ad similitudinem sagittæ: à quo spiculor, configo. Quædam exemplaria speculator habent, à qua lectione non abhorreo: vt bellorum tempore Augustus illius opera ad explorandos hostium motus fuerit vsus. Serius.] Postquam alii omnes accubuissent. M. AN.

Maturius.] Celerius. Senis ferculis.] Sex ciborũ generibus: quasi id quoq; in tanta seculi luxuria parcè

triuiales ex circo ludios interponebat, ac frequentissimè aretalogos.

De celebratione festorum, & solemnium dierum. LXXV.

FEstos,& solennes dies profusissimè, nonnunquam iocularitet tantùm celebrabat. Saturnalibus,& si quãdo aliâs libuisset, modò munera diuidebat, vestem,& aurum, & argentũ: modò nũmos omnis notæ, etiã veteres re-

fieret: sed Satyricus damnat quòd septẽ fercula recentiores cœnitarent. Plinius, vt perniciosam etiã damnat ciborum varietatem: Aceruatio, inquit, saporum pestifera,& condimenta perniciosiora. Sic & Disarius apod Macrobium affirmat: sed contra eius opinionem plura apud eundem Eustathius. Comitate.] Mansuetudine, suauitate, facilitate. Ad communionem.] Vt secretum etiam sermonem secum communicarent. Acroamata.] Ad aurium delectationem comparata: παρὰ τὸ ἀκροᾶσθαι audio. Macrobius: Delectatus erat inter cœnam Symphoniacis Turonii Flacci mangonis, atque eos frumento donauerat: quum in alia acroamata nummis liberalis fuisset.

PHIL. TRiuiales ludos.] Spectacula, quæ in triuiis passim fiunt, súntque vulgaria. A triuio enim triuialis deriuatur. Inde magistri triuialis scientiæ dicti à Qointiliano, qui in triuiis docẽt.& à Calphurnio io Bucolicis:

- Non hoc triuiali more viator,
Sed Deus ipse canit. -

A triuio fit aduerbium triuialiter, quod significat passim, vulgò, vbique. Quidam codices habent non ludos, sed ludios: & tunc referendum erit ad histriones, qui lo triuiis agunt ludicra iocularia,& saltationes haud indecoras dant. Ludii enim,& ludiones dicuntur histriones. Liuius: Ludiones ex Hetruria acciti. Ouidius:

Ludius æquatam ter pede pulsat humum.

Inde ludiæ dictæ fœminæ exercentes artem ludicram. Martialis: Hermes cura, labórque ludiarum. Iuuenalis:

- Quæ ludia sumpserit vnquam
Hos habitus. -

Ex circo.] Noo Circenses ludos significat, sed sortilegia, & id genus alia oblectamenta pertioentia ad diuinationem, quæ fit ex inspectione manus, aut frootis, aut ex interpretatione somniorum. Tales enim ln circo morabantur,& consistebant: quod docet M. Tullius in primo de Diuinatione, cùm ait: Non de circo astrologos, non Isiacos coniectores, oon interpretes somniorum. Hioc ab Horatio dictum est:

Fallacem circum, vespertinúmque pererro
Sæpe forum. -

Circũ enim fallacem optimo epitheto appellat, propter falsas diuinationes sortilegorum,& cõiectorum. Porphyrionis super hoc oon probo interpretamentum, qui Circum exponit pro Suburra. Ob hoc videtur etiam dixisse Iuuenalis:

Plebeium in circo positum est,& in aggere fatum.

Augustus ad hilarandos conuiuas interponere solebat id genus homines ex circo, qui sortilegia callent, & somnia interpretantur, & quibusdam quasi officiis fallũt, & oblectant. Aretalogos.] Aretalogi sunt, vt indicat Porphyrio, garruli, & loquaces in ostentatione virtutis: vnde nomen deducitur. Ἀρετὴ enim Græcè virtus, & λόγος sermo. Plotius Crispinus philosophiæ studiosus fuit, qui & carmina scripsit, sed tam garrula vt aretalogus diceretur. In hanc sententiam dictum est illud à poëta Satyrico: Mouerat vt mendax aretalogus. Tales sunt hodie non parũ multi luminibus orbati, qui in foro, in conciliabulis, in conuiuils extemporaliter canunt mille figmenta versibus vernaculis contexta, quibus animi, maximè idiotarum, capiuntur. Profusissimè.] Luxuriosius,& vltra præscriptum legis sumptuariæ: quæ quibusdam diebus festis,& Saturnalibus,& Calendis insumi concedebat summas pecuniæ maiores, quàm diebus profestis: sicuó Gelius in secundo, & Macrobius in tertio eleganter tradiderunt. De sumptuariis legibus dictum est explicatius in superioribus. Illud adde, quòd lex Iulia sumptuaria ad populum peruenit Augusto imperante, qua profestis quidem diebus ducenti nũmi finiuntur, Calẽdis, Idibus, Nonis, & aliis quibusdã festis trecenti: ouptiis autem,& repotiis, sestertii millies esse. Repotia autẽ, vt id quoq; in trãscursu annotemus, dici voluerũt diem illũ, qui est post ooptias, qno apud nouũ maritum cœnatur,& quasi reficitur potatio: vnde & oomen. Horatius:

Ille repotia, natales, aliósque dierum
Festos albatus celebret. -

Potes etiam referre ad munera, quòd profusus esset in dandis muneribus, sicut sequentia demonstrant. Saturnalibus.] Quibus munera vltro citróque mitti remittíque solebant: quæ Saturnalitia oououpamus. Nummos omnis notæ.] Nota, hoc est sigoũ nummi veteris, fuit ex vna parte effigies capitis Iani, ex altera oauis. Inde durauit mos, vt pueri in aleæ lusum denarlos in sublime iactantes exclamarent capita, aut nauim: lusu teste vetustatis. Altero quoque vsi sunt oũmo, ouem, bouémqoe insculptum habente: qood nũmi genus erat documento, veteres gregibus,& armenos abundasse: quippe quorum omnis substantia in ouibus, bobúsque erat collocata, vt author est Plutarchus in Problematis. Notæ argentei nummi foerũt bigæ atque quadrigæ: & idẽ bigati, quadrigatique dicti. Fuit & Victoriatus nũmus, qui signatus est imagine Victoriæ, & inde nomen accepit: author Plinius in XXXIII. Regios.] Quibus vsi sunt Romani reges: quales erant illi nũmi, qui notã ouis, & bouis habebãt. In quibusdã etiã vetustissimis signũ porci incisum erat. Habeo authores idoneos, temporibus regum Romanorũ in vsu fuisse nũmos ligneos,& scorteos, hoc est ex corio confectos: & olim Numa Pompilius congiariũ dedit populo Romano asses ligneos, & scorteos. Inde Hieronymũ, vtpote erudiťissimũ, dixisse existimo: Vt cùm montes aureos pollicitus fueris, ne scorteũ quidem nũmum de thesauris tuis proferas. Potes per regios nũmos, eos quoq; intelligere, qoibus externi reges vsi sunt, quales fuerũt nũmi Philippei: quorum crebra mentio est apud Historicos & Poëtas: de quibus ait Horatius: Rettulit acceptos regale nomisma Philippos. Plautus in Bacchidibus: Ducentos nummos aureos Philippos probos dabin'? Idem in Trinummo: Si hunc possum illis mille nummis Philippeis circunducere. Nummi Persici nota erat τοξότης, id est sagittarius. Hinc illud apophthegma Agesilai, Se ex Asia pelli triginta millibus sagittariis. Cùm rex Persarum triginta millibus nummûm corruptis Atheniensibus effecisset vt ex Asia reuocaretur.

M. AN. TRiuiales.] Et idcirco rudes, ac minus accuratos. Ex Circo.] Aut ex Circensium forma: aut, quod magis placet, post Circenses.

Ludios.] Histriones. Sed ne bis idem dixisse videatur, ludos, qnod plerique habent, libentius legerim.

Interponebat.] Inter cœnandum inferebat.

Aretal

gios, ac peregrinos, interdum nihil, præter cilicia, & spongias, & rutabula, & *forpices, atque alia id genus titulis obscuris, & ambiguis. Solebat & inæqualissimarum rerum sortes, &

*aliàs, forfices, aut forcipes

Aretalogos.] Verborũ compositores, ἀπὸ τοῦ ἀρετῆς, καὶ τοῦ λέγειν. Iuuenalis:
Moneat vt mendax aretalogus.

Profusissimé.] Largius, ac sumptuosius.

Iculariter.] Omnifariàm iocis adhibitis.

Omnis notæ.] Omnis formæ. Plinius: Signatum est nota pecudum, vnde & pecunia appellata. Fabius Quintilianus: Vtendúmque planè sermone, vt nummo, cui publica forma est. Veteres regios.] Vt Philippeos olim, nunc multorum regum.

PHIL. Peregrinos.] Quales fuerunt nummi Germanorũ: qui, authore Tacito, serratos, à nota serræ, & bigatos nummos habebant. Stateres, id est, nummi Cyziceni celebrantur apud Græcos, tanquam optimè signati, sculptique: quorum nota erat, ὁ τύπος μητρὸς θεῶν, id est, forma matris Deûm, quæ Cybele est. Nummus Pelopõnesiorum habebat notam testudinis. In nomismate Attico vetusto erat signatus bos. In nummo Rhegynorum lepus: in nomismate Mitylenæorum, Sappho: author Iulius Pollux.

Cilicia.] Scribit Varro in II c. De re rustica, cilicia dicta esse à Cilicibus populis, apud quos primùm confecta sunt: fiunt autem ex villis hircorum, atq; caprarũ. Scribit Vegetius li. IIII c. rei militaris, cilicia adhibenda esse ad excipiendum impetum sagittarũ, & machinas militares ciliciis vestiendas, ne exurantur incendio. Maro in III. Georgicorum cilicia περιφραστικῶς circumscripsit illis versibus:

Cyniphei tondent hirci, barbásque comantes,
Vsum in castrorum, & miseris velamina nautis.

Spongias.] Spongiæ apud antiquos in vsu erãt tergendarum mensarum, & adhibebantur ad obscœna emundanda. Martialis in Apophoretis:

Hæc tibi sorte datur tergendis spongia mensis.

Seneca lib. x. Epistolarum moralium: Vnus è Germanis lignũ id, quod ad emundanda obscœna adhærente spongia positum est, totum in gulam farsit: & in præclusis faucibus spiritum emisit.

Rutabula.] Rutabulum instrumentum est, quo panes coquuntur, à proruendo igne appellatum.

Forcipes.] Instrumenta sunt fabrilia, ab eo dicta, quòd forma, id est, calida his capiuntur. Cato villicum dicit habere debere forcipes duas, & rutabulũ vnum.

Id genus.] Huius generis. Locutio vetus, & période elegans. Titulis ambiguis.] Chrysippus philosophus omne verbum ambiguum natura esse dixit, quãdo ex eodem duo, vel plura accipi possunt. Cõtrà Diodorus, cognomento Cronus, nullum inquit verbũ esse ambiguũ: nam cùm ego, inquit, aliud sensi, tu aliud accepisti: obscurè magis dictũ, quàm ambiguè dici potest. Ambigui enim natura illa esse debet, vt qui dicat ambiguum, duo vel plura dicat. Tranquillus hoc loco ait, ab Augusto donatas esse res titulis ambiguis: propterea quòd duo, vel plura ex iisdem rebus significata accipi poterant. Exempli causa, diuidebat inter munera spõgias, quæ sunt titulo ambiguo: nanque spongia, præter suprà dictam dudum significationem, accipi potest pro membro virili. Sunt enim inter genera spongiarũ quædam spongiæ oblongæ, dictæ peniculi, & ἰδιωτικῶς penicilli, à similitudine caudarũ appellatæ. Penis enim vocatur cauda: inde penem caudam virilem veteres appellauerunt: &, vt ait Cicero in epistola ad Papyrium Pætum, penis est in obscœnis. Nota est sententia illa Pisonis conquerentis, adolescentes peni deditos esse. Cùm igitur peniculus sit è genere spongiarũ, & à similitudine pro virili membro accipiatur, meritò & spongia pro eodem accipietur. De peniculis spongiis scripsit Plin. in c x. & in x x x c. Hinc iocus est apud Plautum in Menæhmis, non satis obuius & cognobilis: nam parasitus nomine Peniculus sic loquitur: Iuuentus nomen fecit Peniculo mihi, ideo quia mẽsam quãdo ego detergo. Vult enim parasitus rationem reddere nominis sui, & ideo se Peniculum vocitari ait, quia mensam detergere solebat: alludens videlicet ad spongiam nomine peniculum, quæ tergendis mensis adhiberi solebat. Vt ergo spongia mensam terget, sordes auferendo: ita ille mensam tergebat, cibaria cuncta in ventrem cõgerendo. Idem paulò infrà alludit ad virile membrum dicens: Quem tu parasitum quæris adolescens? meum peniculum? eccum inuidule saluum fero. Consimiliter & rutabula titulo sunt ambiguo, quum instrumenta significent ad panem coquendum accõmodata, & pro virili membro posita sint: vt docet Festus Pompeius. Forcipis quoque titulus ambiguus esse potest, tanquã accipi possit pro vulua fœminea, quæ capit formum, id est, calidum genitale. De spongiæ & rutabuli titulis ambiguis authores habeo idoneos: de forcipe solam coniecturam. & ita hoc totum referes ad illud, quod dictum est, quòd nonnunquam iculariter celebrat festos dies.

*Inæqualissimarum.] Longè disparis pretii.

Sortes.] Nimirum illas intelligit sortes, quæ in Saturnalitiis muneribus adhibebantur: de quibus ait Martialis: Diuitis alternas, & pauperis accipe sortes. Idem alibi: Ancillam tibi sors dedit lucernæ,
Tutas quæ vigil exigit tenebras. Idem:
Cùm tibi sorte datur, si sapis, adde piper.

M. AN. Ac peregrinos.] Miror peregrinos adiecisse: quasi regios nũmos Romanos mõstrare potuisset, quũ nũmos plurimùm aureos argenteósq; intelligamus, vt bigatos, quadrigatos, victoriatos: constetq; vt Remeus tradidit, à Ser. Tullio tantũ æs signatũ, argẽtúmq; Romæ, vt Plinius ait, anno ab vrbe cõdita quingentesimo atq; octogesimo signari cœperit, aurum verò anno sexagesimo secundo post argentũ: nisi fortè peregrinos intelligere maluerimus procul Italia signatos: regiósq; veteres nõ ad Romanos reges, sed ad Porsenã, & alios, qui in terra Italica regnauerunt, referre: si æreos accipias, duorũ nouissimorũ regũ repræsentari potuerũt.

Cilicia.] Cilicia vela de pilis, vt Pedianus ait, in castrorum vsum texta. Spongias.] Martialis:

Hæc tibi sorte datur tergendis spongia mensis.

Rutabulum.] A rutro est, rutrum à proruendo, vt Varro docet, instrumentũ ad proruendam prunã, arenam, puluerem, aut quid simile. Cato in re rustica: Fiscellam fartoriã vnam, forcipes duas, rutabulũ vnum.

Ambiguis.] Parum notis.

Inæqualissimarum rerum sortes.] Sortes rerum diuersi pretii: cuius venditionis rationem hãc fuisse crediderim, vt coniiceret in vrnam diuersarum rerum venalium nomina: in alteram tot varii pretii sortes, quot res venales erant: atque ita fieret, vt qui aderant sortitò mercarentur rei venalis prius sorte educta, mox ex altera vrna summa, siue pretio: quo euenire solebat, vt quæ nullius fermè valoris essent, magno starent pretio: quæ verò multi pretii, minimo.

aversas tabularum picturas in conuiuio venditare, incertóque casu spem mercantium vel frustrari, vel explere, ita vt per singulos lectos licitatio fieret, & seu iactura, seu lucrum communicaretur.

De cibis eius, & horis edendi. LXXVI.


Ibi (nam ne hoc quidẽ omiserim) minimi erat, atq; vulgaris ferè. Secũdariũ panẽ, & pisciculos minutos, & caseum bubulũ

PHIL. AVersas.] Pictura tabulæ aversa dicitur, quando ita inversa est, vt pictura lateat. Adversus, & aversus differunt: nam adversus significat partem anteriorem, & obuiam: aversus verò partem posteriorem, & à tergo. Hinc scitum est illud Mar. Catonis in effœminatũ: Et adversus, inquit, & aversus impudicus es.

Vel frustrari.] Decipere: quando scilicet mercabantur magno id, quod pretiosum esse existimabant, & deinde apparebat contemptibile, & nugatorium.

Explere.] Tunc Augustus explebat spem mercantium, quando illi sortem emerant rei pretiosioris, suffragante fortuna.

Per singulos lectos.] Per singulas mensas conuiuarum. Lecti enim modò discubitorii accipiuntur, qui & tricliniares dicti.

Licitatio fieret.] Licitationem vocamus oblationem pretii in venditione: & licitatores eos, qui funguntur officio licitandi. Caius Iurisconsultus Digestis de publicanis: Licitatio vectigalium, quæ calorem licitantis vltra modum solitæ cõditionis inflauit, ita demum admittenda est, si fideiussores idoneos, & cautionem is, qui licitationem fecerit, offerre paratus sit.

Communicaretur.] Inter conuictores singularum mensarum: vt ita in singulis lectis participes fierent lucri, si sors bene cecidisset: vel damni, si malè.

Cibi minimi.] Mercurius si fuerit dominus geniturae, faciet modicum cibum, potúmque capientes: & sanè vtilissima est, vt inquit Plinius noster, temperantia in cibis. Turpissimum profectò est, sui stomachi non nosse mensuram, & hominem plus sibi ingerere, quàm capiat. Scribit Iulius Capitolinus, Gordianum fuisse adeò cibi parcum, vt intra punctum temporis vel prandium, si pranderet, vel cœnam finiret, si cœnaret.

Atque vulgaris.] Laudat Pacatus Theodosium, quòd quum esset terrarum, hominúmque dominus, esset contentus modico & castrensi cibo, nusquam inquireret cupedias ciborum, & peregrinas dapes, pretiosáque obsonia: taxátque principem quendam, cuius fercula existimabantur pretio equestrium patrimoniorum. Itidem à Plinio laudatur frugalitas Traiani in vescendo. Ammianus quoque Marcellinus extollit parsimoniam ciborum in Iuliano, cuius mensarum tenuitas erat rectè noscentibus admiranda. Ab Horatio enumerantur commoda tenuis victus, & cibi parabilis, in quibus illud est præcipuum, bona valetudo.

Secundarium panem.] Plebeium, atque cibarium: qui secundus alio nomine dicitur. Horatius:

Pasti siliquis, & pane secundo.

Plinius in XVIII. cap. IX. Præterea floris semodium, & cibarii, quod secũdarium vocãt, sextarios quatuor, furfuris sextarios totidem. Atqui panis varia scito esse genera. quidam ab obsoniis appellari, vt ostrearii, quidam à deliciis, vt artolagani: quos tamen pro minus delicatis accipere videtur Cicero scribens ad Papyrium Pætum: Dediscendæ tibi sunt sportellæ, & artolagani tui. Alii panes à festinatione speustici dicuntur. σπεύδω enim Græcè festino significat. Quidam fumacei, quidam subcinericii, à coquendi ratione nuncupati: alii artoptesii, ab artoptesia instrumento panibus coquendis accommodato: cuius meminit Plautus in Aulularia. Talis autem panis erat tostus, & inde nomen. nam Græcè ὀπτᾶν est asso, siue torreo, καὶ ἄρτος panis: vnde & artoptea, Instrumentum ad panem tostum faciendum. Est præterea panis aquaticus, militaris, & nauticus, quo scilicet nautæ vescuntur: quem vulgus biscoctum vocat. Fermentatus panis, cui nihil ademptum est, vocatur αὐτόπυρος.

Pisciculos minutos.] Auicenna autumat meliores esse pisces paruos piscibus magnis. Cornelius Celsus minus alimenti ait præstare pisces, qui nondum summam magnitudinem impleuerunt. Hieronymus scribens ad Athletam de institutione filiæ præcipit, vt cibus eius sit olusculum, & simila, caróque pisciculi. Plinius in XXXII. tradit pisciculos minutos emendare vrinæ incontinentiam, exemptos ex ventre eius, qui eos deuorauerit, crematósque: ita vt cinis, eorum bibatur ex aqua.

Caseum bobulum.] A boue bubulus, & bouinus deriuatur. Grammatistæ semidocti, bubulum existimãt dici à bubalo animali: de quo illud notissimum:

Illi cessit atrox bubalus, atque bison.

Plinius in vigesimooctauo: E lacte fit butyrum, plurimum è bubulo, & inde nomen. Idem ait, aluum maximè solui bubulo lacte. Idem ait, bubulum lac caseo fertilius esse, quàm caprinum ex eadem mensura penè altero tanto. Sextius eosdem effectus equino caseo tradit, quos bubulo. Caseum autem equinum vocant hippacem. Caseus alibilis est magis, quando mollis est, ac recens: contrà aridus, & vetus, minus alit. Stomacho vtiles casei, qui non sunt salsi, id est, recentes: veteres aluum sistunt, corpúsque minuunt. In totum salsa minuunt corpus, alunt mollia: authores Varro, Plinius, & Auicenna. Illud adde quòd à Cornelio Celso mollis caseus numeratur inter res euchylas, id est, boni succi: vetus verò caseus inter cacochylas, id est, quæ sunt mali succi.

AVersas.] Auersa picturæ facie, vt fortuna magis, quàm iudicium valeret. M. AN.

Incerto casu.] Dubio euentu.

Singulos lectos.] Communi nomine omnium vno lecto, siue toro accumbentium.

Licitatio.] Pretii oblatio.

Communicaretur.] Vt iactura, siue lucrum commune inter vnius lecti conuiuas esset.

Vulgaris.] Haud exquisiti.

Secundariũ panem.] Vulgarem, quasi secundi panificii, seu ordinis. Plinius: Secundarii panis quinas selibras, totidem cibarii. Lampridius: Panis, inquit, mũdi pondo triginta, panis sequentis ad donandum pondo quinquaginta.

Manu

PHIL. Manu pressum.] De hoc sic ait Columella in octauo: Illa verò notissima est ratio faciundi casei, quem dicimus manu pressum. nam in mulctra, dum est tepefacta, vel manu figuratur, vel buxeis formis exprimitur, caseus fit fistulosus, si parum pressus fuerit.

appellauere ab honoribus, quoniam regibus tantùm Persidis seruarentur Babylone natæ, vno in horto tàtùm, qui nunquam nisi dominantis in aula fuit: hortus autem ille vocatur Bagous: sic enim Persæ spadones appellant, qui apud eos etiam regnauere. Hinc ab Ouidio translatū sciente nomen illud:

Quem penes est dominam seruādi cura Bagoe.

Virides.] Recentes.

Biferas.] Biferæ dicuntur arbores, quæ quotannis fructum bis ferūt. Scribit Plinius in decimosexto, biferas ficos esse, & caprificos triferas. Idem vires quasdā triferas esse tradit, quas ob id insanas vocant, in quibus alia maturescunt, alia turgescūt, alia florent. Præcoces ficos Athenis πρόδρομοι vocant, quasi præcursorias: hæ enim primitiuæ sunt. Fici vires iuuenum augent, senibus meliorem valetudinem faciūt, minùsque rugarum: corpus, & vires adiuuant. Ob id anteà athletæ hoc cibo pascebantur. Pythagoras exercitator ad carnes eos transtulit. Scribunt Auicenna, & Galenus, ficum magis alere corpus, quàm reliquos fructus.

manu pressum, & ficos virides biferas maximè appetebat. Vescebatúrque ante cœnam quocunque tempore, & loco, quo stomachus desiderasset. Verba ipsius ex epistolis sunt: Nos in essedo panem, & palmulas gustauimus. Et iterum: Dum lectica ex regia domum redeo, panis vnciam cum paucis acinis vuæ duracinæ comedi. Et rursus: Ne Iudæus quidem, mi Tyberi, tam diligenter sabbathis ieiunium seruat, quàm ego hodie seruaui, qui in balneo demū post

Ex regia.] Numa Pompilius, authore Solino, habitauit in regia, quæ erat iuxta ædē Vestæ, & adhuc ita appellatur.

Vuæ duracinæ.] Duracina vua nomen accepit à duris acinis. Plinius in decimoquarto: Vua non alibi gratior callo, vt inde possit inuenisse nomen duracini durus acinus. Ab acinis vuarum acinatitium vinum deriuatur. Vlpianus Digestis de vino legato: Acinatitium, inquit, planè vino continebitur.

Appetebat.] Auenter desiderabat. Inde appetentia, & appetitus. Aliàs appetere significat instare, & appropinquare. Liuius: Iam ver appetebat. Curtius: Nox appetebat. Plautus: Propinqua partitudo cui appetit.

Stomachus desiderasset.] Si frui volumus prospera, diuturnáque valetudine, tunc comesse, & cibum capere debemus, cùm esurimus: imitarique Persas, quibus hora prandendi nulla est præstituta: sed, vt inquit eleganter Marcellinus, vnicuique venter est velut solarium, eóque monente, quod inciderit, editur: nec quisquā post satietatem superfluos sibi ingerit cibos. Qua in re oppidòquàm distant ab illis luxuriosis, quos ait Sallustius, neque sitim, neque famem præstolari, sed cuncta luxu antecapere. Venter, vt inquit verissimè Plinius, instat vt creditor, & sæpius die appellat. Tunc illi tantum cibi dandum est, vt vires reficiantur, non vt ex saturitate immodica opprimantur.

Vescendo.] Dum vescimur. Emendati codices habent in essedo, vt dicat Augustus, se etiam in essedo, hoc est curru, cibum sumpsisse, quādo stomachus desideraret. Dicere solebat Diogenes Cynicus, si prandere malum non est, neque prandere in foro malum esse. Est autem essedum, genus currus, quo peculiariter Britanni vtuntur in pugna: inde essedarii dicti. Non pauca scripsimus de essedo, & essedariis in secundo Propertii Commentario, super eo versu:

Esseda cælatis siste Britanna iugis.

Palmulas.] Fructus palmarum, quæ recentes inebriant, capitísque dolorem afferunt, minus verò siccæ, tussim exasperant, corpus augent. Nuclei palmarum cremati καλλιβλέφαρα faciunt, addito nardo, vt refert Plinius in XXIII. Sūt autem καλλιβλέφαρα, vt id quoque studiosæ iuuentutis causa enarremus, medicamenta palpebris venustandis accōmodata: vnde ex Græca dictione nomen inflexum. Identidem Plinius callibléphara fieri docet. Palmarum vndequinquaginta genera esse traduntur: clarissimæ omnium sunt, quas regias

Ieiunium seruat.] Moses dux exulum Iudæorum factus, terminis Aegypti pulsus montem Sinæum occupauit: in quo septem dierum ieiunio cum populo suo fatigatus, septimum diem more gentis Iudaicæ sabbathum appellatum, in omne æuum ieiunio sacrauit: quoniam ille dies famem illis, errorémque finierat: author Iustinus Epitome XXXVI. Scribit Strabo, Pompeium Magnum cepisse Hierosolyma, obseruato ieiunii die, dum ab omni opere Iudæi abstinerent. Hinc eleganter Sabbatharii dicti Iudæi à sabbatho, quem diem religiosissimè venerantur. Martialis:

-Quod ieiunia Sabbathariorum.

Sabbathi autem nomen, requiem Hebraica lingua significat, vt docet Iosephus libro primo Antiquitatū. In Exodo, & in Leuitico iubentur à domino Iudæi sabbathizare sabbathum: & vt septimo mense, decima die mensis omnis populus ieiunet vsque ad vesperam. Sunt quidam, de nostris loquor, qui re vera sabbatho ieiunant: sed cùm venerit dies festus, saturantur ad vomitum: vnde melius est, vt inquit Hieronymus, quotidie parum, quàm rarò satis sumere.

M. A N. Virides biferas.] Sunt, inquit idem author, biferæ serotinæ, & præcoces, alba, ac nigra, cum messe, vindemiáque maturescentes. Macrobius & ipse in transcursu biferarum meminit.

Essedo.] Curru.

Palmulas gustauimus.] Palmas, quibus, anthore Plinio, Iudæa inclyta est: sed quæ caryotæ dicuntur, maximè celebrantur, & cibo quidem, & succo vberrimæ.

Ex regia.] Sacrorum regis domo. Hoc magis placet, quàm quòd ex basilica intelligas. Fuit regia ipsa, vt Asconius docet, in sacra via. In sacra, inquit, via traditur pugna commissa, in qua est regia.

Vuæ duracinæ comedi.] Duracinæ vuæ, inquit Plinius, ex vitibus nascuntur, quæ sine pedamento sunt, sémperque pastinatis similibus, herbarum modo vagantibus. Non aliunde vua gratior callo, vt inde possit inuenisse nomen duracini, quasi durus acinus.

Sabbathis ieiunium seruat.] Omnes qui Iudaica sabbat

horam primam noctis duas bucceas manducaui, prius quàm vngi inciperem. Ex hac obseruantia nonnunquam vel ante initum, vel post dimissum conuiuium solus cœnitabat, quum pleno conuiuio nihil tangeret.

De parsimonia eius in potu. LXXVII.

VIni quoque natura parcissimus erat. Non amplius ter bibere eum solitum super cœnam in castris apud Mutinam, Cornelus Nepos tradit. Postea quoties largissimè se inuitaret, senos sextantes non excessit: aut, si excessisset, reiiciebat. Et maximè delectatus est

sabbatha & apud hunc, & alios authores interpretantur, ita accipiunt, quasi Iudæi sabbatha per ieiunium transigere sint soliti; ac certè sic est, vt ipsi aiunt, quod ex diuinis quoq; literis datur intelligi: verùm longè aliter quàm vulgus opinatur. Cōstat enim vnum illos statum habere diē, quem sanctissima sabbathorum sabbatha appellant: hunc vnum per ieiunium decalceati quotannis religiose seruant, quum reliquis sabbathis neque cibo omnino abstineant, neq; nudis pedibus, vt est apud Satyrum, incedant.

PHIL. BVcceas.] Buccellas panis. A bucca bnccæ, & buccellæ dictæ frustula minuta cibariorum: vulgò bolos appellamus. Inde est buccellatum, cibi castrensis, & frumentacei genus: quo, vt inquit Spartianus, iubebat Pescennius Niger, contentos esse debere milites omnes. De buccellato Ammian. Marcellious sic scribit: Viginti dierum frumentum ex eo, quod erat in sedibus consumendum, ad vsus diuturnitatem excoctum, buccellatum, vt vulgò appellant, humeris imposuit libentium militum. Martialis bucceas dixit, pro buccellas, sine buccas illo versu:

Oret caninas panis improbi bnccas.

Vngi.] Io balneo vngebantur veteres, adhibitis vnctoribus, qui alio nomine aliptæ dicuntur. Seneca in septimo epistolarum moralium: Supra ipsum balneum habito: quum in aliqnem inertem, ac plebeia vnctione contentum incidi, audio crepitum illisæ manus humeris. Aliptum cogita tenuem, & stridulā vocem. Impressi Senecæ codices habent pro aliptum, alipedum, corrupta dictione, & sensu.

Ex hac obseruaotia.] Scilicet vescendi quocunq; tempore stomachus desiderasset. Purior lectio est inobseruantia. nam nullas horas obseruabat, nec tempora habebat stata in capiendo cibo, sed stomachus erat illi pro horologio.

In castris apnd Mutinam.] Qoando aduersus Marcum Antonium Decimum Brutū Mutinæ obsidentem bellum gerebat.

Ter bibere.] Lex mystica apud Ausonium suadet aut ter, aut nouies esse bibendum: qui Mosas amat, ter ternos cyathos potat: qui verò Gratiarum cultor est, vt inqnit Horatins, treis supra bibere prohibetur. Anacharsis philosophus dicere solebat, vitem producere tres vuas: primam voloptatis, secundam ebrietatis, tertiam mœroris. Cui simile est illud Aesopinm: ὁ Διόνυσος τρεῖς κιρνᾷ κρατῆρας: τὸν μὲν πρῶτον ἡδονῆς, τὸν δὲ δεύτερον μέθης, τὸν δὲ τρίτον ὕβρεως. Id est, Bacchus tres possedit mistiones: primam quidem voluptatis, secundam autem ebrietatis, tertiam verò contumeliæ. Apuleius in Floridis, admonet parcè, & ter tantùm esse bibendum: sub exemplo dictu digno, & memoratu, quod quadrat cum prioribus. Ait enim quatuor esse crateras vini, quarum prima ad sitim pertinet, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam. De vino referri potest hoc loco illud Plinianum: Nihil aliud esse viribus corporis vtilius, neque aliud voluptatibus perniciosius, si modus absit. Sobrietas decet omnes, & maximè principem, præsertimq; rebus militaribus distentum, quo tempore voluptates corporis eliminandæ sunt, vt mens acrior sit, & vegetior ad munia capessenda. Vinū enim curas, vigorémque animi impedit ad procinctū tendentibus. Vnde vice prouerbii illud celebratur, Vino sapientiam obumbrari. Hinc Platonica lex iubet, magistratus, quo tempore Rempublicam gubernant, vino abstinere. Itidem vino interdicit omnibus gubernatoribus, iudicibus, consiliariis. Idem Plato, & Aristoteles, & Eusebius, & maximus medicorum Galenus laudant legem Carthaginiensium, qua nullus in militia, & castrensibus rebus occupatus, vinum vllo tempore gustare permittitur, sed toto militiæ tempore aquam bibere. Moses iubet in canonicis scripturis, sacerdotes sacrificandi tempore à vino abstinere. Solomon quoque magistratus & iudices præcipit ne vino vtantur. Igitur Augustus laudandns est, qui rebus bellicis incumbens ter inter cœnandum tantummodo bibebat: sed quia interdum liberalior potio vigorem dat, animúmqoe alacriorem in omnes conatus facit; vt eloquenter inquit Seneca in libro De tranquillitate vitæ, est interdum iodulgendum largius vino, & tristis sobrietas remouenda paulisper: qnod nonnūquam faciebat Augustus, qui senos sextantes, hoc est sex pocula, binas vini vncias continentia, ebibebat, quoties largissimè, id est liberalius, & largioribus potionibus se plusculum inuitasset.

Senos sextantes.] Potoril calices à mensura dicuntur trientes, quincūces, deunces, atque sextantes. Mart.

Poto ego sextantes, tu potas Cinna deunces.

Sextans autem cōtinet duas vncias, ab eo dictus, quòd sexta pars assis sit.

Reiiciebat.] Reiectabat: quo verbo vsus est Spartianus, sic scribens in Antonino Pio: Cùm caseum alpinum in cœna edisset auidius, nocte reiectauit.

BVcceas.] Frustula. Buccea à bncca, est edulii frustulum, quantum bucca commodè capit. Martia M. AN.
lis Buccellas quoque pronuntiauit.

Largissimé.] Largè, & profuse se inuitaret.

Senos.] Ad mensurámne, an ad poodus referas, in dubium venire potest: sed melius ad mensuram, vt sit sextans mensuræ genus, vt qnincunx. Martialis:

- Quincunces puto post decem peractos.

Reiiciebat.] Vomebat. Reiicere habet & alios significatus. Dicimnr nanq: quem ex albo reiicere, cùm vt suspectū iudicē, & iniquū recusamus, & auersamur. Cic. in 1. Verr. Vt primùm è prouincia rediit, redemptio est huius iudicii facta, ea mansit in conditione atq; pacto vsq; ad eū finem, dū iudices reiecti sunt. Posteaquā reiectio iudicum facta est: quòd in sortitione, &c.

Rhetico: neque temere interdiu bibit. Pro potione sumebat perfusum aqua frigida panem, aut cucumeris frustum, vel lactuculæ thyrsum, aut recens, aridúmve pomum succi vinosioris.

PHIL. RHetico.] Vinum Rheticum inter generosa Italiæ vina censetur, quod, vt inquit Strabo in quarto Geographiæ, in montanis Rhetorum radicibus nascitur: qui populi Veronam, Comúmque vsque peruenerunt. Videtur Vergilius, gratificari volens Augusto, scripsisse in Georgicis:

-Sed quo te carmine dicam
Rhetica? nec cellis ideo contende Falernis.

Quem versum recte, an perperam interpretatus sit Seruius, ipse viderit. Ego existimo, Vergilium ideo celebrare secundo post Falernum loco Rheticum vinum, quia id Augusto sciebat esse gratissimum. Meminit Plinius Rhetici vini, Vergilianæque sententiæ, sic scribens in decimoquarto: In Veronensi item Rhetica, Falernis tantùm posthabita à Vergilio. Vinum id maximè probat Auicenna, quod medium sit inter nouum, & vetus, fuluo colore odoratum, neque dulce, neque austerum. Palladius in vndecimo ait, vinum, quod croceo colore blanditur, accommodatum esse digestioni. Sed, vt inquit verissimè Plinius, suum cuiq; placet, idque quisque cæteris omnibus anteponendum pronuntiat, quod sibi gratissimum fuerit. Vnde quum Surrentinum veteres maximè probauerint, sequens ætas Albanum, aut Falernum. Augustus palmam dabat Rhetico, quando non aliud libentius potabat.

Non temere interdiu bibit.] Est sitis à medicis recentioribus mendosa nuncupata, in qua præcipit Auicenna, non esse bibendum, sed tolerantia digerendam. Augustus interdiu, id est, de die, rarenter, nec sine causa bibit, quod bonæ valetudini in primis conducibile existimatur.

Perfusum frigida panem.] Monet Celsus, omnes potiones aqua frigida includendas esse. Ait Plinius quòd panis candidus aqua frigida madefactus cibum ægris leuissimum præbet.

Cucumeris frustum.] Scribunt Columella, & Plinius, cucumeres mira voluptate expetitos esse à Tyberio principe. Viuunt hausti in stomacho in posterum diem, nec concoqui queunt: in cibis non insalubres, tamen plurimùm natant. Scribit Auicenna, in simplicibus chymum cucumeris esse malum, excitantem putredinem, & febres. Cucumerum Græci tria genera fecerunt, Laconicum, Scytalicum, Bœoticum. Est & cucumis syluestris, ex quo fit medicamentum, quod vocatur elaterium. Est & anguinus, qui ab aliis erraticus dicitur. Sunt & in genere cucumerum pepones magnitudine excellentes, quos melopeponas vocant. Pepones refrigerant, maximè in cibo, & emolliunt aluum. Non solùm vulgus indoctum, sed etiam idonei scriptores melones appellant. Iulius Capitolinus scribit, Clodium Albinum comedisse melones Hostienses decem. Cucumeres à curuore dici, quasi curuimeres, autumat Marcus Varro. Inde cucumerarium dicitur locus, in quo cucumeres sati proueniunt. Isaias: Derelinquetur filia Sion sicut casa in vinea, & sicut tugurium in cucumerario. Illud admonendum, quod Cyprianus pro tugurium dixit eleganter custodiarium in cucumerario. Solet enim fieri tuguriolum, in quo custos vigil obseruat, ne cucumeres auferantur ex cucumerario.

Lactuculæ thyrsum.] Thyrsus non solùm significat telum illud Baccho dicatum, cuius mucro hedera circunfusa delitescit: sed thyrsum quoque dicimus truncum, caulémque herbarum, & in primis lactucæ. Plinius in vigesimo, Thyrso & foliis scabritia. Item, folia lactucæ tosta, thyrsúsque ex aceto bibũtur. Item in decimonono; Inuentum, omnes thyrsos lactucarum prorogare vrceis conditos, ac recentes in patinis coquere. Idem, quod & suprà docuimus, author est, Augustum lactuca conseruatum in ægritudine prudentia Musæ medici. Peculiares lactucarum vires sunt, somnum faciendi, Venerem inhibendi, æstum refrigerandi, stomachum purgandi, sanguinem augendi. A lactucis cognomina Romanorum procerum nata sunt. Nanque Lactucinos in Valeria familia non puduisse appellari tradunt eruditi. Apud Lucretium thyrsus accipi videtur pro ardore, & instinctu, illo versu:

Percussit thyrso laudis spes magna meum cor.

Pomum aridum.] Id est, siccum. Hæc enim sibi inuicem contrario positu obiiciuntur, recens, & siccum, siue aridum. Cornelius Celsus: Aluum mouet ficus arida, sed magis viridis. Innocentiora sunt poma arida, quàm recentia. Ex quo est illud Satyrici poetæ:

-Nec odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam
Autumnum, & crudi posuere pericula succi.

Quidam codices non aridum habent, sed acidum. Dicitur enim pomum acidum à sapore. Plinius in decimoquinto, genera saporum tredecim reperiri autumat: inter quos est acidus, qui acerbus est sapor. Hinc iocus ille apud Quintilianum de eo, qui Placidus nomine, quia acerbus natura erat, acidus vocabatur. Pomum quodcunque acidum, vel acerbum, est mali succi, vt inquit Celsus in secundo. Verbum est vetus, acet: quo Iurisconsulti vtuntur, & M. Cato, qui de vino scribens ait: Vinum vendi oportet, quod neque aceat, neque muceat. hoc est, neque acorem habeat, neque mucorem.

Vinosioris.] Vinosus succus, authore Plinio, propriè est moro, pyro, myrto. Idem inter genera mali punici vinosa quædam appellat, quæ aluum sistunt, & stomachum. Fit vinũ ex omnibus pomorum generibus: fit ex punicis, quod rhoiten vocant: Græci enim ῥοιὰν dicunt malum punicum.

RHetico.] Maro Rhetica vina post Falernum celebrat. M. AN.

-Quo, inquit, te carmine dicam
Rhetica? nec cellis ideo contende Falernis.

Rheti Alpium incolæ fuere, Hetrusca gens à Rheto duce dicta: Plin. est author. Martialis de eodẽ vino:

Potasti testa Rhetica vina mea.

Cucumeris frustum.] De cucumeribus Plinius abundè multa.

Lactucæ thyrsum.] Refrigerantis naturæ, vt cucumis, lactuca est: constátque lactucæ vsu Augustum ab Antonio cognomento Musa grauissimo morbo seruatum.

Acidum.] Pomorum, vt Plinius ait, nõ vnus sapor: sed dulcis, suauis, pinguis, amarus, austerus, acer, acutus, acerbus, acidus, salsus. Præter hæc, tria genera sunt mirabili maximè natura. Vnum, in quo plures pariter sentiuntur sapores, vt vinis. Nanque in his & austerus, & acutus, & dulcis, & suauis, omnes alieni.

Post

De his, quæ gerebat post cibum. LXXVIII.



Post cibum meridianum, ita vt vestitus, calceatúsque erat, retectis pedibus paulisper conquiescebat, opposita ad oculos manu. A cœna se in lecticulam lucubratoriam recipiebat. Ibi donec residua diurni actus, aut omnia, aut ex maxima parte cōficeret, ad multam noctem permanebat. In lectum inde transgressus, non amplius quum plurimum, quàm septem horas dormiebat, ac ne eas quidem continuas, sed vt in illo temporis spatio ter aut quater expergisceretur. Si interruptum somnum recuperare (vt euenit) non posset, lectoribus, aut fabulatoribus accersitis, resumebat, producebátque vltra primam sæpe lucem. Nec in tenebris vigilauit vnquam, nisi assidente aliquo. Matutina vigilia offendebatur. Ac si vel officii, vel sacri causa maturius vigilandum esset, ne id contra cōmodū faceret, in proximo cuiuscūq; domesticorū cœnaculo

PHIL. Post cibum meridianum.] Ex more veterum, qui leuem, facilémque cibum à meridie sumere solebant, (quod & Plinius factitabat) eóque contenti erant vsq; in cœnæ tempus. Hioc merenda cibus, vt inquit Nonius, dicitur post meridiem. Qua dictione oon solùm vulgariter vtimur, sed etiam elegāter, cum Latina sit. Calpurnius in Bucolicis: -Senæq; videbitur hora merendæ.

Retectis pedibus.] Reuelatis, nudatísq;. Quidā codices habent, retractis: tanquā collectis, contractísq; pedibus quiesceret: quo habitu interdum quiescere solemus. Alii legūt rectis, quasi porrectis. Officium commentatoris est, ex varia lectione varias expromere enarrationes: vt quisque sequatur id, quod probabilius iudicabit.

Paulisper conquiescebat.] De die dormire malū est, vt inquit Auicēna. Plantina sentētia est: Non bonus somnus est de prandio. Idem faciebat Seneca, qui sic scribit io XII. Epistolarum moralium: Dormio minimum, consuetudinem meam nosti, breuissimo somno vtor, & quasi interiungo: satis est mihi vigilare desiisse: aliquando me dormisse scio, aliquādo me suspicor.

Lucubratoriam.] Vbi lucubrare solebat. Est enim lucubrare, ad lucernam vigilare: quod maximè literati facere soleot, & debent. Vnde nonnulli libros suos inscripsere, Lucubrationum. Plinius lucubrare à Vulcanalibus incipiebat studendi causa. Præcipit Celsus, non esse lucubrandum post cibum, sed post concoctionem. Contra præceptum Celsi Portius Latro Declamator post cœnam ferè lucubrabat. Sunt & lucubrationes rusticanæ, vespertina, & antelucana: quando à vespere, & ante lucem conficiunt Intra villam opera rei villaricæ cōducibilia. Columella in XI. Item ad lucubrationem vespertinam palos decem, vel ridicas quioque conficere, totidemque per antelncanam lucubrationem. Quod ridicas dixit quioque conficiendas, intellige pedamenta vinearū: quæ è quercu, & iunipero solent optima fieri: & ridicè vocantur, sicut docet M. Varro in primo De re rustica. Apud Plinium in XVII. mendosa dictio est: nam pro ridicæ, legitur radice, vbi ait: Pedamenta optima, quæ diximus, aut radice. Tu lege, ridicæ. Quintilian. in XI. Nobis, inquit, & vigilādæ noctes, & fuligo lucubrationom bibenda, & in sudata veste durandum. In lecticulā.] Est & lectica, quæ militaris dicitur, qua Alexander Magnus crure ictus gestabatur in militari expeditione: sicut refert Q. Curtius.

Diurni actus.] Dinrnarum actionum.

Interruptum somnum.] Scribit Auicenna, optimū esse somnum, qui est profundus, & cootinuus.

Fabulatoribus.] Euocatis sermocinatoribus, cum quibus iucundè fabularetur. A fabulando fabulatores dicti. Seneca: Pedonem Albino vano narrantem audieramus: erat enim fabulator elegantissimus. Au. Gellius Aesopum appellat fabulatorem. Ab eodem Herodotus homo fabulator dictus, qui fabulosa magis, quàm historica scribit.

Matutina vigilia offendebatur.] Inter mala corporis vigiliæ sunt plerisque, vt inquit Plinius. Qui bene cōcoxit, mane tutò surgere poterit: qui parum, quiescere debebit: & si mane surgendi necessitas fuerit, redormire: author Cornel. Celsus in primo. Inter ea, quæ extenuant corpus, numeratur vigilia, & somnus nimiùm breuis. Igitur Augustus nō libenter de mane surgebat: & si vigilandi necessitas fuisset, malebat morari in cœnaculo alicuius domesticorum, ne cogeretur immutare cōsuetudinem: cuius immoratio maximè ooxia est, vt docet Galenus in Commentario Hippocratis de regimine acutorum. Horatios matutina vigilia se quoque offendi solitum designat, sic scribens in Sermonibus:

Deinde eo dormitum oō sollicitus mihi quòd cras
Surgendum sit mane.- & mox:
Ad quartam iaceo.-

Contrà Iulianus Imperator euigilabat, surgebátqne nocte dimidiata.

Vel officii.] Innenalis:

Si vocat officinm turba cedente vehetur.

Est enim officium id, quod prætermitti non debet, locis, temporibus, personis accōmodatum. In proximo.] Quod propinquū foret loco, in quo officiū, vel sacrū erat peragendum. Cœnaculo.] Dictū est suprà, quæ sint cœnacula, & quid sit facere cœnaculariam.

M. A N. Retectis.] Nudatis: sed retractis melius, qnàm cōtractis. Quidam codices reiectis habent, nonnulli etiam rectis.

Lucubratoriam.] Ad lucubrandum, id est, vigilandum aptam, aut ad lucernam operandum. Lucubrare enim est ad lucernam, seu lumen vigilare.

Residua.] Quæ agenda supererant.

Residua diurni actus.] Officii, aut actus illius diei.

Fabulatoribus.] Fabulas recitantibus.

Matutina vigilia.] Si tempestiuius vigilare cœpisset.

Officii.] Si domesticis cuiusquam sacris, feriisve, aut sponsalibus honoris gratia esset interfuturus.

Vel sacri.] Quia pontifex maximus.

Cœnaculo.] Superiore ædium parte: oe cogeretur sub lucem vigilare.

Indig

manebat. Sic quoque sæpe indigens somni, & dum per vicos deportaretur, & deposita lectica inter aliquas moras condormiebat.

De statura corporis, & membrorum. LXXIX.



Orma fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venustissima: quãquam & omnis lenocinii negligens, & in capite comendo tam incuriosus, vt raptim compluribus simul tonsoribus operam daret, ac modò tonderet, modò raderet barbam: eóque ipso tempore aut legeret aliquid, aut etiam scriberet. Vultu erat vel in sermone, vel tacitus adeò tranquillo, serenóq;, vt quidam è primoribus Galliarum confessus sit inter suos, eo se inhibitum, ac remollitum, quò minus (vt destinarat in transitu Alpium per simulationem colloquii propius admissus) in præcipitium propelleret. Oculos habuit claros, ac nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam diuini vigoris: gaudebátque si quis sibi acrius contuenti, quasi ad fulgorem Solis vultum summitteret. sed in senecta sinistro minus vidit. Dentes raros, & exiguos, & scabros.

PHIL. Indigens somni.] Cùm somno maximè alatur vis nutritiua, sæpe indulgendum est somno: quanuis dicat Seneca, se non vacare somno, sed succumbere.

Gradus ætatis.] Sunt quidam, qui in pueritia venusti sunt, mox adulti fiunt inuenustiores: cõtrà alii à pueritia minus formosi, in ætate virili formosiores conspiciuntur. Augustus verò per omnes ætatis gradus venustatem formæ custodiuit. Cicero in primo de Officiis venustatem dicit esse muliebrẽ pulchritudinem: dignitatem verò virilẽ.

Lenocinii.] Exquisitioris elegantiæ. Præcipit Cicero, à forma virili remouendum esse ornatum, nõ dignum viro, adhibẽdámq; esse munditiã non odiosam, neque exquisitam nimis. Quintilianus in octano: Non ornamenta quærimus, sed lenocinia.

Incuriosus.] Negligens. Incuria dicitur negligẽtia, indiligẽtiáve. Tusculanus Cato, Magna est, inquit, cultus cura: magna virtutis incuria. Impolitiæ notabatur à censoribus eques habens equum parum nitidum. Id verbum significat, vt interpretatur Gellius, quasi tu dicas, incuriæ. Tonsoribus.] Plinius in VII. refert, Augustum culteris ad radendum semper vsum esse.

Eo tempore.] Quo erat sub tonsoribus.

Vultu tranquillo.] Vultus differt à facie, cùm voluntatis significet affectum, quæ pro motu animi in facie multiformis ostenditur. Vultum sibi fingere multi possunt, formã nemo. Vnde à volo vultus inclinatur, vt grammatici tradiderunt. Lucretius vulta neutro genere pronũtiauit, dicens: -Referentes vulta parentũ. Diminutiuum est vulticulus: quo vtitur Mar. Tullius. A vultu fit vultuosum: quod significat triste. Cicero in Oratore: In quo cùm effeceris ne quid ineptum, aut vultuosum sit. Et Apuleius vultuosam faciem perquã eleganter appellauit, intelligi volens tristem, & amarulentã. A Donato frequenter vsurpatur hoc aduerbiũ, vultuosè, pro eo, quod est indignanter, & cum gestu rebus accommodato. Animaduertendum id, quod tradit Cicero in primo de Legibus, Græcos, quorum lingua vberrima est, nomen vultus non habere. Vultus autem in nullo animante est, præter hominem.

Eo vultu.] Tranquillo.

Inhibitum.] Veritum, prohibitúmque.

Remollitum.] Retardatum, & à conatu reuocatũ.

Oculos claros.] Sextus Aurelius de Augusto hæc: Corpore toto pulcher, sed oculis magis, quorum acie clarissimorum siderum modo vibrante, libenter accipiebat cædi ab intendentibus, tanquã Solis radiis aspectu suo: à cuius facie dum quidam miles se auerteret, & interrogaretur ab eo cur ita faceret, respondit: Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum. Seruius quoq; in VIII. Aeneidos Commentario idem tradit. Atqui Plinius in XI. de oculis scribẽs prodidit, diuo Augusto oculos fuisse glaucos, equorũ modo, supráq; hominem albicantis magnitudinis: quã ob causam diligẽtius spectari eos iracunde ferebat.

Sinistro minus vidit.] Partes in homine sinistræ imbecilliores sunt, quia frigidiores: contrà dextra pars robustior est, cùm sit calidior: vt philosophi, & medici prodiderunt. Senecta autem morbus est naturalis: vnde minime mirum est, si Augustus iam senescens sinistro oculo minus videbat: cùm virtus optica, id est, visiua, sit in senecta debilior, & ea potissimùm parte, quæ infirmior est.

Dentes raros.] Triceni bini dentes viris attribuuntur: quibus plures fuere, longiora promitti vitæ putãt spatia. Fœminis minor est numerus. Aristoteles signa breuis vitæ ponit raros dentes, prælongos digitos, plũbeum colorem, pluréisque in manu incisuras, nec perpetuas. Si causam huiusce rei nosse desideras, lege illum in Problematis. Plinius talia præscita vitæ vana esse existimat: miratúrque, Aristotelem hoc genus prognostica prodidisse. Scabros.] Scabritia asperos.

Summitteret.] Inclinaret.

M. AN. VEnustissima.] Valde eleganti, amabili, decora.

Lenocinii.] Accuratioris ornatus.

Eóque ipso tempore.] Dum tonderetur.

Inter suos.] Populares, ac próinde barbaros.

Eo.] Vultus serenitate.

In transitu Alpium.] Cùm per Alpes iter faceret.

Remollitum.] Retardatum.

Nitidos.] Nitore præditos. Diuini vigoris.] Id est diuinum quendam vigorem habere.

Acrius.] Intentius.

Contuenti.] Spectanti. Plinius, Diuo, inquit, Augusto oculi equorum modo glauci fuere, supráque hominem albicantis magnitudinis: quam ob causam diligentius spectari eos iracundè ferebat. Adeò diuersa vel in iis, quæ oculis admota fuerant, authores tradiderunt.

Raros dentes.] Dentiũ raritatem Aristoteles breuioris vitæ in homine argumentum credidit.

Scabros.] Asperos.

Capillum leuiter inflexum, & subflauum, supercilia cõiuncta, mediocres aures, nasum & à summo eminentiorem, & ab imo deductiorem. Colorem inter aquilum, cãdidúmq;, staturam breuem, quã tamẽ Iulius Marathus libertus etiam in memoriã eius quinque pedum & dodrantis fuisse tradit, sed quæ commoditate, & æquitate membrorum occuleretur, vt non nisi ex comparatione adstantis alicuius procerioris intelligi posset.

De maculis corporis eius, & inualidis mẽbris. LXXX.

Corpore traditur maculoso, dispersis per pectus atque aluum genitiuis notis in modum, & ordinem ac numerum stellarũ cælestis Vrsæ: sed & callis quibusdam ex prurigi-

PHIL. Subflauum.] Scribunt Varro, & Donatus, hanc particulam sub, significare temperamentum: inde subflauus capillus, modice flauescens dicitur. Scribit Spartianus, Verum Antoninum tantam habuisse curam flauentium capillorum, vt capiti auri ramenta respergeret, quò magis coma illuminata flauesceret. Germanis est rutila, & flaua coma. Coniuncta supercilia.] Supercilia quibus porriguntur in rectum, molles significant: quibus iuxta nasum flexa sunt, austeros: quibus iuxta tempora derisores. Mediocres.] Aures mediocres notam habent morum optimorum, vt inquit Aristoteles: quæ verò magnæ vltra modum sunt, loquacitatis, & stultitiæ sunt indices, vt ait Trogus Pompeius. A summo.] In summa parte. Ab imo.] In infima parte. Deductiorem.] Depressiorem. Inter aquilum.] Aquilus color est fuscus & subniger, quem ab aqua oominatum existimat Festus Pompeius. Quinque pedum.] M. Varro, & Gellius mensuram summam adolescendi humani corporis dixerũt esse septem pedes: &, vt author est Solinus, plerique definiunt, nullum posse excedere longitudinem pedum septem, quòd intra mensuram istam Hercules fuerit. Pes autem, authore Vitruuio, constat ex quatuor palmis, hoc est digitis sedecim. Dodrantis.] Nouem vnciarũ. Dicitur autem dodrans, quasi dempto quadrante. Inde potio est apud Ausoniũ nomine dodra, quoniam ex dodrante constat, hoc est nouem rebus. Commoditate, & æquitate.] Crassitudine, & amplitudine membraturæ: cuius enormitas sæpe facit, vt staturæ proceritas sit minus conspicua.

Ex comparatione adstantis.] Scribit Plinius in Panegytico, accidere vt corpora quálibet ardua, & excelsa, procerioribus admota decrescant: ita econtrario, Augusti statura ex collatione procerioris staturæ cognoscebatur quàm foret magna, & quàm grandis. Sidonius in 1. Epistolarum de statura Theodorici scribens ait: Longissimis breuior, eminentiórque mediocribus.

Occuleretur.] Occultaretur. Genitiuis notis.] Genitiuas appellat maculas, à natura ingenitas, quasi genitales, & genuinas, & originales, & cum ipso nascente congenitas. Nota originis in brachio Dacorum erat, quæ quarto partu regenerabatur. Scribit Iulius Firmi. in v. Matheseos: Si Luna, & Saturnus, & Mars fuerint in æquinoctialibus signis in hominis genitura, quòd notis quibusdam totum corpus immaculant: aut corpus possidebit serpẽs molliter impetigo: aut minutis squamis candentibus exasperatum corpus scabies diuturna quassabit, aut lepra. Numerum stellarum.] Sydus Vrsæ figuram, positurámque habet similem plaustri: vnde antiqui Græcorũ ἅμαξαν, hoc est plaustrum dixerũt: nostri quoque veteres à bubus iunctis septentriones appellarunt, id est à septem stellis, ex quibus quasi iuncti triones figurantur: Ita enim boues vocabulo rustico antiquo vocabantur. Quidam septentriones ideò appellari malunt, propterea quòd ita sunt sitæ, vt ternæ stellæ proximæ quæque inter se faciunt trigona, id est triquetram figuram. De Vrsis duabus maiore, & minore, quas Græci ἄρκτους vocant, plura tradunt poetæ, & Hyginus in lib. De signis. In Augusti corpore visebantur maculę septenę ad formam septentrionalis Vrsæ: quales mureuis omnibus dextra in maxilla fulgent aureo colore, duntaxat viuentibus, quę cũ anima extinguũtur: Plin. author in IX.

Callis quibusdam.] Verrucis veluti callosis. Est enim callus caro durior, sicut vulgò notum est: quæ medicamentis emollienda est. Vnde ait Plin. in XXVIII. quòd fel caprarum emollit callum vulnarum. Præterea inter ganeata cibaria laudatur callus aprugnus: quæ erat caro apri callosior, ob id saporis iucundioris. Hinc iocus exiit ille Plautinus ex Pœnulo: Quid opus est verbis? callũ aprugnum callere æquè nõ sinam. Apud eundem in Captiuis, per quandã quasi annominationem ludit Ergasilus parasitus dicens: Quanta sumini absumendo, quanta callo calamitas. Dicitur callũ etiã neutro genere. Idem in Persa: Magis calleo, quàm aprugnũ callum callet. Catonis Censoris orationes aprinum exprobrant callum: cuius rei meminit Plinius noster in VIII. Idem in IX. tradit, quòd locusta piscis, nisi viuens feruenti aqua incoquatur, fluida carne nõ habet callũ: hoc est, illũ callosum gustatũ, qui cũ voluptate sentitur in vescendo sub dentibus. A callo, qui notissimus est, fit verbũ calleo, & occallesco: quo Plautus, & Celsus frequenter vtũtur. Vnde & à Seneca eloquenter dictũ est palatũ gulosorũ callosum, quod veluti occalluit ex vsu feruentiũ ciborũ quotidiano. Augustus callos quosdã in corpore cõtraxit, dum prurigine extimulatus immodicè distringitur dulcedine scabẽdi. Apud Plin. remedia sunt ad tollẽdos pruritus corporis. Prurigo etiã in obscœnis est: significat enim vredinem Veneris, & iritamentum, de qua ait poeta Satyricus: Tunc prurigo moræ impatiens.

M. AN. Subflauum.] Semiflauum. Flauus color, vt Gellius scribit, ex viridi, & albo constat, numeratúrq; inter rubros colores. Homerus: ξανθὸς Μενέλαος. id est, flauus Menelaus: sic ἐρυθρὸς ruber, sic πυῤῥὸς fuluus, φοινικοῦς puniceus. Supercilia coniuncta.] Indistincta.

Deductiorẽ.] Demissiorem. Aquilum.] Fuscũ.

Dodrantis.] Vnciarum nouem, id est, digitorũ duodecim: habet enim vncia digitũ, & eius tertiã partem. Fuit igitur Augusti statura senûm pedũ, quarta vnius pedis parte adempta. Aequitate membrorũ.] Ita inter se membris quadrãtibus. Maculoso.] Maculis sparso. Genitiuis.] Generãdi vim habentibus: vnde genitiuũ semen hominis appellamus, quia generandi vim habeat. Cælestis Vrsæ.] Vtrius nõ dicit, quum duæ sint, quarum minor septem stellis, maior, vt Hyginus monstrat, quindecim figuratur.

Callis.] Cute haud vno loco densiore facta.

Strigil

nc corporis, assiduóque & vehementi strigilis vsu, plurifariàm contractis, ad impetiginis formam. Coxendice, & femore, & crure sinistro, non périnde valebat, vt sæpe etiam inde claudicaret: sed remedio arenarum, atq; arũdinum cõfirmabatur. Dextræ quoque manus digitum salutarem tam imbecillum interdum sentiebat, vt tor-

PHIL. STrigilis vsu.] Strigiles, instrumenta sunt balneatoria, à striogendo, quod radere significat, denominata. His enim sudoré in balneis, & sordes ex corpore distriugebant. Priscianus in v i.i. sic ait: Strigilis vel deriuatiuum à stringo, vel à Græco στλεγγίς. Diminutiuo strigilis vsus est Apuleius in Floridis scribens strigileculam, ex qua sudor laberetur, sibimet fabricatũ fuisse Hippiam illum multiscium. Persius:

I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.

Plautus meminit strigilis rubiginosæ. Hoc instrumentum in præsentia exoleuit ab hominibus, translatũ ad eqoos distringendos. Plinius io vigesimooctauo, inter medicinas pendentes ab homine, & remedia, quæ ab ipso sibi præstari possunt, essere fert strigilum vehementiam.

Impetiginis.] Impetigo morbus est similis scabiei, squamosus, dehooestans corpus: ab impetu dicta, vt indicat Quintus Serenus illo versu:

Si verò vitium est, quod ducit ab impete nomen,
Hoc matutina poteris cohibere saliua.

In Leuitico repellitur à cultura sacrorum, quicunque habuerit impetiginem in corpore. Quod, vt Gregorius interpretatur, tropologicè significat auaritiã: quæ si in paruis noo compescitur, nimirum sine mensura dilatatur. Cuius rei mentio quoque fit distinctione vndequinquagesima Decretorũ. Impetiginis species sunt quatuor, vt docet Cornelius Celsus io qointo. Vna, similitudine scabiem repræsentat, quæ minimè mala est. Altera similis papulæ, quæ peior est, asperior, rubicundiórqoe, squamulas habens, quæ ex summa cute descendunt. Tertia etiamnum deterior est: nam & crassior est, & durior, & magis tumet: ipsa quoque squamosa. Quartum genus curationem noo recipit: subalbidum est, squamulas habens pallidas, lenticulæ similes. A priscis petigo dicebatur, quã nunc impetiginem appellamus. Lucillius: Illuuies, scabies oculos hinc, denique petigo conscendere. Radix cucumeris syluestris arida sanat, vt inquit Plinius in vigesimo, impetiginem, & scabiem, quam psoram vocant. Scribit Auicenna, quòd sanguisugæ ad extrahendum sanguinem admissæ, sunt efficacissimæ medelæ ad sanandas impetigioes, quæ non solùm homines infestant, sed etiam bruta. Vnde apud Columellam in v s i. scriptum leges, quòd impetigines, & scabies aceto, & alumine defricantur in equis.

Coxendice.] Coxendix coxa est, significatque ipsum vertebrum, quo femora vertuntur. Plinius in vigesimooctauo: Ossa ex acetabulis pernarum, circa quæ coxendices vertuntur. Idem in decimo ait, quòd vespertilioni coxendix vna traditur. Varro in primo De re rustica: Boues sint lato corpore, crassis coxendicibus. Marcus Cato incantamentum docet ad sanandas coxendices luxas, hoc est loco suo resolutas, & motas. Q. Serenus sic ait:

Sæpius occultus victa coxendice morbus
Perfurit, & gressus diro languore moratur.

Mendosa dictio est apud Varronem in t s t. de lingua Latina sic scribentem: Cerastibula, vt Opilius scribit, circum coxas indices sunt nobis. Tu lege circum coxendices. Græci ἰσχίον appellant: vnde ischiadici, & ischiaci dicuntur coxendice laborantes. Recentiores medici, & interpretes sciaticam vocant.

Non périnde.] Non multum. Intérdum enim hæc particula périnde, hoc significat: aliâs accipitur pro tam, & coniungitur cum ac, atque, atque si.

Arenarum.] Plinius io x x x i. Arena, inquit, in medicioa est siccãdis corporibus coopertis hydropicorũ, aot rheumatismos sentientiũ. Cornelius Celsus in ss. sudorem elici scribit, aut sicco calore, aut balneo. Siccus calor est arenæ calidæ. Refert Aulus Gellius, poetam illustrem aquæ intercutis morbo liberatum esse, quòd arenis caleotibus esset vsus.

Arundioum remedio.] Docet Cato in re rustica, arũdioem viridem mediã esse diffindendam, & à duobus hominibus tenendam ad coxendices luxatas, adhibendúmqoe incantameotum, quod ipse memorat: ita coxendices sanari posse. Plinius in x x i s t s. refert, arundinem habere vim extractoriam, mederíque luxatis, & spinæ doloribus.

Digitum salutarem.] Nomioa digitorum sunt hæc: Pollex, index, famosus, medicus, minimus: author Porphyrio. Indicem, qui pollici proximus est, alio oomine salutarem veteres vocitarũt. Martianus lib. de ouptiis Philologiæ: Quidam redimitus puer ad os compresso digito salutari silentiũ cõmonebat. Existimo salutaré ideo dictum in primis hunc digitum, quoniã illo ori admoto silentiũ suadebant. Sermoni autem parci, vt inquit eleganter, & verè Plinius, multis de causis salutare est. Apuleius in s. de Asino aureo: At ille digitum à pollice proximũ ori suo admouens, Tace, tace, inquit. Marius Imperator Romanus, authore Trebell. Polliooe, carra venientia salutari digito repellebat. Valet hic digitus & in exprobrando, & indicando: vnde & nomen indicis, quo vsus est optimè Crassus orator.

M. A N. STrigilis.] Iostrumenti ad striogendum, id est, detergendum corpus quæsiti: Iuuen. Martia. & Plin. sunt authores. Impetiginis modum.] Quatuor, vt Celsus ait, sunt impetiginũ species, quarum secũda figuras habet. Coxendice.] Vertebro. Græci ἰσχίον vocant: vnde ischiacus morbus, cui mederi tibiarum incentiones Gellius tradidit. Arundinum.] Cato in re rust. Luxum quod est, inquit, hac cantatione sanum fiet: arũdinem prænde tibi viridem p. tribus, aut quinq; longã, mediam diffinde, & doo homines teneant ad coxendices: & alia, quæ sequũtur. quibus verbis apparet cantatione remedium quæsitũ, nisi fortè diuersum ex eadem materia ille sibi vsum experiuerit. Salutarem.] Ex quioq; manus digitis crassissimũ veteres pollicem dixere, alterũ ab eo salutaré. Trebellius, Marius, inquit, carra venientia salutari digito repulit. Dixerũt & ab indicando, vt Fabio placet, indicem: mediũ infamem: quippe qui cùm longitudine cæteros præstet, parum sine alterius adminiculo valet: & idcirco in ignauiæ exprobrationem monstrari à maioribus solitũ crediderim. vnde illud Iuue. -Et mediũ ostenderet vngué. Mart. -Et medium porrigito digitum. Scio ego solere subnecti aliam turpitudinis causam, quam pudoris gratia prætereo. Penultimum io ordine medicum. Plinius: Muscæ impari numero infricatæ medico digito. Vltimus, eodem authore, minimus est dictus.

pente, contractúmque frigore, vix cornei circuli supplemento scripturæ admoueret. Questus est & de vesica, cuius dolore, calculis demum per vrinam eiectis, leuabatur.

De infirmitatibus eiusdem. LXXXI.



Raues, & periculosas valetudines per omnem vitam aliquot expertus est, præcipuè Cantabria domita: quum etiam distillationibus iecinore vitiato, ad desperationē redactus, cōtrariam, & ancipitem rationē medēdi necessariò subiit: quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus, authore Antonio Mu-

PHIL. Supplemento cornei circuli.] Tanquam digitale corneum conficeret pro adminiculatore digiti imbecillis. Dicuntur enim digitalia, digitorum tegumenta. Varro in primo De re rustica: Olea manu stricta melior ea, quæ digitis nudis laudabilior, quàm illa, quæ digitalibus.

Calculis.] Prisci asperrimū cruciatum esse calculorum à stillicidio vesicæ dixerunt: proximum stomachi: tertium eorū, qui in capite doleant. Verùm, vt inquit Plinius, suus cuique morbus ad præsens atrocissimus videtur. Qui calculo laborant, calculosi dicuntur à Latinis, λιθιαντικοὶ καὶ λιθιῶντες à Græcis: qua dictione vsus est & Plinius, qui in XXI. scribēs de medicina cordyli herbæ sic ait: Vtuntur ad alopecias, ad lithanicos, opisthotonicos. Sunt autem ὀπισθότονοι, vt id quoque intelligas, qui rigore ceruicis inflexibili laborant. ὀπισθότονον enim vocant dolorem inflexibilem. de quo Celsus multa lib. IIII. qui in VII. multa eloquenter conscribit de curatione calculorū: atque Ammonium cognominatū fuisse λιθότομον: quia repertor fuit ferramenti accōmodi ad calculum findendum. Calculorū autem plures sunt species: alii enim sunt spissi, alii asperi: quidam molles, qui ex pluribus minutis compositi fuot tales, & in ipsa curatione redduntur cū vrina, quæ est arenosa: túncque calculosi leuātur cruciatu. Distillationibus.] Distillatio, morbus est, quādo humor distillat ex capite, cum nocumento. Distillatio verò illa maximè periculosa est, quę ad pulmonem, iecúrque descendit. Apud Plinium plura reperies medicamenta ad distillationes. Et Celsus in IIII. eloquēter scribit de distillationibus. Hippocrates in Aphorismis coryzas nominat: sed, vt ait Celsus, nūc apud Græcos in grauedine seruatur nomen κόρυζα: distillatio verò καταῤῥοῦς appellatur. In alio significatu distillatio significat liquamen, quo vtimur cum pulmentariis. Hinc eleganti vocabulo distillarius dictus cōcinnator distillationum, & venditor. Seneca in Epistolis moralibus: Iam libarii varias exclamationes, & botularium, & distillarium, & omnes popinarū institores mercem suam quadam insignita modulatione vendentes.

Iocinore vitiato.] Scribit Priscianus in VI. quòd iecur in genitiuo facit iecoris, vel iecinoris, videtúrque à nominatiuo iecinus deriuari, qui in vsu non est. Iecinoris morbum Græci hepaticū vocāt: à quibus τὸ ἧπαρ dicitur iecur: homines quoque iecinoris morbo laborantes, hepatici appellantur. Plinius in XX. Pulegium hepaticis com melle, & sale bibēdum datur. Morbus iecinoris à Plauto dictus heparatius sic scribente in Curgulione: Te te igitur morbus agitat heparatius.

Galenus in Microthecni, & Auicenna in I. tradunt quatuor esse membra principalia, cor, cerebrum, iecur, & testes. Scribit Aristoteles, cui adstipulatur Alber. Magnus, nullum animal sanguineum reperiri sine corde & iecinore. Existimauit Galenus, iecur fontem esse, originémque venarū: cui sententiæ Peripatetici reclamant. Igitur vitiato iecinore, vtpote viscere vitali, mors formidanda est. Vnde & Augustus ad desperationem salutis redigebatur, cùm esset iecorosus. Sic enim Latine dici potest hepaticus: qua dictione vsus est Sidonius, cùm ait, iecorosis medelā, contrariā rationem medēdi. Præceptum medicorū est, vbi vsitata remedia nō prosunt, tentanda esse contraria. Et, vt inquit verissimè Celsus in I. qui secundis aliquando frustrà curatus est, contrariis sæpe restituitur. Frigidis.] Scilicet fomentis. Horatius: Frigida curarū fomenta relinquere posses. Scribit Plinius quod huic sententiæ satis congruit, Antonium Musam, & Euphorbium fratrem instituisse à balneis frigida multa corpora adstringi: quum antea mos non esset, nisi calida tantùm lauari. Inter cætera medicamenta, quibus vsus est Antonius Musa ad Augustum curandum, est lactuca, cuius vires sunt refrigeratoriæ. Enumeratur etiam eruū, quod est genus leguminum vim obtinens medicaminis. Datur bobus, cibúsque est rusticanus. Hinc illud Horatianū: -Me sylua cauúsque Tutus ab insidiis tenui solabitur eruo.

Obiter emaculandus est Plautinus codex, & mendum, quod passim irroborauit, expungendum, quo totus sensus non solùm obscuratur, sed inuertitur. In Casina Olympio villicus Chalino armigero multa mala minitatur, inter quæ & hoc, sic dicens: Post autem nisi ruri tu aceruo mederis, aut quasi lumbricus terrā, quid te postules gustare, quicquam nusquā ædepol ieiuniū est æquè atque ego te ruri reddibo. Sunt hæc planè portenta verborum, ex quibus nulla festiuitas, nulla decora cōstructio elici potest. Quid enim, per deos immortales, significat, Tu aceruo mederis? qui sensus est? quæ elegātia? Prorsus nihil insulsius dici potest, quàm quod dicatur, Tu mederis aceruo. Ego verò diligentissimè pensitatis verbis, inspectísque literarum elementis, existimo mendū istud emanasse ex coagmentatione literarum confusanea, & inuersione. Ita enim scriptū, vt ego indubitanter asseuero, Plautus reliquerat: Tu eruum ederis. Sed per incuriam indoctorum nouissima litera in eruum, facta est prima in ederis, vt passim mederis legatur: mutila verò dictio prima eruo, haud sauè difficulter in aceruo translata est. Erit itaque, meo periculo, legendum, Tu nisi eruū ederis: vt sit sensus venustus, & poeticus, prorsúsque Plautinus: Ni incibatu eruū, quod legumentū est, esitaueris, aut terrā, sicut lumbricus vermis terrestris esitat, eris ieiunior ipso ieiunio: Ita vt nihil æquè ac tu famelicū, & esuriens reperiatur. Candidus lector in manū capiat Plautinā fabulā, & hoc nostrum interpretamentum, emendationémque diligenter pensitet: profectò diiudicabit, studium nostrum non esse vellicandum. Sed iam ad institutum redeamus.

M. AN. Supplemento.] Adminiculo. Calculis.] Lapillis vesicæ innatis. Distillationibus.] Celsus Cornelius triplicem esse ait distillationem, ad nares vnam, eámque omnino malam: ad fauces alteram, longè peiorem: ad locinora reliquam, eam Ipsam pessimam.

Frigidis.] Lactucarum vsu, vt diximus, ab Antonio Musa

Musa curatus est Augustus.

PHIL. ANniuersarias.] Valetudines anniuersariæ dicuntur, quæ quotannis stato tempore reuertuntur: sicuti sacra anniuersaria.

Tempore certo.] Plinius in I I. Afflantur alii sidere, alii commouentur statis temporibus aluo, neruis, capite, mente.

Subuculæ.] Tunicæ. De subucula suprà dictum est abundanter: vbi discussimus Hieronymi sententiam.

Illud adde, subuculam in alia significatione vocari libum, quod diis dabatur, ex alica, & oleo, & melle compositum.

sa. Quasdam & anniuersarias, ac tempore certo recurrentes experiebatur. Nam sub natalem suũ plerunque languebat, & initio veris præcordiorum inflatione tentabatur, Austrinis autem tempestatibus grauedine. Quare quassato corpore, neque frigora, neque æstus facilè tolerabat.

De cultu corporis eius in uia, & in itinere. LXXXII.

HYeme quaternis cũ pingui toga tunicis, & subucula, & thorace laneo, & femina-

Sub natalem.] Scribunt Plinius, & Valerius, quòd Antipater Sidonius poeta omnibus annis vno die natali tantùm corripiebatur febre, & eo consumptus est satis longa senecta. Natalis autem Augusti erat vigesimustertius dies Septembris: quod tẽpus autumnale est, morbis obnoxium, & pestiferum.

Thorace laneo.] θώραξ Græcè, pectus dicitur. Aristoteles in primo De animalibus de thorace sic: Thoracem eã partem appello, quæ à collo ad pudenda vsq; trũca pertendit. Plinius, Thoracem, inquit purgant, bilem detrahunt. Hinc thorax dictus tegumentũ pectoris, siue laneum sit, siue ferreum. Iuuenalis: -Viridẽ thoraca iubebit Afferri.- Silius: -Sũpturus vulnera thorax. Inde thoracatus deducitur, qui Græcè dicitur θωρακοφόρος, id est, thorace indutus, & armatus. Plinius in XXXV. Parrhasius pinxit nauarchum thoracatum.

Initio veris.] Hippocrates in Aphorismis, & Cor. Celsus in s I. tradunt, verno tempore oriri solere pustulas, profusionem sanguinis, apostemata, anginam, melancholiam, tussim, grauedines, & distillationes. Augustus verò laborabat per vernũ tempus inflatione præcordiorum. Præcordia autem vocamus vno nomine exta in homine, quia cordi prætenduntur: vt interpretatur Plinius in X I. Græci φρένας appellant, quasi participes prudentiæ sint: Sed, vt inquit Aristoteles in X I I. De animalibus, nullatenus participes sunt: sed quia propinquæ sunt his, quæ vim obtinent illam prudentiæ: cordi enim prætenduntur. Cornelius Celsus videtur præcordia appellare, quæ Græci vocant ὑποχόνδρια: nam in tertio scribens de morbo regio inquit: Quem Hippocrates ait, tutum esse mollibus tantummodo præcordiis substãtibus. Hæc Hippocratis sententia est ex Aphorismis: vbi quod Celsus dicit, mollibus præcordiis: ipse ait, si non durum hypochondrium fiat. Initium autem veris est ad septimum Idus Februarii, ex Varroniana diuisione: cuius primus dies est in Aquario. A Varrone dissentit Firmicus Maternus, qui testis est in I I. Matheseos, ver initiari, quum primam Arietis partem Sol fuerit ingressus. Ausonius cõplexus est vernos menses illo versu Platicè magis, quàm partiliter:

Martius, Aprilis, Maius sunt tempora veris.

Austrinis tempestatibus.] Hippocrates tradit, tussim, raucedinem, & coryzas, hoc est distillationes, oriri autumno pluuioso & austrino. Scribit Auicẽna, ventos meridionales, hoc est, austrinos resoluere corpus, & humores forinsecus euocare, ac sensuum efficere grauitatem.

Grauedine.] Grauedo, morbus est non multùm distans à distillatione: nares claudit, vocem obtundit, tussim mouet: author Celsus in quarto. De qua Catullus, Sentire cesso quod grauedinem, & tussim. Inde grauedinosi dicuntur, nõ solùm, qui grauedine infestantur, sed qui ad eum morbum sunt procliuiores. Cicero in quarta Tusculana: Itaque dicimus quosdam grauedinosos, quosdam torminosos: nõ quia iam sint, sed quia sæpe sint. Plinius eruum appellat grauedinosum, quod bobus in pabulo grauedinem facit.

Cum pingui toga.] Toga pinguis, hyberna est, & ob crassitudinem repellendo frigori accommodata. Iuuenalis pingues lacernas appellat munimenta togæ.

Feminalibus.] Feminalia, sunt tegumenta femorum, à feminibus dicta: sunt autem femina, femora. Existimat Seruius, femen in nominatiuo non reperiri: ait Priscianus esse in vsu raro. Videntur autẽ femina propriè dici partes femorum interiores: quod indicat Plinius in vndecimo, sic scribens de apibus: Prioribus pedibus femina onerant, propter id natura scabra. Nimirum apes onerant partes illas femorum, quæ interiores sunt: neq; enim aliter femora possent onerare. Idem in X X V I I I. hoc apertiùs signat, cùm ait: Femina atteri, adurique equitatu notum est. Vel imperiti satis norunt, quòd femora interiora atterũtur equitatu, non exteriora.

M. AN. ANniuersarias.] Statis singulorum annorum diebus redeuntes.

Natalem suum.] Quem ad nonum Calend. Octobris celebrabat.

Præcordiorum.] Plinius: Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membranis, quæ præcordia appellãt, quia cordi prætendũtur. Græcis τὰς φρένας dicunt.

Austrinis tempestatibus.] Austro flante.

Grauedine.] Distat, Celso authore, is morbus non multùm à distillatione, clauditque nares, vocem obtundit, sonant aures, venæ mouentur in capite, turbida vrina est. Quassato.] Concusso.

Pingui.] Crassa toga, id est, crassi panni. Martialis, quod ad ipsum verbum attinet:

-- Et pingues tunicas serra secare potest.

Subucula.] Vestimenti genus, dictum, vt Varro ait, quia ea subter induamur; vt supparus, quia suprá. Idẽ author ait, vt Nonius refert, Postea quàm binas tunicas habere cœperunt, instituisse veteres vocare subuculam, & intusium. Thorace.] Pectoris munimine: θώραξ, pectus. Iuuenalis: -Viridem thoraca iubebit Afferri.- Quòd & loricam significet, notum est. Sunt qui pro arctissimo corporis tegumento accipiũt, quod sub vestibus hodie vulgò vsurpamus.

Feminalibus.] Feminum tegminibus, & quasi cãpestribus. Sunt femina posteriores femorum partes. Liuius: Succisis feminibus, poplitibúsque inuenerunt.

libus, & tibialibus muniebatur. Aestate, apertis cubiculi foribus, ac sæpe in peristylo, saliente aqua, atque etiam ventilante aliquo, cubabat. Solis verò, ne hyberni quidem, patiens. Domi quoque non, nisi petasatus,

PHIL. Tibialibus.] Velamenta tibiarum, tibialia dicűtur: quin etiam arma, quibus crura munimus, tibialia dicta. Paulus Iurisců sultus: Si tibiala, vel humerale miles alienauit, castigari verberibus debet. Sunt autem tibiæ, ossa cruris opposita suris: Græci vocât ἀντικνήμιον.

In peristylo.] Locus vndique columnis septus, vocabulo Græco περίστυλος nominatur. M. Varro in I I. de re rustica: Non putant se habera villam, si non multis vocabulis retineant Græcis, quin vocent particulatim loca προκοιτῶνα, παλαίστραν, ἀποδυτήριον, περίστυλον, ὀρνιθῶνα, περιστερεῶνα, ὀπωροθήκην. Est autem ἀποδυτήριον, vt verba Varroniana breuiter enarrē, locus, in quo vestes exuebant ingressuri balnea: Latinè dici potest spoliariű. ὀρνιθῶνα vocant locum, in quo omniű alitum genera solent pasci: quod & ὀρνιθοτροφεῖον aliter appellatur. περιστερεὼν, quod alii vocant περιστεροτροφεῖον, significat locum, in quo aluntur columbæ: quod vulgò dicitur columbarium: quamuis columbaria propriè loculamenta in περιστεροτροφείῳ singulis columbarű paribus præparata. ὀπωροθήκη verò repositorium est pomorum: sicut ὀπωροφυλάκιον dicitur alio Græco vocabulo custodia pomorum & fructuum. Peristylia autem in transuerso tertia parte longiora fieri debent, quàm introrsus. Docet Vitruuius in V I. quemadmodum peristyliorum intercolumnia ne minus trium, ne plus quatuor columnarum crassitudine inter se distent. Græci περὶ circum, & στῦλον columnam dicunt: vnde περίστυλον nomen. Itidem τετράστυλος, ἑξάστυλος, ὀκτάστυλος dicuntur à Vitruuio loca, à numero columnarum.

Aqua saliente.] Murmur, & sonitus aquæ, somni est inuitamentum. Silius:

Somnificam ducit lucenti gurgite lympham.

Augustus aquam habebat in peristylo, quæ veluti expressa per fistulas saliendo strepebat, eòque strepitu iucundo somnum illiciebat.

Ventilante.] Ventulus æstiuo tempore mappa aut flabello factus, somni illicium est. Terentius in Eunucho ait, Chæream flabelli ventulo ad somnum prouocasse puellam, quam constuprauit.

Petasatus.] Pileatus. Petasum veteres pro pileo, capitisque tegumento vocitarunt. Plautus: Itidem habet petasum, vel vestitum. Idem in Pseudolo: Etiam opus est chlamyde, & machæra, & petaso. Et ita enarrandus est eiusdem Plauti ille versiculus: Ego has habeo vsque in petaso pinnulas. Etenim plerique omnes exponere consueuerunt, petasum accipi à Plauto pro calceamento Mercurii alato, quæ talaria dicuntur: verùm Plautus de galero haud dubiè locutus est, qui Mercurio datur, & in eo alæ apponuntur. quod diligenter ostendit diuus Augustinus lib. septimo de ciuita. Dei, his verbis: Ideo alas Mercurio in capite, & pedibus ponunt, volentes significare volucrem fieri per aera sermonem: ideo nuntium dictum, quoniã per sermonem omnia cogitata enuntiantur. Apuleius quoq; in Apologia simulacrum Mercurii ita describit, vt in capite crispatus capillus sub imo pilei vmbraculo appareat, & super tempora pares pinnulæ emineant. Quinetiam Papinius, quem Plautus petasum appellat, ipse galerum vocat, sic scribens de Mercurio lib. I. Thebaidos:

Obnubitque comas, & temperat astra galero.

Petasum pro talaribus apud idoneos scriptores non temere reperias. Apud vnicum Papinii interpretem Lactantium, quod equidem in præsentia meminerim, legi petasum accipi pro calceamento alato Mercurii: sed an rectè interpretatus sit, ipse viderit. Pluris apud me sunt illi, quorum authoritas habetur pro ratione: vt Cicero, Plinius, Plautus, & Tranquillus, sanè classici, non proletarii. Non me præterit, petasum vulgò accipi pro talaribus Mercurii: sed apud Plautum quisquis bene sentit, pro galero petasum exponet, repudiato talariű interpretamento. Suidas inquit: πέτασος εἶδος ἱματίου. Petasus, species est panni, siue velaminis. Scribunt Græci, quod memoratu dignum est, in Draconem, à quo cõditæ sunt leges sanguinariæ, coniectos esse, tot petasos in theatro, & vestes, vt suffocatus interiret. Pollux ait πέτασον ὄντα ἐφήβων φόρημα, petasum esse gestamen epheborum. A petaso petasatus deriuatur, significátque pileatum. Cicero in epistola ad Cassium: Sed tabellarii petasati veniunt: comites ad portas expectare dicuntur. Lucilius in Lindia: Quod puer rogasset, & petasatus capite annuisset. Augustus verò, quum esset Solis impatiens, sub dio ambulabat pileatus, galeritúsve ad æstum arcendum. Plinius petasum accipere videtur pro velamento, siue vmbraculo, ad instar pilei formato scribens in X X X V I. in summo labyrinthi Italici petasum vnum omnibus pyramidibus impositum fuisse, ex quo pendebant excepta catenis tintinabula: quæ vento agitata longè sonitus referebant. Mendum est in Plinianis codicibus: nanque pro petasus, passim legitur pegasus: & ita potius interpretandum esse censuerim petasum apud Plinium, quàm pro pinna, quæ in fastigio ædificiorű collata, indicat ex qua parte ventus flet. Quæ sententia, etsi eruditorum nostra tempestate virorum est, tamen à me non probatur: nec existimo, sicut multi, dictum esse petasum à verbo Græco πέταμαι, quod significat volo, sed ab illo πετάω, quod est extendo: nam petasus instar vmbraculi extenditur, & explicatur supra fastigia turricularum in metæ cacumen se contrahens. Et talis figuræ sunt pilea hodie quoque nostratia: illa verò pinna, quæ in summitate ædium, & maximè sacrarum, constitui solet, potius πτερὸν vocari poterit, quàm petasus: à Plinio tamen videtur nuncupari pteron non tam pinna illa volatica, quàm moles instar pennæ figurata. sic enim scribit in X X X V I. quod supra pteron mausolei pyramis altitudine inferiorem æquauit. Græci enim τὸ πτερὸν vocant pinnam: vnde à Plinio dici creditur pteron illud summum fastigii alarum, pinnatúmve, quod alarum specie quasi protegat. Vitruuius interdum pteroma vocat. Preterea quoque dicitur chlamydes Thessalicæ, vt docet Pollux in V I I. Onomastici. Idem Plinius de ptero sic ait alibi: Aliæ rursus extra murum labyrinthi ædificiorum moles pteron appellant.

Tibialibus.] Laneis calceamentis, tibiis aptis.

M. AN. Peristylo.] Loco circũcirca columnis fulto, à porticu haud multùm dissimili: dicto quasi circuncolumnio. περὶ enim circum significat, στῦλος columna.

Saliente.] Scatente aqua, sonitúmq; assultu faciẽte.

Petasatus.] Petasi tenuissima vela, quibus in theatris ex lino æstiuo tempore vtebantur, à quibus ii, qui vtuntur, petasati dicuntur. Sunt & petasi alæ, quibus Mercurii talaria nectebantur: sed hi nihil ad rem.

sub dio spatiabatur. Itinera lectica, & noctibus ferè, eáque lenta, ac minuta faciebat, vt Præneste, vel Tibur biduo procederet: ac si quò peruenire mari posset, potius nauigabat. Verùm tantam infirmitatem magna cura tuebatur, in primis lauandi raritate. Vngebatur etiam sæpius, sudabat ad flammã: deinde perfundebatur egelida aqua, vel sole multo *tepefacta. At quoties neruorum causa, marinis, Albulísque calidis vtendum esset, contentus hoc erat, vt insidens ligneo solio, quod ipse Hispanico verbo duretam vocabat, manus,

*alias, calefacta.

PHIL. Subdio.] Id est, sub cælo. Ita exponit Asconius in interpretatione Verrinarum. Cælum enim Græci τὸν δία dicũt: hinc subdiales ambulationes, & pauimenta subdialia à Plinio nuncupata, quæ essent sub dio. Græci id genus ambulationes ὑπαίθρους vocitant, quasi sub æthra sint: quæ, authore Vitruuio, magnã habent salubritatem. Celsus in primo: Melior est ambulacio sub dio, quàm in porticu: melior, si caput patitur in Sole, quàm in vmbra. Augustus subdiali ambulatione exercebatur, sed ob Solis impatientiam id faciebat pileatus.

Præneste.] Hæ ciuitates, vt inquit Strabo, in Romæ conspectu sunt.

Biduo.] Consimiliter Horatius:

Hoc iter ignaui diuisimus, altius ac nos
Præcinctis vnum.

Potius nauigabat.] Secus sentiebat Portius Cato Censorius: qui pœnitere se dicebat, si aliquò nauigasset, quò pedestri itinere peruenire potuisset. Seneca quoque nauigationem incusans sic inquit in v i s. Epistolarum: Quid nõ potest mihi persuaderi, cui persuasum est vt nauigarem?

Lauandi raritate.] Lõgè dissimilis Augusto fuit Cõmodus Antoninus Imperator, qui, authore Lãpridio, lauabat per diem septies, atque octies, & in ipsis balneis edebat. Scribit Auicenna, balnea si frequentissima fuerint, debilitare præcordia, nauseam prouocare, humores quiescentes commouere, qui ad putredinem præparentur.

Vngebatur.] Vnctio ex oleo facta resonet corpus, vt inquit Auicenna: & post frictionem, & vnctionem, præcipit adhibendam exercitationem. Duo sont, inquit Plinius, liquores corporibus humanis gratissimi, intus vini, foris olei. Idem libro vigesimotertio: Omni oleo mollitur corpus, vigorem, & robur accipit. Celsus ait, vngi oportere, leniterq; fricari corpus, etiam in acutis, & recentibus morbis ante cibum.

Sudabat.] In balneo. vt author est Vitruuius in v. Laconica, & sudationes coniungendæ sunt tepidario. Erant enim loca ad sudorem è corpore ducendum accommodata, quæ alio nomine sudatoria nuncupantur. Seneca in Epistolis: Quid mihi, inquit, cum istis calentibus stagnis? quid cum sudatoriis? in quæ siccus vapor corpora exhausturus includitur. Lege Celsum de sudationibus facundissimè scribentem.

Egelida aqua.] Præceptum Cornelii Celsi est, aqua egelida corpus esse perfundendom in balneo. Auicenna, Oportet, inquit, vt calor naturalis retineatur, adhibere aquam temperatam, quæ neque nimis calida sit, neque nimis frigida. Idem tamen paulò pòst præcipit, in aqua frigida post exercitationem subitò esse natandũ: ita enim membra fieri firmiora. Egelidom dicimus, quod neque calidum, neque frigidum est. Hæc enim particula e, vim habet στερήσεως, id est, priuationis. Seruius enarrans illud Maronianum:

-Egelidum prope Ceritis amnem: exposuit egelidum pro valde frigidum. Sed nobiliores scriptores in ea accipiunt ferè semper significatione, quam diximus. Celsus frigidũ & egelidum, fere semper vsurpat, périnde ac dissimilia. Egelidor quoque, verbom est, quod significat regelor, gelúque resoluor: quo vtitur Sidonius, cùm ait: Egelidarentur fibræ glaciales. Et ab Ouidio per antitheton decẽtissimè dictũ:

Sed gelidum Borean, egelidúmque Notum. vbi gelido egelidum opposuit, quasi frigido calidum.

Marinis.] Plinius in x x x i. docet, aquam marinã multis morbis esse efficacem: quam quidam in articularibus morbis bibẽdam dederunt.

Albulis.] Iuxta Romam Albulæ aquæ vulneribus medẽtur. Hæ, vt inquit Plinius, prægelidæ sunt. Vitruuius libro octauo de Architectura, In Tiburtina, inquit, via flumen est Albula: & in Ardeatino fontes frigidi eodem odore, qui sulphurati dicuntur. Albularum etiam meminit Strabo in quinto Geographiæ, quas in planitie Tiburtina floere frigidas scribit, varios ad morbos salutares. De iisdem Martialis:

Crudarum nebulæ quod Albularum.

Aliàs Albulam dici Tyberim notissimum est, vel illo Liuii testimonio: Pax ita conuenerat vt Hetruscis, Latinísque fluuius Albula, quem nunc Tyberim vocant, finis esset.

Calidis.] Omnis aqua calida, authore Vitruuio, medicamentosa est: nanque sulphurosi fontes neruicis, aluminosi paralyticis, bituminosi interaneorum morbis medentur. Neruici, dicuntur neruorum dolore laborantes.

Solio.] Soliom, vas est balneatorium, in quo sedentes lauamur. Scribit Plinius Popæam solium balnearum lacte asinarum temperasse: quo putant cutem in facie erugari, & tenerescere, & candorem custodiri. Frequens est mentio solii balnearis apud Celsum. In alio significatu sollum accipitur pro sella regia, iuxta illud Maronianum:

Præfatus diuos solio rex infit ab alto.

Præterea solium significat loculamentum illud sepulcrale, quo corpora conduntur: vt apud Curtium de solio Darii & Alexandri. Et Plinius in trigesimoquinto: Quin & defunctos sese multi fictilibus soliis condi maluere.

M. AN. Albulis.] Albulæ aquæ sulphureæ in Tiburtino agro. Strabo, In hac, ait, planitie Anio fluit, & quas nuncupant Albulas, aquas frigidas multis è fontibus edentes varios ad morbos salutares cùm potu, tum insessionibus admissas. Martialis:

Itur ad Herculei gelidas quà Tiburis arces,
Hic vbi sulphureis Albula fumat aquis.

Solio.] Vase, quo sedentes lauantur. Solium item armarium è ligno factũ, in quo reges ob corporis tutelam sedebant. Interdom vas, in quo defuncti sepeliuntur. Plinius: Multi fictilibus soliis condi maluere. Silu.

Consedit solio, rerúmque inuasit habenas.

Vel, secundom Asperum per antistichon quasi sedium, à sedendo. Nam & sella, quasi seda dicta est.

ac pedes alternis iactaret.

De alijs exercitijs eiusdem. LXXXIII.

EXercitationes campestres equorum, & armorum statim post ciuilia bella omisit,& ad pilã primò, folliculúmq; trãsiit: mox nihil aliud quàm vectabatur, & deambulabat: ita vt in extremis spatiis subsultim decurreret* sestertio, vel lodicula inuolutus. Animi laxãdi causa, modò piscabatur hamo, modò talis, aut ocellatis, nucibúsque ludebat cum pueris minutis

PHIL. ALternis.] Scilicet vicibus: quod dicitur alternatim,& vicissim, siue vicissatim, aduerbialiter. Campestres. Quæ in campi planitie fiunt. Vel potius à cãpo Martio dictæ, in quo iuuentus Romana, autho ee Vegetio, armis exercebatur. sed, vt ipse inquit, cùm campestris exercitatio, interueniente negligentia, desidiáq; cessaret, grauia videri arma cœperunt, quæ rarò milites induebant.

Ad pilam.] Pilarum genera plura sunt. Est Paganica: est Trigonalis, in cuius ludo maximè agilitate sinistræ manus vtebantur. Est & follis, vẽtosa pila. Pythus, authore Plinio, primus inuenit pilam lusoriam. Follem, (aliàs, festicula.) cuius diminutiuum est folliculus, appellamus pilam vento tumentem, atq; sufflatam, qua frequenter in vrbe nostra adolescentuli exercentur. Eleganti epitheto à Plauto pugilatorius follis dicitur in Rudente: Ego te follem pugilatorium faciam,& pendentem incursabo pugnis periutissime. Aliàs folles, vt notum est, instrumenta sunt fabrilia, & organica, quibus ventus accipitur,& redditur, iuxta illud Maronianum:

-Taurinis follibus auras
Accipiunt, redduntq; alii.-

Liuius refert lib. IX. frumentum folliculis in castra ab equitibus cõuectum fuisse. vbi folliculi, accipi videntur pro sacculis, & crumenis: sicuti est apud Iuuenalem illo versu:

Si reddit veterem cum tota ærugine follem.

Plinius quoq; per quandam quasi similitudinem scripsit in XXXII. folliculos geminos Castoribus esse: in quibus inueniri liquorem,& sale asseruari. Tranquillus separat pilam à folliculo, quum pila significetur illa pusilla, cuius exercitationem in primis laudat Galenus: folliculus verò sit pila vento tumescens: de qua Mart.

Folle decet pueros ludere, folle senes.

Vectabatur,] Vel equo, vel lectica.

Subsultim.] Saltuatim cum temperamento, vt vtar vocabulo Sisennæ Historici. Sub enim, vt sæpe dictum est, significat temperamentum. Fit autem aduerbium subsultim, à verbo subsilio, ea forma, qua ab adsilio adsultim: quo vtitur Plinius in VII. sic scribens: Os primum eius adsultim repurgans. Apud Plautum verba sunt, subsilire,& subsultare: quæ significant sursum salire. Ait enim in Captiuis: Tu subsultas: ego miser vix adsto præ formidine. Et in Curgulione: Subsilite, obsecro,& mittite isthanc foras.

Sestertio.] Legimus apud Suidam, festiculam vestem esse Imperatoriã. quocirca hunc locum castigandum ita esse censemus, vt pro sestertio festicula legatur: quum sestertium dictio sit minimè huic loco accõmodata, festicula verò accommodatissima: & facilè librarii mendum in exscribendo facere potuerunt, cùm inter sestertium, & festiculam quædam sit scripturæ proximitas. Potes legere xysto: nam, vt docet Iulius Pollux, ξυστὸν xyston,& ξυστὶς nomen est vestis, quæ virorum & fœminarum communis erat.

Lodicula.] Diminutiuum lodicis est lodicula: sunt autem lodices opertoria lecti: quod indicat vel illud Epigrammatici poetæ hendecasyllabon:

Nudo stragula ne toro paterent,
Iunctæ nos tibi venimus sorores.

Ocellatis nucibus.] Multi multa pro ingenii captu sub obscurioribus Tranquilli locis commentantur: alii ocellatas nuces accipiunt pro ocello dissectas, perforatásque: alii ocellatas simpliciter intelligunt pilulas rotundas instar ocellorũ, quibus puellæ puellariter ludentes oblectãtur: cuius ludi puellaris meminit Ouid. quæ explanatio cõducenter quadrat. Nos in quodam codice nonnorum vetustissimo legimus castellatis nucibus: quæ lectio, si proba est, exponemus, Augustum ludere solitum fuisse nucibus castellatim dispositis: quo genere ludi nostrates pueros frequenter ludere conspicimus. Lego apud Iulium Capitolinum, quòd Gallienus de pomis castella componebat. Mihi verò, vt dicam quod sentio, diligenter verbis Tranquilli pensitatis sic legendum videtur: Oscillis, nucibúsque ludebat: sicut in synceriore Tranquilli codice scriptum è latere obseruaui. Sunt autem oscilla sigilla, hoc est breues imagunculæ, quæ arte fictili fingebantur,& venales proponebantur, quibus homines pro se, atque pro suis piaculum faciebant Saturno: author Macrobius in I. Saturnalium. Fuisse autem oscilla ludum rusticanum, innuit Maro illo versu:

Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu.

De oscillis Probus, & Seruius non pauca scripserunt. Historiæ etiam meminit Hyginus in libro de signis. Oscillum autem tertio gradu diminutionis ab ore deriuatũ esse, docet Priscianus, vt os, osculum, oscillum: quanquam æris effigies pusilla sit. Non me præterit aliam oscillorum etymologiam à grammaticis tradi. Oblectabat Augustus semetipsum oscillis, hoc est imagunculis, sicuti & puellæ puppis oblectantur. Vel ocellatis, id est ludicro pilularum ludebat vnà cum puerulis. Alea verò nucum puerilis, notior est, quàm pluribus verbis enarranda sit: de qua est illud Epigrammatarii poetæ:

Alea parua nuces,& non damnosa videtur.

M. AN. ALternis.] Per vices.

Folliculum.] Tenuem follem, pilam spiritu intentam. Martialis:

Folle decet pueros ludere, folle senes.

Subsultim.] Lentiore saltu, ac sæpius iterato.

Sestertio.] Vel ad currendi rationem id referas necesse est, vt post duos saltus tertium dimidiaret: vel, quod magis placet, ad velum, quo erat inuolutus: quãquam sestertium in hunc significatum non memini me legisse, vt sit ex eo nomen factum, quia ex triplici licio haud omnino textura cõstaret: sed hæc coniectura est.

Lodicula.] Parua lodice, linteolo. Nec me præterit, quosdam arbitrari lodicem esse quicquid lectis sterneretur, alios lodice totum lecti apparatum contegi solitum putarunt. Iuuenalis: -Modò sub lodice relicta. Martialis:

Nudo stragula ne toro paterent,
Iunctæ nos tibi venimus sorores.

quos* facie, & garrulitatē amabiles vndique conquirebat, præcipuè Mauros, & Syros. Nam pumilos, atque distortos, & omnis generis eiusdem, vt ludibria naturæ, malíque ominis abhorrebat.

De eloquentia eius, & arte oratoria. LXXXIIII.

ELoquentiam, studiáque liberalia ab ætate prima cupidè, & laboriosissimè exercuit. Mutinensi bello, in tanta mole rerum, & legisse, & scripsisse, & declamasse quotidie traditur. Nam deinceps, neque in Senatu, neque apud populum, neque apud milites loquutus est vnquam, nisi meditata, & composita oratione: quanuis non deficeret ad subita extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut

alîâs, facilitate.

Ocellaris nucibus.] Ocello præditis, quales sunt auellanæ nuces, quæ in summo velut paruum oculum figuratum habent: quáquam Plinius modò barbatam, modò Ponticam appellet, ocellatam verò neque hanc, neque aliam vocet vnquam. Posses adhæc per ocellatam amygdalā nucem interpretari, cuius testa minutissimis foraminibus, quasi ocellis perforata est. Dicitur eadem Græca nux, dicitur & Thasia potuit, quando conie ctura agitur, ocellatas quoque appellare amygdalas ipsas testis excussas, quibus ex vna parte vno, ex altera duobus oculis figuratis pueri ludere solebamus. Sunt qui ocellatas perforatas, nō bonas interpretētur: quod nullo modo placet. Haud enim tali potuisset lusus deprehensa fraude, fuissétque pueros alienare potius, quàm allicere: quare meo iudicio, omnium probatissima erit sententia, quæ primo fuit loco à me relata.

PHIL. GArrulitate.] In pueris garrulitas, & loquacitas expetuntur. Seneca in lib. De consolatione ad Albinam matrem, Quem, inquit non in iocos vocabit illa lasciuia? quem non in se conuertet, & abducet infixum cogitationibus illa neminem satiatura garrulitas? Ouidius de loquacitate picarum ait:

Raucáque garrulitas, vitiúmq; immane loquendi.

Facie.] Bona pulchritudinis, sunt dona deûm, vt inquit Apuleius, haud quaquam aspernanda: & in primis forma, ac decor amabilis est, & fauorabilis. Vnde Dinocrates architectus venit ad commendationem Alexandri Magni non tam architectura, quàm facie, & formæ dignitate. Sed quum Augustus Mauros, qui nigri sunt coloris, conquireret, exponemus facie amabiles, non tam pulchritudine, quàm nouitate corporis, & raritate.

Pumilos.] Νάνους Græci vocant parua nimis statura homines, Latini pumiliones: quanuis & nanos vocabulo Latino dici existimet Gellius lib. XVIII. Scribit Plinius in XI. pumilionum genus in omnibus animalibus esse, atque etiam inter volucres. Idem in X. Est & pumilionum genus nō sterile in gallinis, quod non in alio genere alitum. Idem in XII. in genere arborum ait esse pumilionū infelicitatem. Dicimus enim pumiles & pumilos in tertio & secū do ordine. Statius in I. Syluarum: Hic audax subit ordo pumilorū. Columel. de gallinis loquēs ait, Pumiles aues, nisi quē humilitas earum delectat, nec propter fœcunditatē, nec propter aliū reditū nimiùm probo. Nani autem qui sunt regum, principúmq; deliciis deputati, nascentur, vt inquit Iulius Firmicus in VIII. si habuerint horoscopum in quarta parte, siue gradu Scorpii. Augusto id genus homunculi nō erāt in deliciis, verùm ominosi. Nani, vt scribit Suidas, μέγα αἰδοῖον ἔχουσι. id est, habēt prægrandia genitalia. Ludibria naturæ.] Plinius scribit in VII. naturam sibi ludibria facere ex hominū genere in dies, quæ sunt innumera; inter quę pumiliones ab Augustro enumerabantur. Ludibria quoque naturæ sunt imagines hominum obuiæ subinde transeuntibus, móxque euanescentes: quod frequenter in Africæ euenit solitudinibus. Declamasse.] Idem Suetonius in libello de rhetoribus ait: Historici tradiderūt, Augustum ne Mutinensi quidem bello omisisse declamandi consuetudinem. Declamare autem est, vt dicere solebat Caluus, iam non mediocriter dicere bene. Declamatio, est domestica eloquētiæ exercitatio: quam Quintilianus in secundo, multò vtilissimam esse demōstrat. Versatur in materiis fictis, quæ tamen simillimæ sint veritati. Se neca cōtrouersias appellat. Hinc est illud vrbanum Iuliani rhetoris dicterium: Hic sine controuersia disertus est. Putat Quintilianus, neminem, qui sit mentis compos, crudum, aut saturum, aut ebrium declamare debere.

Nisi meditata oratione.] Idem faciebat ille maximos apud Græcos oratorum Demosthenes, qui nunquam ferè verba fecit pro concione populari, nisi rem, de qua dicturus erat, iam anteà cogitasset. Hinc Pytias dixit, Demosthenis argumentationes olere lucernam, quod Græcè dicitur, ἐλλυχνίων ὄζειν. id est, ellychniū redolere. Est autem ellychnium, stuppa, siue funiculus ille, qui oleo madens alit lucernæ flammam: quod quāuis sit Græcum vocabulum, tamen & apud nostros est vsitatum. Papinius in III. Syluarum: Non ellychnia sicca: non replictæ bulborum tunicæ. Plinius in vigesimotertio, Ellychnia fiunt ex vua claritatis præcipuæ.

Ad subita.] Ad subitariam, tumultuariámque elocutionem.

Extemporali facultate.] Maximum studiorum fructum existimat Quintilianus esse, facultatem dicendi extemporalem. Est autem extemporalis, subitaria dictio, & repentina. Inde extemporalis rhetor à Martiale dictus, qui ex tempore citra meditatam orationem loqueretur.

GArrulitate.] Festiuo garritu. M.A N.

Pumilos.] Nanos. Martialis tertio declinatu pumilio pronuntiauit:

Parma tibi scutum pumilionis erat.

Idem de pumilo:

Si solùm spectes hominis caput, Hectora credas:

Si stantem videas, Astyanacta putes. Plinius, Eodem, inquit, Augusto præside, minimus homo duos pedes & palmum, Conopas nomine, in deliciis Iuliæ neptis eius fuit: & mulier Andromeda liberta Iuliæ Augustæ. Mali ominis.] Ominosi aspectus.

Declamasse.] Fictas causas ad exercitationem egisse. Est enim declamatio, vt Fabius ait, forensium actionum meditatio.

Ad subita extemporali.] Si quid ex tempore agendum fuisset.

in ediſcendo tempus abſumeret, inſtituit recitare omnia. Sermones quoque cum ſingulis, atque etiã cum Liuia ſua grauiores, non niſi in ſcriptis, & è libello habebat, ne plus, minúſve loqueretur ex tempore. Pronuntiabat dulci, & proprio quodam oris ſono, dabátque aſſiduè phonaſco operam: ſed nonnunquam infirmatis faucibus, præconis voce ad populum concionatus eſt.

De libris & opuſculis per eum editis. LXXXV.

MVlta varii generis proſa oratione compoſuit: ex quibus nonnulla in cœtu familiarium, velut in auditorio recitauit: ſicut reſcripta Bruto de Catone. Quæ volumina cùm iam ſenior ex magna parte legiſſet, fatigatus Tyberio tradidit perlegenda. Item hortationes ad philoſophiam, & aliqua de vita ſua, quam tredecim libris Cantabrico tenus bello, nec vltrà expoſuit. Poeticam ſummatim attigit. Vnus liber extat ſcriptus ab eo hexametris verſibus, cuius & argumentũ, & titulus eſt, Sicilia. Extat alter æquè modicus epigrammatũ, quẽ ferè tempore balnei me-

PHIL. IN ediſcendo.] Ediſcere, eſt relegendo mandare memoriæ. Præcipit Quintilianus in II. ediſcendos eſſe electos ex orationibus & hiſtoriis locos: & memoriam exerceri acrius putat aliena complectendo, quàm ſua. Portius Latro felix fuit memoria: nam, vt ait Seneca, nunquam illa, quæ dicturus erat, ediſcendi cauſa relegebat: edidicerat illa quũ ſcripſerat.

Et è libello.] Senſus eſt, ſolitũ fuiſſe Auguſtũ de re grauiori ſermocinari, perſcriptis, annotatiſq; in libello verbis, & ita ex libello ſermones habere.

Ex tempore.] Si extemporali locutione vteretur.

Phonaſco.] φωνασκὸν vocamus vocis, pronuntiationiſque magiſtrum, & moderatorem, vocabulo quidem Græco, ſed & à noſtris vſitato. Quintilianus in XI. Non ſatis eſt dicere preſſe tantùm, aut ſubtiliter, aut aſperè: non magis, quàm phonaſco acutis tãtùm, aut mediis, aut grauibus ſonis, aut horum etiam particulis excellere. Item in XI. Sed cura non eadem oratoribus, quæ phonaſcis conuenit. Sidonius in hendecaſyllabo:

Pſalmorum hic modulator, & phonaſcus. Idem in I. Epiſtolarum laudat Theodericum regem Gotthorum, quòd in eius cœna non ſub phonaſco vocalium concentus meditatum acroama ſimul intonat.

Præconis.] A præcanendo, hoc eſt valde canendo dici docet Priſcianus. Eſt autem, vt inquit Apuleius, præconis vox garrula miniſterium. In lege Romanorũ erat, eos, qui facerent præconium, vetari eſſe in decurionibus: qui verò feciſſent, nec amplius facerent, non vetari.

Infirmatis faucibus.] Vbi fauces afficiũtur, & languent, vox interrumpitur, vixque ſuppetit enuntiationi. Quinti. in XI. Præterea vt ſint fauces integræ, id eſt, molles, & lenes: quarum vitio & frangitur, & obſcuratur, & ſcinditur vox. In faucibus morbi genus peſtiferũ oriri ſolet, quod noſtri anginam vocãt, Græci κυνάγχην: nunc corrupto vocabulo paſſim in codicibus Hippocratis, & Galeni, & Auicennæ legitur ſquinantia.

In cœtu familiarium.] Horatius lib. Sermo. inquit:

Nec recito cuiquam, niſi amicis. Plinius quoque in Epiſtolis ſcribit, ſe ſæpenumero ſua ſcripta recitaſſe in cœtu amicorum: vt ita quid de ſe amici ſentirent, diſpicere poſſet. Quinetiam Silius iudicia hominum recitationibus experiebatur.

Reſcripta.] Nomen eſt operis conditi ab Auguſto: in quo reſcribebat Bruto ad ea, quæ ille ſcripſerat de Catone Vticenſi. Fuit autem Cato Bruti auunculus, vt Hiſtorici tradunt, idémque ſocer.

Perlegenda.] Vſque ad calcem legenda. Hæc enim particula per, perfectionem ſignificat. Hinc eſt illud: Nam vigilare eſt, peruigilare graue. Auſonii præceptũ illud eſt: Perlege quodcunque eſt memorabile.

Exhortationes ad philoſophiam.] Hoc ante Auguſtũ fecit Cicero in eo libro, qui inſcriptus eſt Hortẽſius: quo hortatur, vt maxime poteſt, ad ſtudium philoſophorum: quem librum cùm legiſſet Auguſtinus adhuc adoleſcentulus, tanto amore philoſophiæ ſuccenſus eſt, vt mutaret priſtinum affectum, ſeq; totum cõuerteret ad verum Deum indagandum, hoc eſt, vere philoſophandũ, ſicuti ipſe teſtatur in III. Cõfeſſionum, & in libro de vita beata.

Cantabrico tenus.] Vſque ad id tempus, quo geſſit bellũ in Hiſpania aduerſus Cantabros.

Sicilia.] Scripſit forte id opuſculũ in memoriam rerum ab ipſo geſtarum in Sicilia aduerſus Sextum Pompeium, quo Siciliæ deſcriptio continebatur: quam Silius in primis heroico carmine, luculentóque perſcripſit in XIIII. Punicorum.

Tempore balnei.] Tempus balnei ſtudiis eximendum eſt: quod & Plinius ille mortalium ſtudioſiſſimus factitauit: ita tamen, vt dum diſtringeretur, aut tergeretur, audiret aliquid, aut dictaret. Auguſtus verò tempus illud balneare impendebat meditationi epigrãmatõn: quæ ſanè ſtudia iucũdiora ſunt, & ad remiſſionem animorum cõducentia. Vnde & Plinius poſterior ſcribit in quarto Epiſtolarum, ſe ludere ſolitum hendecaſyllabis, quos in balneo, in vehiculo, inter cœnam componebat.

M. AN. PRoprio.] Qualis in humano ore eſſe debet.

Phonaſco.] Vocis moderatori, ἀπὸ τῆς φωνῆς, id eſt, à voce. Idem alibi, Vt conſeruandæ vocis gratia, neque milites vnquam niſi abſens, aut alio verba pronunciante appellaret, neque quicquã ioco, ſerióve egerit, niſi adſtante phonaſco, qui moneret, p arceret arteriis, ac ſudarium ad os applicaret. Quintilianus, Ita vocis quoque bona, cura, & negligentia minuuntur: ſed cura non eadem oratoribus, quæ & phonaſcis.

Reſcripta Bruto.] Ad ea, quæ Brutus de Catone auunculo ſcripſerat.

Cantabrico bello tenus.] Ad Cantabricum vſque bellum, quod in Hiſpania geſſit.

Sicilia.] Quia res in Sicilia à ſe geſtas eo complexus eſſet, aut certè inſulæ deſcriptionem.

Tragœd

ditabatur. Nam tragœdiam magno impetu exorsus, nõ succedente stylo aboleuit: quærentibúsque amicis quidnam Aiax ageret, respondit Aiacem suum in spongiam incubuisse.

De stylo, & genere loquendi eiusdem. LXXXVI.

GEnus eloquendi secutus est elegãs, & temperatum, vitatis sententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, & reconditorum verborum, vt ipse dicit, fœtoribus. Præcipuámque curam duxit, sensum animi quàm apertissimè exprimere. Quod quò facilius efficeret, aut necubi lectorem, vel auditorem obturbaret, ac moraretur, neque præpositiones verbis addere, neq; coniunctiones sæpius iterare dubitauit, quæ detractæ afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent.

PHIL. TRagœdiam exorsus.] Hinc est illud Vergilianum in laudem Cæsaris Augusti dictum:

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Aiax.] Nomen tragœdiæ ab Augusto de Aiace scriptæ: in qua fortassis Sophoclem imitabatur: cuius tragœdia extat luculentissima, cui titulus est Αἴας μαστιγοφόρος, id est Aiax flagellum ferens.

In spongiam.] Scripta, quæ improbantur, spongia deleri solent: quã ob hoc deletilẽ prisci dici voluerunt. Martialis:

Vtilis hæc quoties scripta nouare voles.

Augustus significare volens se spongia deletili deleuisse Aiacem, suam tragœdiam, dixit festiuiter, Aiacem in spongiã incubuisse: alludens ad Aiacis obitũ, qui gladio incubuit, furore in mortẽ præcipitatus, cùm superatus fuisset ab Vlysse in armorum iudicio. historia nota. Macrobius in secundo Saturnalium sic ait: Aiacem tragœdiã scripserat Augustus, eandémq;, quòd sibi displicuisset, deleuerat: postea Lucius grauis tragœdiarum scriptor interrogabat eum, quid ageret Aiax suus: & ille, In spongiam, inquit, incubuit.

Elegans.] Cor. Tacitus, Augusti, inquit, prompta, ac profluens, quæ deceret principẽ, eloquentia fuit. Quid valeat eloquentia, vnus Isocrates testis esse potest, qui Athenis vrbe eruditissima orationem vnam tanti vendere olim potuit, quanti nunc Gallia prouinciarum locupletissima, nec Latias, nec Græcas Athenas æstimandas esse putat. Thucydidem Imperatorem Athenienses (inquit Plinius) in exilium egere: rerum conditorem reuocauere: eloquentiam mirati, cuius virtutem damnauerant. Thucydides ab exilio publico decreto reuocatus est, vt historiam scriberet, quæ nunc extat. Nunc verò Quis dabit historico quantum daret acta legenti? Reconditorum verborum.] Cæsar Dictator tanquam scopulum, sic fugiendum esse dicebat inauditum, atque insolens verbũ. Et Fauorinus philosophus adolescenti plerasque voces nimis priscas, & ignotissimas in quotidianis sermonibus expromenti dixit: Viue moribus præteritis, loquere verbis præsentibus. Quinetiam Quintilianus monet, verba non esse vsurpanda, quæ ab vltimis, & iam obliteratis sint repetita temporibus: qualia sunt toper, quod significat citò, vburciabundus, & lurciabundus: quæ ad ganeones & lurcones referuntur. Augustus talium verborum, quæ recondita sunt, minúsque vsitata, dicebat se vitare fœtores: périnde ac id genus verborum esset fœtidum, olidúmque. Delictum enim est non paruum, vti verbis nimis obsoletis, incognitisque, & iam desitis: quod vitium Gellius esse ait plerunque seræ eruditionis, quam Græci ὀψιμαθίαν vocant. Vnde delusus est ille, qui in cœtu eruditorum de quodam furfureum panem esitante, & vinum fœtidum potante dixerat, Apludam edit, & floces bibit. Apluda enim prisco rustico vocabulo significat furfurem: floces verò vini fæcem. Plinius tamen ait, apludam vocari purgamenta milii, & panici.

Sensum animi quàm apertissimè exprimere.] Cicero in primo de Oratore: Hoc vno præstamus vel maximè feris, quòd colloquimur inter nos, exprimere dicendo sensa possumus. Vbi sensa significantur illa, quæ sentiũtur: cùm sensus sint, qui sentiãt. Hæc autẽ sensa animorum nostrorum non satis aptè exprimemus, nisi oratio fuerit aperta, atque perspicua. Nam, vt inquit elegãter, & vere Quintilianus, oratio, cuius summa virtus est perspicuitas, quàm sit vitiosa, si egeat interprete?

Necubi.] Aut scriptione, aut recitatione. Scriptio ad lectorem, recitatio ad auditorem refertur. Neque præpositiones verbis.] Quædã verba simplicia subobscura sunt, quæ addita præpositione perspicua fiunt, & aperta: vt exempli caussa: Cernere simplex verbum in vsu antiquorum erat, significabátque depugnare, atque confligere; vt apud Plautum, Certamen cernitur. & apud Ennium, Olli cernebant magnis de rebus agentes. atque id verbũ, quod simpliciter prolatum est obscurum, addita præpositione de, fiet apertum: vt, decernere ferro: cuius verbi significatus omnibus est obuius, & manifestarius. Vel expone præpositiones addidisse verbis, id est vocabulis, & dictionibus: quæ res facit sensum apertiorem, quamuis de gratia deroget.

Coniunctiones iterare.] Cor. Taciti, Plinii vtriusque, aliorúmque quorundam eloquutio est asyndeta, hoc est sine coniunctionibus: ita enim floridior, venustiórque videtur: sed ita fit subobscurior. Vnde Augustus iterabat sæpe coniunctiones, malens inelegantem vsurpare eloquutionem cum perspicuitate, quàm venustam cum obscuritate. σχῆμα πολυσύνδετον dicitur, quando oratio est pluribus coniuncta coniunctionibus: vt, tectúmque, laremque Amycleúmque canem. Ἀσύνδετον verò est oratio sine coniunctionibus: vt, eunt, quærunt, inueniunt, afferunt.

M. AN. MAgno impetu.] Vehementi styli ardore.

Quærentibus amicis.] A Lucio tragœdiarum scriptore grauissimo rogatum fuisse Augustum, quid ipsius Aiax ageret, Macrobius ait.

Aiax.] Ea enim erat tragœdiæ inscriptio.

In spongiam incubuisse.] Vrbanè quidem, & facetè dixit, alludens ad Aiacis exitum, quem gladio incubuisse constat: vt est apud Sophoclem:

Αἴας δὲ κεῖνος ἀρτίως νεοσφαγὴς
Κεῖται, κρυφαίῳ φασγάνῳ περιπτυχής.

In spongiã.] Quia spongia scripta delebantur. Mart.

Vtilis hæc quoties scripta nouare voles.

Fœtoribus.] Et illud nõ insulsè dictum: quasi nimis abstrusa verba situm sapiant, grauitérque ob id oleant.

Obturbaret.] Confunderet.

Præpositiones verbis addere.] vtpote vim, & perspicuitatem sermoni allaturas.

Cacozelos, & antiquarios, vt diuerso genere vitiosos, pari fastidio spreuit. Exagitabat nonnunquam in primis Mecœnatem suũ, cuius myrobrecheis, vt ait, cincinnos vsquequaque persequitur, & imitando per iocum irridet. Sed nec Tyberio parcit, & exoletas interdum, & reconditas voces aucupanti. Marcum quidem Antonium vt insanum increpat, quasi ea scribentem, quæ mirentur potius homines, quàm intelligãt. Deinde ludens malum, & inconstans in eligendo genere dicendi ingeniũ eius, addidit hæc: Túque dubitas Cimbérne Annius, an * Verrius Flaccus imitandi sint tibi?

* aliàs, Veranius

PHIL. CAcozelos.] κακοζηλία, authore Diomede, est per affectionem corrupta sententia, cùm eo ipso dedecoretur oratio, quo illã voluit author ornare: hæc fit aut nimio tumore, aut nimio cultu. Exemplum cacozeliæ ex nimio cultu illud Nasonis affertur,

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ

Curuatura rotæ. Quintilianus In octauo, Cacozelon, inquit, id est mala affectatio per omne dicendi genus peccat: nam & tumida, & exilia, & prædulcia, & abundantia, & accersita, & exultantia sub idẽ nomen cadũt. Denique κακόζηλον vocatur, quod specie boni fallit: omniũ in eloquentia vitiorum pessimũ. Hinc cacozeli dicuntur huiusce vitii, cui nomen cacozeliæ est, in oratione affectatores: Latinè dici possunt mali affectatores, æmulatorésque. Cacozelus fuit Mecœnas, cuius oratio talis fuit, qualis & vita: hoc est, delicata, & soluta. Vt inquit eleganter Seneca lib. xx. Epistolarum, Magni quidem vir ingenii fuerat, si non in oratione diffluerer. Verba Mecœnatis hæc sunt, ex quibus cognoscere facillimè poteris, eum fuisse cacozelon: Quid pulchrius amne, syluísque, ripa comantibus? quid si quis fœminæ cirros crispat, & labris columbatur? exigunt genium festo vix suo testem: tenuísve cerei fila, & crepacem mola focum mater aut vxor inuestiunt. Hæc verba Mecœnatis tam improbè structa, tam affectata, tam eneruata, cuiuis manifestum faciunt illum cacozeliæ fuisse mancipatum.

Antiquarios.] Antiquarii dicuntur, qui sordes verborum, & voces nimis priscas, & antiquas in oratione aucupãtur: quod vitium est par cacozeliæ: nanque, vt inquit Gellius, verbis vti aut nimis obsoletis, exculcatísque, aut insolentibus, nouitatísque duræ, & illepidæ, par esse delictum videtur. Cor. Tacitus in dialogo de oratoribus: Nec quenquam adeò antiquarium puto, vt Cælium ex ea parte laudem, qua antiquus est. Ausonius: Oblata per antiquarios mora scio promissi mei gratiam expectatione consumptam. A Iuuenale fœmina antiquaria dicitur, quæ voces nimis priscas, & versus ob antiquitatem ignotos callet, & in sermocinationibus vsurpat. Igitur cùm antiqoarius esset Tyberius, hoc est antiquorum verborum affectator, Augustus Mecœnatem tanquam cacozelon, Tyberium tanquam antiquarium pariter fugiebat.

Myrobrecheis.] Verbum est Mecœnatis per cacozeliam vitiosum, vtpote nimis affectatum. Nam cùm vellet dicere, capillos esse vnguentatos, affectatè dixerat myrobrecheis, quasi vnguento stillantes μύρον enim Græci vnguentum vocant, & βρέχω significat proluo, & irrigo. Cincinnus verò dicitur capillus intortus, & molliter inflexus. Hinc cincinnati dicti capillati, & crispuli: qood vitii nomen in delicatos, & comæ curiosos regeri solet. Hieronymus ad Demetriadem, Cincinnatulos, inquit, pueros, & calamistratos virgo deuitet. Apud Macrobium epistola extat Augusti irridentis Mecœnatis sui stylum, vtpote mollem, & dissolutum, cacozeliáque corruptum. Videtur autem Mecœnas dixisse myrobrecheis, cùm intelligi vellet vnguẽto delibutos: ad imitationem Plauti, qui in Aulularia nominat myrobrecharios: quo nomine significantur vnguentarii, confectorésque vnguentorum ad capillos irrorandos: sic enim ait: Aut manulearii, aut myrobrecharii. Nos cùm Plautum profiteremur publico auditorio, ostendimus legi etiam posse, myrrhobaptarii loco myrobrecharii. Sunt enim myrrhobaptarii tinctores murrhei coloris. Exoletas.] Longa antiquitate euanescentes iam, & abolitas. Quàm intelligant.] Fuit olim præceptor quidam, qui, sicuti Liuius, & mox Quintilianus tradiderũt, discipulos iubebat obscurare quæ dicerent, Græco verbo vtens, σκότισον, id est obtenebra, siue obscura. vnde illa scilicet egregia laudatio: Tantò melior, ne ego quidem intellexi. Hoc idem faciebat Antonius, si Augusto reprehendenti credimus: qui se tantò meliorẽ visum iri existimabat, quantò fuisset obscurior, quantóque minus intelligeretur. Cicero quadam ad Atticum epistola festiuiter illudit librũ Serapionis: Ex quo, inquis, millesimam partem vix intelligo. Heraclitus ille, cui omnia flenda videbãtur, cognominatus est σκοτεινός, quasi tenebrosus ex styli obscuritate. Illum enim sudantes philosophi vix intelligebant.

An Veranius Flaccus.] Existimo legendum esse, Verrius Flaccus: qui, authore Gellio, scripsit libros luculentos de obscuris Catonis, cuiúsq; testimonia identidem citant grammatici. Antonius autem, cùm verbis Catonianis delectaretur, meritò Verrium Flaccum, vtpote Catonis interpretem, imitandum sibi proposuerat: in quo carpitur ab Augusto nomine inconstantiæ: cùm modò hos, modò illos imitetur. Debemus enim constituere quem imitari velimus, & in eo firmiter perseuerare: cùm in omni vita sit seruanda constantia.

M. AN. CAcozelos.] Græcè dixit malos, & ineptos imitatores. Antiquarios.] Obsoletorum verborum, & carminum affectatores. Iuuenalis:

Ignotósque mihi tenet antiquaria versus.

Quanquam antiquarius in bonam qooque partem accipi possit, id est veterũ poëmatum, & historiarum peritus, siue studiosus. Diuerso genere vitiosos.] Nam vt Cicero, & Fabius docent, decet vetustioribus verbis quandoque vti: sed vitiosum putant illa inculcare, aut prorsus obsoleta repetere. Myrobrecheis.] Accusandi casus est, & numerus multitudinis, id est, vnguento delibutos: verba scilicet fucatoria ἀπὸ τοῦ μύρου vnguento, καὶ βρέχω perfundo. Cincinnos.] Capillos calamistro inflexos. Iuuen. Altior hic quare cincinnus?

Exoletas.] Abolitas. Inconstans.] Qui modò Romanos, modò Asianos secutus sit. Plutarchus: Vtebatur autem genere dicendi, quod appellant Asianũ, maximè temporibus illis florente, plurimámque cũm Antonii moribus similitudinẽ habente: erat enim turgẽs, atque lasciuũ, & inani quadã iactãtia plenũ. Quintil. Antiqua quidem illa diuisio inter Atticos & Asianos fuit, quũ hi pressi, & integri: contrà inflati illi, & inanes haberẽtur.

Excer

ita vt verbis, quæ Crispus Sallustius excerpsit ex Originibus Catonis, vtaris? an potius Asiaticorum oratorum inanibus sententiis, verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda? Et quadam epistola, Agrippinæ neptis ingenium collaudans, Sed opus est, inquit, dare te operam, ne molestè scribas, aut loquaris.

De usurpatione quorundam sermonum eius. LXXXVII.

Quotidiano sermone quædam frequentius, & notabiliter vsurpasse eum, literæ ipsius autographæ ostentant. In quibus identidem quum aliquos nunquam soluturos significare vult, ad Calendas Græcas soluturos ait. Et quum hortatur, ferenda esse præsentia, qualiacunque sint, Contenti simus hoc Catone. Et ad exprimendam festinatæ rei velocitatem, Velocius

PHIL. Excerpsit.] Sallustius priscorum, Catonisque verborum fuit affectator, ideóque hoc epigrammate noto incessitur:

Et verba antiqui multùm furate Catonis
Crispe Iugurthinæ conditor historiæ.

Lenæus quoq; Pompeius Pompeii Magni libertus Sallustium popinonem appellauit, scriptisque monstruosum, Catonisque verborum ineruditissimum furem.

Ex Originibus Catonis.] M. Cato ille Censorius libros scripsit luculentos, quos Origines appellauit, in quibus omnia antiquitatis monumenta collegit: vnde ait ipse apud Ciceroné loquens: Septimus mihi liber Originũ est in manibus. De Originibus Catonis sic loquit Marc. Tullius in Bruto: Iam verò Origines eius, quem florem, aut quod lumé eloquétiæ non habét? Eruditi sæpe citant testimonia ex Originibus Catonis.

Asiaticorum.] Tria oratorum genera veteres fecerunt, Atticos, Asiaticos, & Rhodios. Attici limati erant, & emuncti: Asiani inflati, & inanes habebâtur: Rhodii erant intermedii, atque ex vtroque misti. Præterea Asiaticicæ dictionis duo sunt genera: vnum sententiosum, & argutum, sententiis non tam grauibus, quàm venustis: alterum genus est non tam sententiis frequentatum, quàm verbis volucre, & incitatum. Hæc genera dicendi aptiora adolescentibus esse, autumat Cicero: cùm in senibus grauitatem non habeant. M. Antonius Asiaticum dicendi genus secutus est, vtpote moribus suis accommodatissimum: erat enim id, vt author est Plutarchus in Antonio, turgens, atque lasciuum, & inani quadam iactantia, & exultantia plenum. Hortensius quoque genere dicendi Asiatico in primis floruisse fertur. Agrippinæ neptis.] Hæc ex Iulia Augusti filia, & Agrippa genita est: fuitque Caligulæ mater.

Moleste.] Tanquam cacozela, vel antiquaria.

Autographæ.] Idiographæ, hoc est ipsius manu scriptæ.

Identidem.] Frequenter.

Ad Calendas Græcas.] Ita Græci Calendas non habent, sicut Latini Neomenias. Nam, vt inquit Hieronymus scribens ad Suniã & Fretillam de interpretatione Psalmorum: Neomenia, mensis exordium est, quod nos secundùm Latinæ linguæ proprietatem Calendas possumus dicere: verùm quia apud Hebræos mensis secundùm Lunæ cursum supputatur, & apud Græcos μήνη Luna dicitur, neomenia quasi Luna noua appellatur: igitur cùm Græci Calendas non habeant, festiuiter Augustus dicebat, eos, qui nunquam soluerent, ad Calendas Græcas soluturos: quod significat nunquam. Per contrarium non ineleganter ita dicere possemus, Ad neomenias Latinas: sicuti ille dicebat, Ad Calendas Græcas: quia nec Latini habent neomenias, sicuti nec Græci Calendas. Dionysius in VIII. in hanc sententiam satis conducenter inquit: Mense Decembri, noua existente Luna, quam Græci neomeniam, Romani Calendas vocant: ea enim fuit, quæ sustulit bellum dies. Illud notabile est, quòd cùm Calendæ sint propriæ ac peculiares Latinorum, nec vsquam Græcorum, tamen nomen Calendarũ ex verbo Græco inclinatur, quod est καλῶ, & significat voco: nanque, vt docet Macrobius in primo Saturnaliũ, placuit Romanis, primum diem mensium Calendas vocari, quia primus calabatur, id est vocabatur à pontifice: qui calata, id est vocata in Capitolium plebe, pronũtiabat quot dies à Calendis ad Nonas superessent. Varro quoque de vita patrum, Calendis, inquit, calabantur, id est vocabantur, & ab eo calendæ appellatæ. Existimat Martianus Capella Calendas scribi debere per k: sed, vt ait verissime Priscianus, hæc litera k, penitus superuacua est: quod sentire videtur & Quintilianus in primo.

Contenti simus hoc Catone.] Locum hunc declarat commodissime Macrobius in secũdo Saturnalium his verbis: Venit Augustus forte in domum, in qua Cato habitauerat, dein Strabone in adulationem Cæsaris male existimante de Catonis peruicacia, ait: Quisquis præsentem statum ciuitatis commutari non volet, & ciuis, & vir bonus est. Satis, & seriò Catonem laudauit, & sibi, ne quis affectaret res nouas, consuluit. Cùm itaque Cato præsenti ciuitatis statu contentus foret, nec eum commutari vellet, vtpote homo constantissimus, meritò dixit Augustus, Contenti simus hoc Catone. hoc est, præsenti statu, qualiscunque sit.

M. AN. Ex Originibus Catonis.] Lenæus grammaticus ineruditissimum furem verborum Catonis Crispum appellauit.

Agrippinæ.] M. Agrippa, & Iulia genitæ.

Ne molestè.] Subobscurè nimis, & affectaté.

Autographæ.] Propria ipsius manu notatæ.

Ad Calendas Græcas.] Quæ vtique nullæ erant. Calendas Græci non habent, sed νεομηνίαν, vt Herodotus ait, primum mensis diem vocant. Calẽdas Martias fœminis solennes legimus: vnde Satyricus poeta ait:

Munera fœmineis tractas secreta Calendis.

Hoc Catone.] Ad Catonis videlicet constantiam alludens. Catones autem duo omnium clarissimi, Censorius & Vticensis: hinc Satyricus:

Tertius è cælo cecidit Cato.

Catum, vnde Catonum nomina, veteres astutum dixere, siue cautum. Cicero: Sed homo catus nunquam terminat nec magnitudinis, nec diuturnitatis modum.

Quàm

quàm asparagi coquantur. Ponit assiduè & pro stulto blaceolum:pro pullo pulleiaceū:& pro cerito vacerrosum:& vapidè sese habere,pro malè:& betizare, pro languere, quod vulgò lachanizare dicitur. Item simus,pro sumus: & domos genitiuo casu singulari pro domus: nec vnquam aliter hæc duo,ne quis mendā magis,quàm consuetudi-

PHIL. QVàm asparagi.] Asparagos velocissimè coqui aqua sat notum:hinc iocus erat Augusti de re festinanter peracta. Cato in re rustica scribis: In arundinero corrudam serito,vnde asparagi fiant. Nam conuenit arundinetum cum corruda. Est autem corruda, vt obiter declaremus verbum Catonianū, syluestris asparagus. Emendandus locus est mendosus apud Plinium ex lib. vndeuigesimo. Ita enim passim legitur:Syluestres fecerat natura horridos, vt quisque demeteret passim, ecce altiles spectātur asparagi. pro horridos emenda corrudas.

Pro stulto bareolum.] Synonyma stulti multiiuga complexus est Plautinus senex iu Bacchidibus illo versu:Stulti,stolidi,fatui,fungi,bardi,blenni,buccones,solus ego omnes anteeo stultitia. Bateola apud antiquos est genus vasis:sed non video quomodo inde bateolus pro stulto satis congruenter inclinari possit. In quibusdam exemplaribus inuenitur blaceolum:quæ lectio minimè est repudianda:nam βλὰξ à Græcis stupidus dicitur,& stolidus:vnde blaceolum inflectebat Augustus, cùm stultum dicere vellet. Et quia commentatoris officium est, per multiplices expositiones lucem obscuris afferre,quidam bliteolum legunt,vocabulo ducto à blitum: est autem blitum genus oleris satiui, inertis, ac sine sapore, aut acrimonia vlla: vnde conuicium fœminis apud Menandrum poetam comicum faciunt mariti. Quod imitatus Plautus eleganter & doctiusculè bliteam vocat fœminam: intelligi volens fatuam, insipientem,ac inutilem, sicuti est blitum. Sic enim ait in Truculento:Blitea,& lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam. Laberius quoque mimographus in eàdem significatione dixit: Bipedem,bliteam,belluā. Itaque à blito non inuenustè bliteolus pro stolido deriuari potest. Cætera quæ traduntur,parū sunt consistentia,& nullo lepore condita. His adde, vt nihil, quod equidem nouerim,prætereā,apud Græcos celebrem esse parœmiam, βάκηλος εἶ:bacelus es.de mollibus & eneruatis hominibus.

Pulleiaceum.] Cùm pullum dicere vellet Augustus, dicebat pulleiaceū, ea penè declinationis forma, qua à gallina gallinaceus deriuatur, & à membrana membranaceus;quanuis à pullo, cùm sit secundi ordinis, magis pullicius, quàm pulleiaceus inclinari debere videatur: sicut à fabro fit fabricius,à tribuno tribunitius. Hoc autem pulli & pulleiacei nomē & ad auem referri potest, & ad puerū catamitum, qui esset in deliciis cuiusdam: tales enim,pulli antiquitus dicebantur:sicut Fabius cognomento Eburnens dictus est pullus Iouis.

Pro cerito.] Pro insano. Ceritos enim antiqui malè sanos,& lymphatos appellauerunt, quasi Cereris ira vexatos. Plautus: Iube hanc pro cerita circunferri. Idem:Certè laruatus es,aut ceritus.

Vacerrosum.] Vacerram dicunt vecordem,& vesanum:quo nomine,vt inquit Festus,maledictum significatur. Hinc à vacerra vacerrosum deducebat Augustus, intelligi volens vehementer insanum. Hoc enim inclinamentum in osus significat,vt inquit Nigidius,copiam quandam immodicam rei, super qua dicitur. Aliâs vacerra significat stipitem, ad quem equi religantur.

Vapidè.] A vapido deduci hoc aduerbium videtur: cùm ea,quæ vapida sunt,minus sint robusta,& valentia. Vapos dicebatur à priscis,qui nunc vapor. Næuius: Iam vbi nos duplicat aduenientes timos,vapósque. Quidam à vappa vappidè inclinari autumant: vinum enim eructum vappam dici,sat notum est, in quo cùm deferbuit, deperit sapor: hinc probrosum ad homines nomen translatū est, in quibus degenerauit animus: author Plin. in xiiii. Vnde ab Horatio dictum:

. - Non ego auarum
Cùm veto te fieri,vappam iubeo,& nebulonem.

Betizare.] Potest videri deriuatum verbum à beta,quæ languida est,& flaccida,iuxta illud Catulli:

Languidior tenera,cui pendet Sicula beta.

Vel à verbo Græco βήττω, quod significat tussio.

Lachanizare.] Ita temporibus illis Romani Romano sermone dicere volentes languere,dicebant lachanizare: fortassis à λαχάνω, quod Græci olus vocant: inde λαχανοπωλεῖον forum olitorium dictum. olus autem molle esse,& languidum,nemo non nouit.

Simus.] Est medius quidam u, & i, literæ sonus: non enim sic optimum dicimus vt opimum: author Quintilianus. Præterea,vt ait Priscianus,inter i, & u, cognatio est. Nam antiqui carnufex,lubens, pessumus dicebant:pro carnifex,libens,pessimus.

Domos.] Scribit Priscianus in primo, u, apud multos Italiæ populos in vsu non fuisse, sed econtrario o: vnde Romanorū quoque vetustissimi in multis dictionibus loco u, posuisse o, inueniuntur,poblicū pro publicum,colpam pro culpam dicentes. Præterea seruos, dauos:pro seruus,& dauus vsurpabatur.

M. AN. ASparagi.] Ab eo dicti,vt Varro ait,quia ex asperis leguntur locis:vel quia Græci ἀσπάραγον dicunt: syluester asparagus corruda,Plinio authore,dicitur.

Baccceolum.] Non memini me id verbum adhuc legisse,sed vide ne baccheolum,à Baccho ὑποκοριστικῶς dixerit:abiectáque,librariorum inscitia,aspiratione, bacceolum scribi sit cœptum,pro baccheolum.

Pullo.] Pro nigróne,an gallinaceo,an equæ filio,in dubium venire potest.

Vapidè.] Si à vappa, duplex p, habeat necesse est. Est vappa,vt Plinius docet,vinum corruptum. Plinius: Vitiúmque musto quibusdam in locis iterum feruent: qua calamitate quū deferbuit,deperit sapor,vappæq́ue nomen accipit: probrosum etiam homini quum degenerauit animus. Nisi vapidè pro calidè potius,ac perinde febriculosè dixerit. Persius:

Asturam vapido seruas sub pectore vulpem.

Pro cerito.] Ceritum pro furioso veteres posuere: Nonios,& Seruius sunt authores. Plautus: Tu certè laruatus es,aut ceritus.

Vacerrosum.] Vecordem,& dementem veteres,vt Festus docet,vacerram dixere: vnde vacerrosus.

Betizare.] A betarum languore:vel hebeti potius, stupidóque sapore id factum videri potest: vnde & Martialis fatuas eas appellat:

Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ.

Lachanizare.] Græci λάχανον olus appellant.

Domos pro domus.] Antiqui o, pro u,vsi sunt, vt Fabius,& vetera epigrammata testantur.

Chirog

nem putet. Notaui & in chirographo eius, vlla præcipuè non diuidere verba, nec ab extrema parte versuum abundantes literas in alterum transfert, sed ibidem statim subiicit, circunducitque.

De orthographia, & modo scribendi eiusdem. LXXXVIII.



ORthographiam, id est formulam, rationémque scribendi à grammaticis institutam non adeò custodiit, ac videtur eorũ sequi potius opinionem, qui périnde scribendum ac * loquamur existiment. Nam quòd sæpe non literas modò, sed syllabas aut permutat, aut prætetit, communis hominum error est. Nec ego id notarem, nisi mihi mirum videretur, tradidisse aliquos, legato eum consulari successorem dedisse, vt rudi, & indocto, cuius manu ixi pro ipsi scriptũ animaduerterit. Quoties autem per notas scribit, b pro a, c pro b, ac deinceps, eadem ratione sequentes literas ponit. Pro x autem duplex aa.

De peritia eius, & vsu Græcarum literarum, & benigna audientia aliorum. LXXXIX.



NE Græcarum quidem disciplinarum leuiore studio tenebatur, in quibus & ipsis præstabat largiter, magistro dicendi vsus Apollodoro Pergameno, quẽ iam grandem natu

* al. dicit, loquendum

PHIL. CHirographo.] Propria ipsius Augusti manu scripto. Versuum.] Linearum, vt ita dicamus: non enim versus id solum significat, quod vulgò dicitur: sed accipitur etiam in prosa oratione pro quocunque literarum ordine in pagina scripta perducto: vulgò lineas appellant. Quintilianus in x. Quippe cùm in Bruto Mar. Tullius tot millibus versuũ de Romanis tantùm oratoribus loquatur. Plinius in x I. versus strui dicit ab apibus per ordines. sic enim ait: Primi ferè tres versus inanes struũtur, nouissimi maximè implentur melle. Præterea versum veteres dixerunt centum pedes quoqoo versum quadratũ: & in his versibus in Campania rura metiebantur: vt docet Varro in I. De re rustica.

Ibidem.] In extrema parte versus. Moris est vt in scribẽdo interdũ dimidiata dictio in fine lineæ relinquatur, & reliqua pars in sequentem versum transferatur. Hoc autẽ Augustus minimè faciebat, sed superabũdãtes verborũ literas in fine versus subiiciebat, circundocebátque.

Orthographiã.] Sicut loquendi regula est grammatice, ita orthographia scribeodi: quam nos, vt ait Quintilianus, rectè scribendi scientiam nominemus.

A grammaticis institutam.] Grãmatici, vt res exemplo colliquescat, instituerunt, vt hæc particula cùm, si tempus significaret, per q, scriberetur: si verò comitem, per c, vt optinuit, diceretur per literam p, cùm ratio b, poscat. Præterea priscis grammaticis placebat dicere columam pro columnam, cossules pro consules: & alia id genus innumera. Sed Augustus explosa obseruatiooe illa grammaticorum prærancida, & morosa, sic scribebat prout loquendo verba enuntiantur.

Périnde.] Tam. Ac.] Quàm.

Literas permutat.] Sicuti Tioga Placentinus preculam pro pergulam dicens, duos in vno nomine faciebat barbarismos, si reprehẽdenti Hortensio credimus. Nam & immutatione peccabat, cùm c, pro g, vteretur: & traosmotatione, cùm r, præponeret antecedenti.

Syllabas permutat.] Vitiũ barbarismi est, syllabam aut detrahere, aut immotare.

Legato consulari.] Decem legati ex viris consularibus Imperatoribus Romanis dabantur. Quod consilium, vt inquit Liuius, erat dispeosandæ, & cohonestandæ victoriæ. Legati imperio parebant reliqui; ipse verò parebat Imperatori. Scribit Cicero io epistolis ad Atticum, maiores nostros non solitos legare in decem, qui essent Imperatorum necessarii.

Ixi pro ipsi.] Hoc erat argumentorum inscitiæ, & ruditatis, quòd ixi scripsisset pro ipsi. x, autẽ non loco ps, accipitur: sed modò pro cs, modò pro gs, vsurpatur: vt apex apicis, grex gregis: author Priscianus in primo. Hac litera, vt inquit Quintilianus, tam carere potuimus, quàm si non quæsissemus.

Per notam.] In Iulio Cæsare de notis literariis, quæ ratione quadam compendiaria notãt integra verba, dictum satis est copiosè.

Pro x, duplex aa.] Cum hæc litera x, sit vltima in ordine literarum, meritò Augustus ad illam significandã recurrebat ad primũ elementum: quo conduplicato, x significabatur: cũ in aliis literis elementariis significandis secundam vsurparet pro antecedente. Apollodoro Pergameno.] Apollodorus orator Pergamenus rhetoricã conscripsit, & Apollodoream sectam introduxit, vt scribit Strabo in XIII. quem plurimũ extulit Augusti Cæsaris amicitia, cuius magister fuit. Apollodori præcepta ex discipulis cognoscebantur: quorũ diligentissimus in tradendo fuit Latinè Caius Valgius: Græcè Atticus. Sectatores Apollodori appellati sunt Apollodorei. Pergamenus autem dictus est à patria Pergamo, quæ ciuitas est Asiæ inclyta: vnde membranæ Pergamenæ nuncupatæ.

M. AN. ILla.] Sed, vlla, verius legeris: vt sit vlla non, id est nulla: nisi ad ea, quæ dixi, id referas: quod absurdum fuisset id in duobus tantùm, tribúsve ad summum verbis, nec pluribus seruire.

Circunducit.] Superabundantes scilicet literas.

Notarem.] Obseruarem. Legato consulari.] Aut qui sub consule erat, aut, quod magis placet, qui consularem prouinciam vicario nomine administrabat.

Pro x, doplex aa.] Vt si vertex scribi oportuisset, hæc literarum structura sequebatur: x f s a f aa.

Apollodoro Pergameno.] Quintilianus: Apollodorus Pergamenus, qui præceptor Apolloniæ Cæsaris Augusti fuit.

Apollo

Apolloniam quoque secum ab vrbe iuuenis adhuc eduxerat. Deinde etiam eruditione varia repletus, Sperarei philosophi, filiorúmq; eius Dionysii, & Nicanoris contubernium iniit: non tamen vt aut loqueretur expeditè, aut componere aliquid auderet. Nam & si quid res exigeret, Latinè formabat, vertendúmque alii dabat. Sed planè poematum quoque non imperitus, delectabatur etiam comœdia veteri, & sæpe eam exhibuit publicis spectaculis. In euoluendis vtriusque linguæ authoribus, nihil æquè sectabatur, quàm præcepta, & exempla publicè, vel priuatim salubria: eáque ad verbum excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercituum, prouinciarúmque rectores, aut ad vrbis magistratus plerunque mittebat, prout quique monitione indigerent. Etiam libros totos & Senatui recitauit, & populo notos per edictum sæpe fecit: vt orationes Q. Metelli de prole augenda, & Rutilii de modo ædificiorum, quò magis persuaderet, vtranque rem non à se primò animaduersam, sed antiquis iam tūc curæ fuisse. Ingenia seculi sui omnibus modis fouit. Recitantes &

PHIL. APolloniam.] Ciuitatem Epiri: vbi Augustus studiis literarum vacauit.

Contubernium iniit.] More philosophorum. Nam Pythagorici à Pythagora doctore in cohortem disciplinarum recepti, quod quisque familiæ, pecuniæque habebant, in medio dabant; & ita coibatur societas inseparabilis, fiebátque contubernium, quod à communi vita cœnobium appellauerunt. De contubernio, & contubernalibus dictum est in primo. Loquere tur expeditè.] Idē eueniebat Augusto in pronuntianda Græca lingua, quod scribit Hieronymus sibi euenisse in linga Chaldaica: refert enim in procemio Danielis, se magis posse Chaldæum sermonē legere & intelligere, quàm sonare.

Vertendum.] Ex Latina lingua in Græcam linguam transferendum.

Comœdia veteri.] Antiqua comœdia, quam Græci ἀρχαίαν vocant, hoc est veterem, synceram illam Attici sermonis gratiā propè sola retinet: eadem facundissima libertate vitia insectatur: &, vt author est Quintilianus in decimo, grandis est, & elegans, & venusta, & nulla ad oratores faciendos aptior. Plures eius authores sunt: sed illi præcipui, qui Horatiano versu continentur:

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanésque poetæ.

Exhibuit.] Edidit, & per actores histrionicos populo spectandam dedit.

Publicis spectaculis.] Sicut Plautinæ, Terentianæq; comœdiæ exhiberi solebant, & per histriones actitari.

Quàm exempla.] Qualia sunt illa, quæ collegit Valerius Maximus in libris dictorum, factorúmque memorabilium. Ad verbum excerpta.] Iisdem verbis, quibus perscripta fuerant à conditoribus: adeò vt nec verbi quidem fieret immutatio. Aliter dicitur ad literam, vt apud Quintilianū sic scribentem in I x. Quem duobus ab eo libris tractatum locum ad literam subieci. Interpretatio quoque fieri dicitur de verbo ad verbum, quādo verba singula in interpretatione sectamur.

Ad domesticos.] Hæc erant præcepta priuatim salubria.

Ad magistratus.] Et hæc erant præcepta publicè conducibilia.

Orationes Quinti Metelli.] Augustus Cæsar, cùm de maritandis ordinibus ageret in Senatu, recitauit orationem Q. Metelli Numidici, quam in censura ille dixit ad populum Romanum de ducendis vxoribus liberorum creandorum causa.

Rutilii.] Multi apud Romanos de architectura, & modo ædificiorum scripserunt, inter quos Vitruuius excellit: & ante Vitruuium scripsit Rutilius: de quo, opinor, est illud Epigrammatici poetæ: Famæ Rutilium suæ relinquat. Nescio an hic sit ille Rutilius Rufus, qui dicitur exemplum innocentiæ, quo Cicero in primo de Oratore scribit, neminem integriorem, neque sanctiorem in Romana ciuitate extitisse: qui fuit homo doctus, & philosophiæ deditus. Vtranque rem.] De ducendis vxoribus, & de modo ædificiorum. Ingenia fouit.] Dos Imperatorum vnica est, fouere eruditos, subleuare disciplinas, munificentia, ac liberalitate prosequi professores doctrinarum. Nanque & Dionysius tyrānus domi alebat, honorabátque sophistas, sapientiæque doctores, vt saltē per illos foret venerabilis. Laudatur Traianus, quòd honorem maximum habuerit dicendi magistris, quòd fouerit sapientiæ doctores: adeò vt sob ipso spiritū, & sanguinē receperint studia intermorientia. Laudatur & Alexander Romanus Imperator, quòd rhetoribus, grammaticis, medicis salaria instituerit. Et profectò, bonas artes nullæ res périnde euocat, accendit, extimulat, ac principis benignitas, & magnificentia. Vnde ait Plutarchus in libro secundo de fortuna Alexandri: Ingenia poetarum efflorescere fecit, atque splendescere ipsius Alexandri indulgentia.

Recitantes.] Sicut olim Vergilium recitantem aliquot Aeneidos libros benignè vnà cum Octauia sorore audiuisse fertur. Plinius quoque laudat in epistolis Claudium, quòd subitus recitanti Nouiano, inopinatúsque venerit.

SPerarei.] Arei, non Sperarei: rhetoris, non philosophi, eodem loco meminit Fabius. M. AN.

Vertendum.] Ex Latino Græcum faciendum.

Comœdia veteri.] Cuius Aristophanes, Cratinus, & Eupolis authores, vt Fabius scribit, fuere: fuitque Satyræ, quam Romani hodie celebrant, haud multùm dissimilis, mira in eo genere scribendi licentia.

Exhibuit.] Agendam dedit.

Publicè, vel priuatim.] Ad publicum, vel priuatum vsum attinentia.

Libros totos.] Eiusmodi exemplis refertos.

Q. Metelli.] Is censor, vt Gellius tradit, enixè operam dedit, vt populo connubia persuaderet.

Rutilii.] Huius, credo, Cicero in Lælio non vno meminit loco.

benignè, & patienter audiuit: nec tantùm carmina & historias, sed & orati●es, & dialogos. Componi tamen aliquid de se, nisi & seriò, & à præstantissimis, offendebatur. Admonebátque prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri.

De obseruatione religionum eius. XC.

CIrca religiones talem accepimus: Tonitrua, & fulgura paulò infirmius expauescebat, vt semper, & vbique pellem vituli marini circunferret pro remedio, atque ad omnem maioris tempestatis suspicionem in abditum, & concameratum locum se reciperet, consternatus olim per nocturnum iter transcursu fulguris, vt suprà diximus.

De obseruatione somniorum eius. XCI.

SOmnia neq; sua, neque aliena de se negligebat. Philippensi acie quanuis statuisset

PHIL. DIalogos.] Plato in scribendis dialogis diuinus est: quem æmulatus est Cicero in libris ferè omnibus ad philosophiam pertinentibus: in voluminibus quoque de Oratore res agitur per dialogum, vbi differentes inducit Scæuolam, Crassum, & Antonium. Latinè διάλογος dici potest sermocinatio: hinc Apuleius citat Platonem in sermocinationibus. Obsolefieri.] Sordescere. Commissionibus.] Cõmissiones, sunt contentiones; quæ in spectaculis exhibentur mimorum, poëtarum, & oratorum. Prætores autem id genus ludicris voluptatibus præerant. Nam sæpenumero inter cæteros ludos, oratorum, atq; poëtarũ certamina exhibebãtur, quæ eleganter commissiones dici possunt. Nam committere, vt suprà docuimus, contendere est, & ad manus venire, in certaménque descendere. Olim in commissione poëtica Papinius Statius fuit coronatus: itidem Publius mimographus superauit omnes, qui scripta in scenam locabant: in quibus & Laberium. Simpliciter commissiones prætorum dicuntur editiones ludorũ, maximéq; scenicorum. Plinius in VII. Epistolarum: Miraberis, & ego miratus sum proximis sacerdotalibus ludis, productis in commissione pantomimis. Noluit autem Augustus vt commissionibus scenicis, quando fabulæ aguntur, nomen suum sordesceret, dehonestaretúrque indignitate eorum, qui sæpenumero Augusti nomen fabulis inserebant. Consimile est illud Alexandri Magni, qui edicto vetuit, ne quis se, præter Apellem, pingeret: aut alius à Lysippo duceret æra fortis Alexandri vultũ simulãtia. Enimuero maiestas principis minuitur, quãdo ab imperitis, sordidísque non tam celebratur, quàm polluitur. De commissione in hoc significatu Macrobius in secundo Saturnalium, cap. VII. sic ait: Sed & Laberius sequenti statim commissione mimo nouo interiecit hos versus.

Tonitrua expauescebat.] Seneca in VI. Quæstionum accusat dementiæ eos, qui tonitrua pauent, cùm ait: Quid dementius, quàm ad tonitrua succidere, & sub terram se corripere fulminum metu? Cæterùm, vt docet Epictetus philosophus, etiam sapientis animus necesse est moueatur, & pallescat motu quodam naturali, cùm tonitrua è cælo, vel sonus aliquis formidabilis factus fuerit. Vnde minimè ob hoc culpandus est Augustus, si tonitrua expauescebat.

Pellem vituli marini.] Qui fulmina expauescũt, subeunt tabernacula pellibus contecta belluarum, quas vitulos marinos appellant: quoniam hoc solum animal ex marinis fulmine non percutitur, sicuti nec ex volucribus aquila, quæ ob hoc armiger Iouis fingitur. Vituli autem marini ideo dicti, quia pro sono mugitum habent. Nullum animal grauiore somno premitur. Hinc est illud Satyrographi: Eriperent somnum Druso, vitulísque marinis. Prætereà vis soporifera inest pennæ eius dexteræ, quæ subdita capiti somnos allicit.

Concameratũ locũ.] Fulmina nõ descendunt in terram altius quinque pedibus: ideò pauidi altiores specus tutissimos putant: author Plinius in II. cuius sententiæ adstipulatur Seneca in VI. Quæstionum his verbis: Aduersus tonitrua, & minas cæli, subterraneæ sunt domus, & in altum specus remedia sunt. De generibus fulminum multa Plin. in II. sed plura idem Seneca in II. Quæstionum naturalium.

Transcursu fulminis.] Hoc factũ est in expeditione Cantabrica, cùm lecticam eius fulgur perstrinxisset, seruúmque prælucentem exanimasset.

Somnia neque sua negligebat.] Olim quidam somniauit, somniis nõ esse credendũ: ex quo in declamationibus scholasticis proponi solet exemplum asystati generis, quod Latini inconsistens vocauerunt: nam si crediderit, tum sequitur vt non sit credendum: si autem nõ crediderit, tum sequitur vt credendũ sit. In Deuteronomio præcipitur, ne audiamus verba somniatoris: sic enim appellatur interpres somniorum, qui alio nomine dicitur coniector: quem Græci ὀνειροκρίτην vocant. Cicero in II. de Diuinatione somnia ludit, necnon somniorum interpretationes, obseruationésque. Incertum est, vt ostẽdit Plinius in decimo, an sint aliqua præscita animi quiescentis, qua fiant ratione, an fortuita res sit, vt pleraque: & si exemplis agatur, profectò paria fiant. Augustus non solùm sua somnia obseruabat, sed nec quidem spernebat, quæ alii de se, & rebus suis somniassent: sicuti non duxit esse spernendum medici somnium, quæ res illi fuit salutaris. Econtrario Iulius Cæsar, cùm sprætor esset somniorum, nec somnio vxoris credere voluisset, ruit in interitum.

Philippensi acie.] Qua scilicet depugnauit aduersus Brutum, & Cassium in campis Philippicis.

M. AN. A Præstãtissimis.] Ab clarissimo, & peritissimo quoque: secutus fortè Magni Alexandri exemplũ, qui, vt Cicero scribit, ab Apelle potissimũ pingi voluit: fingi verò ab vno Lysippo: vtroq; in suo genere eminentissimo. Cõmissionibus.] Ne illud temere cõmendando, credendóq; ineptissimo cuiq; labefactari paterentur. Est enim cõmittere, credere, seu cõmendare. Terẽt. Ouem lupo commisisti. & rursus: Nec satis digna, cui primo partu cõmittas mulierem. Vel, commissionibus, id est poëtarũ certa[illegible]us, quibus ad ostendendã ingenii celeritatem, m[illegible] ineptè dicuntur. Committere enim præter significatum iam dictum, est & in certamen duos, pluresve coniicere. Nec est cur de magistratuum

non egredi tabernaculum propter valetudinem, egressus est tamen, * Amici somnio monitus: cessitque res prosperè, quãdo, captis castris, lectica eius, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa, atque lacerata est. Ipse per omne ver plurima, & formidolosissima, & vana, & irrita videbat: reliquo tempore rariora, & minus vana. Quum dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Ioui assiduè frequentaret, somniauit queri Capitolinum Iouem cultores sibi abduci, séque respondisse, Tonantem pro ianitore ei appositum. Ideóque mox tintinabulis fastigium ædis redimiuit, quòd ea ferè ianuis dependebant. Ex nocturno visu etiam stipem quotannis die certo emendicabat à populo, cauam manum asses porrigentibus præbens.

* alias, medici

tuum mandatis intelligas, quando parũ Latinè dictum videri posset: nec huiusmodi mãdata fuot, quæ aliquod io celebrando nomine momenti facere potuissent: sed hoc quoque loco coniectura magis, quàm authoritate agimus. Pellem vituli marini.] Plinius author est, vitulum marinum nunquam fulmine percussum: idcircò ipsius belluæ pellẽ aduersus eiusmodi casus gestari. Id remediũ lauro quoque inesse traditur: quia ea arbor nunquã sit è cœlo icta. Abditum & concameratũ locum.] Idem Plinius persuasum esse ait, fulgura haud altius quinque pedibus terram subire: ideò à pauidis altiores specus tutiores putari. Neque aliæ.] Quæ aliis per quietẽ obseruata essent.

PHIL. AMici somnio.] scilicet Artorii, qui erat ipsius Augusti medicus: cui dormienti Mineruæ species oborta præcepit vt Augustũ graui morbo implicitum mooeret, ne propter aduersam valetudinem prælio abstineret: quod cùm Cæsar audiuisset, deferri se in aciem iussit: vbi dum viriliter pro adipiscenda victoria excubat, castra eius à Bruto capta sunt: & ita somnio eius medici euasit infortunium: authores Valerius, & Lactantius. Cubans.] Iacens, tanquam ægrotus. Cubare enim, propriè ægrotorum est. Horat.

Trans Tyberim lõgè cubat is prope Cæsaris hortos.

Idem alibi ait: - Cubat hic in valle Quirini.

Vbi interpretes cubat, exposuerunt pro ægrotat.

Per omne ver.] Aristoteles, & Fabianus plurimùm somniari circa verņum tempus tradunt, magisque supino cubitu: at prono, nihil. Et minus vana.] Vanos dici mendaces, & infidos: & vana mendacia docet Gellius in decimoseptimo. Cicero quoque nihil turpius esse ait vanitate, hoc est mendacio: quam prisci vanitudinem dixerunt. Pacuuius: Ne turpassis vanitudioe ætatem tuam. & Plautious adulescens in Trinũmo, cum probis potius optat, quàm cũ improbis viuere vanidicis. Tonanti Ioui.] Suprà dictum est, Augustum consecrasse ædem Ioui Tonanti liberatum periculo, cùm expeditione Caotabrica per nocturnũ iter lectica eius fulgur perstrinxisset. Inter cognomina Iouis multa, est & Tonantis cognomentum. Plinius in secundo: Inter Statores, & Tonantes, & Feretrios, Elicium quoque accepimus Iouem. Ioue tonante, vt ait Cicero, comitia populi habere nefas erat. Queri.] Lamentari. Cultores abduci.] Tanquã Augustus nõ amplius coleret Capitolinum Iouem, sed Tonantis tantummodo cultor factus esset. Abduci, est inuitarum personarum.

Tonantem pro ianitore.] Périnde ac Iupiter Tonans, cui ædem dedicauerat, loco ianitoris foret Capitolino Ioui. Ianitores autem ... veterum catena vincti ianuam seruabant: quod T...nquillus docet in libello de grammaticis & rhetoribus, scribens Volcatium ostiarium fuisse in catena more veterum. Et ab Ouidio dictum: Ianitor indigne longa religate catena.

Tintinabulis.] Tintinabula in vsu apud veteres fuisse, vel illud Plautioum satis demonstrat: Nunquam ædepol temere tintinabulum, nisi qui transeat, aut mouet mutũ tacet. Scribit Plinius in XXXVI. pependisse in labyrinthi Italici fastigio tintinabula catenis excepta: quæ vento agitata longe sonitus referebant. Hoc idem Dodonæ factitatum fuit. Apud Epigrãmatistam in Apophoretis lemma est, Tintinabulum, cui distichon subiicitur:

Redde pilam, sonat æs thermarũ. -

Nomen est factitiũ, vt docet Priscianus, quod à proprietate sooi per imitationem fit. Potest videri formatum à verbo tintino, de quo Catullus:

Tiotinant aures sonitu suopte.

Dicitur & tintinire, quod significat sonare: vnde existimat Nonius nuncupata esse tintinabula. Hinc etiam tintinaculi viri dicuntur io Truculento à Plauto perquàm eleganter flagelliferi: qui cædentes verberibus sooum faciunt, crepitúmque plagarum.

Ianuis dependebant.] Augustus ita somnium impleuerat, quo visus fuerat respoodisse Ioui, se Tonantem pro ianitore apposuisse. Nã tintinabula, quæ vehementer tonant, ianuis dependentia, videbantur implere ianitoris Tonantis officium, qui pro ianuis excubat catenatus.

Stipem.] Nummos.

Emendicabat.] More meodicorum petebat: quos Plautus appellat mendicabula.

Asses.] Nummos. De assibus, qui erant nummi librales, suprà diximus.

AMici.] Sed medici, potios legendum: nam vt Valerius, & Plutarchus scribunt, Artorii medici somnio Augustus Phillppensi bello seruatus est. M. AN.

Aedem Tonanti Ioui.] Quam Cantabrico vooerat bello. Plinius: Iouémque illum Tonantem in Capitolio ante cuncta laodabilem.

Tonantem.] Aedem Tonantis.

Pro ianitore.] Ianuæ custodem.

Tintinabulis.] Aeneis instrumentis, à Campano ære haud dissimilibus. Iuuenalis:

- Tot tintinabula dicas Pulsari. -

Quod ait fastigium templi tintinabulis ornatum, ad illud refertur, quod pro ianitore dixerat Tonantem appositum. Afranius: Tintinire ianitoris impedimenta audio.

Fastigium.] Partem ædis eminentissimam.

Redimiuit.] Excoluit, ornauit.

Nocturno visu.] Insomnio.

Stipem.] Pecuniam.

Die certo.] Stato die.

Cauam.] Curuam, qualis mendicantis esse solet.

Auspi

De obseruatione auspiciorum eius. XCII.

AVspicia, & omina quædam pro certissimis obseruabat. Si manè sibi calceus perperam, ac sinister pro dextero induceretur, vt dirum. Si terra, maríve ingrediente se longinquam profectionem, fortè rorasset, vt lætum, maturíque, & prosperi reditus. Sed & ostentis præcipuè mouebatur. Enatam inter iuncturas lapidum ante domũ suam palmam, in compluuium deorũ penatium transtulit, vtq́ue coalesceret magnopere curauit. Apud insulã Capreas, veterrimæ

PHIL. AVspicia, & omina.] Auspicia ad aues referuntur, quorum duo sunt genera: vnũ ad oculos, alterum ad aures pertinens: ad oculos, scilicet volatus: ad aures, vox auium. Dicta autem sunt auspicia, quasi auium spicia: hoc est, ab auium inspectione: sicut auguria, quasi auiũ garia, ab auiũ garritu, & voce. Omina verò ad voces hominum referuntur: quæ maiores nostri, vt inquit Cicero, quia valere censebant, idcirco omnibus agendis, Quod bonum, faustum, felix, fortunatúmque esset, præfabantur. Antiqui osioe, authore Varrone, dicebãt, quod nũc omen dicimus, extrita litera s.

Perperã.] Non rectè. Hæc enim duo aduerbia sibi opponuntur, rectè, & perperam. Liuius: Neque recte, an perperam interpretor.

Sinister pro dextero.] Plinius in secũdo, sic ait: Diuus Augustus læuum prodidit sibi calceum præposterè inductũ, quo die seditione militari prope afflictus est.

Forte rorasset.] Scribunt philosophi, rores neque gelu, neque ardoribus existere, nec nisi serena nocte. Ait Aristoteles in primo Metheororũ, Rorare in locis temperatis: idemque esse rorem, & pluuiã: sed alterum modicum, alteram copiosam. Pleriqoe dixere, rorem inustu sole, causam esse rubiginis in frugibus agrorũ. Rorationem scripsit Plinius in decimoseptimo, esse morbum in vitibus deflorescentibus. A rore, vt docet M. Varro, dicti milites rorarii, qui bellum primi committebant: ideò quòd antè rorat, quàm pluat.

Vt lætum.] Tanquam felix auspiciũ id obseruabat.

Ostentis.] Ostenta ab ostendendo dicta perhibent, sicut monstra à monstrando, & portenta à portendendo: quòd aliquid ostendendo demonstrent: author Augustinus lib. x x 1. de ciuita. Dei. Cicero in 11. de Diuinatione, portenta, ostentáque deludit, nulláq; esse confirmat. Nam si quod rarò fit, id ostentum putandum est, sapientem esse ostentum est. Sæpius enim arbitror mulam peperisse, quàm sapientem fuisse.

Inter iuncturas lapidum.] Idem ostentum euenit Iulio Cæsari: nam quo tempore Pompeium in Pharsalia debellauit, per eosdem dies Trallibus in templo Victoriæ, vbi Cæsaris statua erat cõsecrata, inter coagmenta lapidũ ex pauimento palma extitisse ostendebatur.

In compluuium.] Locum in medio ædium, vt lucem deorsum caperent, relictum: quò impluebat, impluuium veteres dixerunt: sursum quà compluebat, compluuium: vtrunque à pluuia nuncupatum: author Mar. Varro. A cauis ædium compluuiis dicta est vinea compluuiata: quæ, vt eleganter docet Plinius in decimoseptimo, diuiditur in quaternas partes totidem iugis, quæ vino copiosior est.

Deorum penatium.] Dii penates, vt ait Macrobius in tertio Saturnalium, sunt proprii Romanorum: qui Græcè dicuntur θεοὶ μεγάλοι, hoc est dii magni, qui Samothraces à Cassio Hemina nuncupantur: vnde & illud Satyrici poëtæ: - Iures licet & Samothracum

Et nostrorum aras. - Varro refert, Dardanum deos penates ex Samothrace in Phrygiam, & Aeneam ex Phrygia in Italiam detulisse. Hyginus ait, eos vocari θεὺς πατρῴους, id est deos patrios. Vnde videtur dixisse Vergilius: - Patriíque penates. Quos Romani penates vocãt, Græci modò patrios, modò gentilitios dixere: à quibusdam Hercæi nuncupantur, vt docet Dionysius in primo Antiquitatum: &, vt inquit Festus, intra conseptum domus cuiusque colebatur Iupiter cognométo Hercæus Græco quidem vocabulo, sed apud Latinos vsitato. τὸ ἕρκος Græci septum vocant, & vallum: sicut ab Homero Achilles dictus est ἕρκος ἀχαιῶν, id est sepimẽtum, & murus Græcorũ. Hercæũ Iouem Latini etiã deum penetralem appellabant. Propter deum Hercæũ dixit nimirum Lucanus in libro decimo:

Hercæas, monstrator ait, non respicis aras.

Dicunt eruditi, iuxta aram Iouis Hercæi fuisse Priamũ à Pyrrho interemptum. Grammatici, & literatores triuiales carmen Lucani perperam legere consueuerunt, & perperam enarrare, vt pro Hercæas aras, legant Hectoreas: existimántque eam esse probam, emaculatámque lectionem, tanquam dicat monstrator, Respice ad aras manibus Hectoreis dicatas. Sed profectò hallucinantur, & in pensitanda poëtarum eruditione cæcutiunt. De eodem Ouidius:

Cui nihil Hercæi profuit ara Iouis.

Coalescere.] Crescendo surgere.

Veterrimæ ilicis.] Ilex, arbor est glandifera, cuius glans suem facit angustam, nitidam, strigosam, ponderosam: est enim breuior, & gracilior: quam Homerus ἄκυλον appellat: author Plinius in x v 1. Si autem scire expetis, vbi Homerus ἀκύλου mentionem faciat, scito illũ libro x. Odysseæ scriptum reliquisse, quemadmodum Circe apposuit ἄκυλον in cibatu Vlyssis sociis, quos in porcos deformauerat. Veterrimus autẽ, superlatiuum est à positiuo Veter, vnde veterior, & veterrimus inclinantur, sicuti Prisciano, & Capro grammaticis doctissimis videtur. Quod autem Veter ab antiquis vsurpatũ sit, testatur Accius in Hecuba, cùm ait: Veter fatorum terminus sic iusserat. pro vetus.

AVspicia.] Futurorum denuntiationes auspiciis concepta. Sunt autem auspicia ab auium inspectione dicta: &, vt Marcello placet, auguriis minus generalia. M. AN.

Omina.] Mentis sunt, & vocis. Tibullus:

- Linguis, animísque fauete.

Sed linguis alii pro linguarum silentio capiunt.

Perperam.] Peruersè. Terentius: Verum isthoc de nomine eo perperam olim dixit. Vt dirum.] Auspicium scilicet. Rorasset.] Leniter pluisset. Ostentis.] Ostentum Labeo esse dixit omne, quod est contra naturam factum, genitúmve. Festus quasi ostentatum dictum putat. Impluuium.] Compluuium, & impluuium à pluo sunt. Est impluuium, vt Asconio placet, locus sine tecto in ædibus, quo impluere imber in domum possit. Deorum penatium.] De diis penatibus Macrobius abundè multa: sed quod ad eorum sedem, & formam attinet, Halicarnasseus Dionysius plura. Ait ille Romæ fuisse templum, haud procul foro, valde tenebrosum: in quo duos adolescentes vidisset pila

ilicis demissos iam ad terram, languentésque ramos conualuisse aduentu suo, adeò lætatus est, vt eas cum Republica Neapolitanorum permutauerit, Aenaria data. Obseruabat & dies quosdam, ne aut postridie * nundinas quôquam proficisceretur, aut Nonis quicquam rei seriæ inchoaret: nihil in hoc quidem aliud deuitans, vt ad Tyberium scribit, quàm δυσφημίαν ominis.

* aliàs, Nonas

De obseruatione peregrinarum ceremoniarum. XCIII.

PEregrinarum ceremoniarum, sicut veteres, ac receptas reuerentissimè coluit, ita cæteras contemptui habuit. Nanque

tenentes veteris artis opera, quibus inscriptio esset: dii penates. Capreas.] Insulam Campano litori propinquam. Plinius: Mox à Surrento octo millibus passuum distantes, Tyberii principis arce nobiles Capreæ. Strabo lib. v. Duo Caprearum antiquitus fuerant oppidula, nūc verò vnum, quod Neapolitani occupauere. Ii amissas bello Pithecusas recepere, denuò Augusto Cæsare illis donante. Is Capreas magnificentissimis ibi structis ædificiis, peculiare sibi fecit receptaculum.

PHIL. CONualuisse.] Tanquā ægrotantes pristinum vigorē, virorémque recuperasse.

Eas.] scilicet Capreas, insulam Campaniæ. De Capreis sic Plinius lib. III. cap. VI. Mox à Surrento octo millibus distantes, Tyberii principis arce nobiles Capreæ, circuitu quadraginta milliū passuum. De iisdem & Strabo in v. Capreārū duo antiquitus fuerant oppidula, nunc verò vnum, quod Neapolitani occupauere. Ii amissas bello Pithecusas recepere, denuò Augusto Cæsare illis donante. Capreas verò magnificentissimis ibi structis ædificiis, peculiare sibi fecit receptaculum. Aenaria data.] In Puteolano sinu Aenaria insula est, à statione nauium Aeneæ dicta: ab Homero Inarime nuncupata, à Græcis πιθηκοῦσσα. Vnde ait Strabo in v. Ante Misenū Prochyta iacet insula, à Pithecusis quandoque diuulsa. Eretrienses, simul & Chalcidenses Pithecusas habitarūt. Cùm autem Græci simiam dicant πίθηκον, quidam existimauerunt à simiarum multitudine Pithecusas nuncupatas: quam in culpam videtur Ouidius incidisse illo versu:

Inde Pithecusas habitantum nomine dictas.

Plinius in III. id pernegat, affirmans à figulinis doliariorū dici Pithecusas: nam πίθος Græcè dolium vocitatur. Ad quem intellectum referri potest & Ouidii carmen, vt exponas dici Pithecusas à nomine habitantum, id est doliariorum, qui illhic figulinas exercebant. Augustus hanc insulam dedit Neapolitanis, & ab illis Capreas accepit, facta quadam quasi permutatione. De insulis Italiæ adiacentibus ait Pomponius Mela: At Pithecusa, Leucothea, Venaria, Sinonia, Capreæ, Prochysa, Pontiæ, Pandataria, Phytonia, Palmaria, Italico litori citra Tyberina ostia obiacent.

Postridie.] Verrius Flaccus dies, qui sunt postridie Calendas, Nonas, Idus, dictos, habitósq; atros esse scribit, velut infausta appellatione damnatos: quos ad omnia maiores nostri cauendos putarunt: qui alio nomine religiosi dicuntur. Vulgus imperitè nefastos appellat. Causam refert Liuius in sexto his verbis: Quidam quòd postridie Idus Quintiles non litasset Sulpitius tribunus militum, neque inuenta pace, dum post diem tertiū obiectus hosti Romanus exercitus esset, etiam postridie Idus rebus diuinis supersederi iussum: inde vt postridie Calendas quoque, ac Nonas eadem religio esset, traditum putant. Idem traditur à Macrobio in primo, & ab Aulo Gellio in v. Quocirca magis existimo legendum apud Suetonium, postridie Nonas, quàm po-

stridie nundinas. Non enim dies illi, qui nundinas sequuntur, inter atros inominales ab eruditis numerantur: nisi fortassis Augustus id ex quadam peculiari obseruatione factitabat, tanquam nundinas ex ipso nomine ominosas, & inauspicatas iudicaret: quasi nondū eas, possimus interpretari: sicut in libro Annotationum docuimus ex illa proclamatione vendensis ficos cauneas, factum esse omen Crasso, tanquā cauneas significaret, caue ne eas. De nundinis, quæ Iouis feriæ sunt, affatim scribit Macrobius in I. Saturnalium.

Obseruabat & dies.] Contrà præcipitur in Decretis canonicis, ne dies obseruētur: vbi sic scriptum legimus XXVI. quæst. nouissima: Non obseruetis dies, qui dicuntur Aegyptiaci, aut Calendas. Multi à Chaldæo, siue mathematico dies petere solent, qui sint commodi, vel negotiationibus auspicandis, vel nuptiali copulæ, vel nauigationibus opportuni. Super quo facunde scribit Apuleius in secundo de Asino aureo.

Δυσφημίαν.] Δυσφημία Græcè dicitur infamia, & maledicentia. Ita Augusthus dysphemiam, hoc est ominosam significationem vitare se dicebat, quæ subesse videtur in hac dictione Nonis: nam quemadmodum nundinas possumus per quandam quasi etymologiam interpretari nondum eas: ita Nonis, hoc est die Nonarū, significari poterit non is: id est, non vadis: tanquam talibus diebus eundum non sit ad res serias inchoandas. Est ita Augustus ex nomine siue nundinarum, siue Nonarum, tanquam infausto, dies illos veluti ominosos & atros obseruabat.

Peregrinarum.] Scribit Liuius libro trigesimonono, sæpe ætate auorum negotium datum esse magistratibus, vt sacra externa fieri vetarent. Et Cicero libro secundo de Legibus inquit: Separatim nemo sit habens deos nouos, siue alienigenas: id enim confusionem habet religionum.

M. AN. COnualuisse.] Reuixisse.

Aenaria.] Insula, & ipsa in Puteolano sinu, quam Homerus, vt Plinius refert, Inarimen appellauit, Græci Pithecusam, non à simiarum multitudine, vt aliqui existimauere, sed à figulinis doliariorum: πίθος enim Græci dolium appellant.

Postridie nundinas.] Macrobius author est, omnes postridianos dies atros, à Romanis iudicatos infelices, ominosósque. Postridianos dixere, qui Idus, Nonas, Calendas proximè sequerentur: at postridie nundinas dixit, vt ominosam vocem potius Augustus auersatus dici possit, quàm euentum aliquem. Videtur enim conuersionem negare: ἀνάω enim conuerto est: vel, quando coniectura agendum sit, nunc Δῆτα, id est nunc grauia ille interpretatus est. Euripides: ἢ Δῆτα καὶ ἔτι.

Nonis.] In his quoq; δυσφημίαν secutus: hoc est, non is: nā & vox cauneas, ficos vendentiū M. Crasso omen, quū in Parthos iret, fecisse dicitur, quasi moneretur cauere ne iret: Plinius est author.

Δυσφημίαν.] Infamiam, id est infamem, & ominosam

vocem

Athenis initiatus, quum postea Romæ pro tribunali de priuilegio sacerdotum Atticæ Cereris cognosceret, & quædam secretiora proponerentur, dimisso cōcilio, & corona circunstantiū, solus audiit disceptantes. At contrà, nō modò in peragranda Aegypto paulò deflectere ad visendum Apin

vocem. Ominis.] Omioosæ vocis.

PHIL. INitiatus.] Initia dicuntur sacrificia. Varro lib. II. de Re rustica: A suillo pecore immolandi initiū primum sumptum videtur: cuius vestigia, quòd initiis Cereris porci immolātur: & quòd initiis pacis fœdus cùm feritur, porcus occiditur. Initiare est sacris imbuere, &, vt vtar verbo Ecclesiasticorum, religionibus consecratos ordinare. Hinc illud Hieronymi celeberrimum, repertúmq; distinctione vndequinquagesima Decretorū: Cæcum animal offert, qui ordinat indoctum. Firmicus Maternus lib. VII. Matheseos sic ait: Orpheus ab his, quos initiabat, in primo vestibulo cum terribili authoritate religionis exegit, ne profanis auribus iouentæ, ac cōpositæ religiones proderentur. Aliâs initiare significat incipere. Idem Firmicus in II. Exagonum est ab eo signo, à quo initiamus signum tertium. Initiatus igitur, sacris imbutus, & diuinis mysteriis ordinatus accipitur. Qui verò initiatus noo erat, eum nefas erat ingredi templū Cereris diebus initiorū. Quod euidenter ostendit Liuius in XXXI. scribēs duos iuuenes Acarnanes, tanquā ob infandum scelus interfectos fuisse, quòd per dies initiorū, cùm initiaó non essent, imprudentes religionis cum cætera turba ingressi fuerant templū Cereris: quæ fuit causa, & origo belli ioter Philippum Macedonum regem, & Athenienses. Atticæ Cereris.] Attica, vt inquit Strabo, deorum est loca ipsa possidentium, & herou. In Attica Eleusin vrbs est, vbi Eleusinæ Cereris templum, & fanū mysticum, turbæ theatralis capacissimum. Cicero in oratiooe pro Flacco, religionē ab Atheniensibus ortam, & io omnes terras distributam tradit. Scribit Plutarchus in Demetrio, Demetrium optasse mysteria omnia Atheniensium inuisere, ac cōtemplari. Erant autem mysteria doplicia, altera magna, altera parua: & quidem magna mense Iunio, parua verò mense Nouembri solita erant celebrari. Erant & tertia mysteria, quæ suprema apud illos habebantur: ad quæ magna cum reuereotia homioes adibant. In sacris Cereris virgioes Atticæ sustinebant in capitibus reposita io cistis sacra: quæ ob id κανηφόροι vocabantur. De quibus scripsimus in lib. Annotationū. Horat. -Vt Attica virgo

Cum sacris Cereris procedit fuscus Hydaspes.

Catullus κανηφόρους signauit illo versu:

Pars obscura cauis celebrabant orgia cistis.

Θεσμοφόρια vocant Græci festa Cereris, tanquam legiferæ: ipsámque θεσμοφόρον, hoc est legiferam: prima enim leges inuenisse fertur. Scribit Plinius in XXIIII. cap. IX. matronas in Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodiētes agni casti foliis cubitus sibi sternere: vode nomen inditum arbori est. Græci enim ἄγνον purum, & castum vocant. Olim Alcibiades quòd poluisset, enūtiassétque festa Cereris, quæ appellantur Adonia, insimulatus est. Nanque, vt ait Iustinus, mysteria Cereris Atticæ oulla magis re, quàm silentio sacra sunt. Aristophanes quoq; in Nepheles, innuit arcana fuisse sacra Cereris, quæ ἄῤῥητα ἱερὰ appellat. De priuilegio sacerdotum.] Indicat Liuius, antistites tēpli Cereris Atticæ fuisse præditos maxima authoritate, cùm ait, Acarnanes, qui per errorem ingressi fuerant templum, deductos fuisse ad antistites: à quibus damnati, interfectíque sunt, tanquā nocentes. Quædam secretiora.] Iam diximus, mysteria Cereris oulla magis re, quàm silentio sancta existimari. Arcana autem religionum non esse inōmanda profanis auribus, monet Iulius Firmicus: & à Catullo decenter dictum:

Orgia, quæ frustrà cupiunt audire profani.

Quinetiam Pythagoras, atq; Porphyrius silentio religioso animos initiatorū consecrabant. Horaóus ait in Carminibus, se vitaturum ne secum sub eodem tecto sit, qui Cereris sacrum vulgarit arcanæ. Apuleius in describenda Isidis religione, quæ eadem Ceres est, Ferebatur, inquit, ab alio cista secretorū capax, penitus celans operta magnificæ religionis. Idem ioibi, non inuulganda religionis arcana demonstrans, ait: Dicerem, si dicere liceret: cognosceres, si liceret audire: sed parem noxā contraherent aures, & linguæ illæ temerariæ curiositatis. Meritò itaque Augustus, cùm secretiora proponerentur, solus, vtpote initiatus, audire voluit contendentes, disceptantésque, ne arcana religionis io vulgus edita contra ritum apud profanos innotescerent.

Corona.] Multitudine. Nam & Cicero coronā populi dicit multitudinem circa subsellia stantem: & ab Horatio dictum est: - Scis quo clamore coronæ

Prælia sustineas campestria. - Supersedit.] Cessauit. Ad visendum Apin.] Bos in Aegypto numinis vice colitur, quē Apin vocant: author Plinius in octauo. Reliqua de Api vulgarissima legere poteris, cùm voles, apud Soliou in Polyhistore, apud Herodotum in secundo, apud eundem Plinium in VIII. Hoc in præsentia, quod relatu dignum est, quod apud Ecclesiasticos scriptores scriptum legimus, noo videtur prætereundum: qui tradunt Apin Arginorum regem nauibus transuectum Aegyptū: ibíque cùm mortuus fuisset, factum esse Serapin, omnium maximum Aegyptiorum deum. Cur autem Serapis dictus sit, Augustinus in XVIII. de ciuitate Dei, & Eusebius io VII. Præparationis Euangelicæ, raóoem reddunt: quoniā, inquiūt, arca, in qua mortuus ponitur, σορὸς dicitur Græcè: & ibi eum sepultum venerari cœperunt. Soros apis primò, déinde literis, vt fieri assolet, commutatis, Serapis dictus est. In huius hooorem alebatur bos, qui Apis vocatur, quem vice numinis Aegyptii venerabantur, vt dudum diximus. Olim Cambyses, cùm Apin vulnerasset, dicitur ad insaniam fuisse redactus. Augustus huiusce Apis superstitionem inuisere neglexit. De origine Serapis, & simulacro, ac nomine, scribit copiosissimè, elegantissiméque Rufinus in appendicula historiæ ecclesiasticæ, quam texuit Eusebius. Tota Aegyptiacæ religionis celebratio luculentè scribitur ab Apuleio in vndecimo.

M. AN. INióatus.] Eleusinæ Cereris mysteriis imbutus. Sacra ipsa, Initia dicta: vnde verbum Initiari. Græci θεσμοφόρια appellant. Aristophanes τὰ μεγάλα μυστήρια appellasse mihi videtur. Eius in Pluto carmen est:

Μυστηρίοις δῆτ' οὐ τοῖς μεγάλοις ὀχούμενος
Ἐπὶ τοῦ ἁμάξης, ὅτι προσέκρουσέ μοί τις,
ἀποπέπληκα διὰ τοῦ ὄνου τὸν ἱππέα.

Atticæ Cereris.] Cuius erant Initia.

Secretiora.] Profanis non reuelanda.

Corona.] Soluta, dimissáque conciooe.

Solus.] Quia initiatus.

Apin.] Bouem, præcipua in Aegypto veneratione. De eius forma Plinius, & Herodotus, plura: deri-

superſedit, ſed & Caium nepotem, quòd Iudæam præteruehens apud Hieroſolymam non ſupplicaſſet, collaudauit.

De ſeptendecim præſagijs, per quæ magna eius felicitas prænoſci potuit. XCIIII.



T quoniam ad hoc ventum eſt, non ab re fuerit ſubtexere, quæ ei prius, quàm naſceretur, & ipſo natali die, ac deinceps euenerint, quibus futura magnitudo eius, & perpetua felicitas ſperari, animaduertíque poſſet. Velitris antiquitus tacta de cælo parte muri, reſponſum eſt, eius oppidi ciuem quandoque rerum potiturum: qua fiducia Velitrini, & tunc ſtatim, & poſtea ſæpius penè ad exitium ſui cum populo Romano belligerauerant. Serò tandem documentis apparuit, oſtentum illud Augusti potentiam portendiſſe. Author eſt Iulius Marathus, ante paucos, quàm naſceretur, menſes prodigium Romæ factum publicè, quo denuntiabatur, regem populo Romano Naturam parturire. Senatum exterritum cenſuiſſe, ne quis illo anno genitus educaretur. Eos, qui grauidas vxores haberent, quòd ad ſe quiſque ſpem traheret, curaſſe, ne Senatuſconſultū ad ærarium

tu ſacrorū Macrobius, & idem Herodotus non pauca.

PHIL. APud Hieroſolymam.] Laudauit Auguſtus Caium nepotem, quòd nō adoraſſet in templo Hieroſolymorum Deum Iudæorum: tanquam religio Iudaica foret ſuperſtitioſa. Nanque & Apuleius Iudæos in Floridis ſuperſtitioſos vocat. Verùm Iudæi ex mādato Dei nullam effigiem venerantur, ſed ſola mente vnō tantùm numen intelligunt, & profanos illos exiſtimāt, vt inquit Tacitus, qui imagines deorum mortalibus materiis in ſpecies hominum effigiant. Deum nanque eſſe incorporeum, inuiſibilē, innominabilem, bene ſentiunt: cuius profectò imaginem nemo ſanæ mentis audeat effingere: oportere itaque, relicta omni ſimulacrorum effigie, ſine forma colere Deum. Hinc à Lucano dictum videtur:

Et dedita ſacris incerti Iudæa Dei.

Pompeius, domitis Iudæis, templum illud celebratiſſimū Hieroſolymorum iure victoriæ ingreſſus eſt. Inde vulgatum, nullas intus Deûm effigies, vacuam eſſe ſedem, & vana tēpli arcana. Longa eſt apud Ioſephum, & Egeſippum hiſtoria, quemadmodum Iudæi pertinaciſſimè recuſarunt, ne imagines Imperatorum primò Tyberii per Pilatum, mox Caligulæ per Petronium in templo collocarentur, conſtanter vociferantes, ſe magis vniuerſos interfici velle, quàm legem præuaricari, religionémque polluere, quam inſuperabilem, impollutámque hactenus cuſtodierant. Igitur Auguſtus in hoc reprehenſibilis eſt, quòd religionem Iudaicam exiſtimauerit eſſe fugiendam períinde ac improbam, & ſuperſtitioſam: cùm ſit vera, & pertinens ad cultum veri conditoris, & vltramundani Dei: cuius digito legem ſcriptam Moſes in tabulis dedit Iudaico populo, ſicut copioſiſſimè explicatur in Inſtrumento veteri. Quantò laudabilior Alexander Magnus videri meritò poteſt, qui numen Iudæorum olim adorauit, & principem ſacerdotum primus veneratus eſt: vt docet Ioſephus in vndecimo Antiquitatum.

Non ab re fuerit.] Non inutile fuerit, nec diſſonum, alienúmque à propoſito.

Tacta de cælo.] Quæ fulmine percuſſa ſunt, de cælo tacta dicuntur. Vergilius:

De cælo tactas memini prædicere quercus.

Cicero in Catilinam: Tactus etiam ille, qui hanc vrbem condidit Romulus. Liuius: Tacta de cælo multa, duæ in Capitolio ædes. Antiqui fanaticas arbores dixerunt fulmine ictas.

Oppidi.] Velitrarum, vnde gens Octauia oriunda eſt.

Sæpius belligerauerant.] Liuius in hanc ſententiam libro octauo ab vrbe condita: In Veliternos veteres ciues Romanos, quòd toties rebellaſſent, grauiter ſæuitum, & muri deiecti, & Senatus inde abductus, iuſſique trans Tyberim habitare.

Oſtentū illud.] Muri ſcilicet Velitris de cælo tacti.

Naturam parturire.] Quidam hoc ad CHRISTVM retulere, non ad Auguſtum: tanquam ille eſſet futurus verus rex, non ſolùm populi Romani, ſed totius Mundi: qui natus eſt Auguſto imperante.

Exterritum.] Trepidum, pauefactum, cōturbatum: exterritus verò dicitur impauidus, interritúſque. Gellius: Conſpicimus hominem impauidum, atque extrilidum.

Ad ærarium defertur.] Vbi leges iam in æs inciſæ in ærarium recondebantur, infirmari, tollique non poterant: quæ verò promulgatæ tantùm erant, nec dum in æs inciſæ, interceſſione aboleri poterant: quod docet Cicero in prima Philippica.

NOn ſupplicaſſet.] Rem diuinam non feciſſet, nullam venerationem impartiiſſet. Sed Auguſtus patriæ ſtultitiæ addictus, quum dæmonibus ſeruiret, ne fas putauit Deo Optimo Maximo ſupplicare. M. AN.

Tacta de cælo.] Icta fulmine.

Velitrini.] Veliterni, & Velitrini, à Velitris dicti. Velitræ antè ciuitas Volſcorū inſignis fuit, quibus victis, Veliternū agrū Romani ademerūt. Coloni aliquando ab vrbe eò miſſos refert Liuius lib. II. Diony. lib. VII. refert Velitras peſtilentiā adeò depopulatā eſſe, vt ex partibus decem Veliternorū vix vna ſuperfuerit.

Prodigium.] Seruius prodigium id eſſe putat, quod in longum tempus ſuam digerit ſignificationem.

Exterritum.] Perculſum.

Ad ærarium.] Siquidem tabulæ, quibus leges inciſæ eſſent, in ærarium reponi conſueuere: eóque delatis, nulli integrum erat amplius in eis quicquam mutare: prius verò vel ambitione, vel authoritate itum eſt quandoque obuiam.

Meden

deferretur. In Asclepiadis Mendetis θεολογουμένων libris lego, Acciam, cùm ad solenne Apollinis sacrum media nocte venisset, posita in templo lectica, dum cæteræ matronæ dormirent, obdormisse, draconémq; repentè irrepsisse ad eam, paulóque pòst egressum, illámque expergefactam quasi à concubitu mariti purificasse se, & statim in corpore eius extitisse maculam, velut depicti draconis, nec potuisse vnquam eximi, adeò vt mox publicis balneis perpetuò abstinuerit: Augustum

PHIL. Mendetis.] Aegyptii: sunt enim Mendesii Aegypti populi, ab hirco, siue Pane, quem præcipuo honore venerantur, nominati. Hircus enim & Pan Aegyptiaca lingua Mendes vocatur. Hinc scribit Herodotus, caprarios esse in præcipuo honore apud Médesios.

Asclepiadis.] Alius fuit Prusiensis Asclepiades ille maximus medicorum, (Hippocratem semper excipio) qui primus reperit ægris vino opitulari: qui damnauit vomitiones, arguit medicamentorum potus stomacho inimicos. Qui officiũ medici esse dixit, vt citò, vt celeriter, vt iucundè curet: qui sponsionem fecit cum fortuna, ne medicus crederetur, si vnquam inualidus vllo modo fuisset ipse: & victor suprema in senecta lapsu scalarũ exanimatus est. Fuit & Asclepiades non ignobilis, nec inexercitatus philosophus, qui cuidam interroganti, quid incommodi cæcitas ipsi attulisset, Vt vno, inquit, puero ambulem comitatior.

θεολογουμένων.] Genitiuus numeri multitudinis est Græcus: θεολογούμενα dicuntur rerum diuinarũ, deorúmque disertationes, disputationésve.

Acciam.] Ipsius Augusti matrem.

Obdormisse.] Mos erat veterum, vt in templis deorùm dormirent, vt ita secundum quietem acciperent responsa, sicut docet Seruius in v i i. Commentario: & hoc incubare dicebatur. Hinc ait Plautus in Curgulione: Nanque incubare te fuerat satius Ioui, qui tibi in iureiurando auxilio fuit. Strabo quoque libro decimosexto tradit, Indæos in templo solitos vel pro se quenque indormire, vel alios, qui boni somniatores essent, pro aliis: ac semper bonum aliquod & donũ, & signum à Deo expectare, eos præsertim, qui castè, integréque, & cum iustitia viuerent: cæteros verò nequaquam. Quin etiam Vergilius hunc in templis dormiendi morem, atque incubandi expressit illo versu:

Pellibus incubuit stratis, somnósque petiuit.

Igitur Accia Augusti mater obdormierat in tẽplo Apollinis vnà cum cæteris matronis, vt per somniũ responsa acciperent à Deo. Dii enim, vt ait Cicero, cùm dormientibus colloquuntur. Breui, obdormire idẽ, quod dormire significat. Plautus in Amphyt. Sed quid ais? num obdormiuisti dudum? Idem in Mostell. obdormire crapulam ait. Vbi, inquit, somnum sepeliui, omnémque obdormiui crapulã. Inde inclinatur obdormisco. Cicero in 1. Tuscul. Quid melius, quàm in mediis vitæ laboribus obdormiscere, & ita conniuentem somno consopiri sempiterno?

Draconẽ irrepsisse.] Hoc idem de Pomponia Africani Scipionis matre traditum est: quæ cùm obdormiret, visus est iuxta eam cubare ingens anguis: is mox elapsus ab his, qui viderant, inueniri non quiuit. Id P. Scipio Africani pater ad aruspices retulit: qui responderunt, fore vt filius gigneretur. Neque multis diebus postea, quàm in lecto visus est, mulier concepit, peperitque mense decimo Scipionem Africanum, qui vicit Annibalem. In historia quoque Græca scriptum est, serpentem visum esse cubare iuxta Olympiadem Philippi regis vxorem, ex quo vulgatum est, Alexandrum Magnum ex numine conceptum.

Irrepsisse.] Repere earum est rerum, quæ carent pedibus: vnde & reptilia dicta. Ambrosius in v. Hexameri, Scimus, inquit, reptilia dici genera serpentium, eò quòd super terrã repant: sed multò magis omne, quod natat, reptandi habet vel speciem, vel naturam.

Purificasse se.] Persius: - Et noto flumine purgas. Nam qui deos colunt, puri, & casti esse debent. Hinc lex illa à Cicerone tradita, Ad diuos castè adeunto. Vbi non minus animi, quàm corporis, castimonia intelligi debet: & vt casta corpora adhibeantur, aspersione aquæ fieri significat. Itaque Accia, cùm esset expergefacta, non minus se purificauit, quàm si cum marito concubuisset. Concubitus enim polluit religionẽ: &, vt ait Tibullus:

- Discedat ab aris
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Eximi.] Tolli, & aboleri. Eximere è numeris milites metaphoricè etiam dicimus, pro expungere ex manipulis, & reiicere, stipendióq; priuare: eximere tamen numero aliud significat.

Publicis balneis.] Hæ balneæ dicimus, & hæc balnea authore Phoca. Est autem differentia hæc, quòd balneæ publicæ fœminino genere dicuntur: balnea verò sunt priuatorum: sicut docet M. Varro lib. 11. de Analogia. Hinc apud Apuleium, Balneas facilè percontabimur. & apud Gellium, Apud balneas Sitias cum philosopho Fauorino ambulabamus. Plinius in xxxi. Vapore ipso quoque aliquæ aquæ prosunt: tanta est vis, vt balneas calefaciant. Promiscuè tamen vsurpantur ista apud eruditos, qui non tam scrupulosè grammaticæ seruiunt, quàm eloquentiæ. M. Agrippa balnea publica fecit, eáque gratuita præbuit numero centũ septuaginta: quæ mox, vt ait Plinius, infinitum auxere numerum.

M. AN. Θεολογουμένων.] Diuinarum disertationum, siue disputationum.

Acciam.] Augusti matrem.

Draconem.] Bene draconẽ: quia in templo. Vergil.
- Delubra ad summa dracones.

Similia ferè de Africani conceptu tradit Gellius.

Quasi à concubitu mariti.] Ac si cum marito concubuisset.

Purificasse.] Lustrasse se. Quibus intelligi potest à concubitu, nisi purificatis, interesse sacris non licuisse. Tibullus:

Quídve plè dum sacra colis, puréque lauari,
Te memini, & puro secubuisse toro.

Publicis balneis.] Priuatis ergo iam inde vsam intelligas. Plinius lib. xxxi. cap. 11. de balneis ait: Emicãt benignè passimque in plurimis terris, alibi frigidæ, alibi calidæ, alibi iunctæ, sicut in Tarbellis Aquitanica gente, & in Pyrenæis montibus, tenui interuallo discernente. Alibi tepidæ egelidæque auxilia morborum conferentes, & è cunctis animalium, hominũ tantùm causa erumpentes. Et mox: Nusquam tamen largius, quàm in Baiano sinu, nec pluribus auxiliandi generibus, aliæ sulphuris, aliæ aluminis, aliæ salis, aliæ nitri, aliæ bituminis, nonnullæ etiam acida, salsáve mistura.

natum mense decimo, & ob hoc Apollinis filium existimatum. Eadem Accia prius, quàm pareret, somniauit intestina sua ferri ad sidera, explicaríq; per omnem terrarũ,& cæli ambitum. Somniauit

PHIL. NAtum mense decimo.] Romani partionem mulieris secundum naturam fieri existimabant nono mense, aut decimo:& idcirco nomina Parcis tribus fecerunt, appellantes Nonam, Decimam, Parcam. Nam Parca, immutata litera vna, à partu nominata est. Nona verò,& Decima à partus tempestiui tempore. Hinc Plautus ait in Cistellaria: Decimo pòst mense exacto hic peperit filiam. Et Maro:

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Hac tempestate, quod maximè mirum est, non temere fœmina parit decimo mense exacto ab ipso conceptu. Apud Censorinum causam inuenio sideralem de partione decimi mensis haud quaquam improbandã, quæ hoc potissimùm loco congruenter explicari poterit. Ait enim: Quo tempore partus concipitur in vtero muliebri, necesse esse vt Sol sit in aliquo signo,& in aliqua eius signi particula, quem locum conceptionis appellant Chaldæi. Hunc locum Sol conspicit à decimo zodiaci signo decimo à cõceptu mense κατὰ τετράγωνον, id est per conspectũ quadratum, qui perquàm efficax est: sicut etiam conspectus ille est potentissimus, qui fit à nono signo κατὰ τρίγωνον, id est per trigonam radiationem: vnde infantes hoc tempore nati existimantur esse maturi, atque robusti: à Græcis dicuntur ἐννεαμήνους καὶ δεκαμήνους, id est nouem mensium,& decem mensium. Inter menses genitales septimus quoque numeratur, potéstque septimestris fœtus esse aliquãdo maturus, propterea quòd Sol particulam conceptionis à septimo signo diametraliter conspicit: qui plenissimus est, potentissimúsque conspectus. Hoc mense natos Græci ἑπταμήνους vocant, hoc est septimestres. Pythagoras verò duo scribit esse genera partus: alterum septem mensiũ, alterum decem: septimestrem partum vocat minorem, decimestrem verò maiorem: alterum, qui minor est, senario numero contineri: quem Græci τέλειον, nos perfectum numerũ vocamus. Decimestrem verò, qui maior est, contineri numero septenario, quo tota humana vita finitur. De cuius potentia certatim scriptores prodiderunt. Et Hippocrates, aliique medicorum in corporum valetudinibus septimũ quenq; diem crisimon obseruant: sic enim nominauerunt, quasi iudicialem: tanquam septimo die de ægris iudicetur, victuríne sint, an morituri. Cæterùm hæc, & id genus alia, non inuitus intersero: quia solent veluti diuerticula amœna esse legentibus. Nunc ad propositum redeo.

Apollinis filiũ.] Sicut Scipio Africanus Iouis filius existimatus, & Alexander Magnus Ammonis: itidem Augustus Apollinis: quia sicut serpentes irrepserunt ad Pomponiam matrem Africani, & Olympiada matrem Alexandri, sic & serpens irrepserat ad Acciam Augusti. Sub specie autem serpentium sæpe genii,& dii mortalibus miscentur. Sidonius in Panegyrico:

Magnus Alexander, necnon Augustus habentur
Concepti serpente Deo, Phœbúmque, Iouémque
Diuisere sibi: nanque horum quæsiit vnus
Cyniphia sub sorte patrem maculis genitricis:
Alter Phœbigenam sese gaudebat haberi
Pæonii iactans Epidauria signa draconis.

Ferri ad sydera.] Sublimari in cælum. Hoc portendebat, Augustum, qui per intestina matris signabatur, futurum in numero deorum,& orbi terrarũ imperaturũ.

Explicari.] Extendi. Sunt enim intestina in homine flexuosissimis orbibus implicata, & gyris impedita, ne, vt ait Plato in Timæo, esculenta, aut poculenta extemplo descendant, néve momentis omnibus appetendi cibi necessitas immineat,& ad hoc vnum occupari nobis dies, noctésque sit necesse. Intestina autem numero sex esse, medicorum clarissimi prodiderunt, quorum hæc sunt nomina: Duodenum, ieiunũ, longum, monoculum, colon, rectũ. Apud Celsum,& Plinium nulla mẽtio fit duodeni intestini: quod à longitudine duodecim digitorũ nomen accepit, sicut Auicenna, & Albertus Magnus, medicorumque schola testantur. Existimo pyluron à Celso dici id, quod duodenum recentiores appellitauerunt: nanque ima ventriculi pars est, quæ in summum intestinum coarctatur: vocatúrque pyluros, quoniam portæ modo in inferiores partes ea, quæ excreturi sumus, emittit: πυλωρὸν Græci ianitorem vocant: vnde à recentioribus medicis, illiterato quidem, sed aperto vocabulo, portanarius nuncupatur. Ieiuno autem, quod in secundo loco est, ideo tale vocabulum est: quia nunquam quod accipit, continet, sed protinus in inferiores partes transmittit: vocatur & hilla. Inde farcimina hilla dicuntur. Horatius: Perna magis, an magis hillis. Longũ, quod tertium est, alio nomine Tennuius vocatus: & est in sinus vehementer implicitum. Varro,& Apitius longanonem appellant: quia longius est hoc intestinum, quàm duo hilla, siue ieiuna. Monoculũ, quod quartum est, ideo cæcum nominantur, quia in dexteriorem partem peruium non est. κῶλον, quod quintum obtinet locum, Græci vocant: à nostris dicitur aluus. vbi, vt inquit Plinius, magna dolorum causa est. Nouissimum est Rectum, ita nominatum, quia in ima parte dirigitur, qua excernitur. Vniuersa verò hæc intestina ab omento conteguntur: de quo dixit Catullus, Omentum in flamma pingue liquefaciens. Dicitur intestinum neutro genere. Interdum intestinus masculino. Plinius in vndecimo: Intestinus quibusdam ab ore incipiens, quadam via eodem inflectitur, vt sepiæ, & polypo. In homine annexus infimo stomacho, similis canino. Differunt intestina à visceribus: illa enim inferiora sunt, hæc superiora. Celsus in quarto: A visceribus ad intestina veniendum est. Alio nomine dicuntur interanea: vnde apud Plinium medelæ sunt innumeræ ad interanea.

Vtero Acciæ.] Vterum in fœmina appellamus matricem. Existimat Plinius vuluam dici in cæteris animalibus, in muliere vterum,& alio nomine locos. Vnde apud Catonem: Si mulier eo lotio locos fouebit, nunquam hi virosi fient. Dicuntur autem loci virosi à Catone, qui coitum viri desiderãter affectant, cupiúntque libidinari. Cor. Celsus in secundo: Quæ locis laborat, sternutamento leuatur. Vergilius vterum dixit pro ventre, de equo ligneo scribens:

- Vterúmque armato milite complent.

Diminutiuum vteri est vterculus: quanuis quidam ab vter id fieri dicant. Plinius in vndecimo: Succus mellis in vterculos congestus apum.

M. A N. NAtum mense decimo.] Qui à conceptu legitimus fuit. Mulieres enim legitimè decimo mense pariunt: authores sunt Plinius, Gellius, & Lactantius Aristotelem secuti: pariunt nonnunquam alienis mensibus: sed euentus ratio ex illorũ lectione cognoscenda. Plinius lib. vii. cap. v. Cæteris animãtibus statutũ & pariendi, & partus gerendi tẽpus est: homo toto anno,& incerto gignitur spatio. Alius septimo mense, alius octauo,& vsque ad initia decimi, vndecimíque.

& pater Octauius, vtero Acciæ iubar Solis exortum. Quo natus est die, cùm de Catilinæ coniuratione ageretur in curia, & Octauius ob vxoris puerperium serius adfuisset, nota, ac vulgata res est, P. Nigidium, comperta moræ causa, vt horam quoque partus acceperit, affirmasse dominũ terrarum orbi natum. Octauio postea, cùm per secreta Thraciæ exercitum duceret, in Liberi Patris luco barbara ceremonia de filio consulenti, idem affirmatum est à sacerdotibus, quòd, infuso super altaria mero, tantum flammæ emicuisset, vt supergressa fastigium templi ad cælum vsque ferretur, vníque olim omnino Magno Alexandro apud easdem aras sacrificanti, simile prouenisset ostentum. Atque etiam sequenti nocte statim videre visus est filium mortali specie ampliorem cum fulmine, & sceptro, exuuiísque Iouis Optimi Maximi, ac radiata corona super laureatum currum, bissenis equis candore eximio trahentibus. Infans

PHIL. Octauius.] Augusti pater significatur.

Puerperium.] Infrà latiùs dicetur, puerperium tam à pueræ dici, quàm pueri partione. Pueras enim prisci dicebant, quas nunc puellas appellamus. Ex quo est illud Varronianum: Properate viuere pueræ, quas sinit ætatula ludere, esse, amare, & Veneris tenere bigas.

Iubar.] Modò splẽdorẽ significat. Aliâs iubar dicitur stella Lucifer, quòd splendor eius diffunditur in modũ iubæ leonis. Itaque ait Pacuuius: Exoeto iubare, noctis decurso itinere. Et Pacuuiũ imitatus Vergilius dixit:

It portis iubare exorto.-

Nigidium.] Hic est ille Nigidius, qui cognominatus est Figulus, eò quòd responsurus interroganti cur gemini dispari conditione nascerentur, nobile illud de figuli rota commẽtum excogitauit, quod memorat Augustinus in v. de ciuitate Dei. Fuit enim astrologiæ, & magicæ peritissimus. Vnde ait Lucanus:

At Figulus, cui cura deos secretáque Mundi,
Nosse fuit.-

Refert A. Gellius, culmina doctrinarum multiformium, variarúmque artium duo floruisse eodem tempore apud Romanos, M. Varronem, & hunc P. Nigidium. Cuius tamen commentationes in vulgus non exiuerunt, propter obscuritatem, subtilitatémque. In exilio periit, vt Eusebius tradit.

Horam partus.] Notationẽ horæ genitalis ὡροσκόπον vocant, vt inquit Augustinus in v. de ciuit. Dei. Hinc illud Persianum Satyra vi.

Geminos horoscope varo Producis genio.-

Hinc verbũ horoscopare, quo vtitur Manlius: & signa horoscopantia à Iulio Firmico dicta.

Octauio.] Patri Augusti.

In Liberi Patris luco.] Scribit Strabo, templa lucos vocari à poëtis: existimabantur luci religione quadam esse imburi, vtpote deorum domicilia. Cicero in Verrinis: Vos denique etiam, atque etiam imploro, atque appello sanctissimæ deæ, quæ illos Aenenses lacus, lucósque colitis. A contrario dici lucum, ostendit Quintilianus his verbis: A contrariis aliqua trahi, vt lucus, quia vmbra opacus parum luceat. Liberum Patrem Bacchũ veteres appellauerũt ab eo, quòd pro Bœotiæ libertate pugnauit, vt sentit Plutarchus in Quæstionibus. Vnde & simulacrum Liberi Patris in liberis ciuitatibus, authore Seruio, collocabatur. Autumat Seneca in libro de tranquillitate vitæ, Liberum Patrem ideo vocitari, quia liberat seruitio curarum animum. Alii ob licentiam linguæ liberum dici existimant.

Barbara ceremonia.] Ex ritu religionis barbaricæ, longè distantis à Græco, & Romano cultu.

Super altaria mero.] Vinum in sacris adhiberi, notissimum est. Romulum lacte, non vino, sacrificasse tradunt: &, vt author est Plinius, non omnibus vinis ad sacra fas erat vti: nanque nefastum habebatur sacrificare vino, quod esset ex imputata vite, aut fulmine tacta.

Emicuisset.] Exiliisset, effulsisset.

Fastigium.] Cacumen.

Filium.] Augustum.

Exuuiis Iouis.] Exuuiæ Iouis, sunt fulmen, sceptrum, toga prætexta, tunica palmata, toga picta: qui etiam ornatus est viri triũphalis. quod innuit Liuius lib. x. Hinc illud Satyrici poëtæ:

In tunica Iouis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ.-

Exuuiæ ab exuendo dictæ, sicut induuiæ ab induendo. Vnde Plautus scienter hæc duo disparauit perinde ac cõtraria, cùm ait in Menæhmis: Induuiæ tuæ, atque vxoris exuuiæ.

Radiata.] Radiis distincta. Radiosus dicitur Sol à Plauto, quasi plenus radiorum.

Laureatum currum.] Lauri ramusculis, quæ arbor triumphis dicata est, exornatum, coronatúmque. Alii deauratum legunt: quia currus triumphalis auro erat bracteatus, quem equi candidi vehebant: vt docet Appianus in Libycis, describens formã triũphi Scipionis.

Bissenis equis.] id est duodecim. Camillus, authore Liuio, curru triumphali equis albis iuncto vrbem Romã inuectus est, cùm de Veientibus subactis triumpharet: idque non modò parum ciuile, sed humanum etiam visum. Iouis, Solísque equis æquiparatum Dictatorem Camillum in religionem etiã trahebant Romani: vnde triumphus ille clarior, quàm gratior fuit.

M. AN. Pater Octauius.] Octauii Augusti pater.

Iubar Solis.] Quod ad Apollinis concubitum refertur.

Puerperium.] Partum.

P. Nigidium.] Quem Pythagoricæ disciplinæ peritum, magúmque fuisse, Eusebius tradit. Gellius secundum Varronem Togatorum omnium peritissimum fuisse affirmat.

Horam partus.] Horoscopum, vt Græci aiunt. Gellius author est, omnem genethliacorum disciplinam diligenti disertatione à Phauorino subuersam. Accius: Nihil, inquit, credo auguribus, qui aures verbis ditiãt alienas, suas vt auro locupletent domos.

Barbara ceremonia.] Barbaro sacrorum ritu.

Cum fulmine.] Quod Iouis insigne vetustas fabulata est. Radiata corona.] Radiis insignita.

Laureatum currum.] Lauro præditum. Sed vide ne deauratum potius sit legendum. Appianus deauratum fuisse ait triumphantium currum, quem candidi equi traherent.

adhuc, vt scriptum apud Caium Drusum extat, repositus vespere in cunas à nutricula loco plano, postera luce non comparuit: & diu quæsitus tandem in altissima turri repertus est, iacens contra Solis exortum. Quum primùm fari cœpisset, in auito suburbano obstrepentes fortè ranas silere iussit, atque ex eo negantur ibi ranæ coaxare. Ad quartum lapidem Campanæ viæ, in nemore prandenti, ex improuiso aquila panem ei è manu rapuit: & cùm altissimè volasset, rursus ex improuiso leniter delapsa reddidit. Quintus Catulus post dedicatum Capitolium duabus continuis noctibus somniauit: Prima, Iouem Optimũ Maximum è prætextatis compluribus circa aram ludentibus vnum secreuisse, atque in eius sinum signum Reipublicæ, quod manu gestaret, reposuisse: atque insequenti animaduertisse, se in gremio Capitolini Iouis eundem puerum: quem, quum detrahi iussisset, prohibitum monitu Dei, tanquam is ad tutelam Reipublicæ educaretur. Ac die proximo obuium sibi Augustum, quum incognitum aliâs haberet, non sine admiratione contuitus, simillimum dixit puero, de quo somniasset. Quidam prius somnium Catuli aliter exponunt, quasi Iupiter compluribus prætextatis tutorem à se poscentibus, vnum ex eis demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent, eiúsque

PHIL. NOn comparuit.] Nusquam apparuit, nusquam visus est.

In altissima turri.] Hoc portendebat altitudinem Imperii, atque fastigium.

Contra Solis.] Significabat hoc claritudinem nominis.

In auito.] Ab auo auitum deducitur. Auitum suburbanum dicitur prædium, prætoriúmque auorum iuxta vrbem.

Silere.] Consimile olim Hercules factitauit: qui cùm apud Rhegynos quiesceret, cicadæ'que obmurmurarent, dicitur iussisse ne strepetẽt: & ita ex eo tempore cicadæ apud Rhegynos mutæ factæ sunt: authores Solinus, & Diodorus.

Coaxare.] Antoninus Geta quæstiones id genus grãmaticis proponebat, vt dicerẽt singula animalia quo modo vocem emitterẽt: velut agni balant, porcelli grunniunt, asini rudunt, tauri mugiunt, equi hinniũt, elephanti barriunt, & ranæ coaxant. Est enim coaxare, verbum factitium ab ea voce, quam ranæ faciunt. ὀλολύγονες vocantur mares ranæ, quo tẽpore vocẽ mittẽtes cient ad coitũ fœminas. Dicũtur autem ololygones à verbo Græco ὀλολύζω, quod significat vlulo: & ὀλολυγμὸν vlulatum vocant: de quo Aristoteles in IIII. de animalibus. ὀνοματοποιΐα τρόπος fictio est nominis, Græcis inter maximas habita virtutes: nobis vix permittitur: & sunt, vt author est Quintilianus in VIII. plurima ita posita ab his, qui sermonem primò fecerũt. Nam mugitus, & murmur, & sibilus inde venerunt: inter quæ collocari potest coaxare. Apud Aristophanem in Batrachis, chorus βατράχων, hoc est ranarũ, subinde clamat, κοὰξ, κοὰξ. Festus quoaxare scribi existimat per literam q. Scribit Plinius in Macedonia ranas esse mutas, vbi & apri muti sunt.

Ad quartum lapidem.] Ad quartum milliarium. Caius Gracchus, dimenso viarum spatio, singulis milliariis columnas lapideas spatii signa præferentes constituit: author Plutarchus in Gracchis.

In nemore.] Loco amœno. Sunt enim nemora, vt ait Festus, amœnæ syluæ.

Delapsa reddidit.] Haud absimile est id, quod Tarquinio Prisco factitatum esse Historici prodiderunt: cui Romam commigranti, & in carpento cũ vxore Tanaquile sedenti aquila suspensis demissa leniter alis pileum abstulit: rursúsque velut diuinitus missa, apte reposuit, inde sublimis abiit: tunc Tanaquil, perita cælestium prodigiorum mulier, maritum complexa sperare iussit excelsa, & alta: cui mox contigit, vt regnum Romanum adipisceretur.

Q. Catulus.] Restitutor, dedicatórque Capitolii.

Post dedicatũ.] Suprà docuimus, Syllæ felicitati suæ vnum hoc defuisse cõfessum, quòd Capitolium non dedicauisset: nã restitutum quidẽ fuit ab ipso, sed à Catulo Lutatio dedicatũ: cuius nomen, vt inquit Tacitus, inter tanta Cæsarũ opera vsque ad Vitellium mansit.

Prætextatis.] Pueris nobilibus, prætexta veste indutis: de qua suprà satis.

Secreuisse.] Seposuisse, separasse, sequestrasse à reliqua turba puerorum.

Signũ Reipublicæ.] Aquilam signare videtur, quod fuit signũ principale Romanorum: vel simulacrum Libertatis intelligit.

Insequenti.] Altero somnio.

Prohibitũ.] Somniauit scilicet Catulus, se prohiberi, vetariq; ne puerũ illũ detraheret, quẽ per somnium viderat in gremio Iouis.

Tanquam is.] scilicet puer: per quem significabatur Augustus.

Contuitus.] Conspicatus, oculis inconniuentibus.

M. AN. SOlis ortũ.] Id quoque ad eius conceptum attinet.

Coaxare.] Id ranarum propriè est: vox factitia, vt balare oues dicuntur, hinnire equi, elephanti barrire: vnde & ipsi barri dicti.

In nemore.] Ad Aricinum nemus referri non potest, quia ad quartum lapidem dixit, Aricia decem millibus distat. Simpliciter ergo pro quouis loco arboribus denso capias oportet: nisi forte ad quartumdecimum lapidem legas: nã vltra Ariciam hodie quoque oppidum est quod Nemus veteri appellatione incolæ vocant.

Delapsa reddidit.] Idem penè ostentum Tarquinio Prisco Romam migranti: futurum regnum portendit illi pileus ab aquila ademptus, vltróque ab eadem alite restitutus: Liuius est author.

Secreuisse.] Seorsum à reliquo cœtu statuisse.

Signum Reipublicæ.] Aquilam. Diony. Recuperaui aquilam, legionarium ducem seruaui.

Prohibitũ.] Catulum.

Contuitus.] Fixo obtutu contemplatus.

osculum delibatum digitis ad os suum retulisset. M.Cicero C.Cæsarem in Capitolium prosequutus, somnium pristinæ noctis familiaribus fortè narrabat: Puerum facie liberali demissum cælo catena aurea ad fores Capitolii constitisse, eíque Iouem flagellum tradidisse: deínde repentè Augusto viso, quem ignotum adhuc plerisque auunculus Cæsar ad sacrificandum acciuerat, affirmauit ipsum esse, cuius imago secundum quietem sibi obuersata sit. Sumenti virilem togam, tunica lati claui resuta ex vtraque parte, ad pedes decidit. Fuerunt, qui interpretarentur, non aliud significare, quàm vt is ordo, cuius insigne id esset, quandoque ei subiiceretur. Apud Mundam Diuus Iulius castris locum capiens, quum syluam cæderet, arborem palmæ repertam, conseruari, *vt omen victoriæ, iussit. Ex ea continuò nata soboles, adeò in paucis diebus adoleuit, vt non æquipararet modò matricem, verùm etiam obtegeret, frequentaretúrque columbarum nidis: quanuis id auium genus duram, & asperam frondem maximè vitet. Illo præcipuè ostento motum Cæsarem ferunt, ne quem alium sibi succedere, quàm sororis nepotem

PHIL. Osculum delibatum.] Verg. Oscula libauit natæ. Ad os retulisset.] Qui adorant, vt inquit Hieronymus scribens in Rufinum, solent manum deosculari: vnde Hebræi deosculationem pro veneratione vsurpant. Plinius in xi. quandā esse religionem in dextra testatur, quæ osculis auersa appetitur. Nunc verò Tranquillus ait visum esse à Catulo Iouem libantem osculum pueri, & ad os suum digitis referentem. In quā sententiā est illud Apuleii ex Asino aureo, Tunc Iupiter perpressa Cupidinis buccula, manúque ad os relata consuauiat.

Pristinæ noctis.] Superioris noctis. Curtius: Proximus dies nondum quidem procellosus, & tristis, obscurior tamen pristino.

Facie liberali.] Ingenuo filo totius corporaturæ. Facies enim non solùm ad os, & vultū, sed & ad facturam totius corporis refertur. aliâs, in.

Flagellum.] Hoc significabat eum futurum moderatorem Imperii, instar aurigæ, qui flagello regit equos, & pro nutu moderatur.

Auunculus Cæsar.] Iulius Cæsar dictator significatur: qui, vt suprà docuimus, fuit maior auunculus Augusti.

Secundum quietem.] In quiete, in somniis. Ita Cicero: Annibali secundū quietem visam esse prædicere Iunonem, ne id faceret. Hæc particula, secūdum, modò significat iuxta: vt illud, secundum flumina. Aliâs post: vt, secundum salutem. Aliâs significat pro: vt, secūdum te litem do, id est, pro te.

Resuta.] Dissuta, resoluta. Resuimus enim quæ suta sunt: sicut recludimus, quæ clausa.

Is ordo.] Senatorius. Insigne id esset.] Latus clauus insigne est ordinis Senatorii, vt suprà dictū est.

Mundam.] Hispaniæ ciuitatem.

Vt omen victoriæ.] Quia palma signum est victoriæ in certaminibus. Causam referunt Plutarchus, & Aristoteles: Si super palmæ, inquiunt, lignū magna pondera imponas, non deorsum palma cedit, nec inflectitur, sed aduersus pōdus resurgit, & sursum nititur: propterea in certaminibus placuit, palmam insigne esse victoriæ: quoniam eiusmodi est, vt vrgentibus, prementibúsque non cedat. Scribit Liuius, Romanos in ludis palmas victoribus dare cœpisse, translato ex Græcia more. Adoleuit.] In magnitudinem excreuit. Aliâs significat combussit, iuxta illud,

Verbenas adole pingues. Adolescere, vt inquit Agretius, augmenti est: inolescere verò coaugmentis: exolescere autem euanescentis.

Matricem.] Ipsam palmam matrem. Hac dictione vsus est frequenter Columella, qui de columbis scribēs ait: Octies anno pullos educat, si est bona matrix. Idem de gallinis: Primùm quàm secretissima cubilia eligunt, ne incubātes matrices ab aliis auibus inquietētur.

Obtegeret.] Obumbraret sua magnitudine. Herba quædam est, impia appellata ex eo, quòd liberi super parentem excellāt: rami enim capitella sustollunt.

Columbarū.] Columbas Veneri dicatas esse, docuimus in Commentariis Propertii, in illius versus enarrationem:

Sed cape torquatæ Venus ô regina columbæ. Ob hoc videtur columbarum auguriū pertinuisse ad Cæsaris felicitatem, qui per Aeneam à Venere oriundus est. Ad reges, vt inquit Seruius, pertinet colūbarum augurium, quia nunquam solæ, sicut nec reges nunquam soli, incedunt. Existimat Varro à columinibus villæ appellatas colūbas, cùm propter timorem naturalem summa loca in tectis captent, & turres sequantur. Albertus verò Magnus triuiale dedit interpretamentum, tanquàm columbæ ab eo dictæ sint, quòd colant lumbos. sunt enim aues in primis libidinosæ, & ob id Veneri dicatæ.

Sororis nepotē.] Augustū intelligit, qui matrē habebat Acciā ex Iulia sorore Cæsaris Dictatoris genitā.

Osculum.] Vt eo signo ducem prætextatis à Ioue demonstratum intelligas. M. AN.

Delibatum.] Leniter tactum.

Facie liberali.] Ingenua indole.

Flagellum.] Ad delinquentiū terrorem, & vltionē quæsitum. Auunculus.] C. Cæsar: qui maior auunculus illi erat. Resuta.] Repente soluta.

Is ordo.] Senatorius. Matricem.] Matrem, altricémq; arborem. Vt omen.] Rei nunc: sed & animi alioqui, & oris est. Palmæ natura, vt Plinius & Gellius scribunt, inuicta: quippe quæ in impositū nitatur pondus: atque ob id præmium inde victoribus datum.

Columbarum nidis.] Ad Iuliam progeniem id attinet, quæ à Venere fuit, est vtique volucris ipsa Veneri sacra. Vergilius: Maternas agnoscit aues. Martialis:

Ne violes teneras præduro dente columbas,
Tradita si Gnidiæ sunt tibi sacra deæ.

vellet. In secessu Apolloniæ Theogenis mathematici pergulam comite Agrippa ascenderat, quum Agrippæ, qui prior consulebat, magna, & penè incredibilia prædicerentur, reticere ipse genituram suam, nec velle edere perseuerabat, metu, ac pudore, ne minor inueniretur. Qua tamen post multas adhortationes vix & cunctanter edita, exiliuit Theogenes, adorauítque eum. Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, vt thema suũ vulgauerit, nummúmque argenteum nota syderis Capricorni, quo natus est, percusserit.

PHIL. IN secessu Apolloniæ.] Antè dictum est, Augustum à Cæsare præmissum fuisse Apolloniam, vt ibi studiis vacaret.

Mathematici.] Aulus Gellius vulgum reprehendit, qui mathematicos dicit, quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet. Attamen luculenti scriptores Mathematicos, sicuti vulgus, appellant astrologos, qui alio nomine genethliaci dicuntur: qui quæ futura sunt profitentur se prædicere posse de motu, déque positu stellarum. Iuuenalis:

Nota mathematicis genesis tua.-

Cornel. Tacitus: Mathematici genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in ciuitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur. Iulius Firmicus semper mathematicos appellat astrologiæ scios, & gnaros: Ab Augustino planetarii nominantur in IIII. Confessionum.

Pergulam.] Pergula significat locum in edito, atque in propatulo, vbi professores docere solebant, & artifices opera sua ostentare: vnde pergulæ magistrales eleganti epitheto dictæ à Iulio Capitolino. Plautus in Pseudolo, actus I. scena II. Te ego ipsam culleo cras faciam deportère in pergulam. Idem infrà: Cras Phœnicium Phœnicio corio inuises pergulam. tanquam significet se puellam flagris cæsam in loco aperto omnibus ostensuram. Iurisconsulti titulo De his, qui deiecerunt, mentionem faciunt pergulæ pictoris: sicut etiam Plinius in XXXV. refert, Apellem solitũ opera perfecta proponere in pergula transeuntibus. Itidem nunc appellatione pergulæ significatur schola mathematici editior, & apertior. Præterea de pergula in hoc significatu meminit Plinius in XXI. & Iuuenalis illo versu:

-Cui cedere debeat omnis

Pergula.- Extat & hic Lucilianus versus à Lactantio recitatus:

Pergula pictorum veri nihil, omnia picta. Pergula in vitibus, notissimæ est significationis. Plin. in XVII. Vitium generosatum pergulas quinquatribus putandas tradunt. Quum autem pergulæ sint loca aperta, & subdialia, à pergendo dici videri possunt, quòd in his deambulare solerent.

Prædicerentur.] Ab ipso Theogene mathematico.

Genituram.] Vulgus natiuitatem appellat, quam eruditi genituram vocant. Hinc est illud apud Spartianum mathematici dictum ad Seuerum: Tuam, non alienam, pone genituram. Idem Seuerus genituras sponsarum requirebat, cùm esset matheseos peritissimus. Iul. Firmicus genituras innumeras colligit, scatétque hac veluti peculiari dictione. Ambros. natiuitatẽ, sicut vulgò dicitur, appellat scribens in IIII. Hexameri, breui atomo, exiguóque momento distare natiuitatẽ inopis, & potentis: egeni, & diuitis. Aliàs genitura accipitur pro spermate. Plin. in XX. Datur caucalis cõtra profluuiũ geniture viris. Idem tradit, fœniculum genituræ abundantiam facere. Idem in XX. Semen canabis extinguere genitură virorũ dicitur. Præterea genesim dicimus genituram, quando pro natiuitatis hora accipitur. Iuue.

Nota mathematicis genesis tua.-

Edere.] Manifestare. Vix & cunctanter.] Non sine magna cunctatione, & hæsitatione.

Thema.] Propositũ suæ constellationis, suæq; genituræ. hoc enim in præsentia significat thema. Aliter dici themata, quæ proponuntur in scholis, notum est: de quibus Quinti. in VII. In schola sunt & pauca, & ante declamationem exponuntur, quæ θέματα Græci vocãt, Cicero proposita. Quidã codices habet stemma. Magis placet prior lectio: cùm hîc nõ loquatur de stemmate familiæ, atque prosapiæ, sed de publicata Augusti genitura, & ipsius natiuitatis expositione. In hoc ipso significatu thema vsurpatur à Sidonio scribente, vt pote quibus themate oblato quasi sanguinariæ genituræ schema patuisset.

Nota.] Signo. Nam signum, quo nummi cuduntur, notam vocamus. Plinius: Nota argenti fuêre bigæ, atque quadrigæ. Idem: Signatum est æs, nota pecudũ: vnde & pecunia appellata. Argẽtum signatũ est anno vrbis CDLXXXV. quinque annis ante primum Punicũ bellum: & placuit denarius pro decem libris æris, quinarius pro quinq;. Populus Romanus victis gentibus in tributo semper argentum imperabat, non aurum.

Capricorni.] Capricornus, signum est vnũ ex duodecim Zodiaci, qui vnà cum Cancro portæ Solis vocantur. nam Sol in eo signo obliquum incipit agere retrogressum, ibique fit brumale solstitium. Ob hoc existimat Macrobius Capricornum dici, quia capræ naturã videtur imitari, quæ dum pascitur, altum semper ab imo petit: ita & Sol in Capricorno incipit ab imis in alta remeare. Fabulam Capricorni cur sit inter sydera relatus, refert Hyginus. Præterea author est Iulius Firmicus in VIII. Matheseos, quòd quicunque habuerit horoscopum in prima parte Capricorni, erit Rex, aut Imperator. Itidem in tertia parte Capricorni habentes horoscopum, erunt magni, potentes, maximam gladii potestatem habentes. Saturnus habet domicilium in Aquario, & in Capricorno: ex quibus Aquarius masculinum signum est, Capricornus fœmininum.

IN secessu Apolloniæ.] Quum Apolloniam secessisset, vel auunculum præcessisset potius. M. AN.

Mathematici.] Astrorum periti. τὰ μαθήματα Græci disciplinas appellant: vt musicam, arithmeticam, geometriam, & astrologiam. Pergulam.] Pergula, locus vbi præceptores discipulos erudire solebant: vbi item opifices aliquid operari, aut opera exponebant. Lucil. Credunt signis cor inesse alienis pergula pictorũ. Apelles, vt Plinius ait, in pergula absoluta opera velut populi iudicio subiiciens proponebat. Et rursus: L. Furius argentarius cum corona rosacea è pergula sua in forũ prospexisse dictus: atque ob id ex authoritate Senatus in carcerẽ ductus. Trãquil. ipse alibi, Inde, inquit, in pergula docuit. Iuuen. -Cui cedere debeat omnis

Pergula doctoris tripheri.-

De prodigijs, quæ poſt necem Iulij Cæſaris ipſi Auguſto uenerunt. XCV.



Oſt necem Cæſaris reuerſo ab Apollonia,& ingrediente eo vrbem, repentè liquido, ac puro ſereno circulus ad ſpeciē cæleſtis arcus, orbem Solis ambijt, ac ſubinde Iuliæ Cæſaris filiæ monumētum fulmine ictum eſt. Primo autem conſulatu ei augurium capienti, duodecim ſe vultures, vt Romulo, oſtenderunt: & immolanti omnium victimarum iecinora replicata intrinſecus ab ima fibra patuerunt, nemine peritorum aliter coniectante, quàm læta per hæc,& magna portendi.

Cunctanter.] Non ſine mora,& dubitatione.

Exiliuit Theogenes.] Stemma hoc loco pro geneſi,alibi pro gradu,ſiue ordine alicuius familiæ,ramis, ac lineis quibuſdam gentem, familiámque diſtinguentibus. Perſius:

Stemmate quòd Thuſco ramū milleſime ducis.

Tranquillus ipſe in Galba ſuū ſtema in atrio propoſuit, quo paternā originem ad Iouem,maternam ad Paſiphaen referebat. Græci στέμμα coronam appellant. Homerus de Chryſe, στέμματ᾽ ἔχων.

Nummū argenteum.] Romani ante Pyrrhum victum ſignato argento, vt Plinius ait, non ſunt vſi,eiúſque nota ab initio bigæ,& quadrigæ fuere. Capricorni:] in octaua parte cuius ſigni fit brumale ſolſtitium: De vi ſyderis, Plinius & Macro. plura.

PHIL. AD ſpeciem cæleſtis arcus.] Scribit Seneca in primo Quæſtionum naturalium, virgas, coronas,& circulos fieri iuxta Solem ferè nube humida,& iam ſe ſpargente: eũdémque eſſe in illis colorē,qui in arcu cæleſti ſit. Color enim multiplex eſt, ex cæruleo, fuluóque varius. Auguſto vrbem Romā intrāte poſt obitum Patris,ad nomén ingens capeſſendum viſa eſt circa Solis orbem ſpecies coronæ,& verſicoloris circuli,vt author eſt Plinius in 11. De quo Seneca: Memoriæ proditum eſt, quo die diuus Auguſtus vrbem ex Apollonia reuerſus intrauit, circa Solem viſum coloris varii circulum,qualis eſſe in arcu ſolet. Nunc Græci ἅλω vocant, quem nos dicere coronam aptiſſimè poſſumus.

Subinde.] Mox,ſtatim. Aliâs ſubinde ſignificat frequenter. Vt Romulo.] In auguriis vulture potiſſimùm vtebantur: & augurium vulturum feliciſſimum exiſtimabant: quia, vt inquit Plutarc. in Problematis, Romulo in condenda vrbe duodecim vultures apparuerint: & Herculem lætari ſolitū ferunt,cùm inter res gerendas vulturem aſpexiſſet, quem ex omnibus carniuoris alitibus iuſtiſſimū eſſe iudicabat. Hiſtoria de augurio duodecim vulturū,quos vidit Romulus, latiſſimè explicatur ab Hiſtoricis. Scribit Ambroſius in Hexamero, vultures minimè indulgere cōcubitui,& ſine maſculorū coniunctione generare: omnes enim fœminæ eſſe credūtur,& ex vento cōcipere. Refert Plin. in x. eos nidificare in excelſiſſimis rupibus, fœtúſque ſæpe cerni ferè binos. Ex volucribus in auxilio cōtra ſerpentes primùm vultur eſt. corque eius alitis habentes tutos eſſe ab impetu dicūt,nō ſolūm ſerpentiū,ſed etiā ferarum,& latronū, ac regum ira. Penna vulturis ſi ſcalpantor dentes,acidum halitū faciunt. Dicitur in recto caſu vultur,& vulturis,& vulturius. Ennius:

Vulturis in pratis miſerū mādebat homonē. Catul.

Lingua exerta auido ſi data vulturio. Per egregiam quandam trāſlationem Plautus vulturios vocat talos. Nā ſicut vultures carniuori ſunt,& rapto viuentes,ita & tali in ludo talario voratores ſunt, atque rapaces: cùm ſæpe deſpolient aleatorem. Ita enim exponēdus eſt ille locus ex Curgulione, Tace parumper: iacis vulturios quatuor. Solent enarratores Plautinarū fabularum vulturios exponere pro imaginibus vulturū, quæ in talis ſignatæ forent: quod quàm abſurdum ſit, & ab hiſtorica fide alienū, nemo vel mediocriter eruditus ignorat. Iulius Pollux,qui notas,& puncta talorū vbertim explicat, nuſquam meminit vulturiorum. Tu expone vulturios quatuor, pro talis, qui erant numero quatuor in ludo talario, cùm teſſeræ forent tātum tres: ſicus copioſius explicauimus in libr. Annotationū. Vulturii autem non ab effigie vulturum, quod nuſquā ſcriptum eſt,dicuntur: ſed feſtiuiſſimè per ſimilitudinem, quia vulturum naturam rapaciſſima imitantur, qui triduo antè, aut biduó volare dicuntur, vbi cadauera futura ſunt. Hinc ait Hieronymus: Vultures tranſmarina cadauera ſentiunt. Et Plautus in Truculento: Iam,quaſi vulturii,triduo prius prædiuinant quo die eſuri ſint. Inde captatores bonorū,& hæredipetæ vultures nuncupati: ex quo ait elegāter Martialis: Cuius vulturis hoc erit cadauer. Es in hanc ſententiam Seneca in Epiſtolis moralibus inquit: Vultures: cadauer expecta.

Iecinora replicata.] In iecinore eſt id, quod caput extorum aruſpices vocant: quod quum defuit in extis, mortem, exitiúmque denuntiant. Contrà felicitatem portendit replicatum. Scribit Valerius, Marcello ſacrificanti iecur victimæ ſine capite inuentum fuiſſe, quum proxima victima iecinoris duplex caput habuiſſet: quibus inſpectis, aruſpex reſpondit, non placere ſibi exta, quæ prima trunca, ſecunda nimis læta apparuiſſent. Quod pertinet ad enarrationem huius loci, ſic ſcribit Plinius in vndecimo: Diuo Auguſto Spoleti ſacrificanti, primo poteſtatis ſuæ die, ſex victimarum iecinora replicata intrinſecus ab ima fibra reperta ſunt: reſponſúmque, duplicaturum intra annum Imperium.

Ab ima fibra.] Quæ in inferiore parte eſt. In iecinore enim fibræ ſunt quatuor. Celſus in ſſſſ. Iecur in quatuor fibras diuiditur. Hinc illud Maronianum:

-Nec fibris requies datur vlla renatis.

Peritorum.] Aruſpicum, & eorum, qui aruſpicinæ diſciplinam optime callent: de qua ſuprà ſatis copioſè dictum eſt.

Circulus.] Plinius, Cernitur, inquit, & circa Solis orbem ceu ſpecies coronæ, & verſicoloris circuli, qualiter Auguſto Cæſare in prima iuuenta vrbē intrante, poſt obitum patris, ad nomen ingens capeſſendum. M. AN.

Iuliæ filiæ.] Quæ in campo Martio tumulata eſt.

Duodecim vultures.] Tot enim Plutarcho, Liuio, & Dionyſio authoribus, Romulo augurium fecêre.

Immolanti Auguſto.] Vbi autem, aut quando, non dicit: ſed Plinius id docet. Diuo, inquit, Auguſto Spoleti ſacrificanti primo poteſtatis ſuæ die ſex victimarum iecinora replicata intrinſecus ab ima fibra reperta ſunt: reſponſum, duplicaturum intra annum Imperium.

De prodigijs, per quæ præsensit euentum bellorum suorum. XCVI.



Vin & bellorum omnium euentus antè præsensit. Contractis ad Bononiam Triũuirorum copiis, Aquila tentorio eius superſedens, duos coruos hinc, & inde infeſtantes, afflixit, & ad terram dedit: notante omni exercitu, futuram quandoque inter collegas diſcordiã talem, qualis ſecuta eſt, ac exitum præſagiente. In Philippis, Theſſalus quidam de futura victoria nuntiauit, authore diuo Cæſare, cuius ſibi ſpecies itinere auio occurriſſet. Circa Peruſiam, ſacrificio non litante, quum augeri hoſtias imperaſſet, ac ſubita eruptione hoſtes omnem rei diuinæ apparatum abſtuliſſent: conſtitit inter Aruſpices, quæ periculoſa, & aduerſa ſacrificanti denuntiata eſſent, cuncta in ipſos recaſura, qui exta haberent. Neque aliter euenit. Pridie quàm Sicilienſem pugnam claſſe committeret, deambulanti in litore, piſcis è mari exiluit, & ad pedes iacuit. Apud Actium deſcendenti in aciem, aſellus cum aſinario occurrit, Euthycus homini, beſtiæ Nicon erat nomen. Vtriuſque ſimulacrum æneum victor poſuit in templo, in quod caſtrorum ſuorum locum vertit.

PHIL. AD Booonĩam.] Quando ſcilicet triumuiri, hoc eſt Antonius, Auguſtus, & Lepidus in inſula, quam facit Lauinus fluuius non longe diſtans à patria noſtra, nefariam proſcriptionem factitauerunt.

Aquila teotorio.] Aquilæ, vt inquit Seneca in ſecundo Quæſtionũ, hic honor datus eſt, vt magnarum rerum faceret auſpicia: & quicquid alia minora portendunt, interuentu Aquilę tollitur: ſicut fulminè aboletur quicquid aquilæ, & reliqua denuntiauerunt. Nam, vt ait Seruius, minora auguria maioribus cedunt, nec vllarum ſunt virium, licet priora ſint. Hinc illud ex Bucolicolo dicto: -Quantum Chaonias dicũt aquila veniente columbas. Igitur aquila ſignificabatur Auguſtus, qui collegas Antoniũ, & Lepidum infeſtos ita cõflictaret, vexarétque, ſicut aquila coruos duos afflixit.

Duos coruos.] Oſtentũ hoc ſignificabat per duos coruos Antonium & Lepidum affligi debere ab Auguſto, qui tanquam aquila illos ſupernè inuaderet.

Præſagiẽte Philippo.] Quidam connectuot hæc ſuperioribus, tãquam Philippus præſenſerit, prædixerítque ex diuinatione quadam exitũ rei futurũ. Sed melius videtur ſic eſſe diſtinguendum, vt legas præſagiente, ſcilicet exercitu, exitũ, qui ſequutus eſt: & hoc cum ſuperioribus copulabitur, mox ſubſequetur: In Philippis Theſſalus quidam. Et eſt ſenſus, quendam Theſſalum ex occurſu imaginis diui Cæſaris nuntiaſſe de futura victoria, quam in Philippicis cãpis adeptus eſt Auguſtus, Bruti partibus profligatis.

Auio.] Inuio, inacceſſo, quaſi ſine via. Auia dicuntur loca deuia, & à militari via ſequeſtrata. Lucretius;

Auia Pieridum peragro loca. Idem:

Auius à vera longè ratione vagaris. Hinc illud per annominationem apud Quintilianum vulgatiſſimum: Auium dulcedo auium ducit.

Non litante.] Non placante numen. Vergilius:

-Sacriſque litatis

Indulge hoſpitio.- Tradit Macrobius quòd litare ſola non poteſt oratio. Nonius: Sacrificare, inquit, eſt veniam petere; litare, eſt propitiare, & votum impetrare.

Augeri hoſtias.] Moris erat, vt prima hoſtia non litaote, altera, deio tertia, pluréſve adhiberentur: & ita numerus hoſtiarum augeretur, donec litatum foret. Hinc legimus Paulum Aemylium olim ſacrificantem noo litaſſe vſque ad vigeſimam hoſtiam: in vigeſima verò prima apparuiſſe ſigna victoriam promitteotia. Præterea augeri hoſtiæ dicuntur, quando immolantur adhibita mola. Vnde & mactæ appellantur, quaſi magis auctæ: ſicuti grammatici prodiderũt.

Recaſura.] Reuerſura, redundatura, reditura.

Exta haberent.] Illa, quæ erãt inauſpicata, & infortunium habenti portendebant.

Sicilienſem.] In Sicilia factã aduerſus Sex. Põpeium.

Ad pedes iacuit.] De hac re ſic Plin. in 1 x. Sunt & piſcibus præſcita in hac parte auguria. Siculo bello ambulante in litore Auguſto, piſcis è mari ad pedes eius exilijt: quo argumento vates reſpõdere, Neptunum patrẽ adoptãtem eũ ſibi, Sex. Põpeio repudiato.

Eurychus.] Ex oominibus aſini, & aſinarii omẽ victoriæ cepit Auguſtus. Εὐτυχία enim ὁ εὐτυχῶν Græci fortunatum vocãt, νικῶν ὁ νικῶντα, vincentem. Plutarc. in M. Antonio, Cæſari, inquit, ante lucem caſtris egreſſo, nauéſq; reuiſenti, hominẽ, qui aſinũ agitabat, obuiũ factum: rogãti autem quodnã nomen ei eſſet, reſpoodiſſe, ſibi quidem Eorychon nomen eſſe, aſinum autem Niconta appellari: quamobrem poſteà cùm ea loca ornaret Cæſar, ſtatuit inter cætera hominem, & aſinum æneum. Refert Ioſephus, Romanos habuiſſe arietem machinam bellicam, quem Iudæi Niconta vocabant, quod omnia vinceret. νικῶ Græcè vinco.

M. AN. TRiumuirornm.] Antonii, Lepidi, & Auguſti.

Aquila.] Per aquilam Auguſtum interpretati ſunt, in cuius tabernaculo ales ſederat: per coruos Lepidum, & Antonium.

Exitum præſagientem.] Diſcordiæ finem ex eo augurio exercitu colligente.

Philippo.] Vt Philippus legendum eſt: vt ſit ordo, Philippus Theſſalus quidam: aut, quod magis placet, aduerbialiter Philippus, quaſi dicat apud Philippos: eam Macedoniæ vrbem eſſe ſuprà docuimus.

Authore.] Eius nuotji perſuaſore, impulſore.

Auio.] Deuio. Exta rapta.] Cum omni ſacrorũ apparatu ſublata. Aſinario.] Qui aſinos agebat.

Euthycus.] εὐτυχὴς, εὐτυχὸς fortunatus: νικῶν ἀπὸ τοῦ νικᾶν, vinco. In templo.] Marti, & Neptuno ſacro.

Luſtrum

De ostentis prænuntiantibus mortem eius. XCVII.



Ors quoque eius, de qua dehinc dicam, diuinitásque post mortem, euidentissimis ostentis præcognita est. Quum lustrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila eum sæpius circumuolauit: transgressáque in vicinam ædem, super nomen Agrippæ, ad primam literam sedit. Quo animaduerso, vota, quæ in proximum lustrum suscipi mos est, collegam suum Tyberium nuncupare iussit. Nam se, quanquam conscriptis, paratísque iam tabulis, negauit suscepturum, quæ non esset soluturus. Sub idem tempus ictu fulminis ex inscriptione statuæ eius prima nominis litera effluxit. Responsum est, centum solos dies posthac victurum, quem numerum C, litera notaret, futurúmque vt inter deos referretur, quòd æsar, id est, reliqua pars è Cæsaris nomine, Hetrusca lingua Deus vocaretur. Tyberium igitur in Illyricum dimissurus, & Beneuentum vsque prosecuturus, quum interpellatores aliis, atq; aliis causis in iure dicendo detinerent, exclamauit, (quod & ipsum mox inter omina relatum est) Non si omnia morarentur, amplius se posthac Romæ futurum. Atque itinere inchoato, Asturam perrexit: & inde, præter consuetudinem, de nocte ad occasionem auræ euectus est.

PHIL. LVstrum conderet.] Seruius Tullius censu perfecto in campo Martio instructũ exercitum omnem sue, oue, taurísque lustrauit: ídque conditum lustrum appellatum. Liuius author in I. Censorinus in libro de die Natali, in hanc sententiam sic ait: Id tempus anni magni Romanis fuit, quod lustrum appellabãt, ita quidem à Ser. Tullio institutũ, vt quinto quoq; anno censu ciuium habito, lustrum conderetur, posteri quoq; idem in cõdendo lustro institutum seruarent, quãuis interdum intermiserit spatia auctiora: fuítque id officium censorum post Imperatorem Vespasianum.

Ad primam literam.] A, significatur, quæ prima litera est in nomine Agrippæ: per quã id ostentum ad Augustum referri interpretabantur, cuius quoq; nomen ab a, incipit.

Collegam.] In censura. Erat enim, vt inquit Asconius censorum hoc officium, vt completo quinquennio lustrum cõderent, & Solitaurilia sacrificia facerent.

Nuncupare.] Pronuntiare, promittere, atque palàm nominare. Vota enim nuncupata dicuntur, quæ cõsules, prætorésque quum in prouinciam proficiscuntur, faciunt, eáque in tabulas præsentibus multis referuntur, quæ nominata sunt, & quasi testificata: vnde & pecunia nuncupata dicitur, vt ait Cincius, nominata, certa, nominibus propriis pronuntiata: &, vt inquit Santra, promissa, testificata. Plinius in Panegyrico: Nũcupare vota, & pro æternitate Imperii, & pro salute ciuium, imò pro salute principũ, ac propter illos pro æternitate Imperii solebamus.

Hetrusca lingua.] Linguam Hetruscam à Romana diuersam fuisse, testãtur eruditi, & in primis T. Liuius, qui scribit in IX. Romanos pueros antiquitus ita Hetruscis literis erudiri solitos, sicuti postea Græcis.

Paratis tabellis.] In quibus vota, quæ suscipiuntur, perscribi solent præsentibus multis, de quibus videtur intellexisse Iuuenalis illo versu:

-Legitimè fixis vestitur tota tabellis
Porticus.-

Prima litera.] C, intelligitur, quæ litera Caium significat, & prima est in hoc nomine Cæsaris.

C, notaret.] Scribit Priscianus, numerum centenarium notari per literam C.

Beneuentum.] Olim Maleuentum dictum est. Liuius: Cædi, capiq; Samnites, nisi qui Maleuentũ, cui nũc vrbi nomen Beneuentum est, perfugerunt. Plin. In secunda Italiæ regione Hirpinorum colonia vna Beneuentum: auspicatius mutato nomine, quæ quondam appellata Maleuentum.

Interpellatores.] Cicero: In studiis sine interpellatore versor. Interpellare autem, est mediam alterius orationem interrumpere, vel alterius se actioni interponere.

Inter omina.] Significanter loquutus: nam illud propriè augurium dici omen voluerunt, quod ore fit, velut osmen, siue oremẽ: vt M. Varro, & Festus tradiderunt. Fuit omen id verbum, quo dixit Augustus, se non amplius futurum Romæ: quod mox euentus comprobauit.

Asturam.] In Latio Astura flumẽ est, & insula: author Plin. in III. Cicero olim proscriptus, Asturã delatus mare ingressus est: mox mutato consilio Asturã repetiit, vt refert Plutarch. in vita Ciceronis. Ait Seruius, Asturã esse oppidum cum fluuio nõ longè à Terracina. Apud Vergilium anceps lectio est illius versus ex VII.

Qua saturæ iacet atra palus.- Alii enim legunt saturæ, alii Asturæ.

Auræ.] Quæ vento clementior est. Pli. in Epist. scribit, Tuscos suos freqnẽtius auras habere quàm vẽtos.

M. A N. AGrippæ.] Cuius nominis prima litera est, per quam Augustum interpretari placuit.

Nuncupare.] Declarare.

Non esset soluturus.] Quasi certò sciret se ante proximum lustrum vita decessurum.

Effluxit.] Excidit, abolita est.

C, litera.] Quæ prima in Cæsare.

Interpellatores.] Interruptores, vt Pediani verbo vtar. Est, vt ille ait, interpellare, mediam alterius orationem interrumpere, vel se actioni alterius interponere.

Si omnia morarentur.] Si omnia in mora essent.

Asturam.] Insulam in Antiate tractu Latio adiacentem: est & fluuius eiusdem nominis.

Ex pro

De causa infirmitatis eius, & gestis in eadem. XCVIII.

Causam valetudinis contraxit ex profluuio alui. Tunc Campaniæ ora, proximísque insulis circuitis, Caprearũ quoque secessui quatriduum impendit, remississimo ad otium, & ad omnem comitatem animo. Fortè Puteolanum sinum præteruchẽti, vectores, nautæque de naui Alexandrina, quæ tunc quidẽ appulerat, candidati, coronatíque, & tura libantes, fausta *omina, & eximias laudes congesserant: Per illum se viuere, per illum nauigare, libertate, atque fortunis per illum frui. Qua re admodum exhilaratus, quadragenos aureos comitibus diuisit: iúsque iurandum, &

PHIL. Ex profluuio alui.] Aluus est, quo defluunt sordes. Vergilius ἀκυρῶς, id est, impropriè dixit:

-Nota conduntur in aluo. pro in ventre. Cornel. Celsus aluum aliquando vsurpat pro ipsis excrementis: sic enim ait in secundo, Peior cita aluus est: sed ne hæc quidem terrere protinus debet, si matutinis temporibus coacta magis est, aut si procedente tempore paulatim contrahitur, & rufa est. De aluo hæc Plin. in vigesimosexto, digna me moratur: Plurimũ negotii humano generi aluus exhibet, cuius causa maior pars mortalium viuit: aliàs cibos nõ trãsmittit, aliàs nõ continet, aliàs non capit, aliàs non cõficit: eóque mores venere, vt homo maximè cibo pereat. Profluuium alui vocamus, vbi liquida est, & fluit copiosius: verùm, vt inquit Celsus in IIII. vno die fluere aluum sæpe pro valetudine est, atque etiam pluribus, dum febris absit: purgat enim corpus. Periculosissimũ verò illud profluuium est, quo nihil cõtinetur, & quicquid assumptum est, protinus redditur. Græci id morbi genus λειεντερίαν vocant: à nostris dicitur leuitas intestinorum: de qua Hippocrates, & Galenus, reliquáque medicorum schola affatim scripserunt. Qui aluo languescunt, egregio, & périnde eleganti vocabulo nuncupantur aluini. Plinius in XXI. Vincaperuinca aluinis imposita multùm prodesse dicitur. Austro flante soluitur aluus, Aquilone verò adstringitur. Veteres foria dici voluerunt, stercora liquidiora: & foriolum, qui foria facilè emittat, soluelq; sic ventris. Laberius:

-Foriolus esse videris: in coleos cacas.

Campaniæ ora.] Mediterraneum, & oram tãquam diuersa vsurpat Plinius, vt in mediterraneo dicat esse ciuitates, quæ sunt procul à litoribus, intus, in medio regionis: in ora verò esse, quæ sunt in extremo iuxta litus. Exempli gratia, scribens de Hispania ait: In mediterraneo est Segeda: in ora Basculi. Igitur Augustus incidit in ægrotationem, dum circuit orã, litoralémq; Campaniæ regionem. De ora sic scriptum legimus in integro Festi Pompeii codice: Oræ, extremæ partes terrarum, id est, maritimæ dicuntur: vnde & vestimentorũ extremæ partes, quæ quia & primæ dici possunt, Cæcilius vsus est pro initio rei, eùm ait: Oram reperire nullam, quam expediam, queo.

Caprearum.] De insula Caprearum antè dictũ est, & mox dicetur. Secessui.] Quo cesserat, velut in locum amœnum, voluptabilémq; secessum. Prætereà secessus dicitur sinus secretior, remotiórq;: vt illud:

Est in secessu longo locus.- Remississimo.] Solutissimo, & in primis relaxato. Remittere enim animum, est relaxare: quãuis Musonius dicat animum non esse remittendum: quoniã, inquit, remittere animum, quasi amittere est. De naui Alexãdrina.] Alexãdrinæ naues, quæ præmitti solẽt, & nũtiare secuturæ classis aduentũ, tabellariæ vocãtur, quarũ gratus aspectus Cãpaniæ est. Omnis in pilis Puteolorũ turba consistit: & ex ipso genere velorũ Alexandrinas esse cognoscit. Solis enim Alexãdrinis nauibus licet suppara velorũ intendere, quæ res in primis adiuuat cursum nauigiorum: author Seneca in XI. Epistol. moraliũ, qui scribit Supparum Alexandrinarũ nauiũ insigne indicium esse. Sunt autem suppara, vela velorũ, quæ super antẽnas explicantur: de quibus Lucanus:

Suppara velorũ.- Aliàs supparũ dici vestimentũ puellare lineum, quod & subucula, id est, camisia dicitur, satis notũ. Afranius: Puella nõ sum, supparo si induta sum.

Vectores.] Qui vehũt, & qui vehũtur, vectores dici notum est: hic vectóres significãtur, qui vehuntur, sicut nautæ, qui nauem exercent. quanuis enim nautæ appellentur omnes, qui nauis agendæ causa in naui sunt, nautã tamen exercitorem nauis dici docent Iuriscõsulti, titul. Nautæ, caupones, stabularii. vbi nautarum, & vectorũ mentio fit, quadrans cum sensu Tranquilli. Appulerat.] Ex pelago ad litus peruenerat. Appellere enim, vt inquit Donat. verbũ est nauticum. Appellere quoq; pecora dicuntur ad aquã bibendi causa agentes. Vnde appulsus, de quo Iurisconsulti.

Fortunis.] Opulentiis, atque diuitiis.

Frui.] Scribit Augustinus lib. XI. de ciui. Dei, quòd ea re frui dicimur, quæ nos non ad aliud referenda per se ipsam delectat: vti verò ea re, quam propter aliud quærimus: vnde temporalibus magis vtendũ est, quàm fruendum, vt frui mereamur æternis. Hoc idem tradit lib. I. de doctri. Christiana. Hinc est illud apud Historicos, quòd Annibal, quũ victoria Cãnensi posset vti, ea frui maluit. Apud Iurecõs. alia obseruata est differentia inter vti & frui, vsũ & fructũ, vsuariũ & vsufructuariũ.

M. AN. Campaniæ ora.] Litorali Campaniæ parte.

Secessui.] Seruius secretiorem sinũ secessum interpretatur, secutus illud Vergilii:

Est in secessu lõgo locus.- Iuuenalis non tã pro reposito loco, quàm amœno, & digno, in quem voluptatis gratia plures confluant:

Ianua Balarum est, & gratum littus amœni

Secessus.- Nisi fortè & ipse quoque ad proximum sinum alluserit. Sed Plin. ad Gal. Laurentinum suum secessum appellat, Decem, inquit, & septem millibus passuũ ab vrbe secessit. & ad Rufum: Quin te in alio isto pinguiq; secessu studiis asseris? quãquã id totũ ad otiũ potius, quàm ad locũ referatur. Papin. ad Polliũ: Męq; non tã in patria, quàm ad te secedere. Præteruehenti.] Cùm præteruehererur. Vectores.] Qui vehũt, & qui vehuntur: vt hoc loco. Appulerat.] Pro appulsa erat. Vergil. -Quis te nostris deus appulit oris? Cicero: Nec tuas vnquã rationes ad eos scopulos appulisses. Comitibus.] Ex suo comitatu hominibus.

Iusiurandum, & cautionem.] Iureiurando sibi cautum voluit.

Non

cautionem exegit à singulis, non aliò datam summam, quàm in emptionem Alexandrinarum mercium absumpturos. Sed & cæteros continuos dies inter varia munuscula, togas insuper, ac pallia distribuit: lege proposita, vt Romani Græco, Græci Romano habitu, & sermone vterentur. Spectauit assiduè & exercentes ephebos, quorum aliqua adhuc copia ex vetere instituto Capreis erat. Iisdem etiam epulum in conspectu suo præbuit permissa, imò exacta iocandi licentia, diripiendíque pomorum, & obsoniorum, rerúmque missilium. Nullo denique genere hilaritatis abstinuit. Vicinam Capreis insulam ἀπραγόπολιν appellabat, à desidia secedentium illhuc è comitatu suo. Sed ex dilectis vnum Masgabam nomine, quasi conditorem insulæ κτίστην vocare consueuerat. Huius Masgabæ, ante annum defuncti, tumulum quum ex triclinio animaduertisset, magna turba, multísque luminibus frequentari, versum compositum ex tempore clarè pronuntiauit:

Κτίστου δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον. Conuersúsque ad Thrasyllum Tyberii comitem contrà accubantem, & ignarum rei, interrogauit, cuiusnã poetæ putaret esse. Quo hæsitante, subiecit alium:

Ὁρᾷς φάεσσι Μασγάβαν τιμώμενον.

De hoc quoque consuluit. Quum ille nihil aliud responderet, quàm cuiuscunque essent, optimos esse: cachinnum sustulit, atque in iocos effusus est. Mox Neapolim traiecit, quanquàm & tum

PHIL. NOn aliò datã.] Non ad aliam rem, neque in alias merces.

Summam.] Quadragenûm aureorum.

Alexandrinarum.] In Alexandria, vt docet Flauius Vopiscus, nemo viuit otiosus: alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur: illhic cuiuscunqoe artis artifices visebãtur: vnde Alexandrinæ merces multiiugæ Romã deportabãtur.

Togas.] Romanas.

Pallia.] Græca vestimenta.

Græco habitu.] Pallio.

Græci Romano.] Toga: nam qoemadmodũ Romanorum toga est, ita Græcorum pallium. Inde togatæ, & palliatæ dictæ fabulæ, ab argumentis rerũ Romanarum, Græcarúmve.

Ephebos.] Græci adulescentulorũ tres faciũt gradus: παῖδα vocant annorũ quatuordecim, déinde ἔφηβον vsq; ad septeodecim, postea ἐξέφηβον: author Censorions in libro De die oatali. Hinc in palæstris ritu Græcanico membrum extruebatur, quod ἐφηβεῖον vocitabãt, ephebi exercebantur: erat autem exedra latissima, sicuti docet Vitruuius in v. Et in libro Machabæorõ i i. scriptum est, Gymnasium, & ephebæum sibi constituêre. Ἐφηβία, authore Donato, prima ætas adolescentiæ est: adolescentia, extrema pueritia. Phœbus decentissimo epithero ephebus noncupatur à Sidonio. Exacta.] Veluti cogerentur licenter iocari, & petulanter lasciuire. Rerũmq; missilium.] Missiles res, & neutro genere missilia dicuntur, quæ mitti, spargíque ex liberalitate principis in populum consueuere. Iurisconsultus missilia accipit in hoc significatu, de quibus pòst paulò. Aliàs missilia dici tela, quæ manu mittuntur, nullus ignorat.

Hilaritatis.] Apud priscos celebrabatur lætitiæ festiuitas ad v i i i. Calend. Aprilis, qoé diem Hilaria appellabant: quò primum tempore Sol diem longiorem nocte protẽdit. Hoc ideo diximus, vt intelligeres illud Flaoii Vopisci sic scribentis in Aurellano: Hilaribus, qoibus omnia festa & fieri debere scimus, & dici impletis solennibus. Diripiendi pomorum.] Nos dicimus diripiendi poma. Vetus autem locutio est, qualis illa Plautina ex Captiois: Nominandi istorum tibi erit magis, quàm edundi copia: pro nominandi ista.

Ἀπραγόπολιν.] Ἀπραγόπολις Græcè dici potest ciuitas otii, atq; desidiæ. Nam ἀπραγίαν desidiam, & πόλιν ciuitatẽ dicũt. Κτίστην.] Κτίστης à Græcis dicitur creator, cõditórq;.

Ex triclinio.] Ex cœnaculo.

Ex tempore.] Extemporaliter, & subitaria dictiooe.

Κτίστου.] Latinè hoc significat, Conditoris tumbã, hoc est, sepulcrum conspicio flagrantem.

Thrasyllum.] De hoc io Tyberio dicetur.

Cõtrà accubãtẽ.] E regione, ex opposito Augusti in mẽsa discũbentẽ.

Hæsitãte.] Per dubitationem cunctabundo.

Ὁρᾷς.] Interpretamentum Græci versus est hoc: Vides luminibus Masgabam honoratũ.

Cachinnũ sustulit.] Risum solutiorem, sonatiorémq; misit Augustus.

M. AN. NOn aliò.] Nõ in aliã mercedem. Alexandrinarum mercium.] Quas Alexãdrina nauis vexisset: atq; ita est nautis gratificatus. Togas.] Quæ peculiares Romanorũ sunt.

Pallia.] Quæ peregrinarum geotium, & Græcorum in primis.

Vt Romani Græco, Græci Romano.] Inde, credo, quæsitus lusus, vt cùm neq; Græci Romanè, neq; Romani Græcè satis expeditè loquerentur: verùm quum vtriq; alieno cultu instructi essent, vt Romano Græci, illi Romani putarentur, infantissimi primo coogressu omnes Augusti comites rei ignaris viderentur.

Ex vetere instituto.] Strabo, cùm de Neapoli loqueretur, Gymnasia, inquit, puberum, ad vsum, credo, gymnicorũ certaminũ, quæ quinto qooq; anno illhic celebrabãtur, ephebi exercebantur. De gymnicis eius loci certaminibus Papinius:

Huc me post patrii lætum quinquennia lustri,
Cùm stadio iam pigra quies, canúsque sederet
Puluis ad Ambracias conuersa gymnade frondem.

Diripiendi pomorũ.] Parũ vsitatè dixit: qoanquã Liu. dixerit, Vestri adhortãdi causa loqui existimet. & Plau. Nominãdi tibi istorũ magis, quàm edũdi causa. Ἀπραγόπολιν.] ἀπὸ τῆς ἀπραγίας desidia: καὶ πόλεως, id est, desidiæ vrbẽ. Κτίστην.] Aedificatorẽ: παρὰ τὸ κτίζειν fabrico.

κτίστου δ᾽.] Conditoris tumulum video incensum.
Thrasyllum.] Mathematicum. Iuuenalis:
Murus reuocata Thrasylli. Sed de hoc non multò pòst. Hæsitante.] Dubitante, nihil respondente.
ὁρᾷς &c.] Vides inminibus Masgabam honoratum.
Cachinnum.] Solutum risum.

Nimium vitæ.] Purior lectio, & verior est, Mimum vitæ: tanquã quæ fuerit Augustus, an fabulam vitæ videretur decenter peregisse: sicut histrio fabulam in scena per omnes actus transegisse laudatur. Trãslatio ab histrionica fabula, & vocabulo. M. Tullius in Catone: Neq; enim histrioni, vt placeat, peragenda est fabula, modò in quocũque fuerit actu, probetur: nec sapienti vsque plaudite viuendũ. Igitur lege Mimum vitæ. De Mimo & Mimographis in primo Commentario dictũ est. Et quemadmodũ post peractam in scena fabulam dici solet plaudite, consimiliter Augustus adiecit clausulam Græcam δότε κρότον, id est, plausum date, vel plaudite. Consummatio enim comœdiæ, & tragœdiæ est, plaudite. Hora. Donec cãtor vos plaudite dicat.

infirmis intestinis morbo variante, tamen & quinquennale certamen gymnicum honori suo institutum perspectauit: & cum Tyberio ad destinatum locum contendit. Sed in redeundo, aggrauata valetudine, tandem Nolæ succubuit: reuocatúmque ex itinere Tyberium, diu secreto sermone detinuit, neque pòst vlli maiori negotio animũ accommodauit.

De morte eius, & gestis tunc per eundem. XCIX.

SVpremo die identidem exquirẽs, an iam de se tumultus foris esset, petito speculo, capillum sibi comi, ac malas * labentes sibi corrigi præcepit. Et amicos admissos percõtatus, ecquid his videretur, mimum vitæ commodè transegisse: adiecit & clausulam: Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε. Omnibus deinde dimissis, dum aduenientes ab vrbe de Drusi filia ægra interrogabat, repentè in osculis Liuiæ, & in hac voce defecit: Liuia, nostri coniugii memor viue, ac vale: sortitus exitum facilem, & qualem semper optauerat. Nam ferè quoties audisset, citò, ac nullo cruciatu defunctum quempiam, sibi & suis εὐθανασίαν similem (hoc enim & verbo vti solebat) precabatur. Vnum omnino ante efflatam animam signum

* aliâs, labantes.

PHIL. MOrbo.] Profluuio alui, quo laborabat.

Morbo variante.] Quum modò lentius, modò concitatius infestaret. A Celso aluus varia dicitur esse, quæ strigmentum, sanguinem, bilem viridem immistura quadam, discreta tamen repræsentat, & talis pestifera est.

Quinquennale certamen.] Scribit Strabo in v. Geographiæ quòd apud Neapolitanos quinquennalis ἀγὼν, hoc est certamen per complosculos dies celebrabatur: qui agõ erat musicus, & gymnicus, illis agonibus æmulus, qui per Græciam clarissima celebritate agebantur. Hunc autẽ agonem gymnicũ quinquẽnalẽ, iubẽte oraculo, Neapolitani celebrabant, cuius meminit Papinius poeta Neapolitanus in Syluis:

Huc me post patrii lætũ quinquẽnia lustri. & alibi:
Cùm statá laudato caneret quinquennia versu.

Gymnici autem ludi dicuntur, in quibus corpora per gymnasticam disciplinam exercentur: quæ à Platone, & Aristotele, principibus philosophorũ, veluti maximè necessaria in primis probatur, & extollitur.

Destinatum locum.] Beneuentum significat, quò vsque destinauerat prosequi Tyberium.

Succubuit.] Succumbimus morbo, quando superamur illius vi, & mori cogimur. Silius:
Succubuit medicina malis.

Nolæ.] Nola ciuitas nota est vel sola Marcelli virtute, qui illhic Annibalem vinci posse demonstrauit. Est autem ciuitas Campaniæ, de qua Silius in XII.
Campo Nola sedet crebris circundata in orbem
Turribus. Identidem.] Frequenter.

Comi.] Ornari. Malas.] Infra oculos malæ sunt homini, quas prisci genas vocabant, duodecim Tabularum interdicto radi à fœminis eas vetantes. Pudoris hæc sedes: ibi maximè ostenditur rubor.

Labentes.] Ex ægritudine fluentes, & resolutione musculorũ flaccidas. Corrigi.] Ne labi viderentur.

Δότε κρότον.] Ad verbum ita interpretari possumus: Date plausũ, & omnes vos cum gaudio aliquid facite.

Defecit.] Extinctus est. Existimat Sext. Aurelius, dolo Liuiæ extinctũ esse: quod etiã sensisse videtur Pli. sic scribens in VII. Hinc vxoris, & Tyberii cogitationes suprema eius cura.

Exitum.] Mortem. εὐθανασίαν.] Id est, bonã mortem, & facilem. Talem autem mortem Augustus sibi, & suis optabat, qualẽ scribit Plato in Timæo esse senũ: nam mors illa, quæ, senio paulatim ad finem ducente, naturaliter subrepit, inter omnia mortis genera leuissima est, & cum voluptate potius, quàm cum dolore contingit. Iul. Firmicus in III. Matheseos author est, Venerem in octauo ab horoscopo loco constitutam facere, vt mors illis sine dolore, & sine aliquo tormento decernatur. Verbo vti.] Scilicet εὐθανασία.

QVinquennale certamen.] Quinto quoque anno celebratum. Ad illud referri debet, quòd pleræq; Italiæ ciuitates super templa, & aras, ludósq; quinquẽnales ei Augusto constituerant. Strabo tamen iubente oraculo Neapoli agonem celebratum tradit. & rursus, Apud eos, ait, quinquẽnalis sacer ille musicus, & gymnicus complures dies celebratur agon, illis æmulus, qui per Græciam clarissima celebritate geruntur. M. A N.

Beneuentum.] Olim Maleuentum appellatum, vt Festus ait: sed omen recentioris fuit nominis causa.

Nolæ.] Nola Picentinorum vrbs mediterranea.

Succubuit.] Morbi magnitudine est victus.

Speculo.] Quo se intueretur. Malas labentes.] Morbo solutas. Corrigi.] Comprimi à lapsu.

Δότε κρότον.] Date plausum, & omnes vos cum gaudio id facite.

Drusi filia.] Liuilla ex Druso, & minore Antonia genita.

Εὐθανασίαν] Facilem mortem.

alienatæ mentis ostendit, quòd subitò pauefactus, à quadraginta se iuuenibus abripi questus est. Id quoq; magis præsagium, quàm mentis deminutio fuit: siquidem totidem milites prætoriani extulerunt eum in publicum.

Dies mortis eius, & ætas, & exequiæ eiusdem. C.



Biit in cubiculo eodem, quo pater Octauius, duobus Sextis, Pompeio, & Apuleio consulibus, decimoquarto Calend. Septembris, hora diei nona, septuagesimo & sexto ætatis anno, diebus quinque & triginta minus. Corpus Decuriones municipiorum, & coloniarum à Nola Bouillas vsque deportarunt, noctibus propter anni tempus, quum interdiu in basilica cuiusque oppidi, vel in æde sacrarum maxima reponeretur. A Bouillis equester ordo suscepit, vrbíque intulit, atq; in vestibulo domus collocauit. Senatus & in funere ornando, & in memoria honoranda eo studio certatim progressus est, vt inter alia complura censuerint quidam funus triumphali porta ducendum, præcedente Victoria, quæ est in curia, canentibus

PHIL. Mentis alienatæ.] Ex impotentia, & vi morbi sæpe fit alienatio mentis, quæ varias quasdã imagines, vt inquit Celsus in III. accipit, fitque imaginibus addicta. Ita Augustus imagine iuuenum, à quibus abripi videbatur, exterritus est.

Præsagiom.] Præsagire, est futura ante sentire: inde præsagia dicuntur, præsensiones futurorum. Sagire enim, sentire acutè est: ex quo sagarii & sagaces dicti canes, author Cicero in primo de Diuinatiooe.

Totidem.] Scilicet quadragiota, à quot se abripi questus fuerat.

Prætoriani.] Ex cohorte prætoria, qui erant honoratiores, & excubabãt ante principis prætorium.

Extulerunt.] Exportarunt in apertũ. Verbo vsus est funeribus accõmodato. Efferri enim dicuntur funera. Terentius: Interea dom effertur funus. Martialis:

Effert vxores Fabius, Cristilla maritos.

Duobus Sextis.] Vterque consul præoomen habebat Sexó: nam & Sextus Pompeius, & Sextus Apuleius vocabantur. Decuriones.] Senatores. In municipiis enim & coloniis Decuriooes dicuntur, qui Romæ Senatores. Bouillas.] In Latio sunt Bouillæ, vt meminit Plinius in III. haud procul ab vrbe Roma. Pedianus Asconius, Clodium scribit paulò vltra Bouillas redeuntem ab Aricia fuisse à Milone interfectum. Existimat Nonius dictas esse Bouillas, quasi Bochillas, ab eo quòd bos illhuc aduenerit iotestina ex vulnere trahens: quæ veteres dixerunt chillas.

Propter anni tempus.] Erat enim mensis Augustus, quo feruidior æstus existit: quo cadauera corrumpi, & in tabem resolui facilius solent.

In basilica.] De basilicis abundè multa perscripsimus in Iulio Cæsare. Est autem basilica, vt indicat Iurisconsultus titulo De verborum obligationibus, vsibus publicis deputata.

Vestibulo domus.] Spatio Palatinarum ædium ante fores relicto. Vestibula enim non sunt primores ædium partes, sed significant locum ante ianuam domus vacuum: de quo Gellius, & Macrobius subtiliter disseruerunt. Hinc illud notissimum:

Vestibulum ante ipsum.

Funere.] Funus propriè significat, authore Donato, pompam exequiarum, à funalibus dictum, qooniam tempore nocturno sepeliebantur, & funalia, hoc est, cerei adhibebantur.

Certatim.] Quisque pro viribus.

Triũphali porta.] Triumphalem portam Romę dixerunt, per quã agentes triumphũ vrbem introibaot: de qua Iosephus in septimo belli Iudaici hæc: Vespasianus ad portam recedit: quæ ab eo, quòd per illã semper triumphorum pompa ducitur, nomen accepit.

Ducendum.] Doci funera dicuntur. Vergilius:

-Et funera ducunt.

Victoria.] Victoriæ deæ simulacro, quam Romani inter alios deos colebant. Victoriæ deæ meminit Augustinus in quarto de ciuitate Dei. Apud priscos fiebãt simulacra, quorum manibus victoriolæ, id est, imagũculæ victoriarum sustioebantur: quas Diooysius tollere solebar.

Præsagium.] Præcognitio eorum, qoæ futura erãt. M. AN.

Extulerunt.] In apertum humeris deportaruot.

Decuriones.] Quid Decuriones in municipiis, & coloniis essent, qoid municipium, quid colonia, abundè suprà ex Gellii & Festi sententia ostendimus.

Bouillas.] Locum, vt Asconius demonstrat, inter vrbem & Ariciam, vbi Clodius à Milooe est occisus. Martialis: Et cùm currere debeas Bouillas,

Inter iungere quæris ad camœnas.

In vestibulo.] Vestibulũ, quicquid spatii relinquitur aote ianuam, & ab eo qood ianuam vestiat dictom, vt quidam interpretantur: sed de eo Gellius, Varro, Nonius, & Macrobius plura.

Triumphali porta.] Per quam triumphantes vrbem ingredi consueuere: ea media fuisse videtur loter Flumentanam portam, & Carularíam.

Victoria.] Victoriæ signo.

Caoentibus veniam.] Credita defuncti diuinitate veniam precari. Lioius: Romulum deum, deóq; natum saluere iubent vnioersi, pacémque exposcunt. Sed Næniam verior lectio: est enim carmen, vt Festo placet, quod ad tibiam in funere laudandi gratia cantatur. De ratione vocis, idem author plura.

næniam principum liberis vtriusque sexus. Alii exequiarum die ponendos annulos aureos, ferreósque sumendos: nonnulli legenda ossa per Sacerdotes summorum collegioru͂. Fuit & qui suaderet appellationem mensis Augusti in Septembrem transferendã: quòd hoc genitus Augustus, illo defunctus esset. Alius, vt omne tempus à primo die natalis, vsque ad exitum eius, seculum Augustum appellaretur, & ita in fastos referretur. Verùm adhibito honoribus modo, bifariàm laudatus est: Pro æde diui Iulii à Tyberio, & pro Rostris sub veteribus, à Druso Tyberii filio, ac Senatorum humeris delatus in campu͂, crematúsq;. Nec defuit vir prætorius, qui se effigiem cremati euntem in cælum vidisse iuraret. Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati, & dis-

PHIL. NAeniam.] Nænia funebre carmen. Est enim nænia, authore Porphyrione, lugubre carmen, quod in mortuos cantatur: cuius inuentor primus extitit Simonides ex insula Cæa poeta Lyricus, qui θρήνους, id est, planctus, lamentationesque optime scripsit. Inde ab Horatio dictu͂ est:

Cææ retractes munera næniæ.

Idem alibi næniam improprie posuit pro incantatione, sic scribens in Epodo, Ode XVII. Capútque Marsa dissilire nænia. De nænia Diomedes, hæc: Apud Romanos id carme͂, quod cum lamentatione extremum atq; vltimum mortuo accanitur, nænia dicitur. M. Tullius in II. de Legibus, præcipit vt honoratorum virorum laudes in co͂cione memorentur: eásque etiam Græci ca͂tus lugubres nomina͂t. Sidonius nænias epitaphistaru͂ non innenuste appellat: tanqnam à conditoribus epithaphiorum næniæ scribi propriè dicantur. Idem ait: Nænia marmori incisa per hendecasyllabos. tanquam nænia sit epitaphium. Ab eodem, & Hieronymo næniæ vsurpantur pro anilibus, delirantibúsque verbis, & ineptiis.

Ponendos.] Exuendos, in signum mœroris, & luctus. Scribit Liuius propter Caudina͂ cladem latos clauos, & annulos aureos positos fuisse à Senatu luctus causa.

Ferreos.] Græci annulum à digitis δακτύλιον appellauere: apud nos prisci vngulom vocabant: postea & nostri, & Græci σύμβολον dixere. Condulum quoque & condalium veteres annulum nuncupauere. Hinc ait Plautus in Teinummo: In thermopolio condalium es oblitus. & paulò pòst: Inter eósne homines condalium te redipisci postulas? Olim aurei annuli in vsu non fuerunt, sed ferrei: vulgóq; cum annulo ferreo triumphabant. Sic triumphauit de Iugurtha Caius Marius. Et hi, qui ob legationem acceperant anreos annulos, illis in publico tantùm vtebantur, intra domos verò ferreis: quo argumento, vt inquit Plinius in XXXIII. sponsæ annulus ferreus mittebatur, isque sine gemma. Lacedæmonii ferreo annulo vtebantur.

Summorum collegiorum.] Sicut sunt, exempli caussa, pontifices, salii, augures.

Legenda ossa.] Colligenda. Vergilius in VI.

Ossáque lecta cado texit Chorineus aheno.

Hoc genitus.] Scilicet mense Septembri.

Illo.] Mense Augusto.

Seculum Augustum.] Quemadmodum antiquitus dicta est ætas aurea, & argentea, &, vt inquit Hesiodus quædam Heroica: ita quidam suasit, omne id tempus, quo vixisset Augustus, appellandum esse Augustum seculum, à principis videlicet nomine. Et quia Augustu͂ dicitur sacratum, & religiosum, ad hoc Augusti seculu͂ allusit Maro scribens in Bucolico ludicro:

Aurea iam redeunt iterum Saturnia regna.

Author est Sextus Aurelius, vulgò iactatum de Augusto defuncto, Vtinam aut non nasceretur, aut non moreretur: alterum pessimi incœpti: exitus præclari alterum. Seculum propriè spatium est centum annorum, dictu͂ à sene, quòd longissimum spatium senescendorum hominum id putarunt, vt refert M. Varro.

In fastos.] Libros, in quos referebantur festa, ac sacra, causæque sacrorum.

Modo.] Temperamento.

Bifariàm.] Duobus in locis.

Pro æde.] Ante templum, vel in templo.

Pro Rostris sub veteribus.] Populus Romanus duce Sexto Clodio scriba, corpus Publii Clodii in curiam intulit, cremauítq;: quo Igne & ipsa quoque curia conflagrauit. Vnde Rostra, quæ propè iuncta fuerant, in alium locum translata sunt. Et hoc est, qnod ait Asconius, Rostra non eo loco tunc fuisse, cùm crematu͂ est corpus Clodii, quo nunc sunt. Suprà docuimus, suggestum in foro Romæ extructum rostris nauium Antiatium adornatum fuisse: & ob hoc Rostra id templu͂ appellatum. In campum.] Scilicet Martium.

Vidisse iuraret.] Idem de Romulo dictum est à Proculo Iulio: qui in concionem progressus post obitum Romuli, vidisse se Romulum testatus est euntem in cælum, sibíque obuium datum esse: habitáque est fides illi viro talia nuntianti.

Tunicati.] Sola tunica, hoc est, camisia induri.

M. A N. POnendos aureos annulos.] Quod nisi in summo luctu, tristitiáq; haud fieri co͂sueuit: sed rarò id accidisse legimus. Plinius: Quo facto, tanta Senatus indignitate exarsit, vt annulos ab eis abiectos fuisse, in antiquissimis reperiatur annalibus: sed alii à tota nobilitate depositos tradidere.

Ferreósque sumendos.] Ferreis annulis ab initio vsos Romanos Plinius testatur: at regum temporibus ne ferrei quidem annuli vsus vllus fuisse videtur, quòd Romuli, & alioru͂ regum statuæ sine eo insigni essent. Sed de annulorum vsu idem author abundè multa.

Summorum collegiorum.] De sacris nunc, & non profanis, collegiis intellige, ac si dixerit, per summos vrbis sacerdotes. Seculum Augustum.] Vt sex & septuaginta annorum esset. Varro centum annoru͂ seculum definit, quòd id spatiu͂ satis ad senescendum crederetur. Posuit & alterum breuius, triginta scilicet annorum. In fastos.] In fastorum libros.

Pro Rostris veteribus.] Vbi vetera Rostra fuissent, Pediani verba demonstrant. Erant, inquit, tunc Rostra non eo loco, quo nunc sunt, sed ad Comitium, propè iuncta curiæ. Eo olim victis Antiatibus ex captiuarum nauium Rostris, vt Liuius ait, sunt primùm co͂structa: Plinius, & Varro Liuio adstipulantur.

Tunic

Tunicati, & discincti.] Quasi dicat, humili habitu, ac veoerabundi.

PHIL. MAusoleo.] Scribit Hieronymus libro I. contra Iouinianum, mausolea dici omnia magnifica, pretiosáque sepulcra, ab illo mauseolo, quod inter septem spectacula numeratur, ab Artemisia facto in honorem mariti Mausoli: de quo plura scripsimus in illum Propertii versum:

Nec mausolei diues fortuna sepulcri.

De hoc autē Augusti mausoleo sic Strabo in v. Geographiæ: Commemoratione dignissimum, quod Mausoleum appellant, in excelsis fundatū collibus, lapide niueo, & perpetuæ viriditatis arboribus coopertum in summum vsque verticem, ad fluminis ripam exaggeratum. In summo autē positum est Cæsaris Augusti simulacrū, ex ære fabricatum. Sub aggere ipso sunt eius loculi, & cognatorum, & necessariorum.

Flaminiā.] Flaminius consul, perdomitis Liguribus, ne io otio militem haberet, strauit Flaminiam viam, quæ Ariminum vsque perducta est.

Syluas, & ambulaniooes.] Strabo: A tergo verò Mausolei lucus est, mirifica cōtinens ambulacra. In medio autem campi spatio, sui busti extat ambitus, & hic ipse oiueo perfectus lapide, ferreos in circuitu cancellos habens, & plātatas interius præ se ferens populos.

Apud sex virgines Vestales.] Numerus Vestalium virgioum legitimus hic erat, vt populus pro sua quisq; parte haberet ministram sacrorum: quia ciuitas Romana in sex erat distribota partes, in primos, secundósque Titienses, Rannes, & Luceres.

Signatis æquè.] Sicut testamenta obsignari solent signatorio testiū annulo, ita hæc tria volumina pariter obsignata fuerāt. Ex parte dimidia & sextāte.] Id est, ex octo partibus hæreditatis, quæ io duodecim assis vncias dispartiri solet. Sextās ab eo dicitur, qoòd sexta pars assis est, & ob hoc duas continet vncias: aothores Priscianos, & Varro. Sextula verò sextam partem vnciæ significat. Ex parte tertia.] Ex triente, hoc est ex reliquis quatuor partibus, quæ supererant assis.

Nomeo suum.] Vt Tyberios Augustus, & Liuia Augusta diceretur: & ita à Plinio Liuia Augusta appellatur lib. vltimo naturalis historiæ. Idem in xv. Liuiæ Drusillæ, quæ postea Augusta matrimonii nomen accepit. Secundos.] Scilicet hæredes. Sunt autem secundi hæredes, qui primis substituuntur, vt si illi decesserint, isti in hæreditatem succedāt: de quibus plura scripsimus in Iulio Cæsare, ex authoritate Appiani, Boethii, & Iurisconsultorum. Tertio grado.] Id est tertios hæredes, qui secundis substituuntur. Nanq;, vt scribunt Iuriscōsulti, potest quis in testamento suo plures gradus facere hæredum: puta, si ille hæres oon erit, ille hæres esto: & deinceps, inquantū velit testator, substituere potest.

Legauit.] Legata dedit. Legator dicitur, qui legat in testamento: Legatarius, cui legatū est. De legatis apud Iurisc ōsultos libri diligenter perscripti sunt.

Tribubus.] Distinxit populum à tribubus, tanquam tribus noo solùm sint Romanorum, sed etiam externorum, in quibus coloniæ suffragia ferre solebāt: sicut Arpinates in Cornelia tribu: Formiani & Fundani in Aemylia ferebāt, atq; in his tribobus cēsebātur. In quibusdā codicibus Tranquilli sic scriptum legimus: Legauit populo Romano quadriogenties tricies quinquies sestertiûm: vbi de tribubus nulla fit mētio: & illa tota legati summa ad populum Romanum refertur.

cincti, pedibúsque nudis, ac in mausoleo condiderunt. Id opus inter Flaminiam viam, ripámque Tyberis, sexto suo consulatu extruxerat: circumiectásque syluas, & ambulationes in vsum populi tunc iam publicarat.

De testamento, & suprema uoluntate eiusdem. C I.

TEstamentum L. Planco, C. Silio consulibus tertio Nonas Aprilis ante annum & quatuor menses quàm decederet, factū ab eo, ac duobus codicibus, partim ipsius, partim libertorum Polybii, & Hilarionis manu scriptum, depositúmque apud sex virgines Vestales, cum tribus signatis æquè voluminibus protulerunt. Quæ omnia in Senatu aperta, atque recitata sunt. Hæredes instituit primos, Tyberium ex parte dimidia, & sextante, Liuiam ex parte tertia, quos & ferre nomen suum iussit. Secundos, Drusum Tyberii filium ex triente, & ex partibus reliquis Germanicum, liberósque eius tres sexus virilis. Tertio gradu propinquos, amicósque complures. Legauit populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies sestertiûm, prætorianis militibus singula millia nummorum, Cohortibus

M. A N. MAusoleo.] Sepulcro amplissimo ab eo quod Artemisia Mausolo viro defuncto in Caria construxit, insignia huiusmodi monumenta Mausolea sunt dicta. De memoratissimo illo, Martialis:

Pendentia mausolea. - & Propertius:

Nec Mausolei diues fortuna sepulcri. De recentiore ab Augusto erecto Strabo, Commemoratione dignissimum est, quod mausoleum appellant, excelsis fundamentis. Hæc ille, & plura, quibus totam molem pergit significanter exprimere. Tribus signatis voluminibus.] Diuersis intellige à testamento, alioqui non procederet: sed quæ illa fuerint, continuò subiicit.

Ex parte dimidia & sextāte.] Ex besse, siue, vt apertius dicā, ex duabus tertiis partibus. Quos.] Tyberium, & Liuiam. Nomen suum.] Nomen familiæ: quanquam Liuia Augustæ etiam cognomen recepit.

Secūdos.] Hæredes. Ex triente.] Ex tertia parte.

Tres sexus virilis.] Neronem, Drusum, & Caium, qui Caligula cognominatus est. Virilis sexus adiecit, quia & filias habuit Agrippinā, Drusillam, & Liuiam: quæ diuersa fuit ab ea, quam Druso, & minore Antonia proximo loco genitam ostendimus.

Tertio gradu.] Id est, tertios hæredes. De secūdis, & tertiis hæredibus, ex Appiani sentētia plura in Cæsare.

Quadringēties.] Sestertiûm scilicet. Tribubus.] Externis, & non vrbanis, quæ idem sunt quod & popu

lis,cui quadringenties sestertiûm legatum dixit.

Prætorianis.] Prætoriæ cohortis singulis singula nummorum millia. Cohortibus vrbanis.] Quæ ad vrbis præsidiũ Romæ commorabantur.

In ærario.] Scribit Asconius,ærariũ dici pro priuata pecunia,fiscũ verò pro publica.Ego verò secus reperio apud eruditos, hanc inter ærariũ, fiscúmq; fieri differentiam, vt ærariũ pro publicæ pecuniæ repositorio capiatur, quod Romæ erat in æde Saturni : fiscus verò pro pecunia Imperatoris. Hinc est illud Satyrici poetæ: Res fisci est, vbicunq; natat.sed de hoc alibi.

PHIL. VRbanis.] Quæ Romæ excubabāt ad ipsius vrbis præsidiũ, atq; tuitionem.

Legionariis.] Legionarii milites dicti, qui erāt in legione. nec enim omnes milites in legione scribebātur. Nam velites, & leuis armaturæ milites,nō erāt in numero legionariorũ: quod lectio Historicorum ostendit. Significari autem videtur hi milites, qui id temporis erant in prouinciis.

Repræsentari.] Præsentē & statim exhibere. Repræsentari dicitur pecunia,cùm presens numeratur.

Confiscatam.] In fiscis conditā. sunt enim fisci, & fiscinæ, & fiscellæ, receptacula spartea ad maioris summæ pecunias capiēdas. Erdum ait confiscatā, ostendit in fisco ipsius principis priuato fuisse repositā.

vrbanis quingenos, legionariis trecenos nūmos: quam summam repræsentari iussit. Nam & confiscatam semper, repositámq; habuerat. Reliqua legata variè dedit. Produx itque quædam ad vicena sestertia,quibus soluendis annuum diem finiit, excusata rei familiaris mediocritate: nec plus peruenturum ad hæredes suos,quàm millies & quingenties professus:quanuis viginti proximis annis quaterdecies millies ex testamentis amicorũ percepisset : quod penè omne cum duobus paternis patrimoniis, cæterisque hæreditatibus in Rempublicam absumpsisset. Iulias filiã, neptémq;,si quid his accidisset,vetuit sepulcro suo inferri. De tribus voluminibus,vno mandata de funere suo cō plexus est : altero indicem rerum à se gestarum, quem vellet incîdi in æneis tabulis,quæ ante mausoleum statuerentur:tertio breuiarium totius Imperii,quantum militum sub signis vbiq; esset,quātum pecuniæ in ærario, & fiscis, & victigaliorum residuis. Adiecit & libertorum, seruorúmque nomina,à quibus ratio exigi posset.

Vectigaliorũ.] Quod residuũ superesset in exactione vectigalium. Macrobius in 1. Saturnalium, luculenter tradit,vectigaliũ,& vectigaliorũ, sicut vinaliũ,& vinaliorũ,& Bacchanaliorum,atq; Bacchanalium, & Saturnaliorũ, & Saturnaliũ à veteribus vsurpari:&,vt ipse inquit, qui vectigalium dicit, regula nititur: qui vectigaliorum, authoritate munitur:ad quam,velut ad anchorã, cōfugimus. A quibus ratio.] Cauit Augustus vt post obitum ratio villicationis exigeretur à seruis suis,& libertis, qui vectigalia se imperante administrauerant.

Annuũ diem.] Tēpus.

Paternis patrimoniis.] Alterum ex patre Octauio, alterũ patrimoniũ ex Cæsare Dictatore per adoptionem patre fuerat consecutus. In Rempublicam.] In Reipublicæ vtilitatem. Accidisset.] Verbũ est,quo testatores in testamento scribendo vti solent, vt ita dicant; Si quid hæredi meo acciderit. pro eo quod est, si mortuus fuerit. Pomponius Iurisconsultus: Si quis ita in testamēto scripserit:Si quid filio meo acciderit, Damas seruus meus liber esto. Mortuo filio, Damas liber erit.licet enim aliquid accidat & viuis:sed vulgi sermone etiam mors significatur. Tribus voluminibus.] Quæ scilicet suprà dixit signata æquè cum testamento, depositáq; fuisse apud virgines Vestales, & in Senatu aperta,recitatáque. Indicem.] Titulum indicātem summarim res ab ipso gestas.Ecclesiastici scriptores frequenter per diminutionem indiculum appellant:sicuti est illud ex libro VI. Ecclesiasticæ historiæ apud Eusebium:Si quis nosse vult quanta Origenis volumina in manus nostras venerint,inde sumat indiculum.

Incîdi.] Insculpi. Mausoleum.] Ipsius Augusti sepulcrum.] Breuiarium.] Miror,Senecam scribere lib.v.Epistolarũ, breuiarium vulgariã esse,parimque Latinam dictionē.Ait enim:Cùm Latinè olim loqueremur,summariũ vocabatur id,quod nunc vulgò breuiarium dicitur. Nāq; Plinius luculentissimus scriptor sic ait in XVIII. Verùm vt pariter omnis culturæ quoddam breuiarium peragatur. Et in præsentia Tranquillus breuiarium vocat id,quod Seneca tradit dici debere summarium. Sub signis.] Militaribus.

M. AN. QVingenos.] Quingētenos: vtrũq; enim veteres dixere:vt dimidio plus prætorianis,quàm vrbanarum cohortiũ militibus legatũ intelligas. Legionariis.] Militibus subaudi,qui in legionibus erāt ad prouinciarũ præsidiũ. Trecenos.] Trecētenos. Repræsentari.] Depositã,paratámq; esse mōstrari. Produxit.] Protraxit,ampliauit. Quædam.] Legata.

Annuũ diem.] Annuã pensionem. Sic Vlpianus annuam,bimã,trimã diem,pro duabus, tribúsve pensionibus scripsit. Excusata.] In excusationem adducta.

Duobus paternis patrimoniis.] Octauii, & Cæsaris Dictatoris. Accidisset.] Si mori contigisset.

De tribus voluminibus.] Quæ æquè obsignata dixerat. Indicem.] Breuē demonstrationē. Breuiariũ.] Summariũ. Ann.Seneca:Sed vide ne plus profutura sit ratio ordinaria,quàm hæc,quæ nũc vulgò breuiariũ dicitur:olim quũ Latinè loqueremur,summariũ dicebatur. Totius Imperii.] Rerũ omniũ,quæ Romano cōtinerētur Imperio. Sub signis.] Circa signa. Aerario,& fiscis.] Aerariũ locũ intelligas, in quo publicũ aurũ,argentũ,vasa pretiosa,tabulæ æneæ, in quibus leges erāt incisæ, asseruabātur. Fiscus,in quo Imperatorum pecunia. Spartianus tamē, Bona, inquit,damnatorum in fiscum priuatũ redigi vetuit. Priuatum addidit,quasi publicum quoq; dici posse fiscum intelligat. Estque fiscus vas, vt Pediano placet,ex sparto factum, ad maioris summæ pecunias capiendas.

Vectigaliorum.] Dicitur & vectigalium, sed illud authoritate,hoc analogiæ ratione defenditur.

INTER

C. SVETONII TRANQVILLI LIBER III.

Tyberius Cæſar.



ATRITIA gens Claudia (fuit enim & alia plebeia, nec potentia minor, nec dignitate) orta eſt ex Regillis oppido Sabinorũ. Inde Romam recèns conditam, cum magna clientum manu commigrauit, au-

PHIL. INTERPRETATVRI Tyberiũ Cæſarem tertium Imperatorum Romanorũ, haud intempeſtiuiter præponemus teſtimonium Sexti Aurelii, ita de Tyberio ſcribentis, quod ſuſcepto negotio conducibile eſt: Claudius Tyberius Liuiæ filius, Cæſaris Octauii priuignus, imperauit annis tribus & viginti. Iſte, qui Claudius Nero dicebatur, elegãter à ioculatoribus Caldius Biberius Mero, ob vinolentiam nominatus eſt. Satis prudens in armis, ſatiſq. fortunatus ante ſumptum Imperium ſub Auguſto fuit, vt non immeritò Reipublicæ dominatus ei committeretur. Inerat ei ſcientia literarum, eloquio clarior, ſed ingenio peſſimo, truci, auaro, inſidioſo, ſimulãs ſe ea velle, quæ nollet, his quaſi infenſus, quibus conſultum cupiebat, his verò, quos oderat, quaſi beneuolus apparens, repentinis reſponſionibus, aut conſiliis melior, quàm meditatis. Deniq; delatũ à patribus principatum, quod quidem aſtu perfecerat, ficte abnuere: quid ſinguli dicerent, ſentirent, atrociter explorans: quæ res bonos quoſque peſſundedit. Exiſtimantes enim ex animo eum longa oratione Imperialis moleſtiæ magnitudinem declinare, cùm ſententias ad eius voluntates promunt, inciderunt exitia poſtrema.

Patritia gens Claudia.] Liuius lib. 11. de origine Claudiæ gentis hæc tradit: Seditio inter belli, paciſque authores orta in Sabinis aliquantum virium transtulit ad Romanos. Nanque Appius Clauſus, cui poſtea Appio Claudio fuit Romæ nomen, cùm pacis ipſe author à turbatoribus belli premeretur, nec par factioni eſſet, ab oppido Regillo magna clientum comitatus manu Romã transfugit. His ciuitas data, agríque trans Anienem. Vetus Claudia tribus poſteà nouis additis tribulibus, qui ex eo venirent agro, appellata. Appius inter patres electus haud ita multò pòſt in principum dignationem peruenit. Hactenus Liuius, cui adſtipulatur Dionyſius in v. hiſtoriarum: atque ad ſuam vſque ætatem duraſſe nomen Claudiæ tribus. Apud Plutarchum in Publicola, legimus, hunc Appium Claudium perſuaſionibus Publicolæ clandeſtinis ſolicitatum Romam ex Sabinis tranſmigraſſe, abducentem ſecum quinque millia clientum, vnà cum coniugibus, ac liberis: quibus Publicolæ opera ciuitas data, agérque trans Anienem, ſingulis bina iugera, Claudio verò quinque & viginti tradita. De hoc ſic ſcribit poeta in VII. Aeneidos:

Ecce Sabinorum priſco de ſanguine magnum
Agmen agens Clauſus, magniq; ipſe agminis inſtar,
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus, & gens.

A Silio venuſte dictum Clauſorum decus, pro Claudiorum, propter Appium, qui primò Clauſus, mox Claudius eſt nominatus.

Et alia plebeia.] Refert Aſconius, duas fuiſſe familias Claudias Romæ: alteram plebeiam, alteram patritiam: Plebeia appellata eſt Marcellorum: patritia verò Pulchrorum.

Ex Regillis.] Liuius & Dionyſius ſingulari numero Regillum id oppidum appellant. Ab eodem Liuio pugna graphice deſcribitur, qua ad lacum Regillum inter Romanos, Latinóſque pugnatum eſt.

Recens.] Recenter, aduerbium eſt.

M. A N. Marci Antonii Sabellici ad Auguſtinum Barbadicũ sereniſſimum Venetiarum principem Paraphraſeos in Trãquillum parænesis tertia.

Patritia gens Claudia.] Si talé ſe Tyberius in ſuę administrationis receſſu præſtitiſſet, Auguſtine dux inclyte, qualem ab initio promiſerat, meritò inter optimos eorũ, qui poſt C. Cæſarem ſunt Romæ rerum potiti, haberi potuiſſet: ſed nemo diu perſonam ferre potuit alienam: citò enim ficta in ſuam recidunt naturam: ægrè quidem frugi, moderatúmque principem tantiſper carnifex natura illa egit, dum per quæ tutius ſæuire liceret ſcena cõparat. Sed ea diu diſſimulata crudelitas, libido, & auaritia, tres grauiſſimi vitæ affectus in humani generis perniciem, ex improuiſo erupere. Quæ plane vitia, quò minus ex ficta illius perſona fuerant expectata, eò maiorem omnibus gentibus ſtuporem intulere: nec tãtùm mala illa in ſua tẽpora ſæuiere, ſed peſſimo exemplo deteſtabili principum carnificinæ fores aperuerũt. Hinc enim Caligulæ, Nerones, Domitiani, Commodi, Seueri, aliæque Romani Imperii peſtes extitere. Sed Principatus tuus, dux sereniſſime, omnino ab illo diuerſus: quippe qui in libertatis gremio collocatus, clementiæ es, & popularitatis plenus. Nunc ad Tranquillum redeo, qui ad plebeiæ differentiam patritiam gentem Claudiam dixit. Siquidem duæ fuerunt Claudiæ familiæ, vt Aſconius ait: Marcellorum vna, quæ eadem & plebeia: Pulchrorum altera patritia.

Ex Regillis oppido.] Dionyſios Regillo dixit. Author gentis, vt ipſe tradidit, T. Claudius, vt Publius Clauſus, qui poſteà Claudius eſt dictus: is ſub id tempus, quo ad Regillum lacum ingenti prælio eſt ab Aulo Poſthumio pugnatum, cum numeroſa clientum, & amicorum manu ſe Romam contulit: quare & in vrbe ad ædificandum area, & vltra Anienem agro donatus, in patritios cooptatus eſt.

Sabinorum.] Sabini Vmbrorum finibus, Tyberi, Lario, & Marſis incluſi, vt Troezenius Zenodotus tradidit, ab Vmbris oriundi, mutatóque cum ſedibus nomine, pro Vmbris Sabinos dici contigit: ex Sabino ſangi diui gentilis. Plinius à deorum cultu Sabinos, quaſi ſeuinos, appellatos ait.

Recèns conditam.] Recèns dixit pro recenter. ſic Maro: Sole recèns orto.- Liuius & Dionyſius poſt exactos reges eum veniſſe ſcribunt, per id tempus, quo ad Regillum lacum aduerſus Latinos eſt pugnatum, anno circiter quinquageſimo ſupra ducenteſimum ab vrbe cõdita. A recèns, ſiue recenter fit verbũ recentari, renouari, & denuò recens fieri. Actius: Albicaſcit Phœbus, & recẽtatur cõmune lumẽ hominibus.

thore Tito Tatio consorte Romuli:vel, quod magis constat, Appio Claudio gentis principe, post reges exactos, sexto ferè anno, à patribus in patritios cooptata. Agrum insuper trans Anienem clientibus, lucúmque sibi ad sepulturam sub Capitolio publicè accepit. Deinceps procedente tempore, duodetriginta Consulatus, Dictaturas quinque, Censuras septem, triumphos sex, duas ouationes adepta est. Quum prænominibus, cognominibúsque variis distingueretur, Lucii prænomen consensu repudiauit, postquam è duobus gentilibus præditis eo, alter latrocinii, cædis alter conuictus est. Inter cognomina autem, & Neronis assumpsit, quo significatur lingua Sabina fortis, ac strenuus.

PHIL. Consorte Romuli.] Hæc prima Trãquilli sententia de aothore genris Claudiæ, à nullo Historicorũ memoratur, cùm io secundam omnes pedibus eant. Titus aotem Tatius Sabinorum rex, consors Romuli dicitur, quoniam regimen Imperii cõsociarunt, vnam ciuitatem ex duabus facientes, & Imperium omne Romã coutulerunt: &, vt scribit Liuius in 1. non modò commune, sed cõcors etiã regnum duobus regibus fuit: postea Titus Tatius Lauini, cùm ad solenne sacrificium eò venisset, concursu facto interfectus est.

Post reges exactos.] Post eiectos Tarquinios.

Cooptata.] Electa, adscita.

Trans Aniené.] fluuium Tyburtinum haud lõgè ab vrbe distantem: de quo Horatius:

Et præceps Anio, & Tyburti lucus. Anieni nomen indidit Anius rex Hetruscorum: qui inseqnens Cethegũ filiæ raptorem, quum eum assequi non posset, in fluuium insiliit: ibique extinctus, vt Anio vocaretur, effecit: Plutarchus author in libello De comparationibus clarorum hominum. De Aniene plura in quarto Propertii Commeotario.

Duas ouationes.] Ouatio, est minor triumphus. Qui ouabant, introire soliti erant eqoo veheotes, alii pedibos ingredi ouantes dicunt, quum triumphantes curru veherentur. Dicta ouatio oon ab ouatione, id est Bacchico clamore, vt quidam putaoere: sed ab oue, quam immolabant: quum io triumpho bos immolaretur, sicut docent eruditi, & testis est Plutarchus in Marcello. Dionysius quoque in quioto non pauca scienter scribit de ouationis & triumphi differeotia.

Cum prænomioibus.] Nemo Romanus, vt Priscianus ait io primo, erat absque prænomine: qui mos ex eo tempore cæpit, quo Sabioos Romani adsciuere ciuitati:& ad confirmandam coniunctionem nomina illorum suis oominibus præponebant. Liber homo, vt docet Quiotilianus in septimo, habet prænomen, nomen, cognomeo: & ita nobiles Romani tribus nominibus censebaotur, sicuti apud Liuium facile est animaduertere. Ideóque ab Ausonio dictum est:

-Tria nomina nobiliorum. Hinc illud Satyricũ:

Taoquam habeas tria oomina.- id est, tanquam sis nobilis, & ingeouus Romanus. C. Marius, Q. Sertorius, & L. Mummius tertium nomen minimè habuisse traduntur. Mulieres quoqoe erant duobus contentæ nomioibus. Varro existimat, simplicia nomina antiquitus fuisse in Italia, sicut Romulos, & Remus, & Faustus: neque prænomen habuisse, & cognomen. Quidam arbitrantur Romanos consoetudinem multiplicandorum nominum traxisse ab Albanis, à quibus orti suot. Prænomen nomini præponitur, vt Caius: Lucius cognomen postponitur,

Duodetriginta.] Sicut duodeuiginti dicimus decẽ & octo, quasi duo desint viginti: ita doodetriginta dicuntur vigintiocto.

Repudiauit.] Ne quis vnquam ex ea familia L. Claudius appellaretur.

Gentilibus.] Claodiis. Gentiles, vt docet Cicero in Topicis, & copiosè explicat Boethius, sunt, qui eodem genere orti sunt, eodémque nomine ioter se sunt, vt Scipiones, & Claudii: & ait eleganter Cincius: Gẽtiles mihi suot, qui meo nomine appellantur.

Præditis eo.] Scilicet prænomine Lucii.

Neronis assumpsit.] Aulus Gellius libro duodecimo, Nero, inquit, Sabinum est verbum, eóque significatur virtus, & fortitudo. Itaque ex Claudiis, quos à Sabinis oriundos accepimus, qui erat egregia, & præstaoti fortitudine, Nero appellatus est. Sabini autem id Neronis nomen à Græcis accepisse videntur, qui vincula, & firmamenta membrorũ νεῦρα dicunt, nostri neruos.

M. AN. Trans Anieoẽm.] Ex duobus & quadraginta fluminibus, quæ Tyberim augent, Nar, & Anio præcipui: vt Plinius sentit. Oritur Anio io Tebanorum montibus, treísque lacus nobiles in Tyberim defert. Plutarchus in eo tempore, quod περὶ ποταμῶν scripsit, Parensiũ olim fluuium ipsum ait appellatum, mox ab Anio Hetruscorum rege, qui se in id flumen ob Nusam filiam præcipitauit, Anieoem dictum. Propertius Anienum secundi declioatus protulit. Papinius:

Illis ipse antris Anienis fortè relicto. Vbi ego Anienus libentius legerim: vt sit Anio, Anien, & Anienus in nominandi casu: quòd si aliis accedas, quatuor modis recta vox varianda est.

Duodetriginta.] Octo & viginti.

Duas ouariooes.] Qoid triumphus ab ouarione distet, ex Gellii authoritate ostẽdimus. Cæterùm Dionysius, Decorati sunt, inquit, triũphis, & Senatu vteriq;: Menenius maiore, & pretiosore curuli sella vectus, Posthumus minore, & inferiore, quam ouatiooem vocant. Et rursus, Differt, ait, hic ab altero: primùm quidem quòd pedes ingreditur cum exercitu productus, qui ouatim triumphum ducit, nec in curru, sicut ille: deiode quia non picta, neque aurei claui veste induitur, nec ornatur trabea, quæ peculiaris est coosulum, ducúmq; amictus: corona autem ponitur ei laurea. Inferior est altero in gestatione scepti: alia habens omnia. Hactenus Dionysius, qui omnino aliquid videtur mihi variare à Latinis in ouationis apparatu describendo. Sed si quis legitimam triumphi formam reqoirit, videat Appianum.

Gentilibus præditis eo.] Id prænomen habentibus.

Secus

De gente Claudiorum, & eorum geſtis. II.

Vlta multorum Claudiorũ egregia merita, multa etiam ſecus admiſſa in Rempublicam extant. Sed vt præcipua commemorem, Appius cæcus ſocietatem cum rege Pyrrho, vt parum ſalubrem, iniri diſſuaſit. Claudius Caudex, primus freto claſſe tranſiecto, Pœnos Sicilia expulit. Claudius Nero aduenientem ex Hiſpania cum ingentibus copiis Aſdrubalem prius, quàm Annibali fratri cõiungeretur, oppreſſit. Contrà Claudius Appius Regillanus Decemuir legibus ſcribendis, virginem ingenuam per vim, libidinis gratia, in ſeruitutem adſerere co-

PHIL. Secus admiſſa.] Perperam, & per detrimentum Reipublicæ facta.

Appius cæcus.] Appius cenſor, quum ſolennia ſacri Herculanei ſeruos publicos edocuiſſet, luminibus captus eſt: authores Liuius & Valerius. Idem cùm Pyrrhus Epirenſis legatum Cyneam pro amicitia, pacéque Romanorũ petenda Romam miſiſſet, quúmque ſententia Senatus inclinaret ad pacem, quanuis & ſenex, & cæcus eſſet, in curiam ſe deferri iuſſit, factóque ſilentio, Vtinam, inquit, ad cæcitatem oculorum ſurditas auriũ acceſſiſſet, ne turpes conſultationes veſtras audire compellerer. Luculentáque oratione pacem, ſocietatémq; cum Pyrrho fieri diſſuaſit: ſicut ſcribit Plutarchus in Pyrrho. Quærit Iuriſconſultus lib. III. Digeſtorum, nunquid cæcus magiſtratum gerere poſſit: & extat, inquit, exemplũ eius, qui geſſit. Appius Claudius cæcus conſiliis publicis intererat, & in Senatu dixit ſeueriſſimam ſententiam de Pyrrhi captiuis nõ recipiendis. De eodem ſic lib. I. Digeſtorum ſcriptum legimus: Appius Claudius maximã iuris ſcientiam habuit, Appiam viam ſtrauit, & Claudiam aquã induxit, & de Pyrrho in vrbem non recipiendo ſententiã tulit.

Claudius Caudex.] Scribit Gellius lib. XVII. bellum aduerſus Pœnos primum cœptum eſſe Appio Claudio, cui cognomentum Caudex fuit, Appii illius cæci fratre, & M. Fuluio conſulibus. Seneca in libro De breuitate vitæ author eſt, hunc primum perſuaſiſſe Romanis nauem cõſcendere: vnde Caudex ob hoc ipſum appellatus eſt, quia plurium tabularum contextus caudex apud antiquos vocatur: vnde tabulæ codices dicũtur: & naues, quæ commeatum ſubuehunt, caudicariæ nominantur, quas & codicarias appellamus. Quemadmodum Appius hic Caudex traiecto freto Meſſanam peruenerit, Hieronem Syracuſanorum regem ſuperauerit, Carthaginienſes perdiderit, luculẽter narrat Polybius libro primo hiſtoriarum.

Freto.] Anguſtias maris fretum appellant, à ſimilitudine feruẽtis aquæ dictum, vt interpretatur Varro. Fretum autem, de quo loquitur Tranquillus, Siciliam diſterminat ab Italia, vnda tam anguſta, vt latratus canum, & cantus volucrum tranſmittere dicatur à Silio.

Tyberius Nero.] Refert Liuius lib. XXVII. Claudium Neronem celeritate incredibili vſum: Relictis caſtris, quæ prope caſtra Annibalis habebat, ad Senegalliam cum expeditis militibus properaſſe, ibiq; iunctis cum collega Liuio Salinatore copiis, ad Metaurum flumen cum Aſdrubale Annibalis fratre conflixiſſe: in qua pugna quinquaginta, ſex millia Pœnorum cæſa ſunt. Aſdrubal, ne ſupereſſet tanto exercitui, concitato equo ſe in cohortem Romanam immiſit: ibi, vt patre Amilcare, & fratre Annibale dignum erat, pugnans cecidit. M. Liuius Salinator, quoniam in eius prouincia tanta res geſta eſſet, quadrigis vrbem triumphali habitu introiuit, militibus ſequentibus: Claudius verò Nero equo ſine militibus inuectus eſt: ita conſociatus eſt triumphus, vt gloria omnis penes Claudium Neronem eſſet: cuius incredibilem ad hoc negotiũ peragendum celeritatem ſic laudat Silius in XV. Punicorum:

-Et penna, & fulmine, & vndis
Hybernis, & Achæmenio velocior arcu Euolat.-

Cõtrà.] Exempla hæc, quæ ſequũtur, ſunt eorũ, qui in Republica Romana detrimẽtoſi, dedecoroſiq; fuerunt.

Regillanus.] Cognomentum hoc deductũ videtur à Regillo Sabinorum oppido, vnde orta eſt gens Claudia.

Decemuir.] Põponius Iuriſcõſultus de hoc ſic ait: Appius Claudius vnus ex Decemuiris, cuius maximũ conſiliũ in duodecim Tabulis ſcribendis fuit. Refert Liuius lib. III. regimen totius magiſtratus Decemuirorũ penes Appiũ fuiſſe fauore plebis: qui dum Virginiam Lucii Virginii centurionis filiam amore amens nec pretio, nec vlla alia re corrumpere poſſet, M. Claudio clienti negotiũ dedit, vt virginem in ſeruitutem aſſereret: hinc cõtentiones exortæ, hinc Virginius pater è caſtris Romam reuocatus, cùm aliter libidini, impotentiæq; Decemuiri reſiſti non poſſet, arrepto cultro de taberna lanionis filiam transfigit. Hinc facta populi ſeceſſione Decemuiri abdicant ſe magiſtratu. Appius ipſe in carcerem coniectus, quod domicilium plebis Romanæ appellare ſolebat, mortem ſibi conſciuit.

In ſeruitutem aſſerere.] Multa ſunt verba media, & ancipitia, quæ vtrôque verſum dici poſſunt: inter quæ eſt aſſerere, quod commune eſt libertati, & ſeruituti. Dicimus enim aſſerere, vindicare tam in ſeruitutem, quàm in libertatem: vnde & aſſertores dicti ancipiti vocabulo, tam hi, qui vindicãt in ſeruitutẽ, quàm qui in libertatem. De aſſertoribus libertatis plurifariàm eſt exempla reperire. De aſſertore ſeruitutis, quia infrequens eſt, exemplum Liuianum adhibebo. Nanq; ſcribens hanc hiſtoriam ait in III. Claudio clienti negotiũ dat, vt virginem in ſeruitutem aſſereret. Et inibi: Iam à vi tuta erat, cùm aſſertor nihil opus eſſe multitudine concitata ait, ſe iure graſſari, non vi. Et mox paulò: Cùm repelleretur aſſertor virginis à globo mulierum. Vbi aſſertor ſignificatur ille cliens Decẽuiri, qui Virginiam aſſerere volebat in ſeruitutem.

Extant.] Apparent. Appius cæcus.] Huius eſt M. AN. vox illa, quã poſtea Ennius eſt carmine cõplexus:

Quò vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant
Antehac, dementi ſeſe flexere ruina?

Diſſuaſit.] Imò perſuaſit ne fieret, vt Cicero in Catone Maiore meminit. Claudius Caudex.] Huius ductu Romani primùm freto Siculo ſuperato Mamertinis opem tulere, tempeſtinóq; eorum acceſſu Carthaginienſium præſidium ex Mamertinorum arce eſt deiectum: Polybius eſt author. Anneus Seneca cognomen ait illi factum, quia codex ſit tabularũ congeries, ſiue cõpactio: iſque primus in naues conſcendere Ro-

natus, causa fuit plebi secedendi rursum à patribus. Claudius Drusus statua sibi cum diademate ad Appii forum posita, Italiam per clientelas occupare tentauit. Claudius Pulcher apud Siciliam non pascentibus in auspicando pullis, ac per contemptum religionis mari demersis vt biberent, quando esse nollent, prælium nauale iniit, superatúsque quum Dictatorem dicere à Senatu iuberetur, velut iterum illudens discrimini publico, *Glauciam viatorem suum dixit. Extant & fœ-

*Iliciam

manis ostendisset.] Claudius Nero.] Qui ad Metaurum fluuium Asdrobalem vicit: Liuius & Plutarchus sunt authores. Appius Regillanus.] De nefario Claudii Decemuiri amore, deque Virginiæ cæde, & plebis secessione Liuius locupletissimus est author.

PHIL. Secedendi rursum.] Quia prima secessio facta est, quando plebs Romana, cùm ob æs alienum quotidie necteretur, quumque nexi creditoribus traderétur, Sicinio authore, in Sacrum montem à patribus secessit trans Anienem fluuium, tria ab vrbe millia passuum. Piso author est, in Auentinum secessionem eã factam. Siue autem in Sacrum, siue in Auentinum secessio illa facta sit, hoc constat, plebem non prius patribus esse reconciliatã, quàm obtinuerit vt tribuni crearentur, qui essent plebeii magistratus sacrosancti.

Statua cum diademate.] Romanis nihil tam detestabile, támque inuisum erat, quàm regium nomen, regiúmque insignia, quale est diadema: de quo satis multa in Iulio Cæsare. Vnde Drusus vel hoc solo facinore male meritus est de Romana libertate, cùm sibi statuã cum diademate, tanquam regi, posuisset.

Ad Appii forum.] Oppidum est in Latio, cuius meminit Horatius in primo Sermonum, Satyra v.

-Inde forum Appi
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.

Plinius in III. in enumeratione Latii populorum meminit fori Appii. Ideo autem Drusus hũc potissimùm locũ delegisse videtur ad res nouas moliendas, quoniã erat in clientela Claudiæ gentis: & ab Appio, qui illhic forum egerat, nomen acceperat: sicut forũ Cornelii, forum Liuii, & id genus alia nuncupantur.

Pulcher.] Suprà docuimus, duas fuisse familias Claudias, quarum patritia appellata est Pulchrorum, vnde & hic Pulcher nominatus: sicut & ille dictus est Claudius Pulcher, qui fuit Ciceronis inimicissimus. Hinc illud mordaciter, & salse à Cicerone dictum in epistolis ad Atticum: Sed hæc præsidii apud pudorem pulchelli nõ habet satis. Vbi nomine pulchelli diminutiuo Clodius taxatur. Non pascentibus.] Inauspicatum, diráque portendens existimabatur, si pullus gallinaceus in auspicio offa obiecta pascere recusasset. Vnde Silius inter prodigia, quæ cladem Flaminio denũtiabant, hoc quoque ponit, quòd

-Ales præscia luctus
Damnauit vesci, planctúque alimenta refugit.

E contrario, cùm pulli pascuntur, felix est auspicium. Id verò felicissimum credebatur, quando ex offa, quam pullus inuasit, aliquid ex ore eius cecidit: quod, quia terram pauiebat, hoc est feriebat, terripauium primò, pòst terripudium dictum est, idq; tripudium solistimũ appellatur: quod auspicium, cùm à pullario nuntiabatur, egregium existimabatur. Pullarius autem, qui auspicium nuntiat, eiq; rei præest, ex eo nominatur, quòd pullos in cauea affert. De tripudio solistimo, quod erat felix, & egregium auspicium, scribunt Cicero in libris de Diuinatione, & Liuius in decimo ab vrbe condita. Hinc est illud Plinianum in decimo in capite de gallis gallinaceis: Horum, inquit, sunt tripudia solistima. Hi

magistratus nostros quotidie regunt, domósque ipsas suas aut claudunt, aut reserant: hi fasces Romanos impellunt, aut retinent: iubent acies, aut prohibent.

Esse nollent.] Comesse, & cibum capere: ab edo, es, est, deriuatur. Martialis:

-In cælo Romulus esse solet.

pro comesse: siue, vt vulgò dicitur, comedere. Socrates, auctore Gellio, dicebat se esse, & bibere vt viueret. De hoc Appio Liuius: Claudius Pulcher cõtra auspicia profectus, iussit mergi pullos, qui pasci negabant: infeliciter aduersus Carthaginienses classe pugnauit: & reuocatus à Senatu, iussisq; Dictatorẽ dicere, Caiũ Glauciã dixit, sortis vltimæ hominem: qui coactus abdicare se magistratu, postea ludos prætextatus spectauit. De eodem Cicero in II. de natura Deorum hæc refert: Nihil nos P. Clodii bello Punico primo temeritas mouebit? qui etiam per iocum deos irridens, cùm cauea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam iussit, vt biberent, quoniã esse nollent: qui risus classe deuicta, multas ipsi lacrymas, magnam Reipublicæ cladem attulit. Hũc à populo ob eam cladem condemnatum esse, testis est idem Cicero. Sed Valerius libro VIII. dictorum, factorúmq; memorabilium, scribit hunc Appium Claudium post amissam hanc pulcherrimam classem fuisse quidem populo infesto obiectum: & quum nullo modo crederetur effugere posse meritam pœnam, tamen euasisse, quum subitarius imber cohortus esset, cuius beneficio tutus fuit à damnatione. Ita cui maritima tempestas causæ dictionem contraxerat, cælestis salutem attulit.

Viatorem.] Ministrum. Nam qui Senatores ex agris accersebant, viatores dicti: authores Cicero, & Plinius.

Claudius Drusus.] Drusus in ea familia primus à Drauso hostium duce cominus trucidato est cognominatus. M. A N.

Ad forum Appii.] Horatius lib. Serm. I. Satyr. III. Aricia digressum se Forum Appii venisse ait:

-Inde forum Appi
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.

Plinius Fregellani, Foroappii, Forentani, Gabini. Quibus datur intelligi id oppidum in Latio fuisse.

Cum diademate.] Quod regiũ fuisse insigne ostendimus. Claudius Pulcher.] Is, vt Polybius prodidit, ad Drepanũ in Sicilia tres & nonaginta naues amisit: & quia cõtra auspicia pugnasset, Romam reuocatus multis est contumeliis affectus. Demum in iudicio, vt idem author ait, concidit. Liuius post cladem illam ludos prætextatum spectasse prodidit.

Non pascentibus.] Pasci nolentibus: nam escæ tripudium, ex vanissimo illo auspicandi instituto, lætitiã, & felicitatem portendebat: quod illis ex cibo abstinentibus fieri non poterat.

Iliciam viatorem.] Sic habẽt plura exemplaria, vt ab eo videri possit factum, quòd viatores in liciũ dicebantur vocare populũ, cùm illũ ad concionẽ vocabãt: sed Liuius Caium Glauciã ait ab eo Dictatorem dictũ.

Matris

minarum exempla diuerſa. Aequè ſiquidem gentis eiuſdem vtraque Claudia fuit, & quæ nauem cum ſacris matris deûm Idææ adhærentem Tyberino vado extraxit, precata propalàm, vt ita demum ſe ſequeretur, ſi ſibi pudicitia conſtaret: & quæ nouo more iudicium maieſtatis apud populum mulier ſubiit, quod in conferta multitudine ægrè procedēte carpento, palàm optauerit, vt frater ſuus Pulcher reuiuiſceret, atque iterū claſſem amitteret, quò minor turba Romæ foret. Præterea notiſſimum eſt, Claudios omnes, excepto duntaxat P. Clodio, qui ob expellendum vrbe Ciceronem, plebeio homini, atque etiam natu minori

PHIL. MAtris deûm Idææ.] Cybele mater deorum Idæa dicitur ab Ida, qui mons eſt & Cretenſis, & Phrygius: & in vtroque loco ceremoniæ Cybeles celebrabantur. Scribit Strabo, deorum matrem à locis vocari Idæam, Dindymenam, Peſſinuntiam, & Cybelen: cuius miniſtros Curetas vocāt, & Corybantas. Hiſtoria autem Claudiæ virginis nota eſt monumentis Hiſtoricorum, & Poetarū: de qua ſic inquit Hieronymus libro primo contra Iouinianū: Claudia virgo Veſtalis, cùm in ſuſpicionem veniſſet ſtupri, & ſimulacrū matris Idææ in vado Tyberis hæreret, ad comprobandam pudicitiam ſuā fertur cingulo duxiſſe nauem, quam multa millia hominum trahere nequiuerant. Melius tamen, inquit Lucani poëtæ patruus, cum illa eſſet actum, ſi hoc, quod euenit, ornamētum potius exploratæ fuiſſet pudicitiæ, quàm dubiæ patrocinium. Apud Silium in vltimo Punicorum Claudia Cybelen comprecatur his verſibus:

Cælicolûm genitrix, numen quod numina nobis
Cuncta creas, cuius proles terrámque, fretúmque,
Sideráque, & manes regnorum ſorte gubernant:
Si noſtrum nullo violatum eſt crimine corpus,
Teſtis diua veni, & facili me abſolue carina.
Tum ſecura capit funem. - & mox:
Fertur prona ratis, ventos impellere credas.

Tertullianus in Apologetico autumat nō ope pudicitiæ, ſed fallacia ſpiritali fuiſſe nauem à Claudia cingulo promotam.

Et quæ nouo more.] Claudia Appii cæci filia à ludis, quos ſpectauerat, exiens, turba vndique confluentis populi vexata eſt: vnde egreſſa, cùm ſe male habitam diceret, Vtinam, inquit, reuiuiſcat P. Claudius frater meus, qui nauali prælio claſſem nauium cum ingenti numero ciuium perdidit, aliámque claſſem in Siciliam ducat, atque iſtam multitudinem perditum eat, quæ me male nunc miſeram vexault. Ob hæc mulieris verba tam improba, ac tam inciuilia, ædiles plebeii mulctam dixerunt ei æris grauis vigintiquinq; millia. Ideò autem dicit Tranquillus, eam ſubiiſſe iudicium maieſtatis, quoniam verbis inciuilibus, & petulantibus minuerat maieſtatem populi Romani. Maieſtatem autem minuere, eſt, vt docet Cicero in ſecundo Rhetoricorū, de dignitate, aut amplitudine, aut poteſtate populi Romani aliquid derogare. Nouo autem more dixit: quia fœminæ non ſolent maieſtatis ſubire iudicium, nec forenſes actiones fœmineo ſexui conueniunt. Legimus tamen, Ameſiam, & Afraniam, & Calphurniam inquietaſſe tribunal prætoris. Aegre.] Difficulter.

Carpento.] Curru. Sunt autem carpenta, vehicula, quæ à Carmente Euandri matre dici opinatur Ouidius in primo Faſtorum. Scribit Liuius in v. matronis conceſſum eſſe, vt plauſtro ad ſacra, ludóſque, carpentis feſto, profeſtóque die vterentur. Galli ex carpentis ſoliti ſunt depugnare. Olim Scipio Naſica, Boiis deuictis, in triumpho tranſuexit ſpolia Gallicis carpentis.

Pulcher.] Ex familia Pulchrorum, quæ erat patritia: ſignificat autem Claudium illum Pulchrū, qui apud Siciliam, vt ante dictū eſt, nauali prælio fuit ſuperatus.

Plebeio homini.] Caio Fonteio.

Natu minori.] Scribit Modeſtinus Iuriſconſultus, ſicuti in titulo De adoptionibus relatum eſt, eum, qui adoptat, arrogátve, maiorem eſſe debere eo, quem ſibi per arrogationem, vel per adoptionem filium facit, & vtique plenæ pubertatis, id eſt, decē & octo annis præcedere debet. Et, vt libro primo Inſtitutionū eleganter ſcribitur, minor natu maiorem adoptare non debet. Adoptio enim naturam imitatur: & pro monſtro eſt, vt maior ſit filius, quàm pater. Vnde Cicero in oratione pro domo ſua ad Pontifices, accuſat non minus verè, quàm luculentè, P. Clodium, quòd ius adoptionis polluerit, cùm ſe in adoptionem dederit Fonteio, qui annos viginti vix natus erat, factúſque ſit eius filius contra fas, cuius per ætatem pater eſſe potuerit. Ideò autem P. Clodius plebeius fieri per adoptionē voluit, vt tribunus plebis fieri poſſet, quem magiſtratum nulli patritio per legem capere licebat.

M. AN. ET quæ nouo.] De matris deûm naui, quæ Tyberino vado hæſerat, à Claudia Veſtali aduerſo Tyberi tracta, Valerii, & Ouidii, aliorúmque teſtimonium extat locupletiſſimum. Simile exemplum in Tucia Veſtali narrat Valerius, quæ inceſti accerſita, ſpem ſalutis ancipiti argumēto petere auſa eſt. Veſta, inquit, ſi ſacris tuis caſtas ſemper admoui manus, effice vt hoc cribro hauriam ex Tyberi aquam, & in ædem tuam perferā.

Nouo more.] Quia eius ſexus nulla ad id tempus maieſtatis fuiſſet accerſita.

Iterū claſſem amitteret.] Dirū votū, & execrabile, ac dignū quod populus omnibus ſuffragiis mulctaret.

Natu minori.] Quod rarò alioqui fuerat permiſſum, ne cuiquam fraus fieret: id Gellius docet. Cicero in oratione, quā habuit ad pontifices, Factus es, inquit, filius eius cōtra fas, cuius per ætatem pater eſſe potuiſti. & rurſus, Adoptauit natus viginti annos, quo iure, quo more, quo exēplo P. Fonteio plebeio homini ſe in adoptionem Clodius dedit: vt plebeius factus, tribunus plebis fieret: nam patritii ſanguinis viris is magiſtratus non dabatur. Idem Cicero, Fonteius es, inquit, neque patris hæres, neque amiſſis ſacris paternis in hæc adoptiua veniſti. De intempeſtiua adoptione idem, Hora fortaſſe ſexta, inquit, diei queſtus ſum in iudicio, quum C. Antonium collegam meum defenderem, quædam de Republica, quæ viſa ſunt mihi ad illius miſeri cauſam pertinere. Hæc homines improbi ad quoſdam viros fortes, longè aliter atque à me dicta erant, detulerunt. hora nona illo ipſo die tu es adoptatus. Si quod in cæteris legibus trinumnundinum eſſe oportet, id in adoptione ſatis eſt, trium eſſe horarum: nihil reprehendo. Sed ego hæc de Clodio eò libentius hoc loco prolixius retuli, quia in Cæſare Dictatore de eius adoptione ieiunè nimis dixeramus.

in adoptionem se dedit, optimates, assertorésque vnicos dignitatis, ac potentiæ patritiorum semper fuisse, atque aduersus plebem adeò violentos, ac contumaces, vt ne capitis quidem quisquam reus apud populum mutare vestem, aut deprecari sustinuerit: nonnulli in altercatione, & iurgio tribunos plebis pulsauerint. Etiam virgo Vestalis fratrem iniussu populi triumphantem, ascenso simul curru, vsque in Capitolium prosecuta est, ne vetare, aut intercedere fas cuiquam tribunorum esset.

De qua stirpe Tyberius genus traxit. III.



X hac stirpe Tyberius Cæsar genus trahit, & quidem vtrunque: paternũ à *Tyberio Nerone, maternum ab Appio Pulchro, qui ambo Appii cæci filii fuerunt. Insertus est & Liuiorum familiæ, adoptato in eam materno auo. Quæ familia, quanquam plebeia, tamen

Claudio

PHIL. ADuersus plebem adeò violentos.] Docet Liuius pluribus in locis, quemadmodum familia Claudia semper certaminibus plebeiis, tribunitiisque cõtentionibus peculiariter fuerit occupata pro patritiorum dignitate tutanda. Vnde in IX. ab vrbe cōdita sic ait: Permulti iā anni erant, cùm inter patritios magistratus, tribunósque certamina fuerant, cùm ex ea familia, quæ fatalis cum tribunis ac plebe erat, certameo oritur. Idem in secuodo, & io quinto tradit, Appios Claudios foisse authores dissoluendæ potestatis tribunitiæ per collegarum iotercessionem.

Capitis reus.] Docet Liuius in secundo, queodam Appium Claudium reum ad iudicium populi vocatum esse: qui plenus irarum, & suarum, & paternarum, tribunos plebis, & plebem, suúmque iudiciom pro nihilo habebat. Illum nō minæ plebis, non Senatus preces perpellere vnquā potuere, vt vestem mutaret, aut sopplex prehensaret homines: Senatóres verò pro nullo æque annixi sunt, quàm pro hoc Appio, qui propugnator Senatus, maiestatísque vindex ad omnes tribunitios, plebeiósque tumultus fuerat oppositus. Hic morbo mortuus est ante quàm prædicta iudicii dies veniret.

Io altercatione.] Valet, vt inquit Quintilianus, io altercatione acumen: nec clamosus esse debet altercator, nec vitio iracundiæ obnoxius.

Tribunos plebis pulsauerint.] Veteres lege lata inuiolatos tribunos fecerũt, & vt sacrosancti haberentur, sanciēdo vt qui tribuno plebis nocuisset, eius caput Ioui sacrum esset, familia ad ædem Cereris venũ iret: Liuius author in tertio ab origine vrbis. Quanuis tribuni essent sacrosancti, & inuiolabiles, tamen Appii Claudii, legibus calcatis, spretisque ceremoniis, sæpe eos pulsauerunt io altercatiooibus, pœoam floccipendentes, qua violator tribuoorum fit sacer. Is eoim homo sacer dicitur, quem populus iudicauit ob maleficium: & qui eum occidit, parricidii non damnatur. Nam lege tribunitia prima cauetur: Si quis eum, qui sacer sit, occiderit, parricida ne sit. Sacrosanctum autem dicitur, qood iureiurādo interposito est institutum, si quis id violasset, vt morte pœnas penderet. Igitur cùm tribuni sint sacrosancti, debet morte pœnas pendere, si quis eos violauerit, pulsaoeritve. Inter pulsationem verò & verberationem hoc interest, vt Offilius scribit, verberare, est cum dolore cædere: pulsare, sine dolore. Sed an hæc sit differentia rata, viderint Iurisconsulti. Sæpe pulsare refertur ad infamiam. Apud Firmicum Maternum: Infamia pulsabitur. Et apud Marooem Pulsat, pro Infamat positum est. Qoòd autem altercationes, & iurgia inter tribunos fuerint, & Appios, testis Liuius est, qui ait à Lectorio tribuno missom esse viatorem ad consulem Appium, & ab Appio lictorem ad tribunum: qua rixa violatus esset tribunus, nisi concio omnis coorta esset pro tribuno. Idem tradit, Genutium tribunum plebis domi inueotum fuisse mortuum: cuius necis authores fuere iuniores patritiorum, & in primis, opinor, Appii, qui plebem, plebeiósq; tribunos genuino odio odisse produotur.

Fratrem.] Valerius lib. v. capite de Pietate erga parentes, nō fratrem, sed patrē Claudiæ Vestalis virginis fuisse scribit: quem cùm tribunus plebis triumphantem è curru triumphali detrahere vellet, mira celeritate vtrisq; interponendo se Claudia amplissimam tribuni potestatem depulit. Igitur alterum triumphum patet in Capitolium, alterũ filia in ædem Vestæ ducit.

Intercedere.] Intercessio propria tribunorum est: qui, vt scribunt Historici, magis ad impediendum, quàm ad agēdum creari sunt. Tacitus lib. xx. Cum rogarent, ioquit, sententias Consules, Vulcatius Tertulinus Tribunus plebis intercessit, ne quid soper tanta re, Principe absente, statueretur. Gellius item lib. XIII. Varro, inquit, de intercessionibus scripsit, dixítque intercedendi ne Senatusconsultum fieret, &c.

Insertus.] Qui adoptantur, non nasci io ea familia dicuntur, sed inseri: sicut per insitionem arbores io aliena sede ioserũtur. Papinius transertos ramos appellat, per insitionem translatos in alienā arborem, & robur.

Liuiorum familiæ.] Hanc familiam fuisse splendidam, & honoratam exempla testātur, & signat Valerius Maximus, scribens seriem imaginum illustrium fuisse in ea gente. & inibi docet Tyberium principem deductum fuisse, atque oriũdum è familia Liuia, & Claudia: cùm ait in capite de censoria nota, à Claudio Nerone, & Liuio Salinatore censoribus fluxisse salutarem principem suum, significans Tyberium.

M. AN. MVtare vestem, aut deprecari.] Liuius: Præterquàm qoòd neque vestem mutauit, neque quicquam ex ea consueta asperitate orationis remisit, adeò contumaci vultu ad iudicium venit, vt pars magna plebis oon minus illum reum timeret, quàm consulem timuisset.

Nonnulli.] De eodem puto Appio dici, qui in Lectorium Agrariæ legis authorem pro cōciooe inuectus, ingentem certaminis exciuit procellam.

Virgo Vestalis.] Claudia.

Insertus.] Immistus, interiectus. Valerius de discordia Liuii Salinatoris, & Claudii Neronis censura scribens, Si quis, inquit, cælestium significasset futurum, vt eorum sanguis illustrium imaginum serie deductus in ortum salutaris principis nostri confluerer.

Censu

& ipſa admodum floruit octo Conſulatibus, Cenſuris duabus, triumphis tribus. Dictatura etiam, ac magiſterio equitum honorata: clara & inſignibus viris, ac maximè Salinatore, Druſiſque. Salinator vniuerſas tribus in cenſura notauit leuitatis nomine, quòd quum ſe poſt priorem conſulatum mulcta irrogata condemnaſſent, Conſulem iterum, Cenſorémque feciſſent. Druſus, hoſtium duce Drauſo cominus trucidato, ſibi, poſteríſque ſuis cognomen inuenit. Traditur etiam proprætore ex prouincia Gallia retuliſſe aurum, Senonibus olim in obſidione Capitolii datum, nec (vt fama eſt) extortum à Camillo. Eius abnepos, ob eximiam aduerſus Gracchos operam,

PHIL. Cenſuris duabus.] Quia in ea fuerunt duo cenſores, vel quòd vnus bis cenſuram geſſit.

Magiſterio equitum.] Quia magiſtri equitum in ea familia fuerunt, qui ſecundam poſt Dictatorem poteſtatem gerebant.

Salinator vniuerſas tribus.] Refert Liuius lib. xxix. cognomen inditū fuiſſe Salinatori Liuio, propter vectigal, quod nouum ex ſalaria annona commentus eſt in cenſura. Hic populū Romanum omnē quatuor & triginta tribus inter ærarios reliquit, quòd ſe & innocentē condēnaſſent, & condemnatum Conſulē, Cenſorémq; feciſſent: neque inficiari poſſent aut iudicio ſemel, aut comitiis bis peccatum eſſe: vnicam tantùm tribum nomine Metiā excepit, quæ ſe nec condemnaſſet, neque condemnatū aut Cenſorem, aut Conſulem feciſſet. Lege Valerium in capite de Cenſoria nota, & Liuium in xxix. de diſtricta Liuii Salinatoris cenſura copioſe eloquentérque ſcribentes. Mulcta irrogata.] Mos ſermonum is eſt, vt ita loquamur, mulctam dixit: &, mulcta dicta eſt: mulctam irrogauit: &, mulcta irrogata eſt: quod ſignificat mulctare, & mulctam imponere damnato, quaſi per rogationem ad populum. M. Cato aliter dixit in Originibus, cùm ait: Imperator noſter, ſi quis extra ordinē depugnatum iuit, ei mulctam facit. A mulcta, æs mulctaritium dictum, quod ex mulcta irrogata exigi ſolet.

Duce hoſtium.] Germanorum: vel, vt alii, Gallorū. Eſt enim Drauſus barbaricum nomen, nec eius hiſtoria ſatis nota.

Proprætore.] Sicut dicimus proconſule, ita idem dicimus proprætore, quaſi loco prætoris, vt inquit Martianus Capella: qui proconſule finiunt e litera in nominatiuo, naturam præpoſitionis intuentur: pro, quippe ablatiuo tantùm præfertur. Sed dici tamen poteſt proconſul, & proprætor, non duabus vocibus, ſed compoſito nomine, vt procurator.

Cognomen inuenit.] Vt Liuii Druſi cognominarentur.

Aurum Senonibus datum.] Senones, populi ſunt Galliæ notiſſimi, vtpote qui olim vrbem Romam incenderunt, & arcem, Capitoliúmque obſederūt: poſtea inter P. Sulpitium tribunum militum, & Brennum regulum Gallorum colloquio tranſacta pactio eſt, & mille pondo auri pretium populi Romani factum. Addidit Liuius, pondera ab Gallis iniqua allata fuiſſe: Sulpitio tribuno Romano recuſante additum ab inſolente Gallo ponderi gladium: de quo loquitur Silius:

Infandi Senones, penſatíque improbus auri
Arbiter enſis adeſt. -

Cæterùm prius, quàm omne aurum per altercationem eſſet appenſum, interuenit Dictator Camillus, qui auferri aurum de medio iuſſit, Gallóſque tanta cæde profligauit, vt ne nuntius quidem cladis relictus ſit. Id bellum ab eruditis Senonicum nominatur. Plinius libro xxxiii. tradit, à pleriſque exiſtimari, non mille, ſed duo millia pondo auri collata fuiſſe in ea Gallorum pactione: quoniam à Camillo totidem condita fuerunt ſub ſolio Iouis Capitolini. Sed, vt ipſe ait, id aurum, quod acceſſit, fuit ex præda Gallorum. Omittendum non eſt id, quod tradit Verrius, qui ait, Senonas Gallos exiſtimari ex eo appellari, quia noui venerūt ex tranſalpina Gallia, quaſi cenonas, litera immutata. καινὸς enim Græcè nouus dicitur, & καινότης nouitas. Obiter annotādum, quòd in penſione auri, cùm à Gallo inſolenter additus fuiſſet, ſicut iā diximus, iniquo ponderi gladius, adiecta quoq; vox eſt intolerāda Romanis: dixit enim Gallus per inſolentiam, Væ victis. quod poſtea venit in prouerbium: quod & Plautus vſurpat. Adiiciendum quod minus protritum eſt, Furium ſcilicet Camillum, cùm poſtea inſidiis circūuentos Gallos concideret, & illi quererentur contra fœdus id fieri, remuneraſſe ipſum Gallum eadem voce, vt & ipſe diceret; Væ victis.

Eius abnepos.] Quarto gradu affinitatis ſunt abnepos, & abneptis infrà: ſicut abauus, & abauia ſunt ſuprá.

M. AN. Octo Conſulatibus.] Octo ex ea familia Cōſulibus.

Duabus Cenſuris.] Duobus Cenſoribus: ſic reliqui honores ad illos, qui functi ſunt, referantur.

Salinatore.] Liuio Salinatoris cognomento prædito: is ex ſalaria annona vectigal ſtatuit in cenſura, quam cum Claudio geſſit, vnde illi cognomen inditum. Liuius: Et in pretio ſalis oneratas tribus, quarum opera damnatus erat, credebant inde Salinatori Liuio inditum cognomen. In hunc quoque extat iocus ille Fabii Maximi in Catone Maiore à M. Tullio, quum gloriaretur, Fabium Maximum ſua opera Tarentum recepiſſe: Certè, inquit ille, ſic habet: nam niſi tu prius amiſiſſes, nullo modo recepiſſem.

Vniuerſas tribus.] Liuius quoq; omnes ait præter vnam Metiam: ſunt qui & addant, etiam, quòd neque eum condemnaſſet, neque damnatum poſteà creaſſet Conſulē: quo nomine tribus reliquæ ab eo notatæ ſunt.

Senonibus.] Miror fuiſſe, qui traderent, aurum à Druſo relatum, ſi vera ſunt, quæ Liuius ſcribit. Is, dum aurum Gallis penderetur, Camillū interueniſſe ait, continuóque inter ipſas vrbis ruinas pugnam contractam: poſtridieque via Gabina ad octauum lapidem iterum pugnatum, Gallóſque occidione occiſos, ita vt ne nuntius quidem tantæ cladis, non modò auri aſportator ſit relictus. Inter Apenninum, & alpes extremi Gallorum omnium ad Adriam litoralem oram Senones incoluere. De feritate gentis, & reliquo viuendi ritu, Polybius accuratè multa. Li. Dru. Appi. Liui. Druſ. ad alterum tribonatum vt Gracchi legibus obſiſteret hortatus eſt. Cicero ad Quintum fratrem: Druſique tribunatus pro Senatus authoritate ſuſceptus. Senones hi ſunt, qui ſecundum Plinium Romam ceperunt.

Patro

patronus Senatus dictus, filium reliquit, quem in simili dissensione multa variè molientem, diuersa factio per fraudem interemit.

De patre Tyberij. IIII.

PAter verò Tyberii quæstor Caii Cæsaris, Alexandrino bello classi præpositus, plurimùm ad victoriam contulit. Quare & pontifex in locum Publii Scipionis substitutus, & ad deducendas in Galliam colonias, in queis Narbona, & Arelate erant, missus est. Tamen Cæsare occiso, cunctis turbarum metu abolitionem facti decernentibus, etiam de præmiis tyrannicidarum referendum censuit. Prætura déinde functus, quum exitu anni discordia inter Triũuiros exorta esset, retentis vltra iustũ tempus

PHIL. PAtronus Senatus.] De hoc Druso loqui videtur Cicero in primo de Oratore, scribens Drusi tribunatum pro Senatus authoritate fuisse susceptũ: quod & de filio dici haud absurdè posset: qui, vt scribunt Historici, non modò tribunatus viribus, sed ipsius etiam Senatus authoritate tantum conflauit incendiũ, vt nec prima illius flamma posset sustineri: subitáque morte correptus, hæreditariũ in posteros suos bellũ propagaret. Sed seditionum omniũ causa, primordiiimque fuerunt Tyberius, & Caius Gracchi, qui legibus agrariis auram popularem aucupabantur: quibus interfectis, non defuerunt, qui Gracchanas leges asserere conarentur: inter quos extitit Drusus filius longè à patre dissimilis: nam cùm ille aduersus Gracchos operã eximiam Senatui præstitisset, hic Gracchanis legibus plebem ad se trahere tentauit, nullo largitionis genere omisso. Extat vox ipsius profitentis, nihil se ad largitionem vlli reliquisse, præter cælum, & cœnum. His rebus in vrbe Romana temere concitatis, domum se recipiens, immisso inter turbam percussore corruit, & ita extinctus est. Scribit Appianus lib. primo bellorum ciuilium, cùm in deambulatorio obscuro ius diceret, sub horam vespertinam percussum concidisse, repertúmque sutoris cultrum in femore infixum. Author cædis ignoratur. De hoc Seneca in libro de breuitate vitæ sic scribit: Liuius Drusus vir acer, & vehemẽs, cùm leges nouas, & mala Gracchana mouisset stipatus ingenti totius Italiæ cœtu, exitum rerum non prouidens, execratus inquietam à primordio vitam, dicitur dixisse, Vni sibi, ne puero quidem, vnquam ferias contigisse. Diuersa factio.] Autumant eruditi, percussorem Drusi à Philippo, & Cepione inimicis fuisse subornatum, qui erant principes diuersæ factionis.

Bello Alexandrino.] Quod gestum est à Cæsare Dictatore aduersus Alexandrinos. de quo in primo Commentario dictum est. P. Scipionis.] Is fuerat socer Pompeii, bellique ciuilis reliquias refouerat in Africa: mox victus in acie, circunuentus ab hostibus, honestæ morti vocem quoque adiecit honestam. Quærentibus enim hostibus vbi esset Imperator, respondit, Imperator bene se habet. De pontifice maximo, pontificúmque minorum collegio dictum est affatim in Iulio Cæsare. Videtur in hoc loco pontifex vnus ex minoribus signari potius, quàm maximus.

Narbo.] Narbo Martius duodecim millibus passuũ à mari distat: à cuius nomine Narbonensis prouincia appellatur, Bracchata Gallia antè dicta. Plinius Narbonem Decumanorum coloniam vocat, propterea quòd milites decimæ legionis in eam coloni deducti sunt. Strabo in quarto ait, Narbonem fuisse amplissimum eius regionis emporium. Sidonius in hendecasyllabis loculento præconio extollit Narbonem, Narbonísque pulchritudinem, opulentiam, salubritatem.

Arelate.] In mediterraneo Narbonensis Galliæ ciuitas est Arelate, à Plinio dicta colonia Sextanorum, quoniam ex sexta legione coloni deducti sunt. Harum coloniarum deducendarum author fuit Cæsar, quibus patrem Tyberii præfecit, velut vnum ex Triumuiris, qui more Romano colonos deducebãt, eisque agros viritim diuidebãt.

Turbarũ.] Turbationum.

Abolitionem facti.] Post interfectum in Senatu Iulium Cæsarem multi de Amnestia, quæ lex est obliuionis discordiarum, reuocanda censuerunt. Et hoc est illud vetus verbum, quod Cicero in prima Philippica vsurpasse se testatur, quod in sedandis discordiis vsurpauerat olim ciuitas Atheniensium: de quo in libro Annotationũ plura.

De præmiis tyrannicidarum.] Tyrannicidæ dicti sunt Iulii Cæsaris interfectores: quos Cicero vocabulo Græco τυραννοκτόνους appellat. Refert Appianus, Cionã, qui prætor erat, in primis interfectores Cæsaris collaudasse, eósque censuisse vt conseruatores e Capitolio euocandos, & honoribus meritis afficiendos. Fuerunt & alii, vt idem est author, qui hoc idem assererent. Scribit Cicero in oratione pro Milone, morem esse Græcorum, vt honores deorum tribuant his viris, qui tyrannos necauerunt. Extant declamationes hoc argumento, Tyrannicidæ præmium detur.

Inter Triumuiros.] Marcum Antonium, Lepidum, & Augustum.

Vltra iustum tempus.] Iam finita prætura: qui annuus est magistratus.

M. AN. DIuersa factio interemit.] Drusus Liuius filius, vt Appianus scribit, tribunus plebis in deambulatorio percussus, cum clamore concidit, culterque sutorius in eius femore affixus, est repertus. Quod autem variè molientem dixit, ad illud referri oportet, quòd quum Senatui, & equestri ordini placere studuisset, neutrius ordinis odium declinauit.

Alexandrino bello.] Quo Cæsar aduersus Ptolemæum circa Alexandriam gessit.

Pontifex.] Pontifex maximus intelligi non potest, quum C. Cæsar pontificatum maximum, nisi cum morte, non deposuerit: sed erant alii pontifices octo numero: quanquam ab initio quatuor à Numa rege instituti fuissent. De eorum potestate Plutarchus in Numa, & Halicarnasseus Dionysius plura.

P. Scipionis.] Qui est à C. Cæsare in Africa victus: Appianus, & Plutarchus sunt authores.

In queis.] In numero quarum.

Narbo.] Vnde Galliarum vna cognominata: emporium, vt Strabo ait, illustre ad ostium Rhodani. Idem Strabo lib. IIII. Narbo nanque, ait, eius regionis emporium, supra exitũ Atacis fluminis, Narbonensémq; lacũ iacet. Arelate.] Et hoc quoq; eiusdẽ terræ emporiũ, & ipsum Rhodano, vt idem author tradidit, adiacens.

De præmiis tyrannicidarum.] Appianus consultationis illius anthor est, qua noo defuerunt, qui Cæsaris percussoribus præmia publicè constituenda vt tyrannicidis censerent. Athenienses, vt Plinius opinari videtur, primi omnium Harmodio, & Aristogitoni, quia tyrannũ occidissent, statuas posuere: sed illi non Hippiã tyrannum, vt Thucydides demonstrat, verùm Hipparchũ tyranni fratrem occiderunt: quem vulgò errorem scriptorum ignauia inoluisse, idem author testatur, vt illi pro tyrãnicidis à recentioribus falsò celebrentur.

Augusto concessit.] Sextus Aurelius: Liuiam Augustus, quasi marito coocedeote, sibi coniunxit.

Vtroque liberorum.] Tyberio, qui natus erat in domo paterna, & Druso, qui domi Augusti natus est tribus mensibus pòst, quàm Liuia mater nupserat Augusto.

insignibus, Lucium Antonium Consulem Triumuiri fratrem ad Perusiam secutus, deditione à cæteris facta, solus permansit in partibus. Ac primò Præneste, inde Neapolim euasit: seruísque ad pileum frustra vocatis, in Siciliam profugit. Sed indignè ferens, nec statim se in conspectum Sexti Pompeii admissum, & fascium vsu prohibitum, ad Marcum Antonium traiecit in Achaiam. Cum quo breui, recõciliata inter omnes pace, Romam rediit, vxorémque Liuiam Drusillam, & tunc grauidam, & antè iam apud se Tyberium enixam, petenti Augusto concessit. Nec multò pòst diem obiit, vtroque liberorum superstite, Tyberio, Drusóque Neronibus.

De loco, & tempore natiuitatis Tyberij. V.



Tyberium quidem Fundis natum existimauerunt, secuti leuem coniecturam, quòd materna eius auia Fundana fuerit, & quòd mox simulacrum Felicitatis ex Senatusconsulto publicatum ibi sit. Sed, vt plures, certioré sque tradunt, natus est Romæ, in Palatio, decimosexto Calendas Decembris, Mar. Aemylio Lepido iterum, & Munatio Planco Consulibus, * post bellũ Philippense. Sic enim in Fastis,

PHIL. INsignibus.] Prætoriis ornamẽtis.

In partibus.] scilicet L. Antonii, & in factione Augusto contraria. Præneste.] Oppidũ est Latii quondam Stephane dicta, siue Polystephanon, à copia coronarum: vbi Fortunæ templum illustre visebatur: de quo Silius:

- Templísque dicatum Fortunæ Præneste iugis. -

Neapolim.] Opus Chalcidensium est, Parthenope à tumulo Sirenis appellata.

*per

Seruis ad pileum.] Legimus sæpe apud Historicos, ad pileum seruos fuisse vocatos: quod significat ad libertatem, cuius insigne est pileus. Liuius in xxIIII. Postero die serui ad pileum vocati, & carcere vincti emissi, confusáque omnis multitudo Hippocratem, atque Epicidem creant prætores. Hinc illud prouerbiale apud Senecam in VI. Epistolarum: Dicet aliquis, me vocare ad pileum seruos. Post interfectum Iulium Cæsarem quidam pileum in hasta prætulerunt, tanquam libertatis signum, vniuersósque ad ciuilitatem patriam vocauerunt. Olim Lucius Cinna, vocatis ad pileum seruis, aduersarios deuicit. Mos fuerat apud veteres, vt serui, qui per manumissionem liberi fiebant, raderent caput, & calui pileum caperent. Hinc est illud Plautinum: Dii faxint vt hodie raso capite caluus capiam pileum. Pater Tyberii frustrà seruos ad pileum vocauit: quoniam hominem sequi noluerunt, maluerúntque in seruitute vitam tutam degere, quàm spe libertatis periclitari. Fascium vsu.] Prætores, sicut & proconsules, non plus, quàm sex fascibus vtebantur, cùm Consules duodecim vterentur. Sexti Pompeii.] Filii Magni Pompeii, qui à Lucano dictus est Siculus pirata: de quo suprà satis ac super. In Achaiam.] Plinius: Achaia nomen prouinciæ, ab Isthmo incipit: antè Aegialos vocabatur, propter vrbes in litore per ordinẽ dispositas. Græci enim αἰγιαλὸν vocant litus. Est autem innexa Achaia Peloponneso.

Fundis.] In ciuitate Fundana, quæ erat in Latio. Horatius:

Fundos Aufidio Lusco prætore libẽter Linquimus. -

Foodana.] Ex oppido Fundorũ. De Fundanis historia est apud Liuiũ lib. octauo: qui olim metuentes bellum à Romanis, orarũt Plautium Consulem, vt ab innoxio populo abstineret, dicentes agros, vrbem, corpora ipsorum, cõiugúmque, ac liberorum suorum in potestate populi Romani esse, futuráque: itaque collaudati sunt, quòd in officio essent.

Felicitatis.] Romani veteres inter numina Felicitatem quoque deam colebant. Augustinus in quarto de ciuitate Dei: Quid? Felicitas dea est, ædem accepit, aram meruit, sacra ei congrua persolnta sũt.

Post bellum Philippense.] Quod Augustus, & Antonius gesserunt aduersus Brutum, & Cassium.

M. AN. LVcium Antonium.] Antonii Triumuiri fratrem Augusti inimicum. Plinius: In summa, inquit, deus ille, quũ de Augusto interim loqueretur, cælum nescio adeptus magis, an meritus, hærede hostis sui filio excessit. Sui enim contenderim esse legendum, non suæ, vt Pliniani codices, quos vidimus, habent: non enim Liuia Tyberii mater fuit Augusti hostis, imò illius amantissima: sed pater, qui in partibus aduersus eum pertinacissime mansit. In partibus.] In studio diuersarum partium. Ad pileum.] Ad libertatem. Sexti Pompeii.] Qui tum Siciliam obtinebat. Fascium vsu prohibitum.] Ne fasces, & prætoria Insignia præ se ferret. In Achaiam.] In partem Græciæ ab Isthmo se Peloponneso insinuantem.

Inter eos.] Augustum scilicet, & Antonios.

Concessit.] Vt facto cum ea diuortio in vxorem duceret. Tyberio.] Is ante diuortium apud patrem natus fuerat. Druso.] Quem post Liuiam Augusto concessam nasci contigit.

Fundis.] Oppido, reiectioris Latii finibus ioclusó: vel in ipso potius confinio.

In Palatio.] In regione Palatii.

Post bellum Philippense.] Ab Antonio, & Augusto aduersus Brutum, & Cassium in Philippis gestum.

Acta

actáque publica relatum est. Nec tamen desunt, qui partim antecedente anno Hirtii, ac Pansæ, partim insequente, Seruilii Isaurici, Antoniíque Consulatu genitum eum scribant.

De infantia, & pueritia Tyberij. VI.

INfantiam, pueritiámque habuit luxuriosam, & exercitatam, comes vsquequaque parentum fugæ, quos quidem apud Neapolim sub irruptionem hostis nauigium clàm petentes, vagitu suo penè bis prodidit: semel quum à nutricis vbere, item quum à sinu matris raptim auferretur ab iis, qui pro necessitate temporis mulierculas leuare onere tentabant. Per Siciliã quoque, & Achaiam circunductus, ac Lacedæmoniis publicè, qui in tutela Claudiorũ erant, demandatus, digrediens inde itinere nocturno, discrimen vitæ adiit, flamma repentè è syluis vndique exorta, adeóque omnem comitatum circumplexa, vt Liuiæ pars vestis, & capilli amburerentur. Munera, quibus à Pompeia Sexti Pompeii sorore in Sicilia donatus est, chlamys, & fibula,

PHIL. ACta publica.] Suprà dictum est, quemadmodum acta singulorum annorum conficiebantur. Plinius in secundo: Eodem causam dicente, lateribus coctis pluisse in eius anni acta relatum est.

Hirtii, & Pansæ.] Annus, quo Hirtius, & Pansa Consules fuerunt, antecessit annum, quo Lepidus, & Munatius Plãcus Consulatum gesserunt. Insequete.] Qui secutus est Consulatum Lepidi, & Planci. Infantiam.] Hippocrates maximus medicorũ septem gradus facit ætatum. Primæ ætatis finem putat esse septimum annum, secũdæ quartũdecimum, tertię duodetrigesimum, quartæ trigesimumquintũ, quintæ duodequinquagesimum, sextæ quinquagesimumsextum, septimum nouissimum annũ vitæ humanæ. Seruius ætates sic diuidit: Infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuuentam, senectam. Sed Varro, vt docet Censorinus, gradus quinq; ætatis æquabiliter putat esse diuisos: vnumquenque scilicet præter extremum, in annos quindecim. Itaque primo gradu vsque ad annum quintumdecimum pueros dictos, quòd sint puri, id est impuberes. Secundo ad trigesimum annum adolescentes, ab adolescẽdo nominatos. In tertio gradu, qui erat vsque ad quinque & quadraginta annos, iuuenes appellatos, eò quòd Rempublicam in re militari iuuare possent. In quarto autem gradu vsque ad sexagesimum annum seniores nuncupatos, quòd tunc corpus senescere incipiat. Inde vsque in finẽ vitæ vniuscuiusque quintum gradum factũ, in quo qui essent, senes appellatos, quòd ea ætate corpus iam senio laboret. Auicenna, & Albertus Magnus omnes ætates numero quatuor esse prodiderunt: ætatem adolescentiæ vsque ad triginta annos: quam subsequitur ætas consistentiæ, alio nomine dicta ætas pulchritudinis, vsque ad quadraginta annos: tertia ætas est minutionis, quæ senectus dicitur, pertinétq; ferè vsque ad sexagesimum annum: nouissima ætas dicitur senium, quæ est finis vitæ.

Sub irruptionem.] Milites Augusti significat, qui tunc hostis erat patris Tyberii, vtpote secuti partes Lucii Antonii in bello Perusino.

Vagitu.] Deum nomine Vagitanũ colebant prisci, qui infantum vagitibus præesset, vt docet Augustinus in IIII. de ciuit. Dei. Au. Gellius nõ Vagitanum Deum vocat, sed Vaticanum, penes quem essent humanæ vocis initia. Leuare onere.] Quod dicitur exonerare, ne baiulantes ipsos infantes sua contatione fugam morarentur.

In tutela Claudiorum.] Suprà docuimus quemadmodum non solùm singulæ ciuitates, sed etiam prouinciæ habebant Romæ suos quælibet patronos: ita Lacedæmonii erant in clientela Claudiorum, sicut Syracusani Marcellorum, & Bononienses Antoniorum.

Chlamys.] Chlamydem, militarem proprie vestem fuisse, significat Plautus, qui ad ornatum militis ait opus esse chlamyde, machæra, & petaso. Quinetiam Iulius Pollux scribens ad Commodũ Cæsarẽ de proprietate vocabulorum, inter apparatus militares numerat chlamyda, cuius diminutiuũ est chlamydion. A chlamyde chlamydatus deriuatur. Plautus in Pseudolo: Quis hic homo chlamydatus est? aut vnde est? Vergilius:

Sidoniam picto chlamydem circundata limbo.

Iuriscõsultus inter vestimenta puerilia numerat chlamydes, tanquam non minus ad pueros pertineat, quàm ad viros: & ita in hoc loco accipitur pro veste puerili. Fibula.] Fibula, ornamentum est cinguli ad vestem subligandam. Vergilius:

Aurea purpureã subnectit fibula vestem.

In alio significato accipitur fibula comœdorũ & citharœdorũ, de qua Iuuen. Soluitur his magno comœdi fibula. Et apud Celsum caput est de infibulandis iuuenibus. A fibula fit verbũ diffibulo, quod significat fibulã resoluo. Papi. Emicat, & torto chlamydẽ diffibulat auro. Hic accipi videtur pro cinctura puerili. Refibulare apud Martialẽ est, fibulã illã ad obscœna pertinentẽ dissoluere, cùm ait: Cuius refibulauit turgidũ faber penẽ.

M. AN. HIrtii, & Pansæ.] Qui Mutinensi perierunt bello. Antecedente anno.] Qui Philippense bellũ præcessit. Partim.] Quidam alii. Insequente.] Qui ipsum bellum est proxime secutus. Constat igitur eo triennio natum: sed quo anno, parum inter authores conuenit. Luxuriosam.] Magnis incrementis præditam. Exercitatam.] Quia infans, & puer paternæ fugæ comes. Irruptionem hostis.] Hostibus subitò irrumpentibus. Onere.] Pueri gestandi. In tutela.] Clientela. Donatus est.] Tyberius puer. Sic & Vergilianus ille Ascanius ab Andromache chlamyde est donatus. Fibula.] Tegumenti genus ab vmbilico ad genua, ad velanda pubidũda: eo citharœdi quoque, & comœdi vtebantur, nõ ad obscœnas solùm partes tegendas, sed ad cohibendam etiam libidinem, ne raucescerent. In quam, velut denegatam, quum proniores essent fœminæ sui temporis, lepidissimè in earum intemperiem iocatur Martialis:

Dic mihi simpliciter, inquit, comœdis, & citharœdis
Fibula quid præstet? nota sunt reliqua.

Bullæ

item bullæ aureæ durant, ostenduntúrque adhuc Baiis. Post reditum in vrbem à Marco Gallio Senatore testamento adoptatus, hæreditate adita, mox nomine abstinuit: quòd Gallius aduersarum Augusto partium fuerat. Nouem natus annos, defunctum patrem pro Rostris landauit. Dehinc pubescens, Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est, sinisteriore funali equo, quum Marcellus Octauiæ filius dexteriore veheretur. Præsedit & Actiacis ludis, & Troianis Circensibus, ductor turmæ pucrorum maiorum.

PHIL. BVllæ aureæ.] Suprà diximus quemadmodum pueris ingenuis attriburum fuit gestamen bullæ aureæ, quæ ad effigiem cordis erat formata. Prætereà bullæ sunt illa ornamenta, quibus cingula decorantur. Calphurnius in Bucolicis:

Alternat vitreas lateralis cingula bullas.

Cicero quoque tradit, Verrem bullas aureas ex valuis templi magnificentissimis abstulisse: qui bullas accipit pro capitibus clauorum eminĕtioribus, quibus hodie quoque fores exornantur: sicut & Plautus in Asinaria cùm ait: Iussisti in splendorem dari bullas has foribús oostris. Hioc annominatio illa est apud eundē in Curgulione: Qnio tu is in malam crucem cum bolis, & cum bullis. Bullas etiam appellamus tumores illos, qui ioaquis repentè fiunt, & repentè euanescunt. Vnde in prouerbio apud Varronem dicitur: Homo bulla est. quia scilicet similis bullæ vita est mortalium, fluxa, & momento caduca. Hinc aquæ bullantes à Calphurnio In Bncolicis dictæ illo versu:

Bullantes vbi fagus aquas radice sub ipsa
Protegit. -

& à Plinio in nono: Bullantium aquarum sufflatio. Cornelius Celsus inter signa valetudinis longæ hoc quoque numerat: Si vrina bullulas excitat. Vbi bullulas [illegible], id est diminutiuè dixit à bulla. Existimo, Tranquillum in hoc loco loqui, non de ornamento illo iogenuorum, sed de his bullis, quibus balteus, & cingulum ornari solet: vt & chlamys, & fibula, & bullæ simul conueniant. Nam pro ornatu pendente ante pectus, vna tantùm bulla, & nō plures gestabantur.

Nomine abstinuit.] id est, noluit nominari Gallius: quanuis ex more Romano, qui testamento adoptabantur, testatoris oomen acciperent. Ita Pomponius Atticus cognominatus est Cæcilius, à Quioto Cæcilio, qui moriens testamento eum adoptauit, hæredémque fecit ex dodrante: anthor Cornelius Nepos. Et Varro sic ait in secundo de Re rustica: Atticus, qui tunc Titus Pomponius, nunc Quintus Cæcilius esse nomine eodem.

Nouem natus annos.] Scribit Quintilianus in xII. Demosthenem admodum puerum actiones pupillares habuisse: traditúmque est, qoosdam adhnc prætextatos egisse: & Cæsarem Augustum duodecim annos natum auiam pro Rostris laudauisse. Vnde potuit & Tyberius io nono ætatis anno prosequi patris obitum oratione laudatiua, vel quam suo ipsemet ingenlo formauerit, vel, sicut sæpe fit, formatam aliena doctoris industria edidicerit, & recitauerit: sicut Nero laudauit Claudium oratione à Seneca composita.

Funali equo.] Videtur funalis equus in triumphi comitatu ille dici, qul proximus triumphalem currum antecedit, quasi fune coniunctus. Nam sicut in saltationibus testem ducere dicebantur, manibus inter se consertis: ita equi funales dicti, qui fune, hoc est reste facta, simul connexi præcedunt, vt ita fiat triumphus speciosior: & à dextra, sinistráqne triumphantis erant ductores, quasi eqnestris choreæ: qui loris iuncti hinc & inde currui triumphali funales dicebantur, alio quoque nomine habenales. Cuius rei mentio fit à Dionysio in octauo Antiquitatum, scribente institutum vetus fuisse, & heroicum, vt trium equorum currus in ludis decurrerent. Duobus enim equis iūctis tertius iuxtà adhibebatur, habenalis dictus: qui vinctus loris à prætertrahendo, simúlque iungendo pareoros vocabatur à priscis: tales dici videntur funales à Tranquillo, qui erāt duo alter dexter, alter sinister, iuncti currui triūphantis Augusti. Indé Statius io sexto Thebaidos, in ludis Archemori equum nomī ne Thoen dixisse videtur funalē, qui iugalis erat, & in cursu equestri Admeto Inseruiebat, tanquam tertius ille habenalis in triga. Sic enim ait:

-Voce
Nominibúsqne cient Pholoen Admetus, & Irrin
Funalémque Thoen. -

Præsedit.] Tanquam præses & agonotheta præfuit. Est autem agonotheta præfectus lodorum. Vnde ait Hieronymus: Non est inuidus agonotheta noster.

Actiacis ludis.] Quos celebrauit Augustus in memoriam Actiacæ victoriæ.

Troianis.] Ludicrum Troiæ significat, quæ in circo exhibebatur. De Troia satis ac super io primo Commentario.

Puerorum maiorum.] Quoniam turma duplex puerorum, maiorum, & minorum Troiam in circo ludere solebat: tale spectaculum Cæsar Dictator, & Augustus ediderunt.

M. AN. BVllæ aureæ.] Insigne & illud teneræ ætatis. De eius vsu pueris concesso Macrobius, Plutarchus, & Dionysius plura.

Hæreditate adita.] Et si se hæredem professus esset. Cernete hæreditatem etiam dicebāt antiqui pro adire, authore Festo. Cicero ad Atticum libro sexto: Debet etiam fratris Appii amorem erga me cum reliqua hæreditate creuisse. Et libro vndecimo: Eóqne ipso die ex testamento creui hæreditatem.

Nomine abstinuit.] Nomen non recepit.

Nouem natus annos.] Non sua credas oportet, quia per ætatem fieri oon potuisset, sed aliena vsum oratione.

Patrem.] Neronem defunctum.

Funali equo.] Funalem eqnum eum esse crediderim, qui quàm proximè currui iungeretur, atque à fune dictum. Papinins:

Funalémque Thoen. -

Dexteriore.] Equo funali.

Præsedit.] Præfuit.

Actiacis ludis.] De his in Augusto plura. Illud obiter admonebo, eum, qui ludis præesset, non solùm præsidere, sed interdum se moderatorem, rectorémque gerendæ rei miscere consuesse. Plutarchus, Antonius positis, inqoit, magistratus iosignibus ludis præfuit: & assumptis adolescentibus vnà cum illis saltauit.

Troianis Circensibus.] Troiæ lusus Circensibus misceri consueuit: sic in Cæsaris Dictatoris, sic io Augusti spectaculis seruatum.

Munus

De adolescentia, & uxoribus eius. VII.



Irili toga sumpta, adolescētiam omnem, spatiúmque insequentis ætatis vsque ad principatus initia, per hæc ferè transegit: Munus gladiatorium in memoriam patris, & alterum in aui Drusi dedit, diuersis temporibus, ac locis: primum in foro, secundum in amphitheatro, rudiariis quoque quibusdam reuocatis, auctoramento centum millium. Dedit & ludos, sed absens: cuncta magnificè, impensa matris, ac vitrici. Agrippinam Marco Agrippa genitam, neptem Pomponii Attici equitis Romani, ad quem sunt Ciceronis epistolæ, duxit vxorē, sublatóque ex ea filio Druso, quanquàm bene conuenientē, rursúsq; grauidā dimittere, ac Iuliam Augusti filiā confestim coactus est ducere, nòn sine magno angore

PHIL. MVnus in memoriam patris.] Iunius Brutus primus apud Romanos in honorem defuncti patris edidit munus, hoc est spectaculum gladiatorum: ab eo mos propagatus est, vt in honorem defunctorum spectacula exhiberētur. Sic Scipio in Hispania edidit munus gladiatorum in memoriam patris, patruiq; defunctorum. Sic Caius Curio funebri patris munere theatra duo è ligno fecit amplissima, in quibus spectauit populus spectacula gladiatorum. Sic Cæsar Dictator, vt antè dictum est, dedit munus funebre patri: in quo vsus est apparatu arenæ, argenteo.

Rudiariis.] Rudis, virga est, qua, authore Prisciano, gladiatores donantur post finitam gladiaturam. Inde rudiarii dicti, qui impetrarunt missionem artis gladiatoriæ, donati rude. De rude Ouidius:

Et me donari iam rude tempus erat.

M. Tullius in secunda Antonianarum: Tam bonus gladiator rudem tam citò accepisti. Eiusdem fit mentio subinde apud poëtas. Sensus est, Tyberium nō solùm gladiatores exhibuisse legitimos, sed etiam reuocasse ad gladiaturam pretii inuitamento veteranos, & emeritos, qui dicuntur rudiarii.

Auctoramento.] Auctorati vocantur gladiatores, qui se vendunt ludo, quasi addicti, & condemnati: sicut non insulse exposuit Acron Horatianus interpres enarrans illud: Auctoratus eas. - Est enim auctorare, obligare: cuius contrarium est exauctorare. Seruius enarrans illud Vergilianum:

Ipse patri filiam voueo. - dixit, solos parentes habere potestatem auctorandi. Inde fit auctoramentum, quod est quasi obligatio, nexúsque, ac veluti stipendium, pretiúmque eius, qui fit auctoratus, id est obligatus. Seneca libro quarto de beneficiis: Hominem venalis animæ crebris auctoramentis accendebat. Idem alibi ait: Nullum malum sine anctoramento est. Quintilianus in gladiatore: Nec difficilem tamen, sub illo præsertim auctoramento, habuisset missionem: sed noluit gladiator viuere. Cicero in primo Officiorom mercedem ait esse auctoramentum seruitutis, vbi auctoramentum accipitur pro illa obligatione, qua mercenarius accepta mercede cogitur seruire, præstaréque operā seruilem. Quidam auctoramentum interpretantur esse priuilegium, & prærogatiuam: quod an conueniat, dispiciendum est. Plinius auctoratum vindemiatorem: item alibi auctoratum populum Romanum elegāter appellat, quasi gladiatoriæ morti obnoxium, qui spectabat cum periculo vitæ spectacula gladiatorum edita in ligneis theatris à Curione, periturus si momento aliquo machinæ luxatæ fuissent. A Liuio auctoratus proditor dictus, quasi obligatus, & deuictus. A Manlio in quinto Astronomicôn, ministri perpetuo quasi epitheto auctorati vocantur: tanquam perpetui mercenarii, obligatisque dominis, à quibus mercede comparantur. sic enim ait: Atque auctoratos in tertia iura ministros.

Dedit & ludos.] Theatrales, vel scenicos.

Vitrici.] Cæsaris Augusti.

Neptem Pomponii Attici.] Scribit Cor. Nepos, M. Agrippam potissimum delegisse affinitatem Pomponii Attici, eiúsque filiam vxorem accepisse, ex quo connubio nata est Attico neptis nomine Agrippina, quam Augustus vix anniculam Tyberio priuigno despōdit: & hæc coniunctio familiaritatē auxit inter Atticum, & Augustum, adeò vt nullus dies intercederet, quo non aliquid per epistolas Augustus ab Attico de antiquitate requireret. Hic est ille Pomponius Atticus, cuius nomen, vt inquit Seneca in 115. Epistolarum, perire non sinunt Ciceronis epistolæ: qui Attici cognomen ex Athenis reportauit: quam ciuitatem inopia laborantem sæpe suis opibus subleuauit. A condiscipulatu vixit coniunctissimè cum M. Tullio. Periit fistulæ morbo, quæ in intestinum proruperat. Sublato.] Suscepto. Vergilius:

Sublatum erudiit, nec tecum talia gessi.

Quanquam bene conuenientem.] Maxima est, & rara laus connubii, vt sit concors, & bene conueniens: cùm dos vxoria sit lis, vt ait Ouidius. Hinc illud à Hieronymo repetitum: Qui non litigat, cælebs est: tanquā omnes vxorati litigent continenter cum vxoribus. Plautus in Casina: Qui cum litigas Olympio? respondet villicus: Cum eadem, qua tu semper. Sensus est: Coactus est dimittere Agrippinam, quanuis cum ea bene cōueniret, essétque iterum grauida: quæ res chariores, gratioresque vxores maritis efficere solet. Filii enim quidam nexus sunt in coniugio, vt inquit Aristoteles in octauo Ethicorum.

TRansegit.] Peregit. Vlpianus ea quæ dubia essent, & incerta, nec adhuc finita, transigi dici oportere existimauit. Paulus Iureconsultus non solùm de quibus controuersia fuisset, sed quæ etiam sine controuersia sint possessa. M. A N.

In amphitheatro.] Statilii Tauri id vnum, quod sciam, tum Romæ fuit. Errat, meo iudicio, Cassiodorus, qui Titum Vespasiani filiū primum Romæ amphitheatrum statuisse tradit. Rudiariis.] Gladiatoribus iam emeritis, & rude donatis. Iuuenalis:

- Rude accepta Incipiet veiento videri.

Horatius: - Donatum rude quæris

Mecœnas iterum antiquo me includere ludo.

Reuocatis.] Ad ferrum scilicet. Auctoramento.] Obligatione, pretio: est enim auctoramentū obligatio, vt dixi, siue stipendiū, siue pretiū militiæ, pugnæ, vt hoc loco, actionisve. Impensa matris.] Liuiæ. Vitrici.] Augusti. Neptem Attici.] Ex Attici filia, & Agrippa genitā. Seneca: Nomen Attici perire Ciceronis epi-

stolæ

animi: quum & Agrippinæ conſuetudine teneretur, & Iuliæ mores improbaret, vt quam ſenſiſſet, ſui quoque ſub priore marito appetentem, quod ſanè vulgò etiã exiſtimabatur. Sed Agrippinam & abegiſſe poſt diuortium doluit, & ſemel omnino ex occurſu viſam, adeò contentis, & tumentibus oculis proſecutus eſt, vt cuſtoditum ſit, ne vnquam in conſpectum eius poſthac veniret. Cum Iulia primò concorditer, & amore mutuo vixit, mox diſſedit, & aliquantò grauius, vt etiam perpetuò ſecubaret, intercepto cõmunis * filii pignore, qui Aquileiæ natus, infans extinctus eſt. Druſum fratrem in Germania amiſit, cuius corpus pedibus toto itinere prægrediens, Romã vſq; peruexit.

De ciuilibus officijs eius. VIII.



iuilium officiorũ rudimentis regem Archelaum, Trallianos, & Theſſalos, varia

* fidei

ſtolæ non ſinunt: nihil illi profuiſſet gener Agrippa, Tyberius progener, Druſus Cæſar pronepos, inter ea magna nomina taceretur. Agrippinam igitur primò vxorem duxit Tyberius mox Mar. alteram nouiſſimè Iuliam Auguſti filiam. Attici cognomen ille ex Græcia reportauit. Cicero: Téque non cognomẽ ſolum Athenis deportaſſe, ſed humanitatem, & prudentiam. Dicitur adhæc Acticus, & Atticus, vt illud ab Actione ſit, hoc ab Attide Cranai filia: Strabo eſt author.

Sublato.] Suſcepto: & à tollo eſt, quod nunc educo, nũc ſuſcipio, ſeu capio: atque in vtroque ſignificatu ſublatũ facit. Ouidius pro educo:

Nõ ego tollendi cauſa, ſed ille fuit.

Interdum & probo ſignificat, interdum in altum tollo: vnde illud in Neronẽ: Quis neget Aeneæ natũ de gente Neronẽ? Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem. Bene conuenientem.] Concordi connubio, mutuóque amore ſecum viuentẽ.

Angore.] Aegritudine.

PHIL. AGrippinæ.] Prioris vxoris.

Sui appetentem.] Minime mirum, ſi Iulia appetiuerat coire cum Tyberio, cùm eſſet omnium fœminarum maximè viroſa, id eſt virorum appetens. Tales priſci catulientes vocauere. Laberius lupam appellat catulientem, pro libidinantem. Eſt enim catulire, libidinari: verbum videlicet tractum à canibus, cùm libidine excitantur. Ariſtotelis interpres in ſexto de animalibus, Canes, inquit, canire dicuntur libidine extimulatæ. elegantius dixiſſet catulire.

Sub priore marito.] Dictum eſt ſuprà quemadmodum Auguſtus Iuliam filiam primùm Marcello, deinde vt is obiit, Marco Agrippæ nuptui dedit.

Abegiſſe.] Dimiſiſſe, amandaſſe.

Contentis oculis.] Tale eſt illud Vergilianum:

Turnus adhæc oculos horrenda in virgine fixus.

Idẽ alibi: Illũ turbat amor, oculóſq; in virgine figit.

Tumentibus.] Quando aliquid nimis ardenter, ſilentérque contemplamur, oculis tumentibus ex deſiderio id facere dicimur, tanquam oculis voraturi.

Diſſedit.] Diſcordiam egit, & diſſidium.

Secubaret.] Separatus, ſeiunctuſque ab vxore cubaret. Operãtes ſacris ſecubabãt, & cõiuges, & amatores. Ouidius: Secubat in vacuo ſola puella toro. Liuius: Per iocum adoleſcens vetat eam mirari, ſi per aliquot noctes ſecubuiſſet. Intercepto.] De medio ſubducto, & extincto. Plinius: Si non eſſet interceptus, id eſt à morte correptus. Filii pignore.] Cùm præmium nuptiarum ſit partus fœminarum, vt inquit Ambroſius, meritò mentes coniugales per filios, veluti per quædam quaſi pignora, inter ſe arctius copulantur: ſublato autem filiorum pignore, charitas priſtina, ſi non reſcinditur, ſaltem diſſuitur. Hoc euenit Tyberio, qui poſt extinctum filium minus amauit vxorem.

Aquileiæ.] Ciuitas eſt Venetiæ in decima Italiæ regione: de qua alibi plura. In Germania amiſit.] Exiſtimat Liuius, Druſum periiſſe ex fractura cruris, ſub quod equus collapſus eſt. Tranquillus verò, ſicut infrà patebit, morbo ſupremũ diem obiſſe tradit. Ad eum in Germania ægrotantẽ dum Tyberius frater feſtinat, die, ac nocte longiſſimũ iter vehiculis tribus emenſus eſt, in quo fuerunt ducenta millia paſſuum: Plinius author in ſeptimo.

Rudimentis.] Tyrocinio, primáque exercitatione. Vergilius: Cruda rudimenta. Ouid. Tale rudimentum tanto ſub nomine debes.

Regem Archelaum.] Archelaos poſt obitum Herodis rex Iudææ apud Auguſtũ Cæſarem accuſatus eſt à Sabino per epiſtolas: Romæ verò Antipater Salomes filius propoſuit accuſationem eorum, qui adoriebantur Archelao. Nicolaus autem Archelai defenſor criminibus, quæ regi obiiciebantur, refutatis perorauit: mox Archelaus ad genua Cæſaris procũbens, ab Auguſto benigne erigitur: qui poſt longam diſceptationem mediam regni Iudææ partem ſub tetrarchiæ nomine dedit Archelao: etiã regem, ſi ſe dignum præbuiſſet, pollicitus eſt ſe facturum. Mendoſa eſt apud Ioſephum dictio libro ſecundo belli Iudaici. Nam Archelaus ethanarchies paſſim legitur: cùm legendũ ſit ethnarches. Dicitur enim ethnarches præfectus gentis: & ipſa præfectura, ethnarchia. Quanuis in mendoſis codicibus perperam ſcribatur ethanarchea, cùm ſubtracta litera a, ethnarchea ſit dicendum. Sentit Tranquillus, Archelaum non ſolùm à Nicolao, ſed etiam à Tyberio apud Auguſtum fuiſſe defenſum.

Trallianos.] Populos Aſiæ. Eſt enim ciuitas Trallis aliis nominibus Euantia, & Seleucia, & Antiochia dicta. Vnde Trallianus deriuatur. Cicero in tertia Philippica: Trallianam, aut Epheſinam dicere putes.

Theſſalos.] Theſſalia eadem eſt Aemonia, quam Homerus Argopelaſgicon nominat. Ab Aemone Aemonia, ab eius filio Theſſalo Theſſalia nuncupata. Author eſt Strabo in nono dictã fuiſſe priſcis ſeculis Pyrrhæam à Pyrrha vxore Deucalionis.

M. AN. SVi appetentem.] Sui congreſſus cupidam, ac ſatagentem. Priore marito.] Agrippa.

Vulgò exiſtimabatur.] Ab ea Tyberius amari.

Abegiſſe.] A ſe remouiſſe.

Contentis.] Defixis.

Cuſtoditum.] Cuſtodia cautum.

Diſſedit.] Diſſidio alienatus eſt.

Secubaret.] Diuerſo ab ea lecto cubaret.

Intercepto.] Extincto.

Rudimentis.] Primis forenſium, & ciuilium officiorum exercitamentis.

quosque de causa Augusto cognoscēte defendit. Pro Laodicenis, Thiatyrenis, Chiis terræmotu afflictis, opémque implorantibus, Senatum deprecatus est. Fannium Cepionem, qui cum Varrone Murena in Augustum conspirauerat, reum maiestatis apud iudices fecit, & condemnauit. Intérque hæc duplicem curam administrauit: annonæ, quæ arctior inciderat: & repurgandorum tota Italia ergastulorum, quorum domini in inuidiam venerant, quasi exceptos supprimerent, nō solùm viatores, sed & quos sacramenti metus ad huiuscemodi latebras compulisset.

De militia eius, & bellis per eum gestis, & honoribus administratis. IX.

STipendia prima expeditione Cantabrica Tribunus militum fecit: dèinde ducto ad Orientem exercitu, regnū Armeniæ Tigrani restituit, ac pro tribunali diadema impo-

Archelaum.] Cappadociæ regem. Is pro Antonio aduersus Augustum Actiaci belli temporibus militauit. Fuit & Archelaus, qui Herodi successit, ob cuius in populos insolentiam in templo Apollinis Palatini, vt Iosephus tradit, apud Augustum causam dixit. Eusebius ait, Archelaum ab Augusto Viennam Galliæ relegatum.

Trallianos.] A Trallibus vrbe Asiæ, ab Argiuis condita, Thracibus quibusdā admistis: vnde & nomen vrbi inditū Strabo prodidit. Thessalis.] Thessalia ad Macedoniam attinet, à Thessalo Herculis filio dicta.

PHIL. LAodicenis.] Celeberrima vrbs Laodicea in Asia est, imposita Lyco flumini, appellata primò Diospolis, dein Rhoas.

Thiatyrenis.] Thiatyreni populi Troadis conueniūt ad iurisdictionem Pergamenam vocitatam.

Chiis.] Popoli sunt insulani. Metrodorus, & Cleobulus Chion à Chione nympha, alii à niue dictam putant. Marmor Chium, & vinū Chium celebraotur. Scribit Eusebius in chronicis, quòd imperaote Augusto multa conciderunt terræmotu in insula Co: quare aut hîc, aut illhic mendum est. Est enim Cos iosula distans à Chio Hippocrate alumno clara.

Terræmotu afflictis.] Maximus terræmotus memoria mortalium exstitit Tyberii Cæsaris principatu, duodecim vrbibus Asiæ vna nocte prostratis. Causas motus terræ alii alias opinantur: sed Plinius, Seneca, & Aristoteles concordi sententia ventum effectricem causam esse dixerunt.

Fannium Cepionem.] Dictum est de his, qui coniurarunt in Augustum. Videtur sentire Porphyrio Horatianus interpres, Cepionem & Murenam fratres fuisse Proculeii, cum quibus bona sua æquis portionibus diuiserit, cùm illi bello ciuili fuissent spoliati.

Reum maiestatis.] Crimen, quod dicitur maiestatis, proximum est sacrilegio, vt Inquit Vlpianus: est autem maiestatis crimen illud, quod aduersus populum Romanum, principemque committitur. Facere reum: accusare est, &, vt ait Pedianus, apud prætorem legibus interrogare. Peragere reum, condemnare. Vnde ait Iuriscoosultus: Peregisse reum non aliâs quis videtur, nisi & condemnauerit. Plinius: Dum peragitur reus.

Annonæ.] Romani laborantes penuria creaoerunt præfectum annonæ, qui penuriæ leuandæ præesset: de cuius origine Liuius scribit in quarto.

Arctior.] Difficilior.

Repurgandorum ergastulorum.] Hanc quoque curam Augustus olim susceperat, sicut suprà explicatū est. Exceptos.] Dolo & insidiis circunuentos. Excipere enim dolo, est circunuenire, & opprimere. Vergilius: Excipit incautum.

Supprimerent viatores.] Idem in Augusto sic ait: Rapti per agros viatores sine discrimine liberi seruiq; ergastulis possessorum supprimebantur.

Sacramenti metus.] Multi militiam, militaréque sacramentum fugientes in ergastulis delitescebant, ne militare cogerentur.

Stipēdia prima.] Stipendiosos vocamus plenos stipendiorū: hoc est eos, qui stipendia plurima fecerunt. quanuis alibi dixerimus stipendiosos dici posse mercenarios, & mercede militantes: cùm stipendiarii appellentur, qui stipendium, tributūmque persoluūt.

Expeditione Cantabrica.] Quam Augustus Cæsar suscepit aduersus Cantabros Hispaniæ populos.

M. AN. LAodicenis.] Cariæ vrbs Laodicea ad Lycū amnē, vt Plinius & Ptolemæus scribunt.

Thiatyrenis.] A Thiatyra Magnesiæ oppido.

Chiis.] A Chio insula: sed Cois, non Chiis legendum. Eusebius: Coum insulam, non Chium Augusti temporibus terræmotu concussam scribit.

Fannium Cepionem.] De his, qui in Augustum diuerso tempore conspirarunt, sic breuiter Seneca: Seueritate nihil adhuc profecisti, Saluidenum Lepidus secutus est, Lepidum Murena, Murenam Cepio, Cepionem Egnatius.

Reum fecit.] Accusauit. Reum facere, est, vt Pedianus ait, apud prætorem legibus reum interrogare: vt Cicero cùm Verrem reum facit apud prætorē, Aio, inquit, te Siculos spoliasse. Quod si ille tacuisset, æstimata eius erat: verum eo negante, petitum est tempus ad inquirenda crimina.

Condemnauit.] Vt condemnaretur effecit.

Annonæ.] Curam subaudi.

Ergastulorum.] De ergastulorum recognitione, require in Augusto. Ergastulum Liuius appellat locū, in quo mancipia deteriora in vinculis opus facere cogebantur, vt metallarii serui solent.

Sacramenti metus.] Ne militare cogerentur: quū ad detrectandum illud pro tempore sacramentum, vltro ergastulorum latebras petiissent, ibi fraude oppressi seruilem in modum vincti torquerentur. Seruius in VIII. Aeneidos, Tria, inquit, genera olim militiæ fuerunt. Sacramentum, quæ legitima erat militia, quum singuli milites iurabant. Tumultus, id est bellum Italicum, vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus. Et quoniam singulos interrogare non vacabat, qui conuenerant, simul iurabant: & dicebatur ista militia Coniuratio. Erat & Euocatio, quum ad diuersa loca diuersi cogebantur exercitus.

Regnum Armeniæ.] Cui sibi vendicandæ Parthi imminebant.

fuit. Recepit & signa, quæ Marco Crasso ademerant Parthi. Post hæc Comatam Galliam anno ferè rexit, & barbarorum incursionibus, & principum discordia inquietam. Exhinc Rethicum, Vindelicúmque bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit. Rhetico, atque Vindelico gentes Alpinas, Pannonico Breucos, & Dalmatas subegit: Germanico quadraginta millia dedititiorum traiecit in Galliam, iuxtáque ripam Rheni sedibus assignatis collocauit. Quas ob res & ouãs, & curru vrbem ingressus est primus, vt quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, nouo, nec antea cuiquam tributo genere honoris. Magistratus & maturius inchoauit, & penè iũctim percucurrit, Quæsturam, Præturã, Consulatum: interpositóque tempore, Consul iterum etiam tribunitiam potestatem in quinquennium accepit.

De secessu eius ab urbe, & causis. X.



TOt prosperis confluentibus, integra ætate, ac valetudine prospera statuit repentè secedere, séque è medio quàm lõgissimè amouere. Dubium, vxorísne tædio, quã neque cri-

PHIL. Recepit & signa.] In Augusto dictum est, quemadmodum Parthi Armeniam vendicanti Augusto facile cesserunt, & signa militaria, quæ M. Crasso, & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt: quinetiã filii, nepotésque Phraauis obsides dati. Hic innuit Tranquillus per Tyberiũ recepta esse signa Crassiana à Parthis. Comatam Galliam.] Scribit Plinius, Galliam omnem transalpinã vno nomine Comatam appellari, in tria genera populorum diuisam. Lucã. Crinibus effusis toti prælate comatæ. Nomen autem Comatæ inditũ est à capillis intonsis, sicuti indicat idem Plinius in xi. cuius verba hæc sunt: Iã quidem promiscuè maribus ac fœminis in capite plurimus pilus, apud intonsas vtique gentes: atque etiam nomina ex eo capillatis alpium incolis Galliæ Comatæ.

Rheticũ.] Quemadmodum Rhetos, & Vindelicos domuerit Augustus suis auspiciis per Tyberiũ & Drusum, suprà dictum. Strabo scribit in IIII Rhetorũ, & Vindelicorum, reliquorúmque alpinorũ incursationes fuisse repressas à Tyberio, & eius fratre Druso æstate vna: vnde in laudem Neronũ Tyberii, & Drusi fratrum cecinit Horatius carmen illud,

Qualem ministrum fulminis alitem.

Pannonico Breucos.] A Græcis Pæones dicuntur, qnos Romani Pannonios appellãt, vt inquit Appianus. In Pannonia Saus fluuius est, qui, authore Plinio, fluit per Colapianos Breucósq., qui populi capita sunt Pannoniorum. De his Breucis hîc intelligendum videtur: cùm nulli alii in Pannonia populi nomine Breuni celebrentur. Dalmatæ verò noti sunt, qui spectant ad mare Adriaticum.

Dedititiorum.] Qui se dedunt in ditionem, potestatemque victoris, hi dedititii dicuntur. De formula deditionis scribit Liuius in primo: & à nobis alibi dictum est. Iuxta ripam Rheni.] In Augusto ait, quòd Germanos dedentes se traduxit in Galliã, atque in proximis Rheno agris collocauit.

Curru vrbem ingressus.] Refert Gellius, eos, qui ouarent, hoc est ouationem celebrarẽt, introire solitos equo vehentes. Sabinus Masurius pedibus ingredi ouantes dicit: verùm Tyberius veterem morem aspernatus, curru instar triumphantium, non equo, vel pedibus instar ouantium, vrbem introiuit.

Honoratus ornamentis triumphalibus.] Repudiata ouandi formula visitata. Ita olim Crassus, cùm, bello fugitiuorum confecto, ouans rediret, coronã myrteam, qua ouantes coronabantur, insolenter aspernatus est: & lauro, quæ triumphantibus dicata est, voluit coronari. De vestimẽtis, reliquísque ornamentis triumphalibus, affatim suprà dictum.

Nec antea tributo.] Nulli ante Tyberium ouanti concessum fuerat, vt curru triumphali, & triumphalibus ornamentis in ouatione vrbem ingrederetur.

Maturius.] Citius, quàm per leges liceret.

Iunctim.] Sine vllo interuallo: quod legibus annalibus inter magistratus constitutum erat.

Tribunitiam potestatem.] Quam Imperatores accipere consueuerũt, sicut olim ab Adriano accepta est. &, vt author est Flauius Vopiscus, tribunitia potestas erat pars maxima regalis Imperii.

Repentè secedere.] Cicero in quadam ad Atticũ epistola ait: Cupio equidem, & iam pridem cupio, Alexandriam, reliquámq; Aegyptum inuisere, & simul ab hac homioum satietate nostri discedere, & cum aliquo desiderio reuerti. Hoc idem videtur facere voluisse Tyberius, vt absens esset venerabilior: cùm assiduitas faciat contemptibiles.

Neqoe criminari.] Veritus scilicet Augustum illius patrem.

M. AN. Signa quæ M. Crasso.] Quàm atrocem cladem Romani ductu, & auspiciis Crassi in Parthiam accepissent, Appianus, & Plutarchus scribunt. Comatam Galliam.] Galliarum diuisio perspicue in Augusto relata est: cæterùm Comata, de qua nunc, Iura monte, ac Gebenna, Pyrenæísque montibus, rursus Oceano, & Rheno continetur. Rhetico, & Vindelico.] Vtriusque belli ratio affatim suprà exposita est. Brennos.] Brennos in Pannonia veterũ scriptorum, quod sciam, posuit nemo, sed librariorum reor incuria factum, vt Brennos pro Breucos Tranquilli codices habeant. Breuci enim in inferiorem Pannoniam à Plinio & Ptolemæo referuntur. Dedititiorum.] Eorum, qni per deditionem in Romanorum potestatem venerant.

Ouans, & curru.] Quasi dicat, præter patrium institutum ouans curru est inuectus, quod vltimum tantum triumphum adeptis fuerat ad id tempus concessum. Posset & diuiso sensu ita accipi, vt diuerso tempore ouans sit vrbem ingressus, rursúsque legitimum triumphum egerit: sed prior sententia, vt verior, ita probabilior: nam ita esse ea, quæ continuò sequũtur, facile declarant: Nouo, inquit, nec cuiquam tributo genere honoris. Quod ad currum referas necesse est: si ad trium-

phalia ornamenta velis, non procederet: etenim suprà triginta fuerant ab Augusto eo honoris genere ornari. Iunctim.] Continuatis honoribus. Vxoris.] Iuliæ. Criminari.] Ne Augustum illius patrem offenderet, quum ea multis alioqui flagraret probris.

Oram Campaniæ.] Plinius oram ferè semper appellat regionem litoralem: apud quem veluti peculiaris est talis locutio: In ora sunt ciuitates, & oppida oræ proxima. Quæ verò remota sunt ab ora, eleganter in mediterraneo esse dicuntur.

minari, aut dimittere auderet, neque vltrà perferre posset: an, vt vitato assiduitatis fastidio, authoritatem absentia tueretur, atque etiam augeret, si quando indiguisset sui Respublica. Quidam existimant, adultis iam Augusti liberis, loco, & quasi possessione vsurpati à se diu secundi gradus sponte cessisse, exemplo M. Agrippæ, qui M. Marcello ad munera publica admoto, Mitylenas abierit, ne aut obstare, aut obtrectare aliquid præsens videretur. Quam causam & ipse, sed posteà, reddidit. Tunc autem honorum satietatem, ac requiem laborum prætendens, commeatum petiit. Neque aut matri suppliciter precanti, aut vitrico deseri se etiam in Senatu conquerenti, veniam dedit. Quin & pertinacius retinentibus, cibo per quatriduum abstinuit. Facta tandem abeundi potestate, relictis Romæ vxore, & filio, confestim Hostiam descendit: ne verbo quidem cuiquam prosequentium reddito, paucósque admodum in digressu osculatus.

De mora eius apud Rhodum, & gestis ibidem. XI.



AB Hostia oram Campaniæ legens, imbecillitate Augusti nuntiata, paulùm substitit. Sed & increbrescente rumore, quasi ad occasionem maioris spei cômoraretur, tantum non aduersis tempestatibus Rhodum enauigauit, amœnitate, & salubritate insulæ iam inde captus, quum ad eam ab Armenia rediens appulisset. Hic

PHIL. Dimittere.] Repudiare facto diuortio.

Vltrà perferre.] Varro in Satyra Menippea, Vitium, inquit, vxoris aut tollendum, aut ferendum est: qui tollit vitium, vxorem cômodiorem præstat: qui fert, sese meliorem facit. Hæc quidem Varro eleganter, & scienter. Sed interdum tanta est improbitas io vxore, ac morositas, vt intolerâda sit nec perferri queat. Hoc accidebat Tyberio io Iulia vxore improba, & impudica. Hoc identidem accidere solet his, qui habent vxorem. Ego In cælibatu viuo, dóque operam, ne lites vxorias experiar, quæ impatibiles maritis esse dicuntur.

Assiduitatis fastidio.] In hanc sententiam illud est luculenter dictum à Liuio de Scipione: Decimum iam propè annum assiduus in oculis hominum fuerat: quæ res minùs verendos magoos homines ipsa satietate facit. Apuleius quoq; io Dæmonio Socratis ait: Parit conuersatio contemptum: raritas conciliat ipsa rebus admirationem. Liberis.] Caio, & Lucio adoptatis ab Augusto. Mitylenas.] Ciuitas est in insula Lesbo: cuius habita est mentio in Iulio Cæsare. Olim M. Marcellus ille, de quo Lucanus,

Marcellúsque loquax.- Mitylenis exulauit, in quo illum exilio beatissimè viuentem se vidisse Brutus testatur. Prætendens.] Quasi prætextum, velamentúmque præponens. Commeatum.] Abeundi potestatem. De commeatu militari, suprà dictum.

Vitrico.] Augusto. Retinentibus.] Matre Liuia, & vitrico Augusto. Cibo per quatriduum.] Quibus inedia mori consilium est, septimo demum die mortem opperunt: authores Varro, & Gellius. Idem confirmat Plinius his verbis: Homini non ante diem septimum lethalis inedia: durasse & vltra duodecim plerosque, certum est. Hostiam.] Ciuitas est ab Anco Martio rege in ora Tyberis condita: author Liuius.

Substitit.] Commoratus est, cohibito itinere.

Maioris spei.] Tanquam speraret defuncto Augusto se In Imperio successurum. Tantum non aduersis.] Elocutio est infrequens, & rara: qua & Silius vsus est in septimo Punicorû:

Tantum nô strictis mucronibus.- vbi illud tâtum nô, non tam negare videtur, quàm affirmare, accipiq; pro etiam: vt sit sensus, etiam aduersis tempestatibus enauigasse Rhodon. Alii interpretâtur quatenus à tempestatibus non impediretur, vt sit tâtum nô, pro fere. Amœnitate insulæ.] Homerus testari videtur, Rhodios ab antiquo felices fuisse, scribens de Rhodo: Chara Ioui tellus hominû regi, atque deorum:

Quique & opes illi multas effudit, & amplas. Cecinit Pindarus, aurum in insula Rhodo pluisse, volens illius loci felicitatem significare. Refert Strabo, vrbem Rhodiorû tantum excellere alias vrbes, vt nullá ei æqualem, ne dum præstantiorem, præferre possimus. Sacra est Rhodos Soli, qui Rhodû à oomine puellæ, quam amabat, appellauit.

M. AN. ASsiduitatis fastidio.] Quòd assidua præsentia fastidium pareret. Liberis.] Caio, & Lucio Iuliæ filiis, quos Augustus adoptarat. Vsurpati.] Obtenti. Secundi gradus.] Secundi in Republica administranda loci. Obtrectare.] Se illis obtrectando obiicere. Quidam obstare legunt, quod non multùm erit diuersum: quasi dicat, ne illorû spleodori, & incrementis sua fama obstare videretur.

Prætendens.] Præ se ferens. Commeatum.] Missionem, vt secedere liceret. Matri.] Liuiæ. Precanti.] Ne abiret. Vitrico.] Augusto. Veniam dedit.] Obsequi voluit, aut indulsit. Abstinuit.] Vt ioedia se confieeret. Vxore.] Iulia. Filio.] Druso. Substitit.] Cœptum Iter retinuit.

Increbrescente rumore.] Fama inualescente.

Tan

modicis contentus ædibus, nec multò laxiore ſuburbano, genus vitæ ciuile admodum inſtituit, ſine lictore, aut viatore gymnaſio interdum obambulans, mutuáque cum Græculis officia vſurpans, propè ex æquo. Fortè quodam in diſponendo die, manè prædixerat, quicquid ægrorum in ciuitate eſſet, viſitare ſe velle. Id à proximis aliter exceptum, iuſſique ſunt omnes ægri in publicam porticum deferri, ac per valetudinum genera diſponi. Perculſus ergo inopinata re, diu quid ageret incertus, . tandem ſingulos circuit, excuſans factum etiam tenuiſſimo cuique, & ignoto. Vnum hoc tantummodo, neque præterea quicquam notatum eſt, in quo exercuiſſe ius tribunitiæ poteſtatis viſus ſit: Quum circa ſcholas, & auditoria profeſſorum aſſiduus eſſet, moto inter

Tantum non aduerſis tempeſtatibus.] Quantum per ventos, & mare licuit.

PHIL. Modicis ædibus.] Domo magis conueniente homini priuato, quàm principi, priuignóque Imperatoris.

Laxiore ſuburbano.] Prope Rhodon ciuitatem parauit ſibi Tyberius ſuburbanum, hoc eſt villam. Præcipit lex agricolationis, ita in agro ædificandum eſſe, ne villa fundum quærat, néve fundus villam.

Ciuilem.] Inſtar vitæ priuatæ: Græci [illegible] dicunt. Cicero in primo Officiorum, Oportet, * tamen inquit, priuatum æquo, & pari cum ciuibus iure viuere: talem bonum ciuem dicere ſolemus.

Sine lictore, aut viatore.] Qui ſunt miniſtri publici, & præſto ſunt magiſtratibus. De lictoribus, & viatoribus ſuprà ſatis multa.

Gymnaſio.] Gymnaſium fuit Rhodi multis donis exornatum. Apud Rhodios memoratu digni extiterunt circa philoſophiam, & artes liberales, Panætius, Apollonius, Molachus, & Andronicus Peripateticus, aliíque compluſculi, quorum nomina memorat Strabo in decimoquarto. Gymnaſia, vt docet Cicero in ſecundo de Oratore, exercitationis cauſa à Græcis inſtituta fuerunt: in quibus mox philoſophi diſſerere, atque philoſophari cœperunt: à verbo Græco γυμνάζειν, quod ſignificat exerceo, gymnaſia dicta: vnde & gymnaſtica appellatur, diſciplina exercitationis: quam laudat Plato in ſeptimo de Legibus, & in Timæo. Idem in quinto de Republica, fœminas quoque iubet exerceri gymnaſtica. Ariſtoteles quoque in octauo Politicorum monet adoleſcentes gymnaſticæ tradendos eſſe, vt ita fiant exercitatiores, firmioreſque.

Cum Græculis.] Philoſophis, & ſophiſtis. De talibus ait paraſitus Plautinus: Tum Græci palliati, ſuffarcinati cum libris, & cum ſportulis.

In diſponendo die.] Pythagoricum præceptum eſt, duorum temporum quàm maximè habendam curam, mane, & veſperi: id eſt eorum, quæ acturi ſumus, & eorum, quæ geſſerimus. Conſimilis eſt ſententia illa Cleoboli vnius ex ſeptem ſapientibus: Antè quàm domo quis exeat, quid acturus ſit apud ſe pertractet: rurſus cum redierit, quid egerit recogitet. Hoc fecerat Tyberius.

Viſitare.] Laudatur Adrianus à Spartiano, quòd ægros bis ac ter in die viſitaret, ac ſolatiis refoueret. Auſonius in Panegyrico ad Gratianum ſic ait: Aegrotantes amicos Traianus viſere ſolebat: hactenus in eo comitas prædicanda eſt: tu & viſere ſolitus, & mederi: præbes miniſtros, inſtruis cibos, fomenta diſpenſas, ſumptum adiicis medelarum.

A proximis aliter exceptum.] Dixerat Tyberius ſe ægrotos omneis, quotquot eſſent Rhodi, velle viſitare, hoc eſt ſingulos in ipſorum domibus officii cauſa inuiſere: qui verba hæc audierant, intellexerunt eum velle, vt omnes ægroti vnum in locum comportarentur, tanquam illhic omnes ſimul eſſet viſitaturus.

Per valetudinum genera.] Verbi cauſa, podagrici vno loco ſimul collocabantur, febricitantes in alio, phthiſici in alio. Mos fuit apud Babylonios, vt languentes in forum deportarentur: qui eos adibant, ſi quis & ipſe eũdem paſſus eſſet morbum, conſulebant, hortabantúrque ad ea remedia vſurpanda, quæ ipſi faciendo ſimilẽ morbum effugiſſent, aut aliũ nouiſſent effugiſſe: &, vt author eſt Herodotus in primo hiſtoriarum, nulli fas eſt languentes præterire ſilẽtio, niſi priùs explorauerit quonã morbo laborẽt.

Perculſus.] Perturbatus, conſternatus.

Tenuiſſimo.] Ignobiliſſimo, atque pauperrimo.

Excuſans factum.] Quòd non ſua culpa id factum eſſet, vt deferrentur in vnum locum, ſed culpa eorum, qui verba ipſius perperam excepiſſent.

Circa ſcholas.] Quintilianus, & Cicero genus dicendi Rhodium celebrant, velut medium inter Atticos & Aſianos, atque ex vtroque miſtum: neque enim Atticè preſſi Rhodii oratores, neque Aſianè ſunt redundantes. Aeſchines eò intuliſſe fertur ſtudia Athenarũ, quæ ſaporem illum Atticum peregrino miſcuerunt.

Ciuile genus vitæ.] Remiſſioris, ac penè priuatæ vitæ rationem iniit. M. AN.

Lictore.] A ligando lictor, vel, vt quidam, Gellio authore, voluere, à licio, quo ſuccinctus eſſet. Gellii verba hæc ſunt, lib. XII. cap. III. Valgius Rufus in ſecundo librorũ, quos inſcripſit de rebus per epiſtolã quæſitis, lictorem dicit à ligando appellatum eſſe, quòd cùm magiſtratus populi Romani virgis quempiã verberari iuſſiſſent, crura eius, & manus ligari, vincirique à viatore ſolita ſint, iſque, qui ex collegio viatorũ officiũ ligandi haberet, lictor ſit appellatus. Tyro autẽ Tullius M. Tullii libertus, lictorem vel à lino, vel à licio dictum ſcripſit. Licio enim tranſuerſo, quod linium appellatur, qui magiſtratibus præminiſtrabant, cincti erant.

Gymnaſio.] Exercitationis loco ἀπὸ τοῦ γυμνοῦ, nudi enim ephebi in eo exercebantur: vel quia τὴν γυμνασίαν exercitationem appellant.

Mutua officia.] Citro, vltróque præſtita, & accepta.

Diſponendo die.] id eſt præſentis diei officiis.

Aliter exceptum.] Quaſi non domeſticatim eſſet ſingulos aditurus, ſed vnum in locum delatos ſuis oculis ſubiectum iri petiiſſet.

Perculſus.] Commotus, ac conſternato ſimilis.

Excuſans factum.] Quòd non ſuo id conſilio accidiſſet, ſed illorum potius culpa, qui male ſuum eſſent officium interpretati.

antisophistas grauiore iurgio,non defuit, qui cum interuenientem , & quasi studiosiorem partis alterius,conuicio incesseret. Sensim itaque regressus domum,repentè cum apparitoribus prodit,citatúmque pro tribunali voce præconis conuiciatorem,rapi iussit in carcerem. Comperit deinde Iuliam vxorem ob libidines,atque adulteria damnatam , repudiúmque ei suo nomine ex authoritate Augusti remissum: & quanquàm lætus nuntio, tamen officii duxit,quantum in se esset , exorare filiæ patrem frequentibus literis , & vel vtcunque meritæ quicquid vnquam dono dedisset , concedere. Transacto autem tribunitiæ potestatis tempore,confessus tandem nihil aliud secessu deuitasse se, quàm æmulationis cum Caio, Luciòque suspicionem , petiit vt sibi securo iam ab hac parte, corroboratis his,& secundum locum facilè tutantibus,permitteretur reuisere necessitudines , quarum desiderio teneretur. Sed neque impetrauit, vltróque etiam admonitus est,dimitteret omnem curam suorum,quos tam cupidè reliquisset.

Item de gestis apud Rhodum. XII.



Emansit ergo Rhodi contra voluntatem: vix per matrem consecutus,vt ad velandam ignominiam quasi legatus ab Augusto abesset.Enimuero tunc nō priuatum modò,

PHIL. ANtisophistas.] Sophistæ , vt docet Plato in Prothagora, aliisque pluribus in locis, sunt rhetores, qui veluti venatores parati suot ad capiendos iuuenū animos sophistica disciplina, quam venalem per vrbes circunferunt,verbo demonstrantes se oratoriæ,& ciuilis disciplinæ esse professores,cùm re vera sint corruptores. De sophistis sic inquit Aristoteles lib. x. Ethicorum: Scientiam gubernandarū Rerumpublicarum sophistæ profitentur, qoorū nullus Rempublicā gerit. Boethius sophisticam interpretatur cauillatoriā. Alcinous Platonicus sophistā distinguit à philosopho, eò quòd sophista potius existimari velit,quàm esse honestus,& bonus: & quòd mercedem iuuenum recipiat. Suidas multa doctè conscribit de multiplici sophistæ significatione: & quòd est rhetor mercenarius,& significat deceptorem. Antisophistas appellat Tranquillus , inter se compugnantes, concertantesque sophistas. Antisophistas fuisse declamatores docet Quintilianus in XI. ostendens ineptissimum esse discursare , & satagere in actione. sic enim ait in vndecimo: Vrbanè Flauius Virginius interrogauit de quodā suo antisophista, quot millia passuum declamasset. Orbilius Beneuentanus fuit naturæ acerbæ; in antisophistas , quos omni sermone lacerauit. Nomen cōpositum est ex ἀντί, quod est contra,& σοφιστής.

Incesseret.] Verbo vsus est significantissimo. Gellius : Incessebat quempiam Taurus philosophus seuera,atque vehementi obiurgatione.

Cum apparitoribus.] Tanquam magistratu, & tribunitia potestate præditus. Sunt enim apparitores ministri, qui apparent, hoc est præsto sunt magistratibus: de quibus dictum iam est.

Conuiciatorem.] Eum scilicet Aotisophistam, qui conuicio,& maledictis ipsum fuerat insectatus.

Repudium remissum.] In repudiis, id est in renuntiationibus matrimonii comprobata sunt hæc verba: Res tuas tibi habeto: tuas res tibi agito.

Officii duxit.] Existimauit pertinere, vt dici solet, ad officium suum.

Exorare.] Oramus facilia,exoramus difficilia. Orare est rogantis,exorare impetrantis.

Vtcunque meritæ.] Etiam pessimè meritæ.

Filiæ.] Iuliæ vxoris suæ.

Patrem.] Augustum.

Secessu.] Illo scilicet Rhodiensi.

Aemulationis.] Hoc nomen & in laude,& in vitio est, vt ait Cicero. hîc in vitio accipitur. Reuisere.] Hoc est, Romam reuerti, ad reuisendos suos necessarios:hoc enim significat necessitudines. Admonitus.] scilicet ab Augusto.

Non priuatum modò egit.] Honesta elocutio est: agere priuatū, agere amicum, agere patremfamiliâs. Tyberius non solùm Rhodi se priuatum præstitit,sed etiam obnoxium, hoc est mancipatū, & seruili pene conditione. Nam obnoxius interdum libero opponitur: vt apud Liuiū obseruauimus sic scribentem: Si recicerā, aut superbus,aut obnoxius videar: quorū alterum est hominis alienæ libertatis obliti: alterum suæ. Apud eundem obnoxiè dicere sententiam, accipitur pro seruiliter. Quid significet obnoxius,& obnoxiè, docet Gellius libro septimo.

M. AN. ANtisophistas.] Rhetores sapientes se obscuris quæstionibus incessentes.

Cum apparitoribus.] Ministris.

Conuiciatorem.] Qui se conuicio incesserat.

Repudium remissum.] Comperit,subaudi.

Suo nomine.] Qui ipsius absentis nomine Augusti iussu Iuliæ adulterii damnatæ repudiū denunciaret.

Officii duxit.] Ad se attinere.

Exorare.] Patrē filiæ exoratū,& placabiliorē reddere.

Concedere.] Permittere eam habere , quæ à patre quoque dono accepisset : nam omnem delicatum illi cultum ab initio ademptum dixerat.

Securo.] Nihil amplius solicito.

Secundum locum.] Secundas dignitatis partes.

Necessitudines.] Necessarios ipsos. Gellius: Nihil rationis dici potest,qui necessitudo,& necessitas separentur. Itaque in libris veterum vulgò reperias necessitudinem dici pro eo,qood necessum est.

Ignominiam.] Igoominiosam relegationem.

Per matrem.] Matris intercessionem.

Consecutus.] Impetrauit.

Ad velandam.] Tegendam.

ſed etiam obnoxium, & trepidum egit mediterraneis agris abditus, vitánſque prӕternauigantium officia, quibus frequentabatur aſſiduè, nemine cũ imperio, aut magiſtratu tendente quôquam, quin diuerteret Rhodum. Et acceſſerunt maioris ſolicitudinis cauſӕ. Nanque priuignum Caium Orienti prӕpoſitum, quum viſendi gratia traieciſſet Samum, alieniorem ſibi ſenſit ex criminationibus M.Lollii comitis, & rectoris eius. Venit etiam in ſuſpicionem per quoſdam beneficii ſui Centuriones, à commeatu caſtra repetentes, mandata ad complures dediſſe ambigua, & quӕ tentare ſingulorum animos ad nouas res viderentur. De qua ſuſpicione certior ab Auguſto factus, non ceſſauit efflagitare aliquem cuiuſlibet ordinis cuſtodem factis, atque dictis ſuis.

De eodem, eiuſque in urbem reditu. XIII.



Qui quoque, & armorum ſolitas exercitationes omiſit, redegítque ſe, depoſito patrio habitu, ad pallium, & crepidas: atque in tali ſtatu biennio ferè permanſit, contemptior in dies, & inuiſior, adeò vt imagines eius, & ſtatuas Nemauſenſes ſubuerterint: ac familiari

PHIL. Abditus.] Deliteſcens. Priuignum.] Suprà diximus, Caium nepotem ab Auguſto ad Orientem miſſum fuiſſe: vbi ex vulnere periit. Erat autem hic priuignus Tyberii, vtpote genitus ex Iulia, quӕ poſt obitum Agrippӕ nupſerat Tyrio. In mediterraneis.] Iam dictũ eſt, mediterraneũ, & loca mediterranea dici remota ab ora, & litore, quaſi in medio terrӕ collocata. Quôquã.] In aliquam prouinciam. Samum.] Inſulam vnam ex duodecim Ioniӕ ciuitatibus, quã condidit Tymbron, & deinde Patrocles, vt docet Strabo lo XIIII. Parthenias prius dicebatur, adeò feracitate prӕcellens, vt prouerbium illud Samo accommodaretur, quòd ferret lac gallinaceum. M.Lollii.] Hic eſt M.Lollius pater Lolliӕ Paulinӕ, quӕ fuit Caii principis coniunx: qui rapinis, & auaritia offendit, vt Solinus inquit, Caium Cӕſarem Auguſti filiũ: interdictáque amicitia principis veneno interiit. Beneficii ſui Centuriones.] Beneficiarios ſignificat: nanque beneficiarii eleganti vocabulo à veteribus dicti ſunt illi, quos Imperator ſuo beneficio promouiſſet in militia. Cӕſar Commentario primo belli ciuilis: Petreius verò non deſerit ſeſe, armat familiam, cum hac prӕtoria cohorte certamen barbariſque equitibus paucis beneficiariis ſuis. Vegetius quoque libro ſecundo meminit beneficiariorum.

A commeatu.] Poſt ſpatium commeatus militaris impetratum ab Imperatore. Modeſtinus refert, ſi ad diem cõmeatus quis nõ veniat, perinde crimen ſtatuendum eſſe, ac ſi emanſiſſet, vel deſeruiſſet militiam. Officium autem regentis exercitum, eſt rarò commeatum dare. Nam, vt inquit Paulus Iuriſconſultus, qui commeatus ſpatium exceſſit, emanſoris, vel deſertoris loco habendus eſt. Dicitur autem à commeatu, ea formula, qua à partu, à coitu, à tergo. In qua elocutione hӕc particula à, accipitur pro poſt.

Ambigua.] Perplexa, & quorſum tenderẽt dubioſa.

Cuiuſlibet ordinis.] Etiam infimi, & ſordidi.

Cuſtodem factis.] Qui ſingula eius facta, dictáque obſeruaret, & ſolerter cuſtodiret. Ita olim Philippus rex Macedonum filio Demetrio cuſtodem appoſuit, qui illum diſſimulanter aſſeruaret.

Ad pallium, & crepidas.] Senſus eſt: Tyberius depoſuit togam, qui erat habitus patrius, & induit palliũ ac crepidas, qui eſt habitus Grӕcorum, & eorum maximè, qui philoſophantur. Liuius ſcribit, Scipionem fuiſſe ſermone maleuolorum pulſatum, quòd cum pallio crepidiſque inambularet in gymnaſio, libellis etiam, palӕſtrӕque operam daret. Olim Herodes Atticus quendam barbatum, palliatúmque, qui ex eo habitu philoſophus videri volebat, ita taxauit: Video, inquit, barbam & pallium, philoſophum nondum video. Crepidas autem, & crepidulas calceamẽta eſſe tradit Gellius, quas Romani ſoleas vocant. Cicero gallicas appellauit, ſic ſcribens in ſecunda Antonianarum: Cum gallicis & lacerna cucurriſti. Eius calceamenti ſutores, crepidarios dixerunt. Sempronius Aſellio, Crepidarius, inquit, cultellum requirit à crepidario ſutore. Martianus, Crepidas, ait, peragrandӕ telluris cauſa viatrix Infatigata geſtabat.

Contemptior.] Neglectior, & deſpicatior.

Indies.] Quotidie magis.

Nemauſenſes.] Populi ſunt Galliӕ Narbonẽſis: authores Plinius, & Ptolemӕus. Laus prӕcipua olim fuit caſeo Nemauſenſi, vt ait idem Plinius in vndecimo.

M. AN. Obnoxium egit.] Periculo, & iniuriӕ ſubiectum. Mediterraneis.] Non maritimis, ſed à litore remotioribus. Priuignum.] Caium Iuliӕ, & Agrippӕ filiũ.

Traieciſſet.] Tyberius. Samum.] Inſulam in Ioniӕ ora, Partheniam olim dictam, vt Plinius tradit.

M.Lollii.] Huic poſteà infamato interdicta eſt Caii amicitia, qua ignominia offenſus venenum hauſit. Plinius: Hoc fuit quare M.Lollius infamatus regum muneribus in toto Oriente, interdicta amicitia à Caio Cӕſare Auguſti filio, venenum bibit. Beneficii ſui Centuriones.] Quos ipſe ad eam dignitatem promouerat, quum exercitibus prӕfuit. A commeatu.] Quum ex vrbe in caſtra redirent. Cicero: Vt ad diem commeatus adeſſet. Ad complures.] Amicorum, qui in caſtris eſſent. Ambigua mandata.] Quӕ quorſum tenderent, haud rectè intelligi poſſit. Ad nouas res.] Ad nouarum rerum motum. Ab Auguſto.] Auguſti literis.

Cuiuſlibet ordinis.] Quaſi dicat, ӕquo animo ferã vel ab humillimo quoque obſeruari. Patrio habitu.] Romano. Ad pallium, & crepidas.] Quӕ Grӕcorum ſunt. Gellius crepidas calceamenti ait eſſe genus, ac Grӕcorum peculiare. Perſius:

Non hic, qui in crepidis Graiorum ludere geſtit.

Nemauſenſes.] Sic legendum contenderim, nõ Remauſenſes, vt pleraque exemplaria habent. Nemauſus

Narbonensis Galliæ oppidum, Arecomicorũ metropolis, ad centum stadia, vt Strabo ait, à Rhodano distans.

PHIL. CApur exulis.] Ipsius Tyberii. Matris.] Liuiæ. Maioris filii.] scilicet Caii, quem ex Iulia nepotẽ sibi Augustus adoptauerat filiũ, eratq; Lucio maior natu.

stæ in gallinaceo signant generositatem: vt Columella author est in uono.

Cæsarum potestate.] Cùm nondum Cæsares imperassent. Romanorum Imperium trifariàm diuiditur, in Reges, Consules, & Cæsares.

quodam conuiuio mentione eius orta, extiterit, qui Caio polliceretur, confestim se, si iuberet, Rhodum nauigaturum, capútque exulis (sic enim appellabatur) relaturum. Quo præcipuè nõ iam metu, sed discrimine coactus est tam suis, quàm matris impensissimis precibus reditum expostulare: impetrauítque adiutus aliquantum etiam casu. Destinatum Augusto erat, nihil super ea re, nisi ex voluntate maioris filii statuere. Is fortè tunc Mar. Lollio offensior, facilis, exorabilísque in vitricum fuit. Permittente ergo Caio reuocatus est, verùm sub conditione, ne quam partem, curámve Reipublicæ attingeret.

De præsagijs futuri principatus eius. XIIII.



REdiit octauo post secessum anno, magna, nec incerta spe futurorũ, quam & ostentis, & prædictionibus ab initio ætatis conceperat. Prægnans enim Liuia, quum an marem editura esset, variis captaret ominibus, ouum incubanti gallinæ subductum, nunc sua, nunc ministrarum manu per vices vsque eò fouit, quoad pullus insigniter cristatus, exclusus est. Ac de infante Scribonius mathematicus præclara spopondit, etiam regnaturum quandoque, sed sine regio insigni, ignota scilicet tunc adhuc Cæsarum potestate. Et ingresso primam expeditionem, ac per Macedoniam ducente exercitum in Syriam, accidit vt apud Philippos sacratæ olim victricium legionum aræ, sponte subitis collucerent ignibus. Et mox, quum Illyricum petens,

Causam offensæ inter Mar. Lollium & Caium declarat Solinus his verbis: M. Lollius Lolliæ Paulinæ pater spoliatis Orientis regionibus offendit Caiũ Cæsarem Augusti filiũ: interdictáque amicitia principis veneno interiit. Idem traditur à Plinio lib. nono na. historiæ. Vitricum.] Tyberiũ. Diximus enim Iuliã matrem Caii post obitum Agrippæ nupsisse Tyberio.

Ostentis.] Ostenta dici tam in bonis, quàm in malis rebus, clarum est, ab eo quòd ostendunt futura tam bona, quàm mala. Ostentum Labeo Iurisconsultus definit esse contra naturam cuiusqoe rei genitum, factúmque. Sed Augustinus eleganter docet, portenta, & ostenta, & id genus alia, non fieri contra naturã, sed cõtra quàm est nobis nota natura.

Prædictionibus.] Propter illa, quæ prædixerãt mathematici de futura felicitate Tyberii.

Incubanti gallinæ.] Plinius in decimo, & Columella in nono, de incubatione gallinarũ multa scripserunt. Oua incubari intra decem dies nata, vtilissimum: vetera, aut recentiora sunt infœcunda.

Vsque eò fouit.] De hoc Plinius sic ait in decimo: cap. L v. Liuia Augusta, prima sua iuuenta Tyberio Cæsare ex Nerone grauida, cùm parere virilem sexum admodum coperet, hoc vsa est puellari augurio, ouum in sinu fouendum, atque cùm deponendum haberet, nutrici per sinum tradendo, ne intermitteretur tepor. Nec falsò augurata proditur.

Exclusus est.] Excludi propriè dicuntur fœtus auium, quando iam maturi, rupto ouo, in lucem prodeunt. Plinius in decimo: Celerius excluduntur calidis diebus.

Insigniter cristatus.] Sublimes, sanguineæque cristæ...

Siue regio insigni.] Insigne regum, diadema est, cuius inuentor fuit Liber Pater: quo Cæsares minimè vsi sunt, cùm scirent regium nomen, regiáque insignia Romæ esse intolerabilia. Victricium.] Quæ vicerant in Philippicis campis Brutũ, & Cassium, Potest etiam referri ad legiones Cæsaris victrices, quæ in eodem loco Pompeianas acies debellauerant.

Subductis.] Subtractis. Verior lectio est, subitis, vt sit sensus, aras refulsisse ignibus subitariis, atq; repentinis.

M. AN. CAio.] Priuigno.

Casu.] Bona ipsius fortuna: quia à M. Lollio, qui Tyberio aduersabatur, iam alienatus erat.

Maioris filii.] Caii, qui maior natu erat Lucio.

Offensior.] Ob ea scilicet, quæ ex Plinii verbis proximo loco recitauimus.

In vitricũ.] Tyberium.

Conditione.] Ab Augusto, an à priuigno, an ab vtroque potius, non dicit.

Prædictionibus.] Diuinationibus, oraculis.

Ominibus.] Auguriis. Incubanti.] Fouenti.

Subductum.] Subtractum, ademptum. Plinius, quod verisimilius est, modò Liuiam, modò nutricem vicissim eum fouisse refert.

Insigniter cristatus.] Insigni crista præditus.

Sine regio insigni.] Sine diademate, à cuius vsu Romani Imperatores abstinuere ob regium nomen Romanæ ciuitati inuisum.

Ignota Cæsarum potestate.] Imperandi ratione, successionéque Cæsarum nondum nota.

Victricium legionum aræ.] Legionum intellige, quæ prosperè aduersus Brutum, & Cassium in Philippis pugnarant.

Geryo

iuxta Patauium adiſſet Geryonis oraculum, ſorte tracta, qua monebatur, vt de conſultationibus in Aponi fontem talos aureos iáceret, euenit, vt ſummum numerum iacti ab eo oſtenderent, hodiéque ſub aqua viſuntur hi tali. Ante paucos verò, quàm reuocaretur, dies, Aquila, nunquam antea Rhodi conſpecta, in culmine domus eius adſedit. Et pridie quàm de reditu certior fieret, veſtimenta mutāti, tunica ardere viſa eſt. Thraſyllum quoque mathematicum, quem vt ſapientiæ profeſſorem contubernio admouerat, tunc maximè expertus eſt, affirmantem naue prouiſa gaudium afferri, quum quidem illum, durius, & contra prædicta cadentibus rebus, vt falſum, & ſecretorum temere conſcium, eo ipſo momento, dum ſpatiatur vnà, præcipitare in mare deſtinaſſet.

PHIL. Geryonis oraculum.] In orbe terrarum multa antiquitus oracula extiterunt: & præter illa notiſſima fuit oraculum Amphiarai, oraculum Triphonii: ſimiliter in Italia iuxta Patauium oraculum extitit cognominatum Geryonis: de quo, quod equidem nouerim, nulla apud Hiſtoricos fit mentio. Vnde adhuc hiſtoria oraculi. Geryonis non minus quærenda eſt, quàm illa oraculi Arietini, quā ignorare ſe fatetur A. Gellius, & quærendam eſſe teſtatur. Apud Plinium legimus oppidum Geryonis fuiſſe in Italia: quod cùm à Patauio longè diſtet, nihil ad hanc rem pertinet. Mentio fit apud Hiſtoricos fontiū Patauinarum: quæ ad hoc oraculum commodiſſimè referri poſſunt. Fortaſſis illhic, vt ſuſpicari licet, colebatur ſimulacrum Geryonis illius notiſſimi inter labores Herculeos, qui à poetis fingitur tricorpor.

In Aponi fontem.] Fons Aponi, & aquæ iuxta Patauium medicatæ, luculentis verſibus celebrantur à Claudiano ita ſcribente:

Fons Antenoreæ vitam qui porrigis vrbi,
Fatáq; vicinis noxia pellis aquis. & pòſt paulò:
Publica morborum requies, commune medentum
Auxilium, præſens numen, inempta ſalus.

Videtur fons hic nomen ab eo accepiſſe, quòd dolore, qui Græcè dicitur πόνος, languentes illa aqua liberētur. De eodem Lucan. -Aponus terris qua ſpumifer exit.

Summum.] Maximum, & felicitatem ſignificantem, qualis eſt Venus, cuius ſuprà meminimus.

Reuocaretur.] Ex exilio Rhodienſi.

Domus.] Quam ſcilicet Rhodi habebat.

Aquila ſedit.] Scribit Seneca in II. Quæſtionum naturalium, aquilæ honorem dari, vt magnarum rerum faciat auſpicia. Aquilarum ſex ſunt genera: Melenetos, Pygargus, Murphnos, Percnopterus, Gneſion, & Haliæetus. Dicta eſt autem Melenetos quaſi aquila colore nigricans. ἀετὸς Græcè aquila, μέλαν nigrum dicitur. Pygargus à cauda albicante: πυγὴ enim natis, ἀργὸς albus. Morphnos à macula pennæ, quaſi næuia. Percnopterus à nigra penna nomen accepit. πέρκνον ſiquidem Græci nigrum, & πτερὸν pennam vocant. Gneſion, quaſi legitimum, verúmque dicas, minimèque adulterinum. Eſt enim hæc aquila incorruptæ originis: γνήσιος nanque Græcè legitimus nominatur. Haliæetus verò quaſi marina aquila interpretatur. Dictiones mēdoſę ſunt apud Pliniū in x. nam pro percnopterus, paſſim legitur percepterus: pro morphnos, morphos. De generibus aquilarum fere omnia, vt pleraque alia, mutuatur Plinius ab Ariſtotele ex libro IX. De animalibus.

Tunica.] Interior ſcilicet, quæ camiſia vulgò nominatur.

Thraſyllum.] De hoc Iuuenalis:
-Numeris reuocata Thraſylli.

Naue prouiſa.] Procul viſo nauigio, quo vehebatur nuntius de Tyberii reuocatione in patriam.

Cadentibus rebus.] Alium exitum habentibus, quàm prædixerat Thraſyllus mathematicus.

Præcipitare in mare.] Scribit Dion, ſtatuiſſe Tyberium è muro deiicere Thraſyllum Aſtrologū, quòd is ſolus ſecretorū eius cōſcius foret: quē quum perturbarū vidiſſet, quæſiuit perturbati vultus cauſam: tunc reſpōdiſſe fertur Thraſyllus, periculo ſeſe, quod per ſcientiam aſtrorū præuidebat, perturbari: vnde admiratus Tyberius non auſus eſt illum præcipitare, ſicut deſtinauerat.

M. AN. Iuxta Patauiū.] Celebre id in Venetis oppidum, à Troianis duce Antenore conditum. Non ignoro fuiſſe, qui à Padi vicinitate dictum exiſtimarent, quum plura millia paſſuū à Pado diſtet: veriſimilius ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι, quod Seruius ait, vt à præpetis auis volatu ſit nomen illi datū: quanquā nec id ipſum ita probo, vt nō adhuc probabilius putē credere à Patauio oppido in finibus Paphlagonię appellatū: fuit circa Amaſtrim & Cromnā, vnde Heneti Antenoris comites venere: vt hi non ſolùm genti, ſed nouæ etiam vrbi nomen dederint.

Geryonis oraculum.] Cuius Geryonis id oraculū eſſet, non memini adhuc me legiſſe, verùm quia licet coniectura agere in iis, quæ vetuſtas aboleuit, ſuſpicari libet id in ea terra ab Euganeis, qui ex Herculis comitatu fuere, ab initio conſtitutum: vt tale oraculi genus ſit illis ſeruatū aduerſus Geryonē pugnaturis, aut ab homine eius gentis, aut Geryone ipſo olim inuentū, quod poſteà ab extremis terris Herculis ſocii ex ea victoria reuerſi in hanc vſque terram deportarint: ſed hæc, vt dixi, coniectura eſt. Poſſet adhuc ab loco dictum videri: nam id quoque accidere potuiſſet, vt Euganei in his locis, quibus poſteà Aponus fuit, in perpetuum clariſſimæ victoriæ monumentum locum aliquem à ſe communitum Geryonem appellarint, cuius veſtigia vetuſtate interciderint.

Sorte tracta.] Ducta.

In Aponi fontem.] Aponus locus in Patauino agro, vbi hodie balnea.

Summum numerum.] Venerem, ſeu Coum.

Reuocaretur.] Ex Rhodo ſcilicet Romam.

Nūquam anteà.] Scilicet Rhodi. Pygargus, inquit Plinius, ſola aquilarū in campis, & in oppidis verſatur.

Prouiſa.] Procul viſa.

Gaudium afferri.] Læta per eam nuntiari.

Durius.] Triſtius.

Cadentibus.] Aliter, quàm ille dixiſſet, fluentibus.

Temere.] Non ratione, ſed caſu, & fortuna.

Eo ipſo momento.] Quo nauis appulſa eſſet, ſi lætos per eam nuntios non accepiſſet.

Deſtinaſſet.] Propoſuiſſet.

PHIL. DEducto in forum.] Latè explicauimus in superioribus, quid sit tyrocinium, & dies tyrocinii, quo in forum adolescentuli deducebantur toga pura induti eloquentiam auspicaturi. Hoc fecit Tyberius in filio die ipsius tyrocinii.

De adoptione de eo facta ab Augusto. XV.

ROmam reuersus, deducto in forum filio Druso, statim è Carinis, ac Pompeiana domo, Exquilias in hortos Mecœnatianos transmigrauit, totúmque se ad quietem contulit, priuata modò officia obiens, ac publicorum munerum expers. Caio, & Lucio intra triennium defunctis, adoptatur ab Augusto simul cum fratre eorum M. Agrippa, coactus prius ipse Germanicum fratris sui filium adoptare: nec quicquã posteà pro patrefamilias egit, aut ius, quod adoptione amiserat, ex vlla parte retinuit. Nam neq; donauit, neque manumisit: ne hæreditatem quidem, aut legata percepit vlla aliter, quàm vt peculio referret accepta: nihil ex eo tempore prætermissum est ad maiestatem eius augendam, ac multò magis postquam Agrippa abdicato, atque seposito, certum erat vni spem successionis incumbere.

E Carinis.] Nomen est vici Romani, in quo fuit domus Pompeii. Legimus apud Historicos Lenæum Magni Pompeii libertum docuisse grammaticam in Carinis: in qua regione vt inquit Trãquillus in libro de Grãmaticis, Pompeiorum domus fuerat. Vergilius:

-Lautis mugire Carinis. Carinis dici autumat Mar. Varro ab eo, quòd hinc oritur caput sacræ viæ: κάρα Græcè caput nominatur: alio nomine Ceriona nũcupata.

Exquilias.] Docet Horatius in 1. Sermonum, Exquilias fuisse à Mecœnate expurgatas: quum illhic prius plebi fuisset commune sepulcrum. Refert Varro, Exquilias ab excubiis regis dictas: alii ab eo, quòd excultæ à rege Tullo essent: hinc Exquilina regio Romæ nominata. In Exquiliis horti fuerunt Mecœnatis.

Obiens.] Peragens. Munerum.] Officiorum.

Coactus Germanicum adoptare.] Libro primo Institutionum causam legimus, propter quam Augustus coegerit Tyberium, prius, quàm ab ipso adoptaretur, adoptare Germanicum. Verba ex titulo De adoptionibus hæc sunt: Sic diuus Augustus non anteà Tyberium adoptauit, quàm is Germanicum adoptauerit: vt protinus adoptione facta incipiat Germanicus Augusti nepos esse.

Pro iure.] Potestate, qua pollet is, qui paterfamiliâs est. Tyberius adoptatus ab Augusto, iam factus erat alienæ ditionis, nihilque vt paterfamiliâs agebat.

Ius, quod adoptione amiserat.] Sensus est, Tyberium, postquam ab Augusto adoptatus est, nihil egisse tanquam patremfamiliâs, sed tanquam filium: neque retinuisse ius patriæ potestatis, quod perdiderat, dum per adoptionem transit in alienam potestatem, & ex patrefamiliâs, fit filiusfamiliâs.

Neque manumisit.] Non valet donatio, quam facit filiusfamiliâs sine patris iussu, vt scribit Vlpianus in titulo De adoptionibus. Itidem quæritur apud Iurisconsultos, nunquid filiusfamiliâs viuo patre seruum manumittere possit: & videtur manumittere non posse, nisi pater permiserit. Excipitur filiusfamilias militiam exercens: talis enim seruos, quos in castris acquirit, manumittere potest, quum in patris familia minimè computentur.

Referret accepta.] Sicut expensum ferre, est scribere te pecuniam dedisse: ita acceptum referre, significat accepisse te, quod scriptum erat expensum. Hinc est illa notissima apud Plinium sententia de fortuna sic loquentem: Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium sola vtranq; paginam facit. Frequens, & perinde elegans est eloquutio, vt dicamus, Tibi hæc accepta refero: pro eo, quod est, fateor me ista abs te accepisse: quod non tantùm in bonam, sed & in malam partem dici, testis est Cicero, cuius hæc verba sunt ex secunda Antonianarũ: Omnia denique, quæ posteà vidimus (quid autem mali nũ vidimus?) si rectè ratiocinabimur, vni accepta referemus Antonio. Tyberius itaque referebat accepta peculio, hoc est, se per peculium accepisse hæreditates, & diuitias, tanquam bona nõ haberet, quæ habet paterfamiliâs, sed peculium, quod est serui, & filiifamiliâs. De peculio suprà satis multa.

Seposito.] In superioribus explicatum est, quemadmodum Augustus Agrippam filium ob ingenium sordidum, ac ferox abdicauit, seposuítq; Surrentum.

M. AN. DEducto in forum filio Druso.] Ad forensia officia, virili toga illi induta, adhibito.

Hortos Mecœnatianos.] Qui in Exquiliis fuere. Exquiliæ, secundæ regionis vrbis, ab regis excubiis, vt quidam credidere: vt alii, quia à Tullo rege excultæ fuissent, Varro est author.

Priuata officia.] Ad publicorum munerum differentiam: vel qualia priuatæ fortunæ ciues obire solẽt.

Eorum.] Caii, & Lucii, qui defuncti erant. Tres namq; Agrippæ & Iuliæ virilis stirpis filii fuere, Caius, Lucius, & Agrippa.

Fratris sui.] Drusi: ex Druso Tyberii fratre, & minore Antonia Germanicus erat ortus.

Pro patrefamiliâs.] Vt paterfamiliâs, quia in mancipio eius, à quo fuerat adoptatus, esset. Cicero in Clodium, qui se P. Fonteio in adoptionem dederat, Vt in te, inquit, P. Fonteius vitæ, necísque potestatem haberet, vt in filio.

Neque donauit, neque manumisit.] Quæ patrum familiâs sunt, non filiorũ, qui in mancipio patris adhuc sint. Vt peculio referret accepta.] Quàm vt peculii nomine cõcessa videri vellet. Est enim peculium, vt Celsus scribit, quod seruus domini permissu separatũ à dominicis rationibus habet. Vlpianus: Paterfamiliâs, inquit, peculium habere non potest, quemadmodum nec seruus bona, aut ille qui in alterius est mancipio.

Maiestatem.] Ad Tyberii obsequium id referas.

De Illyrico per eum domito. XVI.



Data rurſus poteſtas tribunitia in quinquennium, delegatus pacandæ Germaniæ ſtatus, Parthorum legati mandatis Auguſto Romæ redditis, eum quoque adire in prouinciam iuſſit. Sed nuntiata Illyrici defectione, tranſiit ad curam noui belli, quod grauiſſimum omnium externorum bellorum poſt Punica per quindecim legiones, parémque auxiliorum copiam, triennio geſſit, in magnis omniũ rerum difficultatibus, ſummáque frugum inopia. Et quanquam ſæpius reuocaretur, tamen perſeuerauit, metuens ne vicinus, & præualens hoſtis inſtaret vltro cedentibus. Ac perſeuerantiæ grande pretium tulit, toto Illyrico (quod intra Italiam, regnúmq; Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, intérque Danubium flumen, & ſinum maris Adriatici patet) perdomito, & in ditionem redacto.

De honoribus eidem à Senatu decretis. XVII.



Qui gloriæ amplior adhuc ex opportuni tate cumulus acceſſit. Nam ſub id ferè tempus Quintilius Varus, cum tribus legionibus in Germania periit, nemine dubitante, quin victores Germani iuncturi ſe Pannoniis fuerint, niſi debellatum prius Illyricum eſſet. Quas ob res triumphus ei decretus eſt, multi, & magni honores. Cenſuerunt etiam quidam, vt Pannonicus, alii vt Inuictus, nonnulli vt Pius cognominaretur: ſed de cognomine

PHIL. In prouinciam.] Germaniam: cuius pacandæ ſtatus ipſi Tyberio fuerat demandatus.

Ad curam noui belli.] Apud Oroſium, opinor, menda eſt: qui nõ aduerſus Illyricos, ſed contra Germanos bellum hoc maximũ, & formidoloſiſſimum à Tyberio per triennium geſtum eſſe refert: citátque iſtud Suetonii teſtimonium. Náque Suetonius apertè Illyricum perdomitum fuiſſe, non autem Germaniam ſignificat.

Auxiliorum copiam.] Sæpe aliàs dictum eſt, legiones conſcribi ex Romanis militibus: auxilia verò dici externarũ nationum.

Frugũ inopia.] Iulianus Iuriſconſultus fruges dici omnes autumat, quibus homo veſcatur. Inopia autẽ frugum, reiq; annonariæ in exercitu tantò maturius fit, quantò pluribus, vt ait Vegetius, erogatur.

Inſtaret vltrò cedentibus.] Bellica fere cõſuetudo eſt, vt vltro cedenti inſtet aduerſarius, metuat verò reſiſtentem.

Quod intra Italiam.] Terminos deſcribit Illyrici à Tyberio perdomiti. Scribit Ptolemæus libro ſecũdo Coſmographiæ Illyricum terminari à Septentrione vtraque Pãnonia, ab Occaſu Iſtria, ab Ortu Lyſſo, à Meridie parte Macedoniæ ad Adriaticum mare porrectæ. Plinius quoque indicat, Illyricũ Macedonia, Noricis Pãnoniæ glandiferis, & Mœſia prouincia circumuallari.

In Germania periit.] De clade Variana in Auguſto dictum eſt: cuius Oroſius quoque meminit his verbis: Sub eodem tempore Quintilius Varus cum tribus legionibus à Germanis rebellantibus, mira ſuperbia, atq; auaritia in ſubiectos ſe agens, funditus deletus eſt.

Pannoniis.] Græci Pæonas appellant, ſicut antè dictum eſt, Romani Pannonios vocat. Natio eſt ingẽs per longitudinem Danubii incolens. Inter Illyricos populos à quibuſdam numeratur.

Honores.] Extrinſecus ſubintelligendum eſt, decreti ſunt.

Vt Pannonicus.] Eo more, quo Romani Imperatores à prouinciis debellatis nomen accipiebant. Olim Antoninus Caracalla ſibi nomen adſcripſit Germanici, Parthici, Arabici, & Alemanici, à gentibus, quas deuicerat.

Inuictus.] Nomen accommodatum Imperatori, vt nominetur inuictus. Olim Seleucus cognominatus eſt Nicator, quaſi victorioſus, quia in bello, vt inquit Appianus in Syriacis, ſemper victor, ſemperq; inuictus extiterat.

Pius.] Cognomentum Pii Metellus primus meruit apud Romanos, propterea quòd patrem lacrymis, & precibus aſſiduis ab exilio reuocauit. Dein Antoninus, quẽ Adrianus Imperator adoptauit, appellatus eſt Pius, quòd ſocerũ feſſum ætate manu ſubleuaret: quãuis alii cognomentum hoc ei dicant inditum ex eo, quòd multos Senatores Adriano iam ſæuiẽti ſubduxiſſet: alii quòd ipſi Adriano magnos honores poſt mortem detuliſſet.

M. AN. Prouinciam.] Germaniam.

Paremque auxiliorum copiam.] Vt triginta ſit legionibus ab eo prouincia adminiſtrata.

Frugum.] Rerum omnium, quibus ipſi cõmeatus conſtant.

Grande pretiũ tulit.] Multùm perſeuerando adeptus eſt.

Intra Italiam, regnúmque Noricum.] Eiſdem quoque finibus Appianus Illyricũ complexus eſt, longitudinémque eius terræ quindecim dierum itinere conſtare tradidit, latitudinem quinque. Romani ſcriptores ſex millium ſtadiorum longitudinem ipſam poſuere, mille & ducentorum latitudinem.

Cui gloriæ.] Cui domiti Illyrici laudi.

Cumulus acceſſit.] Cumulata laus.

Quintilius Varus.] Varianæ cladis mentio in Auguſto requirenda eſt.

Pannoniis fuerint.] Tum populi Romani hoſtibus, qui Appiani, & Tranquilli deſcriptione, Illyricis continebantur finibus.

Debellatum.] Bello ſuperatum.

intercessit Augustus, eo contentum repromittens, quod se defuncto suscepturus esset. Triumphum ipse distulit, mœsta ciuitate, clade Variana. Nihilò minus vrbem prætextatus, & laurea coronatus intrauit: positúmque in septis tribunal Senatu adstante conscendit, ac medius inter duos Consules cum Augusto simul sedit: vnde, populo consaluta to, circum templa deductus est.

De gestis eius in Germania. XVIII.

Proximo anno repetita Germania, cùm animaduerteret Varianam cladem temeritate, & negligentia ducis accidisse, nihil non de *consilii sententia egit. Semper aliâs sui arbitrii, contentúsque se vno, tunc præter consuetudinem cum pluribus de ratione belli communicauit. Curam quoque solito exactiorē præstitit. Traiecturus Rhenū, cōmeatum omnem ad certam formulam adstrictum non antè trāsmisit, quàm consistens apud ripam, explorasset vehiculorum onera, ne qua deponerentur, nisi concessa, aut necessaria. Trans Rhenum verò eum vitæ ordinem tenuit, vt sedens in cæspite nudo cibum caperet, sæpe sine tentorio pernoctaret, præcepta sequentis diei omnia, & si

*cōcilii

PHIL. Intercessit.] Vetuit, prohibuitque Augustus ne cognomen Pannonici, aut Inuicti, aut Pii Tyberio imponeretur.

Quod se defuncto.] Augusti cognomentum intelligit, quod Tyberius post obitum Augusti erat suscepturus, quod cognomen speciosius est, & venerabilius cognomento Pannonici, Inuicti, & Pii.

Prætextatus.] Prætexta toga indutus, quæ à Liuio inter ornamenta triumphalia numeratur.

Laurea coronatus.] Tanquam triumphans. Nam qui triumphabat, corona laurea in primis decorabatur. Etenim, authore Plinio, laurus triumphis propriè dicatur.

In septis.] Septa fuisse in cāpo Martio superius explicauimus.

Medius.] Locus honoratior est medius, nō solùm apud Romanos, sed etiam apud barbaros. Vnde ait Salustius in Iugurtha, Hiempsalem assedisse iuxta fratrē Adherbalem, vtille in medio foret, tanquam venerabilior. Xenophon quoque tradit, Cyrum solitum fuisse medium discumbere inter amicos honoratos. Et à Vergilio dictū est,

Aurea composuit sponda, mediámque locauit.

Ouidius quoque sic inquit in Fastis:

Et medius iuueoum non indignaoribus ipsis

Ibat.- Extat apud Spartianū locus Adriani dignus memoratu: qui cùm seruum suū inter duos Senatores medium ambulare vidisset, misit qui ei colaphū daret, & diceret, Noli inter eos ambulare, quorum esse adhuc potes seruus. Negligentia ducis.] Scilicet Quintilii Vari: qui negligenter, libidinosè, atque superbe simul Germanis imperauerat: qui illum improuidum, & nihil tale metuentem adorti inuaserunt.

Nihil nō.] Omnia egit Tyberius adhibitis cōsiliariis. hoc enim significat, de cōsilii sententia. Dicere solebat M. Antoninus Imperator, Aequius est, vt ego tot, taliumque amicorum consilium sequar, quàm vt tot talesque amici meam vnius voluntatem sequantur.

Sui arbitrii.] Aliter sentit Agamemnon Homericus, qui optat sibi decem esse consiliarios tales, qualis erat Nestor. Versus Homeri hic est:

Τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν Ἀχαιῶν.

Cùm vnus inquit Aristoteles in III. Politicorum, indicat aliqua affectus perturbatione, necessarium est iudicium corrūpi: sed in multitudine difficile foret, omnes labi, & errare. Ab eodem dictum est, quòd duo boni sunt vno meliores: Græce dicitur τὸ μηδὲν ὑπάρχειν ἕνα κρείττω τῶν δύο. id est, nihil vnus est ad comparationem duorū.

Exactiorem.] Diligentiorem, pensitatioremque.

Commeatum.] Annonam, atque cibaria, quorum in primis ratio habenda est.

Vehiculum.] Quibus frumenta, & cibaria trās Rhenum portabant.

In cæspite cibū caperet.] Laudat Mamertinus in Panegyrico Iulianū Imperatorē, quod statarium prandium caperet, gaudēs castrensi cibo, ministro obuio, & poculo fortuito: & quòd maiorem anni partem in arida humo cubaret, & cælo tātùm tegeretur. Hoc idem Tyberius factitabat: qui in cæspite nudo, hoc est terra herbosa, sine aulæis, tapetibúsque cibum capiebat. In hanc sententiā est illud Tibulli:

At sibi quisque dapes, & festas extruet ille

Cæspitibus mensas, cæspitibúsque toros.

Laudatur Annibal, quòd quā diu bellum gessit in Italia, nunquam cubans, sed stans cibum cepit. Sine tentorio.] Celebratur Annibal à Silio, quòd vertice nudo solitus sit excipere insanos imbres, cælique ruinam. σκηνὴ Græcè dicitur tentoriū, siue papilio: vnde Arabes Scenitæ cognominati, quia degebant sub papilionibus.

Intercessit.] Author extitit, quò minus cognomen aliquod ei deferretur. Repromittens.] Repræ- M. AN. sentaturum promittens. Ipse distulit.] Differre voluit. Prætextatus.] Quod triūphātis erat insigne.

Positum.] Ad tempus instructum. In septis.] In campo Martio. Nihil non.] Omnia.

De consilii sententia.] Consensu eorum, qui sibi aderant. Sui arbitrii.] Fuit scilicet.

Se vno.] Suo vnius consilio. Exactiorem.] Attentiorem. Adstrictum.] Ne nimis onustum traheret exercitum. In cæspite nudo.] Cambyses apud Xenophontem, filium Cyrū iturum ad bellum monet frigus, & æstum, & labores in primis Imperatorem perferre oportere. Cibum caperet.] Ob ea, quæ dicūtur militari cibo eū contentū fuisse, crediderim qui ex larido, caseo, & posca constabat, vt Spartianus ait.

Sine tentorio.] Sine tabernaculo. Lucanus:

-Cogit tantos tolerare labores
Summa ducis virtus, qui nuda fusus arena
Excubat.-

Subiici

quid subiti muneris iniungendum esset, per libellos daret, addita monitione, vt de quo quisque dubitaret, se, nec alio interprete, quacunque vel noctis hora vteretur.

De disciplina eius in re militari. XIX.

DIsciplinam acerrimè exegit, animaduersionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis, atque etiam legato legionis, quòd paucos milites cum liberto suo trãs ripam venatum misisset, ignominia notato. Prælia, quanuis minimùm fortunæ, casibúsque permitteret, aliquantò constantius inibat, quoties lucubrante se subitò, ac nullo propellente, decideret lumen, & extingueretur, confidens (vt aiebat) ostento, sibi, ac maioribus suis in omni ducatu expertissimo. Sed re prosperè gesta, non multùm abfuit, quin ab Rhuteno quodam occideretur: cui inter proximos versanti, & trepidatione detecto, tormentis expressa cõfessio est cogitati facinoris.

De triumpho Illyrico, & alijs gestis eius. XX.

A Germania in vrbẽ post biẽniũ regressus, triumphũ, quẽ distulerat, egit, prosequẽtibus etiã legatis, quibus triũphalia or-

PHIL. SVbiti muneris.] Oneris, laboris, officii subitarii, atque repentini.

Iniungendum.] Imponendum. Plinius in Epistolis: Iniungo tibi prouinciam. Per libellos.] In his enim præscripta erant omnia, quæ per milites fieri vellet. Quacunque vel noctis hora.] Hoc est, quacunq; hora, etiam si foret media nox, idq; tẽpus, quo ipse dormiret. Sunt enim quædam horæ, quibus principẽ adire nec debemus, nec possumus.

Disciplinam.] Militarem.

Animaduersionum.] Animaduertere, punire est: inde animaduersiones, puniciones, & supplicia dicũtur.

Ex antiquitate.] Inter antiquas animaduersiões, ignominiasque militares hæc fuit: Militi vena soluebatur, & sanguis mittebatur: præterea ordeo pro frumento pascebatur. Et, vt ait Plutarchus in Lucullo, genus ignominiæ militaris apud priscos fuit vsitatum, vt tunicis interioribus solutis, fossam fodere coram exercitu cogerentur: qua ignomioia olim Lucullus milites affecit. Quinetiam inermis miles puniebatur, qui si centurioni castigare se volenti restitisset, vitémque tenuisset, militiam mutabat. Pœna huiusmodi militum est, vt inquit Modestinus Iurisconsultus, castigatio, pecuniaria mulcta, munerum interdictio, militiæ mutatio, gradus deiectio, ignominiosa missio. In metallum autem non dantur milites, neque torquentur.

Legato legionis.] Qui essent legati militares, quæ've illorum dignitas, superius annotauimus.

Decideret lumen.] Id est, extingueretur. Quærit Plutarchus in Problematis, cur Romani lumen non extinguebant, sed per se extingui, ac deficere permittebant: an quasi inextinguibilis, & immortalis illius ignis cognatum & affinem colentes: an quòd hoc signum sit, non oportere id, quod natum sit, nisi noceat, corrumpere, néve interficere, quasi animal ignis sit. Nec immeritò: nam & alimento indiget, & per se mouetur: & cùm extinguitur, velor si occidatur, vocem emittit.

Lucubrante.] De nocte ad lucernam vigilante.

Ducatu.] Imperio, & præfectura. A ducendo enim ducatus dicitur. Iulius Capitolinus: Petenti signũ prima die tribuno dedit militi munus, exprobrans vtique segnitiem temporum superiorum: quod quidem etiã antè in omnibus ducatibus dederat. Scribit Lampridius, Heliogabalum præposituras, & ducatus, & officia Palatina vendidisse.

Rhuteno Gallo.] Rhuteni, authore Plinio, populi sunt Galliæ Aquitanicæ, contermini prouinciæ Narbonensis. De Rhutenis ait Lucanus in primo:

Soluuntur flaui lõga statione Rhuteni.

Detecto.] Pauor, & trepidatio plerunque detegit arcanorum flagitiorum conscientiam.

Cogitati facinoris.] Per tormenta confessus est ille Rhutenus, se cogitasse de Tyberio interficiendo.

Triumphum, quem distulerat.] Suprà dictum est, Tyberium, perdomito Illyrico, distulisse triumphum: quum Romana ciuitas mœsta esset ob cladem Varianam.

Triumphalia ornamenta.] Iam declarauimus ornamenta triumphalia esse togam prætextam, tunicã palmatam, togam pictam, coronam lauream: erat & scipio eburneus, & sella curulis inter ornaméta triũphalia, vt indicat Liuius in xxx. ab origine vrbis.

Legatis.] Scilicet militaribus: quorum dignitas amplissima est post Imperatorem.

M. A N. PEr libellos notata.] Scilicet ne quis postcà aliquid non dictum, aut non preceptum cauillari posset.

Se interprete.] Sua interpretatione.

Exegit.] Exquisiuit.

Animaduersionum.] Punitionum.

Ignominiarum.] Ignominiosarum missionum.

Generibus.] Exemplis.

Ex antiquitate.] Ex veteris disciplinæ rigore.

Legato legionis.] Qui legioni vicario nomine præerat. Ignominia notato.] Ignominiosè exauctorato, aut cum ignominia dimisso.

Fortunæ casibus.] Quanuis cunctantius prælia iniret, nec multùm fortunæ crederet.

Aliquantò constantius.] Fortius, perseuerantius.

Decideret lumen.] Si fortuitus luminis casus ostentum fecisset.

In omni ducatu.] Quoties exercitus sui maiores ductassent.

Rhuteno.] Rhuteni Aquitaniæ populi, vt Plinius ait. Lucan. Soluuntur flaui longa statione Rhuteni.

Trepidatione.] Inconstanti motu corporis.

Expressa.] Cruciatibus extorta.

Flect

naméta impetrarat:ac prius,quàm in Capitolium flecteret,descendit è curru,séque præsidenti patri ad genua summisit. Bationem Pannonium ducem ingentibus donatum præmiis, Rauennam transtulit, gratiam referens, quòd se quondam cum exercitu iniquitate loci circunclusum, passus est euadere. Prandium dein populo mille mensis, & congiarium tricenos nummos viritim dedit. Dedicauit & Concordiæ ædem. Item Pollucis, & Castoris suo fratrísque nomine de manubiis.

De gestis eius, ac testimonijs Augusti, & de principatu eiusdem. XXI.



C non multò pòst lege per Consules lata, vt prouincias cum Augusto communiter administraret, simúlq; censum ageret, condito lustro, in Illyricum profectus est. Et statim ex itinere reuocatus, iam quidem affectū, sed tamen spirantem adhuc Augustum reperit, fuítque vnà secretò per totum diem. Scio vulgò persuasum, quasi egresso post secretum sermonem Tyberio, vox Augusti per cubicularios excepta sit: miserum populum Romanum, qui sub tam lentis maxillis * erit. Nec illud

PHIL. Flecteret.] Triumphantes, peracta triumphandi pompa, Capitolium ingrediebantur, ibique hostiis immolatis in Palatium recedebant: vt docet Iosephus lib. v tt. belli Iudaici.

Patri.] Augusto Cæsari.

Ad genua.] Hominis genibus quædam religio inest obseruatione gentium: hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendūt: fortassis quia his inest vitalitas: author Plinius in x I. Seruius enarrans illud Vergilianum:

Et genua amplexus, Genibúsq; volutus. tradit genua esse misericordiæ consecrata, sicuti frōs genio, dextra fidei cōsecrata est.

Transtulit.] Transportauit.

Mille mensis.]. Legimus apud Historicos, Cæsarem Dictatorem epulū populo Romano dedisse duobus ac viginti millibus triclintis extructis.

Congiariū.] Donum est Imperatorium: de quo in superioribus satis ac super.

Cōcordiæ ædē.] Multi apud Romanos ædem Concordiæ deæ extruxerunt. nanque Camillus olim vouit ædem Concordiæ: quod templum, vt inquit Plutarchus, in foro constructum, postea Flauius ille patre libertino notissimus, ædem Concordiæ vouit, si populo reconciliasset ordinem Senatorium, & equestrem: dedicauitque in area Vulcani summa inuidia nobilium ex mulctatitia pecunia fœneratoribus condemnatis: authores Liuius, & Plinius. Sequenti tempore templum Concordiæ construxit, vel instaurauit consul Opimius post Gracchū, Fuluiúmque trucidatos summo populi dolore: vnde noctu quidam adscripserunt ipsi templo hūc versum:

Opus vecordiæ templum Concordiæ facit.

Tyberius quoque, vt hîc indicat Tranquillus, ædem Concordiæ dedicauit: cuius rei Ouidius quoq; meminit in I. Fastorum his versibus, cùm de constitutione Concordiæ templi loqueretur:

Causa recens melior, sparsos Germania crines
Colligit auspiciis dux venerande tuis:
Inde triumphatæ libasti munera gentis:
Templáque fecisti, quam colis ipse, deæ.

Pollucis, & Castoris.] Diximus in Iulio Cæsare quemadmodum ædes Castorum erat in foro Romano, quam vouit in bello Latino Aurelius Posthumius Dictator: eandem Tyberius dedicauit, vel nouam extruxit. De manubiis.] Pecunia prædatitia. Quid sint manubiæ, satis copiose suprà explicauimus.

Simul censum ageret.] Tanquam Augusti collega esset in censura. Censorum enim officium hoc erat, vt censum agerent.

Condito lustro.] Mos erat censorum, vt completo quinquennio vrbem lustrarent, solitauralia sacrificia de sue, oue, & tauro facientes: idque conditum lustrum appellatum: cuius primus author fuit Seruius Tullius sextus Romanorum rex.

Affectum.] Aegrotantem, atque languentem. Propertius:

Iuppiter affectæ tandem miserere puellæ. Non pauca scripsimus in Commentariis Propertii, quid affectus, & afficere significent.

Secretò.] Solus, sine arbitris.

Sub tam lentis maxillis.] Scribit Plutarchus in Apophthegmatis, Augustum dicere solitum, se Romani Imperii successorem eū esse relicturum, qui nunquā bis de eadem re consultasset. Tyberium videlicet significare volebat, qui, vt inquit Sextus Aurelius, repētinis consiliis melior erat, quàm meditatis. Trāquillus verò hoc dicto demonstrare voluit, ab Augusto repræhensam fuisse Tyberii lentam morositatem. Nam quemadmodū illi lentas maxillas habere dicuntur, qui lentissimè mandunt: ita lentas maxillas μεταφορικῶς in Tyberio notauit Augustus, & quia ille talis erat, & quia in illo lēta erat, sæuáq; natura. Quidā codices nō erit habent, sed edit: tanquā id totum translatione quadam cibaria dictum sit.

*edit, aut ederet.

Impetrarat.] Ab Augusto. & Senatu. Præsidenti patri.] Augusto. Transtulit.] Traduxit. Ex Pannoniáne transtulerit, an ex vrbe Rauenna traductum domum dimiserit, in dubium venire potest. M. A N.

Mille mensis.] Quibus populus accubuit.

Congiarium.] Donum, quod populo datur.

Concordiæ ædem.] Appianus author est, ædem Cōcordiæ post cædem Gracchorū decreto patrū in foro Romano ab Opimio consule constitutā. Aurelius Augustinus: Aedem Concordiæ testem cædis, & supplicii Gracchorum concionantibus apponendam putarunt. Ouidius à Liuia Augusta constitutam innuere videtur:

Hanc tua constituit genitrix & rebus, & ara:
Templáque fecisti, quæ colis ipse, deæ.

Quare fateri oportet, aut antiquum Concordiæ templum alibi conditum, aut à Liuia, non à fundamentis erectum, sed instauratum.

Castoris & Pollucis.] Hos Ledæ filios Homerus, & poetæ omnes testantur: & eorum ædes in foro fuit, vt alio est loco demonstratum.

Com

Communiter.] Communi Imperio.
Affectum.] Morbo degrauatum.
Secretò.] Remotis arbitris.
Per cubicularios.] Per cubiculi ministros.
Lentis maxillis erit.] Vt ad illud referatur, quod Tacitus Cornelius scribit, Tyberium verba expẽdere solitum, ac validis sensibus consultò ambiguum.

PHIL. Diritatẽ.] Asperitatem morum, & tristitudinẽ. Tyberius à Plinio in xxviii. tristissimus hominũ hinc dictus videtur.
Precibus vxoris.] Liuiæ, quæ erat Tyberii mater.
Non abnuisse.] Non recusasse adoptare Tyberium in filium.
Circuospectissimum.] Omnia solerter, & cum circũspicientia perpendentẽ, ac velut in librili collocantem.
Desiderabilior fieret.] Princeps bonus tantò magis desiderari solet, quantò peior est successor. Malus princeps gloria est boni antecessoris.
Potiores virtutes.] Monet Horatius in Sermonibus, amici vitia leuius esse interpretanda, nonnunquã in virtutes transferenda, sed cùm nemo sine vitiis nascatur, videndum est an virtutes plures sint, magisque ponderent: & ita bona cum vitiis compensanda.
Principem.] Augustum.
Perpensis.] Examinatis, & diligeoter pensitatis.
Ἐμοὶ καὶ ταῖς μούσαις στρατηγῶν.] Verba sunt ex Augusti epistola: qoorum hoc est interpretamentum: Mihi, & Musis ducatum agens. Quidam codices habent, καὶ τοῖς σοῖς: quod significat, mihi & tuis.
Εὐβουλότατε.] Hoc est, prudentissime: εὔβουλον enim Græci prudentem dicunt: & εὐβουλίαν prudentiam, bonúmq; consilium. Inde fit ἀγροβούλειον, id est soperlariuum εὐβουλίας. Quidam legunt νομιμώτατε, qood est à νόμος, id est lege deflexum.
Et ordinem æstiuorum tuorũ.] Extrinsecus subintelligendum est verbum, serua, siue custodi, siue aliquid tale: vt sit sensus: Vale, & serua ordinem tuorum in æstiuis. Dicuntur autem æstiua, loca, in quibus æstiuo tempore milites continentur. Vetustus codex ita scriptũ habet: Vale, & ordinem tuoruo vt sit sensus: Vale, & tuos in ordine retineto. καὶ τοσαύτην ῥαθυμίαν στρατευομένων.] Hoc est, ioter tantam desidiam militaotium. Græci enim ῥαθυμίαν vocant pigritiam: & στρατευόμενος significat milito. vnde στρατευόμενος deducitur.

M. AN. Diritatem.] Tristiores mores, & ab omni comitate alienos. Plinius: Cur sternutamentis salutamor? quod etiam Tyberium Cæsarem, tristissimum, vt constat, hominum, in vehiculo exegisse tradunt.
Remissiores.] Citra curas omnes habitos.
Hilariores.] Vrbaniores.
Abrumperet.] Quasi hominis seueritatem veritus.
Sed expugnatum.] Siquidem parum prudenter Augustus fecisse videri potuisset, quòd eum, cuius mores non probaret, sibi successorẽ destinasset: idcirco vt omnes temeritatis, aut ambitionis suspicionem à circunspecto, integerrimóqoe alioqui principe remoueant, causas subiicit Trãquillus, quibus adductus videri possit, vt Tyberium potius, quàm alium sibi Imperii successorem constituerit.
Vxoris.] Liuiæ.
Ambitione.] Laudis cupiditate.
Circunspectissimum.] Consideratissimum, omnia ac curatissimè considerantem. Est circũspectus ambigui sensus, vt Vector, & alia quædã, quæ tã actiuè, quàm passiuè accipiũtur.
In tanto negotio.] Io noui præfuturi priocipis electione. Nihil temere.] Inconsiderate.
Potiores duxisse virtutes.] Eas virtutes scilicet, quæ in Tyberio essent, eas credere, quæ cum vitiis nõ solùm æquilibriũ facerent, sed præponderarent etiam. Quod & io colẽda amicitia seruandũ Cieero præclarè docet. Reipublicæ causa.] Ad vsum Reipublicæ.
Ἐμοὶ καὶ τοῖς στρατηγῶν.] Mihi & tuis Imperatorẽ agẽs: quod aotẽ ταῖς fœminino genere dixit, ad Liuiã matrẽ, & Iuliã nondum repudiatã referri oportet. Quædam exẽplaria habẽt, καὶ ταῖς μούσαις, tanquã mihi, & Musis dixisset, quod non admodum probo. Dux νομιμώτατε.] Dux cõpositissime, regularissime: ἀπὸ τοῦ νόμου, id est à legitimo. Vale, & ordinem æstinorũ.] Ordo est, ὦ νομιμώτατε tuorum æstiuorum vale, id est, ô regularissime omniũ, qui in tuis sunt æstiuis: alioqui imperfecta esset periodos. Quid autem sint æstioa, quid hyberna, diximus. Laudatur Tyberius à lege, & disciplina militari in æstiuis seruata. καὶ τοσαύτην ῥαθυμίαν στρατευομένων.] Et taotam desidiam militans. sed subaudi inter, quæ particula repetenda est: vt sit sensus, inter tot difficultates, & tantam militum desidiam versatus.

quidem ignoro aliquos tradidisse, Augustum palàm nec dissimulanter morum eius diritatem adeò improbasse, vt nonnunquam remissiores, hilarioresque sermones, superueniente eo, abrumperet: sed expugnatum precibus vxoris adoptionem non abnuisse, vel etiam ambitione tractum, vt tali successore desiderabilior ipse quandoque fieret. Adduci tamen nequeo, quin existimem circũspectissimum, & prudentissimum principem, in tanto præsertim negotio, nihil temerè fecisse, sed vitiis virtutibúsque Tyberii perpensis, potiores duxisse virtutes, præsertim quum & Reipublicæ causa adoptare se eum pro concione iurauerit, & epistolis aliquot vt peritissimum rei militaris, vtque vnicum populi Romani præsidium prosequatur. Ex quibus in exemplum pauca hinc inde subieci: Vale iucundissime Tyberi, & rem gere feliciter ἐμοὶ καὶ ταῖς μούσαις στρατηγῶν. Iucundissime, & ita sim felix, vir fortissime, & dux νομιμώτατε. Vale, & ordinem æstiuorum tuorum. Ego verò, mi Tyberi, & inter tot rerum difficultates, καὶ τοσαύτην ῥαθυμίαν τῶν στρατευομένων non potuisse quenquã prudentius gerere se, quàm tu gesseris, existimo. Hi quoque, qui tecum fuerũt, omnes confitentur versum illum in te posse dici:

Vnus homo nobis vigilando restituit rem.

Siue, inquit, quid incidit, de quo sit cogitandum diligentius, siue quid stomachor valde, mediusfidius Tyberium meum desidero; succurrítque versus ille Homericus:

Τούτου δ' ἑσπομένοιο, καὶ ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο
Ἄμφω νοστήσαιμεν, ἐπεὶ περίοιδε νοῆσαι.

Attenuatum te esse continuatione laborum, cùm audio, & lego, dii me perdant, nisi cohorrescit corpus meum: téque rogo, vt parcas tibi, ne si te languere audierimus, & ego, & mater tua expiremus, & de summa Imperii sui populus Romanus periclitetur. Nihil interest, valeam ipse, nécne, si tu nõ valebis. Deos obsecro, vt te nobis conseruent, & valere nunc & semper patiantur, si non populum Romanum perosi sunt.

De Agrippa iuuene occiso, & alijs gestis eius. XXII.



EXcessum Augusti non prius palàm fecit, quàm Agrippa iuuene interempto. Hunc tribunus militum custos appositus occidit, lectis codicillis, quibus, vt id faceret, iubebatur. Quos codicillos dubium fuit, Augustúsne moriens reliquisset, quò materiam tumultus post se subduceret, an nomine Augusti Liuia, & ea cõscio Tyberio, an ignaro dictasset. Tyberius renũtianti tribuno factum esse, quod imperasset, neque imperasse se, & redditurum eum Senatui rationẽ respondit, inuidiam scilicet in præsentia vitans: nam mox silentio rem obliterauit.

PHIL. Vigilando restituit rem.] Ex Enniano carmine immutata est dictio: nam sicuti de Fabio Maximo dixit Ennius, quòd cõtádo restituerat rem, Imperiúmq; Romanum, non pugnando: ita Augustus dixit, Tyberium vigilando idem factitasse. Et Hieronymus vsurpans eundem versum dixit: Vnus homo nobis scribẽdo restituit rem. Historia Fabii Maximi notissima est, qui Cunctator dicitur ab Historicis: de quo Silius: Solers cunctandi Fabius.

Versus ille Homericus.] Apud Homerũ in x. Iliados Rhapsodia, Diomedes suscipiens munus eundi pro speculatore ad Troiana castra Vlyssem socium sibi dari deposcit, dicitq; hunc versum: quem ita interpretari possumus: hoc autem comite, vel ex igne ardẽti ambo redibimus, propterea quòd optimè nouit intelligere. Horrescit.] Horrore & tremore concutitur.

Periclitetur.] In laudem Tyberii dictum est: tanquã cum eius salute populi Romani salus consistat, & cum periclitante periclitetur.

Si tu non valebis.] Non absimile illud Propertii: Viuam, si viuet: si cadet illa, cadam.

Perosi sunt.] Odio habent.

Excessum.] Obitum.

Palam fecit.] Liuius de morte Tarquinii: Tum demum palàm factum ex comploratione in regia orta.

Agrippa iuuene.] Quem Augustus adoptauerat, & propter ingenii socordiam seposuerat.

Codicillis.] Tabellis, pugillaribus. Scribit Hieronymus in epistola ad Niciá, ante chartæ, & membranarũ vsum in dedolatis è ligno codicillis, aut in corticibus arborum fuisse scriptum: vnde portitores codicillorũ tabellarios, & scriptores à libris arborum librarios vocitauere. Plinius in XIII. Cur, inquit, & Homerus in illa ipsa Lycia Bellorophonti codicillos datos, non epistolas prodidit? Catullus: Mœcha putida redde codicillos.

Vt id faceret.] Agrippam interimeret.

Post se subduceret.] Post obitum suum subtraheret, ac summoueret.

Imperasse.] Vt scilicet Agrippam tribunus occideret. Obliterauit.] Aboleuit, & obliuioni tradidit. Næuius noué dixit gentem obliteram, pro obliterata.

M. AN. VNus homo nobis.] Ex Ennii officina id carmen est primò depromptum, mox à Vergilio, & Nasone vsurpatũ, quanquam parum integra figura: quod Augusto quoque accidit, qui vigilando dixit, quum ille cunctando scripsisset: etenim Fabiũ Cunctatorem ait Ennius rem Romanam restituisse, qui Annibale ex Italia reiecto, quia illius ferocissimos conatus tempestiua cunctatione fregisset, Senatus, populiq; Romani, ac totius Italiæ cõsensu graminea donatus est corona: Plinius est author.

Siue quid stomachor.] Siue, inquit, cõsultatione opus sit, siue stomachari oporteat, tuam desidero præsentiam.

Τούτου δ' ἑσπομένοιο, &c.] Hoc sequente ab igne ardenti ambo reuertemur, quoniam valde nouit intelligere.

Imperii sui periclitetur.] Imperii sui discrimen, & periculum adeat.

Perosi sunt.] Id est, valde oderint. Vergilius: -Lucémq; perosi. Plautus simpliciter protulit, Inimicos perosa obtueri. Protulit & verbale, Incontinentem, inquit, atque osorem vxoris suæ. Priscianus, Odiosus, vt noui notus: ex quo perosus, & exosus. Excessum.] Mortem.

Palàm fecit.] Patefecit: nec palàm vnquam ad personam pertinet, vt Papi. in analogicis refert, corã verò sæpius: non enim palam Scipione, sed coram dicimus.

Agrippa iuuene.] Cum quo fuerat ab Augusto adoptatus.

Codicillis.] Literis.

Subduceret.] Tolleret.

Liuia.] Quæ vt mater cauere voluisset filii Imperio.

Neque imperasse se.] Ex qua inficiatione superior dubitatio orta est.

Inuidiam.] Odium.

Rem.] Agrippæ cædem.

Obliterauit.] Silentio, & obliuioni dedit.

Iure

PHIL. IVre tribunitiæ potestatis.] Aulus Gellius ex authoritate Varronis, & Arteii Capitonis ius fuisse tradit tribunis plebis habendi Senatus, quanquam Senatores non essent.

Spiritus deficeret.] Hoc est, vt ipse moreretur.

præstabat, sed verbo principatum abnuebat.

Onerosam seruitutem.] Diony. libro tertio De regno, docet principatum rem esse laboriosam, nec otio, & animi remissione, sed curis, & laboribus refertam.

De gemitu eius, & testamento Augusti in Senatu recitato. XXIII.

IVre autem tribunitiæ potestatis coacto Senatu, inchoatáque allocutione * derepente, velut impar dolori, congemuit, vtque non solùm vox, sed vt & spiritus deficeret, optauit, ac perlegendum librum Druso filio tradidit. Illatum deinde Augusti testamentum, non admissis signatoribus nisi Senatorii ordinis, cæteris extra curiam signa agnoscentibus recitauit per libertum. Testamenti initium fuit: Quoniam sinistra fortuna Caium, & Lucium filios mihi eripuit, Tyberius Cæsar mihi ex parte dimidia & sextante hæres esto. Quo & ipso aucta est suspicio opinantium, successorem adscitum eum necessitate magis, quàm iudicio, quando ita præfari non abstinuerit.

De acceptione principatus ad preces Senatus quasi coacta. XXIIII.

PRincipatum, quanuis neque occupare confestim, neque agere dubitasset, & statione militum, hoc est, vi, & specie dominationis assumpta, diu tamen recusauit, impudentissimo animo nunc adhortantes amicos increpans, vt ignaros quanta bellua esset Imperium, nunc precantem Senatum, & procumbentem sibi ad genua, ambiguis responsis, & callida cunctatione suspendens, vt quidam patientiam rumperent, atq; vnus in tumultu proclamaret: Aut agat, aut desistat. Alter coràm exprobraret, Cæteros quod polliciti sint, tardè præstare, seipsum quod præstet, tardè polliceri. Tandem quasi coactus, & querens miserã, & onerosam iniungi sibi seruitutẽ,

Librum.] In quo perscripta erãt illa, de quibus inchoauerat allocutionem.

Non admissis.] Non introductis in Senatum.

Signatoribus.] Notum est, signatores septem adhiberi signandis testamentis, vt ita nulla fraus adhibeatur: &, vt scribunt Iuriscõsulti, possunt omnes septem testes vno annulo signare testamentũ.

Sinistra.] Noxia, & lethifera.

Ex sextante.] Ex besse, hoc est, octo partibus hæreditatis, quæ diuiditur in duodecim partes assis, Tyberium instituit hæredem.

Quoniam ita præfari.] Sensus est: Quum in testamenti præfatione ita exorsus esset Augustus, se Tyberium instituere hæredem, propterea quòd fortuna sibi filios eripuerat: ex tali præfatione testamenti suspicati sunt omnes, Tyberiũ necessitate magis, quàm voluntate relictum fuisse hæredem ab Augusto orbato filiis.

Statione militũ.] Custodia militari.

Quãta bellua.] Tyrãnidi illud Horatianum accõmodari potest: Bellua multorum capitum es. Si homines scirent quantum mali lateat sub bracteata illa, & personata Imperii felicitate, omnes Imperiũ recusarent, tanquam plenum ærumnarum.

Cunctatione suspendens.] Sextus Aurelius de Tyberio scribens ait hæc: Deniq; delatum à patribus principatum, quod quidem astu perfecerat, ficté abnuere: quid singuli dicerent, vel sentirent, atrociter explorãs: quæ res bonos quoque pessundedit.

Aut agat.] Scilicet principem simpliciter, & aperté.

Aut desistat.] A principatu.

Quod præstet.] Tyberius re quidem principem se

M. A N. IVre tribunitiæ potestatis.] Nã eam potestatem in aliud quinquennium susceperat. Varro ad Opianũ scribẽs, Dictatorẽ, consules, prætores, tribunũ plebis, interregem, & præfectum vrbis, ius cogendi Senatus habuisse ait: ac præter hos extraordinario iure tribunos militares consulari potestate, decemuiros, quibus cõsulate fuisset Imperium, & triumuiros constituendæ Reipublicæ causa creatos. *de Republica.

Impar.] Non sufficiens.

Librum.] In quo erant ea, quæ ad patres erat relaturus.

Signatoribus.] Qui testamentum signarãt. Signare olim subscribere fuit.

Cæteris.] Quibus non licebat curiam ingredi.

Signa agnoscentibus.] Sua quisq; signa, aut suã quisque manum.

Per libertum.] Suum, an Augusti non dicit.

Ex dimidia parte, & sextante.] Ex duabus tertiis partibus.

Quo & ipso.] Qua etiam præfatione.

Confestim.] Cõtinuò post Augusti excessum.

Agere.] Se principis dignitatem vsurpare.

Statione militũ.] Militis præsidio circa se cõstituto.

Impudentissimo animo.] Omni pudore abiecto.

Quanta bellua.] Quàm difficilis, & ardua.

Imperiũ.] Imperii cura, & administratio.

Ambiguis respõsis.] Variis, & obscuris, & quibus haud facilè intelligi poterat, accepturus esset néche.

Callida.] Astuta.

Cũctatione.] Mora & hæsitatione.

Patientiam rũperent.] Id est, in stomachum illius ambitiosæ cauillationis, quam patienter tulerãt, prorũperent.

Aut agat.] Aut apertè agat principẽ.

Aut desistat.] Agere principem, quẽ verè agit: nam, vt dixi, continuò Augusto defuncto cœperat in multis

principis personam vsurpare.

Quod præster, tarde polliceri.] Satis vrbanè, & si non sine felle dictum, quasi diceret, Quum alii serò præstare soleant, quæ promiserint, hic quæ præstet (nam dudum re ipsa se principem agebat) cũctanter pollicetur.

rium pertinacissimè recusantes, & sibi summã Reipublicæ deferentes, incertum constantia, an pietate maiore, compescuir. Casum.] Periculum ne Germanico demandaretur Imperium, ipso exturbato, explosóque.

Nisi cum altero.] Talis est illa Homerica sentẽtia: Maior duobus aoimi præstantia est, plúsq; alacritatis, consiliique adest, quia alius aliud excogitat: at qui solus est, sibi ipsi plerunqoe diffidit, & apud diffidentiam suam consilii pondus intercidit.

recepit Imperium, nec tamen aliter, quàm vt depositurum se quandoque spem faceret. Ipsius verba sunt hæc: Dum veniam ad id tempus, quo vobis æquum possit videri, dare vos aliquam senectuti meæ requiem.

De causis, propter quas principatum recusauerat, & alijs gestis eius. XXV.



CVnctandi causa erat metus vndique imminentium discriminum, vt sæpe lupum se auribus tenere diceret. Nam & seruus Agrippæ, Clemens nomine, non contemnendam manum in vltionẽ domini comparerat: & L. Scribonius Libo vir nobilis res nouas clàm moliebatur: & duplex seditio militum in Illyrico, & in Germania exorta est. Flagitabãt ambo exercitus multa extra ordinem, ante omnia, vt æquarentur stipendio prætoriani Germanicianis. Quidam etiã principem detrectabant nõ à se datum, summáq; vi Germanicum, qui tum his præerat, ad capessendam Rempublicam perurgebant, quãquam obfirmatè resistentẽ. Quem maximè casum timens, partes sibi, quas Senatui libéret, tuendas in Republica depoposcit, quando vniuersæ sufficere solus nemo posset, nisi cum altero, vel etiam cum pluribus. Simulauit & valetudinem, quò æquiore animo Germanicus celerem successionem, vel certè societatem principatus opperiretur. Compositis seditionibus, Clementem quoq; fraude deceptũ redegit in potestatem. Libonem, ne quid in nouitate acerbius fieret, secundo demum anno in Senatu coarguit, medio temporis spatio tantùm cauere contẽtus. Nam & inter Pontifices sacrificãti

PHIL. LVpum auribus tenere.] Prouerbium est apud Græcos, λύκον τῶν ὤτων ἔχω. hoc est, Lupũ auribus teoeo. quod in re ancipiti periculosáque dici solet. Nã qui auribus lupum tenet, nec eum dimittere audet, nec retinere potest sine periculo. Hieronymus scribens aduersus Ioannem Origenistam sic ait: Nunc verò quasi auribus lupũ apprehenderis, nec tenere potes, nec audes dimittere. Apud Terentium quoq; in Phormione, iouenis amator in periculo collocatus vsorpat idem prouerbium.

Manum.] Multitudinem.

Scribonius Libo.] Hic erat ex familia illius Libonis Scribonii, qui sedem prætoris, & tribunal collocauit iuxta arcum Fabianum: quod puteal Libonis ab Horatio dictum est.

Extra ordinem.] Non contenti legitimis, extraordinaria deposcebant.

Germanicianis.] Germaniciani differunt à Germanicis, sicuti Hispaniẽses ab Hispanis, Sicilieoses à Siculis. Nanq; Germaoicianos vocat milites Romanos in Germania militantes. Idem infrà ait: Neque enim deteriores esse aot Hispaniensi exercitu, qui Galbam, aut Germanicianoo, qui Vitellium fecissent. Prætoriani.] Hi erant milites honorariores, qui Romæ, vt inferius declarabitur, habebant castra, qoæ prætoria dicebantur. A prætoriano olim exercitu Otho factus est Imperator.

Quidam.] Scilicet militum.

Principem detrectabant.] Tyberium recusabant.

A se.] Scilicet militibus.

Germanicum obfirmatè resistentem.] De hac re alibi sic scribit Tranquillus: Germanicus, excessu Augusti nunciato, legiones vniuersas Imperatorem Tybe-

Opperiretur.] Expectaret.

Clementem.] Agrippæ seruum: qui, vt dudum dixit, comparauerat armatos in vltionẽ domini interẽpti.

Libonem.] Qui res nouas clàm moliebatur.

M. AN. CVnctandi.] Vt delatũ Imperium cunctanter adiret.

Lupũ aoribus.] Prouerbiũ ab animalis natura sumptum: cõstat enim lupũ capite, & dentibus maximè pollere, contrà postremis esse partibus elumbem: sed quũ sit minime auritus, verè qui eum auribus tenet, io discrimine est.

Manum.] Armatorum agmen.

L. Scribonius Libo.] Ob Scriboniam sorotem, credo, aut matrem, vt alii aiunt, cui repudiatæ Augustus Liuiam, Tyberii matrem, superduxit vxorem.

Extra ordinẽ.] Præter legitimum stipendium.

Stipendio prætoriani.] Qoi Romæ erant, idem acciperent stipendium, quod & illi, qui sub Germanico militabant. Detrectabant.] Recosabant.

Summa vi.] Summa contentione.

Perurgebant.] Degrauabant, solicitũ reddebant.

Tuendas.] Defendendas, præsidio obtioendas.

Cum altero.] Cum collega vno.

Valetudinem.] Aduersam sobaudi.

Nouitate.] Noua Imperii admioistratione.

Secundo demum anno.] Quod anteà non ausus erat facere.

Medio tantùm temporis.] Dum ob Imperii nouitatem

simul, pro secespita plumbeum cultrum subiiciendum curauit: & secretum petenti non nisi adhibito Druso filio dedit, dextrámque obambulantis, veluti incumbens, quoad perageretur sermo, continuit.

De ciuilibus gestis eius in initio principatus. XXVI.



Erùm liberatus metu, ciuilem admodum inter initia, ac paulò minus quàm priuatum egit. Ex plurimis, maximísque honoribus, præter paucos, & modicos non recepit. Natalem suum plebeiis incurrentē Circensibus, vix vnius bigæ adiectione honorari passus est. Templa, flamines, sacerdotes decerni sibi prohibuit: etiam statuas, atque imagines, nisi permittente se poni: permisitque ea sola conditione, ne inter simulacra deorum, sed inter ornamēta ædium ponerentur. Intercessit & quò minus in acta sua iuraretur, & ne mensis September Tyberius,

tatem coarguere non est ausus.

Sacrificanti.] Liboni.

PHIL. PRo secespita.] Secespitam, authore festo, cultrum ferreum vocauerunt oblongum, manubrio eburneo, rotundo: quo flamines, flaminicæ virgines, pontificésque ad sacrificia vtebantur. Dicta autē est secespita à secando. Libū quoque, quod in sacrificio secespita secatur, secium dici voluerunt. Tyberius loco secespitæ plumbeum cultrum ideo subiici curauit sacrificanti Liboni, ne ab eo per simulationē sacrificii violari posset. Plūbeus enim culter obtusior est, habétq; aciem hebetiorem.

Secretum petend.] Liboni colloquium cum Tybetio secretū postulanti.

Dextram obambulantis.] Timēs Tyberius ne inter colloquendum, ambulandumque feriretur à Libone, illius dextram dissimulanter continebat, tanquam illi videretur incumbere, & inniti. Obambulare propriè est aduersum alios ambulare, & quasi ambulāti se opponere: hîc obambulantis simpliciter accipitur pro vnà, iunctímque ambulātis. Ouidius de Polyphemo dixit: Nocturnus obambulat. pro eo quod est, vltrò citróque ambulando discursat. Prisci obuaricatorem eleganti vocabulo dixere illum, qui cuipiam occurrebat, quò minus is rectum iter conficeret. Ciuilem egit.] Præstitit se non tanquam principem, sed tanquam ciuem, ac veluti priuatum: quem Græci πολίτην dicunt.

Plebeiis Circensibus.] Plebeii ludi dicti sunt, quos exactis regibus pro libertate plebis fecerunt, aut pro reconciliatione plebis cum patribus post secessionem in Auentinum: author Pedianus Asconius. Fiebant hi ludi mense Nouembri, quo natus est Tyberius: quod insinuat in secūda Verrinarū, cùm dicit: Secundū ludos plebeios, aut nulli, au pauci dies ad agendū futuri sunt.

Vnius bigæ.] Grammatici bigas pluratiuo numero dici debere contendunt, quoniam multitudinis numero tenentur. Nam sicut quatuor equi iuncti quadrigas faciunt, ita iūctos duos equos bigas vocamus. Authoritas tamen veterum, quæ pro ratione habenda est, bigā singulo numero dicit, sicut & quadrigam. Plinius libro xxxv. cap. v. In summo mausoleo est quadriga marmorea, quam fecit Pythis. Papinius in Thebaide:

Roriferum gelida tenuauerat aera biga. Bigas primùm iunxit Phrygū natio, quadrigas Erichthonius. Eadem quoque formula trigam dici tres equos simul iunctos, docent Iurisconsulti libro xxi. Digestorum, sic scribentes ad edictum ædilitium: Simili modo & si triga venierit, retinenda erit tota, & si quadriga, redhibeatur. A triga trigarium deriuatur; & accipitur pro curuli certamine trigarum. Corrigenda est mendosa dictio in calce operis Pliniani: nam vbi trigariis legendum est, tricariis passim fuit impressum. Verba Pliniana hæc sunt: Ne equos quidē in tricariis præferri vllis vernaculis animaduerto. Sensus est: Cùm Circenses aguntur curuli certamine bigarum, & quadrigarum, hūc solum sibi Tyberius honorem exhiberi voluit in ludis, vt ad celebrandum diem suū natalem adiiceretur pristino numero curruum biga vna nominis sui causa.

Flamines.] Singulis diis singuli flamines erant assignati, vt Dialis, Martialis, & Quirinalis. Sed de flamine latissimè explicatū est in Iulio Cæsare.

Statuas, & imagines.] Hæc duo disparauit, tāquam diuersa, sicut Historici fecerunt. Statuæ enim sunt æneæ, & lapideæ: imagines cereæ, & pictæ.

Ne intra simulacra.] Noluit Tyberius statuas suas collocari inter simulacra deorū, ne diis immortalibus æquari videretur: sed tantummodo collocari eas voluit vt essent templis ornamento: sicuti multa simulacra ad ornatum tantùm in templis ponuntur.

Ne mensis Tyberius.] Noluit à suo nomine menses appellari: sicut à Iulio Cæsare, & ab Augusto dicti sunt duo menses iunctim locati, Iulius, & Augustus.

PRo secespita.] Secespita, vt Festus docet, alii securim, alii dolabram æneam, alii cultellum putāt: verùm culter erat ferreus, oblongus, manubrio eburneo, iuncto ad capulū argento, auróq; fixo clauis æneis, quo flamines, pontificésq; ad sacrificium vtebantur: dictáq; est secespita à secando. M. AN.

Secretum.] secretiorem congressum.

Ciuilem.] Vt priuatū ciuem, & in ordinem redactū.

Honoribus.] Publico decreto delatis.

Plebeiis Circēsibus.] Sic Valerius, Plebeiis, inquit, ludis quidam paterfamiliâs. Et continuò in eodem capite, Præsultorem ludis Circensibus. quum de eisdem interim ludis loqueretur. Sed quid de ludorū varietate Liuius & Dionysius senserint, alio loco diximus.

Incurrentem.] Vt eodem tempore, quo ludi ipsi, ipsius natalis celebraretur.

Vnius bigæ adiectione.] Focas in arte, Vt excubiæ, inquit, manubiæ, primitiæ, ita bigæ, trigæ, & quadrigæ, multitudinis tantùm numero inflectuntur. Tranquillus tamen vnius bigæ dixit. Sensus est: Vna tantùm biga ob eius natalem vltra præscriptum est adhibita: sed per bigam cursum vnum bigarum nō absurdè intelligas. Inter simulacra deorum.] Nō in sacris ædibus.

In acta sua iuraretur.] Ne Senatus, populúsve se iuramento obligaret, fore vt ipsius acta inuiolata esset seruaturus. Tyberius.] A suo nomine.

October Liuius vocarentur. Prænomenquoque Imperatoris, cognoménque patris patriæ, & ciuicam in vestibulo coronam recusauit: ac ne Augusti quidem nomen, quãquam hæreditarium, vllis, nisi ad reges, ac dynastas, epistolis addidit. Nec amplius, quàm omnino tres Consulatus, vnũ paucis diebus, alterũ tribus mensibus, tertium absens vsque in Idus Maias gessit.

De adulationibus per eũ spretis & probibitis. XXVII.

ADulationes adeò auersatus est, vt neminem Senatorum aut officii, aut negotii causa ad lecticam suam admiserit. Consularem verò satisfacientem sibi, ac per genua orare conantem ita suffugerit, vt caderet supinus: atque etiam si quid in sermone, vel in continua oratione blandius de se diceretur, non dubitaret interpellare, ac reprehendere, & commutare continuó. Dominus appellatus à quodam, denuntiauit, ne se amplius contumeliæ causa nominaret. Alium dicentem sacras eius occupationes, & rursus alium authore eo Senatum se adiisse, verba mutare, & pro authore suasorem, pro sacris laboriosas dicere coegit.

De patientia eius aduersus conuicia, & maledicta. XXVIII.

SEd aduersus conuicia, malósque rumores, & famosa de se ac suis carmina, firmus, ac patiens súbinde iactabat, in ciuitate libera linguam, mentémque liberas esse debere. Et quondam Senatu cognitionem

PHIL. October Liuius.] Vel à matre Liuia, vel propter gentem Liuiam, vnde maternum Tyberio genus. Prænomeo Imperatoris.] E cõtrario Iulius Cæsar Imperatoris prænomeo inter cætera ornamenta recepit. Ciuicam in vestibulo.] De corona ciuica affatim dictum est in Iulio Cæsare. Illud io præsentia addendum, quòd ciuica corona facta est insigne clarissimum clementiæ Imperatorum: & olim Augustus ciuicam accepit ab humano genere. Hanc autẽ io vestibulo ædiũ Palatinarum poni solitam, quæ laurũ ante limina excubantem spectabat, docet Ouidius sic scribens:

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Aote fores stabis, mediámq; tuebere qoercum.

Idem in quarto Fastornm:

State Palatinæ laurus, prætextáq; qoercu
Stet domus: æternos tres habet vna deos.

Quercum enim vtrobique posuir Ouidius pro corona ciuica, quæ erat querna, quæ clemẽtiæ Imperatorum dicata in vestibnio figebatur vnà cum lauro, quæ ob idà Plinio dicitur ianitrix Cæsarum, pontificúmque: quæ & domos exornat, & ante limina excubat. Hanc ciuicam corooam sibi in vestibulo poni recusanit Tyberius, dum præbet se cinilẽ, & penè priuatum, sicut Cæsari Augusto fuerat posita.

Quãquam hæreditarium.] Qui scribitur hæres in testamento, io nomen testatoris recipitur, sicut de Pomponio Attico dictum est, qui appellatus est Cæcilius, testamento Cæcilii hæres factus.

Dynastas.] Græci Δυνάστας vocant domioos, & potentes: & Δυναστείαν vim & principatũ. Aushor est Strabo, reges dynastas vocari, propterea quòd plurimum possunt, polléntque, & populos, qnò velint, aut vi, aot persuasione perducant. Scribit Cæsar, Pompeinm magnam pecuniam exegisse à regibus omnibus, & dynastis, & tetrarchis. Cicero in Epistolis ad Atticum: Erit nebulo iste cum istis dynastis in gratia.

Ad lecticam.] Quando in lectica gestabatur.

Satisfacieotem.] Satisfacere est tantum facere, quãtum satis sit irato ad vindictam. Per genua orare.] Suprà dictum est, genua misericordiæ esse consecrata, quæ supplices attingunt, & vt aras adorant.

Suffugerit.] Retro fugerit, nolens à viro consulari adorari per genua. Caderet.] Scilicet Tyberius.

Blandius.] Quasi per assentatiooẽ, adulatiouémque: quæ mala in aulis principũ dominantur. Ioterpellare.] Interrumpere orationẽ illius, qui de se blandius loqueretur.

Cõtumeliæ causa.] Tanquam domini nomen contumeliosum foret. In hoc imitatus est Augustum, qui domini appellatiouẽ vt maledictũ semper exhorruit. Pro authore suasorẽ.] Author dicitur ille cuius authoritate aliquid sancitur: & talis in veneratione est. Liuius: Id sic ratũ esset, si patres authores fierent. Idem frequenter ait: Populus iussit, patres authores facti. Suasor verò est longè authore minor, tanqnam consiliarius. Vnde Tyberius, vt se ciuilẽ, ac penè priuatum præstaret, non author, sed snasor dici voluit: nec occupatiões suas sacras appellari, tanquam Imperatoris, & dei, sed laboriosas, tanquam ciuis, & priuati. Súbinde.] Frequenter.

Linguam mentémq; liberas.] Vt vnusquisqoe liberè loqni posset id, quod animo mentéque sentiret. Mens quidem adeò libera est, vt etiam in serno nõ sit addicta seruituti: sed sæpe liognæ libertas suo nocet authori. Mortifera enim homines interdum loquuntur, vt ait Plinius in XIIII. redituráſqne per iugulum voces noo continent, multis ita ioterempris. Voluntates verò, vt dicebat Cato Censorius, oeq; legibus, neque pœnis fiunt obnoxiæ.

M. A N. LIuius.] Liuia matre. Ciuicã coronã.] Plin. libr. XVI. cap. IIII. Hinc ciuicæ coronæ, militũ virtutis insigne clarissimũ. Iam pridẽ verò & clementiæ Imperatorum, postquã ciuilium bellorũ profanatione meritum cœpit videri cioem oon occidere. Dynastas.] officii oomen, cùm alioqui δυνάστης dominũ significet regno potentem. Satisfacientem.] Veniã petẽtem. Ita suffugerit.] Sese illi subtraxerit.

Caderet

Caderet supinus] Tyberius scilicet. Cõmotare.] Vt suasotem pro authore, labotiosas pro sacris dicere coegisset. Coouicia.] Pro brosa verba.

Iactabar.] Identidem dicebar.

PHIL. DE eiusmodi criminibus.] Malis rumoribus, conuiciis, atque authoribus famosorum carminum.

modum Reipublicæ, sed ad labem, detrimentáque pertinent. Dicimus enim monopolia, quando vnius mercis in ciuitate vendendæ solus ius habet. De monopoliis hæc Plinius: Magnum fraus, & ibi lucrum monopolium inuenit: de oulla re crebrioribus Senatusc õsultis, oullóque uoo principe adito querimoniis prouincialibus.

de eiusmodi criminibus, ac reis flagitante, Non tantum, inquit, otii habemus, vt implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc fenestrã aperueritis, nihil aliud agi sinetis: omnium inimicitiæ hoc prætextu ad vos deferẽtur. Extat & sermo eius in Senatu perciuilis: Siquidẽ locutus aliter fuerit, dabo operam, vt rationem factorum meorum dictorúmq; reddã: si perseuerauerit, inuicẽ eum odero.

De ueneratione eius ad Senatum. XXIX.



ATque hæc eò notabiliora erant, quòd ipse in appellandis, venerandísque singulis, & vniuersis propè excesserat humanitatis modum. Dissentiens in curia à Q. Haterio, Ignoscas, inquit, rogo, si quid aduersus te liberiùs, sicut Senator dixero. Et inde omnes alloquens dixit: Et nunc, & sæpe aliàs, Patres Conscripti, bonum, & salutarẽ principem, quem vos tanta, & tam libera potestate instruxistis, Senatui seruire debere, & vniuersis ciuibus sæpe, & plerunq; etiam singulis, neque id dixisse me pœnitet, & bonos, & æquos, & fauentes vos habui dominos, & adhuc habeo.

Item de eodem, & de pristina authoritate Senatus per eum seruata. XXX.



QVin etiam speciem libertatis quandam induxit, conseruatis Senatui, ac magistratibus & maiestate pristina, & potestate: neque tam paruum quicquam, neq; tam magnũ publici, priuatíque negotii fuit, de quo non ad Patres Conscriptos referretur. De vectigalibus, ac monopoliis, de extruendis, reficiendísve operibus, etiam de legendo, vel exauctorando milite, ac legionum, & auxiliorum descriptione, denique quibus imperium prorogari, aut extraordinaria bella mandari, quid, & *quã formã regum

*qua forma regũ literas

Si hãc fenestrã.] Delatoribus hanc viam, hũc aditum. Prouerbialis locutio est, quæ ex illo Terentiano ducta videtur: Hui, quan tam fenestrã ad nequitiã patefeceris.

Hoc prætextu.] Sub hoc velamento conuiciorũ & famosorũ carminũ.

Deferentur.] Quando inimicus vlcisci volet, inimicum criminabitur eũ detraxisse principi.

Si perseuerauerit.] Hoc dicebat Tyberius de oblocutore, & osore sui nominis, se odio illum habiturum, si in odio & ipse perseuerauerit.

A Q. Haterio.] Fortassis hic est ille Quintus Haterius, qui dictus est ingenium habere in numerato, vt sine monitore tacere non posset: de quo egregiè Cæsar Augustus: Haterius noster sufflaminandus est. De hoc Hieronymus, & Seneca oon pauca.

Sicut Senator.] Mira Tyberii ciuilitas, qui se Senatorem dicit, noo Imperatorem.

Tam libera potestate.] Quoniã libera, & legibus soluta est potestas Imperatoria.

Vos habui dominos.] In hoc Tyberius excedit humanitatis modum, dum habere se dicit dominos Senatores: quibus paulò pòst, tanquam seruis, ipse tanquam dominus dominari cœpit.

Et adhuc habeo.] Tanquam in posterum habiturus sit périnde, ac rogata mancipia.

De monopoliis.] Legimus apud Iustinianum, monopolia nou esse iotromittenda, quoniam oon ad com

Exauctorando milite.] Auctoratur miles, quando auctoramento obligatur, scribitúrque in militiam: sicut exauctorari dicitur, quã do dimittitur à militia, & insignibus militaribus exuitur.

Legionum, & auxiliorum.] Antè dictum est, legiones dici militũ Romanorum, auxilia externorũ: seruabatúrque illa apud Romanos cautio, ne maior numerus esset auxiliariorum, quàm legionariorum.

Prorogari.] Augeri noua rogatione.

M. AN. NOn tantum otii habemus.] A publicis curis.

Si hanc fenestram.] Hunc ad calumniam aditũ.

Omniom inimicitiæ.] Vt alii alios, qui inter se inimici sint, deferant.

Quinto Haterio.] Fuit is promptus, & popularis orator, vt Eusebius scribit.

Sicut Senator.] Quẽ dicere oportet quæ sentiat ad Rempublicam pertinere.

Habui dominos, & habeo.] Aperta confessione se in ordinem redegit.

Speciem.] Similitudinem.

Monopoliis.] Monopolium, vno verbo Latinè exprimi noo potest: locus est vnicus in ciuitate constitutus ad aliquid veodendum. πωλεῖν Græcè vendo, μόνον vnum dicunt.

Exauctorando milite.] Insignia adimendo, si ad ignominiam id referas: alioqui militiæ legibus soluendo.

literis rescribi placeret. Præfectum alæ, de vi, & rapinis reum, causam in Senatu dicere coegit. Nunquam curiam, nisi solus, intrauit: lectica quondam introlatus æger, comites à se remouit.

De patientia eius contra obtrectatores. XXXI.

QVædam aduersus sententiam suam decerni, ne questus quidem est. Negante eo, destinatos magistratus abesse oportere, vt præsentes honori acquiescerent, Prætor designatus liberam legationem impetrauit. Iterum censente, vt Trebianis legatam in opus noui theatri pecuniam ad munitionem viæ transferre concederetur, obtinere non potuit, quin rata voluntas legatoris esset. Quum Senatusconsultum per discessionem forte fieret, transeuntem cum in alteram partem, in qua pauciores erant, secutus est nemo. Cætera quoque non, nisi per magistratus, & iure ordinario, agebantur, tanta

PHIL. PRæfectum alæ.] Superius annotauimus, præfectos alarum dici eos, qui præsunt equitibus alariis. Alæ autem exercitus, sunt equitum ordines, ab eo dictæ, quòd circum legiones dextra sinistráque, tanquam alæ in auium corporibus, collocabantur. Cognitio de causa præfecti, qui reus erat, ad Imperatorem iudicesve militares spectabat. Voluit tamen Tyberius vt in Senatu ageretur: & ita docet quantum authoritatis ab initio principatus detulerit ordini Senatorio.

Nisi solus.] Côtrà vituperatur Antonius, quòd curiã Romanã cũ Ithyreis, & armatis satellitibus intraret: sederéntq; μαχαιροφόροι in sedilibus Senatorum. Specimen boni principis est, quum solus incedit sine stipatoribus, cùm solus intrat curiam.

Aduersus sentẽtiam suã decerni.] Scribit Tertullianus in Apologetico, Tyberium olim detulisse ad Senatum de CHRISTO consecrando, cum prærogatiua suffragii sui: Senatum, quia non probauerat, respuisse, & aduersus sententiam Tyberii, ne Deus consecraretur effecisse.

Abesse oportere.] Tyberius asserebat, eos, qui essent designati magistratus, & electi ad magistratum ineundum, non oportere abesse ab vrbe Roma, vt ita præsentes honori, hoc est magistratui concesso acquiescerent. Tamen contra Tyberii voluntatem, qui erat prætor designatus, obtinuit à Senatu, vt abesse posset, impetrata libera legatione.

Liberam legationem.] Libera legatio dari solet, quando quispiam solo legati nomine, veluti ornamento decoratus, ab vrbe discedit, non magis in hac prouincia, quàm in illa fungens officio legati. Cicero in oratione pro Flacco scribit, legationes liberas multos sæpe viros bonos sumpsisse causa nomina exigendi. Opinatur idem M. Tullius, quòd liberæ legationes habeant definitum tempus ex lege Iulia. Idem ad Atticũ scribens: A Cæsare, inquit, valde liberaliter inuitor in legationem illam, sibi vt sim legatus. Atque libera legatio voti causa datur. Idem in prima Antonianarum refert, se habuisse liberum ius legationis. Plutarchus in Gracchis refert, Senatum Scipioni Nasicæ liberam legationem in Asia decreuisse, quum ob mortem Tyberii Gracchi, cuius author fuerat ipse Nasica, videret plebẽ aduersus illum malè animatã, & iam de vindicta cogitantem. Legationis liberæ meminit etiã Brutus in epistolis. Trebianis.] In Latio sunt Trebulani populi cognomine Balimenses, vbi laudatissimus caseus conficiebatur: de quibus ait Epigrammatarius poeta:

Trebula nos genuit, commendat gratia duplex,
Siue leui flamma, siue domamur aqua.

Prope Trebulanos sunt & alii populi nomine Trebiani, authore Plinio lib. III. Naturalis Historiæ, de quibus loquitur Tranquillus. Fuerũt alteri quoque Trebulani in Sabinis cognomine Mutoesti.

Rata voluntas legatoris.] Legator est, qui in testamento pecuniam legat: legatarius, cui legata est. Sensus est: Legator legauerat Trebianis pecuniam hac conditione, vt ea pecunia nouũ theatrũ extruerent: censebat Tyberius, eam pecuniam ad viam muniendam esse transferendam, tanquam ea foret vtilior impensa: sed obtinere non potuit: & ita rata, stabilísque mansit voluntas legatoris.

Senatusconsultum per discessionem.] M. Varro in epistola ad Opianum scripta, Senatusconsultum fieri duobus modis tradit: aut per discessionem, si consentiretur: aut, si res dubia esset, per singulorũ sententias exquisitas. Sed Atteius Capito affirmat, & Tubero dicebat, nullum Senatusconsultũ fieri posse non discessione facta: quia in omnibus Senatusconsultis, etiam in his, quæ per relationem fierent, discessio esset necessaria. Est autem discessio, quando pedibus discedunt in sententiam eius, qui in Senatu retulisset. Et hoc est, quod apud Historicos identidem reperies pedibus iuisse Senatores in sententiam. Liuius: Sed tum quoq; verbo assentiebat, aut pedibus ibat. De Senatusconsulto per discessionem fieri solito sic scribit Gel. in XIV. cap. XVIII. Quid igitur quum Senatusconsultum per discessionem fiebat, nónne vniuersi Senatores sententiam pedibus ferebant? Hinc non pauci opinantur, pedarios Senatores appellatos, qui in alienam sententiam pedibus ibant, quum ipsi sententias non rogarentur. Cicero discessionem hanc significat in epistola ad Lentulum scribens: Frequentes iere in alia omnia.

M. AN. PRæfectum alæ.] Cuius ordinis alæ præferri consueßent, in Augusto diximus.

Destinatos magistratus.] Quibus Senatus, aut populus magistratum destinasset.

Trebianis.] Trebanis melius, à Treba Latii oppido, cuius Ptolemæus meminit. Plinius: Trebani, Tusculani, Verulani.

In opus noui theatri.] Vt nouum ex legata pecunia theatrum constitueretur.

Ad munitionem viæ.] Vti in publicæ viæ lapidibus sternendæ sumptum pecunia transferretur.

Legatoris.] Eius qui pecuniam legarat.

Per discessionem fieret.] Quæ ratio esset Senatusconsulti per discessionem faciundi, quæ item per sententiarum rogationem, Gellius docet.

Queren

Consulum authoritate, vt legati ex Africa adierint eos, querẽtes trahi se à Cæsare, ad quem missi forent. Nec mirum, cùm palàm esset, ipsum quoq; eisdem assurgere, & decedere via.

De ciuilibus & urbanis gestis eius. XXXII.



Orripuit consulares exercitibus præpositos, quòd non de rebus gestis Senatui scriberent, quódque de tribuendis quibusdam militaribus donis ad se referrent, quasi nõ omnium tribuendorum ipsi ius haberent. Prætorem collaudauit, quòd honore inito, consuetudinem antiquam retulisset de maioribus suis pro concione memorandi. Quorundam illustrium exequias vsque ad rogum frequentauit. Parem moderationẽ minoribus quoq; personis, & rebus exhibuit. Quum Rhodiorum magistratus, quòd literas publicas sine subscriptione ad se dederant, euocasset, ne verbo quidem insectatus, ac tantummodo iussos subscribere remisit. Diogenes grammaticus disputare sabbathis Rhodi solitus, veniẽtem, vt se extra ordinem audiret, non admiserat, ac per seruulum suum in septimum diem distulerat: hunc Romæ salutandi sui causa pro foribus adstantem, nihil amplius, quàm vt post septimum annum rediret, admonuit. Præsidibus onerandas tributo prouincias suadentibus rescripsit, Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere.

PHIL. QVerentes trahi.] Conquerentes, se à Cæsare Tyberio in longum protrahi, nec sua negotia expediri. Palàm esset.] In propatulo, in aperto. Eisdem.] Consulibus. Assurgere.] Honoris causa, tanquam dignioribus. Tradunt Historici, Syllam Dictatorem solitum fuisse de sella assurgere priuato Pompeio, & equo descẽdere, & caput adaperire. Seruius enarrans illud Vergilianum:

Tmolus assurgit quibus, & rex ipse Phaneus. sic ait: Assurgit, significat cedit, quod tractum est à sedentibus, qui in honorẽ alicuius surgere cõsueuerũt. Hinc eleganter ab Ausonio dictum est:

Assurgit Musæ nostra camœna tuæ.

Decedere via.] Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum: Certè Romanus Populus quanto honore semper virgines Vestæ habuerit, hinc apparet quòd Consules & Imperatores, & in curribus triumphantes, & omnis dignitatis gradus eis de via cedere solitus sit. Plautus in Trinummo: Decedam ego de via, de semita, de honore populi.

Ad se referrẽt.] Cùm ad Senatum referre debuisset, cuius authoritatẽ videri volebat ampliorem.

Retulisset.] Renouasset, restituisset.

De maioribus.] Non Tyberii, sed ipsius prætoris.

Vsque ad rogum frequentauit.] In quo cadauera ipsa cremabantur Lex in duodecim Tabulis translata de Solonis legibus, ad sumptus minuendos pertinens, de lignis politis rogum fieri vetat. Numæ regis lex est: Vinum rogo ne respergito.

Sine subscriptione.] Per obliuionem, incuriámq; scribæ. Subscriptio, qua nomen mittentis literas signari solet, omissa fuerat in literis publicis Rhodiorum.

Extra ordinem.] Cupiebat Tyberius audire grãmaticum non illa ordinaria formula disputantem.

Euocasset.] Ex insula Rhodo Romam euocatos venire iussisset.

Ne verbo quidem.] Citra omnem verborum castigationem: ne quidem vnico verbo cũ morsu prolato.

Remisit.] Rhodon.

Sabbathis.] Diebus festis Iudæorum.

Venientem.] Scilicet Tyberium. Et hoc factum est illo tempore, quo Tyberius erat in secessu apud Rhodios. Non admiserat.] Intra auditorium.

Post septimum annũ.] In numero iocatus est: nam sicut grammaticus renunciauit Tyberio, vt ad audiendum veniret septimo die, ita Tyberius illum monuit, vt ad se salutandũ rediret anno septimo: qui est itidem apud Iudæos sacer, & feriatus, vt dies septimus.

Tondere pecus, non deglubere.] Pecus glubi dicitur, cui pellis detrahitur: vt author est Festus. Scribit M. Varro in primo de re rustica, glumã dici folliculum grani, à glubẽdo, quòd eo folliculo deglubatur granum, hoc est, decorticetur. Catullus: Glubit magnanimos Remi nepotes. Per hanc bracteatã sententiam significare volebat Tyberius, prouinciales à præsidibus non esse vsq; ad viuum despoliandos. Nam, vt inquit ille,

Ossa vides regũ vacuis exucta medullis. Simile illud est Ecclesiasticum: Qui nimis emungit, elicit sanguinẽ. Iosephus li. XVIII. Antiquitatũ refert Tyberium dicere solitũ, magistratus semel datos ideo se iugiter permittere illis, quibus fuerint concessi, quòd intelligeret consuli per hoc, & præstare ex magna parte subiectis. Exemplúmque illud de ægroto muscas non abigente commemorabat, quo demonstratur, rectores prouinciarum diuturnos, iam saturos opibus, minus esse rapaces, minúsque despoliare prouinciales: contrà nouos, vtpote famelicos, & esurientes, incitari ad rapinam, prædámque subiectorum.

M. A N. ASsurgere.] Consulibus venientibus.

Decedere via.] Quod officii causa dignioribus præstatur.

De maioribus suis.] De suorum maiorum laudibus pro concione disseruisset.

Vsque ad rogum frequentauit.] Non contentus funeris pompam duxisse, nisi cadauer etiam rogo impositum spectasset.

Moderationem.] Mansuetudinem, & æquitatem. Hæc quis non videt diuini principis officia, ni certè assimulata essent? quod euentus postea declarauit.

Subscriptione.] Quod apparebat negligentia potius, quàm fraude factum.

Item de eodem, & alijs gestis eius. XXXIII.



PAulatim principem exercuit, præstititq;, etsi varium diu, commodiorem tamen sæpius, & ad vtilitates publicas proniorem: ac primò eatenus interueniebat, ne quid perperam fieret. Itaque & constitutiones quasdam Senatus rescidit, & magistratibus pro tribunali cognoscentibus, plerunque se offerebat consiliarium, assidebátque * iuxtim, vel ex aduerso in parte primori. Et si quem reorum elabi gratia, rumor esset, subitus aderat, iudicésque aut è plano, aut è quæsitoris tribunali, legum, & religionis, & noxæ, de qua cognoscerent, admonebat: atque etiam si qua in publicis moribus desidia, aut mala consuetudine labarent, corrigenda suscepit.

De impensis ludorum, ac munerum taxatis, & alijs gestis eius. XXXIIII.



LVdorum, ac munerũ impẽsas corripuit, mercedibus scenicorũ rescissis, paribúsq; gladiatorum ad certũ numerũ redactis. Corinthiorum vasorum pretia in immensum ex-

Euocasset.] Accersiuisset.

Sabbathis Rhodi.] Sabbathorum diebus.

Io septimum diem.] Qui de die in diem per seruũ trahendo in septimum, qui disputationis erat, illius ad se aditum distulerat, vt publicæ, credo, dispntationi interesset, io qua liceat artem ostentare: vel certè septimo pòst die redire iussus est: oam & Græculo Romæ responsum est, vt post septimum annum ad Tyberium veniret.

Deglubere.] Excoriare, nudare. Cato: Salictum suo tempore cædito, glubito, arctéque alligato, librum conseruato. Catullus: Nũc in quadriuiis, & angiportis Glubit magnanimos Remi oepotes. Varro: Quòd eo folliculo deglubatur granom.

PHIL. ET si varium.] Modò booum, modò malum principem.

Eatenus.] Eousque, & ad eũ modulum.

Perperam.] Iniquè, non rectè.

Rescidit.] Titulus est apud Valerium De rescissis testamentis. Est enim rescindere, nõ ratum habere, & irritum facere, quod constitutum fuerat.

Iuxtim.] Propè.

Elabi gratia.] Reus elabi dicitur gratia, qoando corruptis iudicibus vel largitione, vel amicitia, vel potentia euadit sententiam damnatoriam.

Subitus.] Ex imporouiso, & præter expectationẽ.

E plano.] Ex loco inferiori, &, vt dicitur, ex terra.

Quæsitoris tribnnali.] Hîc quæsitorem illom intelligimus, qui, authore Ascooio, præest quæstioni criminalium quæstionum: de quo ait Maro:

Quæsitor Minos vrnam mouet.- Et Claodianus:

-Quæsitor in alto

Conspicuus solio pertentat crimina Minos.

Legum admonebat.] Scribit Asconius, iudices iurare solitos in leges, vt obstricti religione iudicarent. Iurabant autem omues, præter ipsum quæsitorem, se ex animi sententia iudicaturos citra omnem affectionem: & nomina eorum libellis continebantur. Admonebat igitur Tyberins iudices, vt meminissent se iurasse in leges, quæ regere debent, non regi, & obstrictos religione iudicaturos.

Noxæ.] Admonebat etiam, vt noxam, hoc est culpam, & crimen Illud, de quo cognoscerent, diligenter pensitarent.

In poblicis moribus.] Vel institutis, vel quæ pertinerent ad publica iudicia: erant enim & priuata iudicia.

Coosuetudine labarent.] Vacillarent, & quasi deprauata forent.

Munerũ Impensas.] Tyberius restrinxit, & contractiores fecit impensas, quæ in spectaculis gladiatoriis immensæ fieri solebant. Nam mercedes, quæ scenicis, hoc est, histrionibus dari solebant, rescidit, imminoitque: & paucioribus gladiatorum paribus ludos gladiatorios exhiberi præscripsit.

* mistim

Exarsisse.] Excreuisse. Simili verbo vsus est Varro in tertio de re rustica: Cœnæ collegiorum excandefaciũe anoonam macelli. Plinius de nobilitate æris Coriothii scribens sic inquit: Mirum, qnom ad Infinitum operum pretia hæc creuerint, authoritas artis extincta sit.

M. A N. PRincipem exercuit.] Principis maiestatem.

Et si varium.] Benignum nunc, & clementem, nũc sæuũ & immitem.

Cõmodiorem.] Magis quàm sænum, aut importunũ.

Eatenus.] Eousque, iotantum.

Perperam.] Peruerse, & iniquè.

Rescidit.] Irritas fecit.

Cognoscentibus.] Rerum cognitionibus intentis.

Consiliarinm.] Tanquã consiliarium. Verg. - Exultat Amazon. Ex aduerso.] Contra illorũ tribunal.

Parte primori.] Superiore loco.

Elabi.] Euadere.

Gratia.] Iudicum ambltione.

E plano.] Ex æquo loco.

Quæstoris.] Quippe qui capitalia, vt allo loco moostrauimns, crimina exeqoebatur.

Legum, & religionis.] Ordo est: Admonebat iudlces religionis, & noxæ, vt memores essent iurisiurãdi, cui se de seruanda lege adstrinxerant: necnon & sceleris, de quo indicaturi essent.

In publicis moribus.] In patriis institutis.

Mala coosuetudine.] Abusu.

Labarent.] Infirma essent.

Corripuit.] Contraxit.

Scenlcorum.] Eorum qui ln scena operam præstarent. Capitolinus author est, Antonioũ principem præmia scenicorum aurels taxasse, lta, ne summa aureorum decem transcenderetur.

arſiſſe, tréſque mullos triginta millibus nummûm veniſſe grauiter conqueſtus, adhibendum ſupellectili modum cenſuit. Annonámque macelli, Senatus arbitratu quotannis temperandam, dato Aedilibus negotio, popinas, ganeáſque

PHIL. TRes mullos.] Mulli piſces ſunt, quibus apud priſcos nobilitas fuit, & gratia maxima, ſicut magnitudo modica: binas enim libras ponderis rarò admodum exuperant. Vnde ab Horatio in morſum luxurioſorum luculenter dictum eſt: - Laudas inſane trilibrem Mullum, in ſingula quem minuas pulmenta neceſſe eſt. Vulgus mullos vernacula lingua barbones appellat. Nanque, authore Plinio, barba gemina inſigniuntur inferiori labro. Hinc à Cicerone in Paradoxis, & à Varrone in tertio de Re ruſtica, barbatuli, & barbati mulli nūcupati. Non omittendum eſt hoc in loco id, quod tradit Seneca libro tertio Quæſtionum, qui caſtigans luxuriam Romanorum, ſparſim, intercisímque hæc refert: Parum recens mullus, niſi qui in conuiuæ manu moritur. Vitreis ollis incluſi offeruntur, & obſeruatur morientium color, quem in multas mutationes morte luctante ſpiritus vertit. Alios necant in garo, & condunt viuos. Ad hoc faſtidium peruenere ventres delicatorum, vt guſtare non poſſint piſcem, niſi quem in ipſo conuiuio natantem palpitantémque viderint. Ad mortem mulli concurritur: nihil mullo moriente formoſius: non ſunt ad popinam dentibus, & ventre, & ore contenti: oculis quoque guloſi ſunt. In hanc Senecæ ſententiam ait Plinius noſter in I X. mullum expirantem verſicolori quadam, & numeroſa varietate ſpectari proceres gulæ narrant, rubentium ſquamarum multiplici mutatione palleſcentem, vtique ſi vitro ſpectetur incluſus. Feneſtella nomen his à colore mulleorum calceamentorum datum putat. Sunt autem mullei calcei regum, & patritiorum, à mullando, Id eſt ſuendo dicti: de quibus ſic ait Vopiſcus in Aureliano: Calceos mulleos, & hederaceos, & albos viris omnibus abſtulit, mulieribus reliquit. Pertinet ad enarrationem huiuſce loci exemplum illud cō memorare, quod idem Seneca retulit lib. Epiſtolarum moralium decimoquinto, ſic ſcribens: Mullum ingentis formæ (quare non pondus adiicio, & aliorum gulam irito, quatuor pondo librarum fuiſſe aiebant) Tyberius Cæſar miſſum ſibi, cùm in macellum deferri, & venundari iuſſiſſet, Amici, inquit, omnia me fallunt, niſi iſtum mullum aut Apitius emerit, aut P. Octauius. Vltra ſpem illi coniectura proceſſit: ambo liciti ſunt: vicit Octauius, & ingentē conſecutus eſt inter ſuos gloriam, cùm quinque ſeſtertiis emiſſet piſcem, quem Cæſar vendiderat, nec Apitius emerat. Hinc à Iuuenale dictum videtur:

- Mullum ſex millibus emit
Aequantem ſanè paribus ſeſtertia libris.

Veniſſe.] Venditos fuiſſe.

Supellectili.] Ad Corinthia vaſa hoc referendum, quæ ſunt in ſupellectile.

Annonam macelli.] Hoc ad mullorum piſcium pretium enorme eſt referendum. Alibi docuimus, macellum dici locum, in quo quæ ad victum pertinent, vendi ſolent: vnde annona macelli tam de piſcibus, quàm de auibus, reliquiſque ad victum pertinētibus Latinè, & eleganter dicitur. Cicero: Si Epicuri de voluptate liber corroſus eſſet, putarem annonam in macello cariorem fore. Plautus in Aulularia: Venio ad macellum, rogito piſces, indicant caros, agninam caram, caram bubulam, vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia.

Dato ædilibus negotio.] Docet Dionyſius Halicarnaſeus in ſexto Antiquitatum, ad officium ædilium pertinuiſſe, vt curam haberent annonæ forenſis, copiæque cibariorum. Hæ ſunt edictiones ædilitiæ. Hi apud Græcos ἀγορανόμοι vocantur, à foro rerum venalium, cui regulam præſcribunt. Hinc eſt illud Plautinum ex Captiuis: Euge, edictiones ædilitias hic quidem habet: mirúmque adeò eſt, niſi hunc fecerūt ſibi Aetholi agoranomum.

Popinas.] Popinæ ſunt diuerſoria guloſorum, in quibus vnctiora cibaria cocta venduntur: à popa, quæ pinguitudo eſt, popinæ nomen deriuari videtur. De popa Perſius:

- Aſt illi tremat omento popa venter.

De popina Horatius:

- Fornix tibi & vncta popina
Incutiunt vrbis deſiderium. -

Manilius:

Infamem, fœdam, turpémque odiſſe popinam.

Hinc popinones apud priſcos dicti, qui ſe popinis dediderunt: & popinatio nuncupatur à Gellio, quæ alio nomine dicitur helluatio, quam Græci ἀσωτίαν vocant. Extat luculentum Adriani Imperatoris reſcriptum ad Florum poëtam: Ego nolo Florus eſſe, Ambulare per tabernas, Latitare per popinas, Culices pati rotundos.

Ganeas.] Ganeæ, ſunt loca vinolentiæ, gulæ, libidini apta: à quibus ita ganeones dicti, vt à popina popinones. Exiſtimat Donatus, ganeum dici à terra, quam Græci γῆαν vocant: quaſi terrarium meretricis domicilium. Apud Plinium frequens eſt, & penè peculiaris hæc dictio, accipitúrque pro loco, in quo cibaria guloſorum eſculentiora concinnantur, & pro ipſa quoque ingluuie, & cibariis. Ait enim in octauo loquens de ſue: Neque alio ex animali numeroſior materia ganeæ: quinquaginta propè ſapores, cùm cæteris ſinguli. Idem in XIX Quoniam portenta quoque terrarum in ganeam vertimus. Sidonius: Diſruptum ganea ſtomachum nulla res ſarcire melius, quàm parſimonia ſolet. Columella: Vt apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem laconicis excoquimus. Sunt autem laconica, vt Columellæ verba percipias, loca in balneis, in quibus ſudor elicitur ſicco calore, vt docet Cor. Celſus in ſecundo. Vitruuius in quinto de Architectura, laconicum, ſudationéſque coniungi debere tepidario præcipit.

M. AN. TRéſque mullos.] Mullum ab Aſinio Celere emptum octo millibus nummûm Plinius ait. Feneſtella credidit illi nomen à mulleorum calceamentorum colore datum. Magnitudo piſci, vt idem author ſcribit, modica, bináſque libras pondere rarò admodum exuperat. Mutianus octoginta librarum in mari Rubro captum prodidit. Cicero & Varro barbatum eſſe mullum tradiderunt. Plinius, Rubentium, inquit, ſquamarum multiplici mutatione palleſcentem ſpectari proceres gulæ narrant. Quam ſanè ſpeciem hodie in eo piſce agnoſcimus, quem vulgò barbonem Veneti vocant.

Supellectili modum.] Vt ad Corinthiorum pretium id referas, macelli verò annonam ad mullos triginta millibus emptos.

Ganeas.] Vinolenta loca, ac libidinibus apta: vnde & ganeo. Varro: Hoc intereſt inter Epicurum, & ganeones noſtros. Cicero: Quis ganeo, quis adulter, quæ mulier infamis? Veterum quidam & ganeum, vt Feſtus ait, dixere locum abditum, & velut ſubterraneum. Terentius: Vbi illum quæram? credo abditum in ganeum.

vſque eò inhibendi, vt ne opera quidem piſtoria proponi venalia ſinerent. Et vt parſimoniam publicam exemplo quoque iuuaret, ſolennibus ipſe cœnis pridiana ſæpe, ac ſemeſa obſonia appoſuit, dimidiatúmque aprum affirmans omnia eadem habere, quæ totum. Quotidiana oſcula prohibuit edicto: item ſtrenarum commercium, ne vltra Calendas Ianuarias exerceretur. Conſueuerat quadruplam ſtrenam & de manu reddere, ſed offenſus interpellari ſe toto menſe ab iis, qui poteſtatem ſui die feſto non habuiſſent, vltrà non reddidit.

PHIL. Opera piſtoria.] Quæ ſint opera piſtoria, eleganter monſtrat Apuleius, qui ſic ſcribit in decimo de Aſino aureo: At illorum alter piſtor dulciarius, qui panes, & mellita concinnabant edulia. & pòſt paulò: Hic panes, cruſtula, iucunculos, hamos, lacertulos, plura ſcita méta mellita. Apud Martialé diſtichoo hoc legitur, cui lemma, id eſt titulus præponitur, Piſtor dulciarius:

Mille tibi dulces operum manus iſta figuras
Extruit: huic vni parca laborat apis.

Heliogabalus, authore Lampridio, dulciarios habuit, qui de dulcibus exhiberent quæcunque coqui de diuerſis eduliis exhibuiſſent. Vbi dulciarius ſimpliciter ſignificat concinnatorem edulium mellitorum, & operis piſtorii dulcedine conditi.

Solennibus cœnis.] Feſtis diebus, nuptiis, repotiis, Calendis, natalibus, Saturnalibus, feriiſque quibuſdam ſolennibus fiebaut cœnæ ſolennes, quibus lautius epulabantur, fiebátque ſumptus profuſior.

Pridiana obſonia.] Tyberii parſimonia per hoc ſignificatur, qui ſuperioris cœnæ reliquias ſemicomeſas apponeret in cœnis vel ſolennibus: cùm non principes, ſed ſordidi hæc facere conſueuerint. Pridiana à pridie, hoc eſt priori die, dicuntur obſonia. Refert Spartianus, Iulianum tantæ parſimoniæ fuiſſe, vt per triduum porcellum, per triduum leporem, diuideret. A Tranquillo infrà dicitur pridianus cibus. A Plinio pridiana balnea. Sic enim ait in vigeſimooctano: Cauentur pridiana balnea.

Semeſa.] Semicomeſa. Eadem forma ſemeſum dicitur, qua ambeſum, & comeſum.

Dimidiatum aprum.] Dimidiatum, hoc eſt quaſi diſmediatum, & in partes duas pates diuiſum. Dimidium verò eſt, nũ quod ipſum dimidiatum eſt, ſed quæ ex dimidiato pats altera eſt: author Gellios in tertio. Vnde à Lucilio dictũ eſt, Voo oculo, pedibúſque duobus dimidiatus, vt Porcus. & Plautus in Menæhmis: Dies ad vmbilicum dimidiatus mortuus eſt. Item Marcus Cato, Homines, inquit, defoderunt in terram dimidiatos. In cœnis autem lautioribus priſcorum bini, & terni mandebantur apri: quidam etiam apponebantur milliarii, ſic appellati à pondere mille librarum: qoorum Varro, & Seneca meminerunt.

Quæ totum.] Tanquam idem ſapor ſit io fruſto, & particula apri, qui eſt in integro.

Quotidiana oſcula.] Moris fuit apod Romanos, authore Catone, propinquos fœminis oſculum dare, vt ſcirent an temetum olerent: hoc tum vino nomen erat, vnde & temulentia appellata. Hinc oſculandi conſuetudo inducta eſt: quãuis Plutarchus io Problematis, alias huiuſce rei cauſas tradat. Martialis libro vndecimo, hanc oſculatorum, baſiatorúmque moleſtiam inſectatur illo epigrammate, Effugere non eſt, Baſſe, baſiatores: Inſtant, morantur, proſequuntur, occurrunt. Edicto Tyberii ſublata eſt oſculatio quotidiana. Quod non ad oſcula fœminarum referendum eſt, ſed virorũ, qui officii cauſa oſculis quotidianis in ſalutatiooe vtebantur. Oſcula enim officiorum ſunt, baſia pudicorum affectuum, ſuauia libidinum vel amorum: ſicuti docet Donatus enarrans illud Terentianum, O Thais mea, meum ſuauium. Vbi ait, tria eſſe oſculandi genera, oſculum ſcilicet, baſium, & ſuauium.

Strenarum commercium.] Viciſſitudioem dandi, & accipiendi ſtrenas. Xenia enim mittebãtur, & apophoreta remittebantur. Vnde Martialis ſtrenas Saturnalitias duobus libris diſtinxit nomine xeniorum, & apophoretorum. Dictum eſt in Auguſto, vnde ſtrenæ nomen deducatur. Cùm ſtrenarum dies legitimus foret Calendæ Ianuariæ, hoc eſt principium anni, noluit Tyberius vltra illum diem ſtrenas viciſſatim dari.

Quadruplam ſtrenam.] Hoc eſt officium liberalis principis, non ſolùm quadruplicata, ſed etiam multiplicata, longéque vberiora munera remittere, quàm acceperit. Nam, vt dicere ſolebat Artaxerxes, regalius eſt dare, quàm accipere.

Interpellari toto menſe.] Toto Ianuario diſturbari per interpellatiooem eorum, qui ſtrenas ooo acceperant.

Die feſto.] id eſt Calendis Ianuariis.

M. AN. Opera piſtoria.] Ieoracula, mellitóſque panes. Mart.

Surgite iam, pueri, vendit ieoracula piſtor.

Plinius: E ſiligine laudatiſſimos panis, piſtrinarúmqoe opera laudatiſſima. Erant enim dulciarii piſtores, de quibus rurſus vrbaniſſimus poëta:

Mille tibi dulces operum manus iſta figuras
Extruit: huic vni parca laborat apis.

Solennibus.] Nataliriis, aliíſque ſacrorum cauſa religionéve paratis.

Pridiana.] Pridie illius diei appoſita.

Semeſa.] Semiconſumpta.

Dimidiatum aprum.] In duas æquales partes diuiſum, non integrum, qualis apponi in conuiuiis, & lautioribus cœnis conſueuerat. Iuuenalis:

- Quanta eſt gula, quæ ſibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum.

Seruilius Rollus primus, vt Plinius ſcribit, integrum aprum in conuiuio appoſuit.

Omnia eadem.] Quicquid enim in vna dimidiati apri erit parte, erit & in altera: tantundé enim vtraque ſibi vendicat. Verùm eadem dixit, quoniam ſapores in apro quàm plurimos eſſe conſtat. Plioius eſt author.

Quotidiana oſcula.] Ne qui quotidie ſibi obuii eſſent, mutuò, vt moris fuit, ſe oſcularẽtur, quia parũ pudicè à multis id fieret. De quotidiana oſculandi ratione Martialis: Quum tot offendunt baſiatores.

Strenarum commercium.] Excipiendæ ſtrenæ, reddendæque conſuetudinem: etenim abſenti Auguſto populum ſtrenam in Capitolio dare ſolitum ſatis conſtat.

Quadruplã.] Quadruplo maiore, quàm accepiſſet.

Interpellari.] Impediti, à rebus gerendis auerti.

Die feſto.] Quo ſtrenam dediſſet.

Vltrà noo reddidit.] Aut reddere perſeuerauit.

Prop

De quibusdam bene gestis per eum. XXXV.



MAtronas prostratæ pudicitiæ, quibus accusator publicus deesset, vt propinqui maiorum more de communi sententia coercerent, author fuit. Equiti Romano iurisiurandi gratiam fecit, vxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se nunquam repudiaturum antè iurauerat. Fœminæ famosæ, vt ad euitandas legum pœnas, iure, ac dignitate matronali exoluerentur, lenocinium profiteri cœperant: & ex iuuentute vtriusque ordinis profligatissimus quisque, quò minus in opera scenæ, arenæque edenda Senatusconsulto tenerentur, famosam iudicii notam sponte subibãt: eos, eásque omnes, ne refugium in tali fraude cuiquã esset, exilio affecit. Senatori latum clauum ademit, quũ cognouisset

PHIL. PRopinqui maiorum more.] Maiores nostri nullam, ne priuatam quidem, rem agere fœminas siue authore voluerunt: in manu esse parentum, fratrum, virorum. Scribunt Iurisconsulti, in primis ad patrem, & maritum pertinere coercitionem, accusationémque matronarum impudicarum. Cõsimiliter Tyberius voluit vt proximi, & necessarii coercerent, puniréntque matronas suas impudicitia famosas.

Iurisiurandi gratiam.] Vt scilicet liber esset ab illo iureiurando, quo iurauerat, se nunquã vxorem repudiaturum: cùm illam repudiasset deprehẽsam in generi sui adulterio. Cõcipere iusiurandũ quid sit, ex verbis Taciti intelligi potest lib. secundo: sic enim inquit, de delatoribus loquens: Signo vltionis in accusatores dato, petit à Cæsare Iunius, vt commentariorum principalium potestatem Senatui faceret, per quos nosceret quem quisque accusandum poposcisset. Consulendum tali super re Princeps respondit. Senatus inchoantibus primoribus iusiurandũ concepit, quo certatim omnes magistratus, cæteri vt sententiam rogabantur, deos testes aduocabant, nihil ope sua factum, quo cuiusquam salus læderetur, &c.

Stupro.] Ex Iulia stuprum, & adulteriũ promiscuè appellat, sed propriè adulterium in nuptam committitur, stuprum verò in virginem viduámve. Stuprum quoque pro turpitudine, antiquos dixisse apparet ex Næuii carmine sic scribentis: Perire malunt ibidem, quàm cum stupro redire ad suos populares.

Famosæ.] Infamia notatæ: nam ferè semper famosus accipitur in partem deteriorẽ. Illud verò Iuuenalis: Famosos equitum cum Dictatore magistros: magis fumosos legendum esse, quàm famosos alibi docuimus. Non inficior aliquando cum laude dici famosum, sed id rarenter. Apuleius: At ille vir alioqui grauis, & sobriæ religionis obseruatione famosus. A Iulio Firmico famosi oratores dicuntur cum laude, tertio Matheseos.

Ad euitandas legum.] Leges multæ sunt, quæ pœnas irrogant matronis infamibus: quas leges vt euitarent fœminæ famosæ, dignitate matronali exui, exoluíque curabant per lenocinii professionem. Nullus ignorat, notari infamia eos, eásve, qui, quæ've lenocinium fecerint. Lenocinium autem facit, vt docet Vlpianus lib. tertio Digestorum, qui quæstuaria mancipia habuit. Item qui hunc quæstum in liberis exercet. Pomponius Iurisconsultus & eum notari hac infamia ait, qui in seruitute peculiaria mancipia prostituta habuit.

Vtriusque ordinis.] Senatorii, & Equestris.

Profligatissimus.] Profligatum dicimus deperditum, & ad perniciem deductum: author Gellius. Inde profligatissimos homines vocamus perditissimos, & in quibus nihil est salubre, nihil integrum.

In opera scenæ.] Qui operas suas arenæ locauit, vt cum bestiis depugnaret, Senatusconsulto postulare prohibetur, sicuti scribit Vlpianus Digestis de postulando. Illi quoque, qui operas suas scenæ locabant artis ludicræ causa, infamia notabantur.

Senatusconsulto.] Erat Senatusconsultum vetus, quo vetabantur edere operam in scena & arena.

Famosam iudicii notam.] Sensus est: Damnari volebant, & infamia notari per iudicium, quo damnati infames fiunt, vt ita possent scenæ, arenæq; impunè inseruire veluti famosi.

Eas.] Hoc ad fœminas famosas referendum est.

Latum clauum.] Ne vestem Senatoriam induere possent: ac per hoc Senatoria dignitate hominem priuasse videtur. Est enim latus clauus, vt antè dictum est, insigne vestimentum ordinis Senatorii.

M. AN. PRostratæ.] Disiectæ, amissæ, perditæ.

Accusator publicus.] Qui publicè, & ex legis præscripto accusaret.

Maiorum more.] Dionysius, Cognati, inquit, simul cum viro de iis iudicabant, in quibus erat corporis corruptio.

In stupro generi.] Quam gener constuprasset.

Dimitteret.] Diuortium cum ea faceret.

Famosæ.] Infames, probris coopertæ.

Legum.] Iuliæ scilicet, & aliarum, adulteria, similiáque flagitia vindicantium.

Lenocinium profiteri. Quæstuarias ancillas habere lenas, vt Vlpianus ait, eas dixere, quæ quæstuarias puellas prostituerent.

Iure ac dignitate matronali.] Si enim vt matronæ flagitii conuictæ essent, lege mulctabantur. Ius matronale id intelligitur, quo vsus stolæ, honestiorísque cultus erat pudicis mulieribus concessus: famosæ non stolatæ in mediũ, sed togatæ procedere cogebantur. Mart.

Vis dare quæ meruit munera? mitte togam.

Cæterùm matresfamiliæ, vt idem author ait, omnes, quæ honestè viuerent, communi appellatione dicebantur: mores enim, non fortuna id fecit discrimen: nec nuptáne esset, an vidua: ingenuæ, an libertinæ conditionis, multum interest: vita spectabatur, non diuitiæ, non forma, non natales.

Vtriusque ordinis.] scilicet patricii, & equestris.

Profligatissimus.] Perditissimus, vitæque deploratissimæ.

Senatusconsulto.] Quo in scena descendere prohibebantur. Ad scenicas operas Cæsar, & gladiatorias equitibus Romanis vsus est, prius quàm Senatusconsulto intercederetur. Famosi iudicii notam.] Quasi dicat: De industria aliquid patrabant, quò dignitate caderent, esséntque ob id minus legibus obnoxii. Eos, eásque.] Tam mares, inquit, quàm fœminas eiusmodi fraudem secutos. Latum clauum.] Vsum lati claui.

sub Calendas Iulii demigrasse in hortos, quò vilius post diem ædes in vrbe conduceret. Alium*& quæstura remouit, quòd vxorem pridie sortitione ductam, postridie repudiasset.

* è

De exteris ceremonijs, & ritibus per eum probibitis. XXXVI.



Xternas ceremonias, Aegyptios, Iudaicósq; ritus cópescuit, coactis qui supersti-

PHIL, SVb Calendas Iulii.] Obseruatè, curioséque animaduerti ex lectione eruditorum, morem hunc fuisse apud veteres Romanos, vt Calendis Iulii migrarent, hoc est transirent ex domibus priùs conductis in domos recenter conductas: sicuti apud oos fieri solet die festo diui Michaelis. Tunc enim omoes inquilini migrant cum sarcinulis, & tota supellectile in nouas conductas domos. Et hoc est, quod significauit Martialis illo epigrammate: O Iuliarum dedecus Calendarum, Vidi Vacerra sarcinas tuas, vidi. Et Cicero idem significare videtur in quadam epistola scribens: Calendis Iulii remigrandum est. Idem apertius in epistola ad Quintum fratrem sic scribit: Domus tibi ad lucum Pisonis Liciniana conducta est: sed, vt spero, paocis mensibus post Calendas Quintiles in tuam commigrabis: tuam in Carinis mundi habitatores conduxerunt. Est autem sensus: Senator sub diem Calendarum Iulii demigrauit ex conductis ædibus in hortos, nullis adhuc ex more Romano conductis ædibus, vt post illum diem, qui legitimus erat locationi, & conductioni ædium, viliori pretio posteà domum pristinam conduceret ab eodem locatore: cùm ille, iam exacto legitimo die locationis, oon facilè alium conductorem posset inoenire. Hanc vafritiam ex auaritia, & sordibus prouenientem ita puniendam duxit Tyberius, vt illi Senatori adimeret vestem Senatoriam, & Senatoriæ dignitatis insignia.

Demigrasse.] Titulus est apud Iurisconsultos De migrando, quod proprium est conductoris: quo habetur ratio inquilini, qui soluta pensione pro conductione domus vult migrare. Laurentius Vallensis lib. v. cap. xv. Migro, decedóque, sic à discedo, recedóq; differũt, quòd migrare est domicilium mutare, & aliò se ad habitandũ conferre, relicta priore habitatione. Similia huic sunt, emigrare, demigrare, cõmigrare. Remigrare autẽ, reuerti in pristinum domicilium. Transmigrare, est in longinquioris loci domicilium, habitationémve migrare. Immigrare, in domom aliquam habitandi gratia ire.

Postridie repudiasset.] Talis est illa apud Hieronymum seotentia: Quasdam repudiatas altero nuptiarum die statim nupsisse legimus. Vterque reprehendendus, maritus, & cui tam citò displicuit.

Sortitione ductam.] Noua ducendæ vxoris formola, coniugium committere sortitioni. Vnde minimè mirandum est, si postridie nuptiarũ repudiata est vxor, quæ sortitione ducta fuerat. Apud Plautum in Casina, Chalinus, & Olympio, eõiectis in sitellam sortibus, sortiuntur super coniugio Casinæ. Iudicum sortitio qualiter fieret, docet Asconius in Diuinationẽ, vbi post plurima ait: Deinde in vrnam sortitò mitti, vt de pluribus necessarius numerus confici posset. Tertiò permitti accusatori ac reo, vt ex illo numero reiicerent, quos putarent sibi iniquos, aut aliqua ratione incommodos fore. Reiectione autem facta, in eorum locum, qui relecti fuerant, Prætor alios subsortiebatur, quoad numerus legitimus impleretur: quæ subsortitio dicebatur. Nam prima delectio sortitio erat, hæc autẽ subsortitio. His peractis, iudices in leges iurabant, vt obstricti religione iudicarent. Cùm iurassent omnes præter prætorem, nomina eorum libellis continebantur, & vbiqoe habebantur, ne pro selectis iudicibus (vt fit in multitudine) aliqui suppositi, corruptique iudicarent.

Aegyptios ritus.] Referunt Iosephus libro decimooctauo Antiquitatum, & Egesippus libro secundo historiarum, exemplum Paulinæ matronæ Romanæ, quæ in templo Isidis à iuuene quodã nomine Mũdo, qui illã deperibat, constuprata est fraude sacerdotum Isiacorum: qui pecunia corrupti sub specie Annubidis amatorem Paulinæ amplexibus copulauerũt: quod vbi Tyberius rescìuit, sacerdotes cum liberta Mundi, quæ omniũ malorum extiterat coagulũ, adegit in cruces, templum Isidis euertit, statuã ipsius deæ in Tyberim iactari præcepit: Mundum autem exilio condemnauit, dignũ eum maiore pœna non iudicans, quòd amoris vehementia deliquisset. Prætere a iussit Tyberius, cunctos Iudæos vrbe Roma excedere. Ob hæc videtur Tranquillus dixisse Aegyptios, Iudaicósque ritus ceremoniarum, qui Romæ increbrescebant, fuisse à Tyberio coercitos, repressósve. Quòd autem superstitiosi fuerint Iudæi, Aegyptiíque, docent testimonia priscorum. Nam & Apuleius in Floridis, Iudæos, tanquam accommodato epitheto, superstitiosos appellat. & Trismegistus ab Aegyptiis animalia coli, & per singulas ciuitates, quæ illorum nominibus nuncupantur, adorari refert. Si quis vult Aegyptiorum superstitiosas ceremonias vberius cognoscere, legat Historicos, in primis Herodotum, ac Diodorum, & Apuleium in vltimo Metamorphoseos.

POst illom diem.] Sub id enim tempus magna pars ciuitatis in villas, & suburbana loca migrabat, domósque próinde viliùs, exonerata ciuitate, locari solitas crediderim: quem sordidom quæstum securus ille dignus creditus est, qui ea ignominia notaretur. Si enim locum probro datum accipias, fuisset Tyberius eodem crimine notandus, qui Rhodo reuersus in Mecœnatianos hortos migrauit. M. AN.

Et quæstura.] Quæstorio munere priuaoit. Hi aotẽ Quæstores lictores, & vestem, & insignia quæstoria habebant: quod Cicero his verbis asserit: Plancius lictoribus dimissis, insignibus abiectis ad me profectus est.

Sortitione.] Ex pluribus vnam duxisset, tam æqoa conditione, vt connubii fortunam sorti permittere nõ dubitasset: quo haud dubiè apparet inconstantia, & leuitate tam citò facti pœnituisse, aut certè nubendi sibi fœminæ illudere voluisse.

Compescuit.] Inhibuit.

Ea superstitione.] Superstitionem veri Dei cultũ appellat. Sed erat lucis Tranquillus, & veritatis expers, idcirco non mirum. Iosephus diuersa à Tranquillo videtur mihi tradere: quòd Tyberius ob Paulinam nobilem fœminam Satornini coniugem in templo Isidis sacerdotum fraude à Mundo quodam equestris ordinis cõstupratam, Isiacos sacerdotes in crucem sublatos, templũ funditus euersum, statuã Isidis io Tyberim deiici iussam, Iudæos verò ob pecuniã religionis nomine cuidã Fuluiæ à falsis quibusdam Mosaicæ legis interpretibus expressam, iussos populariter ob id flagitiom vrbe excedere: quatuor millia eius iuoentotis militantes à Consulibus in Sardiniam missos. Est enim Sardinia pergrauioris cæli insula, vt Liuius docet.

Relig

tione ea tenebantur, religioſas veſtes cum inſtrumento omni comburere. Iudæorum iuuentutem, per ſpeciem ſacramenti, in prouincias grauioris cæli diſtribuit: reliquos gentis eiuſdem, vel ſimilia ſectantes vrbe ſummouit ſub pœna perpetuæ ſeruitutis, niſi obtemperaſſent. Expulit & mathematicos: ſed deprecantibus, ac ſe artem deſituros promittentibus, veniam dedit.

PHIL. Religioſas veſtes.] De religioſis Aegyptiorum veſtibus hæc Herodotus: Sacerdotes linea ferunt veſtimenta, ſemper recèns abluta, huic rei ſemper vacantes. Iidem calceos papyraceos geſtant, aliam veſtem, aut alios calceos induere eis fas non eſt. Genitalia circuncidunt ritu Iudæorũ. Plinius quoq; lib. XIX. cap. 1. ſcribit, fruticem gigni in Aegypto, quẽ alii goſſipion vocant, plures xylon: & ideò lina inde facta xylina: ex quibus veſtes ſacerdotibus Aegyptiis gratiſſimæ ſiunt. Quinetiã Apuleius ceremonias Aegyptiorum luculenter explicãs ſic ait: Influunt turbæ ſacris diuinis initiatæ, viri, fœminæque omnis dignitatis, linteæ veſtis candore puro luminoſi. Ab hac veſte linea poetæ linigeros appellant ſacerdotes Iſidis deæ Aegyptiorum. Ouidius:

Nũc dea linigera colitur celeberrima turba. Iuueo.
Cũ grege linigero circũdatus, & grege caluo. Mart.
Linigeri fugiunt calui, ſiſtratáque turba.

Iudæorum verò ſacerdotales veſtes quales forent, Hieronymus in epiſtola ad Fabiolam de veſte ſacerdotali, & Ioſephus libro tertio Antiquitatũ, idem libro ſexto belli Iudaici copioſe perſcribunt. Ex quibus hæc pauca collegimus: Communes ſacerdotum, pontificũmque apud Iudæos veſtes erant linea feminalia, quibus verenda celantur, quæ de byſſo retorta ob fortitudinem contexi ſolebant. Secunda ex lino tunica eſt talaris, duplici ſindone, quã Ioſephus byſſinam vocat, hoc eſt lineam. Hæc arcta eſt, & ſtrictis manicis. Tertium veſtimenti genus eſt, quod cingulum, & balteum, & zonã dicimus, quod in rotundum textum erat, vt marſupium longius videretur. Erat autem ſubtegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, & byſſino ſtamine diſtinctum. Quartum genus eſt veſtimenti rotundum pileolum, quaſi dimidiata ſit ſphæra. Hoc tiaram, nonnulli galerum vocant. Erat autem byſſinum, hoc eſt lineum, & ſic eleganter fabrefactum, vt nulla acus veſtigia forinſecus apparerent. Peculiaria verò pontificis veſtimenta erãt, tunica hyacinthina talaris, in cuius extremo ſeptuagintaduo ſunt tintinabula, & totidem mala punica alternatim contexta. Eſt & ephod: ita enim Hebraica lingua dicitur, quod ſuperhumerale Latini vocãt. Eſt & λόγιον: ita enim Græcè nuncupatur, quod nos rationale poſſumus appellare: cui intexti ſunt duodecim lapides pretioſi. Eſt & lamina aurea, in qua ſcriptum erat nomen Dei Ineffabile, quæ vitta hyacinthina conſtringitur. Horũ omnium veſtimentorum ab eruditis ſcriptoribus myſticus ſenſus, & ſpiritalis panditur intelligentia. Hæ ſunt veſtes religioſæ, quibus Romæ vtebantur ſectatores ſuperſtitionis Aegyptiæ, ceremoniæque Iudaicæ, quas omnes, iubente Tyberio, comburere coacti ſunt, cum omni inſtrumento. Ita enim legendum eſt, non autem veſtimento. Nanque inſtrumenti nomine intelligimus reliqua omnia, præter veſtes, accommodata celebrandis ceremoniis Aegyptiaci ritus, atque Iudaici. Quod autem fuerit id inſtrumentum ad religionem pertinens, colligimus ex Leuitico, Ioſepho, Hieronymo, aliiſque ſcriptoribus luculentis. Erant enim inter cætera ſeptem lucernæ, candelabrum, menſa, turibulum, vncini, emunctoria, vectes, fuſcinulæ, & id genus alia ſacris neceſſaria. Lectio veſtimenti, neque ſententiæ quadrat, neque elegantiæ Tranquilli conuenit.

Iudæorum iuuentutem.] Hoc idem refert Oroſius eiſdem verbis.

Grauioris cæli.] Aeris peſtilentioris. Grauitas enim cæli noxia eſt. Cicero ad Atticum: Iam corpore vix ſuſtineo grauitatem cæli huius. Ioſephus libro XVIII. Antiquitatum author eſt, quatuor millia Iudæorum militaotium miſſa eſſe in inſulam Sardorum: quæ, vt ſcribit Strabo in quinto, morboſa eſt æſtiuo potiſſimũ tempore: vnde peſtilẽs idoneo epitheto nuncupatur à doctis. Hinc Cicero quendam Sardum culpans, peſtilentiorem eum eſſe dicit patria ſua. Et à Martiale eleganter dictum eſt: Cùm mors venerit in medio Tybure, Sardinia eſt. Cælum pro aere frequenter vſurpari, ſatis conſtat, & teſtatur Lucretius ſcribens:

-In hoc cælo, qui dicitur aer.

Mathematicos.] Cor. Tacitus: Mathematici genus hominũ potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in ciuitate noſtra & vetabitur ſemper, & retinebitur. De mathematicis ſatis ac ſuper antè dictum eſt.

Artem deſituros.] Mathematicam, aſtrologiæq; disciplinam fallacem omiſſuros. Ita Cicero in epiſtola ad Marium, Libenter, inquit, me hercle artem deſinerem, tecúmque, & cum ſimilibus noſtri viuerem. Eſt enim deſinere artem, renuntiare arti, atque relinquere. Vnde ars deſita eleganter dicitur relicta, & omiſſa. Au. Gellius in decimoquinto: Omniũ tum Athenienſium conſenſu diſciplina tibiis canendi deſita eſt.

Religioſas veſtes.] Sic habent omnia, quæ vidimus, exemplaria: ſed Veſtas legendum eſſe contenderim, vt Veſtas pro ſacris locis, ſiue foculis, quibus ſacra fiebant, accipias. Dionyſius: Vnicuique triginta curiarum Veſtæ collocatæ, vbi ſacrificabant curiæ. & rurſus Numa ſuſcepto Imperio nequaquam mouit curiarum Veſtas. Siquidem Veſta ἀπὸ τῆς ἑστίας, id eſt à foco, in quo ignis alitur, eſt dicta. Quum ita ſit igitur, Veſtas dixeris, id eſt focos, ſiue inſtrumenta ad ſacrificandũ apta: cum omni inſtrumento, id eſt velorum apparatu, atque ſacrificulorum amictu: ſi enim veſtes cum omni veſtimento legas, non aliud certè ſit dicere, quàm veſtes cum veſtibus: vt non minus facetè aliquis in Tranquillum id rideat, quàm Euripides apud Ariſtophanem comicorum facetiſſimum illud Aeſchyli χρῆσον σὺ μάκτραν εἰ δὲ βούλει κάρδοπον. Accommoda tu mactram: vel ſi vis, arcam panariam: quare meritò & illud Δὶς ταὐτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος: Bis idem nobis dixit ſapiens Aeſchylus. M. AN.

Per ſpeciẽ ſacramenti.] Legitimæ militiæ prætextu.

Grauioris.] Peſtilentioris: in Sardiniam ſcilicet, vt Ioſephus ſcribit.

Reliquos.] Iudaici ritus, ſiue Aegyptiaci ſtudioſos.

Summouit.] Deiecit.

Mathematicos.] Aſtrorum peritos: & ſi mathematicæ artes non ſolùm aſtrorum contineant, ſed & arithmeticæ, muſicæ, & geometriæ rationem: verùm ſyderali ſcientia freti multi futura prædicebant. Mathematicorum in demonſtrationibus mos eſt, ex primis probare ordine ſequẽtia, & ſimul atq; theorema quoddam cõpererũt, illi ſtatim vt cõfecto adnectũt, aſſuúntque aliud, & illi rurſus aliud atq; aliud ſerie perpetua.

De quibusdam bene gestis per eum tam Romæ, quàm extra. XXXVII.



IN primis tuendæ pacis à grassaturis, ac latrociniis, seditionúmque licẽtia curam habuit. Stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit. Romæ castra constituit, quibus prætorianæ cohortes vagæ ante id tempus, & per hospitia dispersæ, continerentur. Populares tumultus exortos grauissimè coercuit: & ne orirentur, sedulò cauit. Cæde in theatro per discordiam admissa, capita factionum, & histriones, propter quos dissidebatur, relegauit: nec vt reuocaret, vnquam vllis populi precibus potuit euinci. Quum Pollentina plebs funus cuiusdam primipilaris non priùs ex foro misisset, quàm extorta pecunia per vim hæredibus ad gladiatorium munus, cohortem ab vrbe, & aliam à Cotii regno, dissimulata itineris causa,

PHIL. A Grassaturis.] In Augusto docuimus qui sint grassatores, atque grassaturæ: vbi declarauimus congruere bono principi repurgare regnum suum à grassatoribus, cæterísque id genus flagitiosis hominibus.

Stationes.] Custodias militares.

Romæ castra constituit.] De castris prætoriis, quæ erãt in extrema vrbis parte constituta, meminit Plinius his verbis: Ad extrema tectorũ cum castris prætoriis ab eodẽ milliario per vicos omnium viarum mensura colligit paulò amplius septuaginta millia passuum.

Prætorianæ cohortes.] Inter cæteras cohortes honoratissimæ erant cohortes prætorianæ, quæ excubabãt pro prætorio, hoc est tabernaculo Imperatoris, neque ab ipso prætore discedebant. Scipio Africanus instituit vt prætoriani milites stipendium sesquiplex acciperẽt, hoc est integrum & dimidiatum. Dictum est suprà quemadmodum prætores dicti sunt omnes qui præsunt exercitui: vnde prætorium, tabernaculum Imperatoris vocatur: & cohors, & porta, & nauis prætoria dictæ.

Sedulò.] Diligenter.

Capita factioonum.] Principes factionum histrionicarum. Antiquitus histrionum & quadrigariorum factiones dicebantur, erátque id vocabulum honestum. Alíquando factio signat opulentiam & abundantiam. Plautus in Aulularia: Istas magnas factiones nihil moror.

Populi precibus.] Qui histrionibus carere non poterat: erat enim Romanus populus in primis mancipatus histrionibus, & addictus propter ludicra spectacula: quod infrà clariùs illustrabitur.

Polleotina plebs.] Plinius scribit, Pollentiam oppidum fuisse in maiore Balearium. Fuit & altera Pollentia iuxta alpes inclyta lanarum nobilitate, sicut meminit Columella in octauo: de qua Silius in octauo Punicorum:

- Fuscíque ferax Pollentia villi.

Fuerunt & Pollentini in Piceno, in quinta Italiæ regione, non multùm distantes à Tollentinatibus: vt indicat idem Plinius in tertio. De Pollentinis subalpinis loqui videtur Tranqnillus, eò maximè, quòd de regno Cotii dicit euocatam fuisse cohortem.

Cuiusdam primipilaris.] Scribit Liuius in septimo, primum centurionem esse, quem nunc primipilum appellant. Vegetius quoque de primipilo sic tradit in secundo: Centurio principali non solùm aquilæ præerat, sed quatuor centurias, hoc est quadringentos milites gubernabat in prima acie, erátque caput legionis. Hinc primipilarem dici existimo non tam militem, qui fuerit sub centurione primipili, quàm ipsum centurionem, qui olim præditus fuerit hac dignitate: & ea forma dicitur primipilaris, qua consularis.

Ex foro misisset.] Honoris causa funera per forum ducebantur. Horatius:

Concurrántque foro tria funera. -

Ad gladiatorium munus.] Sensus est: Pollentina plebs non priùs permisit funus primipilaris duci pompaticè per forum, quàm extorsit ab hæredibus pecuniam ad edendum spectaculum gladiatorum: ex quo indignatus Tyberius dissimulanter intra Pollentiam immisit milites ad Pollentinos malè mulctandos.

Aliam à Cotii regno.] Ab alpibus Cotiis, quibus propinqua erat Pollentia: & fortassis hæc erat vna ex Cotianis ciuitatibus, quas duodecim numero fuisse refert Plinius. Cotum regnasse in Thracia, tulisséque auxilia Pompeio ciuilibus bellis, docet Cæsar in Commentariis: & Lucanus testatur illo versu:

Tunc Sadalum, fortémque Cotum. -

Sed alpes Cotiæ dictæ sunt à Cotio rege, qui perdomitis Gallis eas extruxit molibus magnis compendiarias, & viantibus opportunas: qui in amicitiam Octauiani principis receptus est, vt Ammianus Marcellinus author est.

Romæ castra constituit.] Quæ ad eam diem nulla fuerant, sed prætorianæ cohortes vagæ non vno habere loco statiua solebant. M. AN.

Propter quos.] Ex his apparet, histriones suas factiones, velut aurigas habuisse.

Pollentina plebs.] Pollentia vrbs iuxta alpes. Plinius: Hispania nigri velleris, sed præcipuas habet Pollentia iuxta alpes. vnde illnd:

- Fuscíqne ferax Pollenria villi.

Sint licet qni alterã in Hispania esse dicant, de ea nunc, quæ vicina est alpibus, intelligi oportet.

Primipilaris.] Primipilares milites erant, qui signa circũstabant, qui mutata militiæ ratione Pilani sunt dicti: primipilus centurio, qui nõ modò aquilæ præerat, sed quatuor centurias etiam in prima acie gubernabat.

· Misisset.] Mitti passa esset, id est deferri. Extorta.] Vi expressa. Ad munus gladiatorium.] Vt ex ea gladiatorium munus in defuncti, credo, memoriam ederent: sed inuitis hæredibus id factum, hinc vltio secuta.

Ab vrbe.] Roma. A Cotii regno.] Nero Cotio defuncto eius regnum in alpibus in prouinciæ formam redegit: parebat tum Conus Romano Imperio, aut certè socius erat. Est & Cotium in eisdem alpibus oppidũ non obscuri nominis. Strabo: Per Vocontios, & Coniĩ vsque Gernum. & rursus: Per Vocontiorũ fines ad Cotium. Plinius: Finitimi Centrones Cotianæ ciuitates.

Detect

detectis repentè armis, concinentibúſque ſignis, per diuerſas portas in oppidum immiſit, ac partem maiorem plebis, ac Decurionum in perpetua vincula coniecit. Aboleuit & ius, morémque aſylorum, quæ vſquam erant. Cyzicenis in ciues Romanos violentius quædam auſis, publicè libertatem ademit, quam Mithridatico bello meruerant. Hoſtiles motus, nulla poſteà expeditione ſuſcepta, per legatos compeſcuit: nec per eos quidē, niſi cunctanter, & neceſſarió. Reges infeſtos, ſuſpectóſque cōminationibus magis, & querelis, quàm vi repreſſit. Quoſdam per blanditias, atque promiſſa extractos ad ſe nō remiſit, vt * Marabodum Germanum, * Rhaſcypolim Thracem, Archelaum Cappadocem, cuius etiam regnum in formam prouinciæ redegit.

* Marabodunm

* Thraſipolim

PHIL. Detectis armis.] Ita olim tria Auſonum oppida eadem hora capta ſunt, cùm milites Romani tectis veſte gladiis ſub lucem apertis portis vrbes illas ingreſſi cuſtodes ex improuiſo trucidare cœpiſſent.

Partem decurionum.] Senatorum. Nam qui Romæ ſunt Senatores, hi in municipiis, coloniiſque decuriones nuncupantur: vt iã latè explicauimus.

Aboleuit morem aſylorum.] Nepotes Herculis timentes inſidias eorum, quos auus afflixerat Athenis ſibi primũ aſylũ, hoc eſt aram miſericordiæ conſecrarũt, vnde nullus poſſet abduci. Dictum eſt autem aſylum, vt interpretatur Seruius, quaſi aſyron: quòd inde extrahi nullus poſſet. Romulus Romæ aſylum inter duos lucos aperuit, quod confugientibus illhuc ſeruis, liberiſve tutiſſimũ erat receptaculum. Vnde apud Labeonem, & Celſum Ireſconſultos quæritur: Si quis ſeruus in aſylum confugerit, an ſit fugitiuus? Vlpianus putat non eſſe fugitiuum: quia id facit, quod publicè facere licere arbitratur. Scribit Liuius lib. xxxvi. templum Apollinis Delium fuiſſe aſylum: atque ſancta templa à Græcis vocari aſyla. Templum quoque Dianæ Epheſiæ aſylũ fuit: cuius libertatis termini ſæpe ſunt immutati. Alexander ad ſtadium extendit: poſtea Cæſar Auguſtus, cùm id damnoſum exiſtimaret, & nihil aliud eſſe aſylum, quàm multis malefaciendi cauſam exhibere, id irritum fecit: author Strabo in xiiii. Cōſimiliter Tyberius aſyla, quæ vbique locorũ erant, ſuſtulit, tanquam receptacula flagitioſorum, & inuitamenta maleficiorum. Scribit Plutarchus, in honorem Theſei, cuius oſſa rapuerit Cymon, conſtitutum fuiſſe Athenis aſylum, quod foret ſeruis, & humiliore fortuna hominibus, potentiorúmque opes formidantibus cōmune confugium: quia Theſeus patronus, propugnatórque fuerat humilium, & calamitoſorum.

Cyzicenis.] Cyzicus inſula eſt in Propontide, duobus pontibus iuncta continēti, habens vrbem eiuſdem nominis. Cyzico nomen indidit Cyzicus, quē Minyis imprudentibus cùm Colchos peterent, fuſum acie, cæſúmque accepimus. Hiſtoria luculentis verſibus ſcribitur à Flacco in Argonauticis: cuius etiã meminit Pomponius Mela. Cyziceni in bello Mithridatico ad ſeruandam ſocialem Romanorum fidem, vſque ad vltimam ſui perniciem conſtantiſſimi fuerunt: cùm à Mithridate arcta obſidione obſiderentur: quos Lucullus, profligatis hoſtibus, libertate donauit. Hiſtoriam referunt Plutarchus in Lucullo, & Florus in iii. Romani Cyzicenam ciuitatem honore proſecuti ſunt: &, vt author eſt Strabo in xii. adhuc libera eſt, & agri multum habet: fuitque magnitudine, & pulchritudine cum primis Aſiæ ciuitatibus comparanda, paci, & bello apta, tribus armamentariis inclyta: quorum aliud armorum, aliud inſtrumentorum, aliud frumenti erat receptaculum. In bello Mithridatico paulùm abfuit, quin regem ipſum in curriculo opprimerent.

Cunctanter.] Cum cunctatione, & mora.

Per blanditias.] Eutropius: Quoſdàm reges per blanditias euocatos nunquam remiſit. De quo Euſebius in Chronicis hæc: Tyberius multos reges ad ſe per blãditias euocatos nunquam remiſit, in quibus Archelaum Cappadocem, cuius regno in prouinciam verſo Mazacam nobiliſſimã ciuitatē Cæſaream appellari iuſſit.

Marabodũ Germanum.] De hoc Sextus Aurelius ſic ait: Marabodũ Sueuorum regem callide circumuenit.

Raſcypolim.] Raſcypolis, & Raſcus Thraciæ reges fratres extiterunt in bello ciuili diſſidentes. Nã Raſcus Antonii, Raſcypolis Bruti & Caſſii partes ſequebatur. Poſt Bruti obitum Raſcus ab Antonio, & Auguſto petiit Raſcypolim germanum ſuum venia donari: quod facilè impetrauit. Ex quo ſatis liquet, non à principio fuiſſe inimicos, verùm de euentu victoriæ dubios fortunam inter ſe partitos eſſe, vt victus à victore conſeruari poſſet. Hiſtoria traditur ab Appiano libro IIII. bellorum ciuilium. De hoc Raſcypoli, vel potius de eius filio, ſentire videtur Tranquillus.

Archelaum Cappadocem.] Sextus Aurelius: Iſte Cappadocas in prouinciã, remoto Archelao eorum rege, redegit. Addit Eutropius, Tyberium maximam ciuitatem Cappadociæ appellari nomine ſuo iuſſiſſe, vt Cæſarea diceretur, quæ antè Mazaca dicebatur.

M. AN. In oppidum.] Pollentiam.

Decurionum.] Hi, vt ſæpius diximus, in municipiis, & coloniis Senatores erant: quòd in alpibus eſſent loca municipali iure prædita, Plinius docet. Adiectæ ſunt, inquit, Cotianæ ciuitates duodecim, quæ non fuerant hoſtiles: ſed attributæ municipiis lege Pompeia.

Aſylorum.] Locorum inuiolabilium: vnde ad pœnam extrahi nemo poterat, quale Romulus in Capitolii intermontio inter duo querceta, vt Dionyſius prodidit: & ante illum Heraclidæ Athenis conſtituere. Aſyli meminit Liuius lib. I. ab vrbe cond. Ab aſylo aſylia dicitur pro eo iure libertatis, & veniæ, quod quis apud aras conſequitur, quã Immunitatem Eccleſiæ vulgò vocant. Aedem igitur aſylam, vel, vt Græci loquuntur, ἄσυλον dicere poſſumus, & ſimulacrum aſylum, in qua, vel ad quod ius eſt aſyliæ confugientibus.

Cyzicenis.] Cyzicus Mileſiorum, vt Plinius ait, oppidum in Propontide. Ouidius verò:

Hinc Propontiacis, inquit, hærentem Cyzicon oris,
Cyzicon Aemoniæ nobile gentis opus.

Mithridatico bello.] Quod Lucullus magna ex parte confecit, Pompeius abſoluit.

Infeſtos.] Contumaces, & rebelles.

Extractos.] Illecebris, & pollicitationibus pellectos.

Non

Nonremisit.] Abire non est passus. Trasipolum Thracem.] Thraciæ regem: fuit & Trasipolus alius antiquior, de quo Lucanus:

-Et gelidæ dominum Trasipolon oræ.

Archelaum Cappadocem.] Eusebius author est, Tyberium Archelai regnum in prouinciæ formam redegisse.

De mora eius in urbe, & quòd prouincias non uisitauerit. XXXVIII.

Biennio cõtinuo post adeptum Imperium pedem porta non extulit: sequenti tempore præter quàm in propinqua oppida, &, quũ longissimè, Antio tenus * nusquam abfuit, idque perrarò, & paucos dies: quanuis prouincias quoque & exercitus reuisurum se sæpe pronuntiasset, & propè quotannis profectionem præpararet, vehiculis comprehensis, commeatibus per municipia, & colonias dispositis, ad extremum vota pro itu, & reditu suo suscipi passus, vt vulgò iam per iocum Callippides vocaretur: quem cursitare, ac ne cubiti quidem mensuram progredi, prouerbio Græco notatum est.

* nunqui

De morte filiorum eius, & secessu suo in Campaniam. XXXIX.

Sed orbatus vtroque filio, quorum Germanicus in Syria, Drusus Romæ obierat, secessum Campaniæ petiit, constanti & opinione, & sermone penè omnium, quasi neque rediturus vnquàm, & citò mortem etiam obiturus: quod paulò minus vtrunque euenit. Nam

PHIL. Pedem porta nõ extulit.] Cicero in epistolis ad Atticum de Socrate ait: Qui cùm triginta tyrãni essent, pedem porta non extulit.

Antio tenus.] Tyberius egrediẽs vrbe Roma nõ longiùs progrediebatur, quàm Antium vsque: quæ ciuitas est in Latio, quondam Aphrodisiũ dicta, ad otiũ, rerúmque vrbanarum vacationem principibus accommodata: author Strabo. Olim, vt tradit Liuius, interdictũ fuit mare Antiati populo. Vehiculis comprehensis.] Quibus vti solet Imperator in profectionr, ad vtensilia comportanda.

Commeatibus.] Re annonaria, & cibariis, quæ in primis in profectionr procuranda sunt.

Vota pro itu & reditu.] Moris erat, vt vota susciperentur à Romanis pro principibus in expeditionem euntibus, vt sospites, incolumésque irent, & reuerterentur. Hinc ait Seneca, olim Rufum ordinis Senatorii virum inter cœnam optasse ne saluus Cæsar rediret ex ea peregrinationr, quam parabat: & adiecisse idem omnes & tauros, & vitulos optare. Horatius voto prosequitur Cæsarem profectionem parantem in vltimos Britannos.

Gallipedes vocaretur.] Cicero quadam ad Atticum epistola vsurpat prouerbium hoc Græcum, accusans Varronis segnitiam, & tarditatem, cùm ait: Blennium præteriit, cùm illr καλλιππίδης assiduo cursu cubitum nullum processerit. Igitur cùm gallns gallinaceus cursitare consueuerit, móxque subsistere, inde gallipedes per iocum vocatur Tyberius, quasi pedes galli gallinacei haberet, essetque tardigradus & tardipes. Sed cùm id Græcum prouerbium sit, & à Cicerone per Græcam dictionem, quæ est καλλιππίδης, enuntietur, non video qua ratione possit Latinè dici gallipedes: valdéq; demiror, viros alioqui eruditissimos parum solerter pensitasse, contulisséque verbum Ciceronis cum verbo Tranquilli. Nam cùm pronerbium Græcum sit, Græca quoqne dictio esse debet, sicuti à Cicerone vsurpatur καλλιππίδης. Quid autem conuenit gallipedes Latina dictio cum Græco vocabulo καλλιππίδης? profectò nihil. Gallus enim gallinaceus longè diuersa dictione appellatur à Græcis ἀλεκτρυὼν, καὶ ἀλέκτωρ. Quocirca, re diligentius pensitata, existimo id prouerbium non ab aue deduci, sed ab homine, qui καλλιππίδης nominabatur, fuitque histrio in tragœdiarum actione inter Græcos clarus, & Agesilai Magni temporibus celrbratus: sicuti docet Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis. Hic igitur cùm in agenda histriouia esset venustior, vtebatur incessu per pulpita pompatico, & moroso: & prout argumentum fabulæ exigebat, discursabat, statimque resiliebat, non vltra cubiti longitudine progrediens, quodam quasi peculiari incessu histrionico. Hinc prouerbium deductum est ad hominem satagentem, nec tamen progredientem, neque incœpta peragẽtem, vt Callippides appellaretur, à Callippidis histrionis imitatione. Hic est, vt opinor, verus sensus, veráque prouerbii Græci interpretatio: in qno plerique omnes hactenus hallucinati sũt. Hic olim Callippides, cùm sese insolenter ostentaret apud Agesilaum, à quo comiter, ac benignè excipi sperabat: nónne, inquit, ô rex, me cognoscis? nec quis sim audisti? Agesilaus hominem intuens, Non tu, inquit, es Callippides ille dicelitas? sic enim Lacedæmonii mimos vocant.

Vtroq; filio.] Druso naturali, Germanico adoptiuo.

Paulò minus vtrunque.] Ne scilicet rediret vnquam Romam, & citò moreretur.

M. AN. Pedem non extulit.] Vrbe non est egressus. Est nanque porta vrbium, siue oppidorum, vt domorum ianua. Plinius: Vrbem treis portas habentem Rõmulus reliquit.

Antio tenus.] Antium vsque. Est nanque Antium Latii oppidum intra Tyberina ostia, & Circeios, olim Aphrodisium dictum.

Comprehensis.] Paratis curribus, siue iunctis.

Vota.] Vt publicè, & priuatim se pro ipsius itu, & reditu votis obligarent.

Gallipedes.] Gallinacei galli pedes habens, qui ne cubiti quidem mensuram procurrit. Sunt & Gallipedes populi in India: & ipsi ob tardum incessum fortasse dicti. Alii legũt Callippides: sed quis hic fuerit, cuius tardam celeritatem notarit adaginm, non satis perspicuum est, nisi quòd haud dissimile veri videtur accipiendum de Callippide tragœdiarum histrione, cuius meminit Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis.

Germanicus.] De huius obitu suo loco dicetur.

Iuxta

neque Romam amplius rediit: ſed & paucos poſt dies iuxta Terracinam in prætorio, cui Speluncæ nomen erat, incœnante eo, complura, & ingentia ſaxa fortuitò supernè dilapſa ſunt, multíſque conuiuarum, & miniſtrorũ eliſis, præter ſpem euaſit.

De ſeceſſu Capreenſi, & alijs geſtis eius. XL.



Peragrata Campania, quum Capuæ Capitolium, Nolæ templum Augusti, quam cauſam profectionis prætenderat, dedicaſſet, Capreas ſe contulit, præcipuè delectatus inſula, quò vno, paruóque litore adiretur, ſepta vndique præruptis immenſæ altitudinis rupibus, & profundo maris. Statímque reuocante aſſidua obteſtatione populo propter cladem, qua apud Fidenas, ſupra viginti hominum millia, gladiatorio munere, amphitheatri ruina perierant, tranſiit in continentem, poteſtatémque omnibus adeundi ſui fecit, tantò magis quòd ab vrbe egrediens, ne quis ſe interpellaret, edixerat, ac toto itinere adeuntes ſummouerat.

PHIL. Iuxta Terracinam.] Terracina, vt inquit Strabo in quinto, anteà vocata eſt Trachyna, id eſt aſpera, à loci aſpredine: lingua Volſcorum dicitur Anxur, vt teſtis eſt Plinius in tertio. Autumat Seruius Maronis interpres, Anxur ideò nominari, quia illhic colebatur Iupiter Anxurus nuncupatus, quaſi ἄνευ ξύρου, id eſt, ſine nouacula: quia barbã nunquam raſiſſet. Liuius in quarto: Anxur fuit, quæ nunc Terracinæ ſunt, ciuitas prona in paludes.

In prætorio.] Su prrius explicauimus, prætorium dici villam magnificenter excultam, ad luculenti, nitidique patrisfamiliâs vſum: in qua ſignificatione hîc accipitur. Aliâs prætorium, ſignificat tabernaculum prætoris, hoc eſt Imperatoris, quod alio nomine Auguſtale appellari Quintilianus oſtendit.

Superne.] Aduerbium eſt, & ſignificat de parte ſuperiore. Horatius:

- Mutátve loco, peccátque ſuperne.

Eliſis.] Contuſis, confractis, ſuffocatis.

Capuæ Capitolium.] Infrà ſcribet Tranquillus in Caligula, Capitolium hoc, quod erat Capuæ, de cælo tactum fuiſſe. Credibile eſt, nomen accepiſſe à Romano Capitolio, ad cuius ſimilitudinem eſſet extructum. De quo Silius ſcribens in vndecimo, Campanos monſtraſſe Annibali loca Capuæ illuſtriora, ſic ait:

- Monſtrant Capitolia celſa
Stellatéſque docent campos. -

Fuit idem Capitolium Beneuenti, in quo ſtatua marmorea fuit poſita Orbilio Beneuentano grammatico clariſſimo.

Nolæ.] Cùm Auguſtus Nolæ periſſet, quæ ciuitas eſt Campaniæ, meritò Tyberius illhic in honorem Auguſti templum dedicauit.

Capreas.] Io Neapolitano ſinu, vt inquit Martianus, inſula eſt Caprearum, quas Plinios Tyberii principis arce nobiles eſſe tradit. Dictum eſt in Auguſto, quemadmodum Capreas magnificentiſſimis ſtructis ædificiis peculiare ſibi fecit receptaculum.

Septa.] Munita, & circunuallata.

Reuocante.] Vt Romam rediret.

Obteſtatione.] Denuntiatione, & precibus. Obteſtatio dicitur in meliorem partem, deteſtatio in deteriorem. Vnde obteſtari, rogare eſt. Cæſar in ſeptimo Commentario: Matresfamiliæ paſſis manibus obteſtabantur Romanos, vt ſibi parcerent.

Qua apud Fidenas.] De hac re ſic inquit Oroſius: Tyberii Imperii anno duodecimo noua & incredibilis clades apud Fidenatium vrbem accidit: amphitheatri cauea populo gladiatorum munere ſpectante collapſa eſt, & plus, quàm viginti millia hominum occidit. Fidenates autem Hetruſcos fuiſſe tradit Liuius in primo, quos Romulus debellauit. Olim à Fidenatibus legati Romani interfecti fuerunt, aduerſus quos Lucius Sergius bellum geſſit: & à victoria Fidenas eſt appellatus. Huius vrbis meminit poëta illo verſu:

Hi tibi Nomentum, & Gabios, vrbémque Fidenam.

In cõtinentem.] Italiam: vt vulgò dicitur, in terram firmam, quæ opponitur inſulis.

Edixerat.] Edicto propoſito iuſſerat. Sunt enim edicta Imperatorum, & magiſtratuum.

M. AN. Terracinam.] Lingua Volſca Anxur, vt Plinius prodidit, appellatũ. Horatius maſculino genere, candidus Anxur protulit. Strabo Trachynam anteà ab aſperitate dictũ tradidit. Idem author, & Ptolemæus continuò poſt Circeios in litorali ora Latii conſtituunt.

Incœnante.] Intus, vel ſubter cœnante.

Capitolium.] Templum, an aliud potius ædificium, in dubium venire poteſt: nec abſurdum id ab eo, quod Romæ eſt, nominatum credere.

Templum Auguſti.] Ob id, credo, Nolæ Auguſto templum erectum, quia ibi vita deceſſerit, quanquàm & viuo illi non ignoremus huiuſmodi honores exhibitos.

Capreas.] A Surrento Campaniæ octo millibus paſſuum diſtantes. Plinius, A Surrento, inquit, octo millibus paſſuum diſtantes Tyberii principis arce nobiles Capreæ, circuitu quadraginta millium paſſuum. Papinius in Surrentino Hercule:

Ipſe fodit dites Capreæ, viridéſque reſultant
Taurubulæ. -

Strabo duo antiquiſſima in ea inſula ait fuiſſe oppida, ſua verò tempeſtate vnũ, magnificíſque ab Auguſto principe ædificiis inſula extructa.

Aſſidua obteſtatione.] Aſſiduis precibus, & adiuratione: vt Donatus interpretatur.

Fidenas.] Vltra Anienem fluuium oppidum vetuſtiſſimum ab Albanis, vt Dionyſius tradit, conditum. Tres, inquit ille, colonias vno tempore ex Alba deductas, Cruſtimeriam, Nomentanam, & Fidenatem: ac trium fratrum principum coloniarum maximum natu Fidenas condidiſſe.

Ruina.] Subito caſu. Adeuntes.] Tam officii quàm negotii cauſa adire volentes.

De cura Reipublicæ per eum abiecta. XLI.



Egressus in insulam, Reipublicæ quidem curam vsque adeò abiecit, vt postea non decurias equitum vnquam suppleuerit: nō tribunos militum, præfectósque, non prouinciarum præsides vllos mutauerit: Hispaniam, & Syriam per aliquot annos sine consularibus legatis habuerit: Armeniam à Parthis occupari, Mœsiam à Dacis, Sarmatísque, Gallias à Germanis vastari neglexerit, magno dedecore Imperii, nec minori discrimine.

De uitijs eius, & potu, ac comessationibus. XLII.



Aeterùm secreti licentiam nactus, & quasi ciuitatis oculis remotus, cuncta simul vitia malè diu dissimulata, tandem profudit: de quibus singulatim ab exordio referam. In castris tyro etiam tum, propter nimiam vini auiditatē, pro Tyberio, Biberius: pro Claudio, Cal

PHIL. In insulam.] Capreas.

Decurias equitum.] Decuriæ equitum sunt ordines, & decuriæ iudicum, quas olim ordinauit Augustus: &, vt inquit Plinius, hi non equites, sed iudices vocabantur. Equitum nomen subsistebat in turmis equorum publicorum. Iudicum quoque non nisi quatuor decuriæ fuere primò, vixque millia singula in decuriis inuenta sunt.

Supplerit.] Adscripserit, substitueritque in locum demortuorū. Etenim nullus ordo tam numerosus est, quin is citò exhaustus intereat, si nullus vnquam in locū pereuntium substituatur.

Non tribunos militum.] Miles it ad Centurionem, Centurio ad Tribunum, qui cohorti præerat: Græci χιλιάρχην vocāt. Existimat Vegetius dici tribunos ex eo, quod tribuebant iura militibus. Alii maiores, alii minores tribuni militum dicebantur. Officium tribuni, vt scribit Iurisconsultus de Re militari, est milites perducere ad exercitationem, & valetudinarios inspicere.

Non prouinciarum præsides mutauerit.] Iosephus Tyberium ob hoc laudat, quòd magistratus semel datos, iugiter permittebat: nec vlli dabatur, nisi morte, successor. Nanque (vt suprà docuimus) per exemplum vulnerati muscas non abigentis, declarabat saturos, & opulentos præsides minus noxios prouincialibus futuros, quàm famelicos, & esurientes.

Sine consularibus legatis.] Suprà dictum est, quanta dignitas esset legatorū, qui Imperatoribus, tanquam consiliarii, dabantur ex ordine Senatorio, & ex his, qui consules fuissent.

Mœsiam.] Pannoniæ iungitur prouincia, quæ Mœsia dicitur, ad Pontum vsque cum Danubio decurrens. Eutropius in hanc sententiam sic inquit: Resolutis artibus militiæ Armenia per Parthos, Mœsia à Dacis, Pannonia à Sarmatis, Gallia à finitimis gentibus direptæ sunt.

A Dacis, Sarmatísque.] Daci à Romanis dicti, qui alio nomine Getæ dicuntur. Sarmatæ à Græcis Sauromatæ, populi sunt Scytharum, Danubiíque accolæ. In Sarmatis sunt Hamaxobii, ita à Plinio vocitati populi: qui, vt Historici tradunt, nomen hoc acceperunt à plaustris, quæ habent pro sedibus, & in quibus vitam degunt. ἅμαξαν enim Græci plaustrum, & βίον vitam dicunt.

Secreti licentiam.] Stimulus est peccandi illa secreti fiducia: vbi, vt inquit eleganter Plinius in epistolis, nobiscum dicimus: quis enim sciet?

Tandem profudit.] Redeundo ad se, & mores suos: sicut canis ad vomitum reuerti dicitur sententia prouerbiali.

Pro Tyberio, Biberius.] Tyberius, vt scribit Plinius in XIIII. ad merum pronior fuit: in quo vitio Drusus filius regenerasse patrem Tyberium ferebatur. Ait Sextus Aurelius quòd eleganter à iocularioribus Caldius Biberius Mero, ob vinolentiam cognominatus est.

Pro Claudio, Caldius.] Prisci caldum dicebant: & Augustus, authore Quintiliano, in epistolis ad Caium Cæsarem scriptis emendat, quòd is calidū, quàm caldum dicere mauult. Veteres autem vsos esse in potu tam calida, quàm frigida aqua, nullus ignorat. Hinc apud Martialem aiunt vrceoli ministratorii:

Frigida non desit, non deerit calda petenti.

Ego existimo, Tyberium pro Claudio Caldium iculariter appellatum, nō tam ob aquam calidam, quàm ob potiones calidas: de quibus sic loquitur Plinius in vigesimo octauo: Notandū, nullum aliud animal, præter hominem, calidos potus sequi, ideóque non esse naturales.

M. AN. Supplerit.] In demortuorum locum quenquam allegerit.

Prouinciarum præsides.] Martianus credidit, sub præsidis appellatione proconsulares contineri, legatos Cæsaris, & omnes prouincias administrantes, modò Senatorii essent ordinis.

Armeniam.] Qua Parthi Augusto sibi vendicandi cesserant.

Mœsiam.] Pannoniæ à tergo Mœsia hæret, cum Danubio, vt Plinius tradit, in Pontū vsque decurrens.

A Sarmatis.] Sarmatæ supra Mæotidem spatio quindecim dierum Oceanum versus incolunt, regio arboribus vacua, Herodotus est author. Græci Sauromatas vocant.

Secreti licentiam.] Hinc ad domestica vitia transit, & ad id tempus varia arte dissimulata: sed rectè Seneca de ficta Tyberii persona: Nemo, inquit, potest diu personam ferre fictam: ficta citò in suam naturam recidunt.

Malè.] Aegrè, difficulter: vel malè valde, vt est apud Terentium: Illud rus nulla alia causa tam malè odi. & Cicero: Credebar scriptores illos tam malè mulctaros. vtrobique enim malè, pro valde accipitur.

Pro Tyberius.] Dignitas inter annominationis partes relata.

Caldius.] Caldam, & calidam veteres dixere. Iuuenalis: - Gelidæ, Calidæque minister. Martialis:

Iam defecisse portantes calda ministros.

Vrbanè igitur quidam pro Tyberio Claudio Nerone,

Biber

dius: pro Nerone, Mero vocabatur. Postea princeps, in ipsa publicorum morum correptione cum Pomponio Flacco, & L. Pisone noctem, continuúmque biduum epulando, potandóque consumpsit: quorum alteri Syriam prouinciam, alteri præfecturam vrbis confestim detulit, codicillis quoque iucundissimos, & omnium horarum amicos professus. Sextio Claudio libidinoso, ac prodigo seni, olim ab Augusto ignominia notato, & à se ante paucos dies apud Senatum increpito, cœnam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine immutaret, aut demeret, vtque nudis puellis ministrantibus cœnaretur. Ignotissimum Quæsturæ candidatum nobilissimis antepostuit, ob epotam in conuiuio, propinante se, vini amphoram. Asellio Sabino sestertia ducenta donauit

Biberium Caldium Meronem dixere: sic illum bibacitatis faceta literarum mutatione arguentes.

PHIL. PRo Nerone Mero.] Per annominationem, quam Græci προσονομασίαν vocant, hæc omnia vrbane in Tyberium bibacem nomina dicebantur. Annominatio enim, vt ait Quintilia. in nono, & traditum est in quarto Rhetoricorum, ex vicinia quadam nominis ducitur: vt illa exempla sunt: non Pisonum, sed pistorum: ex oratore arator. Itidem pro Nerone Meronem, vnius literæ immutatione Tyberium appellabant, à mero, hoc est vino nomen festiuiter deducẽtes.

Correptione morum.] id est censura, penes quam morum, disciplinæque Romanorum regimen erat. Censorum autem partes quæ fuerint, docet Gellius lib. 111 c. Si quis, inquit, agrũ suum passus fuerat sordescere, eúmque indiligenter curauerat, neque purgauerat, si quis arborem suam, vineámque habuerat derelictui, nõ id sine pœna fuit: sed erat opus censorium, censorésque ærarium faciebant.

Continuúmque biduum.] Plinius loquens de Tyberio ad merum proniore inquit: Eadem meri commendatione credidere Lucium Pisonem vrbis Romæ curatorem ab eo delectum, quòd biduo, duabúsque noctibus potationem continuasset apud ipsum iam principem. Seneca quoque de hoc Lucio Pisone Tyberii combibone, ebriosóque, cui præfectura vrbis ob hoc data est, sic scribit libro duodecimo Epistolarum moralium: L. Piso vrbis custos, ebrius ex quo semel factus fuit, maiorẽ partem noctis in conuiuio exigebat, vsque in horam sextam ferè dormiebat, hoc eius erat matutinum officium: suum tamen, quo tutela vrbis continebatur, diligentissimè administrauit. Huic & diuus Augustus dedit secreta mandata, cùm illũ præponeret Thraciæ, quam perdomuit: & Tyberius proficiscens in Campaniam præfecturam vrbis dedit: cùm multa in vrbe & suspecta relinqueret, & inuisa: puto quod bene cesserit illi Pisonis ebrietas. Hactenus Seneca.

Alteri Syriam.] scilicet Flacco.

Alteri præfecturam.] scilicet L. Pisoni.

Codicillis.] Pugillaribus, tabellis.

Omnium horarum amicos.] Hoc dici solet de his, qui seriis, & iocis pariter sunt accommodati: & cùm apud priscos talis fuisset Asinius Pollio, dictũ est, eum esse omnium horarum: author Quintilianus in sexto.

Increpito.] Castigato.

Cœnam condixit.] Denuntiauit. Condicere enim est dicendo denuntiare. Inde condictio dicitur in diem certum eius rei, quæ agitur, denuntiatio. Cicero: Nam cùm mihi cõdixisset Crassus, cœnauit apud me in mel generi Crassipedis hortis.

Ex consuetudine.] Quæ erat prodiga, plenáque libidinum.

Quæsturæ candidatum.] Petitorem.

Ob epotam amphoram.] Legimus apud Plinium, libro decimoquarto, capite vltimo, Nouellium Torquatum Mediolanensem, qui ad proconsulatum vsque e Prætura honores gesserat, cognominatũ fuisse Tricongium, tribus congiis epotis vno impetu, spectante miraculi gratia Tyberio principe.

Amphorã.] Vino cum vasis legato, amphoras legatas pariter esse, docent Iurisconsulti titulo De vino legato. A quibus amphorarium, vinum nominatur, quod in amphoras diffusum est. Priscianus meminit amphoræ Romanæ, & amphoræ Atticæ: quarum mẽsura erat dispar.

Propinante se.] Propinare à Græco tractum est προπίνειν, quod significat post potum tradere. Terentius: Hũc vobis edendum, & bibendũ propino. Interdum simpliciter propinare accipimus pro porrigere. Spartianus: Vuluam inciderit, venenatam partem fratri edendam propinans, & sibi innoxiam reseruans. Plinius in xx. Quidam ad vulnæ dolorem radicem cum vino dulci propinant. Martialis Græce dixit προπίνειν pro propinare, illo hendecasyllabo: Non deerunt tibi si soles propinin, Viles cappadocæ, grauesque porri. Plautus in Captiuis: Propino magnum poculum, ille ebibit. quod significat præbibo, & mox prægustatum poculum trado. Sic apud Ciceronem in prima Tusculana: Theramenes cùm venenum obbibisset, reliquúmque è poculo eiecisset, arridens ait: Propino hoc pulchro Critiæ.

PVblicorum morum correptione.] Interim dum publicos corrigit mores. M. AN.

Alteri Syriam.] Flacco.

Alteri.] L. Pisoni. Quòd Piso fuerit vrbis præfectus, Iosephus declarat, Cúmque, inquit, ad Pisonem duceretur, qui tunc custos erat ciuitatis. Nec is fuit, qui in Syriam veneno Germanicum sustulit: ille enim Gneus Piso, non Lucius est dictus. Idem author, Altera, inquit, epistola ad Pisonem tunc temporis custodem ciuitatis.

Codicillis.] Literis. Codicilli Latinè etiam accipi possunt pro diplomatibus consignatis, seu chartulis complicatis, & lino traiectis, obsignatísque: vt Tranquillus in Claudio: Suppositos, aut etiam palàm immutatos datorum officiorum codicillos.

Prodigo.] Sua bona prodigenti.

Cœnam condixit.] Se cum illo cœnaturum denuntiauit. Condicere, vt Iulianus Iureconsultus interpretatur, apud veteres denuntiare fuit: vnde & condictio.

Ignotissimum.] Humilis, & obscuræ conditionis hominem.

Propinante se.] Pocula se illi suggerente.

Amphoram.] Est amphora, vt Priscianus scribit, mensurarum penè maxima. Plinius Nouellium Torquatum Mediolanensem celebrat, quòd treis vini congios vno haustu biberet: vnde Tricongius sit dictus.

pro dialogo, in quo boleti, & ficedulæ, & ostreæ, & turdi certamen induxerat. Nouum denique officium instituit à voluptatibus, præposito equite Romano T. Cæsonio Prisco.

De luxuria, & libidine eius. XLIII.



Ecessu verò Capreensi, etiam sellaria excogitauit sedem arcanarum libidinum, in quam vndique conquisiti puellarum,

PHIL. PRo dialogo, in quo boleti.] Inter esculentiora cibaria, & edulia ganeata in primis enumerantur à præfectis popinarũ boletus, ficedula, ostrea & turdus. Ideóque Sabinus dialogum fecerat festiuissimum, in quo hæc omnia disputantia iotroducebat, vicissimque certantia de saporis bonitate, & mensarum palma. Est enim boletus inter iritamenta gulæ nouissima, vt ait Plinius iu XVI. Idem in XXII. Optimus quidem, inquit, is est cibus: sed immenso exemplo io crimen adductus, veoeno Tyberio Claudio principi per hanc occasionẽ à coniuge dato. Seneca libro decimoquinto Epistolarum ad Lucilium: Quid tu illos boletos voluptarium venenum nihil occulti operis iudicas facere? etiam si præsentanei non fuerunt. Claudius princeps boletos stomacho vtiles esse putauit. Martialis argento, auróque pretiosiores fuisse indicat hoc disticho:

Argentum, atque aurũ facile est, lænámq;, togámque
Mittere: boletos mittere difficile est.

Ficedulam verò, quæ alio nomine ab Aristotele, & Plinio melãcoryphus nominatur, hoc est atricapilla, scitissimi saporis esse, nullus ignorat: ideóque præfecti gulæ, atque luxuriæ, vt dicebat Fauorinus, negant vllã auem præter ficedulam, totam comesse oportere. De ostreis, quanuis omnia sint inoulgata, nunquam tamen satis dictum videtur: cùm, authore Plinio, palma mensarum diu iam tribuatur illis. Præcipua habentur, vt illius luculenti scriptoris verbis vtar ex libro XXXII. spissa crassitudine potius spectanda, quàm latitudine: neque in luto capta, neque in arenosis. Non sunt prætereunda Muciani verba de nationibus ostrearum ita scribentis: Cyzicena maiora Lucrinis, dulciora Britannicis, suauiora eduliis, acriora Lepticis, pleniora Lucensibus, ficciora Coryphatenis, teueriora Istricis, candidiora Circeiensibus: sed his neque dulciora, neque teneriora esse vlla compertum est. Vnde & ab Horatio dictum:

Ostrea Circeiis Miseni oriuntur echini.

Tridacna eleganti vocabulo appellauit quidam nepotum ostrea, ab eo quòd ter mordenda essent, propter amplitudinem. Scire autem debes, ostrea dici & neutro, & fœminino genere. Seneca:

Quid ostreum sapiat, quid mullus optimè nosti.

Gellius, Luna, inquit, nũc videlicet senescit: ea re ostrea quoque, sicut alia quædam, tenuis, exuctáque est. De turdo autem plura scribenda non sunt, cùm auis sit nota, & inter primas à saporis bonitate collocata. Horat.

-Cum sit obeso Nil melius turdo.-

Varro in tertio de Re rustica de Lucullo scribens ait: Vbi delicatè cœnitaret, & alios videret turdos in mazonomo positos coctos, alios volitare circa fenestras captos. Est autem mazonomũ, vt transeunter enarremus dictionem Varronianam, genus lancis, in qua escæ importantur in mensam: de quo & Horatius ioquit:

Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra grauis.-

Docet Columella quomodo saginandi sint turdi, libro nono de agricolatione. A turdo turdarium fit, & turdelitium: vt ostendit Marc. Varro in secundo de Latina lingua: significátque auiarium, hoc est locum ipsum, in quo turdi aluntur ad saginã. Sicut ostrearia appellant viuaria, io quibus ostreæ pascuntur. Sed iam ad institutum reuertamur: Delectatus Tyberius dialogismo, contentionéque, quam festiuiter faciebant in dialogo Sabini turdus, ostrea, boletus, & ficedula, donauit authori sestertia ducenta, ob elegans, gulosúmque commentum. Officium à voluptatibus.] Ea formula dictum à voluptatibus, qua à libellis, à studiis, à rationibus veteres dixerunt: cuius rei superiùs abundè meminimus. Olim Xerxes edixit, se præmium ei daturum, qui nouum voluptatis genus repe risset: & Heliogabalus proponebat suis quasi themata, vt iura noua dapibus condiendis inuenirent: & cuius placuisset commentum, ei dabat maximum præmium: cuius verò displicuisset, iubebat vt ille semper id comesset, quàm diu melius inuenisset.

Secessu Capreensi.] Cùm Caprearum secessu peculiariter Tyberius oblectaretur. Ideò dixit Sidonius in Panegyrico, Capréasque Tyberii, & caligas Caii. Hinc illud Satyrographi:

-Verbosa, & grandis epistola venit
A Capreis.-

& mox:

Principis angusta Caprearum in rupe sedentis.

Sellaria excogitauit.] Sellaria appellamus loca sessionum, in quibus sellæ sunt ordinatim collocatæ. Plinius in XXXIIII. Violentia Neronis in vrbem conuecta, & in sellariis domus aureæ disposita. Martialis vsus est diminutione, cùm ait: In sellariolis vagus popinis. Videtúrque sellariola accipere pro locis, in quibus infames, & probrosi mansitabant.

M. AN. PRo dialogo.] Disceptatione.

Boleti.] E fungorũ generibus optimi, maximéq; celebrati poëtarum carminibus. Martialis:

Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Iuuenalis:

Boletum domino, sed qualem Claudius edit.

Sed de eo in Claudio plura.

Ficedulæ.] Auis optimi saporis. Martialis:

-Patulo ficedula lumbo,
Quũ tibi sorte datur, si sapis, adde piper.

Iuuen.

Mergere ficedulas.-

A fico, quo cibo præcipuè pinguescit, nomen adepta est. Martialis:

Cùm me ficus alat, & pascar dulcibus vuis,
Cur nomen potius non dedit vua mihi?

Ostreæ.] Plinius, Martialis, Iuuenalis locupletissimi sunt testes, in quanto pretio ostreæ apud maiores fuerint.

Turdi.] Notissima auis, saporisq; laudatissimi. Mar.

Texta rosis fortasse tibi, vel diuite nardo:
At mihi de turdis facta corona placet.

& rursus:

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

sed non sapore tantùm, verùm voce etiam in deliciis habitus. Plinius: Agrippina coniunx Claudii Cæsaris turdum habuit, quod nunquam antè, sermooes hominum imitantem.

Certamen.] De saporis præstantia.

A voluptatibus.] Pro voluptatibus. Cicero in Bruto: A Senatu, inquit, & causa bonorũ steterit: id est pro Senatu, & bonorum causa. Liuius: Vnde ius stabar, ei victoriam dedit. Sellaria.] Sellaria, loca in quibus dis

bus diſponi ſedes ſolebant. Plinius: Et in ſellariis domus aureæ diſpoſita.

chegmatis πανικὸν θόρυβον vocat: quod interpres repentinum tumultum tranſtulit. Et de hoc loqui videtur Hyginus ſcribens, Capricornum obieciſſe hoſtibus timorem, qui panicos nominatur. Codices Hygini vulgò impreſſi Paniſcos habent, cùm panicos habere rectiùs debeant.

& exoletorum greges, monſtroſique concubitus repertores, quos Spintrias appellabat, triplici ſerie connexi, inuicem inceſtarent ſe coram ipſo, vt aſpectu deficientes libidines excitaret. Cubicula plurifariàm diſpoſita tabellis, ac ſigillis laſciuiſſimarum picturarum, & figurarum adornauit, librîſque Elephantidis inſtruxit, ne cui in opera edenda exemplar * imparatæ ſcenæ deeſſet. In ſyluis quoque, ac nemoribus paſſim Venereos locos commentus eſt, proſtantéſque per antra, & cauas rupes, ex vtriuſque ſexus pube, Paniſcorũ, & Nympharũ habitu, palámque iam & vulgato no-

* impetrata

PHIL. EXoletorum.] Cinædorum adultiorum, vt ſuprà expoſuimus.

Spintrias.] Spintriæ dicti ſunt repertores monſtroſæ libidinis, nouíq; concubitus. Caligula ſpintrias vrbe ſummouit: vt inferius declarabitur. Lampridius in Heliogabalo hac dictione vſus ſcribēs libidinum genera, Quædam, inquit, inuenit, vt ſpintrias veterum malorum vinceret.

Triplici ſerie.] Apud Martialē genus libidinis nouæ notaui, qua quinq; connexi, catenatíque ſe mutuò conſtuprabāt. Sic enim inquit in duodecimo Epigr. Quo ſymplegmate quinque copulentur, Qua plures teneantur à catena.

Inuicem inceſtarent.] Mutuis ſtupris commacularent. Inceſtare enim, & inceſtus, propriè pertinet ad illicitum concubitum. Vnde ait Papinianus: Si adulterium cum inceſtu committatur, vt puta in priuigna, nuru, nouerca: mulier ſimiliter quoque punietur. Exiſtimat Lactantius Statii interpres, inceſtum dici, quod vinctum non fuerit ceſto: eſt autem ceſtos cingulum Veneris, quo vtitur ad honeſtas nuptias.

Deficientes libidines.] Cùm iam ſenio laboraret Tyberius, meritò frigeſcebat in Venerem: & quamuis libido accenſa flagraret in animo, tamen deficiens, & extincta frigebat in corpore.

Plurifariàm.] Pluribus locis.

Tabellis.] In quibus erant obſcœnæ picturæ.

Sigillis.] Imagunculis, & paruis ſtatuis.

Libris Elephantidis.] Elephantis apud veteres ſcripſit libellos, quibus varia genera concubitus, varióſque coeundi modos complexus eſt. Martialis:

Nec molles Elephantidis libelli.-

Et in Priapeia ſcriptum eſt: Obſcœnas rigido deo tabellas Ducens ex Elephantidos libellis. Præterea fuerunt apud Priſcos libri alii Elephantini, in quibus Senatuſconſulta ſcribebantur, quæ ad principes pertinebant: quorum teſtimonium citat Flauius Vopiſcus: hi ſeruabantur in Vlpiani bibliotheca.

In opera edenda.] In exercendo concubitu.

Impetratæ ſcenæ.] Spectaculi obſcœni, & fœdæ libidinis. Apud Apuleium ſcenam reperies frequenter vſurpari pro re, & ſpectaculo.

Commentus eſt.] Reperit, & excogitauit.

Proſtantes.] Proſternentes corpora, & libidinantes.

Pube.] Pueros, & puellas iam viripotentes, & pubeſcentes.

Paniſcorum habitu.] Paniſci, dii ſunt ſylueſtres: quaſi per diminutionem dicti minutuli Panes: ſicuti à Satyro Satyriſcus inclinatur. Scribit Plinius in xxxv. Paniſcum fuiſſe pictum à Taurifco pictore. Apuleius in ſexto de Aſino aureo, tradit Paniſcum fiſtulas inflaſſe in nuptiis Pſyches, & Cupidinis. Panicos verò longè differt à Paniſco: etenim πανικὸς, repentinus terror, & conſternatio dicitur à Græcis. Plutarchus in Apoph-

Nympharum.] Quales ſunt Dryades, & Hamadryades, & Oreades: de quibus perſæpe fit mentio apud poëtas. Nymphea verò pluratiuo numero, genere neutro, dicuntur locus, & balnea. Vnde ſcribit Ioſephus, Herodem apud Aſcalonā cōſtituiſſe nymphea: hoc eſt, vt ipſe interpretatur, lacus honoratiſſimos, & balneas. Iulius quoque Capitolinus, Opera, inquit, Gordiani Romæ nulla extant, præter quædam nymphea, & balneas.

M. AN. EXoletorum.] Iuuenum, qui iam adoleſcere deſierunt, vt Feſtus ait: dicuntur & proſtituti, vt apud quoſdam vſurpatum reperio.

Monſtroſi concubitus.] Et fœdi, & monſtroſi aſpectus.

Spintrias.] Spinther armillæ genus: ſed id nomen aliunde factum videri poteſt: Græci τὸν σπινθῆρα ſcintillam vocant: καὶ σπινθηρίζειν ſcintillare: vt ſpintrias quaſi ſpintiras literæ tranſmutatione, hoc eſt libidinis ſcintillas, & fomenta quædam interpretari poſſis. Lampridius: Libidinum genera quædam inuenit, vt ſpintrias veterum malorum vinceret.

Connexi.] Nefario complexu iuncti.

Inceſtarent.] Laſciuo ſe motu, & agitatione conſtuprarent. Vergilius:

-Auſus lectum inceſtare nouercæ
Anthemolus.-

Deficientes libidines.] Vt in corpore iam annis effœto.

Tabellis.] Picturis.

Sigillis.] Paruis quibuſdam ſignis. Sigilla nanque, parua ſunt ſigna, id eſt ſimulacra in ſuis ædiculis collocata, quaſi parietum honeſtamenta.

Librîſque Elephantidis.] Præceptis ab Elephantide traditis: aut ſimpliciter libris intellige, vnde ſumi poſſent variarum libidinum exempla. Scripſit autem Elephantis de variis, & monſtroſis concubituum generibus. Vergilius in obſcœno carmine,

Ducens ex Elephantidos libellis.- Ouidius:

Et quæ concubitus non tacuere ſuos.

Impetratæ ſcenæ.] Fœdi ſpectaculi: vt ſit continens pro cōtento, périnde ac ſi diceret: ne deeſſet exemplar, & ratio fœdæ libidinis oculis ſubiiciendæ.

Venereos.] Ad vſum Veneris.

Commentus.] Noua inuentione adeptus.

Proſtantes.] Proſtitutos.

Vtriuſque ſexus.] Pueros, & puellas.

Paniſcorum.] Paniſci & Aegipanes inter Satyros referuntur.

Nympharum.] Syluestrium dearum, vt ſunt Dryades, & in montibus Oreades.

mine insulæ abutentes, Caprineum dictitabant.

De ineffabili abusu luxuriæ eius. XLIIII.

MAiore adhuc, & turpiore infamia flagrauit, vix vt referri, audiríve, nedum credi, fas sit: quasi pueros primæ teneritudinis, quos pisciculos vocabat, instituerct, vt natanti sibi inter femina versarentur, ac luderent, lingua, morsúque sensim appetentes: atque etiam quasi infantes firmiores, necdũ tamen lacte depulsos, inguini ceu papillæ admoueret, pronior sanè ad id genus libidinis & natura, & ætate. Quare Parrhasii quoque tabulam, in qua Meleagro Atalanta ore morigerabatur, legatam sibi sub conditione,

PHIL. CAprineum.] Iocoso nomine Caprineus vocabatur Tyberius: tanquam vocabulo deducto ab insula Caprearum, quo secessu oblectabatur: cùm tamen possit referri ad olentem, fœturinámque naturam caprarum, quas obscœnitate imitabatur. Et capræ olidæ dicuntur ab Horatio per translationem fœtores alarũ, & graueolentiæ: quas Græci τράγους, Latini hircos appellitant.

Natanti sibi.] In piscina scilicet, quæ delicatæ natationis causa parabatur. Legimus, Heliogabalum natasse in piscinis vnguento infectis, aut croco.

Inter femina.] Inter coxas, & femora. Scribit Festus, dici femen, nis, sicut femur, ris. Seruius verò autumat, nominatiuum feminis non inueniri. Scipio Aemilianus P. Sulpitio Gallo homini delicato inter pleraque alia id quoque probro dedit, quòd barba vulsa, feminibúsque subuulsis ambularet.

Appetentes.] Cùm appetentia inuadentes ipsius genitalia.

Necdum lacte depulsos.] Adhuc sugentes mammam in nutricatu, atque subrumos. Subrumi enim dicti sunt ab antiquis agni, qui adhuc sunt sub mamma, quæ antiquo vocabulo rumis appellatur: author M. Varro. Inde verbũ est subrumari, quod significat subruma, hoc est, sub mãma summittere. Columella in VIII. Et alienis nõ amantibus, agni subrumẽtur. Hinc veteres diuã Ruminam dici voluerunt, quæ rumis, id est mammis præsidet: cuius meminit Augustinus in IIII. de ciuita. Dei.

Inguini ceu papillæ.] Fellatorem συμβολικῶς significat. Est enim fellare, verbum vetus, quod significat lac exugere. Solinus: Nequaquam equa pullo præbet vbera fellitanda, hoc est, sugenda. Hinc μεταφορικῶς verbũ, quod alioqui honestum erat, translatum est ad rem obscœnam, & in qua nominanda honos auribus præfandus sit. Nanque fellare dicuntur illi, illæ've, qui, quæ've genitalia virilia intra os recipiunt, & illa pèrinde ac mamillas exugunt: vnde & fellatores, & fellatrices in turpi opprobrio sunt, & appellatione fœda apud Priscos: qui verò genitalia huic infandæ libidini per voluptatẽ accommodabant, irrumare dicebantur, ipsi verò irrumatores. Hinc est illud poetæ Epigrammatarii: Nemo est Thai senex ad irrumandum. Tyberius cùm hac libidine fœdissima, hoc est irrumatione lætaretur, inguina tanquam papillam mammæ porrigebat fellitanda ore à pueris adhuc lactentibus.

Papillæ.] Papillas capitula mammarum dicimus, quòd papularum sint similes. Sunt autem papulæ, tubercula, & pustulæ: quarum duo genera describit Celsus libro quinto.

Natura.] Naturalia vitia mollire possumus, penitus extirpare non possumus. Scribit Maternus, quòd Venus cum Luna facit libidinosa cupiditate præposteros.

Et ætate.] Quoniam senior erat: & qui senex est, faciliùs hanc infandam libidinem, quæ viribus non indiget, exercere potest, quàm coitum. Nam, vt inquit poeta Satyricus:

– Coitus iam longa obliuio vel si
Coneris, iacet exiguus cum ramice neruus.

Parrhasii tabulam.] Parrhasius, pictor fuit nobilissimus, Ephesi natus, qui olim cũ Zeuxide descendit in picturæ certamen. Hic primus symmetriã picturæ dedit. Laudat Plinius in trigesimoquinto duas Parrhasii nobilissimas picturas, quæ oplitides dictæ sunt, ab armatura, in quibus alter in certamine ita decurrens pictus erat, vt sudare videretur: alter arma deponens, vt anhelare sentiretur. Nullus autem pictorum insolentiùs, & arrogantiùs vsus picturæ gloria fertur, quàm Parrhasius. Nam & abrodiætum se appellabat: quod significat mollem, & delicatum. Idem, quod ad Tranquilli sententiam pertinet, pinxit libidines in minoribus tabellis, eo genere, & petulantibus iocis se reficiens. Inter tabellas Parrhasii libidines continentes fuit vna, in qua inerat hæc pictura: vt Atalanta Meleagrum amatorem fellaret: hoc est, ore illius genitalia exugeret: tanquam Meleager esset irrumator, & illa fellatrix. Hac tabula propter similitudinem obscœnorum morum, fœdæ'que libidinis, maximopere oblectatus est Tyberius, adeò vt eam in cubiculo dedicaret.

Morigerabatur.] Legendum est, ore morigerabatur: & significatur fellatio. Nanque ore morigerari in libidine, nihil aliud est, quàm ore exugere inguina irrumatoris. De amore Atalantæ, & Meleagri affatim scripsimus in principio Propertii commentariorum.

CAprineum.] A libidinum fœtore: vel, quod magis placet, ad insulæ nomen allusit, qui id primùm dixit: vel ἀπὸ τοῦ καπρίζω, quod est, ad luxuriam concito. M. AN.

Infamia.] Perditæ libidinis.

Inter femina.] Interiores partes, ac præpinguiores femorum. Liuius: Quidam iacentes viuos succisis feminibus, poplitibúsque inuenerunt.

Appetentes.] Illius intellige genitalia.

Nondum lacte depulsos.] Adhuc lactentes.

Ad id genus libidinis.] Ad irrumationem subaudi.

Natura.] Ad irrumationem prona.

Aetate.] Similium illecebrarum indiga. Martialis: Nemo Thai est senex ad irrumandum.

Parrhasii.] Parrhasius Ephesius pictor sua ætate illustris, & Zeuxis æmulus. Plinius præter alia multa Archigallum ab eo ait pictum: quam tabulam Tyberius quadraginta talentis mercatus est.

Meleagro.] Oenei filio.

Atalanta.] Quòd Atalanta amata fuerit à Meleagro, historia notior est, quàm longiore sit sermone explicanda. Ouidius:

Arsit & Oenides in Mænalia Atalanta.

Ore morigerabatur.] Obsequebatur: sese illi irrumandam dabat.

Sub conditione.] Certa pactione.

PHIL. ARgumento offenderetur.] Tanquam obscœno, & libidinoso: & quo haud dubie pudicus princeps fuisset offensus: sed Tyberius non solum tali argumento offensus non est, sed maxime tali pictura oblectatus, vtpote suis spurcissimis moribus cõgruente. trona, tanquam Tyberius non solùm irrumator esset, sed etiam cunnilingus. In cunnilingos autem, hoc est eos, qui per obscœnitatem infandam lingunt inguina fœminea, scribit frequenter Epigrammatarius poeta. Hirsuto.] Piloso.

vt si argumento offenderetur, decies pro ea sestertiûm acciperet, non modò prætulit, sed & in cubiculo dedicauit. Fertur etiam in sacrificando quondã captus facie ministri acerrã præferentis nequisse abstinere, quin penè, vixdum re diuina peracta, ibidem statim seductum constupraret, simúlque fratrem eius tibicinem, atque vtrique mox, quòd mutuo flagitium exprobrabant, crura fregisse.

De illusionibus eius ad fœminas. XLV.



Œminarum quoque, & quidem illustrium, capitibus quantopere solitus sit illudere, euidentissimè apparuit Malloniæ cuiusdam exitu: quam perductam, nec quicquam amplius pati constantissimè recusantem, delatoribus obiecit, ac ne ream quidem interpellare desiit, ecquid pœniteret, donec ea, relicto iudicio, domum se arripuit, ferróque transegit, obscœnitate oris hirsuto, atque olido seni clarè exprobrata. Vnde nota

Captus.] Tanquam amator. Terentius: Sensi, captus est.

Acerrã.] Acerra, authoribus grãmaticis, est arcula turaria, vbi tus reponitur, quo diis sacrificatur. Verg.

Farrepio, & plena supplex veneratur acerra.

Turibulum vulgò vocitatur. Græci θυμιατήριον dicunt.

Seductum.] Semotum, & in locũ secretiorem abductum, vbi nulli forent arbitri, & testes. Persius:

Quæ nisi seductis nequeas committere diuis.

Plinius in Epistolis seductos homines, appellat sequestratos à strepitu vrbano, viuentésque in secessu: in quibus interdũ plus doctrinarum esse soler citra gloriationem, quàm in his, qui sunt meri ostentatores.

Olido.] Fœtenti. Catullus: Olidum lupanar.

Nota excepta.] Notatio, infamatio, & fœda sugillatio in Tyberium ex cantico fabulæ conuersa est, & inuulgata.

M. AN. ARgumento.] Concubitus figuratione: quum vulgò innotuisset, ipsum Tyberium irrumatione delectari. Conditio ea fuit, vt nisi illi placuisset, non solùm mittenti non daret quicquam, sed decies etiam sestertiûm acciperet.

Prætulit.] Præ cunctis, quas ad id tempus mercatus esset, probauit.

Dedicauit.] Perpetuò esse dedit, statuit.

Sacrificando.] Quum sacra faceret. Facie.] Forma.

Tibicinem.] Extrinsecus subintellige, constuprauit.

Flagitium.] Constuprationem.

Capitibus illudere.] Tyberius illudebat capitibus matronarum, irrumando, eásque fellatrices faciendo: capite enim hæc libido tetra perficitur, de qua intellexit Lactantius sic scribens in vi. diuinarũ Institutionũ: De istis loquor, quorum teterrima libido, & execrabilis furor ne capiti quidem parcit.

Malloniæ.] Nomen proprium matronæ.

Perductam.] Significanter loqoutus: perduci enim fœminæ dicuntur, quas per vim, & inuitas perductores stupratori conciliant. Sunt autem perductores inuitarum personarum, cùm lenones sint vltronearum.

Quicquam amplius.] Id est, quæ parata erat pati omnia, præter hanc teterrimam fellationis libidinem.

Delatoribus.] Sensus est: Tyberius, quoniam sibi ore morigerari matrona recusauerat, subornauit accusatores, qui illam adulterii ream facerent.

Interpellare.] Interfari, interrumpere illam agentem in iudicio causam.

Ecquid pœniteret.] Nunquid pœnitudine duceretur, quòd sibi irrumare volenti ore morigerari recusasset. Ecquid, authore Prisciano, ex en, & quid componitur, & significat nunquid.

Ferróque transegit.] Sibimet gladio mortem consciuit.

Obscœnitate oris.] Hæc exprobratio facta est à ma

Acerram.] Turibulum, vt Acron interpretatur: vt Festus, aram, quæ ante mortuũ poni soleret, in qua odores incendebantur: vt alii dixere, arcam turariam. Horatius:

Quid velint flores, & acerra turis.

Tibicinem.] Tibia canentem. Sunt & tibicines, quibus ædificia ruinam minantia fulciuntur, fibulis autem parietes adstringuntur. Mutuò.] Vterque alteri.

Flagitium.] Stuprum ab eo illatum.

Exprobrabant.] Probri loco obiiciebant.

Capitibus.] Capitibus dixit, ad nefarium irrumationis vitium alludens.

Illudere.] Petulanter incessere, contumelioséque insultare.

Malloniæ.] Sic habent codices fermè omnes, quos vidimus: sed Miloniæ libentius legerim.

Perductam.] Ad eius concubitum ductam.

Amplius pati.] Quàm legitimum coitum.

Delatoribus.] Accusatoribus, qui eam impudicitiæ, alteriúsve flagitii accusarent.

Ream.] Causam dicentem.

Interpellare.] Inter agendum compellare, identidémque rogitare.

Ecquid pœniteret.] An pœnitentia duceretur, quòd sibi non esset morigerata.

Ferróqoe transegit.] Gladio traiecit.

Obscœnitate oris.] Detestabili irrumationis fœditate, aut fellationis potius: quod ex iis, quæ sequuntur, datur intelligi.

Olido.] Malè olenti.

in Atellanico exodio proximis ludis assensu maximo excepta, percrebruit, hircum vetulum Capreis naturam ligurire.

De auaritia, & tenacitate eius. XLVI.

PEcuniæ parcus, ac tenax, comites peregrinationum, expeditionúmque nunquam salario, cibariis tantùm sustentauit. Vnam modò liberalitatem ex indulgentia vitrici consecutus, cum tribus classibus factis pro dignitate cuiusq;, primæ sexcentena sestertia, secundæ quadringenta distribuit, ducenta tertiæ, quam non amicorum, sed Græcorum appellabat.

PHIL. IN Atellanico exodio.] Tradunt Donatus, & Diomedes, Atellanas fabulas esse Latinas, argumentis, dictisque iocularibus similes Satyricis fabulis Græcis. Dictæ autem sunt Atellanæ ab Atella ciuitate Oscorum, in qua primùm cœperunt. Valerius lib. ss. de Atellanis hæc: Atellani ab Oscis adsciti sunt: quod genus delectationis Italica seueritate temperatum, ideóque vacuum nota est. Scire autem debes, quod minimè obliuioni tradendum est, Lucium Pōponiū Bononiensem Atellanarū scriptorem clarū extitisse temporibus Pompeii, & Ciceronis. Exodia autem, ridicula versibus intexta, fabellis Atellanis potissimùm conserta sunt, sicut ostendit Liuius, cuius verba subieci ex libro septimo: Iuuentus histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus iactitare cœpit: quæ inde exodia postea appellata, consertáque fabellis potissimùm Atellanis sunt. quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit iuuentus, nec ab histrionibus pollui passa est. Videntur autem exodia propterea vocari, quòd scilicet extra cantum essent. nam ἔξω Græci extra, ᾠδὴν cantum nominant. De exodio in hoc significatu ait Iuuenalis:

-Tandémque redit ad pulpita notum
Exodium. & alibi:
Vrbicus exodio risum mouet Atellanæ.

Exodiū quoque significat finem, & exitum, quasi ἔξω τῆς ὁδοῦ, id est, extra viam. Inde Varro appellat finem vitæ exodium. Idem alibi ait: Quod cœperas modò in via narra, vt ad exodium deducas. Liber Exodi inscribitur, quasi exitus Iudæorum ex Aegypto. Cæterùm syllaba secunda corripitur in exodio, tam in prima, quàm in secunda significatione: quàuis alterum ἀπὸ τῆς ὁδοῦ, quod viam significat: alterum verò ἀπὸ τῆς ᾠδῆς, id est, à cantu: cuius syllaba longa est, & scribitur per ὦ μέγα.

Assensu.] Scilicet spectatorum.

Percrebruit.] Celebrata est, & crebriter vsurpata.

Hircum vetulum.] Hæc est nota, quæ in Tyberiū excepta est ex verbis Atellanici exodii. nam quum in fabula illa Atellana hæc verba de hirco animali dicerentur, qui naturam caprarum more hircino liguribat: festiuiter, & tempestiuiter in Tyberium translata sunt, atque deflexa, tanquam Tyberius foret ille hircus vetulus, qui naturam ligurires Capreis, hoc est lingeret tanquam cunnilingus fœmineos cunnos. Ligurire, vt interpretatur Donatus, est suauiora edulia carpere, & per helluationem vorare patrimonium: vnde liguritores dicti, qui bona helluantur, & deuorant. Hinc cunnilingus non insulsè dici potest naturam ligurire, quando lingit locos fœmineos, eósque per voluptatem fœdissimam vorare videtur. Natura enim, vt notum est, significat genitalia tam virilia, quàm fœminea. A Græcis dicitur φύσις. Hieronymus in epistola quadam de circuncisione scripta, Videamus, inquit, quæ causa est, vt eam partem corporis, quæ secretior, & occultior est, quæ à Græcis φύσις, à nostris dicitur natura, ad circuncidendum dominus elegerit. Natura quoque de brutis dicitur. Marcus Varro de ouibus scribens ait: Deterreat à saliendo, & fiscellas è iunco, aliáve qua re, quod alligent ad naturam. Idem: Tum scylla naturā equæ, cùm menses ferunt, tangūt. De fœditate autē huiusce teterrimæ libidinis est illud à Seneca scriptum in Mamercū cunnilingū, Quid quū Mamercum consulem faceres, ignorabas ancillarum suarum menstrua ore illum hiante expectare?

Pecuniæ parcus.] Nullum vitium detestabilius auaritia est, maximè in principibus, vt inquit Cicero, & Rempub. gubernantibus. Auarus in omnes malus est, in se pessimus.

Nunquam salario.] Scribit Plinius à sale dicta salaria, cùm in magna apud antiquos authoritate esset sal: sicut etiam apparet à nomine Salariæ viæ, quoniā per illam sal in Sabinos portari consueuerat. Salarios verò appellamus homines, qui venditant saliamenta. Martialis: Quod viles pueri salariorum.

Ex indulgentia vitrici.] Ex Augusti liberalitate.

Tribus classibus.] Meminit Vegetius in IIII. rei militaris duarum classium ab Augusto factarum: quarum altera Misenensium litori præerat, altera Rauennatium: vt ita ab vtroque mari custodiretur Italia. Addita est & tertia classis, cui Tyberius indulsit sestertia tantùm ducenta, tanquam viliori reliquis duabus.

Sed Græcorum.] Tanquam instructa esset nauarchis Græcis, & remigibus.

M. A N. ATellanico.] Atellanæ fabulæ ab Atella Oscorū vrbe, vnde origo sumpta est: in his ridiculæ personæ inducebātur. Exodio.] Videtur exodium propriè Atellanarum esse, si quis Liuiū attentius audiat: Iuuentus, inquit, illa, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus factitare cœpit, quæ exodia posteà appellata, consertáque fabellis potissimùm Atellanis. Iuuenalis:

Vrbicus exodio risum mouet Atellanæ.

Et Tranquillus, Atellanico eo exodio. Festus finem exodium interpretatur: dicitur ab ἔξω extra, καὶ τῆς ᾠδῆς cantu.

Assensu maximo.] Ingenti spectantium plausu.

Percrebruit.] Vulgata est.

Hircum vetulum.] Verba sunt ex fabula pronūtiata, sed obliqua interpretatione in Tyberium senem fœminarum inguina fellatione appetentem deflexa.

Ligurire.] Vorare: sed lingere dicere voluit.

Pecuniæ.] Transitio à fœdissimo libidinum vitio ad auaritiam, & rapacitatem: quæ in principe vitia eò sunt magis detestabilia, quò & pluribus perniciosa.

Peregrinationum.] Itinerum peregrè susceptorū.

Tribus classibus.] Id est ordinibus in classium speciem, ex omni suo comitatu constitutis.

Primæ.] Præcipua dignitate præditæ.

Tertiæ.] Infimæ.

Sed Græcorum.] Vel Græci generis, vel quia Augusti exemplo pallio totam classem ornauit, Græcéque loqui iusserat.

De operibus publicis per eum, & ſpectaculis non factis, & parcitate alimoniarum. XLVII.


Rinceps neque opera vlla magnifica fecit. Nam & quæ ſola ſuſceperat, Auguſti templum, reſtitutionémque Pompeiani theatri, imperfecta poſt tot annos reliquit. Neque ſpectacula omnino edidit: & iis, quæ ab aliquo ederentur, rariſſimè interfuit, ne quid exposceretur, vtique poſtquam comœdum Accium coactus eſt manumittere. Paucorum Senatorum inopia ſuſtentata, ne pluribus opem ferret, negauit ſe aliis ſubuenturum, niſi Senatui iuſtas neceſſitatum cauſas probaſſent. Quo peracto, pleroſque modeſtia, & pudore deterruit, in quibus Ortalum Quinti Hortenſii oratoris nepotem, qui permodica re familiari, authore Auguſto, quatuor liberos tulerat.

De auaritia, & parcitate, & alijs geſtis eius. XLVIII.


Vblicè munificentiam bis omnino exhibuit, propoſito millies ſeſtertiū gratuitò in triēnii tēpus: & rurſus quibuſdā domi-

PHIL. Auguſti templum.] Tyberius in Nolana ciuitate vbi perierat Auguſtus, templum Auguſti dedicauit: alterū Romæ inchoauit Auguſti templum, de quo nunc loquitur, quod reliquit imperfectum.

Opera magnifica.] Scribit Ariſtoteles in 1111. Ethicorum, magnificū dici illū, qui in magnis pro dignitate ſumptum facit, qui circa publicam magnificentiam impenſas facit honorificas, veluti in ludis, in rebus diis ſacrificatis, in ædificiis, in epulo publico.

Comœdum Accium.] Comœdos dicimus hiſtriones, actores, recitatoreſq; comœdiarum: comicos verò, ipſos poetas. Comœdus fuit Roſcius, comicus fuit Terentius, & Plautus.

Coactus manumittere.] Oſtendit Iuriſconſultus Digeſtis de ædilitio edicto, in familia, numeróque ſeruorum fuiſſe comœdos. Sic enim ſcriptum legimus: Cùm eiuſdem generis plures ſimul veneūt, veluti comœdi, vel chorus, referre ait, num in vniuerſos, an in ſingulos pretium conſtituatur.

Ne pluribus opem ferret.] Seneca libro de Beneficiis ſecūdo hæc ſcribit: Tyberius Cæſar rogatus à nepote M. Aelio prætorio, vt æri alieno ſuccurreret, edere illum ſibi nomina creditorum iuſſit. Hoc non eſt donare, ſed creditores conuocare: quum edita eſſent, ſcripſit nepoti, iuſſiſſe ſe pecuniam ſolui. Adiecta contumelioſa admonitione, effecit, vt nepos nec æs alienum haberet, nec beneficium. Liberauit illum à creditoribus, ſibi non obligauit. Aliquid Tyberius ſecutus eſt: puto noluit plures eſſe, qui idem rogaturi concurrerent.

Pudore deterruit.] Malebant enim præ pudore degere inopes, quàm in Senatu cauſas inopiæ, neceſſitatiſque probare. Nam, vt inquit eleganter Hieronymus, ingenia liberaliter educata faciliùs pudor vincit, quàm metus.

Ortalum.] Alius eſt ille Ortalus, ad quem ſcribit Catullus: Seuocat à doctis, Ortale, virginibus.

Hortenſii nepotem.] Olim Hortenſius ob eloquentiam fuit in foro rex cauſarū, vt inquit Pedianus Aſconius: hic pronuntiatione plurimùm valuit: cuius rei fides eſt, quòd diu princeps oratorum, aliquando æmulus Ciceronis exiſtimatus eſt, nouiſſimè quoad vixit, ſecundos. Periit Hortenſius clamore diruptus in actione cauſarū: vt indicat Q. Serenus, cuius verſus hi ſunt:

Sic eſt Hortenſius olim
Abſumptus cauſis etenim confectus agendis
Obticuit, quum vox domini viuente periret,
Et nondum extincti moreretur lingua diſerti.

Authore Auguſto.] Hoc referendum eſt ad id tempus, quo Auguſtus legem tulit de maritandis ordinibus, hortatúſque eſt Romanos ad rem vxoriam, imitandúmq; Germanici exemplum, illius liberos palàm oſtentans.

Tulerat.] Suſceperat.

Quatuor liberos.] Qui tres liberos habebāt, immunitatibus donabantur: tantò magis Ortalus, quum quatuor filios ſuſcepiſſet, merebatur foueri, & ſubleuari à principe Tyberio: ſed pudore deterritus eſt à petendo, ne inopiam ſuam in Senatu publicaret. Lex erat apud Lacedæmonios: Qui tres genuerit filios, eum eſſe immunem à cuſtodia: qui verò quatuor, immunem ab omnibus oneribus: author Ariſtoteles in ſecūdo Politicorum.

Tulerat.] Suſceperat. Itidem ſuprà: Ex Liuia nihil liberorum tulit.

Gratuito in triennii tempus.] Senſus eſt: Vſum eius pecuniæ ad tres annos indulſit Tyberius difficultate nummaria laboranti populo: ſicut olim Auguſtus vſum gratuitum pecuniæ ex damnatorum bonis ſuperfluentis ad certum tempus indulſit his, qui cauere in duplum poſſent.

Dominis inſularum.] In Iulio Cæſare declarauimus, inſulas dici domos ab aliis domibus ſeiūctas, quæ Romæ frequenter deflagrabant: &, vt author eſt Iulius Capitolinus, Antonino Pio imperante trecentas quadraginta inſulas Romæ abſumpſit incendium. Tyberius munificentiam in hoc exhibuit, quòd dominis reſtituit pretium inſularum incenſarum.

M. AN. Auguſti templum.] Romæ inchoatum.

Ne quid expoſceretur.] Ne ſiquid populus coràm petiiſſet, præ pudore præſtare cogeretur.

Quo peracto.] Qua re ſeruata, vel potius, qua denunciatione.

Hortenſii.] Omnium ſuæ ætatis oratorum, M. Tullio duntaxat excepto, clariſſimi.

Auguſto authore.] Auguſto hortante, & iubente vt vxorem duceret.

Tulerat.] Habuerat. In eodem ſignificatu alibi ſuſtulit, dixit.

Millies ſeſtertiûm gratuitò.] Mille ſeſtertiis ſine fœnore ciuibus conceſſis.

PHIL. IN monte Cælio.] Inter Romanos montes eſt & Cælius, quem vrbi addidit Tullus Hoſtilius: ibique ipſe rex habitauit, quò frequentius habitaretur: Liuius author. Fuit & Cæliolus prope Cælium mõtem, vt docet Varro, qui à Cælio Thuſco duce Cælium appellatum autumat.

morerentur: ex quorum morte compendium, hoc eſt lucrum captabat: quum præmia, quæ veteranis dari ſolent, ſibi lucraretur. Titulus eſt apud Iuriſconſultos De priuilegiis veteranorum: quibus idem honor exhibebatur, qui & decurionibus.

Quorum alterum.] De pecunia mutuaritia gratuitò præbita.

In ſolo collocarent.] Exempli cauſa, voluit Tyberius vt fœnerator, qui habuiſſet in cẽſu trecenta millia, is ducenta collocaset in prædiis tam vrbanis, quàm ruſticis: vt ita copia rei nummariæ fieret vberior: & debitores, qui, verbi cauſa, deberent trecenta millia, ſtatim exoluerent ducenta millia.

Nec res expediretur.] Ob difficultatem ſcilicet nummariam diſſolui nõ poterant ſtatim à debitoribus duæ partes æris alieni, hoc eſt debitorum.

Alterum.] Hoc refertur ad reſtitutum pretium dominis inſularum.

nis inſularum, quæ in monte Cælio deflagrauerant, pretio reſtituto. Quorum alterum magna difficultate nummaria, populo auxilium flagitante, coactus eſt facere, quum per Senatuſconſultum ſanxiſſet, vt fœneratores duas patrimonii partes in ſolo collocarent, debitores totidem æris alieni ſtatim ſoluerent, nec res expediretur: alterum ad mitigandam temporum atrocitatem. Quod tamen beneficium tanti æſtimauit, vt montem Cælium, appellatione mutata, vocari Auguſtum iuſſerit. Militi poſt publicata ex Auguſti teſtamento legata nihil vnquam largitus eſt, præter quàm ſingula millia denariorum Prætorianis, quòd Seiano ſe nõ accommodaſſent: & quædam munera Syriacis legionibus, quòd ſolæ nullam Seiani imaginem inter ſigna coluiſſent: atque etiam miſſiones veteranorum rariſſimas fecit, ex ſenio mortem, ex morte compendium captans. Neque prouincias quidem vlla liberalitate ſubleuauit, excepta Aſia, diſiectis terræmotu ciuitatibus.

Diſiectis terræ motu.]. Plinius: Maximus terræ memoria mortalium extitit motus Tyberii Cæſaris principatu, duodecim vrbibus Aſiæ vna nocte proſtratis. Earum nomina recenſet Euſebius in Chronicis: inter quas fuerunt Epheſus, Sardis, & Apolloſiia.

M. AN. CAelio monte.] Vno è ſeptem vrbis collibus, à Cælio Thuſco duce, qui cum ſua manu Romulo, vt Varro ait, auxilio veniſſe dicitur.

Deflagrauerãt.] Incendio conſumptæ fuerant.

Alterũ.] gratuitam pecuniam mutuò concedere.

Difficultate nũmaria.] Nummorum inopia.

Fœneratores.] Qui pecuniam in fœnus locatam habebant.

In ſolo collocarent.] In coemendis prædiis locatam haberent.

Totidem.] In duas æris alieni partes: quo planè intelligitur decretum illud fuiſſe in cauſa cur Romæ ſit per id tempus re nummaria laboratum.

Res.] Alieni æris diſſolutio.

Expediretur.] Pecuniarũ inopia expediri poſſet.

Alterum.] Pretii reſtitutionem iis, quorum ædes in Cælio deflagrarant.

Duplicata.] Publicata potius. Ex teſtamento enim Auguſti mille nũmi prætorianis militibus, cohortibus vrbanis quingeni, legionariis treceni repræſentati ſunt ſine duplicationis vllius mentione.

Seiano.] Quod Aelii Seiani partes non eſſent ſecuti. Sed de Seiani oppreſſione non multò pòſt.

Syriacis.] Quæ ſub Caio primùm, mox Germanico in Syria fuerant.

Quòd ſolæ.] Cùm reliquæ aliter feciſſent.

Imaginem coluiſſent.] Inter publica ſigna, Imperatorum quoq; imagines Romani in caſtris habere conſueuerunt, vt Modeſtus tradidit.

Miſſiones.] Exauctoramenta.

Ex ſenio mortem.] Vt ſenio confecti diem in caſtris obirent.

Ex morte compendium.] Ex eorum obitu lucrum, caſtrenſi peculio potitus.

Diſiectis terræ motu ciuitatibus.] Euſebius author eſt, Tyberio principe tredecim Aſiæ vrbes terræ motu concuſſas, & in his Epheſum.

Vocari Auguſtum.] In honorem ſcilicet nominis ſui: quum & ipſe Auguſtus diceretur ex adoptione.

Militi.] Militibus: ſingulatiuus numerus pro pluratiuo.

Ex Auguſti teſtamento.] Dictum eſt in Auguſto, quemadmodum illius teſtamentum in Senatu apertũ, & recitatum eſt, quo legauit cohortibus vrbanis quingenos, legionariis trecenos nummos, prætorianis militibus ſingula millia nummûm. Ex quo apparet, magis legendum eſſe poſt publicata legata, quàm duplicata.

Seiano.] Quòd non adhæſiſſent factioni Seiani: de quo mox plura.

Syriacis legionibus.] Syriacas legiones intelligit Romanas, quæ id temporis in Syria militabant.

Nullam Seiani imaginem.] Seianus, vt inferius declarabitur, in tanta fuit apud Tyberium ab initio æſtimatione, & gratia, vt ab omnibus ordinibus ſtatuæ illi erectæ ſint: quas paulò pòſt retro agente ſe fortuna, deiecerunt, & confregerunt. Tyberius Syriacas legiones muneribus quibuſdã proſecutus eſt, quòd ab his ſolis nulla Seiani imago inter ſigna militaria culta, adorataq; fuiſſet. Imagines autem Imperatorum inter ſigna militaria geſtari moris fuit, vt docet Vegetius in ſecundo: quas qui ferebant, dicti ſunt imaginarii.

Miſſiones.] Honeſtas miſſiones ſignificat, quæ emeritis ſtipendiis ab Imperatore indulgeri ſolent.

Ex morte compendium.] Lucrum. Tyberius miſſiones veteranorum rariſſimas faciebat, propterea quòd expectabat vt illi, vtpote ſenio confecti, citò

Cn.

De rapinis, & concußionibus eius. XLIX.



PRocedente mox tempore, etiam ad rapinas conuertit animum. Sat conſtat, Cneum Lentulum augurem, cui cenſus maximus fuerit, metu, & angore ad faſtidium vitæ ab eo actum, & vt ne quo, niſi ipſo, hærede moreretur. Condemnatam & generoſiſſimam fœminam Lepidam, in gratiam Quirini conſularis prædiuitis, & orbi, qui dimiſſam eam è matrimonio, poſt vigeſimum annum veneni olim in ſe comparati arguebat. Præthereà Galliarum, & Hiſpaniarum, Syriæque, & Græciæ principes confiſcatos ob tam leue, ac tam impudens calumniarum genus, vt quibuſdam non aliud ſit obiectum, quàm quòd partem rei familiaris in pecunia haberent. Plurimis etiam ciuitatibus, & priuatis veteres immunitates, & ius metallorum, ac vectigalium adempta. Sed & Vononem regem Parthorum, qui pulſus à ſuis, quaſi in fidem populi Romani cum ingenti gaza

PHIL. CN. Lentulum augurem.] De hoc ſic ſcribit Seoeca lib. II. de beneficiis: Cn. Lentulus augur, diuitiarum maximum exemplum, cùm omnia incremẽta ſua diuo Auguſto deberet, ad quem attulerat paupertatẽ, ſub honore nobilitatis laborantem, princeps iam ciuitatis, & pecunia, & gratia, ſubinde Auguſto ſolebat queri, dicens à ſtudiis ſe eſſe abductum: nihil tantum in ſe congeſtum eſſe, quantum perdidiſſet, relicta eloqentia. De augurum collegio, & numero, & dignitate affatim explicatum eſt in ſuperioribus.

Cenſus maximus.] Leotulus augur, authore Seneca, habuit in cenſu quatuor millies ſeſtertiûm.

Languore.] Languor deſidia eſt, & torpor: angor autem, vt docet Cicero in quarta Tuſculana, eſt ægritudo premens. Idem ait in ſecundo Officiorum, ſe angoribus non dediſſe. Senſus elegantior eſt, vt angore potiùs legas, quàm languore.

Ad faſtidium vitæ.] Vt animum deſponderet, & vitam faſtidiens mortem appeteret.

Niſi ipſo.] Voluit Tyberius, ſe ſolum hæredem ſcribi in teſtamẽto Lentuli auguris: cùm fermè omnes teſtatores legata faciant, pluréſque cohæredes ſcribant.

Prædiuitis, & orbi.] Scribit Plinius in XIIII. orbitatem in authoritate ſumma, & potentia fuiſſe, & captationẽ in quæſtu fertiliſſimo. Cùm Quirinus eſſet & ditiſſimus, & orbus, hoc eſt ſine liberis, Tyberius tanquam captator illius bonorum, & hæredipeta, homini gratificatus eſt, vt condemnaret Lepidam, quam iam pridem Qnirinus maritus repudiauerat: & tunc de veneno aduerſus ſe comparato inſimulabat.

Arguebat veneni.] Criminabatur de veneficio. Plautus in Amphitryone: Eccum video, qui me miſerã arguit ſtupri dedecoris. Principes confiſcatos.] Repete verbum illud ſuperius, ſatis conſtat. Confiſcari autem principes, id eſt, ſummates, & primarii dicuntur, quando fortunis ſpoliantur, & eorum bona publicata ad fiſcum deferuntur. Refert Cicero in oratione pro Seſtio, Ptolemæum Cyprium cum victu, & veſtitu ſuo publicatum fuiſſe, & omni regno nudatum, authore, & actore Pub. Clodio Tribuno. Calumniarum.] Calumnia, eſt malitioſa, & mendax infamatio: & calumniator, qui falſa crimina ſcienter intendit. Exiſtimat Priſcianus lib. x. calumniã à verbo caluor deriuari, quod ſignificat decipi, quo vtitur Plautus in Caſina, ſic ſcribẽs: Vbi domi ſola ſum, ſopor manus caluitur. Mendoſi ſũt Plautini codices impreſſi, in quibus ſic legitur, Sopor manus ſcalpitur: cùm legendum ſit, Sopor manus caluitur: pro eo quod eſt, decipit, ac fruſtratur.

In pecunia haberent.] Antè dictum eſt, quemadmodum Tyberius per Senatuſconſultũ decreuit vt fœneratores duas patrimonii partes in ſolo collocarent: hac calumnia quoſdã oppreſſit, quòd partem bonorum in pecunia, ac re nũmaria haberent, & nõ in his, quæ ſolo continentur: vt Iuriſconſultorũ verbo vtar. Et ius metallorũ.] Multæ ciuitates, & potiſſimùm in Hiſpania, (quæ regio metallorum ferax eſt) ius habebant fodiendi metalla, ex quibus lucrum ingens conſequebantur. Tradit Plinius in XXXIII. vicena millia pondo auri annis ſingulis Aſturiam, atq; Caleciã, & Luſitaniam præſtitiſſe. In Vercellenſi agro cauebatur, ne plus quinque hominibus in opere publicani haberẽt. Tale ius vnà cum immunitatibus ademptum eſt compluſculis ciuitatibus à Tyberio: cuius mẽs nihil aliud, quàm rapinas, & auri aceruationem meditabatur.

Vononem ſpoliatum.] Subintelligendum eſt extrinſecus, ſatis conſtat. Vononis regis mentio fit à Ioſepho.

M. AN. AVgurem.] Augures tres ab initio creati, vt Dionyſius ait, mox vnus adiectus: nouiſſimè alii quinque, ita vt nouem eſſent numero. Vnde, & quibus dæmonum præſtigiis augurandi diſciplina ad Romanos fluxerit, Dyonyſius & Pomponius Lætus præceptor noſter, in eo libro, quem de ſacerdotiis ad Marcum Pantagathum ſcripſit, perſpicuè demonſtrant.

Languore.] Angore potius legendum.

Ne quo.] Nullo alio.

Hærede.] Bonorum ſucceſſore.

In gratiam Quirini.] Vt Quirino gratificaretur.

Prædiuitis, & orbi.] Alterutrius rei captatoribus apprimè popularis: etenim nõ ſolùm hæreditatis ſpes aderat, ſed ampli etiam patrimonii, quaſi neutrum ſine altero gratiam promereri potuiſſet.

Dimiſſam eam è matrimonio.] Id eſt, diuortio cum ea facto.

Arguebat.] Crimini dabat.

Confiſcatos.] Conſtat ſubaudi.

Impudens.] Impudenter excogitatum.

Partem rei familiaris.] Domeſtici cenſus.

In pecunia.] Et non in prædiis.

Et priuatis.] Priuatæ fortunæ viris.

Vononem.] Quidam Vononem habent.

Cum ingenti gaza.] Multa vi auri. Rectéque gazam Parthicas opes dixit: ad Perſas, quorum id verbum peculiare eſt, quíque Parthis ipſis penè finitimi ſunt, alludens.

Antio

PHIL. ANtiochiam.] Seleucus cognomento Nicator, ciuitates sexdecim condidit nomine Antiochias, in honorem paterni nominis: vt author est Appianus in Syriacis. Hîc significari videtur Antiochia illa Syriæ inclyta, celebratáque monumentis Historicorum. nia pro captu fœminarum solers, & prudens: cuius consilio olim vsus est Augustus in rebus magnis, sicut ostendit Seneca.

Titulis suis.] Solemus scribere in titulis nomen authoris cum nomine parentis: exempli causa sic: Tyberius Augusti filius hoc fecit. Senatus censuerat vt ita in titulis nomen matris adscriberetur hoc pacto: Tyberins Augusti, & Liuiæ filius hoc fecit. Id indignè tulisse Tyberium significat Tranquillus, vtpote maternum nomen dedignantem.

Antiochiam se receperat, spoliatum perfidia, & occisum.

De odio eius contra consanguineos, & coniunctos. L.



ODium aduersus necessitudines in Druso primùm fratre detexit, prodita eius epistola, qua secum de cogendo adrestituēdam libertatem Augusto agebat, déinde & in reliquis. Iuliæ vxori tantum abfuit, vt relegatæ, quod minimum est, officii, aut humanitatis aliquid impertiret, vt ex constitutione patris vno oppido clausam, domo quoque egredi, & commercio hominum frui, vetuerit: sed & peculio concesso à patre, præbitísque annuis fraudauit, per speciem publici iuris, quod nihil de his Augustus testamen to cauisset. Matrem Liuiam grauatus, velut partes sibi æquas potentiæ vindicantem, & congressum eius assiduum vitauit, & longiores secretiorésque sermones, ne eius consiliis, quibus tamen interdum & *ægrè vti solebat, regi videretur. Tulit etiam perindignè actum à Senatu, vt titulis suis quasi Augusti, ita & Liuiæ filius adiiceretur. Quare non parentem patriæ appellari,

Aduersus necessitudines.] Nemo est qui nesciat, necessitudinem dici ius quoddã, & vinculum religiosæ cõiunctionis, vnde necessarii dicuntur hoc iure affinitatis, familiaritatísve cõiuncti. Prætereà necessitudo, quod infrequens est, inuenitur in libris veterum pro necessitate, sicut apud Sallustium & Ciceronem. Vnde est illud Sempronii Asellionis, Bonum Imperatorem signis collatis decertare non deberr, nisi summa necessitudo, aut summa ei occasio data fuisset. Necessitudines hoc in loco accipe pro necessariis ipsis, & affinibus.

In reliquis.] Detexit scilicet odiũ aduersus reliquas necessitudines.

Direxit.] Elegãtius est detexit.

Relegatæ.] Iuliam ab Augusto patre rrlegatam fuisse, omnibus probris contaminatam, superius declaratum est.

Patris.] Augusti.

Oppido.] In quod erat relegata.

Peculio concrsso à patre.] Peculium habent serui, habent & filii, permittentibus dominis, & patribus. Iulia peculium habebat à patre concessum: quo fraudata est à marito Tyberio.

Annuis.] Annua absoluté dicuntur alimenta in singulos annos. Iuuenalis:

-Sunt quæ tortoribus annua præstent. Apud iurisconsultos titulus est De annuis legatis, vbi ait Vlpianus: Si cui annuum fuerit legatum relictum sine adiectione summæ, id videri relictum, quod, vt ait Nerua, testator præstare solitus fuit. Tyberius frandauit Iuliã vxorem relegatam annnis alimentis ab Augusto præbitis, sub prætextu inris: tanquam Augustus annua dari nollet Iuliæ, idq; ne significare videretur, quòd in testamento nullam de annuis dandis mẽtionem fecisset.

Congressum.] Recusabat Tyberius congredi, colloqui, & sermocinari cum matre.

Partes æquas.] Périnde ac in administrando Imperio par esse vellet ipsi Tyberio.

Ne eius consiliis.] Scilicet maternis. Erat enim Li-

Non parentem patriæ.] Sicut Augustus pater patriæ dictus fuit, ita Liuia parens patriæ dicebatur: quũ fœminæ coruscare soleant radiis maritorum, claritatem accipientes à coniugali claritate. Tyberius osor matris Liuiæ noluit illam parentem patriæ appellari, nec vllo honore publico insigniri.

M.AN. ANtiochiam.] Phœniciæ vrbem.

* egere, & vti

Perfidia.] Proditione.

Necessitudines.] Necessarios, & propinquos: quibus natura mortales arctiore quodam charitatis vinculo deuinxit.

Prodita epistola.] In apertum relata.

Constitutione patris.] Vt Augustus pater constituerat.

Domo quoque egredi.] Quasi dicat, Non contentus mœnibus oppidi inclusam à patre, vetuit etiam domo exire, omni hominum adempta consuetudine.

Sed & peculio.] Tenui pecunia, seu supellectili, ceu peculio quodam permissa.

Præbitis annuis.] Pecuniis in annuam alimoniam, & vsum exhiberi solitis.

Frandauit.] Malignè præbuit: vel, potiùs, priuauit.

Testamento cauisset.] Quasi reddi Augustus noluisset, quæ ipse testamento non legasset.

Grauatus.] Grauiter ferens.

Partes æquas.] Aequam in administrando Imperio authoritatem.

Vindicantem.] Ad se trahentem.

Congressnm.] Colloquium, consuetudinem.

Regi.] Instrui, gubernari.

Actum.] Decretum.

Actis suis.] Quæ publicanda essent.

Nec

non vllum insignem honorem recipere publicè passus est. Sed & frequẽter admonuit, maioribus, nec fœminæ conuenientibus negotiis abstineret: præcipuè vt animaduertit incendio iuxta ædem Vestæ & ipsam interuenisse, populúmque, & milites, quò enixius opem ferrent, adhortatam, sicut sub marito solita esset.

Item de odio, & crudelitate eius in matrem. LI.



Ehinc ad simultatem vsque processit, hac (vt ferunt) de causa: Instanti sæpius vt ciuitate donatum in decurias adlegeret, negauit alia se conditione adlecturum, quàm si pateretur adscribi albo, extortum id sibi à matre. At illa commota veteres quosdam ad se Augusti codicillos de acerbitate, & intolerantia morum eius è sacrario

PHIL. Nec fœminæ cooueniennibus.] Scribit Vlpianus Digestis De regulis iuris, fœminas ab omnibus officiis ciuilibus remotas esse. & lib. III. Digestorum, titulo De postulando, ne virilibus officiis fungátur mulieres, interdicitur. & ad Senatusconsultum Velleianũ, Moribus, inquit, ciuilia officia dẽpta sunt fœmiuis, & pleraque ipso iure non valent.

Et ipsam interuenisse.] Virorũ magis, quàm fœminarũ esse videtur, interuenire incendiis, & populum adhortari ad ignẽ restinguendum.

Enixiùs. Vehementiùs.

Simnltatem.] Odiũ matris: quo quid flagitiosius esse potest?

Instaoti.] Vrgenti, & efflagitanti Liuiæ matri.

In decurias.] In ordines iudicum: de quibus superiùs satis ac super.

Adlegeret.] Adscriberet. Verbum est legendis iudicibus accõmodatũ. M. Varro lib. II. Latinæ linguæ: Sic inquit, à legendo legitima, & collegæ, qui vnà lecti: & qui in eorum loco suppositi, sublecti: additi, allecti: sic & adscriptitii dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebautur.

Adlecturum.] Adscripturum, additurum.

Adscribi albo.] Album multifariàm dici ex longa lectiooe obseruauimus. Erat album decurionum, album citharœdorum, album pontificum, erat & album iudicum. Accipitur autem pro tabula, in qua iudicum nomina scripta proponẽbantur. Si quis verò album corrupisset, puniebatur: quia Prætoris maiestas cootempta videbatur. Vnde ait Vlpianus libro Digestorum secundo, titulo De iurisdictione indicum: Si quis id, quod iurisdictionis perpetnæ causa in albo, vel in charta, vel in alia materia propositum erit, dolo malo corruperit: datur in eum quingentorum aureorum iudicium: quod populare est. Paulus quoque inquit: Si familia alicuius album corruperit, non similiter hic edicitur vt in furto. Quinetiam libro quinquagesimo Digestorum titulus est De albo scribendo: vbi docet Vlpianus quo ordine decuriones in albo scriptos esse oporteat. Tradit Cicero in secundo de Oratore, pontificem maximũ res omnes singulorum annorum mandare literis solitum: qui ea omnia referebat in album, & proponebat tabulam domi, potestas vt esset populo cognoscendi: hique annales maximi nominabantur. Liuius quoque refert, iussisse Ancum Martium, vt pontifex sacra publica ex Commentariis Numæ in album elata in publico proponeret. Plinius ad album iudicum veluti alludens decentissimè scripsit in procemio Naturalis historiæ, Quum hanc operam condicerem, non eras in hoc albo. Quintilianus in duodecimo multos cognouisse se tradit, qui tædio laboris, quem ferre tendentibus ad eloquentiam necesse est, confugiunt ad hæc diuerticula desidiæ, quorum alii se ad album, ac rubricas transtulerunt, & formularii, vel, vt ait Cicero, leguleii quidam esse maluerunt. Seneca quoque ait in tertio de Beneficiis: Iudicem census in album & equestris hæreditas misit. Seosus autem Tranquilli hic est: Tyberius non alia conditione dicebat, se inter iudices relaturum esse illum, quem ciuitate donatum mater referri cupiebat, nisi in albo iudicum ipsa pateretur adscribi hanc clausulam: Id à se matrem per vim extorsisse.

Extortum.] Per vim concessum ab inuito, & reluctante.

Codicillos.] Tabellas epistolares. Aliàs codicillos vocamus genus testamenti, quorum ius constat non fuisse ante Augusti tempora. Codicilli nullam solennitatem ordinationis requirunt: de quibus Iurisconsulti doctè, copiośeque perscribunt.

Commota.] Indignabnnda.

Sacrario.] Sacrarium, authore Vlpiano, locus est, in quo sacra reponuntur: quod etiam in ædificio priuato esse potest. Quid si legas, ex secretario, & intelligas ex repositorio rerum secretarum? quæ dictio Latina est, & à Latinis scriptoribus vsurpata. Apuleius in Cosmographia, secretaria terræ appellat occultiora, & secretiora sub terram loca. Et Iosephus, cuius interpres est Rufinus luculentus scriptor, lib. XVIII. Antiquitatum sic ait: Philonem ex secretario Caius iubet excludi, absentémque fieri.

M. AN. Maioribus negotiis.] Quàm fœmina tutò sustinere posset.

Nec fœminæ conuenientibus.] Parum muliebri administratione dignis.

Præcipuè.] Vehementiùs, quàm aliàs, admonnit.

Ad simultatem vsque processit.] Iurgium, & contentionem: vt Donatus interpretatur. Terentius: Age mitto imperium non simultatem meam vereri. Festus simultatem odium esse ait, atque ex contrario sensu nomen factum, quia minimè sint simul, eam exercent, quanquam & à simulatione noo negat nomen factum videri posse.

Adlegeret.] Adsciret.

Adscribi albo.] In quo iudicum nomina referebantur.

Extortum id sibi à matre.] Sed inuito id datum.

Et intolerantia morum.] Intolerabili, & difficili natura.

Eius.] Tyberii.

E sacrario.] Ex sacrorum repositorio: ac per hoc sanctiore, secretioréque loco. Sed quidam secretario habent, à quo analogiæ ratio noo abhorret.

Protul

protulit, atque recitauit. Hos & custoditos tam diu, & exprobratos tam infestè, adeò grauiter tulit, vt quidam putent inter causas secessus hanc ei vel præcipuam fuisse. Toto quidem triennio, quo viuente matre abfuit, semel omnino eam, nec amplius, quàm vno die paucissimis vidit horis. Ac mox neque ægræ adesse curauit, defunctámque, & dum aduentus sui spem facit, complurium dierum mora, corrupto demum, & tabido corpore, funeratam prohibuit consecrari, quasi id ipsa mandasset. Testamentúmq; eius pro irrito habuit: omnésque amicitias, & familiaritates, etiam quibus ea funeris curam moriens demandarat, intra breue tempus afflixit, vno ex his Equestris ordinis viro & in* Antiliam condemnato.

De crudelitate, & odio eius contra filios. LII.


Iliorum neque naturalem Drusum, neque adoptiuum Germanicum patria

PHIL. PRotulit.] Deprompsit, eduxit.

Tam infestè.] Tam inimiciter.

Secessus.] Quando relicta vrbe secessum Campaniæ petiit, & mox Capreas se contulit.

Abfuit.] Ab vrbe, moram trahens in secessu Caprearum.

Aduentus sui.] Dum diuulgat se aduenturum Romam, vt præsens celebret maternas exequias.

Corrupto, & tabido corpore.] Solent cadauera citissimè putrescere, & tabida fieri, hoc est tabe corrumpi. Tyberius, vt corpus matris defunctæ fieret putridius, non permiserat sepeliri, dum se quoque velle funeri, exequiísque maternis interesse denuntiat. E contrario in Alexandro Magno id fuit admirabile, quòd corpus eius exanimũ septem dies iacuit in solio æstu Solis feruentissimo, nulla tamen tabe, ne minimo quidem liuore corruptum: vigor quoq;, qui constat ex spiritu, vt inquit Curtius, non destituerat vultum.

*Latomiam.

Consecrari.] Inter diuas referri διὰ ἀποθέωσιν: sic enim deificationem Græca dictione nominamus.

Id mandasset.] Scilicet ne consecraretur, & diuinis honoribus honestaretur.

Pro irrito.] Pro vano, & non rato, cùm testamentum, extremáque voluntas testatoris rata, & firma esse debeat. Funeris sui cura.] Libro xi. Digestorum, titulo De religiosis, scriptum legimus: Funus eum facere oportere, quem decedens elegit: sin autem de hac re defunctus nõ cauit, nec vlli delegatum hoc munus est, inscriptos hæredes ea res constringit. Sumptus funeris arbitrantur pro dignitatibus, ac facultatibus defuncti: & ille, qui funerauit, ex Prætoris edicto persequi potest id, quod impendit.

In Antiliam condemnato.] Antilia, nomen est vrbis Italiæ: cuius vestigia adhuc visuntur haud procul à Derthone. Quidam codices habent Anticyram. Est autem Anticyra, Insula ad sinum iacens Maleacum, & Oetam montem: cuius meminit Strabo in ix. vbi, authore Plinio, helleborum tutissimè sumitur. Est & Anticyra, ciuitas iuxta Cyrrham in Phocide regione in Corinthium versa sinum. Quid si legas in latomiam, sicut legi in codice synceriore? non absurdè leges: & ita ipse legendum doceo, cùm talis lectio cum Tranquilli sententia, & Latinitatis elegantia cõueniat. Erat autem latomia, locus in carcere Romano, iuxta Tullianum, sicuti indicat Marcus Varro in primo de Latina lingua: de quo Liuius libro ab vrbe condita trigesimosexto sic scribit: Triumuiri carceris latomiarum intentiorem custodiam habere iussi. In has latomias siue latomiam (vtroque enim modo dicitur) condemnatus fuerat à Tyberio vir Equestris ordinis, ob amicitiam maternam. Dicebatur autem latomia, quia ibi lapicidinæ fuerant. Nanque generali vocabulo latomiæ appellantur lapicidinæ, hoc est loca cædendis lapidibus accommodata: ad quas damnari solebãt hi, qui in opus metalli damnabantur. Cuius pœnæ mentio fit apud Iurisconsultos Digestis de pœnis. Et apud Plautum in Captiuis, Tyndarus in latomias lapidarias ab Egione damnatur. Seneca libro ix. Declamationum, signat Sabinũ in latomias fuisse damnatum, qui à reo rogatus, vt in latomias transferretur, festiuiter dixit: Nec nunc quẽquam nostrum decipiat nomen latomiæ: illa animo meo lauta est. Iocabatur in miseriis, ac periculis suis. Præterea latomiæ carcer est Syracusis lingua Siculorum, vt docet Asconius Pedianus. In eas latomias, sicuti eleganter scribit Cicero in oratione de suppliciis, si qui publicè custodiendi erãt, ex omnibus oppidis Siciliæ deduci imperabantur. In latomias Verres multos captiuos ciues Romanos coniecerat. Opus erat regum, atque Tyrannorum ingens ex saxo in mirandam altitudinem depressum.

Neque naturalem Drusum.] Quem Tyberius ex Agrippina vxore sustulerat. Attende naturalem filium dici ab Historico legitimum: & ita à Iurisconsultis frequenter dici obseruauimus patres naturales, qui vulgò legitimi dicuntur: quanuis neotericoteri, hoc est recentiores, naturalem filium appellent, qui ex concubina genitus est. Isidorus, Naturales, inquit, filii dicuntur ingenuarum concubinarum, quos sola natura genuit, non honestas coniugii. Hoc idem traditur trigesimatertia, quæstione quarta canonicorum Decretorum.

M. AN. CVstoditos.] In præsentem vsum asseruatos.

Exprobratos.] Probri loco recitatos.

Tam infestè.] Inimico animo.

Secessus.] Quòd tam diu ab vrbe abfuisset.

Aegræ.] Languenti, infirmæ, grauiter affectæ.

Aduentus sui.] Sui ad vrbem reditus, quasi eius exequiis affuturi.

Tabido.] Tabe infecto, ac corrupto.

Prohibuit consecrari.] Vllis sacrorum ceremoniis insigniri: vt neque templa, neque aræ, neque flamen, neque aliud quicquam in defunctę memoriam constitueretur.

Id.] Post mortem consecrari.

Amicitias, & familiaritates.] Amicos, & familiares.

Afflixit.] Ignominia, ac clade affecit.

Antiliam.] Insulam credo, sed vbi legerim, memoria, puto, lapsus non teneo. Tu vide ne Anticyram sit potius legendum. Herodotus Athyllam vrbem in Aegypto celebrat. Plinius verò Antissam à Lesbo insula ait auulsam.

charitate dilexit, alterius vitiis infensus. Nam Drusus animi fluxioris, remissiorísque vitæ erat. Itaq; ne mortuo quidem périnde affectus est, sed tantùm non statim à funere ad negotiorum consuetudinem rediit, iustitio longiore inhibito. Quin & Iliensium legatis paulò serius consolantibus, quasi obliterata iam doloris memoria irridens, se quoq; respōdit vicem eorū dolere, quòd egregium ciuē Hectorē amisissent. Germanico vsqueadeò obtrectauit, vt & præclara facta eius pro superuacuis eleuaret, & gloriosissimas victorias, ceu dānosas Reipublicæ increpàret. Quòd verò Alexandriā pro-

Naturalem.] Drusum, ad Germanici differentiam, in filium adoptauerat.

PHIL. Alterius vitiis.] Scilicet Drusi filii naturalis. Animi fluxioris.] Effœminatioris, molliorísque. Scribit Plin. Drusum hunc non alia magis re, quàm vinolentia regenerasse patrem Tyberium. Fluxi dicuntur libidinosi, molles, effœminati. Martialis:

-Concubino quum sis euiratior fluxo.

Cyprianus: Vsque ad hoc venimus, vt in comparatione fluxorum de sanctorū virtutibus disputemus. Idem fluxuras libidines vocat, scribens castitatem esse exarmaturam fluxurarum.

Remissioris vitæ.] Remittere animum, relaxare est: quanuis dicat Musonius remittere animum idem esse, quod amittere. Inde vita remissior, quæ otiosior, solutiórque est.

Périnde affectus.] Non multùm, neque intemperanter doluit, neque immodicè ex Drusi obitu. De vtroque filio Tyberii hæc Orosius: Filios suos Drusum, & Germanicum, quorum Drusus naturalis, Germanicus adoptiuus erat, manifestis venenis perdidit. Périnde autem multum, & valde quandoque significat: in quo significatu alibi quoque vsurpatur à Tranquillo, quum ait in Galba: Quare eius aduentus non périnde gratus fuit.

Sed tantum non.] Quidam ita interpretantur, quòd Tyberius, quanuis non multùm quidem doluerit de morte filii Drusi, tamen hoc indicium luctus exhibuit, quòd non statim rediit ad negotia peragenda. Sed si hæc particula, tantum non, significat ferè, aut etiam, vt alibi diligenter explicauimus, alius erit, & verior sensus, vt dicat, Tyberium adeò nullum dolorem cepisse ex obitu filii, vt etiam, aut ferè statim post funus redierit ad pristinam cōsuetudinem, inhibueritque indici longius iustitium. Pensitatores literarum acriores talia pensitent solerter, & diligenter.

Negotiorum consuetudinem.]. Asinius Pollio declamauit intra quartum diem quàm filium amiserat. Idem Augusto rescripsit: Eo die cœnaui, quo filium amisi. O magnos viros, qui fortunæ succumbere nesciunt! Nescio tamen an tales sint laudandi, qui affectioni naturali repugnant, ex eo gloriam aucupantes.

Iustitio inhibito.] Iustitium dicitur luctus publicus, sicuti docet Fulgentius Placiades, quod indici solebat in Reipublicæ calamitatibus. Liuius: Tabernæ circa forum clausæ, iustitiúmque in foro sua sponte cœptum prius, quàm indictum. Idem: Iustitium per aliquot dies seruatum. Idem ostendere volens iustitium sublatum, finitúmque, ait: Vt Romam reditum est, iustitium remissum est. Aulus Gellius libro x x. iustitium interpretatur iuris quasi interstitionem quandam, & cessationem. Tyberius noluit seruare iustitium longius propter obitum filii.

Iliensium.] Troianorum. Duplex fuit Ilium, nouum, & vetus.

Quòd Hectorem amisissent.] Volens Tyberius irridere serotinam nimis, & tardam Iliensium consolationem, non inurbanè respondit, se quoque vicissim dolere de Hectoris obitu, qui mille annis antè occubuerat.

Germanico.] Adoptiuo filio.

Obtrectauit.] Obtrectare, est cōtra alienam sententiam tractare, & ob id obstare, obsistere, &, vt veteres dixerunt, obstrigilare.

Elueret.] Dilueret, atque refelleret. Videtur legendum potius esse, eleuaret: quod verbum vetus est, & eleganter à veteribus in huiuscemodi significatione vsurpatur. Est enim eleuare, res gestas verbis deprimere, & vero minores facere, ac pro nihilo habendas ostēdere. Super quo verbo non pauca scripsimus enarrantes illud Propertii:

Eleuat assiduos copia longa viros. Apud Liuium: Q. Fabius res gestas à Scipione in Hispania eleuauit. hoc est, depressit. Quintilianus eleuata testimonia vniuersarum simul gentium ab oratoribus testatur in quinto. De huius verbi significatu sic scribit Agretius: Eleuamus & quæ in altum tollimus, & quæ alleuiamus, & leuiora facimus.

Animi fluxioris.] In vitia pronioris: ac per hoc luxuriosi, & immoderati. Vergilius: M. A N.

Exerce imperia, & ramos compesce fluentes. Id est, luxuriantes.

Remissioris.] Quod per summam corporis inertiam voluptati, & otio esset deditus: vt magis cum Plinio conueniat, qui Apinium scribit Druso non sine patris indignatione ganeæ præceptis blanditum. Cicero pro Pisone: Cùm remissis iucundè, cum senibus grauiter. Périnde.] Multúm.

Affectus.] Dolori succubuit.

Sed tantum non statim.] Quasi dicat, in eo temperauit, quòd non ab illius funere reuersus continuò cōuerterit se ad publica negotia obeunda.

Iustitio inhibito.] Quod in huiusmodi casibus ad publicum mœrorem testandum indici consueuit.

Iliensium legatis paulò serius.] Ex Ilio ad hoc ipsum missis, vt illi dolorem, quem publicè, & priuatim Ilienses cepissent, quòd filio vnico priuatus esset, coràm testarentur. De recentioris Ilii sede Strabo quidem multa.

Obliterata.] Obliuioni data.

Quòd Hectorem amisissent.] Satis vrbanè intempestiuum Iliensium regarguit officium.

Superuacuis.] Parum condocibilibus.

Elueret.] In nihilum redigeret.

Alexandriam.] Quòd è Syria in Aegyptum pertendisset.

pter immensam, & repentinā famem inconsulto se adisset, questus est in Senatu. Etiā causa mortis fuisse ei per Gn. Pisonem legatum Syriæ creditur: quem mox huius criminis reum putant quidam mandata prolaturum, nisi ea secreta obstarent: per quæ multifariàm increpitum, & per noctes creberrimè acclamatum est: Redde Germanicum. Quam suspicionē confirmauit ipse postea, coniuge etiam, ac liberis Germanici crudelem in modum afflictis.

De crudelitate, & odio eius contra nurum. LIII.

Nurum Agrippinam post mortem mariti liberius quiddam questam manu apprehendit, Græcóq; versu, Si nō dominaris, inquit, filiola, iniuriam te accipere existimas? Nec vllo mox sermone dignatus est. Quondam verò inter cœnam porrecta à se poma gustare non ausam etiam vocare desiit, simulans se veneni crimine arcessitum, cùm præstructum vtrunq; cōsultò esset, vt & ipse tētandi gratia offerret, & illa quasi certissimū exitiū caueret. Nouissimè calumniatus modò ad statuam Augusti, modò ad exercitus

PHIL. Immensam famem.] Solebant Alexandrini, Aegyptiique Romæ annona laboranti suppeditare frumenta, & populum pascere: erátque Alexandria subsidium Romanæ Reipublicæ frumentarium. Felicitatis autem tantæ parens est Nilus, cuius inundatione pinguescit Aegyptus adeò, vt cum feracissimis terris certet. Et sicut Ioseph. Egesippiisque conscribunt, Aegyptus quatuor mensibus Romanos alebat, vtpote quæ erat frugū feracissima.

Criminis reū.] Piso factus est reus à Vitellio veneficii: de quo inferiùs late dicetur.

Mandata prolaturum.] Tanquā Germanici mors sibi à Tyberio mandata fuisset.

Nisi ea secreta.] Sensus est: Piso diuulgasset mandata Tyberii de Germanico necando, nisi id obstitisset, quòd erāt secreta, & nullo teste probari potuissent. Tyberius enim Pisoni soli solus talia mandauerat, ne res fieret palàm.

Multifariàm.] Persæpe, & pluribus in locis.

Increpitum.] Castigatum, reprehensúmque. Et ad Tyberium potiùs referendum, quàm ad Pisonem.

Redde Germanicum.] Hæc erat acclamatio populi nocturna, qua desiderium defuncti Germanici testabatur. Mariti.] Germanici.

Quiddam questam.] Cùm nescio quid de Tyberio esset conquesta.

Etiam vocare desiit.] Ad cœnam scilicet, & prandium. Est enim vocare, verbum peculiariter accommodatum conuiuis inuitandis. Martialis:

Cùm vocor ad cœnam non tam venalis vt antè.

Inde vocatores dicti, qui ad cœnam conuictores nomine principis inuitabant. Idem in carmine Phaleucio:

Iam dices mihi vapulet vocator. Et vocationes ipsæ inuitationes nominantur. Catullus: Quærunt in triuio vocationes. Accersitam.] Legendum est, arcessitum, nō autem accersitam: vt sit sensus: Ideo Tyberius desiit vocare ad mensam nurum Agrippinam, fingens se ab illa accusari, insimulariq; crimine veneni. Arcessere autem, accusare est: quod ab arceo nascitur. Etenim alium accusare, à maleficiis arcere est. Accersere verò, significat auocare. Scribit Priscianus in primo, quòd antiquissimi pro ad, frequentissimè ar ponebant, dicentes aruenas, & aruentores, pro aduenas, & aduentores. vnde arcesso ab arcio verbo, quod nūc accio dicimus, compositum esse autumat.

Calumniatus.] Calumniari, est falsa crimina scienter intendere. Vnde calumniatus, falsò criminatus per calumniam. Ad statuam Augusti.] Liceat, inquit Seneca, seruis ad statuam confugere: quantò magis hoc licere debet liberis, & ingenuis? Apud Iurisconsultos frequenter legimus, seruos ad statuā principis, tāquam vnicum suffugium, solitos confugere, ad euitandam sæuitiam dominorū intolerabilem. Vlpianus scribens ad ædilitiū edictū, arbitratur eum seruum minime esse fugitiuum, qui ad statuam Cæsaris cō fugerit. Calumniabatur Tyberius Agrippinam propterea, quòd ad Augusti Cæsaris statuam cōfugere destinasset, tanquam serua esset, & ita vellet sæuitiam Tyberii, tanquam domini, intolerabilē subterfugere.

Modò ad exercitus.] Tanquam imploratura auxilii militare aduersus ipsum Tyberiū, vt seditionem concitaret.

M. AN. Inconsulto se.] Se non prius authore facto.

Per Gn. Pisonem.] Pisonis ministerio.

Huius criminis.] Plinius, Extat, ait, oratio Vitellii, quæ reum Pisonem eius sceleris arguit, hoc vsus argumento, palámque testatus, non potuisse ob venenum cor Germanici Cæsaris cremari.

Mandata.] Quæ à Tyberio accepisset de morte Germanici.

Prolaturum.] In apertum relaturum.

Ea secreta.] Nisi illa obstaret difficultas, quòd id sibi mandatū probare non posset: vel quia secreta principis proferre non liceret.

Acclamatum est.] Nocturnis clamoribus inquietatum.

Redde Germanicum.] Restitue populo, quem fraude sustulisti.

Nurum Agrippinam.] Adoptiui filii coniugem M. Agrippa, & Iulia genitam.

Liberius.] Audacius.

Græcóq; versu] Carmen neq; apud Euripidem, neque Sophoclem, neque Homerum, neque aliorum quempiam, nisi me tumultuaria inquisitio fefellit, reperio.

Crimine veneni.] Quasi veneno nurum petiisset.

Præstructum.] Consultò factum.

Vtrunque.] Vt is venenum, si procederet, illi daret: illa vt venenum, tanquam certum exitium, caueret.

Nouissimè calumniatus.] Falsa criminatione insectatus.

Ad exercitus.] Quibus Germanicus præfuerat: hicque fuit calumniæ prætextus.

PHIL. PAndatariam.] Insula est in mari Tyrrheno, cuius sic meminit Martianus in Geometria: Vltra Tyberina ostia in Formiano Pontiæ, Pandataria, Prochyta, Aenaria, Inarime à Græcis dicta. De hac Plinius in III. In Puteolano sinu Pandataria est.

Er nodum informis lethi trabe nectit ab alta.

Destitutus.] Orbatus, desolatus. Die tyrocinii.] Quo sumpta toga pura in forum deducti sunt. Relege quæ cōmentati sumus in Augusto super die tyrocinii.

Congiario.] Dono Imperatorio.

Conuicianti.] Agrippinæ conuicia, & probra in Tyberium ingerenti.

Verberibus.] Verbera non solùm dici pro verberatione ipsa, sed etiam pro instrumento accipi accōmodato verberationi, indicat Quintilianus in Declamationibus sic scribens: Ignes ex proximo raptos, verbera, quæ casus obtulerat, inuado.

Mori inedia.] Cibi abstinentia. Quibus autem mori inedia consilium est, septimo demū die mortem oppetunt: sicuti Varro, & Gellius de septenarii numeri potestate scribentes significant. Idem quoque Plinius in XI. testatur his verbis: Homini non ante diem septimū lethalis inedia.

Diducto.] Patefacto. Diducere enim, diuidere est.

confugere velle, Pandatariam relegauit. Conuiciantique oculum per centurionem verberibus excussit. Rursus mori inedia destinanti, per vim ore diducto, infulciri cibum iussit. Sed & perseuerantem, atque ita absumptam, criminosissimè insectatus est, quum diem quoque natalem eius inter nefastos referēdum suasisset. Imputauit etiam, quòd non laqueo strangulatam in gemonias abiecerit: próque tali clementia interponi decretum passus est, quo sibi gratiæ agerentur, & Capitolino Ioui donum ex auro sacraretur.

De crudelitate, & odio eius contra nepotes. LIIII.



Vum ex Germanico tres nepotes, Neronem, & Drusum, & Caium, ex Druso vnum Tyberiū haberet, destitutus morte liberorum, maximos natu de Germanici filiis Neronem, & Drusum Patribus Conscriptis commendauit, diémque vtriusque tyrocinii congiario plebi dato celebrauit. Sed vt comperit ineunte anno, pro eorū quoque salute publicè vota suscepta, egit cū Senatu, non debere talia præmia

Ineunte anno.] Calendis Ianuarii. Illo enim die vota suscipiebātur, quoniam principio anni (vt inquit Ouidius in I. Fastorū) Templa patent, auréisque Deûm: nec lingua caducas Concipit vlla preces: dictáque pondus habent.

Pro eorum salute.] Vota suscipiebantur ex more Calendis Ianuarii pro salute Imperatoris: sed cùm pro salute quoq; filiorū Germanici suscepta fuissent, indoluit Tyberius perinde, ac specimen id foret maximum, illos Romanis esse charissimos.

Talia præmia.] Tanquam vota publicè suscipienda non sint pro salute cuiuspiam, qui sit inexpertus, & adolescens.

Insulciri.] Immitti per vim, & inculcari.

Perseuerātem.] In proposito, vt cibo abstineret, & inedia conficeretur. Inter nefastos.] Attende nefastos dies dici à Tranquillo atros, & ominosos, aduersus Gellii sententiam scribentis, à vulgo imperitè nefastos dici dies, quos atros ipse appellat, & ominosos. Sed de his abundè superiùs dictum est. In gemonias.] Gemoniæ scalæ dicebantur, ad quas corpora damnatorū tracta præcipitabantur: quod planè dedecorosum erat defuncto: sicut & vnco trahi. Crebra est mentio apud veteres scriptores gemoniarum. Cor. Tacitus: Tunc confossum, collaceratúmq;, & abscisso capite, truncum corpus Sabini in gemonias tradūt. Plin. in VIII. tradit, canem à corpore serui Sabini non recessisse abiecto in gradibus gemoniis. Valerius in VI. cap. de seruitute, scribit hæc: Libertatem ademit, spiritū extinxit, corpus cōtumelia carceris, & detestanda gemoniarū scalarū nota fœdauit. Apud Tranquil. frequens est mentio gemoniarū: quas quidā à cōditore nominatos opinātur: sed cū nulla authoritate id fulciatur, ego potiùs cōiecto ex eo appellatas, quòd locus erat gemitus, & calamitatū.

Sibi gratiæ agerentur.] Tanquā clemētissimo, quòd non affecerit nurum atrociore supplicio, & morte laquei fœdiore. Infamissima enim mors erat eorum, qui laqueo vitā finiebant. Et in pontificalibus libris cautū fuerat, vt tales insepulti abiicerētur. Vnde & Vergilius tale genus mortis eleganter appellat informe, cùm ait:

PAndatariam.] Insulam, quæ in Puteolano, vt scribit Plinius, iacet sinu. M. AN.

Conuicianti.] Conuicium illi facienti.

Per centurionem.] Centurionis ministerio.

Verberibus.] Ex iis est, quæ à gignendi casu, vt Focas ait, sumunt declinationis exordiū: vt verberis, frondis, remigis. Diducto.] Vi adaperto.

Insulciri.] Ingeri, inculcari: non vt viueret, verùm vt diutius torqueretur. Sed acerbissima est crudelitas, vt Anneus Seneca ait, quæ trahit pœnam: estque interdum misericordiæ genus citò occidere.

Ita absumptam.] Inedia extinctam.

Inter nefastos.] Si nefastos, vt Macrobius accipit, exponas, inter festos dixeris referri voluisse: quia nefastus sit idem, qui & festus: sed hoc loco nefastum pro infausto, & nefario, quales erant postridiani dies, rectiùs interpretabere: in quem planè sensum Acron quoque Horatianum illud, intactum nefasti linquimus. accepit. Nefastos dies N, litera notari solitos Festus prodidit.

Imputauit.] Suæ clementiæ datum voluit.

In gemonias.] Scalas scilicet, quò damnati vnco tracti abiiciebantur.

Diem vtriusque tyrocinii.] Quò primùm in forum sunt deducti.

Ineunte anno.] Initio anni.

Pro eorum quoque salute.] Id est, non pro se tantùm, sed pro illis etiam vota suscepta.

Publicè.] Publico nomine.

Egit cum Senatu.] Petiit.

tribui, nisi expertis, & ætate prouectis: atque ex eo patefacta interiore animi sui nota, omnium criminationibus obnoxios reddidit. Variáque fraude inductos, vt & concitarentur ad conuicia, & concitati perderentur, accusauit per literas amarissimè, *congestis etiam probris, & iudicatos hostes fame necauit, Neronem in insula Pontia, Drusum in ima parte Palatii. Putant Neronem ad voluntariam mortem coactum, quum ei carnifex, quasi ex Senatus authoritate missus, laqueos, & vncos ostentaret: Druso autem adeò alimenta subducta, vt tomentum è culcitra tentauerit mandere: amborum sic reliquias dispersas, vt vix quandoque colligi possent.

* cooiectis

* reliquiis dispersis,

PHIL. Patefacta oota.] Detecto liuore, & odio, quo prius occulto, & intra animi penetralia recondito nepotes persequebatur.

Obnoxios.] Suppositos, atque subiectos.

Concitarentur ad coouicia.] Fraudulenter, & dissimulanter agebat Tyberius, vt nepotes, quos perditos cupiebat, incitarentur ad conuicia, & maledicta in se dicenda, vt mox sub prætextu læsæ maiestatis Imperatoriæ supplicio dederentur.

Probris.] Probra nominamus flagitia, atque dedecora: & pro conuiciis accipi, testis est Liuius, qui sic ait: Iogerunt probra. Præterea probrũ stuprum veteres appellauere.

Fame.] Genus hoc mortis miserrimum est, si credimus Camœnis Græcis ita clamitantibus, Homero teste Odysseæ M.

πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι,
λιμῷ δ᾽ οἴκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν. Id est,
Dura quidem miseris mors est mortalibus omnis,
At periisse fame, res vna miserrima longè est.

Pontia.] Plinius in III. Pontias pluranuo numero appellat. Sunt autem Pontiæ aduersum Formias in mari Hetrusco. In ima.] Infima.

Laqueos, & vncos.] Tormentorum nomina sunt. Nam & laqueo strangulabantur, & vnco trahebantur: sicuti olim acclamatum est à Senatu in Commodũ Imperatorem, Qui Senatum occîdit, vnco trahatur: qui omnes occîdit, vnco trahatur: qui templa spoliauit, vnco trahatur. & id sæpius repetitum. Cùm igitur carnifex instrumenta carnificinæ ostentaret, creditur Neronem impulsum esse ad mortem voluntariam, vt semetipse interimeret, ne à carnifice per tormenta excarnificatus necaretur. Subducta.] Subtracta cibaria.

Tomentum è culcitra.] Tomentũ dicimus id stramentum, farcimenque, quo culcitræ farciuntur. Festus: Culcitra, quòd tomento inculcatur, appellata. Mendosi codices pro tomento habent torměto. Varro: Postea transierunt ad culcitras: quòd in eas sagum, aut tomentum, aliúdve quid calcabant, ab inculcando culcitra dicta. Videtur autem tomentum à τέμνω verbo Græco deriuari, quod significat incîdo: sicut & tomos, & tomicus restis. Est enim tomos particula librorum abscissa. Origenes Adamantius ternium librorum suorũ genus Tomos inscripsit: quos, vt ait Hieronymus, nos possumus appellare volumina. Et Tomos in Ponto ciuitas, ab eo dicta, quòd illhic Medea membra fratris Absyrti frustillatim concîdit. Ouidius:

Inde Tomos dictus locus hic, quia fertur in illo
Membra soror fratris consecuisse sui.

Hinc tomices quoque deduci videntur. Sunt enim restes ex cauabi impolito, & sparto leuiter torto: de quibus intellige locutum esse Vitruuium scribentem in VII. de Architectura: Asseres tomice religandos. Idem probat tomices ex sparto Hispanico. Sed vt ad tomentum culcitræ reuertamur, fiebat id ex lana alba cõcisa, quod ob hoc leuconicum dicebatur: quanuis quidam à populis Galliarũ cognomentũ istud deriuent. Nec tamen appellatione lanæ tomentum continebitur, vt docet Iurisconsultus lib. 155. De legatis. Tomentum cognominabatur Circense ex arundinibus concisis factũ, idq; stramentum habebatur plebeiorum. Circense vocabatur ex eo, quòd in Circo Romano sternebatur, illhícque egestosi acquiescebant. Seneca in lib. ad Gallionem de vita beata, Nihilò, inquit, miserius ero, si lassa ceruix mea in manipulo fœni acquiescat: si super Circense tomentũ per sarcinas veteris lintei effluens incubabo. De tomẽto Circensi Epigrammatarius poeta sic inquit in Apophoretis:

Tomentum concisa palus circeose vocatur,
Hæc pro leuconico stramina pauper emit.

Error est apud Martialis interpretem, qui tomentũ Circense à palude Circẽsi dici arbitratur: cùm à Circo Romano Circense tomentũ deducatur, idq; Circo erat pro stramento meodicorum. Nãque à Circeiis Italiæ, non Circenses, sed Circeienses deriuantur: idque confirmatur authoritate scriptorum luculentissimorum, inter quos est Liuius, qui sic ait in VS. Ad hoc Latini, Hernicique accesserunt, & Circeiensium quidam. Idem in octauo, Prætores tum duos Latini habebant, L. Annium Setinum, & L. Numitium Circeiensem, ambos ex coloniis Romanis. Plin. ostrea Circeiensia nominat à Circeiis, vbi generosa nascebãtur: de quibus & Horatius dixit:

Ostrea Circeiis Miseni oriuntur echini.

M. Tullius in III. de natura deorum: Circem quoque coloni nostri Circeienses religiosè colunt. Emendanda est obiter dictio ex libro Plinii vndeuigesimo: sic enim legitur: Galliarum hoc ad tormenta pariter inuentum. Tu corrige ad tomenta.

Mandere.] Significãter locutus est: mandimus enim propriè, & manducamus ea, quæ dura sunt, & quæ dentibus reluctantur: sicut grammatici tradiderunt.

Amborum.] Neronis, & Drusi nepotum.

M. AN. EXpertis.] Virtute, aut merito aliquo probatis.

Animi sui nota.] Intestini odii iudicio.

Omnium criminationibus.] Omnibus criminari volentibus. Obnoxios.] Calũniæ, & criminationibus subiectos. Ad coouicia.] Vt sibi quoquo modo conuiciarentur, reique fierent maiestatis.

Accusauit.] Vt maiestatis reos ad Senatum per literas detulit.

Congestis etiam probris.] Eorum flagitiis, & sceleribus enumeratis. Vlpianus probrum pro infamia accipit: sed & flagitium significat.

Pontia insula.] Quæ, authore Plinio, contra Formianum iacet litus.

Ad voluntariam mortem.] Mortem sibi vltro consciscendam.

De eius crudelitate contra amicos. LV.



SVper veteres amicos, ac familiares, viginti sibi è numero principum ciuitatis depopoſcerat, velut conſiliarios in negotiis publicis. Horum omnium vix duos, aut tres incolumes præſtitit, cæteros alium alia de cauſa perculit: inter quos cum plurimorũ clade Aelium Seianum, quem ad ſummam potentiam non tam beneuolẽtia prouexerat, quàm vt eſſet cuius miniſterio, ac fraudibus liberos Germanici circunueniret, nepotémq; ſuum ex Druſo * filio naturalem ad ſucceſſionem Imperii confirmaret.

De crudelitate, & ſæuitia eius contra grammaticos, & magiſtros. LVI.



NIhilò lenior in cõuictores Græculos, quibus vel maximè acquieſcebat, Zenonẽ quendã exquiſitiùs ſermocinantem quũ interrogaſſet, quænam illa tam moleſta dialectos

Tomentũ culcitræ.] Farcimen, ἀπὸ τοῦ τέμνω, quod ſignificat concidere: quicquid enim conciditur ad culcitram farciendam, tomentum veteres dixere. Martial.

Tomentum conciſa palus circenſe vocatur. Et rurſus de tomento Lingonico:

Vellera Lingonicis accipe raſa ſagis. Euſebius Druſum veneno ait, nõ fame periiſſe. Culcitra ab io culcando. Varro: Poſteà tranſierunt ad culcitras: quòd in ea ſagum, aut tomentum, aliúdve quid inculcabant, ab inculcando culcitra dicta.

PHIL.

VIginti ſibi depopoſcerat.] In hãc ſententiam ſic ſcribit Paulus Oroſius: Viginti ſibi patritios viros conſilii cauſa legerat Tyberius: horum vix duos incolumes reliquit: cæteros diuerſis cauſis necauit.

* filium

Perculit.] Afflixit, ſubuerõt, necauit.

Aeliũ Seianũ.] Scilicet perculit. Fuit autem Aelius Seianus præfectus Tyberii, tantæ olim authoritatis apud principem, vt Cæſar appellaretur, ſicuti tradit Dion. Hunc res nouas molientem interfici iuſſit Tyberius, epiſtola à Capreis ad Senatũ miſſa per Næuium Sertorium Macronem: Vnde eſt illud apud Iuuenalem:

-Verboſa, & grandis epiſtola venit

A Capreis.- Lecta epiſtola ſtatim tribuni, & milites circunſteterunt Seianum, quem vinctum, vncóque tractum in gemonias abiecerunt. Hinc illud:

Seianus ducitur vnco ſpectandus. Seneca in libro De tranquillitate vitæ: Quo die Seianum Senatus deduxerat, populus in fruſta diuiſit: in quem quicquid congeri poterat, dii, hominéſque contulerant: & ex eo nihil ſuperfuit, quod carnifex traheret. Scribit Ioſeph. libro XVIII. Antiquitatum, Antoniam primam cognouiſſe Seiani inſidias, omniáque diligenter ad Tyberiũ ſcripſiſſe, & per Pallantem ſeruum fidiſſimum literas deſtinaſſe in Capreas ad Tyberium: qui inſinuata cognoſcens, Seianum cum conſciis vniuerſis interemit. Antoniam autem, quam antea venerabilem habuerat, venerabiliorem ex eo habere cœpit, eíque in omnibus obediebat.

Circunueniret.] Dolo aggrederetur.

Liberos Germanici.] Neronem, & Druſum: quos antè dictum eſt, à Tyberio fuiſſe fame necatos.

Nepotem ex Druſo.] Hic Tyberius dicebatur.

In conuictores.] Conuictor dicitur quotidianus conuiua, & qui nobiſcum viuit familiariter. Horatius:

Nunc quia ſum tibi Mecœnas conuictor.

Græculos.] Philoſophos, & ſophiſtas: de quibus iam dictum eſt.

Dialectos.] Loquendi genera Græci διαλέκτους vocant, vt docet Quintilianus in primo: quæ illis plura ſunt. Nam linguas quinque habent, Ionicam, Doricam, Atticam, Aeolicã, & communem. Iuxta has Latina verba comprehenſa intelliguntur, vt ſcienter penſitat Diomedes in ſecundo. Dorica autem lingua, quæ Græcè δωρὶς dicitur, in primis breuitati ſtudet: qua Pelaſgi ſunt vſi, & Lacones excelluere: author Herodot. in Clio. Strabo libro octauo Geographiæ, Doricã aſſerit eandem eſſe, quam Aeolicam: eáque vſos eſſe omnes fermè populos extra Iſthmum habitantes. Cùm autẽ tria forent genera Oratorum, Attici, Aſiani, & Rhodii, Rhodios Dorica lingua vſos eſſe tradunt, qui medii erant inter Aſianos, & Atticos, ex vtroque cõmiſti. Apud Rhodios complures extitere circa philoſophiam, & artes ingenuas peririſſimi. Senſus Tranquilli hic eſt, Tyberius Zenonem relegauit in inſulam Cynaram, propter ea quòd quum eum interrogaſſet, quænam illa lingua Græca eſſet, qua ille exquiſitè nimis, accuratéque ſermocinabatur, reſponderat eſſe linguam Doricam. Exiſtimauit enim per hanc reſponſionem ſibi à Græculo exprobrari ſeceſſum illum, ac penè exilium, quando Rhodi diu manſitauit: nanque Rhodii Dorica dialecto, & lingua loquuntur.

PRincipum.] Qui primi Senatorii ordinis erant. Cædis huius Senatoriæ, & Equeſtris ordinis Euſebius meminit. M. AN.

Perculit.] Concuſſit, metu defixit. Lucanus:

-Tum ſæuus perculit horror

Membra ducis.- Aelium Seianum.] Euſebius: Seianus, Tyberii præfectus, qui apud eum plurimùm poterat. Sed Iuuenalis multò plura.

Nepotémque ſuum.] Tyberium Druſi filium, adulterio natum.

Conuictores.] Comeſſatores: aut certè vnà cum eo domi agentes.

Quibus.] Quorum conſuetudini, colloquio, conſiliis. Exquiſitius.] Accuratius.

Dialectos.] Loquendi idioma. Eſt enim dialectos, linguæ proprietas: quadrifariámq; à Græcis diuiſa ratio. Eſt enim Ἀτθὶς διάλεκτος Attica lingua, ſiue loquendi proprietas: eſt & Δωρὶς, ἰὰς, καὶ αἰολίς: Dorica, Ionica, & Aeolica. Strabo planè demonſtrat Ionicã ab Attica illa priſca olim fluxiſſe, Doricámque ab Aeolica. Iones nanque Atticã incoluere, imò ipſi accolæ olim Iones dicti: & qui extra Iſthmum Græciam habitarunt præter Athenienſes, Megarenſes, & ipſos Parnaſi incolas Dorienſes, Aeoles vno nomine dicti ſunt: quo apparet duas ab initio fuiſſe linguas, Priſcam Atticam, & Aeolicam: à quibus totidem poſteà fluxerunt, Ionica, & Dorica.

esset, & ille respondisset Doridem: relegauit * Cynaram, existimans exprobratum sibi veterem secessum, quòd Doricè Rhodii loquãtur. Item cùm soleret ex lectione quotidiana quæstiones super cœnam proponere, comperissétq; Seleucũ grammaticum à ministris suis perquirere, quos quoq; tempore tractaret authores, atque ita præparatũ venire, primùm à contubernio remouit, déinde etiam ad mortem compulit.

De crudelitate eius in iuuentute. LVII.



SAeua, ac lenta natura ne in puero quidẽ latuit: quam Theodorus Gadareus Rhetoricæ præceptor & prospexisse primus sagaciter, & assimilasse aptissimè visus est, súbinde in obiurgando appellans eum πηλὸν αἵματι συμπεφυρμένον, id est, lutum à sanguine maceratum. Sed aliquantò magis in principe eluxit etiam inter initia, quum adhuc fauorem moderationis simulatione captaret. Scurram, qui prætereunte funere, clarè mortuo mandarat, vt nuntiaret Augusto, nondum reddi legata, quæ plebi reliquisset, attractum ad se recipere debitum, ducíque ad supplicium imperauit, & patri suo verum referre. Nec multò pòst in Senatu Pom-

PHIL. CYnaram.] Cynara nomen est insulæ, cuius meminit Plinius in quarto.

Ex lectione quotidiana.] Genus exercitationis nõ improbaudum, quo Tyberius vtebatur, vt scilicet in cœoa proponeret quæstiones discutiendas ex his rebus, quas singulis diebus lectitabat: ita parati or veniebat ad disserendũ, & ea firmius memoriæ mãdantur, quæ post lectionem disputantes retractamus.

Quoq; tempore.] Quocunque die, & hora.

A cõtubernio.] A cootubernalitate, vt Cypriani vocabulo vtar. De cõtubernio autem, & cõtubernalibus in principio Commẽtariorum satis multa. Theodorus Gadareus.] Theodorus orator, qui ætate Straboois floruit, fuit ex Gadaribus, quæ ciuitas Syriæ est, noo longe ab Ascalone: verũ maluit dici Rhodius Theodorus, quàm Gadareus: à quo sectatores Theodorei sunt appellati. Theodori auditor fuit Hermagoras. Hunc Theodorũ, vt ait Quintilianus io tertio, studiose audiuit Tyberius Cæsar, cùm in insulam Rhodon secessisset.

Súbinde.] Identidem, frequenter.

In obiurgando.] More boni præceptoris, qui erga discipulos animum parentis sumere debet, eorúmque vitia castigare. Verùm, vt præcipit Quintilianus, in bono doctore non erit austeritas tristis, non dissoluta comitas: ipse nec vitia habebit, nec feret.

Lutum à sanguine maceratum.] Hoc interpretamentum est Theodori obiurgationis: per lutum lenta natura, per sanguinem sæuitia Tyberii significatur. Vnde sagaciter videbatur Theodorus expressisse per hanc similitudinem mores, naturámque Tyberii.

Eluxit.] Resplenduit, apparuit sæua natura. Ab eluceo formatum præteritum est: aliâs ab elugeo deducitur: vt illud apud Ciceronem, Eluxi olitum Reipublicæ magis, quàm mater volcum filium. Et apud Liuium inquit L. Valerius tribunus: Quid aliud io luctu, fœminæ quàm purpuram, aut aurum depooont? qoid aliud, quum eluxerint, sumunt?

Simulatione.] Dum simulat se modestiam colere, quæ totius vitæ extollit ornatum: vt decenter inquit Ambrosius in 1. de Officiis. Sed, vt ait Cicero, nihil simulatum potest esse diuturnum: Ideóque Tyberius omissa simulatione rediit ad naturam sanguinariam.

Scurram.] Græci βωμολόχους dicũt, quos Latini scurras. De βωμολόχου etymo, & significatu doctè, copioséq; scribit Suidas io Etymologico. Vocabulum autem scurræ Verrius tractum esse ait ex Græco, quod est, σκιρτᾶν, quod Latinè significat lasciuire: verùm fallitur Verrius. Scurra enim Latinum nomen est, & à sequẽdo formatum. Aenariã Nanque id genus homines sequi solent opulentiores, causa aliquid promerendi. A scurra fit verbum scurror, scurrilitas, & scurrilis. loci autem scurriles debent abesse à viro graui.

Clarè.] Clara voce, cũctis audientibus.

Mortuo mandarat.] Tanquã scurra scurriliter hoc mãdatum dederat defuncto prætereũti ad Augustũ perferendũ: quòd scilicet legata oondum à Tyberio reddebãtur plebeiis, quæ ille in testamento legauerat: & ita dicaciter momorderat Tyberii auaritiam: ex qua loquẽdi libertate sibi mortem comparauit. Debitum.] Legatum ab Augusto relictum, quod scurra dixerat oondum reddi.

Patri.] Augusto.

Verum referre.] Quemadmodum ipse scurra legatum pro rata accepisset à Tyberio.

M. A N. DOridem.] Dialecton, ad Rhodũ scilicet alludens, vbi Doricè loquebantur. Cynaram.] Vnã ex Cycladibos, inter Sycinum, & Gyarum.

Veterem secessum.] Rhodiacum: in quo relegato similis diu inuitus fuit. Ex lectione quotidiana.] Quam diebus singulis tractaret. A contubernio.] Domestica consuetudioe. In puero.] Puerili, & tenera ætate. Quintilianus ait, Tyberium non puerum operam dedisse Theodoro Gadareo, sed Rhodiaci secessus tempore. Theodorus Gadareus.] Qui & Rhodius est dictus. Idem Fabius, Theodorus, inquit, Gadareus, qui se dici maluit Rhodium.

Assimilasse.] Optima vsus similitudine.

πηλὸν αἵματι συμπεφυρμένον.] Lutum sanguine maceratum. Ingeniũ lentũ.] Lentam fouens sæuitiam.

Eluxit.] Inuito eo se prodidit.

Scurram.] Dicacem hominem, ridiculísq; verbis incessentem. Est hoc propriè scurra, qui risum ab audientibus captat, haud salua personæ dignitate.

Non reddi.] A Tyberio. Legata.] Quæ Augustus testamento legasset. Recipere debitũ.] Quod sibi deberi diceret. Patri suo.] Augusto.

Quid

peio cuidam equiti Romano quiddam pernegan ti, dum vincula minatur, affirmauit fore, vt ex Pompeio Pompeianus fieret, acerba cauillatione simul hominis nomen incessens, veterémque partium fortunam.

De crimine læsæ maiestatis atrociter acto. LVIII.



Vb idem tempus consulente Prætore, an iudicia maiestatis cogi iuberet, exercendas esse leges respondit, & atrocissimè exercuit. Statuæ quidam Augusti caput dempserat, vt alterius imponeret. Acta res in Senatu. Et quia ambigebatur, per tormenta quæsita est. Damnato reo, paulatim genus calumniæ eò processit, vt hæc quoque capitalia essent: Circa Augusti simulacrum seruum cecidisse, vestem mutasse, nummo, vel annulo effigiem impressam latrinæ, aut lupanari intulisse, dictum

PHIL. QViddā pernegāti.] Petebat nescio quid à Pompeio Tyberius: ille pertinaciter in negando perseuerabat.

Ex Pompeio Pompeianus.] Notum est, Pompeianam factionem, Pompeianósq; omnes infensos fuisse Cæsari, Cæsareæq; familiæ: quorum partim interfecti, partim in exilium missi sūt. Hinc Tyberius alludens ad nomen dixit, Pompeium illum, qui sibi aduersabatur, futurū Pompeianū, hoc est iri eiectum, interfectúmve: sicut acciderat temporibus Iulii Cæsaris Pompeiis, sectatoribúsque Pompeianæ factionis.

Incessens.] Mordens, & dicaciter inuadens.

Veterem fortunam.] Calamitatē, & infortuniū partium Pōpeianarū.

Cauillatione.] Irrisione. Alio nomine dicitur cauillum. Apuleius, Scitum est cauillum.

Consulente prætore.] Officium prætoris erat, præesse iudiciis, & iudicum nomina sortiri: omnésque iudices iurabant in leges, præter ipsum prætorem.

Iudicia maiestatis.] Publica iudicia sunt, repetundarū, ambitus, maiestatis, & id genus alia. Cogi autem iudicia dicuntur à prætore, quando iudices ad iudicandum congregantur, atque conueniunt. Itidem dicimus, coactus est Senatus. & illud,

Tityre coge pecus.

Exercendas leges.] Exercentur leges, quando sontes secundum præscripta legum puniuntur. Debent enim, teste Aristotele, leges imperare: magistratus verò esse legum ministri. Vnde ait diuinus Plato in IIII. de Legibus: Salutem paratam illi ciuitati video, in qua lex seruientibus magistratibus dominatur: interitum verò illi, in qua non lex magistratibus, sed legi magistratus præsunt. Quæ autem crimina pertineant ad legem maiestatis, suprà dictum est, & copiose scribunt Iurisconsulti, Digestis ad legem Iuliam maiestatis. Tyberius dixit leges exercendas, intelligi volens non tam ex præscripto, & formula exercendas, quàm ex libidine ipsius, & sæuitia distringendas, veluti tela sanguinaria, atque mortifera.

Statuæ caput dempserat.] Scire debes quòd apud priscos statuæ ita formabātur, vt capita tolli, & alia substitui possent: quod docet Plin. in XXXV. cuius hæc sunt verba: Surdo statuarum discrimine capita permutantur. Hoc factum fuerat in Augusti statua: cuius rei author damnatus est.

Ambigebatur.] Dubitabatur de authore facinoris.

Capitalia.] Pœna capitis punienda. Capital dici voluerunt veteres facinus, quod capitis pœna luitur. Plautus in Menæhmis: Iam & si capital feceris, facilè asseruabis. Homines quoq;, & orationes capitales dici inuenles apud eruditos, pro flagitiosis, pestiferisque, & capitali supplicio dignis. Cicero in V. Antonianarum: Ad quendam Septimium capitalem hominem collegam suum miserat. Idem in II. de Officiis: Capitalis oratio est ad æquationem bonorū pertinēs. Ab Horatio dicta est ira capitalis, pro exitiali, & mortifera.

Seruum cecidisse.] Suprà dictum est ex authoritate Senecæ, & Iurisconsultorū, licere seruis ad statuā principis confugere, tanquam ad asylum. Vnde Tyberius crimen hoc capitale, id est capitis pœna puniendum esse voluit, si quis dominus seruū verberasset, qui ad Augusti statuam confugisset.

Vestem mutasse.] Repete illud, circa simulacrū Augusti. Nō enim mutasse vestē, quod rei eū suis gētilibus facere solent, erat capitale: sed id fecisse iuxta statuā Augusti. Potest & hoc referri ad eos, qui interdū in foro vestem mutabant, & luxu, aliáve causa: sicut ille Crispinus apud Martialem:

Nescit cui dederit Tyriam Crispinus abolam,
Dum mutat cultus, induitúrque nouos.

Effigiem.] Scilicet Cæsaris principis.

Nummo.] Cuius nota esset effigies Augusti.

Latrinæ intulisse.] Hoc ex historia dictū, quā à Seneca tradi obseruauimus. Sic enim scribit lib. III. de Beneficiis, cap. XXVI. Sub Tyberio Cæsare fuit accusandi frequens, & penè publica rabies, quæ omni ciuili bello grauius togatā ciuitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantium. Nihil erat tutum. Omnis sæuiendi placebat occasio. Nec iam reorū expectabatur euentus, cùm esset vnus. Cœnabat Paulus prætorius in conuiuio quodam, imaginē Tyberii Cæsaris habens exsculptā, eminente gemma. Rem ineptissimā fecero, si nunc verba quæsiero, quēad modum dicam illum matellam sumpsisse. Quod factū simul, & Macro ex notis illius temporis vestigatoribus notauit. At seruus eius, cui nectebātur insidiæ, ei ebrio annulum extraxit. Et cùm Macro conuiuas testaretur, admotā esse imaginem obscœnis, & iam subscriptionē componeret, ostendit in manu sua seruus annulū. Hactenus Seneca. Ex cuius verbis patet quemadmodum capitale erat intulisse effigiem principis obscœnis locis, siue illa esset in annulo, siue in nummo expressa.

Latrina. Antiqui balneum domesticum lauatrinam appellare consueuerunt: sicuti docet Varro lib. II. de Analogia. deinde cùm breuitatis causa nomina contraherent, quò essent aptiora, pro lauatrina, latrinā nominauerunt: sicuti ex maxillis, & axillis, & vexillis, malæ, alæ, & vela diminuta sunt. Plaut. in Curgulione, latrinā in eo balnei significato, quod [illegible]idit Varro, videtur accepisse, vbi ait: Istas tuas m[illegible] minas non pluris facio, quàm ancillam meam, qu[illegible]trinā lauat. Hinc latrinas quoq; vulgò dicimus colluui[illegible]ria, hoc est receptaculum colluuionis, stercoris, & sordiū. Scribit Iulius Firmicus in VIII. Matheseos, quòd quicunque habuerit horoscopum in vigesimaoctaua parte Arietis, latrinas semper, cloacásq; mundabit. Idem ait: Quicunque in

parte Tauri haboerint horoscopom, baiulaboot stercora,& latrinas purgabont. Videntur latrinæ differre à cloacis, tanquam priuatæ à publicis. Columella:
Immundis quæcunque vomit latrina cloacis.

addit ætatem Heroicam. Omnium pessimum seculum est ferreum: & hoc tam diu futurum præsagiunt versiculi, quàm diu incolumis fuerit Tyberius. Nanq; priocipes prout boni, vel mali extiterint, secula facient aurea, vel ferrea. Tyberius seculum aureum, qood fuerat sub optimo principe Augusto, demorauit in seculum ferreum sua improbitate, & scelere.

vllum, factúmve eius existimatione aliqua læsisse. Periit dénique & is, qui honores in colonia sua eo dem die decerni sibi passus est, quo decreti & Augusto olim erant.

De atrociter gestis per eum sub specie grauitatis. LIX.

MVlta præterea specie grauitatis, ac morum corrigendorũ, sed & magis naturæ obtemperans, ita sæuè, & atrociter factitauit, vt nonnulli versiculis quoque & præsentia exprobrarent, & futura denuntiarent mala:

Asper, & immitis, breuiter vis omnia dicam?
  Dispeream, si te mater amare potest.
Non es eques: quare? nõ sunt tibi millia centũ.
  Omnia si quæras, & Rhodos exilium est.
Aurea mutasti Saturni secula Cæsar:
  Incolumi nam te, ferrea semper erunt.
Fastidit vinum, quia sitit iste cruorem:
  Tã bibit hũc auidè, quàm bibit antè merũ.

M. AN. IVdicia maiestatis.] In eos, qui maiestatis essent arcessiti.

Alterius.] Quē eo genere honoris ornare destinarat.

Calumniæ.] Criminationis.

Capitalia essent.] Capitis periculum importarent. Vlpianus, Capitalem, inquit, fraudem admittere, est tale aliquid delinquere, propter quod capite, qui fecerit, puniendus sit.

Mutasse vestē.] Quod reorũ proprium fuit.

Latrinæ, aotlupanari.] Vt hoc ad nũmos, illam verò ad annulos referas.

PHIL. HOoores in colonia sua.] Seosus est: Colonus ille fuit iussu Tyberii interfectus, qui in colonia io quam fuerat deductus, honore se decorari permisit eo die, quo die per superiora tempora Augusto Cæsari fuerant honores similiter decreti: taoquàm is vellet Augusto coæquari.

Corrigendorum morum.] Instar censoris, qui præest moribus corrigendis: cùm censura sit magistravitæ.

Asper, & immitis.] Versiculi isti iocerto authore vulgati sunt Romæ, tanquam taxatores principis Tyberii, & illius vitiorum castigatores acerrimi.

Dispeream.] Male peream. Dixit Horatius;
-Peream malè, si non
Optimum erat.- Martialis:
Dispeream, si tu Piladi præstare matellam
Dignus es.-

Matet amare.] Ex hoc declaratur, quàm odiosus cũctis mortalibus foret Tyberius, qui oecquidem à matre Liuia, ob morum diritatem, amari poterat: cùm nullus amor indulgentior materno esse soleat.

Non sunt millia centum.] In quodam satis emendato codice legi, quater & non sunt tibi millia centũ. Quæ lectio non displicet. Census enim equestris erat quadringentorum millium: sicut notum est ex aothoritate vtriosqoe Plinii, & poetarum. Sensus est, Tyberiom equitem iure dici noo posse, qui necquidem in censo habeat centum millia: vel cui oon sit census equestris, hoc est millia quadringenta.

Rhodos exilium.] Tyberius mansionem suam, qoam Rhodi fecit, secessom Rhodium honesto vocabulo appellare solebat: cùm veriùs exilium fuerit oun cupandum. Visus est enim magis exulasse, quàm secessisse: cùm Romam migrare non posset.

Saturni secula.] Notissima sunt, quæ de ætate Saturni aurea, reliquisque seculis memorãtur. Hesiodus

Sitit cruorem.] Tale est illud à Plinio dictum de Marco Antonio ebrioso: Volumen euomuit: quo facilè intelligatur ebrius iam sanguioe ciuium, & tantò magis eum sitiens.

Hunc auidè.] Scilicet cruorem: ex quo sanguinaria Tyberii natura taxatur.

M. A N. NAturæ obtemperans.] Suũ secutus ingenium.

Exprobrarent.] Probro darent.

Asper, & immitis.] Es, intellige: id enim verbum, Gellio, Macrobio, & Seruio authoribus, potest sine sensus detrimento reticeri, qoanqoam & vocandi casus esse possit.

Mater.] Liuia: ac per hoc, ne alii quidem: argumentum à maiori.

Non suot tibi millia centum.] Quum legitimus eius ordinis census quadringentorum millium esset. Laberius poeta donatus est censu equestri, id est, coronatorum Gallicorũ duodecim millibus & quingentis. Macrobius lib. II. Saturnal. Laberium asperæ libertatis Equitem Romanũ Cæsar quingẽtis millibus inuitauit vt prodiret in scenã, & ipse ageret mimos, quos scriptitabat. De censu eqoestri Plinius lib. XXXIII. Tyberii demũ principatus nono anno io vnitatem venit Eqoester ordo, annulorúmque authoritati forma constituta est. Et infrà: Hac de causa constitutum, ne cui ius annuli esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, auóque paterno sestertia quadringenta census fuissent.

Omnia.] Tuas omnes ærumnas, & miserias.

Rhodos exilium.] Exilii sedes, & non secessus.

Aurea secula.] Quæ sub Augusto fuerunt. Vergil.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna. Et rursus: -Toto surget gens aurea mundo.

Ferrea.] Sæua, & crudelia. Hesiodus ætatum omniũ primam, atque eandem optimam auream appellauit. Postremam verò ferream: χρύσεον μὲν πρῶτον γένος μερόπων ἀνθρώπων. nec moltò pòst, ζεὺς δὲ πατὴρ τρίτον ἄλλο γένος μερόπων ἀνθρώπων χάλκειον ἐποίησε: magnam in vita iotelligi voluit mutationem Tyberii vitiis esse factam, vt quæ aurea modò fuissent secula, ferrea essent facta.

Fastidit vinum.] Cuius ab initio appetentissimus fuit: vnde illud, Caldius Biberius Mero.

Aspice

Aſpice felicem ſibi, non tibi, Romule, Syllam:
Et Marium, ſi vis, aſpice, ſed reducem.
Necnon Antoni ciuilia bella mouentis,
Nec ſemel infectas aſpice cæde manus:
Et dic, Roma perit: regnabit ſanguine multo,
Ad regnum quiſquis venit ab exilio.

Quæ primò quaſi ab impatientibus Romæ* domini, ac nõ tam ex animi ſententia, quàm bile, & ſtomacho fingerentur, volebat accipi. Dicebátque identidem: Oderint, dum probent. Déinde vera planè, certáque eſſe ipſe fecit fidem.

PHIL. ASpice felicem.] Senſus eſt: Quemadmodũ Sylla, Marius, M. Antonius ab exilio reuertentes truculentiſſimi & ſanguinarii tyranni extiterunt, ita Tyberius ab exilio Rhodio ad principatum Romanum accedens, ſanguine, & crudelitate bacchabundus dominatur.

Romule.] Sermo eſt apoſtrophus ad Romulum ipſius vrbis conditorem, tanquam ad Romanos. O Romule, inquit, Syllã, qui cognominatus eſt felix, & fauſtus, ſcito illum fuiſſe quidem felicẽ, ſed ſibi, tibi verò infeſtiſſimum. Notum autem eſt, quemadmodum Sylla vitiis obeſus fuit naufragium Reipublicæ, & carnificina ciuium: qui, vt aothor eſt Iulius Firmicus Maternus in s. Matheſeos, nefariis cædibus paſcebatur, & omnia faciebat impuné. Móxque ſubiungit: Quis deus aut exulem fecerat Marium, aut felicem fecerat Syllam? Hinc tanquam exul fugit ex vrbe, ſéq; ad milites contulit, quando Marius, & Sulpitius tumultuantes in foro conſules eiecerunt, trucidato Pompeii, qui vnus ex conſulibus erat, filio. Poteſt & tunc videri exulaſſe Sylla, quando Marius vnà cum Cinna reuerſus ab exilio inuaſit vrbem, villas, & ædes Syllæ incendit, & Metella Syllæ coniunx cum filiis ex vrbe clanculùm vix effugiendi habuit poteſtatem. Marium reducem.] Marius tunc ſanguinarius, & maximè crudelis fuit, quando rediit ab exilio, ſubnixus ope Cinnæ. Etenim, vt Hiſtorici teſtãtur, carcer, catenæ, fuga, exiliũ, horrificauerãt Marium. Si vis ſigillatim noſſe, quæ exempla crudelitatis ediderit Marius ab exilio reuerſus, lege Plutarchum, Appianum, Liuium, Florum, & ex poetis Lucanum. Reduces autem propriè dicuntur, authore Seruio, qui pericula euaſerunt, & incolumes redeunt. Nominatiuus ſingularis numeri eſt redux: quo vtitur Sidonius Apollinaris.

Ciuilia bella.] M. Antonius ciuilia bella plura cõmouit: Mutinenſe aduerſus Decimum Brutũ: Philippenſe aduerſus alterum Brutũ, & Caſſium: Actiacũ aduerſus Auguſtum. Infectas.] Tinctas, fœdatas.

Non ſemel.] M. Antonius hoſtis patriæ iudicatus, mox Auguſto, Lepidóque coniunctus nefariam fecit proſcriptionem, & multorum cæde oculos pauit, & in primis Ciceronis. Hiſtoria notiſſima. Ideo ait, Non ſemel infectas fuiſſe, hoc eſt tinctas, atq; fœdatas ſanguine ciuium manus Antonii: quoniam ſæpe ciuiles cædes patrauit, ſitiens videlicet humanum ſanguinem: qui in volumine, quod de ſua ebrietate edidit, declarauit quãta per temulentiam mala orbi intuliſſet.

Venit ab exilio.] Sicut Sylla, Marius, & Antonius olim ab exilio redeuntes impotenter dominati ſunt, ita nunc Tyberius ab exilio Rhodienſi adeptus Imperium inſolenter & crudeliter regnat per ſanguinem & cædes ciuium.

Quàm bile, & ſtomacho.] Senſus eſt, Tyberius perſuadere volebat, authores talium verſiculorum, non ideo talia ſcribere in ipſum, quod re vera ita ex animo ſentirent, ſed potiùs per indignationem, tanquam dominum pati non poſſent. Bilis pro indignatione accipitur, & iracundia, cuius effectrix eſt. Horatius:
Iuſſit quod ſplendida bilis. Perſius:
-Calido ſub pectore maſcula bilis
Intumuit.- Plinius de felle loquens ait: Hinc & in mores crimen bilis nomine: adeò magnum eſt in hac parte virus, quum ſe fundit in hominem.

Stomacho.] Indignatione. Vnde ſtomachoſus, & ſtomachabundus.

Identidem.] Frequenter.

Dum probent.] Probare cogũtur. Hoc enim naturaliter euenire ſolet, vt tyrannum ſubiecti odio deteſtabili perſequantur, ſed tamen palàm probare cogantur. Conſimilis hæc Tyberii vox eſt illi deteſtabili, tyrannicæq; ſententiæ, Oderint, dum metuant. quæ multos dedit præcipites: nam quem metuunt oderunt: quem quiſq; odit, periiſſe expetit: vt loquit veriſſime Ennius. Quinetiam Silius dementiam eſſe oſtendit in principe, timeri velle, tanquam id ſit honorificum. Sic enim ait de Aſdrubale:
-Et metui demens credebat honorem.

Fecit fidem.] Factis ſanguinariis, & crudelibus, approbauit vera eſſe illa omnia, quæ de ipſo ſcribebãtur.

FElicem Syllam.] Aureæ ſtatuæ, quæ Syllæ pro Roſtris locata eſt, Cornelio Syllæ Imperatori fortunato eſt, vt Appianus tradit, adſcriptũ. Ipſe quoque liberos duos Fauſtum, & Fauſtam appellauit: quã vocem felicem, & hilarem apud Romanos ſignificare Plutarchus tradit. Aſpice.] Inquit. M. AN.

Syllam felicem.] Sed ſibi felicem, nõ patriæ, vt illũ. Siquidem Sylla quum perpetuam induiſſet Dictaturã, pacato Reipublicæ ſtatu, eam vltro depoſuit. Sed cur Syllam Tyberium dixerit, in dubium venire poteſt: verùm Sylla & ipſe quaſi ab exilio ex Mithridatico bello ad Rempublicã capeſſendam rediit: Plutarchus, & Appianus ſunt authores.

Romule.] Romane.] Perſius: An Romule ceueſ? Catullus: At vobis mala multa di, deæq́ue
Dent opprobria Romuli, Remique.

Reducem.] Non qualis fuit tùm Cimbros, Teutonas, & Ambrones vicit: ſed cùm dirus, & patriæ pernicioſus ab exilio rediit. Appianus, Plutarch. & Anneus Lucanus eius ſæuitiã longiore ſunt ſermone executi.

Antonii.] Qui & ipſe hoſtis iudicatus, reuerſus proſcriptionem crudeliſſimã cũ Auguſto, & Lepido exercuit. Ciuilia bella mouentis.] Nam ſub initium primi belli ciuilis, quod ad Mutinam geſſit, hoſtis iudicatus eſt. Non ſemel infectas.] Sæpius figuratè dixit: præter Mutinenſe bellum ciuile, geſſit & Philippẽſe, Actiacum, nouiſſiméque Alexandrinum.

Dic.] Dicere potes. Quiſquis venit ab exilio.] Quod ita ſanè eſſe Syllæ, Marii, & Antonii reditus ad vrbem anteà demonſtrauit: hac verò repeſtate tuus, ô Tyberi: multi enim non receſſum illum Rhodiacum, ſed exilium ſunt interpretati.

Ab impatientibus Romæ domini.] Ab iis, qui dominum Romæ pati non poſſent.

Ex animi ſententia.] Quod ita illi de ſe ſentirent, vt ſcriberent.

Oderint, dum probent.] Nemo ea, quæ odit, pro-

bauis vnquam, nisi inuitus, à quo sensu hæc nõ abhorrent, vt dixerit, habeant me odio, dum palàm probare cogantur: tantundémque erit ac illud, Oderint, dum metuant. Sed probabilius est, ferant præ se odinm obtrectationibus, & famosis libellis, modò oos certo animi iudicio probét.

cinaríque potuisset. Tunc Tyberius iussit vt locusta illius os, & facies laceraretur: qui crudelitate, périnde ac delectabili cibo pascebatur.

Ob surreptum pauouem.] Olim Pessenius Niger Romanus Imperator ob vnius galli direptiooem decem cõmanipnlones securi percuti iusserat: sed exercitus seditionem veritus, iussit vt denorum gallinaceorũ pretia gallinacei domino persoluerent, & vt nemo illorum vnquã focum faceret, oec vnquam recèns coctum cibum sumeret, sed pane, & frigidis vescerentur: appositis speculatoribus, quid id curarent.

Pœnæ grauissimæ immeritis propter modica commissa irrogatæ. LX.


IN paucis diebus, quàm Capreas attigit, piscatori, qui sibi secretũ agenti grãdem mullum inopinanter obtulerat, perfricari eodem pisce faciem iussit, territus quòd is à tergo insulæ per aspera, & deuia erepsisset ad se. Gratulanti autem inter pœnam, quòd non & locustam, quam prægrandem ceperat, obtulisset: locusta quoque lacerari os imperauit. Militem prætorianum ob surreptũ è viridario pauonem, capite puniit. In quodam itinere lectica, qua vehebatur, vepribus impedita, exploratorem viæ primarum cohortium Centurionem stratum humi penè ad necem verberauit.

Sæuitiæ, & omnia genera crudelitatis eiusdem. LXI.


VOx in omne genus crudelitatis erupit, nũquam deficiente materia, cùm primò matris, déinde nepotũ, & nurus, postre-

PHIL. GRandem mullum.] Diximus suprà mullos pisces magnitudine esse modica, bináſque libras ponderis rarò admodum exuperare: cũ ergo rara iuuenr, piscator mullũ grãdem, & ob id pretiosiorem, gratiorémque futurum ratus, Tyberio obtulerat. Ostendit Horarius in Sermonibus, proceros lupos odio esse, quia naturaliter magni sunt: contrà grãdes mullos expeti, quia his est breue pondus.

Perfricari.] Nõ tam supplicii causa, quàm dehonestamenri, quanuis & squamæ possint lacerare faciem, & concidere.

A tergo insulæ.] Tanquam aditum, viámque demonstrasset, qua insidiatores furtim obrepere possent ad Tyberium contrucidandum.

Per deuia.] Inaccessa, remotáqoe à via vsitata.

Erepsisset.] Erepere est difficulter loca aspera, & edita scandere: tanquam opus sit erepere magis, quàm ambulare. Horatius: -Et quos
Nunquam erepsemus, nisi nos vicina Triuici
Villa recepisset.-

Locustam.] Locusta, piscis est ex geuere crustaceorum, corpore longo. Differt mas locusta à fœmina, quòd fœminæ primus pes duplex, mari simplex, vtriq; cornua ante oculos bina, longa, & aspera: author Aristoteles in qnarto de animalibus: Polypum in tantum locusta pauet, vt si iuxtà viderit, omnimodo moriatur. Locustam lacerat conger: vt refert Plinius iu nono: Sunt & locustæ ex genere insectorum, quas Græci *ἀκρίδας* appellant: quæ volantes solem obumbrant, omnia morsu erodentes, & contactu adurentes. In Cyrenaica regione lex est, vt inqnit Plinius in xi. ter anno debellandi locustas: primò vt oua obterant, déinde fœtum: postremò adultas. Desertoris pœna iu eum statura est, qui cessauerit. Hæc est illa locusta, quæ olim Aegyptum repleuit: sicuti in Exodo, & apud Ecclesiasticos scriptores coplosè relatum est. De pisce locusta loqoitur Tranquillus: cuius sensus est: Piscator dum perfricarione mulli piscis squamosi laceratur, cœpit lætari, quòd non locustam attulisset: cuius crustaceo tergo vehementiùs lacerari, lan-

Viridario.] Horto amœnissimo.

Vepribus.] Spinis. Vergilius in Georgicis:
-Et hirsuti secuerunt corpora vepres.
Inde vepreta, spinosa loca, & senticosa dicũtur. Cicero veprecula, quod est diminutiuum vepris, dixit in Sestiana: Vt illa ex vepreculis extracta nitedula Rempublicam conaretur arrodere. Est autem nitedula, vt Ciceronis dictionem intelligas, mus exiguus: sicut docet Seruius citans hoc Tullianum testimonium.

Primarum cohortium centurionem.] Docet Vegetius in II. de Re militari, primã in legione cohortem fuisse reliquis cohortibus & nobiliorem, & numerosiorem: nanque supra mille milites continebat, & ob id milliaria nominabatur.

Erupit.] Quasi agmine, & impetu facto prosiliit, omni calcata modestia.

Dein nepotum.] Neronis, & Drusi. Sæpe diximus dein, & exin, pro déinde, & éxinde: author Cicero in Oratore.

Nurus.] Agrippinæ.

SEcretum agenti.] Curanti corpus, aut circa quid aliud remotis arbitris occupato. M. A N.

Mullum.] Piscem.

Erepsisset.] Obrependo in summum euasisset.

Gratulanti.] Feliciter sibi cessisse dicenti.

Locustam.] Quippe quæ crusta, non squamis constat. Plinius: Locustæ crusta fragili mnniuntur. Et rursus: Fluitant locustæ reptantium modo, recto meatu, cornibúsque sunt rotunditate præpilata ad latera porrectis. Viridario.] Loco herbis, plantísque virentibus prædito.

Primò matris.] Breuis epilogus eorum, quæ crudeliter in matrem, & necessarios per scelus patrauit.

Seiani

mò, Seiani familiares, atque etiam notos persequeretur. Post cuius interitum vel sæuissimus extitit: quo maximè apparuit, non tam ipsum à Seiano concitari solitum, quàm Seianum quærenti occasiones, sumministrasse. Etsi commentario, quem de vita sua summatim, breuitérque composuit, ausus est scribere, Seianum se punisse, quòd comperisset furere aduersus liberos Germanici filii sui, quorum ipse alterum suspecto iam, alterum oppresso demum Seiano interemit. Singulatim crudeliter facta eius exequi longum est. *Generatim velut exemplaria sæuitiæ enumerare sat erit. Nullus à pœna hominum cessauit dies, ne religiosus quidem ac sacer. Animaduersum in quosdã ineunte anno nouo. Accusati, damnatíque multi cum liberis, atq; etiam vxoribus suis. Interdictum ne capite damnatos propinqui lugeret, decreta accusatoribus

PHIL. SEiani familiares persequeretur.] Seiano perempto cognati, & amici passim accusabantur: ad quos damnandos vel hoc solum crimen sufficiebat, quòd amici Seiani fuisse dicerentur. Ignouit tamen Tyberius quibusdam, & in primis M. Terentio Seiani familiari: qui quum accusaretur ob hoc, quòd amicus Seiani fuisset, non modò non negauit, sed palàm dixit, se ideo studiosum, familiarémque Seiani fuisse, quia ille tantopere à Tyberio honorabatur. Aequum est enim, inquit, quoscunque honorat Imperator, eos quoque nos amare, nihil curiosius inquirentes quales hi sint. hæc Dionysius.

A Seiano concitari.] Quidam ita existimabãt, vt Tyberius nõ sua sponte, sed stimulis Seiani concitatus sæuiret.

Quærenti occasiones.] Tyberio sæuiendi in suos occasiones quærenti suggerebat, subministrabátque Seianus, non autem ipse à Seiano ad crudelitatem exercendã cõcitabatur.

Summatim, breuitérque.] Expressit quid sit commentarius. Nam, sicut copiosiùs explicauimus in Iulio Cæsare, commentarium dicimus, in quo nudæ res ponuntur, & capita rerum annotantur. Hinc ait Cicero in epistola ad L. Luceium: Conficiam commentarios rerum omnium.

Alterum oppresso Seiano.] Igitur si post interitũ Seiani alter ex filiis Germanici interemptus est à Tyberio: quomodo potuit, aut debuit Seianus ob hoc puniri, quod ipse faceret aduersus filios Germanici?

Singulatim.] Speciatim, & per singula exempla crudelitatis.

Generatim.] Dum per genera discurrit, abundè exempla suggeruntur Tyberianæ crudelitatis.

Ne religiosus quidem.] Religiosi dies, vt docet Gellius in quarto, dicuntur tristi omine infames, impeditíq;: in quibus res diuinas facere, & rem quampiam nouam exordiri, temperandum est: quos vulgus nefastos appellat. Hinc Cicero diem Alliensis pugnæ religiosum esse dicit in epistolis ad Atticum. Quidam religiosos interpretantur dies sacros. Macrobius in tertio Saturnalium, Religiosi sunt, inquit, dies, qui facienda, & vitanda discernunt: sacri verò dies, sacrati sunt: quanquam sacrum aliquando execrabile, funestúmque dicatur, iuxta illud Maronianum:

Auri sacra fames.- Religiosum diem, & sacrum, veluti contraria opposuit Fortunatianus in III. Rhetorices, cùm ait: Quando temporis significationem habet, velut interdiu, an noctu: sacro, an religioso die.

Animaduersum in quosdam.] Punió quidam. Animaduertere enim, punire est: inde animaduersiones dictæ, & animaduersi ipsi puniti. Paulus Iurisconsultus: Corpora animaduersorum quibuslibet petentibus ad sepulturam danda sunt. Ineunte anno nouo.] Calendis Ianuarii: quo die, cùm sit festus, & sacer, temperandum erat à suppliciis, animaduersionibúsque. Olim Calendæ Martiæ principiũ anni fuerunt: idq; maximè ex hoc probatur, quòd ab ipso Quintilis quintus est, & deinceps pro numero numerabantur. Quandoque & Idus Maiæ solennes fuerunt ineundis magistratibus: aliquando Idus Decembres: Liuius author.

Propinqui.] Necessarii, & affines.

Lugerent.] Lugere non tam plorare est, quàm lugubres vestes induere. Est autem vestis * genera lugentium coloris nigri, quem Græci ἀνθράκινον appellant à carbone, qui Græcè ἄνθραξ nominatur. Varro: Propinquæ adulescentulę, etiam adulescentuli proximi, amiculo nigello, capillo demisso sequuntur loctum. Scribit Liuius, matronas in luctu nihil aliud, quàm purpuram, aurúmque deponere: quæ cùm eluxerunt, resumunt. Dionysios Halicarnaseus libro v. refert Romanas matronas Valerium Poblicolã, Brutúmque luxisse annuum tempus depositione auri, & purpuræ: vt est illis luctus consuetudo in necessariorum, cognatorúmque funeribus. Cicero in quarta Tusculana luctum esse dicit ægritudinem ex eius, qui charus fuerit, interitu acerbo.

M. AN. COmmentario, quem.] Sic Gellius: Est adeò Probi grammatici cõmentarius. Alterius generis authoritas frequentior. In numero etiam multitudinis commentarios, & commentaria indifferenter veteres protulerunt. Est commentariũ, vt Seneca tradit, in quo nudæ res ponuntur. Cicero: Non est oratio, sed capita rerum, & orationis commentarium paulò plenius.

Quorum alterũ.] Neronem. Suspecto.] Seiano.

Alterũ.] Drusum: quibus falsa fuisse apparet, quæ de Seiani morte in cõmentariis tradidit. Exemplaria.] Ab exemplari, & exemplario esse potest. Plinius: Verba hæc omisit in hoc tractatu, nisi exemplarium vitiosum est. Cicero: Illa oratio fuit mihi exemplar bene dicendi.

A pœna hominum.] Quo non aliquis pœna afficeretur.

Religiosus.] Festus religiosos dies esse ait, qui facienda, & vitanda discernerent: quod & Maro sensisse videtur, cuius illud est: -Riuos deducere

Nulla religio vetuit.- Religiosi adhæc dies, infames, atque infausti dicuntur.

Sacer.] Diuino cultui datus. Trebatios in libro de Religionibus, sacrum esse dixit, quicquid deorum haberetur. Lugerent.] Luctu, & squallore suum testarentur dolorem.

præcipua præmia, nonnunquam & testibus. Nemini delatorum fides abrogata. Omne crimē pro capitali receptū, etiam paucorum, simpliciumq; verborum. Obiectum est poetæ, quòd in tragœdia Agamemnonem probris lacessisset. Obiectum & historico, quòd Brutum, Cassiúmque vltimos Romanorum dixisset. Animaduersum statim in authores, scriptáque abolita, quanuis probarentur aliquot ante annos, etiam Augusto audiente, recitata. Quibusdam custodiæ traditis, non modò studendi solatium ademptum, sed etiam sermonis, & colloquii vsus. Citati ad causam dicendam, partim se domi vulnerauerūt certi dānationis, & ad vexationē, ignominiámq; vitandam partim in media curia venenum hauserunt, & tamen colligatis vulneribus, ac semianimes, palpitantésque adhuc in carcerem rapti. Nemo punitorum non & in gemonias abiectus, vncóq; tractus. Viginti vno die abiecti, tractíq;. Inter eos pueri, & fœminæ. Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ

PHIL. Nonnunquam & testibus.] Præmia scilicet decreta sunt his, qui pro testimonio dixissent propinqnos damnatorum luxisse.

Delatorum.] Accusatorum.

Abrogata.] Detracta.

Pro capitali.] Tanquam pœna capitis puniendū.

Agamemnonem lacessisset.] Deest in impressis codicibus dictio hæc, probris: vt ita legas, Agamemnonem probris lacessisset. Est autem sensus: Inser cætera crimina hoc quoque, tanquam capitale, obiectum fuit poetæ cuidam, qui in tragœdia induxeras personā, quæ Agamemnonem introductum in fabula probris, cōuiciisq; lacessebat, tāquam impotenter, & tyrannicè dominantem: sicut apud Horatium in secundo Sermonum lacessitur, accusaturq́ue Agamēnon, quòd Aiacem sepeliri prohibeat. Tragœdia extat Senecæ, cui titulus est Agamemnō. Hoc ideo in poeta punisse videtur Tyberius, quia principes, & reges de principibus & regibus male dici ægrè ferūt: & quæ in alios probra dicuntur, in se ipsos dici exustimant.

Vltimos Romanorū.] Tanquam in Bruto & Cassio generositas, & vera virtus Romanorum defecisset, nec post illos vllus apud Romanos amplius extitisset memoratu dignus, & libertatis assertor. Scribit Plutarchus, Philopomenem à Romanis vltimum Græcosum appellari solitū, quòd post illum magnus vir apud Græcos nullus extiterit.

Animaduersum in authores.] Sumptum suppliciū est de poeta, & historico.

Scriptáque abolita.] Scilices poetæ & historici. Infesta nimirum sunt illa virtutibus tempora, quibus in libros quoque & ingenia sæui sunt priocipes. Scribis Cornelius Tacitus in vita Iulii Agricolæ, sæuitum fuisse in Arulenum Rusticum, & Herennium Senecionem, paritérque in libros eorum, delegato Triumuiris ministerio, vt monumenta clarissimorum ingeniorum in foro vrerentur. Scilicet arbitrabantur pessimi principes, cum libris aboleri vocem memorem libertatis.

Quanuis probarentur.] Illa scilicet scripta poetæ, & historici. Psobata antem fuerant sub Augusto, vtpote optimo principe: improbata, & abolita sub Tyberio, vtpote pessimo, & crudelissimo.

Studendi solatium ademptum.] Nonum supplicii genus, & quo nullum ferme maius excogitari potest ad literatos puniendos, quàm illis adimere solatiū studendi. Scribunt Iurisconsulti Digestis de pœnis, genus esse pœnæ, viris studiosis interdicere aduocationibus, & foro. Nam quum literæ, vt dicere solebat Aristoteles, inter prospera sint ornamentum, inter aduersa refugium, omni solatio doctus priuari videtur, cui in custodia collocato studiis interdicitur. Dixit Plinius lib. ix. Epistolarū, omne sibi esse ex studiis solatium.

Citati.] Vel voce præconis, vel ab accenso.

Ad vexationē.] Ideo se domi vulnerabant, volentes in cubiculo suo mori, ne damnati in iudicio vexarentur ignominioso, dedecorosóq; supplicio.

In curia.] In ipso Senatu. Ideo autem in curia hauriebant venenū, vt ita & cruciaribus eriperentur, & inuidiam Tyberio conflarent.

Colligatis vulneribus.] Iubebat Tyberius vulnera illorum, qui semet vulnerauerāt, ideo obligari, vt diutiùs per tormenta viuerent, & ærūnosiùs.

Nemo punitorum non.] Quilibet, quicunq; ex numero punitorū.

In gemonias.] Locum supplicii: de qno paulò antè satis multa.

Immaturæ.] Nondum puberes, nec viro tempestiuæ. Duodecimus annus in fœmina, & quartusdecimus in puero, secundum iura publica definit pubertatis ætatem. Strangulari.] Laqueo gulam frangere.

Viriatæ.] Coustupratæ: ne virgines contra morem strangularentur.

M. A N. Obiectum.] Fraudi datum.

Agamemnonem.] Græcorum ad Troiam Imperatorem. Sed non tam nomen, aut genus, quàm patriam sequutum crediderim: siquidem Lacedæmon, ac tota Achaia in veteri Claudiorum clientela fuit.

Vltimos Romanos.] Qui verè Romani dici possent, quia tyrannis infesti.

Scripta abolita.] Concremata, ant alia vi absumpta.

Augusto audiente.] Quo intelligi potest, quantò æquior Augustus, quàm Tyberius fuisses.

Vulnerauerunt.] Sibi manum intulerunt, longiores cruciatus, & ignominiam horrentes.

Media curia.] Coram principe, & patribus.

Nemo non.] Omnis, vnusquisqne.

Immaturæ.] Viro scilicet. Maturus sponsæ, & Matura viro dicimus. Papinius:

Donec & hic sponsæ maturus, & illa mariso.

More tradito.] A maioribus accepto.

Dein

prius à carnifice, dein strangulatæ. Mori volentibus, vis adhibita viuendi. Nam mortem adeò leue supplicium putabat, vt quum audisset, vnum ex reis, Carnulium nomine, anticipasse eam, exclamauerit: Carnulius me euasit. Et in recognoscendis custodiis, precanti cuidam pœnæ maturitatem, respondit: Nondum tecum in gratiam redii. Annalibus suis vir consularis inseruit, frequenti * quondam conuiuio, cui & ipse affuerit, interrogatum eum subitò, & clare à quodam nano adstante mensæ inter Capreas, cur Paconius maiestatis reus, tam diu viueret, statim quidem petulantiam linguæ obiurgasse, cæterùm post paucos dies scripsisse Senatui, vt de pœna Paconii quàm primùm statueret.

Crudelitas, & sæuitia eiusdem aucta. LXII.



AVxit, intéditque sæuitiam, exacerbatus indicio de morte filii sui Drusi: quem quum morbo, & intemperantia periisse existimaret, vt tandem veneno interemptum fraude Liuillæ vxoris, atque Seiani cognouit, neque tormentis, neque supplicio cuiusquam pepercit, soli huic cognitioni adeò per totos

PHIL. DEio strangulatæ.] Laqueo necatæ sunt: & ita morem à maioribus traditum seruasse videbatur, qui prohibet puellam virginem laqueo necari.

Vis adhibita.] Qui cupiebant viuere, ad mortem adigebantur: quibus mori optabile erat, hos viuere cogebat, vt ita diutiùs in calamitatibus essent, quæ morte finiuntur.

Anticipasse.] Præoccupasse, præuenisse priùs, quã à Tyberio morti damnaretur.

Carnulius me euasit.] Hoc ideo dixit Tyberius, tã quam Carnulius si- *quod s bi mortem consciscẽs nimis citò cruciatus, & tormenta finisset, quæ per lẽtitudinem, & longam moram solitus erat truculentus princeps adhibere his, quos diu mori volebat.

In recognoscendis custodiis.] In notis Seruii declarauimus, custodias dici carcerarios, & damnatos, qui in carcere custodiuntur. Hinc apud Iurisconsultos titulo De custodia reorũ, scriptum legimus: Si custodia se interfecerit, vel præcipitauerit, militis culpæ adscribitur. Item, Si custos custodiam interfecerit. Item, Si custodia casu defuncta fuisse dicatur, testationibus id probãdum est. Item, Milites si amiserint custodias, ipsi in periculum deducuntur. Firmicus Maternus ait in quarto: Si Luna minuta lumine fuerit in nocturna genitura, faciet carceris præpositos, custodiarúmque custodes.

Cuidam.] Vni ex custodiarum numero.

Nondum tecum in gratiam redii.] Tanquam reconciliatus esset illis, & beneuolus, quos maturæ morti festinãter traderet. Plinius ait, nihil esse melius tempestiua morte.

Annalibus.] Historiis, quas scribebat. De annalibus dictum est.

Et ipse affuerit.] Scriptor Annalium.

Eum.] Tyberium. A quodam nano.] Breuis staturæ homunculo: qui Latinè pumilio, & pumilus nominatur. De hoc dictum in Augusto. Illud adde, à pumilo fieri comparatiuum, quod est pumilior: quo vsus est Apuleius, quum ait in v. de Asino aureo: Quouis puero pumiliorem, quauis cucurbita glabriorem. Codices impressi habẽt pusilliorem: sed Fulgentius Placiades ita legendum monet, vt diximus. Pumilionis, siue nani pars superior magna est, inferior parua: quamobrem existimat Aristoteles in XIII. de animalibus, pumiliones mente deficere, nec sapere ad perfectum.

Inter Capreas.] In secessu Caprearum.

Petulantiam linguæ.] Impudentiã, procacitatémq;, qua vsus est nanus, dum petit in conuiuio, cur reus maiestatis Paconius tam diu viueret. A petendo dicta petulantia, vt à procando, procacitas nominata. Est autẽ procare, petere: vnde & proci matrimoniorum petitores nominari. Tyberius obiurgauit quidem in nano petulantiam loquendi, tamen pòst paulò de illo sumi supplicium per epistolam iussit: & ita nani monitis crudelibus obtẽperauit.

Intemperãtia.] Diximus suprà ex authoritate Plinii, Drusum Tyberii filium fuisse ebriosum, nec alia magis re, quàm vinolentia regenerasse patrem Tyberium. Ex vini autem intemperantia morbi, ex morbis mors prouenit.

Fraude vxoris.] Autumat Orosius, Tyberium, Drusum, & Germanicum filios Tyberii à patre veneno fuisse perditos.

Cognitioni.] De inquirẽdis his, qui cõscii fuissent mortis filii.

M. AN. A Carnifice.] Ab ipso carnificii ministro.

Dein strangulatæ.] Vt patrio more incolumi post virginitatem ademptam factum videretur.

Vi adhibita.] Vt velinuiti viuerent.

Anticipasse.] Venenum prægustasse, aut præcipitasse se, ferróve incubuisse.

Me euasit.] Censuit sanguinaria natura ne supplicio quidem affectum, quem longiore cruciatu non torsisset. Custodiis.] Continens pro contento: reis scilicet, qui in custodia erant.

Pœnæ maturitatem.] Celeritatem supplicii.

Nondum tecum in gratiam redii.] Nondum tibi placatus sum. Inauditæ sæuitiæ argumentum, quæ celeriter occidere quenquam ne inimici quidem animi duceret: sed sic certè est vt Anneus ait Seneca: Clementis videri animi, qui omnino periturus sit, confestim occidere.

Annalibus.] Quid annales ab historia distent, Gellius abundè explicat.

Ob intemperantiam.] Luxuriosam, & immoderatam vitam.

Liuillæ vxoris.] Ex Germanico, & Agrippina genitæ, quæ Druso Tyberii filio nupsit.

Cognitioni.] Quæstioni de morte filii.

Rhod

dies deditus ; & intentus , vt Rhodiensem hospitem , quem familiaribus literis Romam euocarat , aduenisse sibi nuntiatum torqueri sine mora iusserit , quasi aliquis ex necessariis quæstioni adesset : déinde errore detecto , & occîdi , ne diuulgaret iniuriam. Carnificinæ eius ostenditur locus Capreis , vnde damnatos post longa, & exquisita tormenta , præcipitari coram se in mare iubebat , excipiente classiariorum manu, & contis, atque remis elidente cadauera , ne cui residui spiritus quicquam inesset. Excogitauerat autem inter genera cruciatus , etiam vt larga meri potione per fallaciam oneratos, repentè veretris deligatis , fidicularum simul, vrinæque tormento distenderet. Quod & nisi eum mors præuenisset,& Thrasyllus consultò (vt aiunt) differre quædam spe longioris vitæ

PHIL. Rhodiensem hospitem.] Ne credas hominē Rhodi natum dici à Tranquillo hospitem Tyberii Rhodiensem, sed alienigenam Rhodi habitantem. Ita Rhodius, & Rhodiensis differunt, vt Hispanus, & Hispaniensis: super quo copiose saös in Iulio Cæsate.

Quæstioni.] Quæstionem sic accipimus, nō tormenta tātùm, sed omnem inquisitionem: Author Vlpianus in titulo De Senatuscō sulto Syllaniano.

Occidi.] Scilicet iusserit.

Iniuriam.] Qua affectus erat homo innocēs, & insons.

Carnificinæ.] Amator Plautious in Cistellaria, credit amorem primum apud homiues carnificinam commentum. M. Cato carnificinas dixit pluratioo uumero pro suppliciis, atq; tormentis: &, vt vtar vocabulo Plautino, pro cruciabilitatibus. Sic enim ait: Vbi societas, vbi fides maiorū, insignitas, iniurias, plagas, verbera, vibices, eos dolores, atque carnificinas per dedecus, atque ignominiam te facere ausum esse? Carnificina hîc significat non tam excarnificationes, quàm domicilium cruciatuum. Est enim Carnificina, locus, iu quo sontes iussu potestatum à carnifice occiduntur. Carnificina quoq; accipitur pro officio ipso carnificis. Plautus in Captiuis: Vel carnificinam hunc facere possum perpeti.

Classiariorum.] Classiarii, nou tam remiges in classibus dicuntur, quàm milites. Cornelius Tacitus: Anicetum centurioue classiario comitatum. Plinius iu Epistolis: Renuere classiarii, imminente periculo exterriti. Ita hîc classiarios iotelligemus milites ex classe remis, & hastis elisisse cadauera eorum, quos iu mare iubebat Tyberius præcipitari.

Manu.] Multitudioe.

Contis.] Contus, pertica est exploratoria: vode verbum hoc percootor, deriuari Donatus existimat. Contus significat lanceam militarem: vndeà Vegetio contati milites dicti, qui conto vtuotur. Idem præcipit inter meditationes armorum, vt equites cōtis vtantur scienter, & fortiter. Nooius Marcellus, cōtos hastas longiores, & robustas esse dicit.

Oneratos.] Repletos, & bene potos, atque distentos.

Veretris.] Membris virilibus. Hieronymus: Cur portas veretrum, ô Paule? cur à sexu fœminarum barba, pilis, aliáque membrorum qualitate distingueris?

Fidicularum.] Fidiculas intelligit chordas ipsius citharæ, quæ fides dicitur. Festus Pompeius: Fides genus citharæ, dicta quòd tantum inter se chordæ eius, quantum inter homines fides concordet. Cuius diminutiuum fidicula est. Hæ fidiculæ eleganti vocabulo neruiæ quoque nominantur, tanquam ex neruis coocinnatæ. Hinc apud scriptores clarissimos legimus, neruias in fidibus brumali die, alias digitis pelli, alias sonare. Est & iu cælo fidicula inter astra constituta: quæ fides à Columella, ab Hygino lyra nominatur. Plinius iu decimooctauo, Fidicula occasu suo Autumnum inchoat. Præterea fidiculæ inter genera tormentorum numerantur: existimántque eruditi, instrumentum esse ex duobus lignis compactum. Ego credo id potiùs esse tormentum, quo sontes à tortore chordis, fidibúsque alligati vulgò torquentur. De hisce fidiculis mentio fit apud Senecam, Quintilianum, Valerium, totámque fermè eruditorum scholam: sed in hoc Tranquilli loco fidiculas haud dubiè accipimus pro teouissimis citharæ chordis, quibus genitalia facillime deligari possunt.

Vrinæque tormento.] Inter maximos corporis cruciatus est stranguria, id est, vrinæ difficultas. Scribit Plinius, stillicidiū vrinæ à vesica impatibilem esse cruciatum. Erat ergo uouum, maximúmque tormenti genus hoc, quod crudelissimus princeps excogitauerat: vt bene poti, ac distenti, vesicam mero turgentem exouerare non possent.

Consultò.] De industria.

Longioris vitæ.] Ita asserebat mathematicus ex fato, sideréque moustrari.

Thrasyllus.] Mathematicus; cuius superiùs mentio facta est.

M. AN. Torqueri.] Quæstioni adhiberi.

Ex necessariis.] Domesticis, arctioréque vinculo iunctis.

Carnificioæ.] Cædis, & suppliciorum officinæ.

Classiariorum manu.] Remigum multitudine, sociorúmque naualium, qui classem circa Capreas obtinebant. Leucadii, vt Strabo ait, quem ex summa rupe iu subiectum mare præcipitassent, nauibus continuò excipiebant, vt seruatum extra fines mitterent: hic, ne euaderet, exceptum uecabat.

Contis.] Longioribus hastis, vt Nonius ait, & robustis.

Oneratos.] Repletos.

Veretris.] Genitalibus.

Fidicularum.] Inhibita arctissimo fidicularum nexu micturitione.

Distenderet.] Valde impleret, ac per hoc maiore cruciatu torqueret. Idem alibi: Nunquam è triclinio abscessit, nisi distentus, ac madens. Vergilius:

-Referunt distenta capellæ.

Spe longioris vitæ.] Longiore vitæ spatio ex astrorum ratione promisso. Nam totus, vt Dionysius ait, ex Thrasylli disciplina Tyberius pendebat.

Consultò.] Ne io plures sæuiret.

Caium

PHIL. CAium.] Caium Caligulam intelligit, qui ei mox ſucceſſit in Imperio, cuius pater fuit Germanicus adoptiuus Tyberii filius.

Et Tyberium.] Hic nepos erat Tyberii, genitus ex Druſo filio naturali.

cebātur. Vetuſtas etiānum retinet nomen ſortiū Prænestinarū. Carneades dicere ſolitus erat, nuſquā ſe fortunatiorē, quā Præneſte vidiſſe Fortunā. De hoc Prænestinæ Fortunæ oraculo meminit Silius: -Celſiſq; dicatū Fortunæ Præneſte iugis.- Et à nobis copioſe dictū eſt in Cōmentariis Propertii, vbi enarratur ille verſicul.

compuliſſet, plures aliquantò necaturus, ac ne reliquis quidem nepotibus parſurus creditur, quum & Caium ſuſpectum haberet, & Tyberium, vt ex adulterio conceptum, aſpernaretur. Nec abhorret à vero: nanque identidem felicem Priamum vocabat, quod ſuperſtes omnium ſuorum extitiſſet.

Suſpicio, qua uixit inter facinora. LXIII.

QVàm verò inter hæc non modò inuiſus, ac deteſtabilis, ſed prætrepidus quoque, atque etiam contumeliis obnoxius vixerit, multa indicia ſunt. Aruſpices ſecretò, ac ſine teſtibus conſuli vetuit. Vicina verò vrbi oracula etiam diſiicere conatus eſt, ſed maieſtate Prænestinarum ſortium territus deſtitit, quum obſignatas, deuectáſque Romam non reperiſſet in arca, niſi relatas rurſus ad templum. Vnum, & alterum conſulares oblatis prouinciis, non auſus à ſe dimittere, vſqueadeo detinuit, donec ſucceſſores poſt aliquot annos præſentibus daret, quum interim manente officii titulo, etiam delegaret plurima, aſſiduéque illi per legatos, & adiutores ſuos exequenda curarent.

Identidem.] Frequenter.

Felicem Priamum.] Luculenti ſcriptores Priamū ob hoc infeliciſſimū fuiſſe tradunt, propter quod felix à Tyberio vocabatur. Cicero in prima Tuſculana ſic ſcribit: Priamum tanta progenie orbatum, cùm in arā confugiſſet, hoſtilis manus interemit. Hic ſi viuis filiis, incolumi regno, occidiſſet,

Aſtante ope barbarica,

Tectis cælatis, laqueatis, Vtrum tandem à bonis, an à malis diſceſſiſſet? Tum profectò videretur à bonis. At certè ei melius eueniſſet, nec tam flebiliter illa canerentur,

Hæc omnia vidi inflammari,

Priamo in vitā euitari,

Iouis aram ſanguine turpari. Hoc idem Iuuenalis tradit, explicans incommoda vitæ longioris. Fuerunt autem Priamo filii quinquaginta, quorum decem & ſeptem ex iuſta vxore nati ſunt. Apud Senecam in tragœdia, cui titulus eſt Troas, dicitur de Priamo id, quod quadrat cum Tyberii ſententia. Sic enim inquit chorus: Felix Priamus, dicimus omnes, felix Priamus: felix quiſquis bello moriens, omnia ſecū conſumpta videt. Prætrepidus.] Mos tyrannorum eſt, vt ex conſcientia metuāt omnia. Quo in metu Dionyſium, & Alexandrum fuiſſe uorum eſt.

Conſuli vetuit.] Interrogari: ne ſcilicet aliquid de morte ſua per aruſpicinæ diſciplinam pronuntiarent. Olim accuſatus eſt Soranus, & Seruilia Sorani filia, quòd pecuniam Magis delargita eſſet, tanquā conſultura de morte principis Neronis. Vicina vrbi oracula.] Vt ſortes Antiatinas: de quibus pòſt paulò: vt Prænestinas, vt Tyburtinas. Videtur enim oraculum fuiſſe Tybure, propter Albuneam vnam ex Sibyllis, quæ illhic numinis vice colebatur. Prænestinarum ſortiū.] Cicero in ii. de Diuinatione luculenter enarrat, quemadmodum Numerius Suffuſius ſortes primus inuenit apud Prænestinos, ſculptas in robore, literarū priſcarum notis: & cùm eodem tempore mel ex olea fluxiſſet in eo loco, vbi Fortunæ ſita eſt ædes, aruſpices dixerunt, ſumma nobilitate illas ſortes futuras: eorūq; iuſſu ex illa olea arca facta eſt, in eáq; ſortes conditæ, quæ Fortunæ monitu pueri manu miſcebātur, atq; du

Ecquid Præneſtis dubia ſpeūs in-ſcia ſortes?

In arca.] Arcā illam intelligit ex olea factam, in qua conditæ ſortes ferebantur. Obſignatas.] Sigillo impreſſo clauſas: ne fucus fieri poſſet. Ad templum.] Fortunæ ſcilicet Prænestinæ. Non auſus dimittere.] Timebat ne in prouincia quiſque ſua res nouas moliretur, & ad rebellionē prouinciales concitaret.

Præſentibus.] Duobus illis conſularibus, quibus obtulerat prouincias, nec tamen eos ob metum à ſe dimiſerat. Manente officii titulo.] Vt ſcilicet proconſules, aut præſides prouinciæ dicerentur: quibus tanquā legitimis præſidibus, proconſulibúſque plurima Tyberius delegabat. Scribunt tamen Iuriſconſulti, procōſules, niſi egreſſi fuerint vrbem, non habere iuriſdictionem. Per legatos.] Poteſt procōſul mandare iuriſdictionem legato ſuo, vt inquit Vlpianus. Legatos non oportet principem conſulere, ſed proconſulem ſuum: & is ad conſultationem legatorum debebit reſpondere. Scribit Pomponius, legatos proconſulum nihil proprium habere, niſi à proconſule eis mandata ſit iuriſdictio. De his legatis nunc loquitur.

M. AN. NEpotibus.] Caligulæ, & Tyberio Druſi filio. Superſtes omniū ſuorū.] Non omniū: nam Hecuba, Heleno, Polydoro, Caſſādra, & Polyxena, ſuperſtitibus periit: ſed ad illud Vergilianum alluſit:

-Troiā incenſam, & prolapſa videntē Pergama-.

Iuuenalis: -Omnia vidit

Euerſa, & flammis Aſiam, ferróque cadentem.

Prænestinarū ſortiū.] Strabo, Habet, inquit, Præneſte Fortunæ templū, vnde certa edūtur oracula. Colebatur ibi Fortuna ſub imagine duarū ſororū. Papin.

Quod ni templa darent alias Tirynthia ſortes:

Et Prænestinæ poterant migrare ſorores. Aelius Lāpridius in Alexandro, Huic, ait, in tēplo Prænestinæ Veſtæ talis ſors extitit: -Si qua fata aſpera rumpas

Tu Marcellus eris.- Quibus verbis datur intelligi qualis eſſet Prænestinarum ſortium ratio.

Obſignatas.] Obſignata arca.

Per legatos.] Circa prouincias ſcilicet miſſos.

Obſuta

Suspicio nurus, & nepotum damnatorum. LXIIII.



Nurum, ac nepotes nunquam aliter post damnationẽ, quàm catenatos, obsutáq; lectica loco mouit, prohibitis per militẽ obuiis, ac viatoribus respicere vsquam, vel consistere.

Diffidentia, & suspicio eiusdem. LXV.



Seianum res nouas molientem, quanuis iam & natalem eius publicè celebrari, & imagines aureas coli passim videret, vix tandem, & astu magis, ac dolo, quàm principali authoritate, subuertit. Nam primò, vt à se per speciem honoris dimitteret, collegam sibi assumpsit in quinto Consulatu, quem longo interuallo absens ob id ipsum susceperat. Deinde spe affinitatis, ac tribunitiæ potestatis deceptum, inopinantem criminatus est pudenda, miserandáq; oratione, quum inter alia Patres Conscriptos precaretur, mitterent alterum è cõsulibus, qui senem se, & solum in conspectũ eorum cum aliquo militari præsidio perduceret. Sic quoque diffidens, tumultúmq; metuens, Drusum nepotẽ, quem vinculis adhuc Romæ continebat, solui, si res posceret, ducémq; constitui præceperat. Aptatis etiam nauibus, ad quascũque legiones, meditabatur fugam

PHIL. Obsuta.] Munita, circunsepta, & vndique clausa, ne quispiam inter eundum introspicere posset quit in lectica deferretur.

Prohibitis viatoribus introspicere.] Agrippinam nurum, & Drusum, Neronémque nepotes, quando ab vno loco ad alium transferebantur, in lectica vndiq; conuelata deferri voluit, & adhibitis militibus vetuit viatores, & iter facientes respicere quis intra lecticam gestaretur: ne res cognita maiorem ipsi conflaret inuidiã. Olim homo adolescens pro legato in lectica ferebatur, ei obuiam bubulcus Venusinus aduenit, & per iocum, cùm ignoraret qui ferretur, rogauit num mortuũ ferret: vbi id audiuit, lecticam iussit deponi, struppis, quibus lectica ligata erat, vsqueadeo verberari iussit, dum animã efflauit: author C. Gracchus in oratione de legibus promulgatis.

Natalẽ eius celebrari.] Colebatur Seianus perinde ac alter Tyberius: vnde non mirum, si illius dies natalis celebrabatur, & imagines aureæ Seiano passim dicabantur: quæ post eius necem, partim disiectæ, partim cõflatæ sunt: Vnde ait Satyrographus:

-Descendunt statuæ, restémque sequuntur. Et,

-Ex facie toto orbe secunda

Fiunt vrceoli, pelues, sartago, patellæ.

Quàm principali authoritate.] Tyberius non authoritate principis vsus est ad Seianum subuertendũ, sed astutia, & vaframentis: timebat enim immodicam Seiani potentiam: illum participem curarum appellabat, & plerunque repetens dicebat, meus Seianus.

Dimitteret.] Tyberius petens secessum Caprearum, Consulem Seianum designauit, creditúmque est, designari eos collegas in Consulatu per quinquenniũ.

Ob id ipsum.] Vt hoc dolo perderet Seianum.

Spe affinitatis.] Tanquam affinitatem cum Seiano facturus esset, desponsata illi vna ex neptibus.

Tribunitiæ potestatis.] Tyberius diuulgauit, cùm esset Capreis, se tribunitiam potestatem Seiano daturum, scilicet vt inopinatum opprimeret. Scripsit autem Senatui per Sertorium Macronem, qui quũ Seiano diceret, potestatem Tribunitiã sese illi à Tyberio afferre: tunc Seianus supra modum lætus curiam ingressus est. Macro tradita consulibus epistola, priùs, quàm quicquam legeretur, egressus est ad milites. Sed lecta epistola, qua petebat Tyberius supplicium sumi de Seiano, statim tribuni, & milites illum circunsteterunt, & in gemonias scalas laceratum abiecerunt, vncóque traxerunt.

Senem se.] Erat enim iã senex Tyberius.

Tumultum.] Ne Roma tumultuaretur Seiani causa.

Drusum nepotem.] Illum intellige, cui, vt suprà dictum est, adeò alimenta subduxit, vt tomentum è culcitra mandere tentauerit: quem iudicatum hostem fame necauit.

Meditabatur.] animo cogitabat: aliàs exercebat. Vnde meditationes Romanorum dictæ sunt, conflictus sine sanguine: & omnes artes, authore Vegetio, in meditatione consistunt. Meditor Græcè dicitur μελετάω.

M. AN. Nepotes.] Drusum, & Neronem.

Obsuta.] Clausa, obsuto velo adoperta.

Seianum res nouas.] Fuerat it, vt Dionysius tradidit, M. Apitii paticus, sed similitudine morum ita Tyberio insinuatus, & ab eo ad id potẽtiæ euectus, vt iã pares illi, & Tyberio honores deferrentur. Per Sertoriũ Macronẽ Romã missum Senatui damnandum tradidit, damnatúmq; crudeliter necauit. Iuuenalis: -Ex facie toto orbe secunda

Fiunt vrceoli. Et rursus,

Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens

Seianus.- Iosephus author est, Antoniam Germanici matrem per codicillos Pallanti seruo suo ad Tyberium datos, Seiani coniurationẽ principi significasse.

Spe affinitatis.] Vt ex neptibus illi vnam matrimonio locaret.

Pudenda.] Tali, vt illius meritò eũ pudere potuisset. Perduceret.] Ex Capreis Romam. Iuuenalis:

-Verbosa, & grandis epistola venit

A Capreis.-

Tumultum.] Motum in Seiano opprimendo.

Drusum.] Quem posteà fame in ima Palatii parte necauit.

Meditabatur.] Mente, & consilio agitabat.

Specul

PHIL. SPeculabundus.] Diligenter,& vehementer ſpeculans, tãquam ex ſpeculatorio. Diximus in notis Seruii,quòd nomina in bundus deſinentia, largam vim, & fluentem copiam, & quaſi abundantiam rei, cuius rei id verbum eſſet,declararent. emiſſet. Lege enim Pompeia de parricidiis cauetur, vt is parricidii teneatur, nõ ſolum qui patrem, & matrem interfecerit, ſed qui fratrem,ſororẽ,patruelem,matruelem,filium,filiam,nepotem,nurum,alióſq; propinquos occiderit. Luxuriam.] Appellatione luxuriæ nõ tã libidinem Venereã contineri,quàm immodicã profuſionẽ alibi docuimus.

ſpeculabundus ex altiſſima rupe identidem, ſignáq;,ne nuntii morarẽtur,tolli procul,vt quidq; foret factũ,mandauerat. Verùm & oppreſſa coniuratione Seiani, nihilò ſecurior, aut conſtantior, per nouem proximos menſes nõ egreſſus eſt villa,quæ vocatur Iouis.

De conuiciis, & libellis contra eum editis. LXVI.

VRebant inſuper anxiam mentem varia vndique conuicia, nullo non damnatorum omne probri genus coràm, vel per libellos in orcheſtra poſitos ingerente. Quibus quidem diuerſiſſimè afficiebatur: modò vt præ pudore ignota,& celata cuncta cuperet: nonnunquam eadem contemneret, & proferret vltro, atque vulgaret. Quin & Artabani Parthorum regis laceratus eſt literis,parricidia,& cædes,& ignauiam,& luxuriam obiicientis,monentiſque,vt voluntaria morte, maximo, iuſtiſſimóque ciuium odio quàm primùm ſatiſfaceret. Poſtremò ſemet ipſe pertæſus talis epiſtolæ principio tantum non ſummam malorum ſuorum profeſſus eſt.

Epiſtola eius ad Senatum, & oratio factum ſuum pronuntiantes. LXVII.

QVid ſcribam vobis, Patres Conſcripti? aut quomodo ſcribam? aut quid omnino non ſcribam hoc tempore? Dii me,

Identidem.] Crebriter,& ſùbinde.

Signa tolli.] Mãdauerat Tyberius, ſigna quædam fieri, per quæ, non expectato nuntio, certior fieret,Seianúſne rerum potitus foret,an ex eius voto fuiſſet oppreſſus:vt rebus malè ſuccedentibus poſſet ſtatim capeſſere fugam. Signum diurnũ eſt fumus, nocturnum flãma. dãturalia ſigna ex præſcripto principis.

Villa Iouis.] Hæc erat in inſula Caprearum.

Vrebant.] Cruciabant. Maro: Vrit atrox Iuno.

Nullo nõ dãnatorum.] Quolibet ex damnatis.

In orcheſtra.] Locus erat in theatro nobilior,vbi Senatus ludos ſpectare ſolebat. De orcheſtra ſatis ac ſuperiam dictum eſt. Ideo autem libelli in orcheſtra ponebantur, vt probra Tyberii inter nobiles vulgarentur.

Semet ipſe pertæſus.] Diſplicens ſibimet ipſi,& quaſi vitã ſuã odio habens. Tantũ nõ ſummã malorum.] Suprà docuimus genus eſſe elocutionis non protritæ, quo & Silius vſus eſt: Tantũ non ſtrictis mucronibus. accipitúrq; illud tantum nõ,pro etiam, ſeu ferè. & eſt ſenſus, Tyberiũ etiã, aut ferè ſummã malorũ ſuorũ profeſſum eſſe in epiſtola ad Senatum ſcripta. Quid ſcribã vobis.] Verba epiſtolæ Tyberii: quæ ſummam principis deſperationem, vitámq; ærũnoſiſſimã apertè demonſtrãt. Perturbatus, & anxius animus neſcit vnde exordiatur: ignorat quo modo ſibi ſit, aut quid ſcribendum. Perturbationes enim mentem conturbant,& obcæcatam reddunt.

Celata cuncta.] Scilicet probra, & maledicta, quæ à damnatis in ipſum ingerebantur.

Contemneret.] Videtur legendum concineret, vt ſit ſenſus, Tyberium interdum conuicia adeò ſpreuiſſe, vt illa concineret, hoc eſt, cantaret, inuulgarétque.

Artabani Parthorum.] Parthi ex genere Arſacidarum Imperatorem facere ſolebant: vnde olim rege orbati Vononem regno perturbant, vtpote alienigenam, confeſtimque Artabanum euocant Medorum regem Arſacidarum genere deſcendentem. Hic inimicus Tyberii factus Armeniam inuaſit: mox eùm ſe inſidiantiũ dolis eripuiſſet, cum Tyberio iniit amicitiam, interuẽtu Vitellii: etenim circa Eufratem fluuium Artabanus, & Vitellius de pacis fœdere colloquuntur, in medio ſibi põte fluminis canentes. Poſt ictum fœdus, Herodes tetrarcha eis conuiuiũ in loco medio præparat, tabernaculum ex pretioſis gemmis exornans. Tunc Artabanus dat obſidem Tyberio Dariũ filium, cum quo etiã munera magna tranſmittit. Hæc Ioſephus lib. XVIII. Antiquitatum. Parricidia obiicientis.] Artabanus quo tempore inimicus erat Tyberii, illũ conuiciis epiſtolaribus lacerabat: in quibus obiiciebat in primis parricidia, quòd ſcilicet filios, & nepotes, & nurũ inter-

SPeculabundus.] Speculationi vehemẽter intẽtus. M. AN. Vrebant.] Dolore,& ira exagitabant.

In orcheſtra.] Vnde nobiliſſimi quiq; ſpectabant.

Ingerente.] Obiiciente. Ignota,& celata.] Ignorari vellet,& occultari, quæ obiecta eſſent.

Vltro.] Sponte proderet. Artabani Parthorum regis.] Ioſephus, Mittit etiam, inquit, Tyberius ad Vitellium literas, ei iubens vt amicitiam cum Artabano Parthorum Imperatore conficeret: terrebat enim eum quòd inimicus extaret,& Armeniam inuaſiſſet.

Parricidia.] Propinquorum. Cædes.] Ciuium. Aut cædes per miniſtros, parricidia per ipſum patrata accipias. Ignauiam.] Deſidiam,& inertiam.

Luxuriam.] Nefariam libidinem.

Pertæſus.] Valdè odio habens.

Talis epiſtolæ.] Qualis principium in fronte alterius capitis occurrit.

Tantum non ſummam.] Sed partem omnino non paruam. Quid ſcribam.] Prima periodus ad argumentum attinet.

Quo modo.] Altera ad formam, & rationem ſcribendi. Quid omnino non ſcribam.] Reliqua hæc ad deliberationem.

Prius

deæque pœnis perdant, quem quotidie perire sentio, si scio. Existimant quidam, præscisse hæc eum peritia futurorum, ac multò antè quanta se quandoque acerbitas & infamia maneret, prospexisse. Ideóque vt Imperium inierit, & patris appellationem, & ne in acta sua iuraretur, obstinatissimè recusasse, ne mox maiore dedecore impar tantis honoribus inueniretur. Quod sanè & ex oratione eius, quam de vtraque re habuit, colligi potest, vel quum ait, similem se semper sui futurum, nec vnquam mutaturum mores suos, quandiu sanæ mentis fuisset, sed exempli causa cauendum, ne se Senatus in acta cuiusquam obligaret, qui aliquo casu mutari posset. Et rursus: Si quādo autem, inquit, de moribus meis, deuotóque vobis animo dubitaueritis, quod prius, quàm eueniat, opto vt me supremus dies huic mutatæ vestræ de me opinioni eripiat: nihil honoris adiiciet mihi patris appellatio, vobis autem exprobrabit aut temeritatem delati mihi eius cognominis, aut inconstantiam contrarii de me iudicii.

Statura, & membra, & ualetudo, & incessus eiusdem. LXVIII.



Orpore fuit amplo, atque robusto: statura, quæ iustam excederet: latus ab humeris, & pectore, cæteris quoq; mēbris vsq;

PHIL. PRius perdant.] Lege potiùs, pœnis perdant, hoc est, suppliciis. Quem.] scilicet me.

Quotidie perire seotio.] Hæc verba apertè demonstrant, quòd illa particula, tantum non, significat etiam, seo fere: ille enim summam malorum suorum haud dubie profitetur, qui ait se scire, quòd quotidie pereat. Nam aliud est, summam malorū profiteri: aliud, mala sigillatim explicare. Credunt nonnulli ea figura dici tantumnum, qua à doctis dicitur etiāoū: vt illa appeodicula oū, sit per u, potius scribenda, & eonnūcianda, quàm per o. Mihi magis placet, ex Græco deduci, quod est μόνον ὅ, id est, tantum ooo: & accipitur pro etiā, & ferè: & ita enunciabitur per o, non per u. Vtitur hac elocutiooe in hoc significatu Liuius quoque, cùm ait in lib. XXXVII. Vidit noo posse æquare ordinem Romanos, & tantum non iam circuiri à dextro eornu, concitat naues.

Præscisse hæc eum.] Adrianus matheseos adeò peritus fuisse fertur, vt Calendis Ianuariis scripserit quid ei toto anno euenturum esset, vsque ad illam horā, qua est mortuus: adeò præsciuit omnia de se futura. Hoc idem existimatur de Tyberio, quum esset addictus mathematicæ.

Ne in acta sua iuraretor.] Suetonius de Tyberio dixit soperius: Intercessit & quò minus in acta sua iuraretur: præoomen quoque Imperatoris, cognomenq; patris patriæ recusauit.

Tantis honoribus.] Maximus honos est, patris patriæ appellatio, & io acta principis ioratio.

De vtraque re.] Ne & pater patriæ appellaretur, & ne in acta sua iuraretur.

Similem se sui futurum.] Potest videri ἀμφίβολον, & ambiguum: nam dum ait se futurum similem sui, potest trahi io partem deteriorem: nec mendax erit Tyberius. Fuit enim similis sui, dum mores suos, scilicet genuinos, & naturales, qui erant improbissimi, & flagitiosissimi non immutat, dum ad suam sæuam, sanguinariámqoe naturam illico recurrit: attamen videbatur ipse, quòd mores nō esset suos immutaturus, videlicet probos, & booos, quos induerat quadam moderatioois simulatione, & qualis fuisset in initio principatus, talem se futurum pollicebatur, hoc est, irreprehensibilem, & omni bonitate præstantem.

Io acta cuiusquam obligaret.] Cauendum est Senatui, inquit Tyberius, ne obliget se iureiurando in acta cuiusquam principis, qui ex condiciooe humanæ naturæ mutari posset. Et hoc dicebat in oratione, recusans ne in acta sua iuraretur.

Deuoto vobis animo.] Meo scilicet, qui vobis Senatoribus deuotus est. Quid sit deuoto, qui deuoti, anteà docuimus.

Supremus dies.] Mortis.

Aut temeritatem.] Complexio est, vtruoque coocludens: & hoc significat. Ait enim Tyberius: Appellatio Patris patriæ, quam mihi defertis, si mutata fuerit vestra de me opinio, vos taxare videbitur vel tanquā temerarios, quòd mihi non merenti tale cognomen temere detuleritis: vel tanquam incōstantes io iodicando, quòd quem prius iudicaueritis dignū patris patriæ cognomeoto, euodem mox, mutata voluntate, indignū iodicare videbimini, contraria de me seno'entes.

Corpore amplo.] Erat corpulétior, & habitior: quod ad crassitudinem, latitodinémq; refertur, non autem ad staturæ longitudinem: de qua subiungit.

Latus ab humeris.] Talis fuit Plato: vnde à latitudine humerorum, quæ Græcè dicitur τὸ πλάτος, nomen accepisse traditur. Ad qoem allusisse Vergilium existimat Seruius illo versu:

-Atque humeris extantem suspicit altis.

Q Vem quotidie perire seotio.] Hoc fuit quod dixerat, tantum non illum suorum malorum summam professom. Peritia futurorum.] Vtpote, qui mathematicæ esset disciplinæ addictus. M. AN.

De vtraq; re.] De obligatiooe Senatus in sua acta, & patris patriæ appellatione.

Mores suos.] Eam vitæ modestiam, quam ad id tempus seruasset.

Aliquo casu.] Ad præsentem vitæ mutationem, quā anteà præuiderat, id pertinet.

Exprobrabit.] Probri loco obiiciet.

Temeritatem.] Quod temere eum in me honorē detuleritis.

Aut inconstantiam.] Quia iudicium mutaueritis.

Sinistra

ad imos pedes æqualis, & congruens: sinistra manu agiliore, ac validiore: articulis ita firmis, vt recens, & integrum malum digito terebraret: caput pueri, vel etiam adolescentis, talitro vulneraret. Colore erat cãdido, capillo pone occipitium summissiore, vt ceruicẽ etiam obtegeret: quod gentile in illo videbatur. Facie honesta, in qua tamẽ crebri, & * subtiles tumores, cũ prægrãdibus oculis, & qui (quod mirũ esset) noctu etiã, & in tenebris viderent, sed ad breue, & cùm primùm à somno patuissent, demum rursùs hebescebant.

PHIL. Sinistra agiliore.] Scribit Albertus Magnus lib. 11. de animalibus, causam, propter quam homo interdum agiliore sit sinistra, quàm dextra: quia videlicet hepar, & cor virtutes suas mittunt in sinistrum latus, & à dextro remouentur. Contingit etiam aliquando id ex consuetudine, vt quis à puero sinistram sæpius exerceat, quàm dexterã: eáque consuetudo vertitur in naturã. Latini tales scæuas appellant, à scæa, hoc est sinistra, quã habent agiliorem. Scribit Vlpianus ad ædilitium edictum, scæuam non esse morbosum, vel vitiosum, præterquam si imbecillitate dexteræ validiùs sinistra vtatur, sed hunc non scæuam, sed mancum esse. Plato docet libro septimo de Legibus, homines debere esse ἀμφοτεροδεξίους, hoc est, ambidextros: vt dextra à sinistra nihil differre videatur, Idq́ue esse secundum naturam sentit, sicuti & pedes nihilo differre videmus: laudátque Scytharum legem, quæ iubebat sagittarios vtraque manu indifferenter vti. Aristoteles quoque in Ethicis fieri posse demonstrat, vt omnes homines sint ambidextri. Ahod, sicut in libro Iudicum capite III. scriptum legimus, fuit ἀμφοτεροδέξιος, id est, vtraque manu pro dextra vtens.

* subiti

Articulis firmis.] Miloni ob articulorum firmitudinem malum tenenti nemo digitum corrigebat. Et Titamus gladiator tam firmus fuit articulis digitorum, vt hostem inermi dextra vno digito superatum, & postremò correptum in castra transtulerit. Marius vnus ex triginta tyrannis digitos habuit adeò robustos, vt in illis neruos videretur habuisse, non venas: nam & carra venientia digito salutari repulisse dicitur, & fortissimos quosque vno digito sic afflixisse, vt quasi ligni, vel ferri obtusioris ictu percussi dolerent. Non igitur mirandum, si Tyberius firmitudine digitorum præpollens, malum, hoc est pomũ, digito terebraret, id est, instar terebræ perforaret.

Talitro.] Talitrum appellat percussionem, quæ fit digitis complicatis in condylos. Trebellius Pollio allisionem digitorum nominauit scribens, Mariom multa duorum digitorum allisione contriuisse. Talitrum circunscriptione quadam signat Martianus his verbis ex libro Philologiæ: Nemesis ictibus crebris verticem complicatis in condylos digitis vulnerabat. Κόνδυλον autem Græci pugnum vocant, & tuberculum. Talitrũ, vocabulum est rarum inuentu, neque legentibus facile obuium, nec, quod equidem meminerim, alibi repertũ. Potest videri à talo deriuatum, cuius ossiculi in pedibus eminentia, & duritia est notissima, tanquam talum ob duritiam, extuberationémque imitetur.

Pone occipitium.] Post occipitium: quod significat capitis partem posteriorem. Miror, Albertum Magnum inuertere consuetudinem loquendi, & eruditorum Latinitatem: nanque occipot esse dicit partem capiós anteriorem, syncipur verò posteriorem, ordine præpostero: quom syncipur sit anterior, occiput posterior pars capitis. aliâs syncipur Inter edulia ganeata numeratur.

Summissiore.] Prolixiore, longiore: aliâs humiliori. Summissum enim vtrunque significat.

Gentile.] Gentilinium, & familiare: tanquam in gente Claudia capillo prolixiore ceruicem peculiariter obtegerent.

Facie honesta.] Pulchra. Vergilius -Caput abdit honestum. Honos, pulchritudo nominatur. Idem: Frigidus in syluis aquilo decussit honorem.

Cum prægrãdibus oculis.] Scribit Aristoteles, optimos haberi oculos, qui neq; nimis grandes, neque nimis parui sunt, sed modici. Albertus Magnus tradit, oculos magnos, nitentes, atque perlucidos significare Iustum, docilem, prudentem. Et tales oculi Socratis fuisse traduntur, qui Apollinis oraculo sapientissimus apud Græcos iudicatus est.

In tenebris viderent.] Plinius in XI. ait hæc: Alii interdiu hebeniores, noctu præter cæteros cernunt. Tyberio Cæsari aliam, quàm genitorum mortalium, fuisse naturã ferunt: vt expergefactus noctu, paulisper haud alio modo quàm luce clara contueretur omnia, paulatim tenebris sese obducentibus.

Hebescebant.] Hebetiores fiebant, & obtusiores.

M. AN. Agiliore.] Magis ad omnia tractanda facili, & idonea. Articulis.] Digitorum iuncturis.

Terebraret.] Perforaret.

Talitro.] A talo talitrum esse, haud ineptè aliquis dixerit. Sed talus est ossis genus in articulo pedis, ventre eminens, concaua in vertebra solidissimis neruis ligatum, quadratum forma. Nec est homini, aut animali digitos habenti, solidísque vngulis prædito: à loci, credo, similitudine, aut ab ipsa prominentia dictus. Latini talum quandoque appellant eam partem, qua humano pede vtrinqoe prope calcem extuberat. Græci σφυρὸν vocant. Vnde talaris tunica dicta, quia ad talos vsque descẽdat. Et vt talus in pede à similitudine, vt diximus, potest videri dictus: ita talitrum extuberationem articulorum incuruæ, aut cõtractæ manus prominentium, quasi talum alterũ veteres dixisse crediderim: quibus singulis ita Tyberius polleret, vt cuiuslibet eorum ictu poeri, &, quod plus fuit, adolescentis caput vulneraret. Summissiore.] Summisso, & extenso.

Gentile.] Proprium gentis, & familiæ demittere ab ocipinio capillum.

Noctu etiam & in tenebris.] Tyberio Cæsari ait Plinius, aliam quàm genitorum mortalium fuisse naturam, vt expergefactus noctu paulisper haud alio modo quàm luce clara contueretur omnia, paulatim tenebris sese obducentibus. Res penè incredibilis dictu, sed quæ in quibusdam verior vero fit, vt oculis repente à somno patefactis, vel mediis tenebris omnia circa lectum, & quæ toto cubiculo sunt, vt in diorna luce spectentur: quod & nobis, Deum Optimum Maximum testor, sæpius accidisse scio: & si lux illa breuis admodum, & quæ continuò obductis tenebris euanescat.

Incedebat ceruice rigida, & obstipa, adducto ferè vultu, plerunque tacitus, nullo, aut rarissimo, etiã cum proximis, sermone, eóq; tardissimo, nec sine molli quadam digitorum gesticulatione. Quæ omnia ingrata, atque arrogãtiæ plena, & animaduertit Augustus in eo, & excusare tentauit sæpe apud Senatum, ac populum, professus naturæ vitia esse, non animi. Valetudine prosperrima vsus est, tempore quidem principatus pene toto prope illæsa, quanuis à trigesimo ætatis anno arbitratu eam suo rexerit sine adiumento, consiliòve medicorum.

De obseruatione religionum. LXIX.



Irca deos, ac religiones negligentior: quippe addictus mathematicæ, persuasionísque plenus cũcta fato agi. Tonitrua

PHIL. Ceruice obstipa.] Porphyrio enarrans illud Horatianum, Stes capite obstipo: exposuit tristi, seuero, & inclinato. Obstipum propriè dicimus inclinatum, & obliquum, referimúsque ad caput, & ceruicem. Columella in VIII. Febricitantium, inquit, signa sunt, cùm obstipæ sues trãsuersa capita ferunt. Idem Plinius quod Columella tradens ait: Index suis inualidæ, caput est obliquum in incessu. Ex quo patet, à Plinio obliquum caput dici, quod Columella obstipum nominauit. Philosophi fucosi, & in primis hypocritæ, obliquo capite, & obstipo incedere consueuerunt: ex quo est illud Persianum:

Obstipo capite, & figentes lumine terram.

Adducto vultu.] Contracto, & seueritudinem, tristitiámq; præferẽte.

Tardissimo sermone.] Seneca iubet Lucillum esse tardiloquum, quæ virtus est. Sed in Tyberio vitium erat nimia tarditas sermonis: quod antiqui etiam reprehenderũt in P. Vicinio, qui tractim dicebat, vt ait Gellius: qui singula verba vellebat, tanquam dictaret, non tanquam diceret. Vnde quidam festiuiter: Dic, ait, vel nunquã dicas. Græcè tardiloquus dicitur βραδύγλωσσος, qualem Aesopũ fuisse tradunt. Molli gesticulatione.] Chilo Lacedæmonius vnus ex septem Græciæ sapientibus præcipiebat, in via non festinãdum: inter loquendũ non agitandam manũ: id enim esse vecordium. Diogenes Cynicus, Insanire, inquit, videtur ille, qui incedebat medium digitũ protendens. Quintilianus lib. XI. gestum manuum illum maximè cõmunem esse dicit, quo medius digitus in pollicem contrahitur, explicitis tribus. Apud priscos gesticulatio illa digiti, mollis, & infamis existimabatur, qua digito vno caput scalpebãt. Seneca lib. VII. Epistolarum moralium: Impudicum & incessus ostendit, & manus mota, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorũ. In Pompeium dictũ est, tãquam impudicum, & mollem, quòd caput digito vno scalpebat. Seneca lib. IIII. Controuersiarum, refert Caluum hoc de Pompeio dixisse: Digito caput vno scalpit: quo credas hunc sibi velle virum. Hinc est illud Satyrici poetæ:

Qui digito scalpunt vno caput.-

Ingrata.] Molesta, & inuisa.

Naturæ vitia, non animi.] Tanquã vitia naturalia, atque ingenita, æquiore animo ferre debeamus in principe, quæ, vt inquit eleganter Seneca, leniri arte possunt, radicitus extirpari non possunt.

Sine consilio medicorũ.] Medici famã nouitate aliqua aucupãtes, animas statim nostras negotiãtur. Nulla lex est, quæ puniat inscitiã capitalem. Discũt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt: medicóq; tantũ hominem occidisse summa impunitas est. Hinc illa, vt inquit eleganter Plinius, infelicis monumenti inscriptio: Turba se medicorũ periisse. &, vt author est Dion, ab Adriano moriente dictũ est: Turba medicorũ regem perdidit. Olim Pausanias Lacedæmonius, qui valetudinem regebat sine auxilio medici, cùm medicus ei dixisset, quomodo γέρων γέγονας, hoc est, senex factus es: festiuiter inquit: quia nõ sum vsus te medico. Idem ad medicũ dicentem, οὐδὲν κακὸν ἔχεις, id est, nullum malũ habes: respõdit, οὐ γὰρ σοὶ ἰατρῷ χρῶμαι. hoc est, Non enim vtor te medico. Populus Romanus vltra sexcentesimum annum vixit sine medicis: &, vt ait Plin. in XXIX. millia gẽtiũ degunt sine medicis, non tamen sine medicina.

Addictus.] Mancipatus, obnoxius, deditus. Quid sit addicere, & qui dicãtur addicti, latissimè diximus in Iulio Cæsare.

Mathematicæ.] Disciplinæ syderali genethliacorũ: qui & mathematici dicũtur. Cuncta fato agi.] Tale est illud Manilii:

Fata regunt orbem, certa stant omnia lege:
Nascentes morimur, finísque ab origine pendet.

& illud: Fatum ipsum exuperat Iouem. & illud:

-Fato stat Iuppiter ipse.

Iulius Firmicus in I. Matheseos, Si fatũ, inquit, nobis vitæ ianuas pãdit, finémq; viuendi fatalis legis necessitas statuit, quid est aliud, quod nõ sit positũ in eius potestate? fato constat actus etiam nostros vniuersos, studia, cupiditatésq; cõtineri. De fato plura memoratu digna scripsimus in IIII. Propertii Commentario. Tonitrua expauescebat.] Seneca in II. Quæstionum, Malè tecum, inquit, agitur, si pauescis ad cæli fragorem, & ad inanem nubiũ sonitũ trepidas. Lucretius sonitũ tonitrui elegãter perterricrepũ appellat, quoniã cũcta perterret: &, vt ait Maro,

-Mortalia corda Per gẽtes humilis strauit pauor.

M. AN. Rigida.] Obstipa, & immobili. Adducto.] Contractiore mento, & in ceruicem relecto.

Cum proximis.] Proximè deambulantibus.

Digitorum gesticulatione.] Crebro digitorum motu: quod in Hortensio reprehensum scribit Gellius.

Ingrata.] Vulgò inuisa. Trigesimo ætatis annò.] A trigesimo inde potius, quàm ad trigesimum vsque.

Addictus.] Deditus. Cuncta fato regi.] Certo syderũ cursu. Seruius, Fato, inquit, cui nonaginta anni, hoc est tres Saturni cursus, exitũ creant. Sed ratio hæc syderalis veteribus authoribus haud omnino videtur cõstitisse. Epigenes centũ & viginti annos negauit impleri posse. Berosus centũ septendecim excedi. Petosyris & Necepsos triũ signorum proportione, quã trimorion appellarunt, cõstare arbitrati sunt: qua ratione centũ & vigintisex annos posse humanæ vitæ contingere colligebãt. Treuellius à mathematicorũ peritissimis affirmari tradidit centum & viginti annos hominĩ concessos. Verùm Moysen diuina quadã prouidentia quinque & viginti supra centũ vixisse. Non defuere, qui negarent quenquã nonaginta partiũ exortiuarũ

mensu

tamen præter modum expauescebat: & turbatiore cælo nūquā nō coronā lauream ceruice gestauit, quòd fulmine afflari negetur id genus frondis.

De artibus, & disciplina eius. LXX.

ARtes liberales vtriusque generis studiosissimè coluit. In oratione Latina secutus est Coruinum Messalam, quem senem adolescens obseruauerat. Sed affectatione, & morositate nimia obscurabat stylum, vt aliquantò ex tempore, quàm à cura, præstantior haberetur. Composuit & carmen lyricum, cuius est titulus, conquisitio de Iulii Cæsaris morte. Fecit & Græca poemata, imitatus Euphorionē, & Arrianum,

cōque-stio.

mensuram, quod anaphoras vocant, transgredi, atque ipsas maleficorum syderum radiis incidi. Aesculapius quoq; statuta vitæ spatia à stellis accipi tradidit. Cicero & ipse vitā fato cōstare arbitratus videtur: Sed vt si quid, inquit, humanitus accidisset: multa autem impendere videntur præter naturam etiam, præterque fatum. Vergilius:

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat. Quibus verbis apparet aliud esse violenta morte, alind fato extingui. Homerus Odys. λ.

-ἔνθα δ' ἔπειτα
Πείσεται, ἅσσα οἱ
αἶσα κατακλῶθές τε
βαρεῖαι
Γεινομένῳ νήσαντο λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ. Id est,
-Post illhic accider illi
Quod fatū, Parcæque graues in stamine nerunt
Nascenti tum, cùm matris promergeret aluo.

Item Demosthenes: ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι νομίζων μόνον γεγενῆσθαι, τὸν τῆς εἱμαρμένης καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει. Celebrarūt hi omnes fatum, exitū dico quendam naturalem, siue fatalem: qui nulla alia præterquam syderum aut vi, aut necessitate hominis vitā absumat. Contra tamen mathematicā disciplinam, syderalémq; scientiam accuratissima Phauorini philosophi extat disertatio. Plinius quoq; mathematicen damnat, sed cum magica disciplina duntaxat coniunctam.

PHIL. NVnquam non.] Semper. Coronam lauream gestauit.] Fulmen lauri fruticem non percutit, vt inquit Plinius in II. Idem in xv. Laurus, inquit, fulmine sola non icitur. Tyberium principem tonante cælo coronari ea solitum ferunt, contra fulminum metus.

Artes liberales.] Seneca lib. XIII. Epistolarū, liberalia studia ab eo dicta refert, quia homine libero digna sunt: cæterùm vnum studium verè liberale esse autumat, quod liberū facit: hoc autem est sapientiæ studiū, sublime, forte, magnanimum. Cicero, & Tacitus liberales artes ingenuas nominant, tanquam ingenuis hominibus, ingenuéque educatis dignas.

Vtriusque generis.] Græci scilicet & Latini.

Coruinum Messalam.] Diximus alibi, familiā Messalarum, quæ Romæ fuit florentissima, nominatā esse hoc nomine à Valerio Coruino, qui Messanam in Sicilia vicit, & vrbis captæ in se translato nomine Messana primò appellatus est, paulatimq;, vulgo permutante literas, Messala dictus: vnde & Messalæ nominati. Messalā Coruinū inter oratores laudat Quintilianus in x. his verbis: At Messala nitidus, & candidus, & quodammodo præferens in dicendo nobilitatem suā: viribus minor. Cùm scribat Plinius Messalam senem condidisse volumina de familiis Romanis, existimo fuisse alterū Messalam, oratorem νεώτερον, hoc est iuniorem, quem Tyberius imitatus sit. Præconium Messalæ est luculentum apud Tibullū heroico carmine contextū. De Coruino Messala oratore dixit Tacitus in dialogo de oratoribus: Cicerone mitior Coruinus, & dolcior, & in verbis magis elaboratus. Affectatione.] Nimia diligentia, & curiositate in verbis exquirendis. Vnde sermo affectatus dicitur nimis accuratus, & curiosè accersitus. Verùm, vt inquit Seneca, quis nimis accurate loquitur, nisi qui vult putide loqui?

Morositate nimia.] In Iulio Cæsare latissimè explicatum est, quid sit morosum, quid morositas. Est enim morositas quędam nimia, & ob id reprehensibilis pensitatio, & diligentia, quæ vix sibi vnquā satisfacit: quæ persæpe causa est, vt oratio fiat obscurior, & putidior, dū verba nimis affectatè, curiosèque scrutatur. In hoc Tyberius Messalā imitabatur, qui in verbis, vt paulò antè diximus, magis elaboratus fuit, quàm Cicero.

Ex tempore.] Oratione extemporali, & subitaria.

Quàm à cura.] Pensitata, & elaborata oratione.

De Iulii Cæsaris mortē.] Iulium Cæsarem Dictatorem significat, de cuius interitu Tyberius carmine lyrico cōquirebat, cur scilicet fuisset interfectus, & à quibus, & à quot, & alia hoc genus.

Euphorionem & Arrianū.] Nomina sunt poetarū Græcorum. Fuit autem Euphorion poeta Chalcidēsis, cuius poema trāstulit Gallus. Hinc illud Maronianum:

Ibo, & Chalcidico quæ sunt mihi condita versu
Carmina.

Euphorionis meminit Quintilianus in x. quem ait à Vergilio in Bucolicis probari. Arrianus autem hic, de quo loquitur Trāquillus, poeta est. Alter verò post Tyberii tēpora fuit Arrianus philosophus, à quo digestæ sunt disertationes Epicteti maximi Stoicorum. Secta verò Arrianorū nominata ab Arrio hæretico, qui obiit genere mortis fœdissimo, dignóq; secta hominis lutulenta, & mente fœtida. Nam dum purgat ventrem, intestina eius, atque omnia viscera in secessus cuniculū defluxere. Parthenius verò poeta est, cuius locos interdū effinxit Vergilius. Parthenii poetæ versus ille est: Glauco, Nereóque, atque maris Melicertæ. quem ita æmulatus est Vergilius:

Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.

M. AN. COronā laureā.] Plin. Laurus quidē manifesto abdicat ignē crepitu. & rursus, Tyberiū principē tonāte cælo coronari ea solitū ferunt cōtra fulminū metus.

Vtriusque.] Græci, & Latini generis. Coruinum Messalā.] Quintil. Messala nitidus, & cādidus, ac quodammodo præ se ferēs nobilitatem suam. Obseruauerat.] Et ad stylum, & dignitatem referri potest.

Affectatione.] Nimio quodam ad alterius virtutes æmulandas, aut ad sua excolenda studio, & conatu.

Morositate.] Tarda, vt Acroni placet, deliberatione: vel quia à more, nō à mora, est nimis exacta, & quasi fastidiosa verborū, rerúmq; pensitatio. Obscurabat stylum.] Qui in Messala Fabii testimonio candidus fuit. Carmen lyricum.] Lyricū carmen apud Græcos plures scripserunt, sed omniū Pindarus longè princeps, vt Fabius prodidit: eum nemini imitabilem credidit Flaccus Horatius. Euphorionem.] Fuit hic Chalcidicus, ad cuius carmen Vergilius alludens:

Ibo, inquit, & Chalcidico quæ sunt mihi cōdita versu

& Parthenium. Quibus poetis admodum delectatus, scripta eorũ, & imagines publicis bibliothecis inter veteres, & præcipuos authores dedicauit. Et ob hoc plerique eruditorũ certatim ad eum multa de his ediderunt. Maximè tamẽ curauit notitiã historiæ fabularis, vsq; ad ineptias, atque derisum. Nam & grãmaticos, quod genus hominũ præcipuè, vt diximus, appetebat, eiusmodi ferè quæstionibus experiebatur: Quæ mater Hecubæ: quod Achilli nomen inter virgines fuisset: quid Sirenes

Carmina pastoris Siculi meditabor auena. Fabius: Quid? Euphorionem frustra transibimus, quẽ nisi probasset Vergilius, idem nunquã certè conditorum Chalcidico versu carminum fecisset in Bucolicis mentionẽ.

PHIL. IMagines bibliothecis.] Asinius Pollio primus Romanæ bibliothecã publicauit, in qua imaginem posuit vnius viuentis M. Varronis, existimans Varronianã doctrinã hoc ornamento peculiariter decorandam. Erat apud priscos virtutum amor, & veneratio: qui dicabant bibliothecis eruditorũ imagines, non solùm ex ære, sed etiã, vt ait Plinius in xxxv. ex auro, argentóve: & meritó. In bibliothecis enim loquuntur immortales illorũ animæ: illhicq; ingenia hominũ Rempublicã faciunt. Laudãdus in hoc Tyberius, quòd imagines, & scripta eorũ poetarũ dedicauerit in bibliothecis, quorum lectione in primis oblectabatur. Ob hoc.] Quia videbant Tyberium laudatione illorum delectari.

De his.] Euphorione, Arriano, & Parthenio.

Historiæ fabularis.] Historiam fabularem dicimus, cui intexta sunt figmenta fabularum. Talis est historia Diodori Siculi, qui libros suos appellauit fabulosos, ob historiam videlicet fabularem: quãuis titulus, & inscriptio Diodori sit propriè Bibliotheca: & ita Eusebius in præparatione Euangelica Bibliothecã Diodori pro testimonio citat. Et hoc est, quod significauit Plin. in proœmio Naturalis historiæ, si modò recte legatur. Sic enim inquit: Apud Græcos desiit nugari Diodorus, & Bibliotheces historiam suam inscripsit. Verùm ex ignoratione istius rei factũ est, vt perperã in codicibus Plinianis pro Bibliotheces legatur Bibliothecis. Est enim illud Bibliotheces genitiui casus. sic enim loquimur: Hic inscripsit Musarum: alius Syluarũ: Diodorus Bibliotheces, id est bibliothecæ. Græca declinatio est, βιβλιοθήκη βιβλιοθήκης. Quæ mater Hecubæ.] Seneca ad Paulinũ scribens de breuitate vitæ: Operosè, inquit, nihil agunt, qui in literarũ inutilium studiis detinentur, quæ iam apud Romanos quoq; magna manus est. Græcorũ iste morbus fuit, quærere quem numerum remigum Vlysses habuisset, prior scripta esset Ilias, an Odyssea. Præterea an eiusdẽ esset authoris. Alia deinceps huius notæ, quæ siue contineas, nihil tacitam conscientiam iuuant: siue proferas, non doctior videberis, sed modestior. Didymus grãmaticus quatuor millia librorum scripsit, in quibus de Homeri patria quæritur, de Aeneæ matre vera, libidinosior Anacreon, an vinosior vixerit, an Sappho pudica fuerit, & alia id genus, quæ magis dediscenda sunt, quàm discẽda. Aul. Gellius hoc doctrinæ genus vrbanissimè deludit, tanquam ridicularium, & nugatoriũ, miniméque suis Noctibus conueniens. Quintilianus quoq; in I. improbat hanc, tanquam historiarũ vestigationem, qua Tyberius grãmaticos experiebatur. Sunt enim grãmatici, vt inquit Cicero, interpretes poetarũ, versanturq; nõ solùm circa sermonem, sed etiã circa historias, & carmina euagantur. Cor. Nepos ait, literatos propriè appellãdos esse poetarũ interpretes, qui à Græcis grãmatici nominentur. Eosdẽ literatores vocitatos, Messala Coruinus author est. Quidã grammaticũ à grãmatista distinguũt, vt literatum à literatore: tanquã grãmaticus absolute, & perfecte doctus sit, sicut literatus: grammatista verò, sicut literator, mediocriter eruditus. Hecuba autem, sicut notissimum est, vxor fuit Priami: patrem habuit Cisseũ: vel, vt alii tradunt, Dymanta: mater ignoratur.

Achilli nomen.] Nota res est, & canit Statius, quẽadmodũ Achilles sub habitu puellari inter filias Lycomedis delituit: & dum fœminæ creditur, Deidamiã cõpressit. Sed nullus dixit quo nomine fuerit id tempus appellatus. Nec enim verisimile est, eum dictum fuisse Achillem, quod viri nomen est. Talia autem studia penitus inutilia sunt, nec quidem à limine salutanda.

Virgines.] Filias Lycomedis in Scyro insula.

Sirenes cãtare sint solitæ.] De Sirenibus vulgata sunt carmina poetarum: & nos copiosè scripsimus in Commentariis in Propertium. Cicero carmen Homericum de Sirenibus in Latinum vertit, quo illæ Vlyssem inuitant. Sic enim aiunt:

O decus Argolicum, quin puppim flectis Vlysse,
Auribus vt nostro possis agnoscere cantus.

Cantiunculas Sirenum fuisse dulcissimas, poetæ testantur: sed quid speciatim cantare solerent, nemo id prodidit. Seruius tradit, vnam ex his voce, alteram tibiis, tertiam lyra cecinisse. Secundum veritatem meretrices fuisse autumat, quæ transeuntes deducebant ad egestatem. Horatius: Sirenum voces, & Circes pocula nosti. Inde siren vsurpatur pro illicibili voluptate. Idem Horatius: -Vincenda est improba siren Desidia.

M. A N. HIstoriæ fabularis.] Fabulosis poetarũ narrationibus insertæ. Ad ineptias.] Ad ineptã vsq; pertractationem, aut certe conquisitionẽ. Quæ mater Hecubæ.] Sic apud Satyrũ, Satyra VII. leges nihil ab his diuersæ, grãmaticæ artis professoribus præscribuntur: -Dicat, inquit,

Nutricem Anchisæ, nomen, patriámque nouercæ
Archemori, dicat quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donauerit vrnas.

Didymus, cuius Fabius, & Anneus Seneca meminerũt, laboriosam in huiusmodi quæstionibus soluẽdis operam impẽdisse dicitur. Victorinus in arte inter grãmatici officia enarrationem eorũ omnium, quæ poetarũ carminibus cõtinẽtur, reposuit. Sed talia ab eo, vt quia à nullo vnquam fuissent tradita, aut certè quia inuentu difficillima putaret, proponi cõsueuere. Fuit autẽ Hecubæ Priami vxor, & Dimãtis filia: Homerus, & Ouid. sunt authores. Vergilius Cissei filiã dixit, Euripidem, credo, vt Ennius, & Pacuuius, sequutus: ἑκάβης, inquit ille, πῶς γεγὼς τῆς Κισσέως. Achilli inter virgines.] Quia muliebri habitu in Scyro latuit, puellare quoque nomen ferre oportuit. Sed quod illud fuerit, ingenuè fateor me nunquam legisse, nõ magis quàm quæ Hecubæ mater fuisset. Quid Sirenes.] De Sirenibus varia est opinio: alii Acheloi & Calliopes filias dixere: alii Terpsicores: nec de numero omnino cõuenit: quidam quatuor tradidere, nõnulli quintam: Aristoteles tres tantùm prodidit: Leucosiam, Lygiam, & Parthenopen:

cantare sint solitæ. Et quo primùm die post excessum Augusti curiam intrauit, quasi pietati, simul ac religioni satisfacturus, Minois exemplo, ture quidem, ac vino, verùm sine tibicine supplicauit, vt ille olim in morte filii.

Peritia sermonis Græci, & abstinentia pronuntiatus eius. LXXI.

SErmone Græco, quanquam* aliâs promptus, & facilis, non tamen vsquequaque vsus est. Abstinuitq; maximè in Senatu: adeò quidem, vt monopolium nominaturus, veniam priùs postularit, quòd sibi verbo peregrino vtendum esset: atque etiam in quodam decreto Patrum, quum ἔμβλημα recitaretur, commutandam censuerit vocem, & pro peregrina nostratē requirendam, aut si nō reperiretur, vel pluribus,

*alioqui

nopen: quidā eas expirasse tradiderunt, cùm Vlyssem ad se cantu trahere nequiuissent. Orpheus tamen suo cantu superatas interiisse ait: illius hæc sunt in Argonauticis σφίας quum de Sirenibus cantu interim à se victis loqueretur: -Σφίας δ' ἀπὸ φωγᾶδ@ ἄκρης Ες βυθὸν δίονταυρ ἀλιρρόθιον θαλάσσης. Πέτρας δ' ἀλλάξαντο δέμας, μορφήν θ' ὑπέροπλον. id est, -Et ab obice saxi Præcipites sese in pelagus misêre profundum, Sed formam in petras, generosáq; corpora mutant. Quod si sic est, vt Argo naui illarum scopulos prætereūte cātu victæ perierint, ipsi, qui hæc tradiderūt, videāt, si possunt, quo pacto euenire potuerit, vt Vlyssem, quē admodū Homerus in XII. Odysseæ scribit, ita allocutæ sint: Οδυ. μ.

Δεῦρ' ἄγ' ἰὼν πολύαιν' Ὀδυσεῦ μέγα κῦδ@ Ἀχαιῶν
Νῆα κατάστησον ἵνα νωϊτέρην ὄπ' ἀκούσῃς.

PHIL. POst excessum.] Obitum.

Minois exemplo.] Minos Cretæ rex filium habuit nomine Androgeum: qui dum Athenas ad spectaculum celebritate conspicuum proficisceretur, à filiis Pallantis per insidias fuit interfectus. Cæde filii perturbatus Minos Athenas petiit, supplicium interfectoris Androgei petens: spernentibus eius verba Atheniensibus, bellum indixit, addita execratione, qua aduersus Athenienses siccitatem, famémq; est imprecatus. Igitur cùm sterilitas, & pestilētia regionem Atticā inuasisset, ex oraculo didicerunt non priùs tantam calamitatem defuturam, quàm pro Androgei cæde Minoi satisfecissent. Tunc ex fœdere, quod Athenienses cum Minoe percusserūt, institutum est, vt septem pueri, totidemq; virgines tributi nomine in Cretam Minotauro vorandi quotannis mitterentur. Historiam tradunt Plutarchus, & Diodorus: nulla tamen habita mentione huiusce sacrificii, cuius in præsentia meminit Trāquillus. Sed credere debemus, Minoem in morte filii Androgeos supplicasse, nulla mactata victima, sed tantùm ture, ac vino, sineque tibicine: cùm musica in luctu importuna res sit. Tus autem, & vinum sacris adhiberi, nullus ignorat. Vnde illud Plinianū: Mola tantùm salsa litant, qui nō habent tura. Et Numa vina libari diis nefas statuit, nisi ex vite putata. Tibicines quoque sacrificiis præcinere solitos Historici tradiderunt. Hinc Ouid.

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis.

Tyberius cùm mos fuisset principibus Senatum ingredientibus statim ab ingressu sacrificare, ingressus curiā post obitum Augusti sacrificauit exemplo Minois ad mœrorē declarandum: sicut ille fecerat. Quidam non Minois exemplo legunt, sed maiorum: quæ lectio si vera est, tūc sensus hic erit, Tyberium sacrificasse ex ritu maiorū post obitū Augusti, vt olim ipse Augustus sacrificauit in morte filii Marcelli, vt nullū tibicinem, nullámq; musicam cantionem adhiberet in luctu. Prior lectio magis

quadrat, vt exemplo Minois dicat, Tyberium supplicasse, vsum eo genere sacrificii, quo ille vsus fuerat in funere filii Androgei. Non vsquequaque.] Non omni loco, & tempore. Monopolium.] Diximus suprà μονοπώλιον Græcam esse dictionem, quamuis verbo Latino non facile enuntiaueris.

ἔμβλημα.] Quidam codices Tranquilli habent emblema, quidam problema: sed quum problema elegāter quæstio interpretetur, magis videtur legēdum emblema, quod in Latina lingua nomen non habet. Significat autē emblema opus id, quod ex tesserulis structū, elegātérq; variegatum imperitum vulgus vocat tarseatum: de quo est versus ille Lucilianus à Plin. relatus in XXXVI.

Arte pauimento, atque emblemate vermiculato. Eiusdem Cicero meminit, cuius hæc sunt verba ex lib. III. de Oratore: Lusit elegantissimè Lucilius:

Quàm lepide lexeis compostæ, vt tesserulæ omnes
Arte pauimento, atque emblemate vermiculato.

Idem in Bruto: Nullum nisi loco positum, & tanquā in vermiculato emblemate, vt ait Lucilius, structum verbum videres. Idem in Oratore, Apud Lucilium sciitè exagitat in Alburio Scæuola:

Quàm lepidè lexeis compostæ, vt tesserulæ omnes
Arte pauimento, atque emblemate vermiculato.

Sunt prætereà emblemata, sigilla ex auro, vel argento vasis impressa, illigatáq; & in medio causa ornatus extantia. Seruius enarrans illud Vergilii ex V. Aeneidos, Cratera impressum signis: exposuit pro impressa signa habentem, id est emblemata. M. Tullius in oratione de signis, inflammanter taxat Verrem, quòd vim emblematum coaceruauerit: quæ omnia vasis Siculorum cælatis impudenter abstulerat. Iurisconsultus Digestis de auro, & argento legato, emblemata vasis, & lapidibus inclusa, replūbari posse significat. Hoc enim vtitur verbo pro eo, quod est, reuelli, & resolui.

Pro peregrina.] Pro Græca dictione.

Nostratem.] Latinam, Romanique idiomatis.

M. AN. CAnere.] Iam & hoc, quod diximus, ad eius cantū pertinet: Huc agè veniens inclyte Vlysses Argiuorū decus statue nauē. quæ Cicero breuiter admodū, & cōcise ita interpretatus est: O decus Argolicū, quin puppim flectis, Vlysse. Minois exemplo.] Vide ne maiorum potiùs sit legendum. Ouidius:

Mox ego, quamuis aliorum numina placent,
Iane tibi primum tura, merúmque fero.

Tranquillus Augustum scribit instituisse vt patres curiam ingressi, priùs quàm sederent, ture & mero sacrificarent. Ture quidem, & vino.] Ita enim, vt dixi, Augustus statuerat, vt Senatores curiam ingressi priùs, quàm sederent, ture, & mero apud aram eius dei, in cuius templum coiretur, supplicarent: sed ipsa sacrificādi ratio, vt Ouidius innuit, omnino vetustior.

Peregrino.] Græco,non Latino. De ratione eius nominis alio loco diximus. ἔμβλημα.] Id quoq; est ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλω, impono. Hinc quoque,vt Seruio placet,signa impressa emblemata dicuntur.

Nostratem.] Vocem subaudi,Romanam scilicet.

Serpens draco.] Scribit Plinius lib. XXIX. draconem non habere venena,& primum spondylum,id est, vertebram draconis mulcere aditus potestatũ: draconum adipem venenata fugiunt.

Quem cibaturus.] Signat draconem fuisse exarmatum. Exarmatas autem feras dicimus mansuefactas: qui verò docent mansuescere, mansoetarii vocantur. Lampridius in Heliogabalo: Habuit leones, & leopardos exarmatos: quos edoctos per mansuetarios subitò ad secũdam,& tertiã mensam iubebat accũbere. Plinius in x. de aspide quadam scribit,quæ ad mensam cuiusdam veniens in Aegypto, tanquam exarmata aleretur assiduè. Firmic. Maternus mansuetarios ferarum nasci scribit oriente Septentrione. Vim multitudinis.] Draco delicium Tyberii consumptus à formicarũ numerosa multitudine, portendebat principi vim multitudinis esse cauendam.

Asturæ.] Ciuitas est in Latio haud longe à Terracina:de qua iam dictum est. Circeios.] Circeii quondam insula fuerũt haud procul ab Astura,vt inquit Plinius: Fuit hîc Circes sacellum, quæ Circeienses agros habitanit. Pertendit.] Perrexit.

Castrẽsibus lodis.] Militaribus,& in castris exhibitis.

& per ambitum verborum rem enuntiandã. Militem quoque Græcè testimonium interrogatum, nisi Latinè respondere vetuit.

Infirmitas eius,& quòd ad urbem rediens retrocessit. LXXII.

BIs omnino toto secessus tempore, Romã redire conatus, semel triremi vsque ad proximos Naumachiæ hortos subuectus est,disposita statione per ripas Tyberis, quæ obuiam prodeũtes summoueret. Iterũ Appia vsq; ad septimum lapidem,sed prospectis modò,nec aditis vrbis mœnibus, rediit. Primò incertum qua de causa:posteà ostento territus. Erat ei in oblectamẽtis serpens draco,quem ex cõsuetudine manu sua cibaturus, cùm consumptũ à formicis inuenisset, monitus est,vt vim multitudinis caueret. Rediens ergo,prope Campaniam Asturæ in languorẽ incidit:quo paulùm leuatus,Circeios pertendit. Ac nequam suspicionem infirmitatis daret,castrensibus

PHIL. PEr ambitũ verborum.] Vocabula rerum non paucissima sunt apud Græcos, quæ singulis verbis Latine enuntiari non possunt, vt à Græcis: vnde pluribus verbis opus est ad ea Latina oratione demonstranda, quæ Græci dicunt priuis, hoc est singularibus vocibus. Inter hæc in primis Gellius nominat πολυπραγμοσύνην, quod interpretari voce vna Latina nequeas. Significat autem negotiationem multam, & curiositatẽ circa res obeũdas. Consimiliter Hieronymus in procemio Chronicorum Eusebii: Significatum est, inquit, aliquid apud Græcos vnius verbi proprietate,non habeo meum,quo id efferam: & dum quæro implere sententiam longo ambitu, vix breuis viæ spatia cõsummo. Ambitum verborum dici circuitum,qui Græcè nominatur περίοδος,satis notum est. Nisi Latinè respondere.] Institutum vetus fuit, vt Græcis nunquam nisi Latinè responsa Romani darent: cogebantúrque Græci loqui per Latinũ interpretem,non solùm Romæ,sed etiam in Græcia,& Asia: quo scilicet Latinè vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur.

Secessus.] Scilicet Caprearum.

Triremi.] Triremẽ inuenit Amocles Corinthius.

Naumachiæ.] Naumachiam vocamus & pugnam naualem,& locum,vbi pugna fit. Hîc locus significatur: videtúrque intelligendum esse de naumachia,quã Augustus cõstruxit circa Tyberim cauato solo, vbi mox fuit Cæsareum nemus.

Stationem.] Stationariis militibus per interualla collocatis.

Prodeuntes obuiam.] Scilicet Romanos honoris, & officii causa procedentes obuiã principi redeunti.

Appia.] Scilicet via, quam Appius Claudius in censura muniuit,de qua Papinius:

Appia longarum teritur regina viarum.

Ad septimum lapidem.] Ad septimum milliarium, scilicet subuectus est. Martialis:

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum.

Milliaria enim lapidibus cõstitutis terminantur. Caius Gracchus,authore Plutarc. singulis milliariis columnas lapideas spatiis signa præferentes constituit.

Nec aditis.] Prospexit mœnia tantùm, nec introiuit. Primò.] Quando vsq; ad hortos subuectus est. Posteà.] Secunda vice.

TOto secessus tempore.] Quandiu Capreis fuit. M. A N.

Proximos naumachiæ hortos.] Naumachia sub Ianiculo fuit in Vaticani parte:sed quia hortos dixit,ad sua tempora videtur Tranquillus respexisse:siquidem Neronis horti in eodem tractu fuere:nec eo inficias & in parte Martii campi circa Tyberim à Cæsare Dictatore, & ab Augusto nauale prælium editum: Item hortósque in eodem tractu fuisse Strabonis verba demonstrant. Via.] Quæ per Bouillas,& Aricinã, pérque Latium secus mare in Campaniam ducit.

Sed prospectis.] Procul visis. Cæsar quoque post Pompeium Italia depulsum, quum Romam per Appiã peteret,hinc quoq; videtur vrbem intuitus. Lucanus:

Quáque iter est Latiis ad summam fascibus Albam,
Excelsa de rupe procul iam conspicit vrbem.

Primò.] Cùm Tyberi subuectus est: posteà quum ad septimũ vsq; lapidem peruenit. Serpens draco.] Quòd dracones mansuescerent, haberentúrq; in deliciis,Mar. Sic gelidũ collo nectit Flaccilla draconem. Quòd alati sint,Herodotus est author. Est, inquit,Arabiæ locus ad vrbem Butim ferè impositus,ad quem me contuli,quòd audirem illhic volucres esse serpentes.

Multitudinis.] Per formicarũ incursum prodigium.

Asturæ.] Astura, Insula inter Antium & Circeios est: item & fluuius eiusdẽ nominis,Plinius est author.

Castrensibus ludis.] Sic in Claudio, Anniuersariũ, inquit,

ludis non interfuit ſolùm, ſed etiam miſſum in arenam aprum iaculis deſuper petiit: ſtatímque latere conuulſo, & vt exæſtuarat, afflatus aura, in grauiorem recidit morbum. Suſtentauit autem aliquandiu, quanuis Miſenum vſque deuectus, nihil ex ordine quotidiano prætermitteret, ne conuiuia quidem, ac cæteras voluptates, partim intemperantia, partim diſſimulatione. Nam Chariclem medicum, quòd commeatu abfuturus, è conuiuio egrediens, manum ſibi oſculandi cauſa apprehendiſſet, exiſtimans tentatas ab eo venas, remanere, ac recumbere hortatus eſt, cœnámque protraxit. Nec abſtinuit conſuetudine, quin tunc quoq; inſtans in medio triclinio, adſtante lictore, ſingulos valere dicentes appellaret.

Locus, & tempus mortis eius. LXXIII.

INterim quum in actis Senatus legiſſet, dimiſſos, ac ne auditos quidem quoſdam reos, de quibus ſtrictim, & nihil aliud quàm nominatos ab indice ſcripſerat, pro contempto ſe habitum fremens, repetere Capreas quoquo modo deſtinauit, non temere quicquam, niſi ex tuto auſurus. Sed & tempeſtatibus,

inquit, munus in caſtris prætorianis dedit ſine venatione & apparatu.

PHIL. COnuulſo.] Conuulſa dicimus membra, quæ ſede ſua, & loco mota ſunt. Apud Plinium ideuidem leges remedia conuulſis medentia.

Exæſtuarat.] Solet afflatus auræ pernicioſus eſſe æſtuantibus, & his maximè, qui priùs languebant: talia enim ab æſtu corpora refrigerata lethaliter ægrotare conſueuerunt.

Miſenum.] Plinius in III. Miſenũ eſſe tradit iuxta Cumas, & portũ Baiarum. Dictum autem eſſe à Miſeno tubicine Troiano, quis eſt, qui ignoret?

Intemperãtia.] Qui ſuapte natura intemperãs eſt, is vix poteſt mutare naturam, & colere frugalitatẽ: quæ in primis languenti cuſtodienda eſt.

Diſſimulatione.] Dum nõ vult videri ægrotus.

Commeatu abfuturus.] Medicus erat futurus abſens à Tyberio, quum commeatum, hoc eſt abeundi facultatem impetraſſet.

Oſculandi cauſa.] Religio quædam, vt inquit Plinius in vndecimo, in manu dextra eſt, quæ oſculis auerſa petitur, in fide porrigitur. Hinc Hebræi deoſculationem pro veneratione ponunt: quia qui adorant, ſolent deoſculari manum, capútque ſummittere: author Hieronymus lib. I. contra Rufinum.

Tentatas venas.] Peruulgatè magis, quàm inſcitè loquutus eſt, qui venas à medico tentatas dixit, pro arteria. Nanq; arteriam tangere ſolent medici, cuius motus, & pulſus habitum morbi demonſtret, & modum, vt docet Gellius in XVIII. cap. X. ſed nõ ſolum vulgus ſemidoctum venam dicit pro arteria, ſed ſcriptores luculẽti, inter quos eſt Celſus, qui ait: Venis maximè credimus fallaciſſimæ rei: quia ſæpe iſtæ leniores celerióreſve ſunt, & ætate, & ſexu, & corporũ natura. Perſius:

Tange miſer venas, & pone in pectore dextram.

Seneca: Non poteſt medicus per epiſtolas, cibi, aut balnei tempus eligere: vena tangenda eſt.

Recumbere.] Verbum eſt cõuiuale, & epulantibus accommodatũ: ſicut accumbere, diſcumbere, accubare.

In medio triclinio.] In media cœnatione. De triclinio lege quæ ſcripſimus in notis Seruii.

Lictore.] Miniſtro Imperatorio.

Valere dicentes.] Valere, verbũ eſt recedentium.

Appellaret.] Familiariter alloqueretur, & nominatim affatus à ſe dimitteret.

In actis Senatus.] Acta Senatus omnia ad Tyberiũ abſentem perſcripta mittebãtur, vt ſuper rebus omnibus fieret certior. Prætereà, vt ait Cælius in epiſtola quadam ad Ciceronem, peregrinantibus omnibus gratum eſt minimarum quoq; rerum, quæ domi gerantur, fieri certiores.

Strictim.] Non explicata cauſa reatus.

Nominatos ab indice.] Index eſt qui facinoris, cuius ipſe eſt conſcius, latebras indicit, impunitate propoſita. Scribit Aſconius certas eſſe cauſas, quæ per indices fieri nõ poſſunt: ſicut eſt repetundarum: neque Senatoria perſona poteſt indiciũ profiteri ſaluis legibus. Tyberius ſcripſerat ad Senatum aduerſus reos nihil aliud, niſi quòd aiebat eos fuiſſe nominatos tanquã ſontes ab indice, qui cõſcios facinoris illorũ indicium fecerat.

Pro contẽpto.] Pro neglecto, & deſpecto, ac deſpicato. Niſi ex tuto.] Tutiſſimũ ſibi locum Capreas exiſtimabat, ex cuius loci fiducia poſſet mox ſæuire in Senatum, à quo ſe contemni fremens indignabatur.

M. AN. LAtere conuulſo.] Infracto, vehementi motu labefactato. Plinius: Ad rupta, & conuulſa.

Exæſtuarat.] Aeſtu, & labore affectus cõtabuerat.

Aura.] Tenui vento. Miſenum.] Promontorium, vt Strabo, & Plinius aiunt, Cumis proximum: à Miſeno Aeneæ comite illhic ſepulto. Vergilius:

Monte ſub aerio, qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur.- Papinius lib. III. Syluar.
-Phrygióſque è vertice Graias
Addiſcis Miſene tubas.-

Diſſimulatione.] Morbi occultatione. Quòd cõmeatu.] Abeundi venia impetrata. Venas.] Gellius reprehẽſum medicũ affirmat, vt imperitũ, à Tauro philoſopho, quòd venã pro arteria dixiſſet, cuius pulſum medici obſeruent, nõ venam: quoniam illo ſuo pulſu habitũ, & motũ febrium demonſtret: vena autem natura immobilis ſit. Idem Gellius, & Plinius planè demonſtrant quòd vena ab arteria diſtet, vt hæc plus ſpiritus habeat, illa verò ſanguinis. Appellaret.] Nominatim ſalutaret.

In actis Senatus.] Ad eum ex vrbe delatis.

Strictim.] Breuiter, & conciſè. Quàm nominatos ab indice.] Nomina tantùm ad ſe per Indicem delata. Auſurus.] In patres potiùs, quàm in reos.

Tempeſtatibus.] Quibus impedientibus ex continenti in inſulam traiicere non poterat.

& ingrauescente vi morbi retentus, paulò pòst obiit in villa Luculliana, octauo & septuagesimo ætatis anno, tertio & vigesimo Imperii, decimoseptimo Calendas Apriles, Cn. Acerronio Proculo, C. Portio Nigro consulibus. Sunt qui putent venenum ei à Caio datum, lentum, atque tabificum. Alii in remissione fortuitæ febris cibum desideranti negatum. Nonnulli puluinum iniectum, quum extractum sibi deficienti annulum mox resipiscēs requisisset. Seneca eum scribit, intellecta defectione, exemptum annulum quasi alicui traditurum parumper tenuisse, dein rursus aptasse digito, & compressa sinistra manu iacuisse diu immobilem, subito vocatis ministris, ac nemine respondente, consurrexisse, nec procul à lectulo, deficientibus viribus, concidisse.



Signa præcedentia mortem eius. LXXIIII.

SVpremo natali suo Apollinem Temenitem, & amplitudinis, & artis eximiæ ad-

PHIL. VI.] Violentia. In villa Luculliana.] Villam intelligimus prætorium, & ædes in agro magnificenter excultas, quales multas habuit Lucullus, qui in primis iuxta Neapolim villam ædificauerat, exciso etiā monte, vt Euripum, & maria admitteret. Qua de causa Pompeius Magnus Xerxem togatum eum appellabat: au thor Plinius in IX. Plutarch. ait à Tuberone ita solitum appellari Lucullū. Venenum à Caio datum.] Orosius de Tyberio scribēs ait: Hic ambiguis veneni signis obiit. Idē tradit Eutropius. Lentum.] Nō præsentaneum. Venenum enim lentū, & præsentaneū opponitur. Lentum enim eiusmodi est, quod mortem in diē profert, & quo sensim grassante cor tabescit: præsentarium verò mortē illico affert. Tabificū.] Sensim, pauxillatimq; cōsumens, & ad tabitudinē veluti deducens. Liuor dicitur eleganter venenū esse tabificum: quoniā inuidentia quadā velnti tabe inuidos cōficit, atq; exest. In remissione cibū desiderāti.] Remissio, & accessio In morbis contraria sunt: per accessionē augescit febris, per remissionē relentescit. A medicis quæritur, quando ægroto cibus dari debeat. Optimū enim medicameorū est opportune cibus datus. Asclepiades inclinata febre, sed tamen adhuc inhærente, cibum dabat. Tutissimū autem est totius accessionis tempus præterire, & in remissione alimentū offerre. Puluinū iniectum.] Haud absimili mortis genere Interēptus est Demetrius Philippi filius, cui insidiatores iniectis tapetibus in caput, faucesq; spiritū intercluserunt. Historia narratur à Liuio lib. XL. Puluinus autem, quasi pluminus, à pluma deduci creditur, sicut & puluinar: est enim molli pluma fartus: ὑποκεφαλαιῶς, hoc est diminutiuè puluillus dictus, quo cubita fulciunt delicati, vt molliter quiescāt. Hinc in Ezechiele, cap. XIII. scriptum legimus: Væ qui consuunt puluillos sub cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. Tropologicè autem, quisquis malè agenti adulatur, vt in Moralibus interpretatur Gregorius, & in canonicis Decretis, distinctione XLVII. repetitum est, puluillum sub cubito iacentis ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter requiescat. A puluino puluinatum deriuatur. Plinius in XV. calicem nucis iuglandis puluinatum nominat, ad instar puluini factum. Puluinum & per quandam similitudinem vocamus in hortis partem eminentiorem, molliorémq;. Columella in XII. Spicæ allii liratim seri debēt, vt in puluinis positæ minus infestentur hyemis aquis. Prætereà puluinus vocatur à nautis, vt ait Seruius, arena durior, quæ in modum saxi lapidescit. Vitruuius in v. Puluinus, inquit, firmissimè struatur. Defectione.] Cum se deficere, moríque intelligeret. Potest etiam referri ad defectionem familiarium, qui, moriente Tyberio, velut defecerant, destituerántque principem. Quasi alicui traditurum.] Annulum. Alexander Magnus voce iā deficiente moribūdus detractū annulū digito Perdiccæ tradidit: tanquā id signū foret declarādi quem vellet successorem. Præterea, vt inquit Plin. morientibus annuli detrahūtur. Compressa sinistra.] Ne scilicet annulus detrahi sibi posset: qui sinistræ manus digito, qui minimo proximus est, gestari consueuit. Cōcidisse.] Moribundum corruisse. Apollinem Temenitem.] In Syracusano agro fōs est nomine Temenitis: cuius meminit Plin. in III. Inde Apollo Temenites cognominatus. Obseruauimus curiosè apud Ciceronem mentionē fieri huiusce Apollinis Syracusani, cuius hæc verba sūt ex oratione de signis, vbi Syracusæ describūtur: Præterea duo tēpla sunt egregia: Cereris vnū, alterum Liberi, signúmq; Apollinis, qui Temenites vocatur, pulcherrimū, & maximum: quod si iste portare potuisset, nō dubitasset auferre. Cum his M. Tullii verbis ita quadrāt Trāquilli verba, vt ab illo mutuatus esse videatur. Cicero Apollinem Temenitem vocat pulcherrimū, & maximum: hic dixit amplitudinis, & artis eximiæ. Sed hoc vnum, quæso, lector attende, quòd in codicibus Tullianis, Apollo Themites vocatur, quem Tranquillus Temenitem dicit. Ex quo videtur aut hîc, aut illhic esse mendum. Nam si à fonte Temenite, qui in agro Syracusano est, vt diximus, nomen accepit, erratum erit in libris Ciceronianis, & pro Themites corrigendum Temenites. Sed vide ne potiùs Themites apud Trāquillum legēdum sit, sicut apud Ciceronem passim legitur, tāquā Apollo Themites cognominetur à Themi dea fabulis celebrata, quæ fatidica fuit, & ante Apollinem tenebat oraculum Delphicum, vt dicit Ouidius: quam præesse vaticiniis prodidit Marcellinus: &, vt author est Strabo in IX. olim Apollo, & Themis humano generi vtilitatem afferre cupientes oraculum simul comparare decreuerunt.

M. A N. IN villa Luculliana.] Quæ Luculli fuerat. Plutarchus magnifica, & sumptuosa opera à Lucullo ait circa Neapolim extructa: atque à stupendis operibus Xerxem togatum à Tuberone appellatum.

Lentū, & tabificū.] Nullo penè sensu vitā corrumpens. Alii.] Quo apparet, ne tunc quidem cùm vita decessit, satis constitisse, qua fuerit vi consumptus.

Remissione.] Quum febris remisisset.

uectum Syracusis, vt in bibliotheca noui templi poneretur, viderat per quietem affirmantem sibi, non posse se ab ipso dedicari. Et ante paucos, quàm obiret, dies, turris Phari terræmotu Capreis concidit. Ac Miseni cinis e fauilla, & carbonibus, ad calefaciendum triclinium illatus, extinctus & iãdiu frigidus exarsit repentè prima vespera, atq; in multam noctem pertinaciter luxit.

Lætitia Romanorum in morte eius, & gesta per eos. LXXV.

MOrte eius ita lætatus est populus, vt ad primum nuntium discurrentes, pars Tyberiũ in Tyberim clamitarent, pars Terram matrem, deósque manes orarent, ne mortuo sedem vllam, nisi inter impios darent: alii vncũ, & gemonias cadaueri minarentur, exacerbati super memoriam pristinæ crudelitatis, etiã recenti atro-

Pululnm iniectum.] Ori appositum: vt spiritu intercluso necaretur.

Requisisset.] Annulum ademptum.

Defectiooe.] Domesticorum fuga, insuetáque circa se solitudine. Annulum.] Est enim principis annulus voluntatis Index. Sinistra manu.] Vel qua erat annulus: vel quia sinistra plus, vt diximus, quàm dextera pollebat.

Apollinem Temenitem.] ἀπὸ τοῦ τέμενος, credo, id est, luco, siue loco numini sacro dictum. Sunt qui Tenitem legendũ putent, quia Tenitæ deæ sortium crederētur: sed nullo modo placet.

PHIL. NOui templi.] Quod ipse Tyberius in honorem Augusti Romæ constituerat.

Turris Phari.] Apud Propertium enarrantes illud ex lib. 11. Aut Ptolemææ littora capta Phari: multa cõscripsimus de multiplici Pharo, quocirca in præsentia hoc solũ dixisse suffecerit, Pharos à priscis dictas turres, machinásve in portibus ad prælucendi ministerium, nocturnósq; nautarum cursus dirigendos fabricatas: sicut iam tales pluribus locis, inquit Plinius, flagrant, vt Rauennæ. Talis Pharos fuit quoque Capreis tempore Tyberii, de qua loquitur Papinius in Sylua ad Claudiam vxorem:

Theleboúmque domos, trepidis vbi dulcia nautis
Lumina noctiuagæ tollit Pharus æmula Lunæ.

Hæc concideus casu suo, & ruina portendit obitũ Tyberii: cui in primis cordi fuit secessus Caprearũ. Prætereundum non est, quod traditur ab Egesippo, qui scribit in quarto, Pharoo à Græcis, Latinísque iuxtà appellari ex ipsius rei vsu, eò quòd longè videatur à nauigantibus: tanquam φανὸς, quod significat lucidũ, immutata litera Pharos dicatur.

Exarsit repentè.] Scribit Plinius in decimooctauo, in terrenis ignibus esse præsagia. Hoc genus diuinationis ignispicium vocamus. Primus Amphiaraus inuenit ignispicia. Græcè dicitur πυρομαντεία. Ignis ergo portentum fecit Tyberio, dum ex carbone iam extincto, & frigido repentè emicans sua sponte refulsit in multam noctis partem.

Tyberium In Tyberim.] Iocabantur In nomine: tanquam Tyberius in Tyberim, propter similitudinem nominis esset trahendus, sicut olim Heliogabalus in latrina occisus io Tyberim præcipitatus est: vnde post mortem appellatus est Tyberinus, & Tractitius. Tyberios legimus ex eo dictos, quòd iuxta Tyberim nascerentur.

Deos manes.] Apuleius in libro, cui titulus est Dæmonium Socratis, tradit animum humanum corpore exutum nuncupari manem deum: & honoris gratia dei vocabulũ addi. Cicero in legibus quas condidit, Deorum, inquit, manium iura sancta sunto: hos diuos habento. Plinius vanitatem mortalium ridet, qui manes colunt, deumque faciunt, qui etiam homo esse desierit. De manibus plura in quarto Propertii commentario. Hîc dei manes & pro diis Inferis accipi videntur, & pro vmbris piorum, quos rogabant vt Tyberio locus tantummodo daretur inter impios, qui in tartaro torquētur: pii verò habitant Elysium.

Vncum.] Quo corpora trahebantur.

Gemonias.] In quas abiiciebātur.

NOui templi.] Plinius in bibliotheca templi Augusti fuisse ait Apollinis colossum pedum quinquaginta, dubium ære mirabiliorem, an pulchritudine. Sed eum Plinius in Italia conflatum videtur innuere. Quod autem ad templum attinet, cõstat templum in memoriam Augusti à Tyberio Romæ excitatum, sed imperfectum ab eo relictum. M. AN.

Turris Phari terræmotu.] Quæ Capreis fuit: de qua Papinius:

-Trepidis vbi dulcia nautis
Lumina noctiuagæ tollit Pharus æmula Lunæ.

Pharus insula in Aegypto, vbi turrim iuxta Alexandriam ad dexteram, vt Strabo ait, Ptolemæi impensa Sostratus Gnidius architectus erexit: quæ nocturno lumine ex alto nauigantibus tutam, rectámque nauigationem exhibebat. Ad eius igitur imitationem pluribus locis circa mare turres in hunc vsum erectas Pharos dixere. Iuuenalis Tyrrhenámq; Pharon dixit. Trãquillus ipse alibi in Hostiensi portu turrim ait à Claudio erectam ad Alexandrini Phari exemplum, ad cuius nocturnos ignes nautæ cursum dirigerent.

Ac Miseni.] Proximis diebus, quibus obiit, id prodigium factum intellige.

Et iam diu frigidus exarsit.] Quod ad ea, quæ in eius morte euenerunt, pertinuit.

Tyberium in Tyberim clamitarent.] Eiici scilicet: quod Cæsare in curia occiso fuit in animo coniuratis facere.

Deos manes.] Acron bonos deos manes dictos credidit: vnde sit & mane. Alii genios, quos in vita sortiremur ad bonum & malum. Alii animas corporibus exutas: quo significatu videtur mihi Liuius vsurpasse: Instare, inquit, tribuni Claudio vt collegæ deos manes fraude liberaret. Non defuerũt qui infernos esse deos dicerent: quos illi sequuti, deos manes orabãt, vt ei, nisi inter impios, nullam sedem darent.

Receoti atrocitate.] Nouo crudelitatis exemplo à ministris edito.

PHIL. IN decimum semper diem.] Hoc idem Bononiæ obseruatur, quotiescunque aliquis morti damnatus est, vt non ante decimum diem de damnato supplicium capitale sumatur.

De Tyberio.] De Tyberii morte.

Hos.] Damnatos.

Fidem.] Auxilium & suppetias.

Absente Caio.] Caligulam intelligit, qui mox successit in Imperio: qui aberat ab vrbe, aderátq; Tyberio morienti.

Adiri.] Nomine damnatorum.

Custodes.] Qui damnatos, & custodias carcerarias custodire solēt, & debent. Sed vt sapientissimè monet Aristoteles in VI. Politicorū, debet ille, qui custodit reos, separatus esse ab illo, qui animaduertit in eos. Viri enim boni maximè recusant facere carnificinam. Nati sub sydere Andromedæ sunt custodes carceris, aut ergastulis præpositi, aut carnifices.

Constitutum.] Ne præuaricarentur legem: qua sibi præscriptum erat tēpus, & dies, quo de damnatis supplicium sumere iubebantur.

citate. Nam cùm Senatusconsulto actum esset, vt pœna damnatorum in decimum semper diem differretur, fortè accidit, vt quorundam supplicii diesis esset, quo nuntiatum de Tyberio erat. Hos implorantes hominum fidem, quia, absente adhuc Caio, nemo extabat, qui adiri, interpellaríque posset, custodes ne quid aduersus cōstitutum facerent, strangulauerūt, abiecerúntq; in gemonias. Creuit igitur inuidia, quasi, enā post mortem tyranni, sæuitia permanente. Corpus vt moueri à Miseno cœpit, conclamantibus plerisq; Atellam potiùs deferendum, & in amphitheatro semiustulandum, Romam per milites deportatum est, crematúmque publico funere.

Testamentum, & ultima dispositio eiusdem. LXXVI.

TEstamentum duplex ante biennium fecerat: alterum sua, alterum liberti manu, sed eodem exemplo: obsignaueràtque etiam humillimorum signis. Eo testamento hæredes æquis partibus reliquit, Caium ex Germanico, & Tyberium ex Druso nepotes: substituítque inuicem. Dedit & legata plerisque: inter quos virginibus Vestalibus, ac militibus vniuersis, plebiq; Romanæ viritim, atque etiam separatim vicorum magistris.

carissimorum. Testes autem testamento signando adhiberi non possunt serui, mulieres, impuberes, surdi, furiosi, neque hi, quibus bonis interdictum est, neque hi, quos leges iubent improbos, intestabilesque esse.

Aequis partibus.] Diuisa ad æquilibrium hæreditate.

Substituítq; inuicem.] Vt puta, si Caius hæres non erit, Tyberius hæres esto: vel si Tyberius hæres non erit, Caius hæres esto. Iurisconsulti multa luculenter conscribunt de institutis hæredibus, & de cohæredibus substitutis.

Viritim.] In singulos viros plebeios. Vicorū magistris.] Magistri non solùm doctores artium, sed etiā pagorum, societatum, vicorum, collegiorū, equitum dicuntur, tanquā moderatores: magistrare enim, moderari est.

M. AN. DE Tyberio.] De Tyberii obitu.

Fidem.] Opē, & patrocinium.

Qui adiri.] Cōsuli, rogaríve posset. Constitutū.] Præscriptum supplicii tempus.

Tyranni.] Ad iratorum appellationē, non ad Tranquillum id referas.

Strangulanerunt.] Laqueo gulam fregerunt.

Sæuitia permanente.] Tanquam Tyberius defunctus adhuc sæuiret, authórque fuisset, vt damnati strangularentur. Miseno.] Promontorio Campaniæ prope Cumas, & Baias.

Atellam.] Oppidum est Campaniæ, vnde nomen Atellanis fabulis inditū est: de quibus suprà diximus.

Amphitheatro.] Quod scilicet erat Atellæ, ibique fabulæ agebantur.

Semiustulandum.] Semicomburendum. Augustinus scribit In tertio de ciuitate Dei, Metellum pontificem semiustulatum abripuisse Palladiū ex templo Vestæ, quod flagrabat incendio. Ideo autem semiustulandum esse conclamarunt, vt ostenderent nec quidem legitimo rogo esse cremandum, honoradúmque. Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti: terra condebantur: mox institutum est, vt cremarentur cadauera, quum cognouissent erui longinquis bellis obrutos. Humillimorū.] Ignobilissimorum, & despicatissimorum.

Atellam potiùs.] Hoc est, non modò non Romam deportandum, sed cadauer ipsum aliquantò etiam longiùs ablegandum. Sunt enim Atellæ, oppidum in Campaniæ finibus, vt Ptolemæus ait.

Semiustulandum.] Ne legitimo quidem rogo funerandum: si quidem quò amplior pyra, eò honorarior: quod Homerus in Patrocli funere demonstrat. Lucanus quoq; in Pompeiano rogo queritur summo viro pyræ materiam defuisse.

Duplex.] Duplici manu notatum.

Humillimorum.] Humillimæ fortunæ signatoribus adhibitis.

Aequis partibus.] Vtrunque ex semisse, id est dimidia bonorum parte.

Caium.] Ex Germanico, & Agrippina natum.

Nepotes.] Quia vterq;, hic ex adoptiuo filio erat, ex naturali ille genitus.

Substituítque sibi inuicem.] Vt vterque alteri succederet.

TEST

C. SVETONII TRANQVILLI

LIBER IIII.

C. Cæſar Caligula.

De Germanico patre C. Caligulæ, & geſtis eius 1.



ERMANICVS C. Cæſaris pater, Druſi, & iunioris Antoniæ filius à Tyberio patruo adoptatus, quæſturam quinquennio antè, quàm per leges liceret, &

PHIL. 

ESTIMONIVM Senecæ de Caio hoc: Modò Caius Cæſar Sextum Papiniũ, cui pater erat conſularis, Bethenum Baſſum quæſtorem ſuum, procuratoris ſui filium, alióſque & equites Romanos & Senatóres vno die flagellis cecidit, torſit, nõ quæſtionis, ſed animi caoſa. Déinde adeò impatiens fuit differeodæ voluptatis, quã ingentem crudelitas ſine dilatione poſcebat vt in *crypta maternorũ hortorũ, quæ porticum à ripa ſeparat, inambulans, quoſdam ex illis cum matronis, atque aliis Senatoribus ad lucernam decollaret. Torſerat per omnia, quæ in rerum natura triſtiſſima ſunt, fidiculis, tabularibus, eculeo, igne, vultu ſoo: homo, qui de toto Senatu trucidando cogitabat: qui optabat vt populus Romanus vnam ceruicem haberet, vt ſcelera ſua tot locis, ac temporibus diducta, in vnum ictum, & vnum diem cogeret. hactenus Seneca. Caii Caligulæ, qui non tam homo dici meretur, quàm portentum, pater fuit Germanicus longè filio diſſimillimus, adeò vt alter inter optimos, alter inter peſſimos ſit annumerãdus, verúmq; eſſe videatur illud Manlii oraculum ex tertio Aſtronomicôn: Degenerant nati patribus. Spartianus quoque luculentus hiſtoriæ ſcriptor, autumat oeminem propè magnorum virorũ optimum & vtilem filium reliquiſſe. Deniqueant ſine liberis maximi viri perierunt, aut tales habuerunt plerique, vt melius fuerit de rebus humanis ſine poſteritate diſcedere. Iſtud quidem in pleriſque verum eſſe cognoſcitur, ſed id germen improbum eſt. Econtrario, ſicut ex generoſa arbore fructus generoſi propignuntur, ita fortes (vt inquit Horatius) creantur fortibus & bonis: ipſorúmque parentum virtus in filiis regeneratur. Quod in primis Bentiuola proles oſtendit: in qua probitatem parentum, generoſitatémque cum admiratione ſuſpicimus. Tu verò prudentiam atque moderationem clariſſimi patris tui ita effingis, ac repræſentas, vt in filio pater appareat: in te effulget quicquid in maximo patre tuo diligimus, quicquid mirabundi quotidie conſpicamur. Sed iam tempus eſt, vt ad propoſitum reuertamur, enarremúſq; Caii Cæſaris vitam flagitioſiſſimam, io quo nihil hominis fuit, præter effigiem: vt talia contemplantes reſiliamus ab improbitate filii, conuertamúrque ad virtutes patris Germanici æmulandas. Nõ enim poteſt vita Caligulæ impura placere niſi impuro, & omnibus probris maculoſo: ſicut mores Germanici apud bonos ſunt & amabiles, & imitabiles. Prætereundum non eſt, quòd olim Commodus Imperator illum feris abiici iuſſit, qui legerat hũc Tranquilli librum vitam Caligulæ continentem, quia eundem diem natalis habuerat, quem & Caligula: de quo ſcripturus Tranquillus ſummatim, breuitérque percurrit vitam, obitum, virtutes patris Germanici: cuius ſi filius talis extitiſſet, hodie inter optimos principum numeraretur, ſicut inter peſſimos referri meruit flagitiis, & crudelitatis carnificina.

* dirrha

Iunioris Antoniæ.] Hæc eſt illa Antonia, quã nunquam expuiſſe traditũ eſt: quæ ideo iunior à Trãquillo nominatur, qooniã ſororem habuit natu maiorem. De vtraq; Antonia ſic ſcribit Plutarchus in Antonio: Ex duabus Antonii & Octauiæ filiabus alteram Domitius Aenobarbus, alteram pudicitia, & forma præclarã Druſus Liuiæ filius Cæſaris priuignus duxit vxorem: ex qua nati fuerũt Germanicus, & Claudius.

Adoptatus.] Diximus ſuprà, diuũ Auguſtũ nõ anteà Tyberium adoptare voluiſſe, quàm is Germanicũ adoptaſſet Druſi fratris filium: vt proti nus, adoptione facta, inciperet Germanicus Auguſti nepos eſſe.

Quæſturã.] Quæſtura apud Romanos primus honorũ gradus eſt: author Cicero in actiooe prima cõtra Verrem. Antè, quàm per leges liceret.] In petitione magiſtratuũ lex erat præſcribens legitimã ad petendum ætatem: vnde & annalis dicta: de qua ſic ait Cicero in libris legum: Ciuitatem annali lege ſeruãto. Hinc illud eſt apud Hiſtoricos celebratiſſimũ de Cornelio Scipiooe, cui petenti ædilitatem cùm obſiſterẽt tribuni plebis, negãtes rationem eius habeodam eſſe, quòd nondum ad petendũ legitima ætas foret: Si me, inquit, omnes Quirites ædilem facere volũt, ſatis annorũ habeo. Cicero in v. Antonianarũ author eſt, veteres illos Romanos nullas habuiſſe leges annales: multorúmq; exempla cõmemorat, qui admodũ adoleſcẽtes ob magnã virtutis indolẽ, antequã per leges annales liceret, adepti ſunt ampliſſimos magiſtratus: in quibus maximis rebus geſtis populi Romani Imperium auxerunt, & nomen ornauerunt. Pacatus quoq; Panegyriſta refert nõ ſolùm in magiſtratibus ampliſſimis adipiſcendis, ſed etiã in ædilitatibus capeſſẽdis ſpectatã eſſe ætatem petitorũ: nec quenquã ait tãtũ valuiſſe nobilitate, vel gratia, vel pecunia, qui annos lege comitiali perſcriptos feſtinatis honoribus occuparit. Nec iniuria id quidem. Nanque illo adoleſcentiæ lubrico, qui non cadit, ſaltem titubat. Germanicus tamen ob indolem virtutis creatus eſt quæſtor annis quinque ante tempus annali lege præſcriptũ. Illud attende quòd à Pacato lex comitialis eleganter appellatur, qua finiuntur anni magiſtratus capiendi: qoam veteres modò annalem, modò annariam nominitauere.

MARCI Antonii Sabellici ad Auguſtinum Barbadicum Sereniſſimum Venetiarum principem Paraphraſeos in Caligulam paræneſis quarta.

M. AN. 

ERMANICVS.] Ex omnibus, qui in Cæſarũ familiam per adoptionem venere, Germanicus Cæſar ob ingẽtes animi virtutes, dotéſque corporis præcipua, meo iudicio, fuit laude dignus: ſoleóq; propterea poſt alia multa, qoæ in Trãquillo mirari cõtingit, hoc nõ in extremis habere, Sereoiſſime princeps, quòd tãti viri memoriã, licet ad Imperiũ nõ peruenerit, nõ ſit paſſus interire, quin vindicauerit potius illã ab omni

obli

oblinionis iniuria. Vindicauit enim quãtum in se fuit, qnanquam Ouidius Naso huic Fastorum libros inscripsit: & Fabius Quintilianus, dũ ab ingenio, & eloquentia Domitianum sub Germanici appellatione laudare contendit, ad illius, de quo loquor, virtutes allusisse videri potest. Sed redeo ad hũc nostrũ, qui non minus artificiose, quàm elegãter, optimi patris pessimo filio vitam prætexuit: vt appareret non vsqueadeò verũ esse illud Euripidis ὅτ' ἂν τέκνοις διαφέρωσιν: sed quod sequitur lõgè verius ςροφά. etenim non patris natura Caligulæ obfuit, cuius nihil in vita retulit: sed carnificina illa auita, inexplebilis auaritia, portentosæq; Capreẽsis secessus libidines, quæ pestem illam humani generis aluere, funestóque principatu omnium scelerum semina, fomentáque turpissima præbuerunt. Nunc ne longius euagemur, enarrationis ratio admonet. Drusi & iunioris Antoniæ filius.] Drusus Tyberii frater ex duabus Mar. Antonii & Octauiæ filiabus minorem natu duxit vxorem, maior natu Domitio Aenobarbo nupsit: Plutarchus est author. Antè, quàm per leges liceret.] Lege annaria cautum erat, quo quisque vitæ anno singulos gradatim honores caperet.

leuolentia Tyberii, quàm beneuolentia.

In prouinciæ formam redegisset.] Scribit Eutropius, Tyberium bella per legatos gessisse, Archelao Cappadociæ rege Romæ retento, regnum illius in prouinciæ formã redegisse, & maximã ciuitatem appellari nomine suo iussisse, quæ nunc Cæsarea dicitur, quum Mazaca ante diceretur. Diutino.] Longo, & lento.

Antiochiæ obiit.] Appianus in Syriacis tradit sexdecim ciuitates nomine Antiochias à Seleuco Nicatore conditas in memoriam paterni nominis, quarũ illustrissima fuit Antiochia illa, quæ sub Libano monte cõdita erat. Ab Antiochia Antiochena Syria cognominata est: cuius meminit Plinius his verbis: Deinde promontoriũ Syriæ Antiochenæ: intus Antiochia ipsa libera Epiphaneis cognominata Orõte amne diuiditur.

Præter liuores.] Inter signa extincti veneno hæc in primis suspiciosa sunt: corpus liuoribus decoloratũ, os spumabundum, & cor flãmis inexpugnabile: quæ omnia extiterũt in Germanico. Liuores autẽ, sunt maculæ liuẽres, quales faciũt flagella. In Ecclesiastico scriptũ est, quòd flagelli plaga liuorẽ facit. In Rhetoricis proditũ est cap. de argumẽto: Si tumore, aut liuore decoloratum est corpus mortui, significat eũ veneno necatum.

Cremati quoq; cor.] Pli. in xi. Negatur cor cremari posse in his, qui cardiaco morbo obierint: negatur & veneno interemptis. Certè extat oratio Vitellii, quæ reũ Pisonẽ eius sceleris coarguit, hoc vsus argumento, palámq; testatus, nõ potuisse ob venenũ cor Germanici Cæsaris cremari: cõtrà genere morbi defesus est Piso.

postea, consulatum statim gessit. Missúsque ad exercitum in Germaniam, excessu Augusti nunciato legiones vniuersas Imperatorem Tyberium pertinacissimè recusantes, & sibi summam Reipublicæ deferentes, incertum constantia, an pietate maiore compescuit: atque hoste mox deuicto, triumphauit. Consul deinde iterum creatus, ac priùs, quàm honorem iniret, ad componendum Orientis statum expulsus, quum Armeniæ regem deuicisset, Cappadociam in prouinciæ formam redegisset, annũ ætatis agens quartũ & trigesimũ, diutino morbo Antiochiæ obiit, non sine veneni suspicione. Nam præter liuores, qui toto corpore erant, & spumas, quæ per os fluebant, cremati

PHIL. Post eam.] Scilicet quæsturam. Statim.] Transcendendo media summa imis cõtinuauit: cùm inter quæsturam, & cõsulatum sint intermedii magistratus, ædilitas, & prætura. Olim tribuni plebis, authore Liuio, nõ patiebãtur Titum Flaminiũ petere ex quæstura consulatũ, tanquã fastidiret ædilitatem, atq; præturam, neq; per gradus honorũ tenderet ad consulatũ. Nanq;, vt scribit Gregorius, ille casum appetit, qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum. &, vt distinctione XLIX. Decretorũ traditur, Ordinatè ad ordines ascẽdendũ est. Sed sicut apud proauos Titus Flaminius ex quæstura petiit cõsulatũ, & impetrauit: ita Germanicus omissa petitione ædilitatis, atque præturæ, à quæstura statim transcendit ad consulatũ. Excessu.] Obitu. Legiones.] Quæ erant in Germania. Sibi.] Germanico.

Pietate.] Erga Tyberium patrem. Hoste deuicto.] Germanis hostibus debellatis. singularitiuus numerus pro pluratiuo. Eloquutio est apud Historicos, & poetas frequentissima. Priùs, quàm honorem iniret.] Antè quàm secundum consulatum auspicaretur.

Ad cõponendum Orientis statum.] Oriens id temporis erat tumultuosus: vnde ait Iosephus lib. XVIII. Antiquitatum: Senatus ex decreto Germanicũ mittit cuncta Syriæ negotia correcturũ. Ea enim tempestate mortuus erat Comagenæ rex Antiochus: & plebs aduersus nobilitatem scissa tumultuabatur. Mittit itaque vtraque pars legationem Romã: nobilitas quidem statum Reipublicæ mutare desiderans: multitudo verò regnum habere proprio more discupiens.

Expulsus.] Amandatus, detrusúsque potiùs ex ma

M. AN. Pietate.] Pio in adoptiuũ patrẽ Tyberiũ amore, & obseruantia. Ex hoste.] Ex Germanis victis. Eusebius de Parthis, quod miror, eũ triũphasse scribit: nec eo inficias, Armeniæ regẽ ab eo deuictũ, sed post victoriam Romã reuersum nõ reperio. Orientis statum.] Antiocho Comagenæ defuncto, orta inter plebẽ & nobilitatem discordia, plebeiis regnũ vt anteà desiderãtibus, præsidiariã administrationem nobilibus, ab vtrisq; legati sunt Romã missi: vtraq; legatione Romæ suscepta, decreto patrũ Germanicus mittitur cũcta Syriæ negotia correcturus: Ioseph. est author. Expulsus.] Ablegatus. Ad suspecta Tyberii consilia omnia referas.

Armeniæ regẽ.] Orodẽ, credo, quẽ Artabanus pater nõ multò antè Armeniæ regẽ cõstituerat. Cappadociã.] Archelaũ Cappadociæ regẽ Tyberius Romæ penes se retinuit, regnũmq; ipsũ in prouinciæ formã redegit: Euseb. est author. Diutino.] Longo. quasi dicat, diu morbo cõflictatus. Quidã diuino legũt: cardiaco enim cõstat extinctum. Antiochiæ.] Antiochia metropolis Syriæ, vt Strabo ait, & ab Antiocho Epiphane dicta, à quo nouissimè instaurata, & aucta est, Epiphaneis quoq; olim cognominata, vt Plin. scribit: vterq; eam ad Orontem fluuium posuit. Et spumas.] Vt tam spuma, quàm liuor veneni scelus argueret.

Opera

quoque cor inter oſſa incorruptum repertum eſt: cuius ea natura exiſtimatur, vt tinctum veneno igne confici nequeat.

De morte Germanici. II.



Obiit autem, vt opinio fuit, fraude Tyberii, miniſterio & opera Cn. Piſonis. Qui ſub idem tempus Syriæ præpoſitus, nec diſſimulans offendendum ſibi aut patrem, aut filium, quaſi planè ita neceſſe eſſet, etiam ægrum Germanicum grauiſſimis verborum, ac rerum acerbitatibus, nullo adhibito modo, affecit: propter quæ, vt Romam rediit, penè diſcerptus à populo, à Senatu capitis damnatus eſt.

De uirtutibus animi, & corporis ipſius Germanici. III.



Omnes Germanico corporis, animíque virtutes, & quantas nemini cuiquam contigiſſe ſatis conſtat. Formam, & fortitudinem egregiam, ingenium in vtroque eloquentiæ, doctrinæque genere præcellens, beneuolentiam ſingularem, conciliandæque hominum gratiæ, ac promerendi amoris mirum, & efficax ſtudium. Formæ minùs congruebat gracilitas crurum, ſed ea quoque paulatim repleta aſſidua equi vectatione poſt cibum. Hoſtem comminus

PHIL. Opera Piſonis.] Ioſephus in XVIII. Germanicum à Piſone veneno peremptum teſtatur.

Aut patrem.] Tyberiū. Aut filiū.] Germanicū.

Nullo adhibito modo.] Sine temperamento, & moderatione. Plautus in Pœnulo: Modus omnibus in rebus ſoror, optimus eſt habitus: nimia omnia nimiū exhibent negotium hominibus per ſe.

Penè.] Paulum abfuit, quin à populo diſcerperetur.

Capitis damnatus.] Quanuis dicat Plinius Piſonē defenſum eſſe genere morbi, non tamen negat eū fuiſſe damnatum. Ille enim obiectum veneficii crimen diluit illo argumēto, non tamen euaſit.

Corporis, animíque virtutes.] Græci τὰ πρῶτα φύσεως vocant, quæ Latini prima naturæ nominauerunt: quæ à Varrone eleganter primigenia nuncupātur: in quibus hæc in primis numerari ſolent: in corpore membrorum integritas, vires, pulchritudo, incolumitas, integri ſenſus, cæteráq; generis eiuſdem: In animo verò ingenii bonitas, & quaſi virtutum igniculi, & ſemina. Hæc prima naturæ affatim in Germanico fuiſſe docet Tranquillus: in quorum conſeruatione illuſtres philoſophi ſummum bonum collocauerunt.

Fortitudinem.] Fortitudo, vt philoſophi definiūt, eſt conſiderata periculorum ſusceptio, & laborum perpeſſio: cuius partes ſunt magnificentia, fidentia, patientia, perſeuerantia: exceſſus fortitudinis temeritas vocatur: defectus, timiditas. Eſt enim ipſa virtus, vt Græci dicunt, μεσότης, id eſt, mediocritas.

Ingenium.] Vno ingenii nomine, vt inquit Cicero in V. De finibus, appellatur docilitas, & memoria: eáſq; virtutes qui habent, ingenioſi vocantur.

Vtroque.] Græco, & Latino.

Conciliandæ gratiæ.] Liuius tradit, miram in Scipione Africano dexteritatem fuiſſe ad animos hominum conciliandos, adeò vt etiam Syphacem hoſtem Romanis infeſtiſſimum facundè alloquendo ſibi conciliauerit.

Gracilitas crurum.] Crura obeſa, & carnoſa notam habent impudentiæ, intemperatúmque ſignificant: mediocritas, vt in omnibus, ita in cruribus laudabilis eſt. Crus nimis gracile diminutiuo vocabulo cruſculum nominatur. Martialis:

Pectus cicadæ, cruſculúmque formicæ.

Equi vectatione poſt cibū.] Vectatio equi poſt cibū culpatur à medicis, & in primis ab Auicēna ſcribente, hominem cibo plenum, & ſaturū equitare non debere: ne cibus corrūpatur in ſtomacho. Atqui equitatio, authore Plinio, ſtomacho, & coxis vtiliſſima eſt. Quod ita intellige, ſi fiat tempeſtiuiter.

Cōminus.] Prope, & cum gladio: cum à manu, vt aiunt, ad manū ventum eſſet. Ex hoc liquet, Germanicū fuiſſe & bonum Imperatorem, & ſtrenuum bellatorem. In Imperatore enim munus animi exigitur, vt inquit Ammianus: in milite verò fortitudo certaminū, & robur corporis depoſcitur.

M. AN. Cor incorruptum.] Nihil igne conſumptum. Quod non ſolùm in iis, qui veneno, ſed qui etiam cardiaco morbo perierint, euenire conſtat: quo argumento Plinius ait Piſonem in iudicio defenſum.

Aut patrem.] Tyberiū, qui eum adoptarat.

Aegrum.] Morbo implicitum: vt ad illud referatur, quod diutino dixit morbo periiſſe.

Capitis damnatus eſt.] Plinius ſcribit à Vitellio Piſonem accuſatum. Inde hæc ſubiicit: Genere morbi defenſus eſt Piſo. Defenſus dixit, quaſi damnatus nō fuerit: niſi intelligas, morbi genus in Piſonis defenſionem allatum, quanquā ne argumentū quidē ipſum profuerit. Quòd Piſonis opera Germanicus perierit, Ioſeph. quoque teſtatur: Nam in partes, inquit, veniens Orientis, & in melius cūcta diſponens, à Piſone veneno perimitur. Formā & fortitudinem.] Pulchritudinem, & robur corporis, vt tota laus ſit à bonis corporis: niſi fortitudinem Inibi animi virtutem accipias.

Ingenium.] Facilitas, & acumen.

In vtroque eloquentiæ genere.] Romanæ & Græcæ: & vt prior illa à corpore laus, ita hæc ab animo, quæ longè verior, & certior eſt.

Promerenda.] Concilianda, vt neque hominum fauorem illi defuiſſe, neque ſtudia intelligas.

Formæ minùs congruebat.] Vt ſit veriſſimū illud Horatiani: -Nihil eſt ab omni Parte beatum.-

Hoſtem cōminus.] Quod fortis eſt, & ſtrenui viri.

Etiam

sæpe percussit. Orauit causas etiã triũphalis, atq; inter cætera studiorum monumenta reliquit & comœdias Græcas. Domi, forísq; ciuilis. Libera, ac fœderata oppida sine lictoribus adibat. Sicubi clarorum virorũ sepulcra cognosceret, inferias manibus dabat. Cæsorũ clade Variana veteres, ac dispersas reliquias vno tumulo humaturus colligere sua manu, & comportare primus aggressus est. Obtrectatoribus etiã qualescunq;, & quãtacunq; de causa nactus esset, lenis adeò & innoxius, vt Pisoni decreta sua rescindenti, clientelas diu vexãti, nõ priùs succensere in animũ induxerit, quàm veneficiis quoq; & deuotionibus impugnari se comperisset: ac ne tũc quidem vltrà progressus, quàm

PHIL. ETiam triumphales.] Legendum est triumphalis, non autem triumphales: vt sit sensus, Germanicum nõ solùm in minori fortuna collocatũ, sed etiã in maxima, & eo tempore, quo iam triũphauerat, orasse causas more patronorũ: cùm multi forenses causas aspernari soleãt in fastigio dignitatũ collocati, tãquã minus congruentes: sicut Hortẽsius post Cõsulatũ summũ illud suum studiũ in agẽdis causis remisisse traditur. Eloquẽtiã forẽsem in Germanico sic laudat Ouidius in 1. Fastorũ:

Quæ sit enim culti facundia sensi musoris,

Cinica pro trepidis cùm tulit arma reis. Si legimus triumphales, intelligimus causas magnas, & ad triũphũ decernendũ pertinẽtes, esse oratas à Germanico. Prior lectio tersior est, & venustior.

Comœdias.] Germanicũ in poetica floruisse, Idem testatur Ouidius dicens:

Scimus & ad nostras cum se tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui.

Huic enim Germanico Fastorum libros dedicauit: cui omnia illa quadrant, quæ in Fastis leguntur.

Sine lictoribus.] In hoc se ciuilem, & politicum exhibebat, cùm sine lictoribus, & ministris, tãquam ciuis, non tanquam princeps, adiret ciuitates.

Fœderatas.] Hoc est, fœdere iunctas populo Romano. Plinius, alios fœderatos, alios stipendiarios populi Romani fuisse, prodidit. Inferias manibus dabat.] Id est, sacrificabat vmbris defunctorũ. Sunt enim manes, vt suprà dictum est, animæ mortuorũ, quos, Dei vocabulo addito, deos vocabant. Inferiæ autem sunt sacra mortuorum, quæ inferis soluuntur. Vergilius:

Viuentes rapit inferias, quos immolet vmbris.

Cæsorum.] Interfectorum. Dispersas reliquias.] Specimẽ pietatis in Germanico laudabile hoc est, quòd sua manu colligere voluit reliquias eorum, & ossa, qui fuerant cæsi illa maxima clade Variana: cuius historia in Augusto explicata est.

Obtrectatoribus.] Criminatoribus, & vituperonibus: quos Næuius subducti supercilii carptores appellat: quos Cato eleganter vitilitigatores nominauit, ex vitiis, & litigatoribus nomine cõposito: vnde apud Pliniũ in prooemio Naturalis historiæ ita legenda videtur verba hæc Catoniana: Scio ego quæ scripta sunt hæc, si palàm proferantur, multos fore, qui vitilitigent: hoc est, obstrigilent, carpant, criminentur: tanquam vitilitigare verbo antiquo, & eleganti, sit mordere, obtrectare, insectari: à quo vitilitigatores dixit Cato obtrectatores. Potuit autem facillimo transitu verbum illud vitilitigent per inscitiam demutari, atque deflecti in illud, iuuiti legẽt: quod in omnibus Plinianis codicibus irroboratum conualuit: sed doctis placet, vitilitigent: & in primis Hermolao Barbaro probatur, qui doctrinarum asylum est, & Plinianæ eruditionis thesaurus.

Innoxius.] Minimè nocens: aliàs insons, & innocẽs.

Lenis.] Benignus, & clemens.

Pisoni.] Cuius ministerio veneno periit.

Decreta.] Hoc referendum est ad illa decreta, quæ ad cõponendum Orientis statum missus Germanicus in Syria factitauerat: quæ Piso, vtpote Syriæ præpositus, rescindebat, nec rata habere volebat.

Rescindenti.] Infirmanti, subueruanti, irrita faciẽti.

Clientelas.] Quas scilicet sibi beneficiis in Syria comparauerat Germanicus: de his enim intelligẽdũ est.

Succensere.] Irasci. Succensere, vt inquit Donatus, est ex causa irasci. Hinc illud apud Silium Fabianum documentum: Succensere nefas patriæ.

Deuotionibus.] Execrationibus, detestationibúsque: quales apud priscos Romanos fuerũt diræ nuncupatæ, quibus Atteius tribunus plebis M. Crassum ab bellum Parthicum euntem execratus est. Ex quo illud apud Lucanũ in tertio Pharsaliæ: -Crassúmque in bella secutæ

Sæua tribunitiæ vouerunt prælia diræ. Hæ execrationes talem habere potestatem creduntur, vt nemini fas sit, qui in eas inciderit, euadere: authores Plutarchus, & Appianus. De his ait Horatius in Epodo:

Diris agam vos, dira detestatio
Nulla expiatur victima.

M. AN. TRiumphalis.] Vel pòst quàm triumphũ egit, causas orauit: vt sit sensus, nõ solùm ab initio, sed vbi etiam triumphũ egit, ne necessitudines in periculo destitueret, causas orauit: vel triumphales causas coniunctim legito, quasi dixerit, nõ magni, sed maximi ponderis causas egit: nam in triumpho decernendo sæpius grauis incidit patribus dubitatio: & apud Valerium caput vnum de iure triumphandi inscribitur.

Græcas.] Græcè scriptas. Ciuilis.] Quæ in ciuẽ potius, quàm in principẽ solet cadere. Fœderatas.] Fœdere populo Romano adstrictas. Sine lictorib.] Sine ministris: & hoc nõ paruũ ciuilitatis argumentũ.

Inferias.] Exequias: vt Seruius interpretatur.

Clade Variana.] Quæ in Germania, vt diximus, accepta est, tribus inibi legionibus amissis.

Qualescunque.] Cuiuscunque ordinis, & fortunæ.

Quantacunque de causa.] Vel leui, vel graui.

Innoxius.] Nihil nocens. Pisoni.] Cuius opera posteà, vt creditur, sublatus est.

Rescindenti.] Irrita facienti. Clientelas.] Clientes suos. Deuotionibus.] Magicis execrationibus. Quòd vel absens magicis carminibus quisquam deuoueri possit, poetarum testimonia declarant. Ouidius:

Deuouet absentes, simulacráq; cerea fingit. Vergil.
-Magicis sanos auertere sacris
Experiar sensus.- Sed hæc ad amorem attinent, verùm quæ sequũtur ad vitã. -Et quãuis fecerit omnis
Stella senem medios herbis abrumpimus annos.

Ita Lucanus: Quibus apparet vitam quoque magicis adimi posse carminibus.

vt amicitiam ei more maiorum renũtiaret, mandarétq; domesticis vltionẽ, si quid sibi accideret.

De fauore, & dilectione omnium ad eum. IIII.

QVarum virtutũ fructum vberrimũ tulit, sic probatus, & dilectus à suis, vt Augustus (omitto enim necessitudines reliquas) diu cũctatus, an sibi successorẽ destinaret, adoptandũ Tyberio dederit. Sic vulgò fauorabilis, vt plurimi tradãt, quoties aliquò adueniret, vel sicũde discederet, præ turba occurrẽtiũ, prosequẽtiúmve nõnunquã eum discrimen vitæ adiisse. E Germania verò post compressam seditionẽ reuertenti, prætorianas cohortes vniuersas prodisse obuiã, quãuis prountiatum esset, vt duæ tantúmodo exirẽt. Populi autem Romani sexum, ætatem, ordinem omnem, vsq; ad vigesimum lapidem effudisse se.

De præsagijs, quæ diem mortis Germanici præuenerũt, & de luctu etiam barbarico. V.

TAmen longè maiora, & firmiora de eo iudicia in morte, ac post mortẽ extitere. Quo defunctus est die, lapidata sunt tẽpla, subuersæ deûm aræ, Lares à quibusdã fami-

PHIL. MOre maiorum renuntiaret.] Legimus apud Liuium lib. xxv. Badium Campanũ Quintio Crispino Romano palam omnibus, duobus exercitibus audientibus, renũciasse hospitium: nihil sibi cum eo sociatom, nihil fœderatum deinceps futurũ. Herodotus quoque in Thalia refert, quemadmodum Amasis Aegypti rex amicitiã Polycrati renũtiauit, misso ad eum caduceatore, dixitq;, se finis hospitii cũ illo soloere. Vltionem.] Vindictam mortis suæ.

Si quid sibi accideret.] Hoc est, si moreretur fraode, operáq; Pisonis extinctus. In testamentis hæc clausula peculiariter adscribi solet: Si quid Seio homanitus acciderit.

Necessitudines.] affinitates, & cognationes.

Successorem.] scilicet Germanicũ.

Adoptandũ Tyberio dedit.] Sicut suprà explicatũ est, Augustus Germanicum à Tyberio adoptari voluit, cùm ipse Tyberiũ adoptaret, vt ille in sua quoq; esset potestate. Qui se enim arrogandum dederit, non solùm ipse arrogatori subiicitur, sed etiam liberi eius in eiusdem sunt potestate, tanquam nepotes. Fauorabilis.] Irroborauit cõsuetudo corrupta, vt faoorabilem eum vulgò appellitent, qui fauorem præbet, & opitulatur: cùm econtrario ab his, qui purè, & Latinè loquuti sunt, faoorabilis dicatur is, qui gratiosus est, & impetrabilis, ac faooris pl eous apud cunctos mortales. Supersedeo exẽplis, cùm res oon egeat testimouiis: cùm nullus veterum secus, atque tradidimus, locutus esse reperiatur.

Aliquò.] Ad aliquem locum.

Sicunde.] Ex aliqno loco. Prosequentiũ.] Hoc est, eorum, qui deducebant, prosequebãtúrq; abeuntẽ.

Post compressam seditionem.] Quando scilicet milites Germaniciani, Augusti obitu nunciato, Imperatorem Tyberiùm recusabant, & Germanico summam Reipublicæ pertinaciter deferebant.

Prodisse obuiam.] Processisse in occursum, sicut dicitur, officii causa.

Sexum, ætatem, ordinem.] Sine discrimine, viri, & fœminæ, pueri, & senes, patritii, & plebeii oboiam processerunt Germanico ex Germania reuertenti. Ex qoo colligitur incredibilis quædam totius populi Romani erga Germanicum beneuolentia.

Vsque ad vigesimum lapidem.] Id est, milliariom.

Lapidata sunt templa.] Maximum proculdubio, firmissimúmque mortalium de amore Germanici indicium hoc est, vt scilicet ob eius obitũ templa in Syria lapidarentur, altaria deorũ subuerterentur, tanquã dii amplius colendi non essent, neque humana curarent, qui Germanicũ non seruassent, qui neque preces, neq; vota mortaliũ audioissent. Scribit Macrobius, Lapidatum à populo Romano fuisse Vatinium, significare volens lapidibus iactis fuisse impetitum, vexatúmq;. Lapidatus etiam ad inanimata transfertur, & significat percussũ, polsatúmq; sine lapidibus. Macrobius: Notantes eius impotentiam hac dicacitate lapidatam.

Lares familiares.] Domesticos deos. Abundè suprà docuimus qui sint Lares, & quemadmodum locus, in qoo colebantur, Larariũ nuncupabatur. Apud Plautum in Aulularia loquitur Lar familiaris, testatúrqoe ture, vino, coronis sibi qootidie sacrificatũ fuisse. Lares adeò à priscis fuerunt aliquãdo spreti, contemptíque, vt Tertullianus in Apologetico scribat hæc: Domesticos deos, quos Lares dicimus, domestica potestate tractatos de mutando aliquãdo in caccabulum, aliquando in trullam. Non est ergo mirum si tunc abiecti fuerunt in publicum ex indignatione, doloréq; quem conceperant ex morte Germanici. Nanq; abiicere deos in publicum, qui in sacrario, & secretario colendi sunt, nimirum specimen est maximi contemptus, maximæque iodignationis.

MOre maiorum.] Veteri instituto. M. AN.

Vltionem.] Vt suam mortem vlciscerentur.

Si quid accideret.] Si illius fraude periclitari accidisset. Adoptandum Tyberio.] Vt si non sibi, Tyberio saltem succederet. Faoorabilis.] Conciliandis, promerendísque fauoribus habilis.

Prosequentiũ.] Hoc ad digressum referas: occurrentium verò ad accessum. Discrimen.] Perieulum, ne præ nimia multitudine eliderctur.

Compressam.] Seditionem mililitarem ab iis ortã, qui Tyberiom prineipem recusabant.

Sexum.] Promiscuè mares, & fœminas.

Aetatem.] Pueros adultos, & senes.

Ordinem.] Patritium, equestrem, plebeium.

Iudicia.] Publicæ, & priuatæ erga eum beneuolentiæ.

Lapidata templa.] Lapidibus percussa. Apoleius: Saxorum iaculationibus vindicaretur. Vel dilapidata, vastata, atque in deorum inuidiam subuersa.

Subuersæ aræ.] Disiectæ: quando nihil vota, nihil preces, nihil deniqoe sacrificia ipsa profuissent.

Lares familiares.] Qui domesticè colebantur: quãquam & publieè in compitis fierent illis sacra.

liares in publicum abiecti, partus coniugũ expositi. Quin & barbaros ferunt, quibus intestinũ, quibúsq; aduersus nos bellũ esset, velut in domestico, cõmuniq; mœrore consensisse ad inducias. Regulos quosdã barbã posuisse, & vxorũ capita rasisse, ad indiciũ maximi luctus. Regum etiã regem & exercitatione venandi, & conuictu megistanum

PHIL. PArtus expositi.] Scribit Firmic. Maternus in vet. Matheseos, quòd nati statim exponuntur à matribus, qui Martem, & Saturnũ in septimo ab horoscopo loco constitutos habuerint. Si verò Sol & Luna in occa u fuerint inuenti, id est in septimo ab horoscopo loco, is, qui natus fuerit, expositus lacerabitur à canibus. Expositi antè significanter dicũtur infantes abiecti à parentibus. Exponere enim, abiicere est. Plau. in Casina: Cõspicatus est primo crepusculo puellam exponi. Inde expositicii, & expositiciæ dicuntur pueri & puellæ, qui, quæ've exponuntur. Idem Plau. Reuortar ad illam puellam expositiciã.

Intestinum.] Domesticũ, & inter ipsos ciuile bellũ.

Ad inducias.] Primus Lycaon inducias inuenit, fœdera Theseus. Sunt autem induciæ, pax temporaria: Græci ἐκεχειρίαν ab abstinendis manibus appellarunt. Dictæ autẽ sunt induciæ ab eo, quòd in diẽ dentur, vel quòd in dies otium præbeant, vt interpretatur Donatus in Eunucho. Aul. Gellius in 1. arbitratur inducias esse dictas, quasi tu dicas, inde vti iã: vt scilicet in diem certã nõ pugnetur, sed ex eo die postea vti iam omnia belli iure agantur. Ex his ergo tribus vocibus, inde vti iam, quasi per quandam copulam nomen induciarum connexum esse autumat. Mendosus est Gellii codex impressus, in quo passim sic legitur: quasi tu dicas, induci ansam: cùm legendũ sit tribus vocibus, inde vti iã: nõ autem duabus, induci ansam: quã lectionem qui putant esse verã, hi interpretantur induci ansam, significari quasi per inducias quædam veluti ansa inducatur ad pacem faciendã, & bellum cõponendum. Sed si quis diligẽter pensitauerit sensum, ac verba Gelliana, is profectò pedibus ibit in nostrã sententiam. Aurelius Opilius inducias dici existimat ab initu & introitu: quoniã tempore induciarũ hostes inter sese vtrinque vltro citróq; alteri ad alteros impunè inire solent, & introire.

Regulos.] Minutos reges: quorũ vicarii dicuntur subreguli in Instrumento veteri. Barbam posuisse.] Romani in luctu, rebúsq; aduersis barbã nõ radebant, ritu ab his regulis contrario: qui ad mœrorem significandum barbã posuerũt, & vxorũ capita raserũt. Scribit Plutarchus in Problematis, ea lugentibus accõmodata esse, quæ sunt inusitata: vnde viri operto capite, fœminæ aperto in publicũ prodibant, in luctu cõtraria vsurpantes. Apud Græcos si quid aduersi acciderat, mulieres tondebantur, viri comas alebant contra morem gentium, institutúmque naturæ: cùm mos sit, viros tõdere capillũ, mulieres verò prolixiores habere crines. Herodotus quoq; author est in 1. historiarũ, Argiuos rotondisse capita mœroris causa, cùm victi fuissent à Lacedæmoniis in cõtentione agri Thyreatici: qui legem cõdiderũt ne priùs comã alerent, quàm Thyreã recuperassent: econtrario Lacedæmonii legem tulere, vt in posterũ comati essent, cùm antehac nõ fuissent. Hic est ille ager Thyreaticus, de quo loquitur Ouid. in 11. Fastorũ: Si tu signasses olim Thyrearida terrã. De quo Papinius in Thebaide:

Et Lacedæmonium Thyræ vissura cruorem. Si cupis ad plenum atq; perfectũ intelligere versus poeticos, relege historiã ex libro 1. Herodoti, à quo omnia ad amussim, copioséque explicãtur. nobis in præsentia sat est veluti intento digito denotasse fontem, ex quo talia hauriuntur. Regum etiam regem.] Parthorũ rex apud priscos regũ rex vocitabatur: quod testatur Plutarchus scribens, Pompeium Parthorũ regem noluisse in epistola regem regũ appellare, quemadmodũ à cæteris appellabatur. Idem in Lucullo inquit: Tigranes nunc sedet rex regũ, qui tanta potentia viget. Nec mirandũ, regem regum dici, cui reges complusculi ministrabant, instar satellitum, & pedissequorũ. In Cyri sepulcro hoc epitaphium insculptum legebatur: Cyrus ego rex olim regũ conditus hîc sum. Iul. Capitolinus Saporem Persarum regem appellat regem regum. Præterea, vt author est Marcellinus, olim Sapor rex Persarũ, & qui Parthi intelligũtur, literas dedit ad Constantium Imperatorem, quarum hoc fuit principiũ: Rex regũ Sapor particeps syderum, frater Solis, & Lunæ Constãtio fratri meo salutem plurimam dico. Agamẽnon quoq; rex regũ dictus est à veteribus. Et Cicero in quadã ad Dolabellam epistola ait: Agamẽnoni regũ regi fuit honestum aliquem in cõsiliis capiendis Nestorem habere. Plinius in xxx. scribit magicam in Oriente regum regibus imperare.

Megistanum.] Locus annotatione dignus, nec à plerisque omnibus satis curiosè introspectus. Μεγιστᾶνας Græci vocant summates, principésque, qui in conuiuio regis adhibebantur. Et hoc est, quod legimus in Euangelio Marci apud Græcos, megistanas vocari conuiuas principis, quibus Herodes in natali suo cœnam fecit: quod Græce dicitur, ἐδείπνησε μεγιστᾶσιν: Latinus interpres dixit, cœnam fecit principibus. Μέγιστος Græcè dicitur maximus: vnde megistanes. Sensus est Trãquilli, regem regũ ad indicandũ de obitu Germanici luctum, non adhibuisse in cœna cõuictores megistanas, hoc est principes: quorũ conuictu, & accubatione abstinere solent in maximo mœrore. Et id apud barbaros tale est specimen tristitiæ, quale apud Romanos est indictũ iustitium, quod nõ nisi in rebus aduersis indicebatur, vt superiùs enarrauimus. De megistanibus loquitur Cor. Tacitus cùm ait: Simul consilio terrorem adiicere, & megistanas Armenios, qui primi à nobis defecerant, pepulit sedibus. Vbi megistanes nõ significantur populi, qui nusquam memorantur: sed proceres, optimatésq; Armeniorũ. Apud Persas nemo consiliorũ est cõscius, præter megistanas: quos Ammianus Marcellinus appellat optimates, qui apud illos taciturni sunt, & fidi: apud quos silentii accersuntur, & rei fiunt. Qui megistanem legunt, accipiúntque pro nomine proprio regis, hi in megiston, id est maximum errorem delabuntur.

M. AN. IN publicum.] In apertũ: per quæ dolor ingens exprimitur, qui vsque ad impietatem processerit.

Partus coniugum.] infantes recenter nati.

Expositi.] Abiecti. Terentius: Erat hîc Corinthia anus haud impura, ei dedi exponendã. Ad inducias.] Ad pacem, vt Donatus interpretatur. Sunt enim induciæ, quasi feriæ quædã, vt Gellius ait, quibus indictis ab iniuria, & armis cessatur. Barbam posuisse.] Apud quosdam barbam deponere tam luctuosum fuit, quàm hodie apud nos alere. Argiui victi à Lacedæmoniis, Thyrearúmque possessione deiecti, legem (vt Herodotus tradit) sanxere, ne quis priùs aleret capillũ, aut babam, quàm Thyreas recuperassent.

Capita rasisse.] Carthaginienses, vt Appianus scribit,

abſtinuiſſe:quod apud Parthos iuſtitii inſtar eſt.

De mœſtitia, & luctu in urbe de morte eius. VI.

ROmæ equidem, quum ad primam famã valetudinis attonita, & mœſta ciuitas ſequentes nũtios opperiretur, & repentè iã veſperi incertis authoribus conualuiſſe tandẽ percrebruiſſet, paſſim cũ luminibus, & victimis in Capitoliũ concurſum eſt, ac penè reuulſæ templi fores, ne quid geſtientes vota reddere morarentur. Expergefactus è ſomno Tyberius eſt gratulantiũ vocibus, atque vndique concinentium: Salua Roma, Salua patria, Saluus eſt Germanicus. Et vt demum fato functum palàm factum eſt, non ſolatiis vllis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit: durauítq; etiã per feſtos Decembris menſis dies. Auxit gloriam, deſideriúmque defuncti, & atrocitas inſequentium temporum, cunctis nec temerè opi-

bit, tertio bello Punico, capillos mulieribus ademere, ſed ad vſum belli, non ad luctum: quod & in carinis Aquileienſes recentiore exemplo, cæterùm eandem neceſſitatem ſequuti feciſſe dicuntur. Sed quid attinet vetera referre? mos adhuc tenet in Sabinis, ac toto Latio, vt in ſummo luctu mulieres ſibi capillos adimant.

Regum regem.] Plinius: Vt hodiéque etiã in magna parte gentium prævaleat, & in Oriente regum regibus imperet: ſine dubio illhic orta in Perſide à Zoroaſtre, vt inter authores conuenit. Quibus verbis apparet, eum, qui late regnum in Perſas obtineret, regum regem eſſe appellatum. Herodotus nõ defuiſſe ait ex Perſarum regibus, qui ſe regum regem appellarit. Trebellius Pollio, Rex regum, inquit, Sapori Perſarũ regi ſcripſit. Quibus Trebellii verbis apparet regum regem diuerſum à Perſarũ rege fuiſſe: vt rectè ſuſpicari poſſis, a-lios, aliíſque regnis ſe regum reges diuerſo tempore appellaſſe.

Megiſtanum.] Suprà Artabanum Parthorum regem dixerat per literas Tyberio conuiciatum: ſed potuit regni mutatio in Tyberii incidiſſe principatum.

PHIL. EXercitatione venandi.] Venatio illa optima habetur, ac laude digna, quæ equis, canibus, & corporis viribus agitur, vt docet Plato in ſeptimo de Legibus: qui tales venatores ſacros appellat. Idem piſcationem improbat, & aucupium. Solitos autem Perſarum reges vti exercitatione venandi, teſtis eſt Xenophon in primo Pædiæ: atque venationem videri Perſis veriſſimam meditationem rerum bellicarum, qua etiam aſſueſcunt frigora, & calores tolerare. Exeuntes autem in venationem Perſæ, donec venantur, non prandent. Igitur ſpecimen luctus fuit in rege regum intermiſſa venatio: qua in primis exerceri & oblectari ſolent.

Sequentes nuntios.] Qui poſt primum rumorem vera nuntiarent de Germanici vel conualeſcentia, vel obitu.

Opperiretur.] Expectaret.

Incertis.] Rumor ſignificatur, qui, vt ait Quintilianus in quinto, eſt ſermo ſine vllo certo authore diſperſus: cui malignitas dederit initium, credulitas incrementum.

Ac penè reuulſæ.] Parum abfuit, quin fores Capitolii reuellerentur, & per vim recluderentur ab his, qui victimas immolare volebant ex voto, quod ſuſceperãt, ſi Germanicus conualuiſſet.

Geſtientes.] Cupientes, & veluti geſtu lætitiam ſignificantes. Geſtire enim, eſt motu corporis monſtrare quid ſentias: vt Donatus, Seruiúſque notificant.

Morarentur.] retardarent.

Vndique concinentium.] Cùm ex omni parte ſimul, & concorditer canerent, cõſonarentve. Hoc enim eſt concinere: vnde concentores dicti, qui conſonant, & concinunt: quorum mentio quoque fit in canonicis Decretis, diſtinct. xxj.

Fato functum.] Mortuum. Fungi, agere eſt: defungi, peragere: id eſt, fato functos, qui egerunt fatum, hoc eſt, qui mortui ſunt, appellamus: author Agretius. Defuncta morbis corpora eleganter, & ſcienter dixit Liuius pro eo quod eſt liberata morbo iã peracto.

Non edictis.] Quãuis Imperator edicta propoſuiſſet, quibus edicebat vt luctui modus fieret: tanta tamẽ erat triſtitudo, & mœſtitia Romanorum, vt in luctu eſſet tota ciuitas occupata contra edictum Imperatorium.

Luctus publicus.] Ioſephus libro decimooctauo Antiquitatum ſcribit hæc: Cæterùm Germanici morte luctus magnus apud vniuerſos expoſitus eſt, non ſicut adſolet, vt principi placarentur, ficto dolore monſtrato, ſed vera triſtitia mœrebant. Nam eius mortem vnuſquiſque propriam ſuam reputabat.

Per feſtos Decembris dies.] Per Saturnalia, quorum feſtiuitas Decembri menſe celebrari ſolebat læto, & gaudebundo populo Romano. Numerus Saturnaliciorum dierum fuit varius. Modò enim vno die, modò tribus, modò quinque, modò ſeptem, Saturnalia apud Romanos peragebantur. Lege Macrobium in primo Saturnalium.

IVſtitii loco.] non venari, & conuiuia non celebrare. Iuſtitium equidem, iuris ſtatio eſt, quaſi inhibitio. Quod verbum olim licet publicam iuris ceſſationẽ ſignificaret, quo tẽpore lege agi nõ poterat, nec tria verba Prætori dicere licebat, Do, Dico, Addico: poteſt tamẽ & priuã iuris ceſſationẽ morib. noſtris ſignificare. M. AN.

Incertis authoribus] Id eſt, rumoribus incerto authore diſſipatis.

Percrebruiſſet.] Inualuiſſet, vulgata eſſet.

In Capitolium.] Vt Ioui ſacrificarent.

Ne quid.] Ne impedimentum vllum.

Geſtientes.] Lætitiam, & feſtinationem præ ſe ferentes.

Moraretur.] In mora eſſet.

Solatiis vllis.] A Tyberio intellige adhibitis ad defuncti deſiderium tollendum.

Feſtos Decembris.] Dies Saturnalitios. De Saturnaliorum ratione abundè alibi.

Atrocitas.] Crudeliſſima Tyberii adminiſtratio, quæ Germanici obitum ſecuta eſt.

nantibus, reuerentia eius, ac metu repressam Tyberii sæuitiam, quæ mox eruperit.

De uxoribus, & filijs Germanici. VII.

HAbuit in matrimonio Agrippinam M. Agrippæ, & Iuliæ filiam, & ex ea nouem liberos tulit: quorum duo infantes adhuc rapti, vnus iam puerascens insigni festiuitate, cuius effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Liuia dedicauit. Augustus in cubiculo suo positam, quotiescunque introiret, exosculabatur. Cæteri superstites patri fuerunt. Tres sexus fœminini, Agrippina, Drusilla, Liuilla, continuo triennio natæ: totidem mares, Nero, & Drusus, & C. Cæsar. Neronem & Drusum Senatus, Tyberio criminante, hostes iudicauit.

De loco, & tempore natiuitatis C. Cæsaris. VIII.

CAius Cæsar natus est pridie Calendas Septẽbres, patre suo, & C. Fonteio Capitone consulibus. Vbi natus sit, incertũ diuersitas tradentium facit. Cn. Lentulus Getulicus

PHIL. REuerentia eius.] Dum Tyberius reueretur virtutem Germanici, & eum timet, repressit sæuitiam ad tempus, quæ illi erat insita, & ingenita: quæ mox, sub lato Germanico, in apertum prodiit. Nam, vt inquit luculenter Horatius,

-Tolle periclum,
Iam vaga prosiliet, frænis natura remotis.

Mox.] Pauló póst.

Tulit.] Suscepit.

Adhuc rapti.] Extincti sunt.

Puerascens.] Puerascere dicuntur, qui exacta infantia pueritiam inchoant. Inde repuerascere dicti senes, qui ex delirio in puerilem illã ætatem reuerti videntur. Plautus in Mercatore: Senex cùm extemplo est, iam nec sentit, nec sapit: aiunt solere eũ rursum repuerascere. Cicero in Catone: Si quis deus mihi largiatur, vt ex hac ætate repuerascam, & in cunis vagiã, valde recusem. Ob id in prouerbio est apud Græcos de senibus: Δὶς παῖδες οἱ γέροντες. id est, bis pueri senes. Obiter emaculandus Ausonii locus, apud quem hoc prouerbium Græcum inuersum legitur, & mutilatum. sic enim scriptum est in epistola ad filium: Dicas παῖδες οἱ γέροντες. tu verò lege, Δὶς παῖδες οἱ γέροντες. quod interpretatur, bis pueri senes. Quod prouerbium vsurpat Aristophanes in Nepheles: & M. Varro Satyram condidit, quæ inscripta est hac parœmia, Δὶς παῖδες οἱ γέροντες. id est, bis pueri senes: ex qua testimoniũ citat A. Gellius, vbi docet quid sit argentum purum putum.

Insigni festiuitate.] Seneca in libro de consolatione ad Albinam matrem, festiuitatem laudat in puerulo, vt opinor, de Lucano loquens his verbis: Respice Marcum blandissimis, ad cuius conspectum nulla potest durare tristitia. Cuius lacrymas illius hilaritas non supprimat? illa neminem satiatura garrulitas?

Habitu Cupidinis.] Quo habitu & effigie pingatur Cupido, graphicè scribit Propert. in I I. & memorat Apuleius in V I. de Asino aureo.

In æde.] In ædicula, siue sacello.

Patri.] Germanico.

Continuo triennio.] In hanc sentẽtiam ait Plin. in V I I. Item alii, aliæq; fœminas tantùm generant aut mares: plerunq; alternatim: sicut Gracchorũ mater duodecies, & Agrippina Germanici nouies. Alternabat itaque Agrippina in partu, vt tres fœminas continenter pareret, mox totidem mares. Nam si intelligas alternasse, vt alternis annis fœminam, alternis masculum generaret, non conueniet Plinius cum Tranquillo, qui optimè conueniunt, si ita exponas, prout ipsi exposuimus.

Tyberio criminante.] Suprà dictũ est, Tyberium accusasse per literas, probris etiam congestis, Neronẽ, & Drusum maximos natu ex Germanici filiis, & iudicatos hostes fame necauisse.

Pridie Calendas.] Hoc etiã die, qui nouissimus est mensis Augusti, natus est Commodus Imperator, qui tanquã eandem geniturã haberet, quam Caligula habuisset, ideq; sydus natalitiũ, nihil degenerauit ab illius improba, sæuáq; natura, sed vsquequaq; æmulus fuit Caianorum flagitiorum.

Fonteio Capitone.] Fonteii Capitonis meminit Horat. in Sermonibus:

-Capitóque simul Fõteius ad vnguẽ
Factus homo Antoni non vt magis alter amicus.

Fortasse hic est ille Fõteius, de quo Plinius in V I I. dixit: Nuper Fonteio, & Vipsano cõsulibus, annos nouem genitum puerũ à meridie vidi ad vesperũ septuaginta millia passuum cucurrisse. De eodem Iuuenalis loqui videtur,

-Fonteio consule natus.

In Romanis fuerunt Frontones, & Capitones, vt docet Cicero in primo de Natura deorũ: quæ cognomina à fronte, & capite inclinantur.

Getulicus.] Forsan hic est ille, de quo Martialis in procemio operis: Sic Pedo, sic Getulicus, sic quicunque perlegitur. De quo est illud hendecasyllabon apud Sidonium Apollinarem: Non Getulicus hic tibi legetur. Potuit enim esse historicus, & poeta. De altero Getulico, qui fuit egregius ductor militaris, dicetur in Galba.

AC metu.] Ne si eo viuo in apertam sæuitiam erupisset, imperio sibi abrogato ille omnium consensu princeps crearetur. M.A N.

Puerascens.] Ex infantia pueritiam ingressus.

Festiuitate.] Facili, blandáque, vt Donato placet, verborum hilaritate.

Effigiem.] Simulacrum, imaginem, ad illius similitudinem figuratam. Ipsi puero C. Prænomen fuit.

Agrippinam.] Quæ nupsit Domitio Neroni: inde Claudio principi.

Liuilla & Drusilla.] Tres numero sorores à Caligula constupratæ dicuntur: Drusillam tamen virginem prætextatus vitiauit: quámq; rerum potitus legitimæ coniugis loco habuit.

Pridie Calendas Septembres.] Vltimo Augusti die.

Patre suo.] Germanico.

C. Fonteio.] Iuuenalis: -Fonteio consule natus. Sed de hoc, an alio Satyrus loquatur, incertum habeo.

Getulicus.] Hoc quoque in dubium venire potest, sit'ne hic, an alius ille, cuius Martialis in procemio operis meminit. Sic, inquit, Catullus, sic Marsus, sic Pedo, sic Getulicus.

PHIL. Plinius Secundus.] Hic eſt ille maximus ſcriptorum, conditor Naturalis hiſtoriæ: qui de hac re for taſſis ſcripſit io illis libris, quos viginti cõpoſuit de bellis, quæ cum Germanis geſſere Romani.

In Treuiris.] Treuiri, populi ſunt Galliæ Comatæ, liberi anteà, vt docet Plinius in quarto. Ex agro Treuirino equas habuit Nero Hermaphrodieas, quas carpento ſuo ſubioges oſtentabat, ceu planè viſenda res eſſet, principem terrarũ inſidere portentis.

Vico Ambiacino.] Nomeo eſt vici, videtúrq; ab Ambianis populis deduci, qui oon loogè à Treuiris diſtant.

Confluentes.] Vbi duo flumina confluunt, ea loca confluentes vocamus. Lugdunum in Gallia eſt ad conflueotes poſitum, vbi Arar Rhodano commiſcetur.

Ob Agrippinæ puerperium.] Hæc eſt inſcriptio, quæ viſebatur io ara, ex qua Plinius ducebat argumentum, tanquam Agrippina Germanici coniunx illhic Caiũ peperiſſet, vbi aræ viſebantur cum tali inſcripoone.

eſſe, quæ eſſet Herculea, & Herculi maximo heroum conſecrata.

Abuſúmque.] Getulicum ſcilicet. In malam partem eſt abuti, & cum contumelia: ſuper quo verbo, & de abuſu, ſuo loco plura.

Tyburi genitum ſcribit. Plinius Secundus in Treuiris vico Ambiatino ſupra confluentes. Addit etiam pro argumento aras ibi oſtendi inſcriptas, Ob Agrippinæ puerperium. Verſiculi, imperante mox eo, diuulgati apud hyberna legionum procreatum indicant:

In caſtris natus, patriis nutritus in armis,
Iam deſignati principis omen erat.

Ego in actis Antii inuenio editum. Getulicum refellit Plinius, quaſi mentitum per adulationem, vt ad laudes iuuenis, glorioſique principis aliquid etiam ex vrbe Herculi ſacra ſumeret, abuſúmq; audentiùs mendacio, quòd ante annũ ferè natus Germanico filius Tyburi fuerat, appellatus & ipſe C. Cæſar: de cuius amabili pueritia, immaturóque obitu ſuprà diximus. Plinium arguit ratio temporum. Nam qui res Auguſti memoriæ mandarũt, Germanicum exacto Conſulatu in Galliam miſſum conſentiunt, iam nato Caio. Nec Plinii opinionem inſcriptio aræ quicquam adiuuerit, quum Agrippina bis in ea regione filias enixa ſit: & qualiſcunque partus, ſine vllo ſexus diſcrimine, puerperium vocetur: quòd antiqui etiam

Ante annum.] quàm naſceretur Caligula.

Immaturo obitu.] Suprà diximus, filium Germanici inſigni feſtiuitate prędirum poerafcẽtem fuiſſe extinctum.

Arguit.] refellit, atque conuincit.

Iam nato Caio.] Argumentum ſumitur ex tempore, ad Plinium arguendũ. Nam ſi Caius natus erat antequam pareotes eius in Galliam proficiſcerentur, non potuit ipſe naſci in Gallia apud Treuiros, ſicuti Plinius exiſtimauerat.

Exacto.] Finito, & peracto.

Inſcriptio aræ.] Illa ſcilicet ob Agrippinæ puerperium.

Puerperium vocetur.] Siue puer pariatur, ſiue puera, hoc eſt puella, vterque partus dicitur puerperiũ. Priſcianus in v i. Pueri fœmininum pueram dicebant antiquiſſimi, vnde & puerpera dicitur, quæ puerum vel poeram parit, id eſt, puellam, quod eſt diminutiuum puerę, vt capra, capella.

Apud hybernas legiooes.] Apertior locutio eſt, & in quibuſdam exarata codicibus, ſi dicas, apod hyberna legionum. Sunt enim hyberna loca, in quibus milites hyberno tempore commoraotur: & hybernacula vocamus ipſa tentoria, ſub quibus hyemando milites cootinoant bellum. Refert Liuius in bello Veientum hyemaſſe Romanos ſub hybernaculis, quæ erant ex pellibus contexta, nuſquam arma deponeotes.

In actis.] Teſtimonium citat Tranquillus de genitali ſolo Caligulæ ex libris actorum: in qoibus relatum fuerat, Caium Caligulam natum fuiſſe Aotii: quæ ciuitas eſt Volſcorum caput. Plinius quoque, & Aſconius identidem ſoa ſcripta cooſirmant ex actis.

Refellit.] Refutat, redarguit. Vt ait Donatus, propriè is refellit, qui negat.

Ex vrbe Herculi ſacra.] Tybur Herculi dicatum eſt, vt docet Strabo in v. & indicat verſiculus ille ex Priapeis:

Gades Herculis, humidúmque Tybur. A Martiale dicitur:

Tybor in Herculeum migrauit nigra Lycoris.

Senſus eſt: Getulicus, vt aſſentaretur Caligulæ, ſcripſit eum genitum Tybuti in ciuitate Herculi conſecrata: tanquam glorioſum eſſet principi in ea ciuitate natũ

M. AN. IN Treuiris.] Treuiri Belgicæ Galliæ populi, Germaniæ vicini, hodie Colonienſis ſunt diœceſis: &, vt locorum perio affirmant, Germanica, non Gallica vtuntur lingua.

Vico ambitarino.] Ambiaono potiùs. Plinios & Strabo authores ſunt, Ambianos affines Treuiris eſſe.

Puerperium.] Partum. Plinius editis gemiois raram eſſe aut poerperæ, aut puerperio, præterquam alteri vitam ait. De aris ipſis totum locum à Plinio quæras licet.

Hybernas legiones.] In his locis, quibus Romanæ hybernabant legiones.

Omen.] Proſperum auſpicium. Vergilius:

Omine confirmans animum ſic incipit ipſa.

Iuuenis.] Caligulæ.

Glorioſi.] Gloriæ cupidi.

Herculi ſacra.] Hercules Tyburi religioſè colebatur. Martialis:

Itur ad Herculeĩ gelidas quà Tyburis arces.

Papinius: Iuuat & ipſum
Alcideo dictúmque lyra maiore catillum.

Audeotius.] Audacius.

Plinium.] Qui author eſt, Caligulã in Gallia natũ.

Ratio.] Ordo, computatio.

puellas pueras, sicut & pueros puellos dictitarent. Extat & Augusti epistola ante paucos, quàm obiret, menses, ad Agrippinam neptem ita scripta de Caio hoc: (Neque enim quisquam iam alius infans nomine pari tunc supererat) Puerum Caium decimoquinto Calendas Iunii (si dii volent) vt ducerent Talarius, & Asellius, heri cum his constitui. Mitto prætereà cũ eo ex seruis meis medicũ, quem scripsi Germanico, si vellet, vt retineret. Valebis mea Agrippina, & dabis operam, vt valens peruenias ad Germanicum tuum. Abundè arbitror patere, non potuisse ibi nasci Caium, quò propè bimulus demũ perductus ab vrbe sit. Versiculorum quoque fidem eadem hæc eleuant, & eò faciliùs, quòd hi sine authore sunt. Sequenda igitur est, quæ sola actorum restat, & publici instrumenti authoritas. Præsertim quum Caius Antium omnibus semper locis atque secessibus prælatum, non aliter quàm natale solum dilexerit: traditúrque etiam sedem, ac domicilium Imperii tædio vrbis transferre eò destinasse.

De cognomine Caij, & ubi primò fuerit educatus. IX.

CAligulæ cognomen castrensi ioco traxit: quia manipulario habitu inter milites

PHIL. PVellas pueras.] Adstipulatur Trãquilli verbis sententia Varronis, qui pueras pro puellas dixit. Varronis verba sunt hæc: Properate viuere pueræ, quas sinit ætatula ludere, esse, amare, & Veneris tenere bigas. Liuius: In Odyssea mea puera, quod verbi ex tuo ore profugit. Priscian. quoq; in III. in capite de diminutiuo: Puera, inquit, antique, ex qua puella.

Puellos.] Priscianus: Non est ignorandum quòd hic puerui vetustissimi protulerũt, & puellus. Lucilius:

Inde venit Romã tenet ipse etiã atq; puellus. Ennius:

Sic mos ille suos sacrificare puellos. Serenus:

Præterea si fortè premit strix atra puellos.

Agrippinam neptem.] Caii Caligulæ matrem.

De Caio hæc.] Corrige hoc: vult enim significare illã Augusti epistolam de isto Caio, scilicet Caligula, & non de alio fuisse scriptã.

Nomine pari.] Qui itidem Caius nominaretur.

Puerum Caium.] Verba Augusti epistolæ.

Ex seruis medicum.] Medicos fuisse in numero seruorum apud priscos, idonei scriptores tradiderunt, & in primis Seneca, qui sic ait lib. III. de Beneficiis: Tenebatur inclusus Domitius: imperauit medico, eidémque seruo suo, vt ei venenũ daret. Et pòst paulò: Vixit Domitius, & seruatus à Cæsare est: prior tamen seruus illum seruauerat.

Vt valens.] Robusta, & valida.

Tuum.] Scilicet coniugem.

Abundè.] Ex his argumentis colligit Tranquillus, Caium nõ potuisse nasci in Gallia, vt sentiebat Plinius.

Bimulus.] In ætate duorum annorum.

Eleuant.] Tollunt, deprimunt, infirmant: de quo verbo suprà dictum est, & in commentariis Propertii copiosiùs.

Actorum.] Ita est legendum, vt sit sensus, authoritatem actorum sequendam esse: & eo maximè, quòd acta publica instrumenta sunt.

Transferre eò.] Scilicet Antium.

Ex castrensi loco.] Elegãtius videtur, si legas castrensi ioco, quàm loco: vt sit sensus, milites ilocalariter ludentes à caliga calceamento formasse Caligulæ cognomentum, qui eo habitu, calceatúque in castris vteretur. Etenim iocos, & scommata militaria in id genus rebus efficacissima esse, nullus ignorat. Nanq; & olim Regillianus Imperator est salutatus, ex nominis declinatu militariter formato. Nam cùm milites quidam cum eo cœnarent, extitit Tribunus, qui diceret, Regilliani nomẽ vnde credimus dictum? Alius continuò subiunxit: Credimus quòd à regno milites militariter loquentes dixerunt, ergo potest rex esse, ergo potest nos regere. & ita militari ioco Imperium adeptus est.

Manipulario habitu.] Calceamento militari. Sextus Aurelius in hãc sententiam sic inquit: Caligula filius fuit Germanici: & quia natus in exercitu fuerat, cognomentum calceamẽti militaris, id est, Caligula sortitus est. Ausonius quoque idem signat illo versu:

Caius cognomen caligæ cui castra dederunt.

Hinc illud Sidonii Apollinaris:

Et caligas. Caii Claudii censura sequuta est.

A caliga calceamento militari caligatus miles dictus. Iurisconsultus Digestis de his, qui notantur infamia: Dimissum accipere debemus militem caligatum. Caligas clauis suffigebant: qui ob hoc caligares nuncupantur. Plinius in nono: Pisces existunt squamis conspicui crebris, atque præacutis, clauorum caligarium effigie. Idem in XXII. Si enim caligaris clauus, si ferri, vel chalybis aliqua rubigo aut panni marcor affuerit, omnem illico succum alienum, saporémque in venenum decoquit. De clauo caligari scito illud dictum esse à poeta Satyrico:

In digito clauus mihi militis hæret. & alibi ab eodem:

-Offendere tot caligatos
Millia clauorum.-

Iosephus quoq; & Egesippus tradunt, Iulianũ hecatontarchũ, hoc est, centurionem, propter clauos, quibus creberrimis, & acutis calceos, vt cæteri solent milites, fixos habebat, in lubrico solo lapsum fuisse ab hostibus Iudæis interfectum. De caliga ait Plinius in septimo: Plurimi iuuentam inopem in caliga militari tolerasse.

Manipulario.] Id est, militari. Alibi annotauimus, in legione fuisse manipulos triginta, & quid significet: ex quò manipularis deriuatur. Ouidius:

Vnde maniplaris nomina miles habet.

M. AN. AGrippinam neptem.] Iuliæ, & Marci Agrippæ filiã.

Tunc supererat.] Alter enim, cui Cn. prænomen fuit, cuius quoque effigiem Augustus in cubiculo dicarat, vita decesserat.

educabatur. Apud quos quantum præterea per hanc nutrimentorum consuetudinem amore, & gratia valuerit, maximè cognitum est, cùm post excessum Augusti, tumultuantes, & in furorē vsque præcipites, solus haud dubiè conspectu suo flexit. Non enim priùs destiterunt, quàm ablegari cum ob seditionis periculum, & in proximam ciuitatem demandari animaduertissent. Tunc demum ad pœnitentiam versi, represso, ac retento vehiculo, inuidiam, quæ sibi fieret, deprecati sunt.

De loco, & apud quos secundò fuerit educatus. x.

COmitatus est patrem & in Syriaca expetione: vnde reuersus primùm in matris, deinde ea relegata, in Liuiæ Augustæ proauiæ suæ contubernio mansit. Quam defunctam, prætextatus etiam tum, pro Rostris laudauit. Trāsijtq; ad Antoniā auiam, & vndeuicesimo ætatis anno accitus Capreas à Tyberio, vno atq;

Cum eo.] Caio.
Valens.] Sospes, valida, incolumis.
Ibi.] In Gallia.
Bimulus.] Duos annos natus.
Eleuant.] Tollunt, leuiorem reddunt.
Anterior.] Getulici opinio priùs celebrata.
Quàm natale solum.] Quàm terram, in qua natus esset.
Castrensi loco.] In castris.
Manipulario habitu.] Caliga. Satyrus:
-Offenderet tot caligatos
Millia clauorū.- Erat enim caliga, militaris habitus clauis confixus. Idem rursus:
In digito clauus mihi militis hæret.
Plinius: Squamis conspicui crebris, atque præacutis, clauorum caligarium effigie.

PHIL. NVtrimētorum cōsuetudinē.] Amor, & beneuolentia augetur ex consuetudine: de qua Lucretius:
-Consuetudo concinnat amorem.
Meritò Caligula educatus inter milites collegerat fauorem, gratiámque militarem.
Post excessum.] Post obitum.
Solus.] Caligula.
Quàm ablegari.] Amandari, & è medio tolli. Codices quidam habent obligari: tanquam vinculatus, vt vtar dictione Hieronymi, & in vehiculo clausus asportaretur seditione gliscente.
In proximam ciuitatē.] Scilicet castris, quæ id temporis erant in Gallia.
Retento vehiculo.] Quo scilicet asportabatur Caligula, ob periculum militaris seditionis.
Deprecati sunt.] Amoliti sunt, abegerunt, depulerunt. Cicero: Claudii inuidiam Gracchi charitas deprecabatur. hoc est (vt interpretatur Gellius) propulsabat, & defendebat.
Syriaca expeditione.] Autumat Iosephus libro primo Antiquitatum, Assurem constituisse ciuitatem Ninum, & subiectos sibi Syros dominauisse Assyrios: qui fuerunt valde felices. Expeditio autem Syriaca significatur, qua Germanicus in Syriā missus est ad componendum Orientem.
Ea relegata.] Suprà diximus, Agrippinam, quæ fuit Caii mater, relegatam fuisse à Tyberio post mortem mariti Germanici in insulam Pandatariam, vbi inedia absumpta est.
Liuiæ Augustæ.] Liuia nomen accepit Augustæ, cùm nupsisset Augusto Cæsari: author Plinius in x v. quin etiā, vt Corn. Tacit. refert, Agrippina Claudii coniunx Augustæ cognomēto aucta est. Hoc enim cognomento decorabantur vxores, atq; etiā sorores Imperatorum. Sic Antoninus Pius vxorem Faustinam appellari Augustam à Senatu permisit. Consimiliter vxori, sororique Traiani Senatus obtulit cognomen Augustum: quod illæ tamen deprecatæ sunt: quarum modestiam ita laudat Plinius in Panegyrico: Hoc magis dignæ sont, quæ in animis nostris & sint, & habeantur Augustæ, quia non vocantur.
Proauiæ suæ.] Proauos, & proauia tertio cognationis gradu sunt ordine superiore: sicut pronepos, & proneptis in inferiore. Liuia proauia erat Caii Caligulæ, ille pronepos Liuiæ: cùm Drusum genuisset Germanici patrem, ex quo natus erat Caligula.
Prætextatus etiam.] Adhuc in ætate prætextata, hoc est puerili collocatus. Relege quæ dicta sunt superiùs de veste prætexta, & prætextatis. Et cùm prætexta vestis quoque sit magistratuum, magistratus & ipsi prætextati appellantur à Liuio.
Pro Rostris.] Historia à nobis explicata est in Iulio Cæsare, propter quam institutum fuit, vt matronarum, sicut virorum, post mortem solennis laudatio esset.
Vndeuigesimo.] Decimonono, quasi vnus desit viginti.
Accitus.] Euocatus.

M. AN. SOlus.] Caligula.
Conspectu suo.] Sua præsentia.
Destiterunt.] Tumultuari desierunt.
Ablegari.] Aliò mitti, ne quid mali puero in ea seditione accideret.
Vehiculo.] Curru, quo vehebatur.
Inuidiam.] Odium, quod ex ea ablegatione erant incursuri.
Deprecati sunt.] A se precibus depulere.
Syriaca expeditione.] Quum in Syriam Germanicus missus est ad componendum Orientis statum: quo tempore vita decessit. Syria, vt Plutarchus ait, à Syro Apollinis, & Synopes Asopidis filio dicta est.
Matris.] Agrippinæ.
Proauiæ.] Liuiæ, patris sui auiæ. Liuia Drusum genuit, Drusus Germanicum, Germanicus Caligulam.
Prætextatus.] Puer adhuc. Vnde prætexta in vsum transierit, lege quæ scribit Macrobius libro primo Saturnalium, cap. sexto.
Ad Antoniam auiam.] Minorem Antoniam intellige, ex qua & Druso Germanicus est ortus.
Vndeuicesimo.] Decimonono vitæ anno.

eodem die togam sumpsit, barbámque posuit, sine vllo honore, qualis contigerat tyrocinio fratrum eius. Hic omnibus insidiis tentatus, elicientium, congentiúmque se ad querelas, nullam vnquam occasionem dedit, périnde obliterato suorum casu, ac si nihil cuiquam accidisset: quæ verò ipse pateretur, incredibili dissimulatione transmittens: tantúque in auum, & qui iuxtà erant, obsequii, vt non immeritò sit dictum: Nec seruum meliorem vllũ, nec deteriorem dominum fuisse.

De signis sæuitiæ eius in iuuentute. XI.



NAturam tamen sæuam, atq; probrosam, ne tunc quidem inhibere poterat, quin & animaduersionibus, pœnísq; ad supplicium datorũ cupidissimè interesset: & ganeas, atq; adulteria capillamẽto celatus, & veste longa, noctibus ambiret, ac scenicas saltãdi, canendíq; artes studiosissimè appeteret: facilè id sanè Tyberio patiẽte, si per has mãsuefieri posset ferũ eius ingeniũ.

PHIL. TOgam sumpsit, barbámque posoit.] Is dies tyrocinii vocabatur, quo adolescentuli togam sumebant, auspicaturi stipendiâ forensia, barbámque primâ ponebant, quod cum honore fieri solebat. Vnde apud Iuuenalem:

Ille metit barbã, crinem hic deponit amati.

Super tyrocinio abundáter, opinor, diximus io Augusto.

Fratrum eius.] Neronis, & Drusi: quorum tyrocinii diẽ celebrauit Tyberius, dato plebi congiario: sed nullo honore tyrocinium Caligulæ prosequutus est.

Périnde ac.] Tãquam. Dicimus enim eleganter périnde ac, périnde quasi, périnde atq;: quod significat tanquam: absolutè positum significat æquè, & pariter. Cicero: Te, & Dolabellam périnde diligo. Interdum accipitur pro multum, vt suprá.

Obliterato suorum casu.] Sensus est: Caius obliuiosum agebat, & immemorem: adeò vt nec matris Agrippinæ, nec Drusi, & Neronis fratrum calamitates recordari videretur: ita cuncta ex animo obliterauerat, obliuioniique tradiderat. Hoc enim institutum vitæ prodesse oonnunquam solet degentibus sub tyranno.

Transmittens.] Non absimile est illud, quod tradit Seneca de aulicô quodam iniuriarum Palatinarum patientissimo, cuius nomen Historici non prodiderunt: qui cùm in cultu regum consenuisset, & eum quidam interrogasset quonam modo rarissimam rem in aula consecutus esset: Iniurias, inquit, accipiendo, & gratias agendo.

In auum.] Tyberium principem.

Et qui iuxtà.] Obsequiosus erat Caligula in principem, & eos, qui principi erant proximi, & apud illum pollebant.

Nec seruum meliorem.] Ad duas res diuersissimas, parendum, atque imperandum, habilis fuit Caligula: sed ita, vt io vtroque excederet modum. Nam & nimis humiliter seruiuit, & nimis impotenter est dominatus.

Probrosam.] Probrorum & flagitiorum plenam.

Inhibere.] Cohibere, frænare, compescere.

Animaduersionibus.] Punitionibus, & suppliciis.

Ganeas.] Suprà docuimus, ganeas dici loca gulæ, libidiníque seruientia.

Capillamento celatus.] Capillamentũ vocat Tranquillus galericulum illud ex alienis capillis eleganter consutum, quo vtebatur Caligula, vt ita falleret: quo nõ pauci vti consoeuerunt ad velandam caluitii deformitatem, natiuo scilicet nitore capillorum despoliati. aliàs capillamentum pro capillo accipitur. Apuleius in s I. de Asino aureo: Tanta est denique capillamenti dignitas, vt quamuis auro, veste, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamen nisi capillum distinxerit, ornata non possit videri. Plinius in XXI. Herba croci est folio angusto, penè in capillaméti modum. Item in XXXVI. Aliis capillamentũ rimæ simile.

Scenicas artes.] Hoc ad probrosam naturam referendum. Etenim iam sæpe dictum est, infames esse, qui in scenam prodeunt, atq; artem ludicrã faciunt. Apud Ciceronem Scipio sic loquitur, cùm arté ludicram, scenámque totam in probro Romani ducerent, genus id hominum tribu amoueri notatione censoria voluerunt. Aristoteles quoque in Problematis encycliis, id est, quęstionibus circularibus, scenicos artifices, qui Græcè dicuntur *διονυσιακοὶ τεχνῖται*, moribus improbis esse ex magna parte testatur.

Mansuefieri.] Ars canendi in primis, id est, ipsa musica, mitigat animos, & amœnat, omnémque detrahit ferociam. Vnde Pythagoras animi perturbationes lyra componere solitus erat. Non pauca scripsimus super hac re in libro orationum, vbi tota vis musices explicatur.

M. AN. SIne vllo honore.] Quum vtrunque ciuilis vitæ actum Romani patrio celebrarent instituto.

Omnibus insidiis.] Tyberii scilicet, qui ad explorandum iuuenis in se animũ variè instigandũ dederat.

Nullam vnquam occasionem.] Nullam ad se deferendum causam.

Périnde.] Ita. Obliterato.] Obliuioni dato.

Suorum.] Parentum, matris, & duorum fratrum.

Ac.] Tanquam.

Quæ ipse pateretur.] Iniurias, quibus afficeretur.

In auum.] Tyberiom.

Et qui iuxtà erant.] Qui apud illum gratia, & authoritate florebant.

Obsequii.] Studii, & obseruantiæ.

Meliorem seruum.] Nullum minus contumaciter seruiuisse.

Deterioré dominũ.] Minus bonũ: vt Seruio placet.

Probrosam.] In flagitia, & scelera pronam.

Inhibere.] Prohibere, continere,

Ganeas.] Turpia loca ad potatiooes, & libidines quæsita.

Capillamento.] Galerico. Iuuenalis Sat. VIII.

-Nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?

Ad personam nanq; dissimulandam, adoperto capite noctu adulter vagabatur.

Scenicas.] Ad vsum scenæ quæsitas.

Nat

Quod sagacissimus senex ita prorsus perspexerat, vt aliquoties prædicaret exitio suo, omniúmque Caium viuere, & se natricem (serpentis id genus) populo Romano, Phaethontem orbi terrarum educare.

De uxore eius, & suspicione ueneficij in Tyberium. XII.

NOn ita multò pòst Iuniam Claudillam M. Syllani nobilissimi viri filiam duxit vxorem. Déinde augur in locum fratris sui Drusi destinatus, priùs, quàm inauguraretur, ad Pontificatum traductus est, insigni testimonio pietatis, atque indolis, quum deserta, desolatáq; reliquis subsidiis aula, Seiano *hoste tunc suspecto, mox & oppresso, ad spem successionis paulatim admoueretur. Quam quò magis confirmaret, amissa Iunia ex partu, Enniam Næuiam Macronis vxorem, qui tum prætorianis cohortibus præerat, solicitauit ad stuprum, pollicitus & matrimonium suũ, si potitus Imperio fuisset. Déque ea re & iureiurando, & chirographo cauit. Per hanc insinuatus Macroni, veneno Tyberium aggressus est (vt quidam opinantur) spirantique adhuc detrahi annulum, & quoniam suspicionem

*vero

PHIL. NAtricem populo Romano educare.] Natrix, serpens est à natando dictus: de quo Lucanus in 9 x. Pharsaliæ:

Et natrix violator aquæ.

Priscianus in v. Natrix, cùm speciem anguis significat, masculinum quoque inuenitur. Lactantius in v i i. Respondendũ est hoc loco Ciceroni, qui ait, cur omnia nostri causa cùm faceret, tantam vim natricum, viperarúmque fecerit? Item, Natrices, viperásq; vitaret salutis suæ causa. Sensus est: Quemadmodum natrix serpens veneno necat mortales, & quemadmodum Phaethon Solis currum (vt in fabulis est) malè regendo exussit orbem terrarum: ita dicebat Tyberius Caium instar natricis futurum Romano populo venenum: & instar Phaethontis orbi terrarum incendium, & exustionem. Quæ traduntur de Phaethonte, non fabulosa, sed historica fuisse autumat Plato in Timæo, asserés per longa temporũ interualla fieri cælestis circuitus mutationem, quam ἐκπύρωσις, hoc est, inflammatio subsequatur.

Augur destinatus.] Paratus, electus, designatus. Ita in principio operis dixit: Cæsar flamen Dialis destinatus. De collegio augurum, quod apud Romanos erat honoratissimum, suprà satis multa. Inter augures constat imparem numerum augurum debere esse. Itaque apud Romanos augurum nouem numerus finitus est, vt docet Liuius io x. creabantur ex patritiis, & ex plebeiis. Habet sacerdotiũ hoc illud maxime insigne, quòd non adimitur viuenti. Augures fuerunt M. Tullius, & Plinius posterior.

Inaugurraretur.] Inaugurare, & exaugurare verba sunt contraria. Est enim inaugurari non solùm in augurum numerum adscribi, & cooptari, sed etiam in aliud sacerdotium consecrari. Cicero de Antonio Cæsaris flamine: Quid igitur cessas? cur non inaugurare? sume diem: vide qui te inauguret.

Ad pontificatum.] Romæ fuit collegium pontificũ, quos nunc, vt inquit Liuius, minores pontifices appellant. Numerus pontificum erat octo, qui ex patriciis, & plebe creabantur.

Desolata aula. Cùm nulla esset præter Caiũ masculina proles in aula Imperatoria.

Ad spem.] Vt iam speraret se successurum Tyberio in principatu.

Macronis.] Hic ille est Macro, cuius opera, & ministerio vsus est Tyberius in opprimendo Seiano, vt suprà diximus.

Chirographo cauit.] Promisit per chirographũ, se illam vxorem ducturum, si fieret Imperator.

Insinuatus.] Conciliatus in amicitiam: quemadmodum insinuatio dicitur exordiũ, quo sensim surrepimus animis iudicum in causa non satis fauorabili, ita insinuatur quis in amicitiã alterius, quando nõ rectà, sed per sinus quosdam, & quasi diuerticula intrat in amicitiam latenter, & dissimulãter. Plautus: In amiciciam insinuauit cũ matre. Iulius Firmicus in v s t s. Amicus regis corporis pulchritudine insinuatus.

Aggressus est.] In superioribus dictum est quemadmodũ quidam putarunt venenũ Tyberio datum esse à Caio leotum, & tabificum.

M. AN. SAgacissimus.] Callidissimus, præsagiorum peritissimus.

Exitio suo.] Ad suum exitium, cladem, interitum.

Natricem.] Natrices dicuntur, vt Nonio placet, angues natantes. Cicero: Sicut enim vos vultis tantam vim natricum, viperarúmqoe fecerit.

Phaëthontem.] Incendiũ. Plinius: Sed per vtrasq; Agrippinas maximè, quæ Caiũ & Domitium Neronẽ principes genuere, totidem faces generis humani.

Destinatus.] Designatus.

Augur.] Augurandi peritia à Chaldæis ad Græcos defluxit: à Græcis ad Hetruscos: ab his nouissime in Latium penetrauit. De augurum numero alio loco.

Inaugurraretur.] Ioauctoraretur, siue initiaretur.

Ad pontificatum.] Nec pontificem maximũ creatũ putes, sed ex aliis vnũ: nã si sic esset, maximũ addidisset.

Insigni testimonio.] Pietate iuuenis, & indole per hunc modum ab auo probata. Reliqois subsidiis.] Reliqois masculæ stirpis sublatis. Ad spem successionis.] Vt in familiam & Imperiũ succederet. Iosephus certissimo oraculo Tyberiũ cognouisse ait fore, vt Caligula post se imperaturus esset. Quam.] Successionis spem. Amissa Iunia.] Extincta. Déq; ea.] Vt eam in vxorem duceret. Cauit.] Cautum voluit ipsi Enniæ. Per hanc.] Enniam.

Insinuatus.] Amicus, & familiaris factus.

Macroni.] Qui, vt idem author scribit, Seiano sublato prætorii præfectus à Tyberio constitutus.

Aggressus est.] Tyberium veneno petiit.

Suspicionem retinentis.] Quasi sentiret sibi adimi, ob idq; manũ contraheret, quò minùs detrahi posset.

PHIL. PVppum.] Puppi à priscis dicebantur pueruli teneriores. Varro: Mammam lactanti sugentem pasce re puppum. Diminutiuum puppi est puppulus: quo vsus est Catullus: Deprehendi modò puppulũ puellæ. Idétidem puppæ à priscis dictæ sunt puellæ. Ausonius:

Barbara, sed Larias vincis alumna puppas. Persius prima producta dixit puppas, pro imagunculis puellaribus, cùm ait:

Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine puppæ.

Alumnum.] Nutrices blandientes, quos educauerunt, alumnos appellant. vnde illud: Charo comes ibat alũno. Seneca in Medea: Alũna celerẽ quò rapis tectis gradũ? Idem in Octauia: Cede fatis, atq; fortunæ tuæ, alumna, quæso. Laurentius Vallensis reprehendit Nonium scribẽtẽ alumnos dici nõ solùm qui aluntur, sed etiam qui alũt: negátq; in secũdo significatu reperiri. Sed Laurentiũ Vallensem refellit authoritas priscorũ, qui Iouem alumnũ cognominauerunt ab eo, quòd omnia aleret, nõ autem quòd aleretur. Alterum nepotem.] Tyberium intelligit cognomento Gemellum, ad quẽ Tyberius principatum peruenire cupiebat: de quo legitur hæc historia digna cognitu, nec indigna memoratu: Supplicabat Tyberius diis, vt signum sibi manifestum ostenderent, quisnam post eum in Imperiũ succederet, festinans quidem, vt huic nepoti suo Tyberio Gemello principatũ relinqueret: supplicãti omen tale monstratur, ad illum videlicet venturum esse principatum, qui ad eum sequenti die primus ex omnibus aduenisset. Hoc Tyberius cognoscens mittit ad huius nepotis sui pædagogum, iubens vt primo mane puerum ad se perduceret: & cùm dies illuxisset imperat ministro, vt quisquis foris esset infantulus, eum ad se primitus euocaret. Ille egressus Caium reperit ante tabernaculum: & totius rei ignarus, Veni, inquit, vocat te pater: eúmq; in tabernaculũ introduxit. Tyberius vt vidit Caium, tum primùm intellexit maiestatis supernæ potentiam, & quòd non sit in hominum potestate de Imperii cõstitutione decernere: qui pòst paulùm his verbis allocutus Caiũ, O fili, inquit, cum habeam propinquiorem Tyberiũ, tamen tibi ex mea sentẽtia, deorúmq. decreto Imperii tribuo potestatem, teque rogo vt simul Tyberium decores, & vt consanguinitati, quã debes, exhibeas charitatem, & munimen tibi principatus acquiras adiuncto Tyberio. Caius pro tempore bene respõdit: sed postea vbi Imperium adeptus est, Tyberium extinxit.

Illi.] Caligulæ: vt scilicet cuncta pro nutu moderaretur. Supra centum sexaginta millia.] Laudari solent ἑκατόμβαι, id est sacrificia centum victimarum: quid verò maius dici potest, quàm quòd in principatu Caligulæ supra mille hecatombas facta sit victimario hostiarum? Campaniæ insulas.] Vt puta Pandatariam, Prochytam, Inarinen, Pontias, & Capreas.

Quoque.] Id est, quolibet.

Pernoctãtibus.] Totas noctes peruigilantibus. Qui capita sua vouerẽt.] In hoc imitabãtur exẽplũ Alcestes, quæ pro marito Admeto morti se deuouit, cùm & pater, & mater id recusarẽt: quod quidem facinus, vt inquit Plato in Symposio, tã præclarum non solùm ab hominibus, sed etiã à diis est iudicatum, vt reuiuiscendi munus Alcestæ cõcesserint, eámq; ab inferis suscitauerint: tanti studium, virtutémque circa amorem dii existimant. Proposito titulo.] Inscriptione publicata, quæ indicabat, si Caius salutem pristinã reciperet, ipsos morsem vltroneã subituros. Apud Gallos deuoti sunt tali penè cõditione, quos illi soldurios appellant: qui omnibus in vita cõmodis fruũtur vnà cum his, quorum se amicitiæ dediderũt. Si quid his per vim accidat, vt eundem casum vnà ferant, ac sibi mortẽ consciscant. Neq; hominũ memoria repertus est quisquã, qui, eo interfecto, cuius se amicitiæ deuouisset, mori recusaret. Apud eosdem Gallos, qui sunt affecti grauioribus morbis, quiq; in prœliis, periculisq; versantur, aut pro victimis homines immolãt, aut se immolaturos vouent, arbitrantes non posse deorum immortalium numen placari, nisi pro vita hominis vita hominis reddatur. Contemptum.] Despectionem, contemptionémque: tanquam contemptus esset, & despicabilis.

De gestis in initio principatus. XIIII.



INgressóque vrbem, statim consensu Senatus, & irrumpentis in curiam turbæ, irrita Tyberii voluntate, qui testamento alterum nepotem suum prætextatum adhuc cohæredem ei dederat, ius, arbitriúmque omnium rerum illi permissum est, tanta publica lætitia, vt tribus proximis mensibus (ac ne totis quidem) supra centum sexaginta millia victimarum cæsa tradãtur. Quum deinde paucos post dies in proximas Campaniæ insulas traiecisset, vota pro reditu suscepta sunt, ne minimam quidem occasionẽ quoquam omittente in testificanda solicitudine, & cura de incolumitate eius. Vt verò in aduersam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa Palatium, non defuerunt, qui depugnaturos se armis pro salute ægri, quiq; capita sua titulo proposito vouerẽt. Accessit ad immẽsum ciuiũ amorẽ, notabilis etiã externorũ fauor. Nanq; Artabanus Parthorum rex, odium semper, contemptúmque

M. AN. PVllum, puppũ.] Blandientiũ nomina, teneræque ætati accõmodata. Veteres puppos, & puppas, pueros, & puellas dixere. Martialis:

Dicit se puppam Gellia, quum sit anus. Persius:

Nempe quod Veneri hoc donatę à virgine puppæ.

Alumnũ.] Ad illud referri debet, quod in castris dixerat educatum. Turbæ.] Multitudinis consensu.

Alterum nepotem.] Drusi filium.

Ac ne totis.] Ne integris quidem. In proximas Campaniæ insulas.] Nauigationis causam non multò pòst subiiciet. Sed in eo mirum ciuitatis studiũ extitit, quòd tam parua, minimeq; laboriosa nauigatione fuẽre pro eo vota suscepta. Circa Palatiũ.] Qua parte habitabat. Depugnaturos se armis.] Vt suã, aut alterius animam diis manibus pro Caligula ex voto soluerent.

Titulo proposito.] Voto in publicum relato fore, vt si ille morbo seruatus esset, se immolandũ traderẽt,

Tyberii præ se ferens, amicitiam eius vltro petiit: venítque ad colloquium legati cõsularis, & transgressus Euphratem, aquilas, & signa Romana, Cæsarúmque imagines adorauit.

De pijs & ciuilibus gestis per eum in initio principatus. XV.

INcendebat & ipse studia hominum omni genere popularitatis. Tyberio cum plurimis lacrymis, pro cõcione laudato, funeratóque amplissimè, confestim Pandatariam, & Pontias ad transferendos matris, fratrísque cineres festinauit, tempestate turbida, quò magis pietas emineret. Adiítque venerabundus, ac per semet in vrnas condidit. Nec minore scena Hostiani, præfixo in biremis puppe vexillo, & inde Romã Tyberi subuectos, per splendidissimũ quenque Equestris ordinis, medio ac frequẽti die duobus *ferculis mausoleo intulit. Inferiásq; his annua religione publicè instituit, & eò amplius matri

*forulis

PHIL. PRæ se ferens.] Apertè demonstrans.

Amicitiam eius.] Caii Caligulæ.

Legati consularis.] Suprà docuimus qui sint legati consulares, ne dicta repetantur.

Transgressus Euphratem.] Euphrates, fluuius est Babylonia interfluens, olim terminus Romani Imperii. Lucanus:

Diuidit Euphrates ingentem gurgite mundum,

Zeumáque Pellæum.

Ductu Põpeii Magni terminus Romani Imperii Orurros constitutus est. Assyrii Euphratẽ appellant Amalchar, quod significat regium flumen. Apud Egesippum & Iosephum Agrippa in oratione, quã habet ad Iudæos, significans Romani Imperii propagationem, ait: Euphrates ex vtraque iam parte Romanus est.

Aquilas & signa Romana.] Præter aquilas, quæ erant principalia signa Romanæ militiæ, fuerunt alia quoque signa, videlicet lupi, minotauri, equi, apri, quæ singulos ordines anteibant.

Cæsarum imagines.] Imaginarii dicti sunt, qui imagines Imperatoris portabant in expeditionibus: author Vegetius in secundo.

Popularitatis.] Popularitatem à populo dici voluerunt veteres: sicut à pondere ponderitatem. Papinius: Et gratum popularitate magnum. A populo aduerbium est populatim, quod significat per populos: & popularia pro nugatoriis, & puerilibus. Laberius: Popularia agimus per ludom.

Funeratóq; amplissimè.] Sumptus funeris, pro facultatibus, & dignitate defuncti fieri debent: vnde ait Vlpianus, eum, qui in funerando locuplete modicũ sumptũ fecerit, contumeliam defuncto fecisse videri. Caius verò Tyberium, vtpote principem, funerauit magnificenter, & regiè: quod Iosephus quoque testatur dicẽs: Sed Caius, postquam Romã venit, Tyberii corpus secum adducens, iusta ei secundũ morem patrium opulenter, magnificéque celebrauit.

Pandatariam.] Vbi cineres erant materni.

Pontias.] Vbi cineres erant Neronis fratris.

Tẽpestate turbida.] Tẽpestatis nomine grãdines, procellæ, cæteráq; similia intelliguntur, quæ cùm acciderint, vis maior appellatur. Hæc, vt ait Plinius in decimooctauo, ab horridis syderibus exeunt.

Venerabundus.] Cum maxima veneratione, sicut mirabundus, cum ingenti admiratione.

In vrnas condidit.] Cineres, reliquiásque crematorum cadauerum in vrnis recondi solita, nemo non nouit. Olim reliquiæ Seueri Imperatoris in vrnula aurea conditæ fuerunt, illatæqu- in sepulcrum Antoninorũ.

Scena.] Apparatu pietatis, & ostentatione.

Hostiam.] Ciuitatem conditam ab Anco Martio in ora Tyberis in ipso maris, fluminísque confinio: vt totius Mundi opes illo veluti maritimo vrbis hospitio reciperentur. Tyberi.] Per Tyberim.

Duobus ferculis.] A ferendo dicta fercula: de quibus suprà satis multa. Quidam codices habent forulis. quod placet: tanquam Caligula in capsulis, quæ foruli dicuntur, vt in Augusto dictum est, cineres maternos, fraternósque condiderit, & ita conditos intulerit mausoleo: quod sepulcrũ erat Romæ magnificentissimum ab Augusto extructum in ripa Tyberis. Sed de mausoleo satis ac super diximus in superioribus.

Inferias.] Inferiæ sunt sacra mortuorum, quę inferis soluuntur.

Matri Circenses.] In honorem defunctæ matris Agrippinæ ludos Circenses quotannis celebrari voluit.

M. AN. PRæ se ferens.] Prætendens.

Legati consularis.] Qui consulis vicem in prouincia gerebat.

Euphratem.] Qui Cappadociam, & minorem Armeniam ab Assyria diuidit, oritúrque in Carantide Armeniæ præfectura, vt Plinius ait: vt Domitius Corbulo, in monte Aga: vt Lici. Mucianus, ad radices Caporis montis.

Veneratus est.] Lucanus:

Magnus adorato submittat Cæsare signa.

Popularitatis.] Populo gratæ rei.

Pandatariã.] Quæ in Puteolano sinu est, vbi Agrippina mater extincta est.

Pontias.] Insulam, quæ, Plinio authore, contra Formianum iacet litus.

Fratris.] Neronis, qui Pontiis perierat.

Venerabundus.] Vehementer veneratus.

Per semet.] Suo ipsius ministerio, nec alterius.

Mitiore scena.] Spectaculo.

Biremis.] Qua vehebatur.

Subuectos.] Cineres. Potest & subuectus legi, vt ad Caligulam referatur.

Forulis.] Capsulis, vt alio loco diximus, siue pluteolis.

Per splendidissimum quenq;.] Subuectos potiùs, quàm mausoleo illatos intelligas, vt quos illi aduerso Tyberi subuexerint, ipse sepulcro religiose intulerit.

Mausoleo.] Illi scilicet, quod in Martio campo Augustus erexerat.

Inferias.] Exequias.

Annua religione.] Sacrorum ritu, & instituto quotannis seruato.

Matri.] Maternæ memoriæ.

Circenses.] Ludos.

Carp

Circenses, carpentúmque, quo in pompa traduceretur. At in memoriam patris, Septembrem mensem Germanicum appellauit. Post hæc, Antoniæ auiæ quicquid vnquam Liuia Augusta honorum cepisset, vno Senatusconsulto congessit. Patruum Claudium equitem Romanum ad id tempus, collegam sibi in Consulatu assumpsit. Fratrem Tyberium die virilis togæ adoptauit, appellauítque principem iuuentutis. De sororibus author fuit, vt omnibus sacramentis adiicerentur: Neque me, liberósq; meos chariores habeo, quàm Caium, & sorores eius. Item relationibus Consulum: Quod bonum, felíxque sit Caio Cæsari, sororibúsque eius. Pari popularitate damnatos, relegatósque restituit: criminúmque, si qua residua ex priore tempore manebant, omniũ gratiã fecit. Cõmentarios ad matris, fratrúmq; suorum causas pertinentes, ne cui postmodum delatori, aut testi

PHIL. CArpentum.] Carpenta, vehicula sunt, à quibus fabri carpentarii dicti. Existimat Ouidius à Carmente Euandri matre nomen accepisse. Sic enim ait in Fastis:

Nam priùs Ausonias matres carpenta vehebant:
Hæc quoq; ab Euandri dicta parente reor.

Caius instituit vt in pompa Circẽsis spectaculi carpentum duceretur sub nomine matris Agrippinæ, sicut fercula deorum immortalium traducebantur: quod scilicet carpẽtum inter fercula pompatica honoris causa traduceretur.

Patruum Claudium.] Qui Caligulæ successit in Imperiu.

Equitem Romanum ad id tempus.] Ita distinguendum vt sit sensus, Claudium vsque in illũ diem non ascendisse supra equestrem dignitatem, quanuis patruus esset principis, & frater Germanici fuisset.

Fratrem Tyberium.] Iam diximus, Tyberium Cæsarem ex filio Druso nepotem habuisse Tyberium cognomento Gemellum, quem vnà cum Caio Caligula pariter adoptauerat: vnde iure adoptationis Tyberius frater erat Caligulæ.

Principem iuuentutis.] Cõsimiliter posterioribus temporibus Nero cùm togam virilem sumpsisset, princeps iuuentutis est appellatus: author Cornel. Tacitus.

Omnibus sacramentis.] Vt omni sanctitate ac religione fierent venerabiles: & quoties quis aliquid iureiurando, & sacramento vellet affirmare, id faceret interposito nomine Caii Cæsaris sororum: quod exempla subiecta declarant.

Neque me, liberósque meos.] Hæc sunt verba sacramentorum, quibus sorores suas Caius venerabiles fecit. His enim verbis Romani sacramentum & iusiurandum concipiebant: vt testarentur nihil sibi esse charius Imperatore, & sororibus Imperatoris.

Relationibus Consulum.] Relationes Consulũ dicuntur, quando in Senatu referunt aliquid, super quo sententiæ patrum disquiruntur. Olim ius quintæ relationis concessum fuit à Senatu Alexandro Imperatori Romano. Maiores nostri, authore Seneca, nouam relationem post horam decimam in Senatu fieri vetabant.

Quod bonum.] Verba sunt, quibus Consules exordiebantur relationes.

Restituit.] Reuocauit in pristinum statum, & à damnatione, relegationéque exemit.

Criminum gratiam fecit.] Condonauit crimina, remisitque pœnam criminum eorum, quæ adhuc residua necdum iudicata permanebant.

Commentarios ad matris.] Sensus est: Caius cõcremauit omnes commentarios & libellos, in quibus continebantur testimonia in matrem, fratrésque dicta, vnà cum delationibus, quæ omnia perscripta fuerũt ad Tyberium cupientem illos perdere, vt dictum est in Tyberio: cùm priùs adiurasset, se illa non legisse. Tale quiddam fecerunt Cæsar & Põpeius. Nanque Cæsar captis apud Pharsaliam Põpeii Magni scriniis epistolarũ, iterúmq; apud Tapsum Scipionis, ea fide optima concremauit, neque in his quicquã legit. Consimiliter Põpeius post interitum Sertorii, cùm Perpennam occidisset, epistolas omnes, cæteráque Sertorii monumenta minimè inspecta cõbussit: quanuis in illis essent epistolæ clarissimorum Romanorum, qui rerum nouarum studiosi Sertorium in Italiam clanculùm euocabant.

Delatori.] Qui matrem Caii, & fratres accusasset apud Tyberium.

Testi.] Qui testimonium in matrem, fratrésque dixisset.

M.A.N. CArpentum.] Vehiculũ, thensam. Quo in pompa.] Quod legendum potiùs, vt ad carpentũ referatur: nisi quo, pro in quo: sicque, quod minimè placet, simulacrum, aut quid aliud subintelligi oportebit. Nec quo ipse veheretur dixerim, quum diuorum effigies, & reliqua sacra curribus ipsis in Circensi pompa traducerentur. Septembrem Germanicũ.] Martial.

Germanicarum magna lux Calendarum.

Sed vrbanissimus poeta ad sua tempora respexit. Domitianus enim Germanici cognomine assumpto, Septembrem mensem, & Octobrem Germanicum, & Domitianum ex appellationibus suis nominauit.

Antoniæ.] Patris sui Germanici matri. Vno Senatusconsulto.] Vno dixit, ne alii alio tempore decreti viderentur. Patruum Claudium.] Germanici fratrem. Die virilis togæ.] Quo ille virilem togã sumpsit. Omnibus sacramentis.] Quibus Senatus, populúsque se pro sua salute adstrinxisset. Afficerẽtur.] Eodem religionis affectu consecrarentur, vt & ipsæ inuiolabiles essent. Neque me, neque liberos.] Sacramenti formula, in quam iurare populus adactus est.

Sorores eius.] Liuillam, Drusillam, & Agrippinam.

Relationibus Consulum.] Quum Consules de Republica dicturi essent, tali intellige præfatione vsos.

Popularitate.] grato omnibus decreto. Restituit.] In pristinũ statum reuocauit. Criminũ.] Quæ ad se delata essent, aut vltro alicui intenta. Residua.] De quibus nulla adhuc secuta essent damnatũ, aut iudicũ.

Omnium gratiam fecit.] Obliterata omnium memoria pœnam remisit. Cũmentarios.] Codicillos.

Testi.] Qui aduersus illos testimonium dixisset.

Conu

maneret vllus metus, conuectos in forum, & antè clarè obtestatus deos, neque legisse, neque attigisse quicquam, concremauit. Libellum de salute sua oblatum non recepit, contendens nihil sibi admissum, cur cuiquam inuisus esset, negauitque se delatoribus aures habere.

De ciuilibus gestis, & moderatione eius. XVI.

SPintrias monstrosarum libidinũ, ægrè ne profundo mergeret exoratus, vrbe summouit. Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Seueri scripta Senatusconsultis abolita, requiri, & esse in manibus, lectitariq; permisit: quando maximè sua interesset, vt facta quæq; posteris traderentur. Rationes Imperii ab Augusto proponi solitas, sed à Tyberio intermissas publicauit. Magistratibus liberam iurisdictioné, & sine sui appellatione

PHIL. COnuectos.] Comportatos.

Libellũ de salute.] Quidã obtulerat Caio libellum, in quo continebantur insidiæ, quas quidam parabant ad Caium opprimendum: ille fretus sua innocentia, & bonitate, libellum reiecit.

Admissum.] Perpetratum, peractũ.

Delatoribus aures habere.] Dictũ aureum, & verè bracteatum: quod si principes sectarentur, vita mortalium foret beatior, & tutior. Nulla enim bestia capitalior est delatoribus, & susurronibus: qui vbi in aurem principis instillauerunt aliquid de naturæ, morúmq; veneno, veteres amici, & cliẽtes fidi eliminantur, exploduntur, despoliantur. Prudenter igitur, & laudabiliter faciebat Alexander Magnus qui ex duabus auribus alteram accusatori præbebat, alteram manu obturabat, vt illa reo illibata conseruaretur. Præceptum Senecæ est, ne aures habeamus faciles criminantibus. Hoc idem præscribit Ecclesiasticus cap. XXVIII. cùm ait: Sepi aures tuas spinis.

Spintrias.] Inuentores libidinum infandarũ dictos esse antiquitus spintrias, suprà docuimus.

Summouit.] Ablegauit ab vrbe Roma.

Scripta Senatusconsultis abolita.] Dictũ est in Tyberio, quemadmodum Historicos quosdam, poetásque affecit supplicio, scriptáq; eorum aboleri iussit: nũc Caligula rationem habens & doctrinæ, & doctorum, scripta nobilium scriptorũ, quæ priùs fuerãt sublata, requisiuit, voluítque passim lectitari.

Titi Labieni.] Nomina sunt scriptorum, quorum quidẽ volumina ad nepotes non peruenerũt: sed historia ab vno (quod equidẽ sciã) Seneca explicatur digna cognitu, nec indigna relatu, pertinẽs ad huiusce rei enarrationẽ. Scribit enim in sexto Controuersiarũ, quẽadmodum res noua, & inusitata fuit, supplicium sumere de studiis: atq; istæ ingeniorum supplicia, vt libri cõburerentur, cœpisse post Ciceronẽ: quo tempore Titi Labieni scripta ex Senatuscõsulto combusta sunt: quã contumeliam non tulit Labienus, nec superstes ingenio suo esse voluit, qui in monumenta maiorum suorũ ferri se iussit, atq; illhic includi: veritus scilicet, ne ignis qui libris suis, & nomini subiectus erat, corpori negaretur. Itaque non tantùm finiuit se ipse, sed etiam sepeliuit. Idem factitatum est in libros Cassii Seueri, qui fuit amicissimus Labieni: qui quum Libri Labieni ex Senatusconsulto vrerentur, Nunc, inquit, me viuum vri oportet, qui illos edidici. Apud eundem Senecam fit crebra mentio Cremutii Cordi declamatoris præstantissimi, cuius est illa de Cicerone celebrata sententia: Proprias simultates deponendas interdum putabat, publicas nunquam. Vides Ciceronis non solùm magnitudine virtutẽ, sed multitudine quoque conspiciendam. In superioribus quoq; habita mentio est de Cremutio Cordo, & Cassio Seuero declamatoribus.

Abolita.] Non tam Interdicta, quàm igne cõbusta.

Sua interesset.] Ad suam ipsius gloriam pertineret. Quid enim gloriosius in principe esse potest, quàm rationem habere studiorum, atque operam dare, vt monumenta doctorũ, qui scribendo agũt negotia posterorũ, tradantur posteritati?

Rationes Imperii.] Pulchrum est sequi vestigia maiorum, si modò illi recto itinere præcesserint. In hoc laudabilis Caligula est, qui Augustum imitabatur in publicandis Imperii rationibus: cùm Augustus rationarium confecerit, quo rationes Imperii cõtinebantur, idq; in propatulo proposuerit: quæ res intermissa à Tyberio, restituta est per Caligulam.

Liberam iurisdictionẽ.] Libera iurisdictio tunc dicitur à principe concedi magistratibus, quando secundum præscripta legum iudicare permittuntur, nec à principe impediuntur. Merum imperium est, habere gladii potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines. Mistum imperium est, cui etiam iurisdictio inest. Prætor vniuersam iurisdictionem mandare potest, sine sui appellatione. Talis potestas præfectis prætorio concessa est, vt appellari ab eis non possit. Credidit enim Princeps, præfectos prætorio non aliter iudicaturos esse pro sapientia, ac iure dignitatis suæ, quàm ipse foret iudicaturus.

Sine sui appellatione.] Ne principem possit appellare, & dicere, Prouoco ad Cæsarem.

M. A N. VLlus metus.] Vlla futuræ vltionis solicitudo.

Conuectos.] Aut à Capreis mari aduectos: aut coniectos potiùs, hoc est, in conspectum populi medio foro proiectos.

Antè.] Priùs, quàm cremaret.

De salute sua.] De his quæ ad salutẽ suam attinerẽt.

Contendens.] Affirmans.

Spintrias.] Portentosarum libidinum repertores, seu artifices.

Exoratus.] Precibus victus.

Cassii Seueri.] Hunc Fabius inter illustres, qui Romæ fuerũt, reponit oratores: de eo quoq; Corne. plura.

Cordi Cremutii.] De Cremutio Tranquillus alibi: Cordus, inquit, Cremutius scribit ne admissum quidem vllum.

Abolita.] Extincta.

Sua.] Ad suam pertineret laudem.

Rationes Imperii.] In Augusto rationarium appellauit Commentarium de Imperii rationibus conscriptum.

Proponi.] In apertum referri.

Sine sui appellatione.] Vt ab illis ad se nulla esset prouocatio: liberam igitur dicere voluit.

conceſſit. Equites Romanos ſeuerè, curioſéque, nec ſine moderatione recognouit, palàm adempto equo, quibus aut probri aliquid, aut ignominiæ ineſſet: eorum, qui minore culpa tenerentur, nominibus modò in recitatione prætermiſſis: vt leuior labor iudicantibus foret, ad quatuor priores quintam decuriam addidit. Tentauit & comitiorum more reuocato, ſuffragia populo reddere. Legata ex teſtamento Tyberii, quanquam abolito, ſed & Liuiæ Auguſtæ, quod Tyberius ſuppreſſerat, cũ fide, ac ſine calumnia repræſentata perſoluit. Ducenteſimã auctionũ Italiæ remiſit. Multis incendiorum damna ſuppleuit: ac ſi quibus regna reſtituit, adiecit & fructũ omnium

PHIL. Palàm adempto equo.] Nota equitis hæc eſt, vt inquit Aſconius, vt equum publicum perdat, ſi aut probroſus inuentus eſſet, aut ignominioſus. Caligula in recognitione equitum hac ſeueritate vſus eſt, vt equum equiti adimeret in propatulo, qui ignominia notatus eſſet, aut probris, flagitiiſq; coopertus. In his verò puniendis exhibuit ſe moderatum, qui leuibus culpis eſſent obnoxii. Illorum enim nomina præteribat, nec vſquã nominatim cõpellabat in recitatione.

Nominibus præteritis. Tranſmiſſis, atq; ſuppreſſis. Præterea enim dicuntur nomina, quando in recitatione prætermittuntur, neque recitantur. Sicut præteritus dicitur petitor magiſtratus, qui prætermiſſus eſt, nec aſſecutus magiſtratum. Cicero: Nunc tantùm diſputo de iure populi, qui & poteſt, & ſolet nonnunquam dignos præterire: nec ſi à populo præteritus eſt, quem non oportuit, à iudicibus condemnatus eſt, qui præteritus non eſt.

Quintam decuriam.] Diximus ſuprà quemadmodum iudicum decuriæ quatuor fuerunt, diuo Auguſto ordinante, quartámque decuriam adiiciente. Caligula ad ſuperiorem numerum addidit quintam decuriam, vt iudicantes minori labore afficerentur. Quantò enim plures ordines iudicum ſunt, tantò minus laborant. Plinius tamen in XXXIII. aliam cauſam afferre videtur adiectæ per Caiũ quintæ decuriæ: quia ſcilicet gregatim inſigne annuli equeſtris appeti cœptũ erat.

Suffragia populo reddere.] Populus dominus eſſe ſolebat trium rerum, magiſtratuum ſcilicet creandorũ, legum ſanciendarum, bellorum inferendorum: author Dionyſius in ſexto: ſed Republica à Cæſaribus oppreſſa, poteſtas omnis adempta populo eſt, & in principem tranſlata. Iuuenalis:

-Iam pridem ex quo ſuffragia nulli
Vendimus, effugit curas: nam qui dabat olim
Imperium, faſces, legiones, omnia, nunc ſe
Continet, atque duas tantùm res anxius optat,
Panem, & Circenſes.-

Caligula vt ſe popularem exhiberet, tentauit reuocare priſtinum in creandis magiſtratibus morem: vt ſcilicet per ſuffragia populi crearentur.

Quanquam abolito.] Suprà dictum eſt, irritũ factũ eſſe Tyberii teſtamentum, eiúſq; extremam voluntatem, ex quo legata quoque relicta videbantur eſſe extincta, infirmatáq;: ſed Caius illa cum fide perſoluit, legatariis pecunia ſtatim numerata, cùm tamen per calumniam potuiſſet non ſoluere.

Ducenteſimam.] Ducenteſima tributum eſt, & exactio: ſicut vigeſima, quadrageſima, centeſima, & id genus alia, quæ publicanorũ fraudes excogitauerũt: cùm ex auctionibus, hoc eſt, ex publicis venditionibus ducenteſima nomine tributi exigeretur à publicanis, eam remiſit Caligula, condonauitq; populis Italiæ, ne ſcilicet ex auctionibus vllum vectigal exoluerent. In libro Annotationum noſtrarum plura perſcripſimus de hoc genus vectigalibus improbis, & exactionibus.

Incendiorũ damna.] Alibi dictum eſt, quemadmodum prædia vrbica erant obnoxia incendio, maximiſq; iacturis ex ignis violentia afficiebantur patres familiarum. Caligula ſuppleuit multis ſua liberalitate, reſarſitq; quicquid damni dederant incendia.

Affecit & fructũ.] Senſus eſt: Caligula regibus ablata per Tyberiũ regna reſtituit, & pariter fructus omnes, & vectigalia reddidit, quæ per totum id tempus, quo regno caruerant, in fiſcum redacta fuerant. Attende elocutionem inuſitatam, affecit fructũ, pro eo quod eſt, refecit, & reddidit. Malim tamen ex codice antiquo manu ſcripto, adiecit, legere: ea nanque purior, & ſyncerior lectio videtur.

M.AN. Seuerè.] Non gratiæ, non odii ratione habita.

Curioſè.] Diligenti cura.

Moderatione.] Moderata animaduerſione.

Probri.] Flagitiũ.

Aut ignominiæ.] Notæ cenſoriæ, exauctorationiſve ignominioſæ. Cicero, Cenſoris, inquit, iudicium nihil fert damnatum, niſi ruborem: ita vt omnis ea iudicatio verſetur ſolùm in homine. Animaduerſio illa, ignominia eſt. Luci. Qui te antiquis non ſinet deliciis maculam, atque ignominiam imponere.

Nominibus præteriis.] Suppreſſis, nec recitatione relatis: quod ipſum leuioris fuit notæ, quàm ſi apertè equus fuiſſet ademptus.

Quintam decuriam.] Plinius aliam adfert, quàm vt leuior eſſet indicantibus labor: Poſtea, inquit, gregatim id inſigne appeti cœptum, propterquo hæc diſcrimina Caius princeps decuriam quintam adiecit.

Comitiorum more.] Veteri comitiorum ratione: quam Cæſar Dictator, vt ſuo oſtendimus loco, partitus cum populo, comitia primus inuerterat.

Legata Tyberii.] Quæ Tyberius teſtamẽto legarat.

Quanquam abolito teſtamento.] Quod cõteſtim eo defuncto pro irrito publico decreto eſt habitum.

Sed & Liuiæ.] Legata.

Sine calumnia.] Sine cauillatione.

Ducenteſimã.] Vectigalis, ſiue tributi genus, vt quadrageſima, quinquageſima, centeſima, & alia exactionũ genera publicanorũ fraudẽ, vt Cornelii vtar verbis, excogitata. Manet, inquit ille, abolitio quadrageſimæ quinquageſimæq;, & quæ alia ex auctionibus illicitis nomina publicani inuenerunt. Plinius quoque in Panegyrico ad Traianum & ipſe viceſimæ meminit.

Incendiorum damna.] Eorum pretium, quæ incendio conſumpta eſſent.

Regna reſtituit.] Quæ à Tyberio fuerant pleriſque adempta.

Affecit.] Adiunxit, addidit.

vectigaliorum, & redituum medii temporis, vt Antiocho Comageno sestertiûm millies confiscatum. Quóque magis nullius non boni exempli fautor videretur, mulieri libertinæ * octoginta donauit, quòd excruciata grauissimis tormentis de scelere patroni reticuisset. Quas ob res inter reliquos honores decretus est ei clypeus aureus: quẽ quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, Senatu prosequente: nobilibúsque pueris, ac puellis, carmine modulato laudes virtutum eius canentibus. Decretum autem, vt dies, quo cepisset Imperium, Palilia vocaretur, velut argumentum rursus conditæ vrbis.

* octingeata

De Consulatibus per eum gestis, & de liberalitate eius ad populum. XVII.

Consulatus quatuor gessit: Primum ex Calendis Ianuariis, per duos menses: Secundum ex Calendis Ianuariis, per triginta dies: Tertiũ vsq; in Idus Ianuarii: Quartũ vsq; in septimũ Idus easdẽ. Ex omnibus duos nouissimos

PHIL. Vectigaliorum, & redituum.] Vectigalia sunt publici reditus: reditus verò sunt priuata vectigalia: & ita vtrunque distinxit, disparauitque Tranquillus perinde ac diuersa: quanuis & interdum vectigalia pro reditibus priuatis accipiantur. Horatius;

-Ego vectigalia magna,
Diuitiásq; habeo tribus amplas regibus.

Cice. Ex meo tenui vectigali aliquid etiam redũdat. Vectigaliorum dixit, ea formula, qua Saturnaliorum, Bacchanaliorum, Vinaliorum veteres dixerunt.

Antiocho Comageno.] Comagene, Syriæ pars est à qua dicitur medicamentum Comagenum, quod fit ex adipe anserum, cũ cinnamo, casia, pipere albo, & herba, quæ Comagene vocatur, obrutis niue vasis, odore iucundo, vtilissimum ad perfrictiones, conuulsiones, cæcos, aut subitos dolores.

Confiscatũ.] In fiscum ipsius Imperatoris redactum.

Nullius non.] Id est, omnium exemplorum bonorum.

De scelere reticuisset.] Laudata est monumentis Historicorum Leæna, quæ vsque ad mortem excruciata à tyrannis, non prodidit consilia Harmodii, & Aristogitonis de tyrannicidio. Quam ob rem Athenienses eam honorare volentes, animal eius nominis fecere, atque vt intelligeretur causa honoris in opere, linguam addi ab artifice vetuerunt. Epicharis quoque libertina mulier in coniuratione aduersus Neronem nominata, nullis cruciatibus, nullísque tormẽtis peruinci potuit, vt coniuratos proderet: tantáque fuit fœminæ constantia, vt illa non verbera, nõ ignes, non ira tortorum peruicerit, quin obiecta denegaret, priúsque spiritum expressit, quàm vocem ad detegendam coniorationem.

Collegia sacerdotum.] Vt puta pontificum, augurum, saliorum.

Modulato.] Musico, rhythmísque poeticis numeroso, ac venusto.

Palilia vocaretur.] Palilia sunt feriæ dicatæ Pali pastorali deæ: à cuius nomine Palilia dicta. Palilibus, qui erat dies vigesimus Aprilis, Romulus condidit vrbem Romam. Relege quæ à nobis copiosissimè scripta sunt de Palilibus in 1151. Propertii commentario. Sensus est: Tanquam iterum Roma condita fuisse videretur in Caii principatu, essétque ipse instar Romuli alter vrbis conditor: ideo decretum est, vt Palilia dies ille appellaretur, quo accepisset Imperium. Palilia numero tantùm plurariuo, & neutro genere dicuntur, sicuti Saturnalia, Paganalia, Vinalia, & id genus alia.

Septimum Idus easdem.] Vsq; ad septimum diem Ianuarii.

Nouissimos.] Vltimos Consulatus. M. Varro lib. 15. de lingua Latina ad Ciceronem sic inquit: Quod extremum dicebatur, est dici nouissimum cœptum vulgò: quod mea memoria & Lælius, sic senes alii, quòd nimis nouum verbũ esset, vitabant: cuius origo, vt à vetere vetustius, & vetertimum, sic à nouo declinatum nouius, & nouissimũ. Aul. Gellius asserit lib. 10. Noctium Atticarum, Marcum Ciceronem abstinuisse verbo isto nouissimo, & nouissimè, tanquam non Latino: sed, quod sit cum honore multo dictum, Aul. Gellii hominis doctissimi, id minimè verum videtur: cùm apud Ciceronem hanc dictionẽ, quæ est nouissimus, inuenerimus: cuius verba ex Oratore adscribenda putaui, quæ hæc sunt, nisi mendum sit in codicibus: Nec in hac modò re, quæ ad vulgi sensum spectet, & ad aurium voluptatem, quæ duo sunt ad iudicandum nouissima. Sed quod semel & rarenter dicitur, penè nunquàm dici videtur: sicut existimat Pedianus dictũ esse de Crasso, quòd semel riserit, quia pene nonquam risit. Et ita fortassis sensit Gellius, nouissimum à Cicerone non vsurpari, quia semel tantùm vsurpatur.

M. AN. Medii temporis, quo ille regni possessione caruisset.

Antiocho Comageno.] Alium intelligas oportet, & ab eo diuersum, qui, vt Ioseph. scribit, Tyberii principatu periit, post cuius obitum ob discordiam plebis, & nobilium Germanicus in Orientem fuerat missus. Comagena autem regio est Euphrati proxima, vt Plinius refert, cui Strabo adstipulatur: Deinde Euphrates, inquit, ad austrum flexus confiniis iungitur Cappadocum, quæ ad dexteram relinquit, ad sinistram Comageoorum confinia.

Confiscatum.] Fisco illarum.

Nullius non.] Omnium.

Clypeos aureus.] Ab eo, vt ait Seruius, quòd veteres clepere forari dixere: quia celet, & occultet totum corpus. Plinius ab eo affirmat dictum, quòd sculptum sit imaginibus, qualibus armis pugnatum sit ad Troiam.

Palilia.] Quæ ad duodecimũ Calen. Maii celebrabantur. Plutarch. Pridie illius diei, quo Roma condita sit, Palilia celebrata tradidit.

Duos nouissimos.] Consulatus.

Negligentia.] Quod patrium morem negligeret.

Lugd

coniunxit. Tertium autem Lugduni iniit solus: non, vt quidam opinantur, superbia, negligentiáve, sed quòd defunctum sub Calendarum diem collegam rescisse absens non potuerat. Congiarium populo bis dedit trecenos sestertios: toties abundantissimum epulum Senatui, equestríque ordini, etiam coniugibus, ac liberis vtrorunque. Posteriore epulo, forensia insuper viris, pueris, ac fœminis fascias purpuræ, ac conchylii distribuit. Et, vt lætitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adiecit diem Saturnalibus, appellauítque Iuuenalem.

De spectaculis per eum editis. XVIII.

MVnera gladiatoria partim in amphitheatro Tauri, partim in septis aliquot edidit, quibus inseruit cateruas Afrorũ, Campanorúmque pugilum ex vtraque regione electissimorum. Neque spectaculis semper ipse præsedit, sed interdum aut magistratibus, aut amicis præsidendi munus iniunxit. Scenicos ludos & assiduè, & varii generis, multifariàm fecit: quosdam & nocturnos, accensis tota vrbe luminibus.

PHIL. Lugduni.] In Gallia, io ciuitate Lugdunensi, cuius conditor fuit Munatius Plancus prætor insignis, cùm Galliam regeret Comatam. Lugdunensis colonia temporibus Senecæ tota iocendio exosta est: vnde ait libro decimoquarto Epistolarum: Lugdunũ, quod ostendebatur in Gallia, quæritur. Dictio mendosa est in ea epistola: nã vbi scribit, Lugdunum coloniam deductam fuisse à Planco, impressores pro Planco Platooe impresserunt.

Sub Calendarum diem.] Ianuarias intelligit, quo die inite solebaot Consulatum.

Rescisse.] Rescire propriè est cognoscere ea, quæ ad nos, & nostra pertinens, vt docet Donatus. Gellius verò existimat, quòd is proprie dicatur rescire, qui factum aliquod occultius, aoe inopinatum, insperatúmque cognoscit.

Trecenos sestertios.] In congiario Imperatorio nummi viritim dabantur: de qoo in superioribus satis multa.

Toties.] scilicet bis.

Forensia.] Vestimeota, quibus in foro vtimur, forensia veteres appellauerunt: sicut cœnatoria, quibus in cœna vtebantur: de his dictum est in Aogusto.

Fasces.] Fascias potiùs lege quàm fasces: vt sit sensus, viris distributa fuisse vestimenta forensia: poeris verò, & fœminis fascias porpureas, atque coochyliatas. Et propriè fasciæ pro tegumento crurum, pedúmque vsurpabantur: vnde tales fasciæ crurules, pedulésque nuncupantur. Vlpianus, Fasciæ, inquit, crurules, pedulésque vestis loco sont: quia partem corporis vestiunt. In Pompeium, tanquam regnum affectantem, dictum est, eum diadema io crure gestare: cùm fasciola crus obligaret vlceris tegendi causa. Scribit Plinius in octauo mures portendisse exitium Carboni Imperatori, arrosis fasciis, quibus io calceatu vtebatur. In alio significatu fascias zonas appellamus. Martianus in Geometria: Orbis terræ in quinque zonas, siue meliùs fascias discernitur. A fascia adoerbium est fasciatim. De conchylio, & conchyliata veste dictum est in primo Commentario.

Saturnalibus.] Numero Saturnalium, quorum dierum numerus varius fuit, vt suprà dictum est. Sed cùm quinqoe dies, vel septem fermè ab omnibus attribuãtur Saturnalibus, effecit Caius vt essent sex, vel octo dies Saturnaliorum.

Iuuenalem.] A iouene non solùm iuuenilis, sed etiã iuuenalis deriuatur. Plinius: Sulpitius Galba iuuenalem famam apud principem popinarum pœnis aucuparetur. Iuuenalem appellauit diem quasi à iuoenili ætate peculiariter celebrandum. De Iuuenalibus ludis dicetur in posterioribus.

Tauri.] Statilii Tauri, à quo amphitheatrum hortante Augusto, extructũ est.

Septis.] Septa fuisse in Campo Martio alibi docuimus.

Cateruas Afrorum.] Propriè caterua dicitur legio Gallorũ, sicut phalanx Macedonum. In caterua, authore Vegetio, erant sena militum millia. Hic cateruas accipimus pro multitudine cateruatim depugnante.

Præsedit.] Tanquam præses, & agonotheta.

Ex vtraq; regione.] Ex Africa, & Campania.

Multifariàm.] pluribus in locis.

REscisse.] quũ procul abesset tã citò collegã extinctum cognoscere non potuit: quippe qui sub ipsum Calendarũ diẽ, quo magistratus erat ineũdus, decessisset.

Trecenos sestertios.] Congiarii rationem expressit, sed trecenos viritim datos accipe.

Vtrorunqoe.] Senatorii, & Equestris ordinis.

Forensia.] Togã ad forensem vsum: vel, vt alii existimant, qua foris extra domum vtebantur.

Fascias purpuræ.] Quòd ex conchylio, aot purpura fasciæ fierent, Iolios Capitolinus demonstrat: Porpureã, inqoit, matris fascia est illigatus. Quòd trinæ item lanæ donarentur, Martialis in Apophoretis docet:

Nos Lacedæmoniæ pastor donauit amicæ.
Deterior Ledæ purpura matris eras.

Nec eo inficias & fascias donari solitas. Idẽ author:

Fascia crescentes dominæ compesce papillas.

Sed purpureæ'ne illæ essent in dubium venit.

Diem Saturnalibus.] Vnus ab initio fuit Saturnaliorum dies: inde in triduum sacra propagata, ob dies huic mensi à Cæsare adiectos: deinde Augusti edicto trium dierum feriæ sons Saturnalibus tributæ, ita vt in septimom diem prorogarentur: vno nouissime à Caligula die addito, octo dierum esse cœperunt: cætera ad ipsos dies attinentia Macrobius abundè explicat.

Iuuenalem.] In iouenum, credo, gratiam, vt longiùs adhuc ea ætas lasciuiret.

Inseruis cateruas.] Cateruarios pugiles immiscuit, cateruariorum pugilum spectacula, eorum scilicet, qui cateruatim pugnabant.

Miss

Sparsit & missilia variarum rerum, & panaria cum obsonio viririm diuisit. Qua epulatione equiti Romano contra se hilariùs, auidiusque vescenti, partes suas misit. Sed & Senatori ob eandem causam codicillos, quibus prætorē eum extra ordinem designabat. Edidit & Circenses plurimos à mane vsq; ad vesperam, interiecta modò Africanarū venatione, modò Troiæ decursione: quosdam autem præcipuos minio, & chrysocolla constrato Circo: nec vllis, nisi ex Senatorio ordine

PHIL. Missilia variarum rerum.] Missilia veteres dixerunt munuscula multiiuga, quæ Consules, Imperatoresve in vulgus iactare cousueuerunt: quæ statim sunt eorum, qui exceperunt, quanuis iguoretur quid eorum quisq; sit excepturus. Cuius rei mentio fit apud Iurisconsultos in libro II. Institution. Aliàs missilia dicū tela, quæ mittūtur in pugnā, nemo est qui nesciat.

Sparsit.] Significantissimo verbo vsus est. Etenim talia spargebantur inter populares: & ideo sparsio eleganti vocabulo nuncupata est à Papinio laudante missilia, quę in populum Romanum sparsit Domitianus Imperator. Sic enim ait in primo Syluarum,

Diues Sparsio quos agit tumultus.

Quem locum interpretes malè legunt, & peius interpretantur. Fiebat & sparsio liquoris odorati in spectaculis: de qua ait Seneca in II. Quæstionum: Nunquid dubitas, quin sparsio illa, quæ ex fundamentis mediæ arenæ excrescens in summā altitudinem amphitheatri peruenit, cum intensione aquæ fiat? Idem quoq; in sexto Controuersiarum, Musam rhetorē irridet, qui pro sparsionibus odoratoriis imbres dixerat, putide, & affectatè nimis. Panaria.] Panarium, cuius diminutiuū est panariolum, ea figura dicitur, qua granarium, qua penusarium, qua calamarium: hæc enim omnia dicuntur repositoria earum rerum, à quibus inclināttur. Pauaria ab Imperatoribus diuidi populo solita esse Historici testantur, & celebrant poetæ. Hinc illud Martialis:

Cum panariolis tribus redisti.

Et infrà dicet Tranquillus, panaria Senatoribus, equitibúsq; cū obsonio distributa fuisse à Domitiano. Nos hodie quoque lingua vernacula vocitamus panaria, & panariola, cistas, & cistellas ex viminibus contextas.

Epulatione.] Epulo publico. Hilariùs.] Esuritio facit vt cum hilaritate, & voluptate vescamur. Optimum enim obsonium est fames. Auidiùs.] maiori auiditate, atq; edacitate. Difficulter digeruntur, &, vt vtar verbo Pliniano, perficiuntur omnia in cibis auidè hausta. Partes suas misit.] scilicet obsonii: vt ille, qui auidiùs vescebatur, posset duplicato obsonio explere ésuritionem: quod & honoris causa fieri solet. Cyrus, vt elegāter tradit Xenophon in octauo Pædiæ Cyri, si quē ex amicis vellet à multis coli, & honorari, ad eum mittebat partes cibariorum ex mensa. Illos enim maxime cq sunt, quibus videant aliquid mitti à mensa regis, eósq; existimant esse honorificos, & regi in primis charos.

Codicillos.] Tabellas misit Senatori, quibus eū declarabat prætorem, ob eam scilicet causam, quòd cū hilaritate, & appetētia auidiore vescebatur: secutus Plantini Parasiti documentum, qui ait in Trinummo, verecundari neminem decere apud mensam. Africanorū venatione.] In libro Annotationum nostrarum hunc locum enarrantes docuimus, Africanarum legendū esse, non Africanorum. Sunt autem Africanæ Pantheræ, & Variæ nominantur: de quibus hæc Plinius: Senatusconsultum fuit, ne liceret Africanas in Italiam aduehere. Ab Africa dictæ Africanæ, quoniā id genus in ea regione creberrimū fuit. Præcipuos.] Ludos scilicet edidit Circenses. Minio, & chrysocolla.] Miniū foditur ex gleba subrufo colore. Vitiatur minium admista calce. Faberius scriba cùm in Auentino voluisset habere domum eleganter expolitam, parietes induxit minio: qui post dies triginta facti sunt inuenusto, varióq; colore: et, vt author est Vitruuius in septimo, parietes passim expolitione miniacia expoliebantur. Plinius in XXXIII. minium inter pigmenta maximæ fuisse authoritatis apud Romanos tradit, apud quos facies simulacri Iouialis minio illini solebat. Corpora quoque triumphātium minio illinebantur. Sic Camillū triumphasse, author est Verrius. Censores in primis Iouem miniandum locabant. Ad hoc allusisse existimo Ciceronem in epistola ad Papyrium scripta, in qua sic ait: Aut etiam Polypū Miniani Iouis similē, crede mihi, non audebis. Figmenta quædā absurda super eo loco ab enarratoribus Tullianarum epistolarum dici solent: cùm festiuiter signare voluerit, polypum piscem in mensa coctum apponi solitum colore miniacio, quali colore cammari quoq; cocti visuntur. Et ob id dixit polypum similem Iouis Miniani: hoc est, rubentem ex coctura, vt rubet Iouis simulacrum ex illitu minii, quādo à censoribus locabatur miniandus. Miniaria dicuntur metalla, venæq;ue, in quibus minium conficitur. Chrysocolla verò, vt interpretatur Plinius, humor est per venam auri deflués. In metallis ærariis, argētariis, plumbariis inuenitur. Est & factitia chrysocolla multùm infra illam naturalē. Nero princeps in spectaculis arenam Circi chrysocolla sterni voluit. Vsus chrysocollæ est in medicina, & in pictura. Eam quoque aurifices sibi vendicant agglutinando auro: & inde omnes appellatam similiter vtentes dicunt. Scribit Vitruuius, parietes antiqnitus induci solitos chrysocolla. Caligula vt Circenses ludos faceret honorificentiores, pro arena consternebat Circum minio, & chrysocolla: cùm minii arena rubens sit, chrysocolla cærulei coloris. Quod iudicat Vitruuius scribés pro chrysocolla infici cæruleum herba, quæ luteum appellatur. Plinius dixit summam cōmendationis in chrysocolla esse, vt colorem herbæ segetis lætè virētis quàm simillimè reddat.

M. AN. Missilia.] Munuscula, quæ in vulgus spargebantur. Qualis eorum esset ratio Caius Iureconsultus significanter scribit: Missilia, inqnit, illi iactant in vulgus, transferunt rei proprietatem: ignorant enim qnid horum quisque excepturus sit. Papinius lib. I. Syluarum:

Largis gratuitum capit rapinis. & rursus:

Qualis per cuneos hyems Latinos

Plebem grandine concutit serenam.

Erant propriè missilia, munera, quæ à principibus spargebantur populo: vt velaria linea, odores, vnguenta, & alia huiusmodi. Panaria.] Papinius lib. Syluarū I.

Hi panaria, candidásque mappas

Subuectant, epulásque lautiores.

Quibus verbis datur intelligi, panaria cū obsoniis dari solita. Snnt enim panaria, vasa ad ferendas dapes ex viminibus facta. Sabini hodie qnoque minores cistas panaria, & panariola appellant. Obsonio.] Carne, caseo,

aurigantibus. Commiſit & ſubitos, quum lege Luciana apparatum Circi proſpicientem pauci ex proximis menianis poſtulaſſent.

De nouo genere ſpectaculi per eum edito. XIX.


Ouum prætereà, atque inauditũ genus ſpectaculi excogitauit. Nam Baiarum

ſeo, piſcibus, aliiſve eſculentis ad prandium, ſiue cœnã, vltra panis vſum, inſtruendam.

Partes ſuas.] Obſonium ſibi deſtinatum.

Ob eandem cauſam.] Quia auidiùs, hilariúſq; veſceretur. Extra ordinem.] Extraordinario iure.

Africanarum venatione.] Hoc magis placet, quàm ſi Africanorum, aut Afrorum, vt quidã habent, legas: quanquam id genus hominum ad venationes ipſas non inhabile. Plin. Pugnauerũt in Circo viginti elephantes: aut, vt alii quidam dicunt, ſeptendecim, Getulis ex aduerſo iaculantibus. Luca. -Aut alter poſt ictum ſæuior vrſa Quum iaculum parua Lybs amentauit habena. Item Tranquillus alibi Afros venationibus adhibitos ait, niſi fortè eum quoq; locum mendoſe legi arbitremur. Cæterùm Africanæ pantheræ dicuntur ab eo, credo, quòd, vt ſcribit Plinius, plurimùm in Africa capiantur: quanquã & in Syria, vt idem ait, naſcuntur. Eas, vt idem author docet, Varias item & pardos, qui mares ſunt, appellant. Quòd Africanæ ſint dictæ, vetus Senatuſconſultum ab eodem Plinio relatum perſpicue demonſtrat: Senatus, inquit, conſultũ fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam aduehere. quanquã nõ eo inficias poſſe in vniuerſum de omnibus feris, quæ ex Africa adueherentur, id dictum videri: ſed pro pantheris tantùm Africanas libentiùs acceperim.

Quoſdam præcipuos.] Ludos ſcilicet.

Minio.] Minium in argentariis, vt Plinius libro XXXIII. cap. VII. ſcribit, concreſcit, à Callia Athenienſi Inuentũ, initio ſperãte aurum poſſe excoqui arena rubente in metallis argẽti. Apud Romanos olim, vt Verrius tradit, ſacræ etiam religionis fuit, quòd Iouis facies diebus feſtis eo illini conſueſſet: necnon & triumphantium corpora, Camillum affirmans ita triũphaſſe.

Chryſocolla conſtrato Circo.] Plinius ait à Nerone id factum. Viſum eſt, inquit, iam Neronis principis ſpectaculis arenam Circi chryſocolla ſterni, quum ipſe cõcolori pãno aurigatus eſſet. Eſt chryſocolla nil aliud quàm vena putris in puteis per auri venam defluens. Nomen ipſum à glutinando auro factũ Plin. exiſtimat.

PHIL. AVrigãtibus.] Inſtar aurigarũ currus regentibus.

Commiſit & ſubitos.] Caios quemadmodum Circenſes quoſdam præcipuos ediderat. Idem etiam quoſdam commiſit ſubitarios, & repentè factos: quos ob id ſubitos appellat. Commiſit, verbum eſt ludis accommodatum. Vergilius:

Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos.

Cum lege Luciana.] Lex hæc cauebat de exhibẽdo Circi apparatu. Cùm igitur Caius proſpiceret an Circi apparatus eſſet ex præſcripto Lucianæ legis, quidã poſtulauerũt à principe vt ſubitos Circenſes edere vellet.

Ex proximis menianis.] Diuus Hieronymus in interpretatione Pſalmorũ enarrans illud ex Pſalmo CI. Factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto: quid meniana ſint, apertè declarat: cuius verba ſunt hæc: Palæſthina & Aegypto, vbi vel ſcripti ſunt diuini libri, vel interpretati, non habent in tectis culmina, ſed domata: quæ Romæ vel ſolaria, vel meniana vocant, id eſt plana tecta: quæ tranſuerſis trabibus ſuſtentantur. Ex hoc autem ædificii genere, quod erat in foro, ludi ſpectabãtur: quod indicat Feſtus ſic ſcribens: Meniana ædificia à Menio ſunt appellata, qui primus in foro vltra columnas tigna proiecit, quo ampliarentur ſuperiora ſpectacula. Porphyrio enarrans illud Horatianum,

Menius abſentem Nouium cùm carperet.- ait, Menium ſcurrilitate notiſſimum, poſt abroſum patrimonium vendidiſſe domum, quam habuerat ad forũ ſpectantẽ, vna ſibi excepta colũna, vnde gladiatores ſpectaret, quæ ex eo Menii columna nominabatur: cuius & Lucilius ſic meminit: Menius cùm columnam peteret. Idem tradit Pedianus Aſconius, dum explanat illud ex diuinatione Ciceronis, Potiùs, quàm aliquos à columna Menia noſtri ordinis reperiaris. Tulliani codices pro columna Menia, impreſſum habent colũna ænea. Fortaſſis ab hoc Menio meniana dicta ſunt ſolaria illa: &, vt appellat Hieronymus, plana tecta, quæ Græci δώματα nuncupant. Nanq; Menius ſuper columna, cuius ius ſibi exceperat, tectum proiecit, & tabulata: vnde & ipſe, & poſteri eius ſpectare munus gladiatorum poſſent, quod etiam tum in foro dabatur. Iabolenus Iuriſcõſultus, qualia forent meniana ſignificat, ſic ſcribens: Inter proiectum, & immiſſum hoc intereſſe ait Labeo, quòd proiectũ eſſet id, quod ita proueheretur, vt & nuſquã requieſceret: qualia meniana, & ſuggrundia eſſent. Libro quoq; XLIIII. Digeſtorum meniani fit mentio his verbis: Cum quidam velum in meniano immiſſum haberet, quod vicini luminibus officiebat, vtile interdictum competit. Accurſius non abſurdè (quod miror) menianum expoſuit pro ſolario. Vulgò quoque Romani meniana vocitant ſermone vernaculo. A meniano dici videntur meretrices ſubmenianæ à Martiale, tanquam ſub menianis Circenſibus habitarent, quum ſic ait, Submenianas cœnet inter vxores.

AVrigantibus.] Bigas, quadrigáſve agitantibus.

Subitos.] Ludos potiùs, quàm gladiatores, vt præcipuos illos maiore apparatu, hos tumultuoſè editos accipias. M. AN.

Lege Iouiana.] Alii Luciana habent. Ordo erit, Edidit & ſubitos, cùm pauci ex proximis menianis Iouiana lege id Caium poſtulaſſent, Circi apparatũ proſpicientem. Qualis eſſet ea lex, aut à quo lata, parũ adhuc compertum habeo: quanquam ſi legem cum apparatu iungas, non defuturos ad quos coniectura legẽ referre poſſis: ſi quidem L. Claudius, L. Cinna, L. Murena, alii alia ratione ludorum & ſcenæ apparatum variarũt. Sed quia de Circenſibus nunc agitur, L. Tarquinios eos ludos magnificentiùs, opulentiúſq; quàm cæteri reges inſtruxit, & Circũ deſignauit: ſed ſuſpicari libet legem omnino recentiorem fuiſſe.

Ex proximis.] Circo accubantibus.

Menianis.] Meniana ædificia ex tabulis compacta in podiorum ſpeciem: imò eadem, quæ & ſublimiora podia: etenim quæ Veneti podiola dicunt, Romani meniana vulgò appellant. Feſtus à Menio conditore Craſſi collega rei nomen datum credidit. Valerius: C. Licinius Macer vir Prætorius, Calui pater, repetundarum reus, dum ſententiæ dicerentur, menianum aſcendit. Meretrices meniano proximè quæſtum faciebant. Martialis: Raráq; ſub Menii fornice rima patet. Et alibi ſubmenianæ quæſtuariæ puellæ ab eodẽ dicũtur.

Poſtulaſſent.] Ipſum Caligulam Circi apparatum proſpicientem, vt ſubitarios ludos ederet.

Baiarum interuallum.] Quod trecentis ſtadiis cõ-

medium interuallum, & Puteolanas moles, trium millium & sexcentorum ferè passuum ponte coniunxit, contractis vndique onerariis nauibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, superiectóque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem vltro citro cômeauit, biduo continenti. Primo die phalerato equo, insignísque quercica corona, & securi, & cetra, & gladio, aureáque chlamyde. Postridie quadrigario habitu, curriculóq; biiugi famosorum equorũ, præ se ferens Darium puerum ex Parthorum obsidibus, comitante prætorianorum agmine, & in essedis cohorte amicorum. Scio plerosque existi-

stat, vt Iosephus scribit, sed quadraginta circiter stadia patet ea intercapedo, id Tranquillus demonstrat. Sensus est: Lucrini sinus interuallum, qui medius est inter Baias, & Puteolos pôte iunxit. Auernus, vt Strabo perspicue docet, intra Lucrinum, id est, introrsum est repositus. Baiæ à Baio Vlyssis socio dictæ. Silius: -Sedes Itacesia Baii.

PHIL. Medium interuallum.] Huius historiæ sic meminit Sextus Aurelius: In spatio triũ millium, quod in sinu puteolano inter moles iacet, duplici ordine naues cõtexens arena aggesta ad terræ speciẽ, viã solidatam phalerato equo, insignísq; querna corona, quasi triumphans indutus aureo paludamento curru biiugi decucurrit.

Moles Puteolanas.] Quæ exædificatæ sunt in sinu Puteolano.

Ordine duplici.] Vt pons ita fieret latior, & firmior.

Ad anchoras.] Anchoram primi Tyrrheni inuenerunt. In anchoralibus vsus corticis ex subere præcipuus est: author Plinius in XVI.

In Appiæ formam.] Secundum posituram Appiæ viæ: de qua alibi plura.

Biduo continenti.] Duobus diebus continuis. Q. Curtius: Continenti fronde tectæ arbores, pro perpetua. Item: Omnia velut continenti incendio ardere visa. Inde fit aduerbium continenter, quod significat iugiter, & perpetuó. Cæsar: Belgæ cum Germanis bellũ continenter gerunt.

Equo phalerato.] Phaleris culto. Suprà docuimus, phaleras dici ornamenta tam militum, quàm equorũ.

Quercica corona.] Ex quercu facta, quam quernam frequentiùs nominamus: de qua áffatim diximus in principio Commentariorum.

Et cinctura.] Vetus codex, eóque castigatior, non cinctura habet, sed cetra. Est enim cetra scutum breue loreum, quo, vt inquit Seruius, vtuntur Afri, & Hispani: hinc cetrati dicti milites cetris ornati. Apud Historicos, & in primis apud Cæsarem & Liuium crebra fit mentio cetratorum. A Silio quoque dictum est:

-Barbarica plaudentem carmina cetra.

Quadrigario habitu.] Quo vtitur auriga quadrigarum.

Curriculóque biiugi.] Curriculum, authore Prisciano, masculino genere, & neutro dicimus, diminutiua forma à curru. Quintus Curtius: In fluuium præcipitauere curricula. Curriculum quoque pro cursu accipi, testis est Cicero, qui ait in oratione pro Caio Rabirio: Exiguum nobis vitæ curriculum Natura circunscripsit, immensum gloriæ. Curriculò, aduerbium est, & significat cursim. Gellius: Quin is curriculò? dictio est Plauti peculiaris.

Biiugi.] A duobus equis ducto, quæ biga dicitur. Vergilius quadriiugos à numero currus appellauit:

Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

Famosorum equorum.] Qui in cursura erant clarissimi: qualis apud Martialem irpinus: apud Iuuenalem corita: apud Silium lampus. Inter generosos equos numerantur equæ Milciadis, & Cimonis, & podarge Achillis, arion Adrasti, cyllarus Castorum. De equis, qui in Circo currunt, ita scribit Plinius libro octano, cap. XLII. Diuersa Circo ratio quæritur. Itaque cùm bimi in alio subigantur imperio, nõ ante quinquennes ibi certamen accipiunt. Marcus quoque Varro de equis scribens tradit, alios idoneos esse ad militiã, alios ad cursuram. Itaq; peritus belli alios eligit, alios quadrigarius.

Præ se ferens.] Ante se ferens, & in promptu ostentãs.

In essedis.] De essedis, & essedariis scripsimus abũdè in secundo Propertii commẽtario, illum versiculum enarrantes,

Esseda cælatis siste Britanna iugis.

Sunt enim esseda Gallorum vehicula. Horatius tria genera vehiculorum vno versu complexus est:

Esseda festinant, pilenta, petorita, naues.

Cohorte amicorũ.] Scilicet comitante: quæ cohors prætoria peculiariter dici solet: de qua ait Catullus:

Pisonis comites cohors inanis.

M. AN. AD anchoras.] Ad anchorarũ alligationem, & tenacitatem.

Appiæ viæ.] Bene Appiæ formam dixit, & non alterius, quum pleræque etiam illustres viæ ab vrbe procul ducerent, vt Latina, Valeria, Flaminia, Aemylia: sed Appia secus mare eo tractu fuit, vt Strabo ait: quasi diceret, continuata mediis aquis viæ rectitudine, ac forma, quæ alioqui Lucrini lacus interuentu ad læuam inflectebatur.

Phalerato.] Phaleris ornato.

Insigni.] Magnitudine scilicet, aut præcipuo decore.

Quercica.] Dicitur & querna, à quercu, quæ eadem & ciuica est.

Cetra.] Scuto. Est enim cetra, vt Marcellus interpretatur, scuti genus, Varronẽ sequutus: quem ita scripsisse ait: Qui rotundam facere cetram queat. Apud Liuiũ quoque cetrati milites leguntur.

Quadrigario habitu.] Quali quadrigarum agitatores vti consueuere.

Biiugi.] Bigas habenti.

Famosorum.] Illustrium. In bonã partem accipias necesse est: nisi peruicacium, & calcitronum intelligas: quos stultum fuisset iungere in tam discriminosa aurigatione. Posset non ineptè & formosorum legi, à qua sanè lectione non abhorreo.

Præ se ferens.] Alióne curru, an eodem ante se locatum dicat, an potiùs Darii effigiem persona & habitu imitatus, in dubium venire potest.

Prætorianorum agmine.] Prætorianis militibus composito agmine comitantibus.

In essedo.] Vehiculo. Vergilius:

Belgica vel molli meliùs feret esseda collo.

Cohorte amicorũ.] Qui illum Roma proficiscentem officii gratia fuerant sequuti.

Aemul

masse, talem à Caio pontem excogitatum æmulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquantò angustiorem Hellespontum contabulauerit. Alios, vt Germaniam, & Britanniam, quibus imminebat, alicuius immensi operis fama territaret. Sed auum meum narrantem puer audiebã, causam operis ab interioribus aulicis proditã, quòd Thrasyllus mathematicus anxio de successore Tyberio, & in verum nepoté proniori, affirmasset, non magis Caium imperaturũ, quàm per Baianum sinum equis discursurum.

De spectaculis per eum peregrè factis. XX.

EDidit & peregrè spectacula in Sicilia, Syracusis hasticos ludos, & in Gallia Lugduni miscellos. Sed & certamen quoque Græcæ, Latinæq; facundiæ: quo certamine ferũt

PHIL. AEmulatione Xerxis.] Historia notissima est, quẽadmodum Xerxes ex Asia traiecturus in Europã cum innumeris copiis, pontem in nauibus constrauit super angustias Hellesponti: & ita traduxit exercitum. Lucanus: Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem Construxisse vias, multũ cum pontibus ausus. Sidonios de Xerxe ait:

Vt pontum sub ponte daret.

Lege quæ scribit Herodotus in Polyhymnia, de ponte bis à Xerxe constructo super Hellespontũ, cùm primos pontes tẽpestas dissoluisset. Trãsiuit eius exercitus septem dies per pontem, totidémq; noctes, nullo tempore intermisso: Xerxes ipse postremus omniũ transiuit. Lingua Græca Xerxes idẽ pollet quod bellator: Artaxerxes, quod magnus bellator.

Angustiorem Hellespontũ.] Angustias Hellesponti septem stadiorum interuallo Historici, Geographíque dimetiuntur.

Contabulauerit.] Ex nauigiis, atq; materia contexerit. Ab interioribus aulicis.] Aulicos interiores intelligimus cultores aulæ Palatinæ, chariores principibus, & qui arcana secretiora nouerunt.

In verum nepotem.] Diximus suprà, Tyberium habuisse duos nepotes, hũc scilicet Caium Caligulam, qui erat per adoptionem, nõ iure naturæ, nepos: & alterum nomine Tyberium Gemellum, quem verum appellat, vt pote ex Druso eius filio genitum, cui Imperium relinquere in primis cupiebat: vt superiùs est explicatum ex authoritate Iosephi.

Per Baianum sinum.] Volens mathematicus ostendere Tyberio esse impossibile quòd Caligula vnquã imperaret, ab impossibilitate duxit argumentũ, dicens quòd quemadmodum per aquas Baianas equis discurrere naturaliter homo non potest, nec possibile est, ita nunquam Caium imperaturum: sed Caius, vt refutaret dictum mathematici, quod impossibile videbatur, id possibile esse demonstrauit, cùm per biduum in equo discurrisset per Baianum sinum ponte constructo.

Hasticos ludos.] Hastici ludi dicuntur ab eo, quòd hastis cõficiũtur: sicut gymnicos vocamus ex eo, quòd in his nudi corpus exercent. Quidam codices habent Atticos: vt sit sensus, ludos editos esse à Caligula, quales Athenis edebantur. Et quia commentatoris officiũ est, non solùm explicare quid ipse sentiat, sed etiã quid aliis videatur, enarrare, quidam Actiacos ludos legendum esse cõtendunt, intelligẽtes de his ludis, quos Augustus, Antonio, & Cleopatra profligatis apud Actium Epiri promontorium, quinquẽnales instituit. Ego existimo simpliciter legendum esse hasticos, tanquam hastis militari more confectos.

Miscellos.] Miscellanei ludi à miscendo inclinari videntur, tanquam ex multiiugis ludicris, variisque commisti. Sic Gellius in calce Noctium Atticarum doctrinã miscellam eleganter appellat, quæ multiplicem, & variã rerum cognitionem complexa est. Apuleius quoque in III. de Asino aureo, turbã vocat miscellaneam, quæ confusanea est, atque commista ex collunione gentium variarũ: quãuis quidã Apuleiani codices non miscellaneam turbam, sed misellaneam scriptum habeant: tanquã significare voluerit turbam miseram, & miserabilem, inclinato nomine à misero. Iuuenalis horũ ludorũ, quos Tranquillus Miscellos nũcupat, meminisse videtur illo versu, Sic veniũt ad miscellanea ludi. Præterea, ne hoc quoque indictum relinquamus, Miscellos ludos non ineptè possumus intelligere athleticos, tanquã dictos à Miscello Crotonis conditore, in qua ciuitate athletæ plurimi floruerunt, quorum celeberrimus extitit ille Milo, de quo cecinit Ouidius in XV.

Flétque Milo senior, cùm spectat inanes
Illos, qui fuerant solidarum more ferarum
Herculeis similes, fluidos pendere lacertos.

De Lugduno iam dictum est, à cuius nomine pars Galliarum Lugdunensis nuncupatur.

ANgustiorem Hellespontũ.] Herodotus ait Xerxem Sestum Abydo iunxisse, quà maris angustiæ septem patebant stadia, nec amplius. M. AN.

Quibus imminebat.] Quas bello aggressurus erat.

Interioribus aulicis.] Secretiora aulæ tenentibus.

Thrasyllus.] Tyberii familiaris.

Anxio.] Solicito.

Verum nepotem.] Tyberium, Druso Tyberii filio genitum. Verum dixit ad Caligulæ differentiam, qui ex Germanico adoptiuo filio fuerat natus.

Discursurũ.] Tanquã ab impossibili argumentatus, illum non magis imperaturum dixit, quàm per altos fluctus equo vehi potuisset: ad quod præsagium diluendum equo transuectus est.

Atticos ludos.] Alii hasticos habent. Ego Actiacos potiùs lego: quorum origo, & celebritas in Augusto exposita est. Si hasticos legas, non video quid sibi cum nouo verbo Tranquillus velit, nisi sit ab hasta factum: sed ipse, vt alibi, Xysticos dixisset: & est ἄϛυ ciuitas. Si verò Atticos, notum est, quatuor in Græcia celebrari solita certamina, Olympica, Isthmia, Pythia, & Nemeæ: Attica nemo, quod sciam, tradidit.

Lugduni Miscellos.] Lugdunum in Gallia circa confluentem Araris & Rhodani Trebatius condidit: fuerunt ibi aræ duæ sacratæ, quarum Plinius & Strabo meminerunt. Ludorum rationem Iuuenalis per transitum attigit sic:

Palleat vt nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

victoribus præmia victos contulisse, eorundem & laudes componere coactos. Eos autem, qui maximè displicuissent, scripta sua spongia, linguáve delere iussos, nisi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluissent.

De operibus publicis per eum editis, & peractis. XXI.


Pera sub Tyberio semiperfecta, templũ Augusti, theatrúmq; Pompeii absoluit. Inchoauit autem aquæ ductum regione Tiburti, & amphitheatrum iuxta septa: quorum operum à successore eius Claudio alterum peractum, omissum alterum est. Syracusis collapsa vetustate mœnia, deorúmq; ædes refectæ. Destinauerat & Sami Polycratis regiam restituere, Mileti Didymeũ peragere, in iugo alpium vrbem con-

PHIL. Victoribus præmia victos.] Satis pœnarum, satísq; præmii persoluere videtur victus in certamine, quando dehonestamento ignauiæ afficitur, & prætereuntium oculis, & digitis, veluti inglorius, defamatúsq; notatur. Dedecus enim, maximum fermè malorũ existimatur. Attamen Caligula instituit, vt in certamine literatorio præter ignominiã, etiã premiũ victori victus præberet: &, quod nõ minùs graue est, cogebatur componere versibus eiusdem laudationes.

Spõgia, linguáve delere.] Diximus suprà, spõgiam deletilem à Varrone oũcupari, nõ quòd deleatur, sed quòd deleat. Vnde illud Augusti, Aiacem in spõgiã incubuisse. cùm significare vellet, se deleuisse tragœdiam nomine Aiacem.

Ferulis obiurgari.] Ferula arborũ generi adscribitur à Plinio, & inter externas annumeratur: νάρθηκα Græci vocant. Inde apud Platonem in Phædone narthecophori ministri Bacchi, quasi feruligeri nominãtur. Baccho enim ferulæ assignãtur, quæ asinis gratissimæ sunt in pabulo, quæ ob leuitatem, baculorum vsum senectuti præbent. Ferulis pædagogi vtuntur ad obiurgandos, castigandósque discipulos. Hinc illud, Ferulæque tristes sceptra pædagogorum. Scribit Aristoteles in Problematis, ictum ferulæ dolorẽ mouere maiorem, quàm aliquod duriorum, cùm tamen acriùs feriat, quod durius est. Causam refert, quia scilicet ferula propter ponderis leuitatem percutit, & repercutit, ita vt ictus valeat duplicari.

Flumine proximo.] Rhodano. Lugdunum, vt inquit Strabo in IIII. Geographiæ, & nos ipsi sumus contemplati, conditum est in colle, vbi Arar, Rhodanúsq; commiscentur. Ibi templum ab vniuersis Gallis cõmuni impensa in honorem Augusti Cæsaris extructum fuit. Aderat & ara dignitatis eximiæ, cum titulo gentium sexaginta, quæ singulæ singulas statuas ibidem erexerãt. De his ludis, & hac ara Lugdunensi intellexit Iuuenalis illo versu:

Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

Templum.] In superioribus dictum est, quemadmodum Tyberius Romæ templum inchoauit in honorem Augusti: quod absolutum fuisse à Caligula testatur Tranquillus.

Tiburti.] Tiburtina. Ita Liuius Tiburtem agrum appellat pro Tiburtinum: ab eodem Tiburtes dicti populi. Alterum peractum.] Aquæ ductum peregit Claudius.

Omissum alterum.] Scilicet amphitheatrum.

Mœnia.] Scilicet à Caio refecta sunt.

Sami Polycratis.] Samos, insula est in mari Icario, in qua regnauit Polycrates tyrannus, qui & opibus, & felicitate apud Historicos Inclytus est: qui, quoad vixit, non tam fortunæ alumnus dici potuit, quàm partus: sed mors infamis, & ærumnosa docuit, neminem ante obitum meritò dici posse felicem. Fuit enim ab Orete satrape Persarum captus, suspensúsque. De Polycrate lege quæ scribunt Herodotus in III. Strabo in XIIII. & Plinius in vltimo naturalis historiæ.

Didymeum.] Miletos Ioniæ Asiaticæ caput est, anteà Anactoria nominata, super octoginta vrbium per cuncta maria genitrix: vbi oraculum fuit antiquitus Brãchidarũ appellatum: posteà Apollinis Didymei: author Plinius in V. De Didymeo Milesio sic scribit Strabo lib. XIIII. Post Posidium Milesium est oraculũ Apollini Didymeo sacrum apud Branchidas ad decem & octo stadia ascendenti: id à Xerxe incensum est, quemadmodum cætera tẽpla omnia, Ephesio excepto: posteà Milesii templum construxerunt omnium maximum, quod propter magnitudinem remansit sine tecto, variis antiquarum artium donis sumptuosissimè honoratum. Didymeus autem Apollo ideo vocatur, quòd geminam speciem sui numinis præfert ipse illuminando, formandóque lunam: etenim ex vno fonte lucis gemino sydere spatia diei & noctis illustrat. Vnde & Romani, vt author est Macrobius, Solem Didymei Apollinis appellatione venerantur. Δίδυμος enim Græce geminus vocatur. De hoc Didymeo templo Apollini dicato loquitur Quintus Curtius, cùm ait: Brãchidæ eius incolæ erant. Mileto quondam, iussu Xerxis, cùm è Græcia rediret, transierant, & in ea sede constiterãt: qui templum, quod Didymeon appellatur, in gratiam Xerxis violauerãt. De hoc nunc intelligit Tranquillus. Qui legunt Didymenum, & ad templum Cybeles referunt, labuntur in errorem manifestarium.

Eorundémque laudes.] Vt maior clades victum sequeretur, præmia est iussus victoribus dare: sed illud omnino amarius, quòd & laudes quoque eorum, quos odisset, victus cogeretur scribere. M. A N.

Scripta sua spongia.] Spongia scripta deleri solita, vel adagiũ illud Augusti perspicuè docet: rogatus ille à Lucio tragœdiarum, vt Macrobius ait, scriptore clarissimo quid suus ageret Aiax, (eo enim nomine Tragœdiam scribere fuerat exorsus) respondisse dicitur, Aiacem suum spongiæ incubuisse.

Ferulis.] Noto virgulti genere, quo olim pueri pulsabantur. Iuuenalis:

Et nos ergo manũ ferulæ subduximus.- Martialis:

Inuisæ nimiùm pueris, grátæque magistris
Chara Prometheo munere ligna sumus.

Templum Augusti.] Quod inter Palatium & Capitolium fuerat erectum.

Theatrũ Põpeii.] Tyberius id instaurare cœperat.

Regione Tiburti.] Qua parte Tibur sedet.

Alterũ peractũ.] Anienis deriuiũ regione Tiburti.

Alter

dere, sed ante omnia Isthmum in Achaia perfodere. Miseratque iam ad dimetiendum opus primipilarem Caium.

De uana gloria, & elatione eiusdem. XXII.

Hactenus quasi de principe, reliqua vt de monstro narranda sunt. Compluribus cognominibus assumptis, (nam & Pius, & Castrorum filius, & Pater exercituum, & Optimus Maximus Cæsar vocabatur) quum audiret fortè reges, qui officii causa in vrbem aduenerãt, concertantes apud se super cœnã de nobilitate generis, exclamauit: Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Nec multũ abfuit quin, statim diadema sumeret, speciémq; principatus in regni formam conuerteret. Verùm admonitus & principum, & regum se excessisse fastigium, diuinam maiestatem ex eo asserere sibi cœpit. Datóque negotio vt simulacra numinum religione, & arte præclara, inter quæ Olympici Iouis, apportarentur è Græcia, quibus

Alterum omissum.] Amphitheatrum in Septis.

Syracusis.] Vrbs Siciliæ nobilissima Syracusæ, quæ, vt Strabo tradidit, murorum ambitus centum & octoginta habuit stadia: Archias Corinthius vrbem ipsam condidit. Polycratis regiam.] Polycrates Samius, vt Herodotus, & Plinius scribunt, omnium tyrannorum, qui vnquam in Græcia fuerunt, felicitate, & magnificentia sanè princeps, sed exitus infelicissimus, quippe qui suspendio necatus est. Huius fuit memoratissimus annulus ille cũ sardonyche à pisce fortunæ insidiantis manu, vt Plinius ait, domino restitutus.

Mileti.] Miletus Ioniæ vrbs: Cretenses primò iuxta mare eam condiderunt: mox à Sarpedone in locum, vbi recẽtior vrbs fuit, coloni à veteri Mileto deducti: nouissimè Neleus eam cõdidit: Strabo est author.

Didymeum.] Didymeæ matris, id est Cybeles templum.

illud perfectum, quod Græci κατόρθωμα dicunt, pertinet ad sapientem. Super cœnam.] Inter cœnandũ.

Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.] Latinè sic interpretatur: Vnus sit dominus, vnus rex. Sententia est Homerica, quam in secunda Iliados rapsodia vsurpat Vlysses his versibus: Non opus vt multi, sed princeps imperet vnus: Rex vnus, cui sceptra dedit, venerandáq; iura Iuppiter: vt quæ recta forẽt, ac iusta videret. Diadema.] Tãquam rex regium insigne.

Principatus.] Qui erat sub Cæsaribus. In regni formam.] Vt Romanum diceretur regnũ, Imperium.

Fastigiũ.] Sublimitatẽ, apicẽ, altitudinẽ. Diuinã maiestatem.] Vt maiestate, ac diuinitate ea coleretur, qua dii coluntur.

Olympici Iouis.] Simulacrum Iouis Olympici fuit ex ebore à Phidia artificum clarissimo fabrefactum. De quo Plinius hæc: Phidiam clarissimũ esse per omnes gẽtes, qui Iouis Olympici famã intelligũt, nemo dubitat. Idem in vst. Phidiæ Iupiter Olympius quotidie testimonium perhibet. Quintil. in duodecimo: Phidias in ebore artifex longè citra æmulum, vel si nihil nisi Mineruam Athenis, aut Olympium in Elide Iouem fecisset: cuius pulchritudo adiecisse aliquid etiã receptæ religioni videtur: adeò maiestas operis Deũ æquauit. De magnitudine huius simulacri non pauca Strabo in octauo Geographiæ.

PHIL. Isthmum perfodere.] Diximus in Iul. Cæsare de Isthmo Corinthiaco, quẽ Demetrius rex, & Cæsar Dictator, & hic Caius Caligula, & Domitius Nero perfodere tentauerunt, infausto, vt omnium patuit exitu, incœpto. Primipilarem.] Centurionem primipili dignitate decoratum. Iurisconsultus de legatis tertio: Iulius Agrippa primipilaris testamento suo cauit.

Hactenus vt de principe.] Quæ hucusque dicta sunt de Caligula, videri possunt dicta tanquam de bono principe, & digna Imperatore: sed quæ mox dicentur, infanda, portẽtosa, ac mõstrifica, sicut neq; humanæ naturæ cõgruentia, víxq; credibilia: ex quibus admonemur, teterrimos mortaliũ fuisse non paucos principes Romanos: à quorũ moribus périnde, ac morbis resilire debent, atque refugere omnes summates, infimatésque.

Castrorum filius.] Quia in castris natus dicebatur, & in armis patriis nutritus. De hoc Seneca lib. ss. in sapientem non cadere iniuriam, sic scribit: Iratus fuit Herennio Macro, qui illum Caium salutauerat. Hic in castris natus, & alumnus legionum vocari solebat, nullo nomine militibus familiarior vnquam factus. Iam Caligulam conuicium iudicabat, & probrum.

Optimus Maximus.] Cognomenta vsurpabat, quæ Iouis sunt. Tradit Cicero in secundo de Natura deorũ, Iouem à maioribus nostris dictum Optimum Maximũ, quia maius est, certéq; gratius prodesse omnibus, quàm opes magnas habere. Traianus quoq;, authore Plinio in Panegyrico, Optimi cognomen accepit.

Officii causa.] Vt scilicet ipsum principem inuiserent, ac salutarent. Officium enim est, vt ait Donatus, quod vnicuique personæ cõuenit: quod cur factum sit, ratio probabilis, vt ait Cicero, reddi potest. Officium

M. AN. Isthmum perfodere.] Id opus tam ab eo, quàm à plerisq; aliis ducibus infeliciter tentatũ scribit Plinius.

Quasi de principe.] Id est principe digna: breuissimáque, vt assolet, vtitur transitione.

Super cœnam.] Quum cœnaretur.

Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.] Ex primo Iliados sumptum, Vnus sit Imperator, vnus rex.

Diadema.] Regium insigne.

Fastigium.] Celsitudinem, sublimitatem.

Diuinam maiestatem.] Diuinos honores.

Asserere.] Vendicare.

Dato negotio.] Data prouincia, curáq; iniuncta.

Religione, & arte.] Non opere solùm, sed præsentia crediti numinis celebria.

Olympici Iouis.] Olympiũ Iouem Phidias Atheniensis Carmini filius ebore, & auro figurauit. Rogatúsque à Pandadeno quodnam ad exemplar Iouis statuam facturus esset, respõdisse dicitur, ad Homeri imaginem. Poetæ carmina, vt sunt apud Strabonem in Latinum versa, subiicienda duximus, ne cognoscere volentibus aliunde petenda essent:

Atque superciliis Saturnius annuit atris,
Ambrosiæ fluxere comæ de vertice regis
Aeterni, ast nutu magnum concussit Olympum.

capite dempto suum imponeretur, partem Palatii ad forum vsque promouit, atque æde Castoris, & Pollucis in vestibulũ transfigurata, consistẽs sæpe inter fratres deos medius, se adorandum adeuntibus exhibebat: & quidam eum Latialem Iouem consalutarunt. Templum etiã numini suo proprium, & sacerdotes, & excogitatissimas hostias instituit. In templo simulacrũ stabat aureum iconium: amiciebaturq; quotidie veste, quali ipse vteretur. Magisteria sacerdotii ditissimus quisque & ambitione, & licitatione maxima vicibus comparabant. Hostiæ erant phœnicopteri, pauones,

PHIL. Capite dempto.] Obseruauimus apud Plinium, quod supra quoque commemoratum est, statuarũ capita permutari solita, surdo figurarum discrimine. Itaq; Caligula commodissimè potuit caput suum imponere simulacris deorum, sublatis deorum capitibus. Consimiliter Commodus Imperator, qui æmulus fuit Caianorum vitiorum, Colossi caput dempsit, quod Neronis esset: ac suũ imposuit: vt author est Lampridius.

Partem Palatii ad forum vsque.] Plinius in XXXVI. tradit, se bis vidisse vrbem totam cingi duabus domibus duorum principũ, Caii scilicet Caligulæ, & Neronis.

In vestibulum transfigurata.] In Iulio Cæsare explanauimus quẽadmodum ædes Castorũ posita erat in medio foro Romano, in oculis, quotidianóq; aspectu populi Romani. Caligula cùm domum Palatinam vsq; ad forum promisisset, effecit vt ædes Castoris & Pollucis è regione vestibuli suarũ ædium esset collocata. Hoc enim intelligere malo, quàm quòd in vestibuli formam versa fuisset. Fratres deos.] Castorem, & Pollucẽ.

Medium.] Tanquã honoratiorẽ, venerabilioremq; ipsis diis. Latialem Iouem.] Latialis Iupiter in Albano monte colebatur, cuius templũ constituit Tarquinius Superbus, sacrificiáq; Latiali Ioui cõmunia fiebãt à Romanis, & Latinis populis: author Dionysius in IIII. historiarum. Refert Lactantius Latialem Iouem à Latinis coli solitum humano sanguine. Latias ferias Ioui Latiali in monte Albano indicere solebant Cõsules initio statim Consulatu, quod significat Liuius lib. XXI. ab origine vrbis. De hoc ait Lucanus In I.

Et residens celsa Latialis Iuppiter alba.

De eodem intelligi voluit, cùm ait in V.

Necnon Iliacæ numen quod præsidet Albæ,
Haud meritum Lario solennia facta peracto.

Simulacrũ iconium.] Iconas vocant statuas, In quibus similitudo membrorũ expressa conspicitur: quales dicari mos erat eorum, qui in ludis Olympiacis ter superauissent: author Plinius in XXXIIII. εἰκόνα Græci vocãt imaginem: & à grammaticis icon dicitur tropus, quo descriptio figuræ, imaginisq; alicuius exprimitur: vt illud Vergilianum: Os, humerósq; deo similis. & illud: Omnia Mercurio similis vocémq; colorémq;. Hinc fit iconiom, & iconicum, quod significat simile, ac veluti imaginarium. Plinius iconicos duces nominat depictos, expressa membrorũ simillitudine, orisq; liniamentis, qualia fuerant in viuentibus. Sic enim ait in XXXV. Adeò iam colorum vsus increbuerat: adeò ars perfecta erat, vt in eo prælio iconicos duces pinxisse tradatur, Atheniensium, Miltiadem, Callimachũ, Cynegirum: Barbarorum, Darium, Tissapherne. Sic etiam Tranquillus iconium simulacrum Caligulæ appellat, in quo erat expressa membrorũ ipsius similitudo, atque oris liniamenta. Seneca in XV. Epistolarum iconismos appellat descriptiones, aitq; id verbũ esse publicanorũ.

Amiciebatur.] Vestiebatur, simulacrũ scilicet illud ex auro iconium. Qui funguntur officio vestiendi simulacra, hi vestitores deorum nominantur. Firmicus Maternus tradit in III. Matheseos, quòd Mercurius cũ Venere in tertio ab horoscopo loco facit vestitores deorum. Magisteria sacerdotii.] Sensus est: Vnusquisq; ex diuitioribus immenso pretio & ambitu emebat sacerdotium illud dicatum numini Caligulæ: vt scilicet esset magister, & tanquã Archiereus, hoc est, princeps temporarius sacerdotum.

Licitatione.] Licitatio dicitur oblatio, quæ fit in rerũ emptione, & vectigalium conductiõe. De licitatione vectigaliũ, & licitatoribus scribũt Iuriscõsulti Digestis de vectigalibus, & à nobis in primo commentario est traditum.

Phœnicopteri.] Phœnicopterus, auis est à rubentibus pennis nominata. Martialis:

Nomenque debet, quæ rubentibus pennis. Phœnicopteri linguã præcipui saporis esse, Apitius docuit. Heliogabalus exhibuit Palatinis ingentes dapes extis mullorum refertas, & cerebellis phœnicopterorum.

Pauones.] Pauo ab authoribus traditur esse non gloriosum tantùm animal, sed & maleuolum. Laudatus expandit colores aduerso maximè Sole. Idem fimũ suũ resorbet, inuidens hominũ vtilitatibus. Carnẽ pauonis incorruptã diutissimè seruari, testis est Augustinus in XXI. de ciuitate Dei. Dicitur pauus & pauo in secũdo, & tertio. Ausonius: Pauáq; de pauo cõstitit ante oculos. Pauus è Samo, vt inquit Gellius, est præstantior.

M. A N. Palatii.] Quod foro imminebat.

Aede Castoris & Pollucis.] De æde ipsa in Cæsare Dictatore abondè diximus.

Transfigurata.] In vestibuli figuram versa.

Fratres deos.] Castores.

Latialem Iouem.] Quasi vrbi, ac Lario præsideret: eo enim Iupiter Albæ colebatur. Lucanus:

Et residens celsa Latialis Iuppiter Alba.

Proprium.] Haud cum numine aliquo commone.

Excogitatissimas.] Exquisitissimas, ac longè elegãtiores, quàm reliquis diis immolarentur.

Iconiom.] Ad eius effigiem deliniatum.

Amiciebatur.] Induebatur, simulacrum scilicet.

Magisteria sacerdotii.] Vt magistri, & tanquam sacrorum pontifices essent.

Ditissimus quisq;.] Qui diuitiis maximè pollerẽt.

Ambitione.] Licitatione: licitãdo, plura pollicẽdo.

Vicibus.] Quo apparet id sacerdotiom annuum, non perpetuum fuisse.

Phœnicopteri.] Auis, cuius linguam optimi esse saporis Apitius docuit, nepotum, vt Plinius ait, altissimus gurges. De phœnicoptero Martialis libro XIII.

Dat mihi penna rubens nomen: sed lingua gulosis
Nostra sapit. quid si garrula lingua foret? Iuuen.
Et Scythicæ volucres, & Phœnicopterus ingens.

Pauones.] Pauo auis notissima, de cuius natura, & caudæ decore plura Plinius. Martialis libro XIII.

Miraris quoties gemmantes explicat alas,
Et potes hunc sæuo tradere dure coquo?

Tetra

PHIL. Tetraones.] Plinius in x. inter genera anſerum tetraonas nominat: cuius verba ſunt hæc: Decet & tetraonas ſuus nitor, abſolutáq; nigritia: in ſuperciliis cocci rubor. Tamen plerique omnes Pliniani codices non tetraonas habent, ſed erythrotaonas.

Εἰς γαῖαν.] Verba Græca ſunt, quæ Latinè ſic interpretantur: In terram Danaorum transferam te. Hoc autem Caligula ideo dicebat minitabūdus in Iouem, tanquam indignum, qui in Capitolio Romano coleretur.

Iouitatus ab ipſo.] Scilicet Ioue.

tetraones, numidicæ, meleagrides, phaſianæ, quæ generatim per ſingulos dies immolarentur: & noctibus quidem plenam, fulgentémque Lunam inuitabat aſſiduè in amplexus, atque concubitum. Interdiu verò cum Capitolino Ioue ſecretò fabulabatur, modò inſuſurrās, ac præbēs inuicē aures, modò clariùs, nec ſine iurgiis. Nā vox comminātis audita eſt: Εἰς γαῖαν Δαναῶν περάω σε. donec exoratus, vt referebat, & in contubernium vltro inuitatus, ſuper templū diui Auguſti ponte trāſmiſſo, Palatiū, Capitoliúmque coniunxit. Mox

Nomidicæ.] Gallina Africana à pleriſq; Numidica dicitur: quæ, vt docet Columella in ix. non eadem eſt, ſed Meleagridi ſimilis, niſi quòd rutilā criſtam capite gerit, quæ ſunt vtraque in Meleagride cærulea. Varro autem in tertio de re ruſtica, gallinas Africanas Meleagrides eſſe tradit. De Meleagridibus hæc Plinius in decimo: Simili modo pugnāt Meleagrides in Bœotia Africæ: hoc eſt gallinarum genus gibberum variis ſparſum plumis, quæ nouiſſimæ ſunt peregrinarum auium in menſas receptæ propter ingratum virus: verùm Meleagri tumulos nobiles eas fecit. Tranquillus ſentiens cum Columella ſeparat Meleagridas à Numidicis. Nā ſeiunctim potiùs, quàm coniunctim ſingula hæc legi debent. De Numidica ſic ait Petronius Arbiter: Gallina tibi Numidica, tibi gallus ſpado. Phaſianæ.] Martialis:

Impiorum Phaſiana Colchorum.

Satis conſtat à Phaſi fluuio Colchorum Phaſianas nominatas, vnde primùm tranſportatam ſe phaſiana teſtatur apud Epigrammatiſtam. Adrianus tetrapharmaco, vel potiùs pentapharmaco vſus eſt, quod cibi regii genus eſt, quod conſtat ex rebus quinq;, hoc eſt, ſumine, phaſiano, pauone, cruſtulato, & aprugna. Antoninus Geta habebat iſtam conſuetudinem, vt prandia parari iuberet per ſingulas literas, veluti per f: vt ita edulia omnia, quæ inciperent ab ea litera, apponerentur, vt faſianus, farrata, ficus, ficedula. modò per a, vt anſer, anas. modò per p, vt pullus, perdix, pauus, porcellus. Alexander Romanus Imperator diebus tantùm feſtis phaſianum adhibuit in menſa.

Generatim.] Per genera ſingula. verbi cauſa, vt hoc die Numidicæ, alio die pauones, & alio phœnicopteri immolarentur. Vergilius:

Quare agite, ô proprios generatim diſcite cultus
Agricolæ.-

Græci generatim dicunt κατὰ γένη.

Inuitabat in amplexum.] Tanquam in digniori amplexu futura eſſet, quàm Endymionis, qui à Luna adamatus fuiſſe traditur.

Cum Capitolino Ioue.] Tale quiddam Scipio Africanus factitaſſe creditur, qui in Capitoliū prius, quàm diluculaſcet, ventitare ſolebat, atque ibi ſolus demorabatur, quaſi conſultans de Republica cum Ioue: & tūc eum neque canes allatrabant, neque incurrebant, alioqui in alios ſemper ſæuire ſoliti.

Clariùs.] Sublatiore voce.

Vox comminantis.] Scribit Seneca lib. i. de ira, Caligulam iratum cælo quòd obſtreperit pantomimis, quódque comeſſatio ſua fulminibus terreretur, ad pugnam prouocaſſe Iouem.

Exoratus.] Complacatus à Ioue, demulctúſque.

In cōtuberniū.] Vt vnà cū ipſo Ioue degere vellet.

Super templum.] Pons ille fuit ductus ſupra faſtigiū templi, quod Auguſto dicatum ipſe abſoluerat.

MAN. ERythrotaones.] Anſerum genus. Plinius: Erythrotaonas decet ſuus nitor, abſolutáq; nigritia, & in ſuperciliis cocci rubor. vnde & nomen factum videri poteſt. Græci ἐρυθρὸν cocci colorem vocant.

Numidicæ Meleagrides.] Coniunctim legas. Varro in re ruſtica, Gallinæ, inquit, Africanæ ſunt grandes, variæ, gibberæ, quas Meleagrides appellant Græci: hæ nouiſſimæ &c. Plinius: Simili modo pugnant Meleagrides in Bœotia Africæ: hoc eſt, gallinarū genus gibberū, variis ſparſum plumis: nouiſſimæ ſunt peregrinarum auium in menſas receptæ propter ingratum virus. Id vrbaniſſimus poeta diſticho monſtrare voluit:

Anſere, inquit, Romano, quanquam ſatur Annibal eſſet,
Ipſe ſuas vnquam barbarus edit aues.

Ad illud certè alluſit, quòd ſecundi belli Punici temporibus nondum eius auis vſus vllus in terra Italica fuit. Horatius Afram auem appellauit:

Non Afra, inquit, auis deſcendat in ventrem meum.

quam Porphyrio Numidicam gallinam interpretatur.

Phaſianæ.] Aues à Phaſi Colchorum flumine, vnde aduectæ ſunt. Martialis:

Argoa primùm ſum tranſportata carina:
Antè mihi notus nil niſi Phaſis erat.

Plinius: Phaſianæ in Colchis geminas ex pluma aures ſubmittunt.

Generatim.] Per ſua cuiuſque diei genera, vt intelligas ſingulis diebus ſingula fuiſſe genera adſcripta.

Concubitum.] Suum.

Interdiu.] Clara luce, & non noctu, ſicuti cū Luna.

Fabulabatur.] Colloquebatur, mutuum ſermonem & colloquium aſſimulabat.

Clariùs.] Altiùs.

Non ſine iurgiis.] Non ſine obiurgatione, & conuicio. Comminantis.] Caligulæ. Εἰς γαῖαν Δαναῶν περάω σε.] In Græcorū terrā trāsferā te. Non ad ſimulacrū id referas, ſed ad natalē terrā: quaſi diceret: ablegabo te hinc in eā terrā vnde aduectus es. Callimachus in Hymnis author eſt, Iouē ſecundùm quoſdā in Creta natum, alii in Arcadia dixere: Ζεῦ, inquit, σὲ μὲν Ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσι φασὶ γενέσθαι, Ζεῦ, σὲ δ' ἐν Ἀρκαδίῃ. πότεροι, πάτερ, ἐψεύσαντο; Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται. Te Iupiter in Idæis montibus quidam genitum ferunt, te quoq; & in Arcadia: vtri igitur mentiti ſunt? Cretenſes, inquit, mendaces, &c. Exoratus.] Precibus victus. In contubernium.] Communem habitationem. Inuitatus.] Caligula à Ioue. Palatiū, Capitoliūmq; cōiunxit.] Ex duabus diuerſis ſedibus peruio pontis vſu vnam effecit, cùm Palatium ipſe, Iupiter Capitolium teneret.

quò propior esset, in area Capitolina nouæ domus fundamenta iecit.

De eodem, & detractione, & sæuitia eius contra propinquos. XXIII.

AGrippæ se nepotem neque credi, neque dici ob ignobilitatem eius volebat. Succensebátque si qui vel oratione, vel carmine, imaginibus eum Cæsarum insererent. Prædicabat autem matrem suam ex incesto, quod Augustus cum Iulia filia admisisset, procreatam. Ac nõ contentus hac Augusti insectatione, Actiacas, Siculásque victorias, vt funestas populo Romano, & calamitosas vetuit solennibus feriis celebrari. Liuiam Augustam proauiam Vlyssem stolatum identidem appellans, etiam ignobilitatis quadam ad Senatum epistola arguere ausus est, quasi materno auo Decurione Fundano ortam: cùm publicis monumentis certum sit Aufidium Lingonem Romæ honoribus functum.

PHIL. IN area Capitolina.] Areæ, vt docet Varro, loca sunt in vrbe pura. Delubrum vocauerunt, in quo præter ædem sit area assumpta deûm causa. Existimat Macrobius aream à Vergilio significari illo versu:

Aut ante ora deûm pingues spatiatur ad aras.

Quid enim est, inquit, aliud spatiatur, quàm spatio lati itineris obambulat? & adiiciendo ante aras: ostendit aream assumptam deorum causa. Vitruuius in quarto multa scribit de areis templorum.

Agrippæ nepotem.] Suprà dictũ est, Caligulam genitum esse ex Agrippina Marci Agrippæ filia.

Succensebat.] Irascebatur.

Eum.] Agrippã.

Augustus cum filia.] Ex hoc Tranquilli dicto, lector attende, quod vulgò dici solet de Ouidii relegatione, id esse aliqua authoritate subnixum. Fama circunfert, Ouidium ideo ab Augusto relegatum, quòd eum viderit cum Iulia filia incestum admittentem. Nõ me præterit, Sidonium insinuare amorem puellæ Cæsareæ fuisse causam relegationis: & alia dici solent parum consistentia.

Insectatione.] Criminatione. Quæ enim potest esse maior insectatio, quàm optimo principi obiicere incestum filiæ? Rem profectò teterrimam, atque dignissimam omni vituperatione.

Actiacas.] Quibus apud Actium Antonium Cleopatrámque profligauit.

Siculas.] Quibus Sextum Pompeium in Sicilia debellauit.] Feriis solennibus.] Moris est, vt dies illi inter festos referãtur, & solenniter celebrentur, quibus victoria ex deuictis hostibus parta est, sicuti Bononiẽses iam multos annos celebrant diui Raphaelis diem, cursúsq; equorũ pernicissimorũ exhibetur ad perpetuum victoriæ partæ monumentum. Caligula verò, vt porè omnium bipedum pessimus, noluit victorias Augusti, victoriarúmque dies celebrari, vt essent feriati, & solenniter colerentur, tanquam illæ victoriæ fuissent Romanis non salutiferæ, sed exitiales, & pestiferæ.

Augustam.] Diximus anteà, Liuiam Augustæ nomen accepisse, cùm Augusto Cæsari nupsisset.

Proauiam.] Liuia Drusum genuit, ex quo natus est Germanicus Caligulæ pater: & ita illa erat Caligulæ proauia, ille verò Liuiæ pronepos.

Vlyssem stolatum.] Caligula volens insectari Liuiã tanquam vafram, & veteratricem fœminã frequenter eam appellabat Vlyssem stolatum: tanquã inter fœminas esset alter Vlysses: qui omniũ (vt notissimum est) fuisse fertur callidissimus, & vaferrimus. Stolatũ ideo appellabat, quia fœmina erat. Est enim stola vestis matronalis. Horatius:

. Ad talos stola demissa, & circundata palla. Valerius to capite de pudicitia: Te custode matronalis stola censetur. A Martiale dicitur pudor stolatus, prò matronali. Identidem.] Frequenter.

Ignobilitatis arguere.] Vetus, & Latina elocutio est, Arguo te ignobilitatis, stupri, dedecoris. Decurione Fundano.] Tanquã non Romanus fuisset, sed municipalis ex municipio Fundano. Fũdi autem oppidũ est, vbi (si Seruio credimus) Larium terminabatur. Horatius Fundanæ ciuitatis meminit illo versu:

Fundos Aufidio Lusco prætore libẽter Linquimus.

Hinc Fũdanus decurio, qui Fundis agebat Senatorem. Fundis natum Tyberium esse quidã prodiderunt, sicut suprà explicatũ est.

Publicis monumentis.] Libris, annalibus, actis. non placet intelligere de sepulcris.

Romæ.] Et nõ in municipio Fundano, vt aiebat Caligula.

Aufidium.] Maternum Liuiæ auum.

M. A N. ARea.] Quæ templo adiecta erat.

Fundamenta iecit.] Fundare cœpit.

Agrippæ.] Mar. Agrippæ suo magis, quàm progenitorum splendore clari. Agrippæ dicti, qui in pedes nascũtur, quasi ægre nati. Plinius: In pedes procedere nascentem, cõtra naturam est: quo argumento eos Agrippas appellauere, vt ægrè partos: qualiter M. Agrippam ferunt genitũ, vnico prope felicitatis exẽplo omnibus ad hũc modũ natis. Imaginibus.] Claris nominibus, domestico stemmate. Matrem suam.] Aggripinam: quæ Marci Agrippæ, & Iuliæ filia credita esset.

Insectatione.] Criminatione, & infamia.

Actiacas, & Siculas.] Quibus Antonius, & Sextus Pompeius victi sunt: sed verior lectio Actiacã & Siculã victorias, vt numerus multitudinis ad vtrunq; referatur: ac si quis dicat, Scipionem & Læliũ viros optimos audio veræ amicitiæ cultores fuisse. Cicero: Quid duo propugnacula belli Punici, Cn. & P. Scipiones.

Funestas.] Exitiales. Vetuit celebrari.] Dies scilicet quibus ille ad Actium, & circa Siciliam nãuali prælio hostes vicisset. Liuiam proauiã.] Patris sui Germanici auiam. Liuia nãq; Drusum genuit, Drusus Germanicum, Germanicus Caligulã. Vlyssem stolatũ.] Vafram, & astutã, vt fuit inter Græcos Vlysses. Stolatam verò fœminã dixit, quippe quæ stola amiciretur. Erat id apud Romanos pudicarũ matronarũ insigne. Martial. stolatũ pudorem appellat. Est stola Græcũ verbũ, quod illud Sophoclis demonstrat, ἔχεις μὴ στολάς

Ignobilitatis.] Humilis, & obscuri generis.

Decurione.] Quid decuriones in municipiis, & coloniis essent, diximus. Publicis monumentis.] Public

Auiæ Antoniæ ſecretum petenti denegauit, niſi vt interueniret Macro præfectus. Ac per iſtiuſmodi indignitates, & tædia, cauſa extitit mortis: dato tamen, vt quidam putant, etiam veneno. Nec defunctæ vllum honorem habuit: proſpexítque è triclinio ardentem rogum. Fratrem Tyberium inopinantem, repentè immiſſo tribuno militum, interemit. Syllanum item ſocerum ad necem, ſecādáſq; nouacula fauces, cōpulit: cauſatus in vtroq;, quòd hic ingreſſum ſe turbatius mare non eſſet ſecutus, ac ſpe occupandi vrbem, ſi quid ſibi per tempeſtates accideret, remanſiſſet: ille antidotum oboluiſſet, quaſi ad præcauenda venena ſua ſumptū: quum & Syllanus impatientiam nauſeæ vitaſſet, & moleſtiam nauigandi: & Tyberius propter aſſiduam, & ingraueſcentē tuſſim medicamento vſus eſſet. Nam ſucceſſorē Imperii Claudium patruū non niſi in ludibrium reſeruauit.

De libidine eius cum omnibus ſororibus. XXIIII.



Vm omnibus ſororibus ſuis ſtupri cōſuetudinē fecit. Plenóque conuiuio ſingulas

blicorum actuum teſtimonio Caligulæ cauillū refellit. Aufidium Lingooem.] Liuiæ auum. Romæ.] Et ooo in municipiis.

PHIL. AViæ.] Antoniæ, ex qua Germanicus natus eſt pater Caligulæ. Secretū.] Vt cum eo colloqueretur arbitris remotis.

Præfectus.] Cohortiū ſcilicet prætorianarum. Nec defunctæ.] Auiæ Antoniæ. E triclinio.] Locus auget ſcelus. Ex cœnatiōe enim & ex ipſa menſa, quaſi indulgens genio ſpectabat funus auiæ. Ardentem rogum.] Quo cadauer auiæ comburebatur. Secandas fauces.] Eodē genere mortis periit Tigillinus, qui, authore Tacito, apud Sinueſſanas aquas ſectis nouacula faucibus infamem vitam fœdauit exitu inhoneſto. Nouacula.] Cultro tonſorio ad radendum accommodato. Tonſores in Italiam ex Sicilia venerunt, adducente Ticiniomena: antè intonſi fuere. Cauſatus.] veluti cauſam allegans. Martialis:

Sed iā cauſaris annos. Quòd hic.] Scilicet Syllanus. Ille.] Frater Tyberius. Antidotū oboluiſſet.] Odorem remedii contra venena exhalaſſet. Eſt enim obolere, graueolentiam, odorémq; vehementiorem redolere. Antidota, ſicut vulgò notū eſt, remedia dicuntur aduerſus venena. Dicitur & antidotus fœminino genere. A. Gellius lib. XVI. Huius regis antidotus celebratiſſima eſt, quæ Mithridatia vocatur. Qu. Serenus:

Antidotus verò multis Mithridatia fertur
Cōſociata modis.

Nauſeæ.] Quæ ex itinere maritimo ſubinde ſolet cōcitari. Multi enim ex conſpectione agitationéq; maris vndabundi, & æſtuantis, ſolent nauſeare. Scribit Seneca, Vlyſſem fuiſſe nauſeabundū, qui tot annos agitatus eſt maritimis tempeſtatibus.

Tyberius.] Frater Caligulæ. Aſſiduam tuſſim.] Refert Seneca per tuſſim appellati tuſſim illā cōtinenter, iugitérq; ſine intermiſſione vexantē. Claudiō in ludibriū reſeruauit.] Sicut ſimulatio ſtultitiæ ſeruauit Brutū, ita vera in Claudio fatuitas vel ſimplicitas ſaluti fuit, ne occideretur à Caligula. Principibus enim aliena virtus formidoloſa eſt. Sicut ludibriū fuit Brutus in aula Tarquiniorum, ſic Claudius erat pro ludibrio apud Caium. Attamē refert Ioſeph. Caiū quæſiſſe occaſionē, qua Claudiū poſſet occidere: ſubornaſſéq; calūniatorem Calliſtū libertorū potentiſſimū. Cū ſororibus.] Refert Eutropius, Caligulā nō ſolùm cōſtupraſſe ſorores, ſed etiā ex vna natā filiā cognouiſſe. Cōmodus Imperator, qui natus eſt eo die, quo Caligula, tanquā eun-

dē haberet horoſcopū, & ipſe ſorores cōſtuprauit, cōcubináſq; ſuas ſob oculis ſuis cōſtuprari ab amicis iubebat. Venus cū Luna in duodecimo ab horoſcopo loco cōſtituta, facit, vt cū ſororibus coeāt, aut cū filiabus. Fortaſſe talis fuit Caligulæ genitura. Viciſſim.] Modò hāc, modò illā.

Vxore ſua ſuprà cubāte.] In ſuperiori, & ob hoc honoratiori loco in menſa diſcūbente. Sicut infrà accubare, eſt in inferiore loco recūbere. Liuius: Tū illam infra eum accūbentem negaſſe vnquā vidiſſe quēquā ſecuri ferientē. Horat. in ſermonibus: Nomētanus erat ſuper ipſum, Porcius infrà. Scribit Valerius, apud antiquos fœminas ſedentes, non cubātes cœnitauiſſe, cùm viri ipſi cubātes epularentur.

AViæ Anton.] M. AN. Auiæ paternæ. Secretū.] Secretius colloquium. Macro præfectus.] Prætoriis, ſcilicet per quē, vt diximus, Tyberiū oppreſſerat. Indignitates.] Cōtumelias. Dato veneno.] Non ſolùm cōtumeliis affecerit: ſed venenum etiam, vt celeriùs obiret, parauerit.

Fratrē Tyberiū.] Cohæredē ſuū, ex Druſo Tyberii filio, vt ſuprà oſtēdimus, natū. Syllanū ſocerum.] M. Syllanū, cuius filiā adhuc admodum iuuenis duxit vxorē. Nouacula.] Raſorio cultro. Martial. in Lalagen: Hoc ſalamādra notet, vel ſæua nouacula nodet. Cauſatus.] Cauſā, & prætextū afferēs. Turbatius mare.] Concitatius, ac per hoc tractatu difficilius.

Antidotū.] Remediū cōtra venena, quaſi ex aduerſo ſumptū, ſiue datū. Sūt ferè antidota & ipſa venena, ſed cōtra venenum quæſita: in quibus ſympathia illa à Græcis celebrata, & à Plinio nō vno loco reperita, præcipuè deprehēditur. Ab antidoto fit antidotarius, liber quo antidotorū cōtinētur præcepta: quale illud ex Mithridatis ſcrinio depromptū fuiſſe cōſtat: ex duabus nucibus ſiccis, totidémq; ficis, & foliis rutæ viginti cū grano ſalis cōtritis aduerſus præſentis diei venenū quæſitū. Aboluiſſet.] Ad ſuſpicionē occultā antidoti ſūpti odorē ſuſtuliſſet: vt ſit aboleo pro oboleo: quemadmodū obſideo pro aſſideo, & obeo pro adeo: aut, quod magis placet, oboluiſſet (ſic enim quidā codices habēt) id eſt, antidoti aduerſus venenum ſumpti olens eum coarguiſſet. Sua.] A ſe parata. Nauſeæ.] Stomachi fluctuationē. Nā ſucceſſorē.] Tacitè occurrēs antipophoræ cauſam explicat, cur & Claudiū non occiderit.

Cū omnibus ſororibus.] Agrippina, Liuilla, & Druſilla. Stupri cōſuetudinē.] Quaſi dicat, Nū cōtētus ſtuprū intuliſſe, ſed in nefario etiā cōgreſſu perſeuerauit.

infra se vicissim collocabat, vxore suprà cubante. Ex his Drusillam vitiasse virginem, prætextatus adhuc creditur. Atque etiam in concubitu eius quondam deprehensus ab auia Antonia, apud quam simul educabantur. Mox Lucio Cassio Longino consulari collocatam abduxit, & in modum iustæ vxoris propalam habuit. Hæredem quoque bonorum, atque Imperii æger instituit. Eadem defuncta, iustitium indixit; in quo risisse, lauisse, cœnasse cum parentibus, aut coniuge, liberísve capitale fuit. Ac mœroris impatiens, quum repentè, noctúq; profugisset ab vrbe, transcurrisséтq; Campaniam, Syracusas petiit. Rursúsq; inde properè rediit, barba, capilloq; promisso. Nec vnquã postea quantiscũq; de rebus, ne pro cõcione quidem populi, aut apud milites, nisi per nomen Drusillæ deierauit. Reliquas sorores nec cupiditate tanta, nec dignatione dilexit, vt quas sæpe exoletis suis prostrauerit: quò faciliùs eas in causa Aemylii Lepidi condemnauit quasi adulteras, & insidiarum aduersus se conscias. Nec solùm chirographa,

PHIL. Infra se.] Horat. Sũmus ego, & prope me Viscus Thurinus, & infrà, Nomẽtanus erat super ipsum, Porcius infrà. Prætextatus adhuc.] Cũ nondũ puerilẽ excessisset ætatem. Simul.] ipse, & Drusilla soror.

Cassio Longino.] Inter Iurisconsultos celebratur Cassius Longinus, natus ex filia Tuberonis, quæ fuit neptis Seruii Sulpitii, quẽ Caligula ciuitate expulit: qui mox reuocatus à Vespasiano diem suum Romæ obiit. Hic alios est, quod ex prænomine liquet: nam ille Iurisconsultus, Caius dictus est, quũ hic Lucius nũcuparetur.

Abduxit.] Eripuit.] Iustæ.] Legitimæ.

Iustitium indixit.] Supra docuimus, iustitium esse luctum publicum, & indici solere in Reipublicæ calamitatibus, & per magnos tumultus.

In quo.] Tempore iustitii.

Lauisse.] Balneis vti, est deliciarum, & voluptatis: ideóque Caius, si quis tempore iustitii ob sororis obitum indicti deliciis balnearibus indulsisset, voluit id capitali pœna puniri.

Risisse.] Risum noluit esse liberum, quum tamen vix cohiberi sæpissimè possit. Est enim res imperiosissima, & cum impetu erumpens, ideóque, vt inquit Aristoteles in septimo Ethicorum, danda est venia his, qui risum tenere conati, accumulatum mox emittũt: vt accidit Zeophanto. Caligula verò non solùm veniam non dabat ridentibus, sed eos capitali supplicio afficiebat, tanquam riderent ipso lugente, & gauderent ipso mœrente ob obitum Drusillæ sororis simul & vxoris.

Profugisset ab vrbe.] Seneca in libro, quem scribit de breuitate vitæ, hæc refert: Caius Cæsar, amissa sorore Drusilla, conspectum, conuersationémque ciuiũ suorum profugit, exequiísque sororis suæ non interfuit, iusta sorori non præstitit. Proh pudor Imperii, principis lugentis sororem alea solarium animi fuit. Idem ille Caius furiosa inconstantia modò barbam capillúmque summittens.

Capillo promisso.] Immisso, & ad longitudinem nutrito mœroris causa. Promittere enim est immittere, & ad longitudinem alere. Inde promissa barba dicitur à poeta.

Per nomen Drusillæ deierauit.] Deierare, est valde iurare. hæc enim particula, de, interdum valde significat, sicut docet Donatus. Inde deamo, & deiero, cum incremento dicuntur: & deiurium ab Aulo Gellio eleganter dictum ipsum iusiurandum. Quemadmodum deierare solemus per nomen numinis, ita hic per nomẽ sororis iurabat.

Exoletis.] Adultioribus cinædis. Ab exoleo verbo deducitur exoletus. Plautus: Domi reliqui exoletam virginem grandem. id est, quæ exoleuerat, vt interpretatur Priscianus in sx.

Prostrauerit.] Prostituerit, subiecerítq, constuprandas: vnde pudicitiæ prostratæ dixit in Cæsare. Iidem Commodus concubinas suas constuprari iubebat, ipso voluptatis causa conspiciente.

In causa Aemylii Lepidi.] Iosephus libro decimo nono Antiquitatũ refert, Aemylium Regulum plurimos congregasse, vt siue per illos, siue per semetipsum alacriter Caium interimeret. Idem ait Minutianum non paruam hominum multitudinem ad Caium opprimendum comparasse, vt Lepidum vlcisceretur amicum suum, quem cum aliquibus suis conciuibus Caius extinxerat: vnde & sibi timebat, ne similia à Caio pateretur. Quasi adulteras.] Tanquam adulteria commisissent cum Lepido Aemylio, quas & ipse prostituerat.

M. AN. Infra se.] Inferiore loco.

Vxore.] Cæsonia, aut alia ab ea diuersa: plures enim habuit vxores.

Virginem.] Intactam.

Prætextatus.] Adhuc puer.

Collocatam.] Matrimonio iunctam.

Abduxit.] Ademit.

Iustæ.] Legitimæ: tam apertè quàm solet quæ legitima fuisset vxor.

Hæredem.] Drusillam dico.

Aeger.] Infirmus, morbo implicitus.

In quo.] Quo iustitio tenente.

Risisse.] Si quis ridere esset ausus.

Capitale fuit.] Capitali crimini datum.

Transcurrisset.] Celeri quodam, & irrequieto penè transcursu euasisset.

Quantiscunque de rebus.] De rebus quantumuis ampli ponderis. Deierauit.] Iurare perseuerauit.

Reliquas sorores.] Liuillam, & Agrippinam.

Dignatione.] Honore, dignitate.

Prostrauerit.] Stuprandas subiecerit.

Quo.] Quapropter.

In causa Aemylii Lepidi.] Qui in Caligulam cum pluribus coniurarat. Iosephus Hispano genere ortum Aemylium Lepidum significare videtur: de eius coniuratione apud eundem plura.

Chirographa.] Libellos propria manu notatos.

Tres

omnium requisita fraude, ac stupro diuulgauit, sed & tres gladios in necem suam præparatos, Marti Vltori, addito elogio, consecrauit.

De matrimonijs, & uxoribus eius. XXV.



Atrimonia contraxerit turpiùs, an dimiserit, an tenuerit, non est facile discernere. Liuiam Horestillam Caio Pisoni nubentem, quum ad officium & ipse venisset, ad se deduci imperauit, intráque paucos dies repudiatam biennio pòst relegauit, quòd repetisse vsum prioris mariti tempore medio videbatur. Alii tradunt, adhibitum cœnæ nuptiali mandasse ad Pisonem contra accumbentem, Noli vxorem meā premere. statímq; è conuiuio abduxisse eam secū: & proximo die edixisse, matrimoniū sibi repertū exemplo Romuli, & Augusti. Lolliā Paulinā Caio Memmio consulari, exercitus regenti nuptam, facta mentione auiæ eius, vt quondam pulcherrimæ, subitò ex prouincia euocauit, ac perductam à marito coniunxit sibi, breuíque missam fecit,

PHIL. Tres gladios.] Duos scilicet, propter duas sorores Agrippinā & Liuiam, tertiū verò propter Aemylium Lepidum: tanquam consciæ cum illo fuissent insidiarum. Marti Vltori.] Dictum est superiùs quemadmodum Augustus extruxit ædem Marti cognomento Vltori, quam vouerat bello Philippensi pro vltione paterna suscepto.

Elogio.] Elogium dicimus testificationem tam in bonam partē, quàm in malam. Id verbū freqūter inuenies apud Iurisconsultos. Seneca: Decessit negotiator, testamento omnium bonorum suorum reliquit formosam vxorem hæredem, & adiecit elogium: quia pudicam comperit.

Ad officium.] Absolutè officium dicimus id, quod nouæ nuptæ deducendæ, nuptialísque pompæ celebrādæ impēditur. Iuuen.

-Officium cras
Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.

Olim Atherius orator, quum defenderet reum libertinum, cui obiiciebatur, quòd patroni cōcubinus fuisset, dixisse fertur: Impudicitia in ingenuo crimen est, in seruo necessitas, in liberto officium. Ex eo impudici, & obscœni aliquādiu officiosi vocitati sunt.

Ad se.] Tanquā vxor sua esset. Ex hoc satis liquet cur dixerit, matrimonia contraxerit turpiùs, an dimiserit. Nónne turpissimum est matrimonium ita contractum, imperando vt aliena vxor ad ipsum deducatur? nónne dimissio turpior, repudiando statim, & mox relegando? nimirū talia sunt plena omnis dedecoris, atq; dehonestamēti. Prioris mariti.] Scilicet Caii Pisonis.

Adhibitum.] Scilicet Caligulam inuitatū à Pisone ad nuptias. Tempore medio.] Illis scilicet duobus annis, qui fuerunt inter repudium, & relegationem.

Ad Pisonem.] Νεόγαμον, id est nouum maritū, cui nubebat Liuia Horestilla. Contrà accumbentem.] E regione, &, vt dici solet, ex opposito discumbentem.

Premere.] Ex more sponsorū, qui subagitāt in conuiuio sponsas. Edixisse.] Per edictum publicasse.

Exemplo Romuli.] Historia notissima est, quēadmodum Romulus ex captu Sabinarū sibi reperit vxorē nomine Hersiliā: de qua sic ait Silius in XIII. Punic.

Vis & Martigenæ thalamos spectare Quirini?
Hersiliam cerne, hirsutos cùm sperneret olim
Gens vicina procos, pastori rapta marito.

Hæc in deam demutata est, quam Horam vocant: de qua intellexit Gellius in XII. scribens Salaciam esse Neptunī, Horam Quirini, Nerienem Martis. Ouidius in XIIII. Metamorphoseos:

Mutat, Horámque vocat, quæ nunc dea iuncta Quirino est.

Augusti.] Qui Liuiam Drusillam prægnantem abduxit à matrimonio Tyberii Neronis.

Lolliam Paulinam.] Scribit Plinius se vidisse Lolliam Paulinam Caii principis vxorem in sponsaliū ceremoniarum cœna smaragdis margaritísque opertam alterno textu fulgētibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, monilibus, digitísque: nec dona prodigi principis illa fuerāt, sed auitæ opes, prouinciarum scilicet spoliis partæ.

Auiæ eius.] Scilicet Lolliæ Paulinæ: tanquam in nepte regenerata videri posset auita pulchritudo. Sæpe enim nepotes, neptésq; reddūt similitudinē auorū, & auiarum: sicut ille Niceus nobilis poeta in auum degenerauit Aethiopem.

Perductam.] Quasi per vim abductam. Perducere enim est inuitarum personarum: vnde perductores dicti.

M. AN. Requisita.] Dubium, quæ Caligula sororibus fraude extorserit: an illæ potius stupri consuetudine à coniurationis cōsciis requisierint: quibus vulgatis, non solùm conspiratio patefacta, sed & illarum etiam adulteria innotuere.

Diuulgauit.] In apertū retulit. Elogio.] Testificatione. Cōtraxerit.] Quæsiuerit. Turpiùs.] Impudentiùs, ac minùs honestè.] An dimiserit.] Soluerit, repudiarit. An tenuerit.] Retinere perseuerauerit.] Ad officium.] Ad nuptias celebrandas.

Ad se.] Domum suam. Repetisse vsum.] Congressum. Prioris mariti.] Pisonis. Tempore medio.] Biennio scilicet. Adhibitum.] Admotum, vocatum. Mandasse.] Pisoni iussisse.

Vxorem meam.] Quam mihi vxorem destinaui.

Premere.] Illi hærere, inniti, imminere.

Edixisse.] Edicto denuntiasse.

Romuli.] Qui Hersiliam rapuit: fuit enim ea vna ex Sabinis, quæ raptæ fuerant. Triginta numero fuisse quidam tradiderunt. Valerius: Antias quingentas viginti septem, Iubas sexcentas numero, tresq; & octoginta. Plures Hersiliam Romulo cessisse affirmant: quidā tamen, in quibus Lenodotus fuisse videtur, non Romulo, sed Hostilio claro inter Romanos viro nupsisse prodiderunt. Augusti.] Siquidem ille festinatas Liuiæ nuptias suspectiores reddidit. Lolliam Paulinā.] Plinius: Lolliam Paulinā, quæ fuit Caii principis matrona. Nuptam.] Memmio locatā. Eusebius author est, Memmium à Caligula impulsum vt scriberet vxorem suam esse sibi filiam. Aulæ eius.] Lolliæ.

Quondam.] Cùm forma scilicet & ætate floreret.

Ex prouincia.] Quò maritum fuerat secuta.

Perductam.] A marito abductam.

Interdic

interdicto cuiusquam in perpetuum coitu. Cæsoniam neque facie insigni, neque ætate integra, matrémque iam ex alio viro trium filiarum, sed luxuriæ, ac lasciuiæ perditæ, & ardentiùs, & constantiùs amauit: vt sæpe chlamyde, peltáque, & galea armatam, & iuxtà adequitantem militibus ostenderit, amicis verò etiam nudam. Quam enixam vxorio nomine dignatus est, vno atq; eodem die professus & maritum se eius, & patrem infantis ex ea natæ. Infantem autem Iuliam Drusillam appellatam, per omnium dearum templa circunferens, Mineruæ gremio imposuit, alendámq; & instituendam commendauit. Nec vllo firmiore indicio sui seminis esse credebat, quàm feritatis: quæ illi quoque tanta iam tunc erat, vt infestis digitis ora, & oculos simul ludentium infantium incesseret.

De crudelitate eius contra propinquos, & cæteros. XXVI.

Leue, ac frigidum sit his addere quo propinquos, amicósque pacto tractauerit. Ptolemæum regis Iubæ filium, consobrinum suum (erat enim, & is M. Antonii ex He-

PHIL. INterdicto.] Vetito, prohibitóque. Pœna profectò non leuis est hæc ad fœminã puniendam: quid enim potest fœminæ maximéque virosæ esse grauius, quàm priuari concubitu, in quo summum bonum collocauit? Fœminæ, Plinio, Aristotele, Hesiodo authoribus, auidiores sunt coitus æstiuo tempore: viri verò hyberno.

Neque ætate integra.] Aetas integra dicitur ipsa iuuenta, quæ plena est, & sanguine viget, qui est integer in iuuenibus: &, vt dicunt Physici, minuitur senio. Vergilius: -Vos ô quibus integer æui Sãguis ait.- Idem in nono Aeneidos:

-Atque integer æui Ascanius.-

hoc est (vt exponit Seruius) adolescẽs, cui adhuc ætas integra superest. Scribit Auicenna, ætatẽ adolescentiæ esse vsque ad trigesimũ annum: ætatem verò cõsistentiæ, quæ vocatur ætas pulchritudinis, esse ferè vsq; ad quadragesimum annum. Aetatem verò minuẽdi dici, quũ virtus amittitur: quæ est ætas senectutis.

Matrem.] Quæ scilicet pepererat ex priore marito. Est enim mater, vt dialectici dicunt, relatiuum nomen, sicut & pater: quod ad aliquid refertur. Chlamyde.] Ornaméta sunt militaria, de quibus suprà satis, ac super. Est enim pelta scutũ Amazonicũ lunatũ: vnde lunatas peltas dixit poeta.

Nudam.] Iu hoc imitatus est Candaulem Lydiæ regem, qui vxorem Gygi sodali suo nudã demonstrauit: quo facto sibi exitium, & Gygi regnum cõparauit. Historia traditur à Iustino, & Herodoto copiosissimé.

Enixam.] Cùm peperisset. Eniti enim parere est.

Vxorio.] Vt vxor principis vocaretur.

Per templa circũferens.] Author est Iosephus, Caium ad tantam insaniam prorupisse, vt cùm ei filia fuisset exorta, eam perducens in Capitolium super genua simulacri constitueret, communem sibi natam, Iouique confirmans, duos patres vni proli constituens.

Mineruæ gremio.] Cicero quondam gloriatus est, se à Minerua omnes artes edoctum fuisse.

Instituendam.] Institutis, disciplinisque formandã ab ipsa Minerua, vtpore artium dea. Scitu dignum, relatúque est, quod tradit Martianus de Minerua, eam scilicet natam esse sine matre, quoniam in fœminis prudentia non est, cuius dea est ipsa Minerua. Versus Martiani sunt hi in hymno Palladis:

Quam de patre ferunt sine matris fœdere natam,
Prouida consilium quod nescit curia matrum.

Huic sententiæ adstipulatur illud Aristotelis ex secundo Politicorum, consilium in fœmina esse inualidum.

Iam tunc.] Adhuc infanti.

Iucesseret.] Impeteret, inuaderet.

Ptolemæũ regis Iubæ filium.] Scribit Plutarchus in Antonio, Cleopatram Antonii & Cleopatræ filiam nupsisse Iubæ regi humanissimo & pulcherrimo. Trãquillus sentire videtur non Cleopatrã fuisse appellatam filiã M. Antonii, sed Helenen, quæ nupsit Iubæ. Videtur hic esse ille Ptolemæus, quem prodidit Plinius in v. à Caio Cæsare necatum, cuius mortem dũ vlcisci conatur seruus Aedemõ, mouit arma Romana.

Consobrinum.] Cõsobrinos appellamus, authore Donato, eos, qui ex fratre, & sorore nati sũt. Sobrini verò ex duabus sororibus dicuntur, quasi sororini. Patrueles autem ex fratribus nominati. Prætereà consobrinus propinquitatis nomen est: & in hoc significatu accipitur hîc à Tranquillo: tanquam consobrinũ dicas necessarium, & propinquitate coniunctum.

M. AN. CAesoniam.] Pomponii Orphiti, vt Plinius scribit, & Vestilæ filiam, octauo mense (quod rarò accidit) natã. Creditur Caligula ab ea amatorio poculo communi sensu alienatus. Iuuenalis:

Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit.-

Neque ætate integra.] Sed florenti illius parte exacta.

Perditæ.] Effrænatæ.

Chlamyde.] Militari veste pallio penè aduersa. Plautus: Puer, cape chlamydem, & da pallium.

Pelta.] Scuto. Vergilius:

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

Nudam.] Ostenderit.

Quam enixam.] Partu solutam.

Vxorio nomine.] Vxoris appellatiõe dignatus est.

Vno eodem die.] Eadem luce se & puerperæ maritum, & puellæ patrẽ professus est: quo intelligi potest non priùs eam pro vxore habuisse, quàm ex illa pater sit factus.

Sui seminis.] A se genitam.

Feritatis.] Quia paterna feritate esset prædita.

Illi.] Drusillæ.

Infestis digitis.] Violentis, & ad iniuriam propensis.

Incesseret.] Infestaret.

Leue, ac frigidum.] Minore detestatione dignum, si quis maiora eius attendat scelera.

Consobrinum.] Minor Antonia Antonii, & Octaniæ

lene filia nepos)& in primis ipſum Macronẽ, ipſam Enniam adiutores Imperii, quibus omnibus pro neceſſitudinis iure, proq; meritorum gratia cruẽta mors perſoluta eſt. Nihilò reuerẽtior, leniórve erga Senatum: quoſdam ſummis honoribus functos, ad eſſedum ſibi occurrere togatos per aliquot paſſuum millia, & cœnanti, modò ad pluteũ, modò ad pedes ſtare ſuccinctos linteo, paſſus eſt. Alios cùm clàm interemiſſet, citare nihilò minus vt viuos perſeuerauit, paucos poſt dies voluntaria morte periiſſe mentitus. Conſulibus oblitis de natali ſuo edicere, abrogauit magiſtratum: fuítque per triduum ſine ſumma poteſtate Reſpublica.

uiæ filia, ex Druſo Germanicum genuit: Germanicus Caligulam Antonii pronepotem. Contrà Helene eiuſdem triumuiri filia, quæ ex Cleopatra orta eſt, Iubæ nupſit: Iuba Ptolemæum, vt Tranquillus ait, genuit. Ptolemæus ergo nepos fuit, non pronepos: quod ſi ita eſt, qua ratione conſobrini dici poſſint, quum ne in gradu quidem ſanguinis conueniant, Tranquillus viderit: vide tamen, ne quum idem inquit, erat is Antonii ex Helene filia nepos: feciſſétq; interim Ptolemæi & Iubæ patris mentionem, Iubam Antonii nepotem, nõ Ptolemæũ dixerit: nã pronomẽ illud ad vtrũq; referri poteſt, vt Iubas Ptolemæi pater fuerit, Helenes & Iubæ filius, ſic Antonii nepos, Ptolemæus verò ex ſecundo Iuba ortus pronepos: ſed quòd duo fuerint Iubæ poſt illum qui à C. Cæſare victus ſibi mortem conſciuit, non reperio. Spartianus Traianum Adriani conſobrinum appellat, cùm non multò antè Aelii patris ipſius Adriani conſobrinum dixiſſet. Illud adiiciã, Plutarchus Cleopatræ & Antonii filiam, quæ Iubæ nupſit, non Helenen, vt Tranquillus prodidit, ſed Cleopatram ait appellatam. De Ptolemæi cæde Plinius, Romana, inquit, arma primùm Claudio principe in Mauritaniam bellauere, Ptolemæum regem à C. Cæſare interemptum vlciſcente liberto Aedemone.

PHIL. PRo neceſſitudinis iure.] Hoc ad Ptolemæum conſobrinum referendum. Neceſſitudo enim dicitur ius quoddam, & vinculum religioſæ cõiunctionis affinitatiſve. Pro meritorum gratia.] Hoc ad Macronem & Enniam referri debet, quibus adiutoribus Imperiũ adeptus eſt Caligula: de quibus dictum eſt in ſuperioribus. Ad eſſedum ſibi occurrere.] Senſus eſt: Caligula permiſit quoſdam Senatores togatos inſtar anteambulonum atque ſatellitum curſitare ſibi iter facienti in carruca. Eſt enim eſſedum genus currus: vnde & eſſedarii dicti. de quo ſuo loco dictum eſt. Legimus apud Diodorum, & Plinium, Seſoſtrem Aegypti regem fuiſſe tam ſuperbum, támque inſolentem, vt reges ſolitus ſit iungere ad currum loco equorum, & ſic triumphare, iréque ad templa, & per vehemiter facere. Hinc Lucani illud eſt:

Venit ad occaſum, mundíque extrema Seſoſtris,
Qui pharios currus regum ceruicibus egit.

Modò ad pluteum.] Ad torũ tricliniarem: nam pluteum tabulam dicimus, & accipimus pro fulcro ipſius tori diſcubitorii. Martialis:

-Nam pluteo vindice tutus erat.

Sunt & plutei militares, de quibus Cæſar in Commentariis. Et pluteus grãmaticalis, de quo Perſius: Nec pluteũ cædit.- Sidonius: Grammaticales pluteos, aut Athenæi cuneos, aut armaria extructa bibliopolarum. A pluteo, quę tabula eſt, deriuatur plutealis. Vnde à Cicerone dicta ſigilla plutealia imagũculæ pluteis, hoc eſt tabulis, incluſæ. Locus eſt mendoſus, & obiter emaculãdus in epiſtolis ad Atticũ, in quibus ſic legitur: Præterea lippos tibi mando, quos in tectorio atrioli poſſim includere, & putealia ſigillata duo. In paucis his verbis triplex menda inoleuit. Nam pro lippos legendum eſt typos: ſignificat autem typus formam, figuram, & veluti exemplar: ſicuti in ſacris literis dicitur arca eſſe typus eccleſiæ: & ſexcenta ſimilia. Illud verò, putealia ſigillata, corrige plutealia ſigilla. Petit enim ab Attico fictilia ſimulacra, quæ pluteis, veluti loculamentis, continentur. Vnde eſt illud, -Pluteum ſeruare Cleantas.

Ad pedes.] Seneca lib. III. de Beneficiis: Seruus, qui cœnanti ad pedes ſteterat, narrat quæ inter cœnã ebrius dixiſſet. Scribit Agretius grammaticus circumpedes dici obſequia ſeruorum, antepedes amicorũ. Hinc eſt illud à Cicerone dictum in Verrinis, Seruos artifices pupilli cùm haberet domi, circumpedes autem homines formoſos, & literatos ſuos eſſe dicebat. Martialis à pedibus ea forma ſeruos nominat, qua à manu, ab epiſtolis, à ſecretis nuncupatur: de quibus alibi pluribus. Caligula cùm tractaret Senatores perinde ac togata mancipia, quoſdam habebat ad pedes, id eſt, loco eorum miniſtrorum, qui dominis ad pedes ſtare dicuntur. ſicut ad manum dixit Cicero fuiſſe ſeruum Graccho.

Succinctos linteo.] More miniſtrorum. Horatius:

-Succinctus curſitat hoſpes.

Natali ſuo edicere.] Per edictum publicare diem ſuum natalem, vt ſcilicet à populo Romano coleretur.

Abrogauit.] Suſtulit, detraxit, ademit. Derogatur legi, cùm pars detrahitur: abrogatur legi, cùm prorſus tollitur. Obrogare verò eſt legis prioris infirmandæ cauſa legem aliam ferre. Cicero tria hæc verba iunctim locauit quadam ad Atticum epiſtola, cùm ait: Abrogare, derogare, obrogare ſine fraude ſua non liceat.

Sine ſumma poteſtate.] Sine conſulibus. Eſt enim conſularis poteſtas Romæ ſumma, & maxima.

ENniam.] Per quam fuerat Macroni inſinuatus. M. AN.

Cruenta mors.] Nõ veneno, aut citra cruorem, ſed ferro illata.

Quoſdam.] Senatorii ordinis.

Ad eſſedum.] Ad currum.

Ad pluteum.] Plutei crates erant corio crudo intextæ, quæ apponi ſolebant militibus opus facientibus. Tabulæ adhæc, quibus aliquid præſepitur, plutei ſunt dicti. Iuuenalis:

Et iubet archetypos pluteum ſeruare Cleantas.

De loco igitur tabulis circa tricliniares toros ſepto intelligi credo oportere.

Ad pedes.] Infra ſe.

Succinctos.] Miniſterii cauſa expeditos.

Voluntaria morte periiſſe.] Quam ſibiipſis vltro conſciuiſſent.

Edicere.] Edicto ſignificare, vt natalis illius dies celebraretur.

Abrogauit.] Ademit.

Sine ſumma poteſtate.] Sine conſulibus.

Coniur

Quæstorem suũ in cõiuratione nominatũ flagellauit, veste detracta, subiectáq; militum pedibus, quò firmè verberaturi insisterẽt. Simili superbia, violentiáq; cæteros tractauit ordines. Inquietatus fremitu gratuita in Circo loca de media nocte occupantiũ, omnes fustibus abegit. Elisiq; per eũ tumultũ viginti amplius equites Romani, totidẽ matronæ, super innumerã turbam cæterã. Scenicis ludis inter plebẽ & equitẽ causam discordiarũ serẽs, decimas maturiùs dabat, vt equestria ab infimo quoq; occuparẽtur. Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantissimo Sole velis, emitti quenquam vetabat: remotóque ordinario apparatu,

PHIL. Coniuratione.] Facta scilicet aduersus ipsum Caligulã. Ea significari videtur, quæ, authore Aemylio Lepido facta est, vel quæ mox per Minutianũ excitata.

Firmè insisterent.] Tanquam vestis pedes virgatorum contineret, ne per lubricũ pauimentũ laberentur.

Cæteros ordines.] Equestrem, & plebeium.

Gratuita loca.] Gratis, & sine mercede concessa occupantibus.

Elisi.] Obtriti, exanimati per elisionẽ, & conculcationem: dum fustibus è Circo tumultuosissimè abiguntur.

Et equitem.] Ordinem equestrẽ.

Decimas.] Nomen est Imperatoriæ liberalitatis: de quibus credo locutum esse Epigrammatarium poetam sic scribentem:

Cùm data sint eqoiri bis quinq; numismata, qoare
Bis decies solus Sestiliane bibis?

Videtur autem innuere datas esse solis equitibus decimas. & est sensus: Cùm celerius solito daret decimas, effecit vt plebeii & infimi occuparent loca equitũ: ex quo rixæ oriebantur inter equites indignãtes occupari sua sedilia, & per plebeios occupãtes. Quid si legamus decima, & referas ad horã? quod magis placet: vt sit sensus, Caligulã exhibuisse histriones in ludis ante decimã horã, vt ex hoc plebeii causa spectãdi occuparent equitũ sedilia: vnde discordiæ, quod cupiebat princeps, exoriebantur inter plebẽ & equites.

Maturiùs.] Citiùs, & festinantiùs, quàm ex more dari solerẽt.

Vt equestres.] Corrige equestria. Sunt enim equestria, loca, in quibus equites spectantes sedebãt: sicut popularia, in quibus popolus, & plebs spectare consueuerat. Vnde iofrà dicet Tranquill. Quia pars maior intra popularia deciderat. De equestribus sic inquit Seneca: Cùm in theatrum veoi, si plena sunt equestria.

Reductis velis.] Forũ integi solebat, quãdo gladiatoria spectacula edebantur. Vnde ait Plin. Cæsarẽ totũ Romanũ forũ intexisse: quod munere ipso gladiatorio mirabilius visum tradũt. Marcellus velis forũ inumbrauit, vt salubriùs litigãtes cõsisterent. Carbasina vela primus in theatro duxisse traditur Lentulus Spinter Apollinaribus ludis. Caligula, vt pestifer ex omni parte esset Romano populo, spectacula quoq;, quæ voluptatis causa cõparata sunt, cõuertebat in suppliciũ, cùm sublatis, & cõplicatis velis spectaculorũ spectatores æstu Solis feruentissimo conficerẽtur.

Emitti è spectaculo.] Volebat enim, sublatis velis, flagrantia Solis spectatores infestari.

Ordinario apparatu.] Per apparatum ordinariũ muneris gladiatorii intelligit gladiatores in gladiatura exercitatos, & armaturas gladiatorias, quibus digladiabantur ad pascendos oculos spectatorũ. Bestiarii quoq;, qui aduersus feras depugnant, erant ordinarii. Caligula hoc legitimo apparatu sublato, in locũ firmissimorum, famosissimorúmq; gladiatorum substituit gladiatores senio debilitatos, quos pegmares Tranquillus appellat, tanquã in pegmate solito depognare: quòd leuioris operæ, & magis puerilis, quàm gladiatoriæ pugnæ certamen est. Hi feris maximè sæuientibus obiiciebantur: à quibus truculenter lacerabantur. Sunt enim pegmata machinæ ex ligno compactæ, quæ in pompa voluptatis causa circunferri solebant. Dicuntur pegmata à verbo Cræco, παίζω, quod est ludo: siue πήγνυμι, quod significat pango, & extruo. De his Seneca ad Lucilium scribens tradit hæc: His annumeres licet machinatores, qui pegmata per se surgentia excogitant, & tabulata in sublime crescentia. Hinc illud ab Epigrammatario poeta dictum est: Et crescunt media pegmata celsa via. Seruius in tertio commẽtario Georgicorũ refert, pegmata componi solita ab editoribus ludorũ theatralium. Iosephus in VII. belli Iudaici docet quemadmodũ in pompa triũphi, quem Titus & Vespasianus Imperatores ex deuictis Ierosolymis cõmuniter egerunt, maximũ stuporem pegmata, qoæ portabantur, attulerũt. multa eoim in tertiũ nidum quartúmq; surgebãt: magnificentia fabricæ cum admiratione delectabat. In his machinis simulacrũ belli repræsentatum fuisse significat: vt alii fugere, alii capi viderẽtur: & per singula pegmata dux captæ ciuitatis agebatur, ita, vt captus fuerat, ordinatus. Plinius quoque author est in XXXIII. pegma in Circo ductum fuisse à Caio principe, in quo fuere argenti libræ centũ vigintiquatuor. Videtur Tranquillus gladiatores appellare pegmares non eos, qui pegmata baiulabãt, sed qui ex pegmate depugnabãt. Ita enim interpretamur, subnixi authoritate Iosephi docentis simulacra pugnæ ex machinis pegmatũ edi solita fuisse. Hoc erat crudele, miserãdúmq; spectaculum, videre non solùm gladiatores, sed etiam patres familiarũ debiles obiici feris truculentis.

M. AN. Coniuratione.] Aemyliana, credo.

Inquietatus.] Quietis hora molestatus.

Fremitu.] Discursu, & clamore loca in Circo per noctem occupantium. Subiacet enim Circus Palatio.

Gratuita loca.] Quæ primò adeuntibus vacabant, vtpote omnibus cõmunia.

Tumultum.] Subitam fugientibus trepidationem.

Elisi.] Nocturno compressu enecti.

Decimas.] Congiarii id genus fuisse crediderim, quum sit decima alioqui cuiusque rei portio, quam veteres diis offerre solebant.

Maturiùs.] Tẽpestiuiùs quàm dari cõsuessent. Erãt & decimæ tributi genus, siue vectigalis. Cicero: Neq, ex portu, neq; ex decimis, neque ex scriptura vectigal seruari potest.

Equestres.] Loca vnde equites spectabant: quæ & equestria sunt dicta. Anneus Seneca, Equestria omniũ equitum Romanorum sunt. Et rursus, Quum in theatrum veni, si plena sunt equestria. Iuuenalis:

-Et de puluioo surgat equestri.

Ab infimo guoq;.] Qoi accipiendæ decimæ cupiditate cõfuso ordine, aut equestria occupare, vt propiùs adesset: aot certè per illa nõdum equitum multitudine referta temere ruerent: neutrum enim sine ordinis iniuria, indignationéqoe fieri poterat. Iosephus ludis, qui in honorem Caii Cæsaris in Palatio celebrabãtur, id accidisse significare videtur.

Reduc

rabidis feris vilissimos senio confectos, gladiatores quoq; pegmares, patres familiarum notos, sed insignes debilitate aliqua corporis, subiiciebat. Ac nonnunquam horreis præclusis populo famem indixit.

Eiusdem sæuitia, atque crudelitas. XXVII.


SAeuitiam * ingenii per hæc maximè ostendit: Quum ad saginam ferarum muneri præparatarum cariùs pecudes compararentur, ex noxiis laniandos adnotauit:

* ingeni tam

Reductis.] Complicatis. Velis.] Quibus theatrum flagranti die inumbrabatur. Martialis:

Et Pompeiano vela negata noto. Ad quos casus (sæpe enim ventorũ vi vela ipsa intendi non poterant) vmbellis vti consueuere. Martialis:

Accipe quæ nimios vincãt vmbracula Soles:

Sit licet & ventus, te tua vela tegent. Publica igitur vela Caligula æstuanti die, vt populum incõmodo afficeret, medio spectaculo obstructis theatri exitibus, ne quis abire posset, repentè cõplicari iubebat: dignus ipse, qui, si qua superfuisset illi populo maiorum iodoles, subito incursu in crucem sublatus non solùm per æstum, & contumeliã eminentissima theatri parte torqueretur, sed Caucaseis etiã rupibus religatus, vt de Prometheo vetustas fabulata est, rediuiuis visceribus aquilas, & vultures pauisset.

Emitti vetabat.] Vt ad vnum omnes æstu cõficeret.

Ordinario apparatu.] Reliqua spectaculorũ põpa.

PHIL. SVbiiciebat.] Substituebat. Horreis præclusis.] Horrea nõ tam receptacula frumenti, quàm aliarũ quoq; rerũ repositoria dici, testes sunt eruditi, & in primis Iurisconsulti, qui pluribus in locis, & peculiariter in titulo De contrahenda emptione, horrea frequẽter vsurpant pro repositorio merciũ, & rerũ pretiosarum. Hîc horrea pro granariis accipiuntur. Ita enim Varro appellat loca, vbi granũ frumenti condebãt. Idem horreum ab horrido dici interpretatur: quod antiqui farreum dicebãt à farre. Legimus, Seuerũ Imperatorẽ Romanũ, cùm vita excederet, septẽ annorũ canonẽ populo Romano reliquisse. Olim Heliogabalus iussit canonem populi Romani vnius anni frumentariũ meretricibus, lenonibus, exoletis, intramuranis dari: quum eo tempore iuxta prouisionẽ Seueri, & Traiani septẽ annorũ canon frumentarius Romæ esset. Primã semper rei frumẽtariæ, & annonæ vrbicæ rationem habuerunt principes Romani: quoniã (vt inquit Aurelianus scribens ad præfectũ annonæ) populo Romano saturo nihil potest esse lætius. Vnde meritò vituperandus Caligula, qui horrea præclusit, vt ita Romanũ populũ fame videret periclitantem. Signat autem horrea, non tã priuata, quàm publica, ex quibus frumentũ venale promebatur, fuisse præclusa. Scribit Iosephus, horrea decẽter instituta fuisse à Caligula propter aduentũ nauiũ frumenta ex Aegypto deferentium: sed dum segniùs cõstruuntur, opus semiperfectum est relictum. Romæ fuerunt horrea Sempronia appellata, à Semproniis Gracchis instituta ad custodiam frumenti publici.

Ad saginã ferarũ.] Ad feras saginãdas. Est enim sagina, pinguitudo. Inde saginariũ, dicitur locus accõmodatus ad saginãdum altilia. Varro in III. de re rustica: Pullos anserũ includũt in saginario, ibiq; polentam, & pollinẽ aqua madefactã dant cibũ: ita vt per dies saturent. Luculenta est apud Senecã sentẽtia ad taxandam ganeonũ, vomitorúmq; luxuriã: Corpora, inquit, istorum in sagina, animi in macie, & veterno sunt. A sagina fit saginarius, saginaria, saginarium. Vnde à Seruio dicitur mulus saginarius, & mula saginaria. Leges sumptuariæ (vt loquit Tertullianus) iubebãt inferri in cœnam nõ amplius quàm vnã gallinã, & eam nõ saginatã, hoc est, sagina opimatã. Muneri præparatarũ.] Ludo bestiario, spectaculo ferarũ. Hinc munerarii dicti, qui nõ solùm munera gladiatoria, sed & spectacula venationesq; ferarum exhibebant. Et hoc est, quod ait Columel. li. VIII. arietes miri coloris, sicut alias bestias, munerariis deportari. Apuleius in quarto Metamorphoseos docet quẽadmodũ quidã nomine Demochares editurus munus gladiatorũ, atq; venatorũ, cõparabat copiosum numerũ vrsarũ, eásq; saginabat, atque præparabat ad publicas voluptates instruendas. Cariùs.] Maiori pretio.

Pecudes.] Quibus alerentur, & saginarentur feræ præparatæ ludo bestiario. Cõpararentur.] Admiror, D. Hieronymũ reprehendere Rufinũ, tanquã parum Latine dixerit cõparare, pro emere: cùm istud verbũ non solùm apud recentiores, sed etiã apud vetustiores scriptores in hoc significatu frequenter reperiatur. Iurisconsultus titulo de re militari, Milites, inquit, agrum cõparare prohibentur in ea prouincia, in qua bellica opera agũt. Itẽ: Is, qui cõtra disciplinã agrũ comparauerit, inquietari prohibetur. M. Cato: Reliqua, quæ cõparãda sint, si quid desit in animũ, vti cõparentur. Idẽ: Prædium cùm cõparare cogitabis, sic in animo habeto, vti ne cupidè emas. Ex noxiis.] Sõtibus. Laniãdos.] A feris scilicet muneri præparatis: & ita vicem cibi præstabãt feris. Ex hoc feritas execrãda Caligulæ notatur, qui feras aleret humanis carnibus. Consimiliter Apuleius prodidit, Democharem editorem ludorũ habuisse noxios, qui suis epulis bestiarum saginas instruebant.

M. AN. VIlissimos.] Abiectissimũ quenq;. Gladiatores pegmares.] Ad pegmata huc, & illhuc molienda seruatos. Erant pegmata ligneæ, & sublimes machinæ, quæ ad spectaculorũ põpã in theatrũ deportabantur. Anneus Seneca: His annumeres licet eorũ machinatores, qui pegmata per se surgentia excogitabãt, & tabulata tacitè in sublime crescentia. Et quia pegmata, vt dixi, portabantur (quod Iosephus clarè demonstrat, Prõ qnorũ, inquit, magnitudine timendũ viribus portantium occurrentes timebant) pegmares gladiatores eos dictos crediderim, qui parte aliqua corporis ferro debilitata, quia gladiaturæ iã minùs idonei essent, pegmatibus deferẽdis adhibebãtur. Quidã pegniaras legunt, velut ab eo sint dicti, quod Græci τὰ παίγνια ludibria appellant. Horreis.] Quibus publica asseruabatur annona. Vnum tantum laude dignũ Caligula suo principatu gessisse Iosephus ait, quòd circa Rhegyum & Syriam frumenti horrea constituisset.

Per hæc.] Quæ scilicet dicã. Ad saginã.] Id est, cibum. Plin. de orca ante Tyberina ostia oppugnata, Et dũ, inquit saginã prosequitur, in litus fluctibus impulsa. Iouenal. -Propera stomachum laxare saginis.

Muneri.] Venationi. Lactantius: Et primitus quidem venationes, quæ vocantur munera. Pecudes.] In cibum dandæ. Iuuen. -Et multa pascendum carne leonem. Laniandos.] Laniatui obiiciendos.

Adnotauit.] Adscripsit, destinauit.

Custod

& cuſtodiarum ſeriem recognoſcens, nullius inſpecto elogio, ſtans tantummodo intra porticum mediam à caluo ad caluum duci imperauit. Votum exegit ab eo, qui pro ſalute ſua gladiatoriam operam promiſerat: ſpectauitque ferro dimicantem, nec dimiſit niſi victorem, & poſt multas preces. Alterum, qui ſe periturum ea de cauſa vouerat, cunctãtem pueris tradidit verberatum, infulatúmque, qui votum repoſcentes per vicos agerent, quoad præcipitaretur ex aggere. Multos honeſti ordinis, deformatos priùs ſtigmatum

PHIL. CVſtodiarum.] Suprà declarauimus, & in notis Seruii abũde ſcripſimus, cuſtodias accipi pro carcerariis, hoc eſt pro his, qui carcere cõtinentur: idq; authoritatibus eruditorũ validiſſimè cõfirmauimus. Ad rem roborandã addatur hæc quoq; fultura ex Iul. Firmico tranſcripta, qui tradit lib. quarto Matheſeos, quòd Luna in nocturna genitura faciet carceris præpoſitos, cuſtodiarúmq; cuſtodes. Elogio.] Titulo, & teſtificatione noxarũ cõmiſſarũ.

Seriem.] Verbi gratia, vt homicidæ ſimul, fures ſimul, & ſontes cõſimilium delictorũ iunctim locarentur. In quã ſentẽtiam eſt illud Tertulliani ex Apologetico, vbi elogium in eadem ſignificatione, qua hîc, dictum eſt: A vobis nocentes variis criminum elogiis recenſentur.

A caluo ad caluum.] Prouerbialis hæc eſt elocutio, qua ſignificatur iuſſiſſe Caligulam ad ſupplicium duci cuſtodias indifferenter, & nullo habito diſcrimine delictorum. Cùm enim recognoſceret cuſtodias, duo fortè aderãt calui, alter in ſummo, alter in imo, vt inter duos caluos omnes cuſtodiæ cõtinerentur: tunc Caligula ſtãs in porticu, In qua agebatur recognitio carcerariorum, iuſſit vt carnifices ducerent ad ſupplicium cuſtodias omnes, incipiendo ab vno caluo, qui erat primus, & eundo ad alterum caluum, qui erat nouiſſimus. Et ita indifferenter omnes dediti ſunt ſupplicio capitali, citra conſiderationem vllam, & penſitationem, quis plus, quis minùs deliquiſſet, & nunquid omnes pœna capitis forent puniendi. Nõ enim leuis culpa capitaliter punienda eſt vt magna culpa. Et hoc eſt, quod ait, à caluo ad caluũ: in quo alioqui docti hallucinantur, atq; cæcutiunt. Huius rei author eſt Dion apud Græcos ſcriptor luculentus. Duci.] Propriè, & ſignificanter locutus eſt. Nam, vt inquit Donatus, ducitur quis ad ſuppliciũ: deducitur ad lætitiam. In eodem ſignificatu illud à Seneca dictũ eſt, Duci te iuſſi. Apud Curtium ſic inquit Hermolaus: Nos iube duci, vt quod ex tua morte petieramus, conſequamur ex noſtra. Votum exegit.] Repetiit tanquam debitum, vt id ſcilicet perſolueret.

Gladiatoriam operam.] More gladiatoris digladiantium in ſpectaculo. Ea de cauſa.] Pro ſalute Caligulæ. Eſt quæſtio apud eruditos, nunquid poſſit mutare fata, qui ſe deuouit morti pro alterius ſalute.

Infulatum.] Vittatum, & infulis ornatum: quo ritu victimę immolandæ præparabantur. Hinc à poeta dictum: -Mihi ſacra parari

Et ſacræ fruges, & circum tempora vittæ. Ab infula enim, vt aiunt grammatici, quæ faſcia eſt, vittæ dependent. Ab infula infulati quoq; ſacerdotes nominantur. Sidonius: Vel infularis aram ad turicremam rotare myſtas. Votum repoſcentes.] Vt ſcilicet votum exolueret, quo ſe periturum vouerat pro ſalute Caligulæ.

Per vicos.] Vicatim, per omnes vrbis Romæ vicos: de quibus ſuo loco dictũ eſt. Ex aggere.] Aggerem ſignificat, quem Tarquinius Superbus extruxit: de quo Plinius in tertio ſic refert: Clauditur Roma ab Oriente aggere Tarquinii Superbi inter prima opere mirabili: nãq; eum muris æquauit, qua maximè patebat adiru plano. De hoc ſenſiſſe videtur Iuuenalis illo verſu:

Plebeium in Circo poſitum eſt, & in aggere fatum.

Honeſti ordinis.] Qualis eſt Senatorius, & Equeſter. Donatus ordinem ait referri ad fortunas: vnde illud ex Eunucho, Quendam mei ordinis. exponit ordinis pro pauperem: vt ita homines honeſti ordinis dici poſſint diuites, & opulenti. Deformatos.] Deturpatos, dehoneſtatóſque. Interdum deformare, ſignificat figurare, deſignare. Vitruuius ſic inquit: Architectus graphidis peritus, vt deformare poſſit lineis imitationẽ quam velit ædificiorum. Eſt autem graphis, vt Vitruuii verba percipias, pictura, & ea maximè, quæ lineis conſtat, quæ linearis vocatur: quam ait Plinius in x x x v. inuentã eſſe à Philocle. Idem de graphide ait: Graphidis veſtigia extant.

Stigmatum.] A ſtigmate ſtigmaticus deriuatur. Cicero: O miſerum, qui fideliorem & barbarũ, & ſtigmaticum putaret, quàm coniugem. Scribit Plinius, ſtigmata deleri columbino fimo. Stigmatias priſci dici voluerunt notis, & ſtigmate punctos.

M. AN. CVſtodiarum.] Locorum, quibus ſontes aſſeruantur. Non inſpecto elogio.] Vtrôque verſum id verbũ poteſt accipi, ſiquidem & criminationem intelligere potes, & defenſionem. Intra porticum.] Qua cuſtodias recognoſcebat, & quò ſontes ad eius trahebantur præſentiam. A caluo ad caluum.] A caluo cuſtodiarum præfecto, ad caluum. quaſi dicat, redeat vnde venit, vel, vnde delatus eſt, deferatur: hanc ille identidẽ vocem vſurpare ſolitum crediderim, niſi id loci nomen fuiſſe dicat aliquis, quod non probo. Scio ego ſolere hîc nonnullos ſegniter hærere, quaſi profunda locus indagatione, Delióque indigeat natatore: ſed ſi quid ipſi melius aliquando fuerint commenti, non grauatè illorum ſententiæ accedam.] Exegit.] Requiſiuit.

Nec dimiſit.] Miſſum fecit: ſed tam diu gladiaturæ habuit obnoxiũ, quoad victor pugna euaſiſſet: nec ſic quoque niſi multis precibus fatigatus, vt impudentiſſimam hominis ingratitudinem faciiè agnoſcas.

Eadem da cauſa.] Pro ipſius ægrotantis ſalute.

Cunctantem.] Segnius votum exoluentem.

Verberatum.] Verberibus cæſum.

Infulatum.] In victimæ ſpeciem Infulam habentem. Eſt enim infula, vt Seruio placuit, faſcia in modum diadematis, à qua vittæ vtrinque pendent.

Per vicos.] Vrbicos, qui mille & amplius numero Romæ fuerunt. Votum.] Solutionem voti.

Præcipitaretur.] Præceps ageretur.

Ex aggere.] Agger Tarquinii fuit circa Viminalẽ collem, vbi & porta Viminalis. Eius aggeris Strabo, & Plinius meminere. Vt ſit ſenſus, quoad ex vrbe præceps eiiceretur, ea videlicet parte, qua Tarquinii fuit aggere munita. Poſſet aliquis haud omnino abſurdè & de Tarpeia rupe, vnde ſceleris conuicti præcipitari ſunt ſoliti, ſuſpicari.

Honeſti ordinis.] Equeſtris, credo, potiùs, quàm Senatorii.

Deformatos.] Deformi ſtigmate inuſtos.

notis, ad metalla, & munitiones viarum, aut ad bestias condemnauit, aut bestiarũ more quadrupedes cauea coercuit, aut medios serra dissecuit. Nec omnes grauibus ex causis, verùm malè de munere suo opinatos, vel quòd nunquàm per genium suum deierassent. Parentes supplicio filiorũ interesse cogebat: Quorum vni valetudinem excusanti lecticam misit: Alium è spectaculo pœnæ, epulis statim adhibuit, atque omni comitate ad hilaritatem, & iocos prouocauit. Curatorem munerum, ac venationum per continuos dies in conspectu suo catenis verberatum non priùs occîdit, quàm offensus putrefacti cerebri odore. Atellanæ poetam, ob ambigui ioci versiculum, media amphitheatri arena igni cremauit. Equitem Romanum obiectum feris, quum se innocentem proclamasset, reduxit, abscissáque lingua rursus induxit.

PHIL. Ad metalla.] Inter genera pœnarum metalli pœna numeratur. Apud Iurisconsultos fit differentia inter eos, qui in metallũ, & eos, qui in opus metalli damnantur: nam qui in metallum damnantur, grauioribus vinculis premũtur: qui in opus metalli, leuioribus. Plinius in Epistolis: Erat fustibus cæsus, damnatus in metallum, strangulatus in carcere. Muniriones viarum.] Ad vias publicas muniendas. Aut ad bestias.] Paulus Iurisconsultus: Ad bestias damnatos fauore populi præsides dimittere non debent. Antiqui bestiarios eleganter appellauerunt, qui cum bestiis depugnare damnati erant. Hinc à Seneca ludus bestiariorum nuncupatur, quo bestiarii depugnabant: de quibus sic ait Tertullianus in Apologetico: Iupiter est Romæ, quem ludis suis sanguine proluunt bestiariorũ. Quadrupedes.] Donatus enarrans illud Terentianũ, Quadrupedẽ constringito: quadrupedẽ exponit vt ferã: vel quadrupedẽ, id est, cum pedibus & manibus. Apud Apuleium legimus, quendam nomine Thrasilionem ad effigiẽ bestiæ reformatum caueæ immissum, dono datum fuisse Demochari munerario. Caueam autem hoc io loco accipe pro ferarum receptaculo, vt apud Apuleium: Bestiã factum immittimus caueæ. Cauea quoq; de auibus dicitur. Plautus in Curgulione: Quia enim in cauea si forent conclusi itidem vt pulli gallinacei. Papinius:

-Caueæ radiorum argenteus ordo.

Serra dissecuit.] Hoc supplicii genus passus est Esaias propheta: nanq; sub Manasse rege sectus in duas partes occubuit. Serram ferream primus inuenit Talus ex Dædali sorore genitus, reperta serpẽtis maxilla, qua lignum secuit: mox imitatus illam dentium spissitudinem serram fabricatus est: author Diodotus in v. Bibliothecæ. Plinius verò Dædalũ serræ inuentorẽ fuisse prodidit: alii serram inuentam esse ab herba nomine serrata: cuius mentio fit ab eodem Plinio in xxiiii. De munere suo.] De spectaculo bestiarũ, & bestiariorum. Deierassent.] Deierare est valde iurare: sicut demirari, & deamare habent incrementum, vt paulò antè annotauimus. Per suum genium.] Tanquã viderentur sentire, genium Caligulæ non esse adorandum, nec pro numine habendum. Maximum iusiurandum apud priscos erat, per genium principis: per quẽ si quis peierasset, puniebatur: sicut scriptum est apud Iurisconsultos titulo De iureiurando: &, vt inquit Tertullianus, citiùs per omnes deos, quàm per vnum geniũ Cæsaris, peieratur. Vni.] Patri. Lecticam.] Qua delatus spectare posset filii supplicium. Excusanti.] Allegãti ad excusationem. Ita Liuius de Torquato scribens ait: Oculorum valetudinẽ excusauit.] A spectaculo pœnæ.] Id est, statim post inspectionem supplicii de filio sumpti. Epulis adhibuit.] Crudele facinus fuit hoc Caligulæ, & inhumanum: sed illud Persarũ regis procul dubio crudelius, qui Harpalo ad cœnam vocato apposuit liberos epulandos: & subinde quæsiuit an placeret conditura. Deinde vt satis illum plenũ malis suis vidit, afferri capita illorũ iussit, & quo modo esset acceptus interrogauit: non defuerunt misero verba, non os concurrit: Apud regẽ, inquit, omnis cœna iucunda est. Curatorem munerum.] Quẽ præfectum, atque præpositum suis ludis esse voluerat. Curatores generali appellatione dicũtur præpositi. Vnde & à Frontino de curatoribus aquarũ scriptum est. Putrefacti.] Cerebrũ curatoris computruerat ex verberibus adeò, vt eius graueolentia offensus Caius tunc demũ iusserit occidi. Atellanæ.] In Tyberio declarauimus quænam sint Atellanæ fabulæ. Ob ambigui ioci.] Ambiguus iocus dicitur, qui in diuersas sententias flecti potest: & dilogia dicitur figura, cùm ambiguũ dictum duas res significat. Talibus autem iocis refertæ erant Atellanæ fabulæ, adeò vt sæpe dicta talia in principem retorquerentur. Caligula ob talem iocum ambiguúmq; dictum, qui ad ipsius cõtumeliam trahi poterat, poetam ipsum conditorem fabulæ cremari iussit. Reduxit.] Retraxit à feris, quibus erat obiectus, vt ab his laniaretur. Interdum reducere, est reconciliare: vt illud,

-Numénq; reducant. Induxit.] Scilicet ad feras.

M. AN. Ad metalla.] Ad metallorum effossiones. Munitiones viarum.] Ad publicas vias sternendas: vt ad id opus seruile nauarent operam. Ad bestias.] Vt bestiis laniandi obiicerentur: aut vt in venatione cum bestiis summo vitæ periculo decertarent.

Quadrupedes.] Tam humili cauea clausit, vt bestiarum more pedibus, manibúsque consisterent. Serra.] Ferreo instrumento ad robora, non homines secandos, à Dædalo, vt Plinius ait, reperto. Suo munere.] Gladiatorio scilicet, aut certè venatione ipsa.

Malè opinatos.] Haud magnificè locutos: alterum enim ex altero pẽdet: ex opinatione iudiciũ sequitur.

Per genium suum.] Quasi non tanti duxissent, vt per eum, velut numen quoddam, deierarent. Excusanti.] In excusationem adducenti se per aduersam valetudinem adesse non posse. Lecticam misit.] Vt ad tam inuisum spectaculum deferretur. Alium.] Qui filii supplicio affuerat. Curatorẽ.] Quem muneribus suis, & venationibus instruendis præfecerat.

Odore.] Fœtore. Atellanæ.] Fabulę.] Ambigui ioci.] Ancipitis, ac dubii: vel, quod magis placet, se obliquè carpentis.

PHIL. Deos semper orani.] Verba sunt exulis ab exilio reuocati, qui, vt adularetur Caligulæ, hæc dicebat.

Periret Tyberius.] A quo missus fuerat in exiliũ.

Exules suos.] Quos ipse misisset in exilium.

Circum iosulas.] Loca exulũ Romanorũ peculiaria, erant insulæ. Hioc illud à Satyrico poeta eleganter dictũ:

Aot maris Aegæi rupem, scopulósq; frequentes Exulibus magnis.- Idem:

Sed qui penè perit, cui vix in Cycladamitti Contigit, & parua tandem caruisse Seripho. Cor. Tacitus, Plenum, inquit, exiliis mare, infecti cædibus scopuli. C. Antonius collega Ciceroois in Consulatu dãnatus fuit in insulam Cephaleniam, io qua oppidulum ædificauit.

Cootrucidarẽt.] De hoc Eusebius in Chronicis: Caius omnes exules iussit interfici.

Discerpi.] Frustillatim lancinari.

Ingredientem.] Illum scilicet Senatorem, qoem discerpi cupiebat.

Sæuitia eius contra suos exules, & Senatorem. XXVIII.

REuocatum quendam à vetere exilio sciscitatus quidnam ibi facere consuesset, respondente eo per adulationem: Deos semper oraui, vt, quod euenit, periret Tyberius, & tu imperares: opinans sibi quoque exules suos mortem imprecari, misit circum insulas, qui vniuersos contrucidarent. Quum discerpi Senatorẽ concupisset, subornauit, qui ingredientem curiam repentè hostem publicum appellantes inuaderẽt, graphiisque confossum lacerandum cæteris traderent. Nec antè satiatus est, quàm membra, & artus, & viscera hominis tracta per vicos, atque ante se congesta vidisset.

Atrocia eius dicta. XXIX.

IMmanissima facta augebat atrocitate verborum. Nihil magis in natura sua laudare se, ac probare dicebat, quàm (vt ipsius verbo vtar) ἀδιατρεψίαν, hoc est, inuerecundiã. Monenti Antoniæ auiæ, tanquam parum esset non obedire, Memẽto, ait, omnia mihi, & in omnes licere. Trucidaturus fratrẽ, quem metu venenorũ præmuniri medicamentis suspicabatur, Antidotũ,

Graphiis.] Stylis ferreis. De graphio, & graphiario diximus áffatim in Iulio Cæsare.

Membra, & artus.] Scribit Priscianus in VI. artus dici ab hoc verbo arto artas. Sunt enim artus quadã quasi ligamenta membrorum. Vergilius:

Et magnos membrorum artus.-

Plinios in XI. Nodis, inquit, corporum, qni vocantur articuli. Apud priscos hic artus, & hoc artu dicebatur.

Viscera.] Cornelius Celsus viscera seiungit ab intestinis: tanquam nomioe viscerũ, cor, pulmo, iecur, lien, & renes cootineantur: quibus in quatuor explicatis ita subiongit: A vilceribus ad intestina veniendũ est. Membra septem sunt intra homioem, quæ à Græcis nigra membra vocitantur: lingua, cor, pulmo, iecur, lien, renes duo. Septem sunt alia ad cibum, spiritúmque deputata: guttur, stomachus, alous, vesica, & intestina principalia tria. A membro fit verbum membratur, quo vtitur Censorinus: & significat, per membra formatur: inde etiam membratura deducitur, pro membrorum positura.

Congesta.] Vbi vicatim tracta fueront viscera omnia, & membra miseri Senatoris, eadem ante ipsum Caium coaceruata, vt ita oculos pasceret sæuissimus princeps, vel potiùs portentum.

Ἀδιατρεψίαν.] Cicero, & Ambrosius in libris Officiorum, præcipiũt adhibendam esse modestiam, & verecundiam, sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum. Caligulæ verò nihil, nisi iniustum, nisi inhonestum, placebat: oon probabat verecundiam, quæ virtus est: sed inuerecũdiã amplexabatur, quæ est vitiosissima.

Omnia mihi licere.] Tanquã princeps legibus solutus possit in omneis, & etiã in suos exercere potestatẽ imperiosam. Olim Antonino Caracallæ dictũ est à nouerca, quam vxorem ducere affectabat, Si libet, licet. An nescis te Imperatorẽ esse, & leges dare, non accipere? Præterea legimus libro I. Esdræ: Si rex dixerit, Occidite, occidunt: Percutite, percutiuot: Exterminate, exterminant.

Præmuniri medicamentis.] Hoc idem factitabat Mithridates, qui solitus erat sumere remedia contra venena: cuius celebratissima est antidotus illa, quæ Mithridatica vocitatur.

Antidotum aduersus Cæsarem?] Cum indignatione pronuntiandũ, atque irrisione: tanquam dicere vellet, nullum remedium esse potest satis efficax aduersus Imperatoris potestatem. Eloquutio absoluta est, & interrogatiuè, vultuoséque efferenda, vt illud, Cantãdo tu illum? & illud, Aduersus stimulũ calces? Subintelligẽdum autẽ extrinsecus verbũ est, paratur, valet, vel aliquid simile. Grammatici, quando supprimitur verbum, eam figuram vocaut reticentiam: quę familiaris est indignãtibus: Græco vocabulo dicitur ἀποσιώπησις, qnod interpretatur reticentia, siue obticentia. De antidoto quid sit, & quemadmodum neutro genere, & fœminino declinatur, suprà dictum est.

A Verere exilio sciscitatus.] A Tyberio iam antea irrogato. M. AN.

Vniuersos.] Exules. Eusebius author est, ipsius iussu exules omnes ioterfectos.

Subornauit.] Instruxit.

Cæteris.] Senatoribus.

Cõgesta.] In vnũ collecta. Διὰ τραχῶαν.] Per asperam. Hoc loco videre est, vt varia olim variè habebant exemplaria: quædam siquidem ἀδιατρεψίαν, quæ dictio id notat, qnod verecundiæ opponitur, inoerecundiam scilicet, si ita loqui liceat: alia autem διὰ τραχῶαν, qnod idem est, ac si dicas per asperam. Prior tamen lectio plausibilior est, arridénsq; magis. Liberum tamen. culqoe suum iudicium esto.

Omnia in omnes.] Quasi dicat, non in alios tantùm, sed in te quoque, cùm libuerit sæuire.

Antidotum.] Remedium.

Ins

inquit, aduerſus Cæſarem? Relegatis ſororibus, nō ſolùm inſulas habere ſe, ſed etiam gladios minabatur. Prætorium virum ex ſeceſſu Anticyræ, quā valetudinis cauſa petierat, propagari ſibi commeatum ſæpiùs deſiderantem, quum mandaſſet interimi, adiecit, neceſſariam eſſe ſanguinis miſſionem, cui tandiu non prodeſſet elleborum. Decimo quoque die numerum puniendorum ex cuſtodia ſubſcribens, rationem ſe purgare dicebat. Gallis, Græciſque aliquot vno tempore condemnatis, gloriabatur Gallogræciam ſe ſubegiſſe.

Atrocia, ac dira eius facta. XXX.

NOn temerè in quenquam, niſi crebris, & minutis ictibus animaduerti paſſus eſt,

PHIL. INſulas.] Scribit Euſebius Chronographus, Caligulam exilio inſularum condemnaſſe ſorores, quibus ſtuprum intulerat. Senſus eſt, quo ſignificatur Caligulam non ſolùm habuiſſe inſulas, ad quas ſorores relegaret, ſed & gladios, quibus eas contrucidaret.

Prætorium virum.] Qui olim fuerat prætor.

Ex ſeceſſu Anticyræ.] Senſus eſt, Mandauit interfici virum prætoria dignitate functum, qui ſeceſſerat in inſulam Anticyram cauſa valetudinis recuperandę. Illhic enim tutiſſimè ſumebatur elleborū & nigrum, & candidum: deſiderauerátque ſibi tempus abſentiæ prorogari. De Anticyra repete quæ ſuprà dicta ſunt: de qua plura infrà dicentur.

Commeatum.] Temporarium diſceſſum.

Sanguinis miſſionem.] Iocus eſt in verbo. Mitti enim ſanguis dicitur, quando fit phlebotomia: & ſanguinis etiam miſſio fit, quando quiſpiam iugulatur. Celſus in ſecundo: Mitti ſanguis debet ex brachio. Idem: Sanguinem inciſa vena mitti nouum non eſt. Caligula per ſanguinis miſſionem cùm videretur ſignificare phlebotomiam, quæ ad medelam pertinet, ſubintelligebat iugulationem: & ita ſermone diaſyrtico, & ambiguo iocabatur in alienis miſeriis. Hanc mittendi ſanguinis medelam monſtrauit Hippopotamus: qui, vt Plinius, Solinúſque prodiderunt, ſatietate obeſus venam quandam vulnerat, atque ita profluuio ſanguinis morbidum aliàs corpus exonerat.

Elleborum.] Quod tutiſſimè ſumebatur in Inſula Anticyra, & pluribus morbis medebatur. Italia veratrum vocat: de quo ſuperiùs ſatis multa.

Quoque die.] Quocunq; die, ſingulis decem diebus. Propertius:

Vix decimo admittor nunc ego quoque die.

Dicimus autem dies erat tempus legitimū, quod ſontibus, & noxiis puniēdis, qui in carcere ſunt, dari ſolet.

Subſcribens.] More principū, qui ſubſcribere ſolēt ea, quæ rata habent. Alexander Romanus Imperator ſubſcriptioni operam dabat, & lectioni epiſtolarū poſt horas meridianas. Aliàs ſubſcribere ſignificat fauere. Columella: Quod ſi fortuna ſubſcripſerit. Verbum eſt iudiciis, & foro accommodatum. Vnde ſubſcriptores, fautores, approbatoréſque dicti: de quibus Cicero: Venit paratus cū ſubſcriptoribus exercitatis, & diſertis. Quem locum exponens Aſconius ſic ait: ſubſcriptores dicuntur, qui adiuuare accuſatorem cauſidici ſolent: quos oportet ſummiſſiùs agere, quàm dicit ille, quem ſequuntur.

Rationem purgare.] Rationes purgari dicuntur, quando deciduntur, amputantúrque vacantia, & non neceſſaria, aut etiam obſtantia, collatione facta accepti, & expenſi. Itidem Caius in alienis malis iocabūdus dicebat, ſe purgare rationem, quando ſubſcribebat de puniendis cuſtodiis: tanquam tales eſſent ſuperuacanei, & ob id amputandi, reſecandíque: ſicut in rationibus deſecantur inutilia, &, quod vtile eſt, relinquitur, purgare dicimus rationem, & putare.

Gallogræciam.] In nomine iocabatur: nā qui Gallos plectit, & Græcos, poteſt ex compoſitis nominibus meritò dicere ſe ſubegiſſe Gallogræciā: & ita fit alluſio ad regionem Aſiaticam, quæ nomen accepit à Gallis, Græciſq; commiſtis. De Gallogræcia copioſè ſcribunt Liuius, Strabo, & Iuſtinus.

Minutis ictibus.] Ita diutiſſimè cruciabantur excarnificati, nec tamē moriebantur.

Animaduerti.] Animaduertere, punire eſt: inde animaduerſiones, puniriones dictæ. Aliàs animaduertere, eſt conſiderare: vnde animaduerſores vitiorum, dicuntur à M. Tullio penſitatores, & ratiocinatores.

M. AN. ADuerſus Cæſarem?] Parari ſcilicet oportuit. Cum interrogatione, & ira legenda. Cicero reticentiā id locutionis genus appellat: Cel. obticentiā: alii, authore Fabio, interruptionem. Vergilius:

-Méne incœpto deſiſtere victam?

Quaſi dicat, oportuit. Huic ſimile illud eſt, Quos ego. & alibi: Me me, adſum. & Terentius: Quem ego ſi ſenſero. Quidam grammaticorum Græco verbo ἀποσιώπησιν appellant.

Inſulas.] In quas damnatas relegare poſſet.

Sed & gladios.] Quibus eas obtruncaret.

Anticyræ.] Anticyra inſula duplex: altera ad ſinū Malleacum & Oetam montem iuxta Criſſam: altera nō procul à Delphis. In ea, quæ ſuperior eſt, elleborum naſcitur: in altera præparatur, vt tutò ſumi poſſit. & quia duæ ſint, idcirco Flaccus,

Si tribus Anticyris caput inſanabile nunquam
Tonſori Licino commiſeris.- Perſius quoque:
-Anticyras melior ſorbere meracas. Ouidius:
Quicquid & in magna naſcitur Anticyra.

Cypariſſis olim inſula dicta: mox ab Anticyreo Herculis ſocio nomen mutauit.

Propagari commeatum.] Vt aliquantò diutiùs illhic eſſe liceret. Sanguinis miſſionem.] Amariſſima cauillatione iugulari oportere innuit, qui tā diu ſe inuito abeſſe cōtenderet: ad illud allndés, quòd non elleboro ſolùm, ſed hauſtu quoq; ſanguinis purgaretur Inſania. Iuuenalis: -Medici mediā pertundite venam.

Subſcribens.] Subnotās. Aliter Aſconius, Obliquè, inquit, Cicero remouere conatur Cæciliū etiam à ſubſcribendi ſpe, id eſt, à ſubſcriptoris officio. Erant enim ſubſcriptores cauſidici, qui accuſatorē adiouabant: quo verbo Cicero in Diuinatione vtitur.

Gallogræciā.] Quod nomen à duarum gentium nominibus in vnum coaluit: notiſſima Aſiæ prouincia.

Subegiſſe.] Secori ſubieciſſe, non bello domuiſſe. Vrbana quidē locutio eſt, quanquā in re ſæua & atroci.

Crebris, minutiſque ictibus.] Vt longiores eſſent cruciatus.

perpetuo,notóq; iam præcepto ita fieri,vt se mori sentiát.Punito per errorem nominis alio, quàm quem destinauerat,ipsum quoque paria meruisse dixit.Tragicum illud súbinde iactabat:

Oderint,dum metuant.

Sæpe in cunctos pariter Senatores,vt Seiani clientes,aut matris , ac fratrum suorum delatores inuectus est,prolatis libellis,quos crematos simulauerat,defensáq; Tyberii sæuitia,quasi necessaria,cũ tot criminantibus credendum esset.Equestrẽ ordinem,vt scenæ, arenæq; deuotũ assiduè proscidit.

PHIL. VT se mori sentiat.] Ita in bello ciuili Mariano Marius quidam particulatim amputatus,diu viuere , vel potiùs diu mori coactus est , vt inquit eleganter Augustinus libro tertio de ciuitate Dei:de quo Lucanus in secundo Pharsaliæ:

Nil animæ lethale datum, moremq; nefandæ
Dirũ sæuitiæ pereuntis parcere morti.

Addamus id scitu dignum,quod à Suetonio omissum est , Caligulam imperauisse omnibus his,in quos animaduerti iubebat,os inserta spongia includi, ne vocis emittendæ haberent facultatem. Causa erat, vt sentit Seneca in tertio de Ira, quòd sciebat innumerabilia esse,quæ obiicere ipsi nemo,nisi periturus , auderet:cùm spongiæ non inuenirentur, scindi vestimenta miserorum,& in os farciri pannos imperauit.

Súbinde.] Frequenter.

Oderint,dum metuant.] Seneca : Vox illa dira, & abominanda,Oderint,dum metuant : Syllano scias seculo scriptam.Idem libro 1 s.de Clementia: Considero multas voces magnas,sed detestabiles, in vitam humanam peruenisse:vt illam,Oderint,dum metuant. Cicero quoque in prima Antonianarum , Videmus etiam, inquit,in fabulis ipsis illis,qui, Oderint, dum metuant: dixerint,perniciosum fuisse. Vox autẽ hæc tragica est, & ab Atreo crudelissimo apud poetã tragicum vsurpata:cuius rei mẽtio quoq; fit ab eodem M. Tullio in primo de Officiis.Sed cùm metus sit malus custos diuturnitatis,contrà; beneuolentia fidelis vel ad perpetuitatem,debet bonus princeps potiùs diligi velle,quàm timeri.Præclarè enim Ennius: Quem metuũt, oderunt: quem quisq; odit,periisse expetit. Et, vt inquit mimographus poeta,necesse est multos timeat,quẽ multi timent.Ad opes principis tuendas nihil aptius est beneuolentia subditorum. Hæc sunt munimẽta firmissima: hæ arces inexpugnabiles : &,vt ait verissimè Cyrus apud Xenophontem,non est aureum sceptrum,quod regnum seruet:sed amici multi sceptrum sunt regibus verissimum,maximéq; securũ. Dicere solebat Dionysius tyrannus vincula adamantina esse metũ,violentiá,classem,& decem millia armatorum:sed quis non videt magis vincula adamantina & esse,& dici debere beneuolentiam,iustitiam,beneficentiã,atq; clementiam? Igitur cùm gloriosum sit diligi,inuidiosum verò, atq; caducũ metui : perge , iuuenis inclyte,& paternis insiste vestigiis:collige (sicuti facis) tuorum ciuium beneuolentiã: dato operã,vt sis magis diligendus,quàm metuẽdus: & profectò,vt citra assentationẽ vera profitear,nullus vnquam suis tam charus fuit,quàm illustrissima gens Bentiuola omnibus Bononiæ ordinibus,omni sexui,omnibus ætatibus chara est. Certatim pater cũ filiis amatur, colitur,probatur:deniq; Bononienses sine Bentiuolis viuere nec volũt,nec possunt. Bentiuola familia caput est Reipublicæ Bononiensis: illa corpus Bentiuolorũ: quibus otium,salutẽ,libertatẽ, tranquillitatẽ,omnia deniq;,quibus iã multos annos fruimur, bona accepta referimus:iam per vos immutari potest vox illa aspernabilis, Oderint,dum metuant:in vocem amabilem,Diligát,nec metuát.Diligimus enim patrẽ,te,fratres,& quidem ardentissime,nec metuimus:colimus certatim,nec pauescimus: veremur,nec horrescimus. Dii faxint , vt diutissimè tu,pater,fratres floreatis:vt nos quoq; florere,ac viuere in tranquillitate possimus.Nihil enim nobis, Bẽtiuola domo stante,timendũ est. Sed iã vnde digressa est,ad id reuertatur interpretatio. Caligula,qui metui malebat,quàm diligi , vsurpabat frequenter tragicam illam,detestabilémq; sententiã,Oderint, dum metuant : tanquam Romani populi odia floccipenderet,dũmodo metueretur : ignarus, odiis multorũ nullas opes posse obsistere. Quantò laudabilior est Theodoricus rex Gotthorum, qui, vt vtar verbis Sidonii Apollioaris,timebat timeri.

Vt Seinoi clientes.] Tanquã Seianum coluissent, assectatiq; fuissent périnde,ac patronũ.De Seiano, Seianiq; potentia áffatim diximus in Tyberio.

Delatores.] Accusatores:tanquã ipsi Senatores criminati essent apud Tyberiũ Agrippinam matrem , cũ Druso,& Nerone fratribus.

Prolatis.] Depromptis,diuulgatis.

Defensa sæuitia.] Sensus est:Caligula excusabat,defendebátque crudelitatem Tyberii, qua vsus fuerat in suos,tanquam necesse fuisset ita facere, cùm tot essent criminatores,delatoré́sque, quibus credere cogebatur Tyberius.

Scenæ,arenæq; deuotũ.] Ludis theatricis,& gladiatoriis mancipatũ:tanquam scenicis histrionibus,& arenariis gladiatoriis equites nimis dediti forent.Arenarii enim ab arena dicti,in qua depugnant. Vetus prouerbium est,Gladiatorem in arena capere consiliũ. Sub sydere Caniculæ arenarios nasci,testis est Maternus.

Proscidit.] Maledictis lacerauit , conuiciis incessit.

M. AN. PErpetuo notóque præcepto.] Quo semper ad carnifices sit vsus.

Ita fieri.] Ita supplicio damnatos affici.

Vt se mori sentiant.] Hoc erat crudelissimum illud præceptum. Seneca : Non mors, sed supplicii pœna grauis.

Ipsum quoq;.] Se ipsum quoq;,quòd tam segniter errasset.

Paria.] Supplicia,quibus ille,aut certè qualia pateretur,quòd ita turpiter esset elusus.

Oderint,dum metuant.] Vox superbissimæ tyrannidis plena,& à Cæsare Dictatore nõnunquã vsurpata.

Seiani clientes.] Seiani partibus addictos,ac per hoc sibi infestos.

Matris.] Agrippinæ.

Fratrum.] Neronis,& Drusi.

Delatores.] Apud Tyberium criminatores.

Prolatis.] In apertum celatis.

Crematos.] Combustos,vt ab initio sui principatus se facturum iureiorando affirmarat.

Defensa.] Vtpote necessaria,ob criminãtium multitudinem. Scenæ,arenæq; deuotum.] Spectaculis addictum,ac per hoc inertem & desidem.

Proscidit.] Maledictis insectatus est.

Fauen

Infensus turbæ fauenti aduersus studium suum, exclamauit: Vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet. Quúmque Tetrinius latro postularetur, & qui postularent, Tetrinios esse ait. Retiarii tunicati quinq; numero gregatim dimicantes, sine certamine vllo totidem secutoribus succubuerant: quum occidi iuberentur, vnus resumpta fuscina, omnes victores interemit. Hãc, vt crudelissimam cædem, & defleuit edicto: & eos, qui spectare sustinuissent, execratus est.

Eiusdem querela contra suorum temporum felicitatem. XXXI.

QVeri etiam palàm de conditione temporum suorum solebat, quòd nullis calamitatibus publicis insignirẽtur. Augusti principatũ clade Variana: Tyberii ruina spectaculorum apud Fidenas memorabilem factum: sui obliuionẽ imminere prosperitate rerum. Atq; identidem exercituum cædes, famẽ, pestilentiam,

PHIL. FAuenti aduersus studium.] Caligula (vt infrà docebit Tranquillus) factioni Prasinæ fuit addictus: ex quo cùm turba popularis faueret alteri aurigarum factioni, quæ Veneta nominatur, factum est, vt Caius odio illos persequeretur, & per indignationem hanc vocem exclamaret: Vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet. quasi dicere vellet, se caput populi Romani amputaturum, si vnius tantummodo capitis foret, vt vno ictu decollari posset. De hoc Seneca li. III. de Ira: Caius Cæsar de toto Senatu trucidando cogitabat, qui optabat, vt populus Romanus vnã ceruicem tantùm haberet.

Postularetur.] Accusaretur.

Postularẽt.] Accusarent.

Tetrinios.] Hoc est latrones esse ipsos quoque accusatores, & tales, qualis Tetrinius esse dicebatur.

Retiarii tunicati.] Gladiatores variis nominibus distinguuntur. Retiarios autẽ illos vocant, qui cum rete armati aduersus Mirmillionẽ depugnabant. Quod genus pugnæ institutũ est à Pittaco, vno ex septem sapientibus, qui aduersus Phrynonem dimicaturus reti occultato impediuit, implicauítq; aduersarium. Retiarium expressit Iuuenalis sic scribens:

Postquam vibrata pendentia retia dextra
Nequicquam effudit.-

Refert Lampridius, Cõmodum Imperatorem victis retiariis, vel occisis, confecisse mille palmas gladiatorias. Tunicati ab eo dicuntur, quòd in tunica digladiabantur. Hinc illud Satyricè dictum:

Vicit & hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi.

Gregatim.] Iunctim, cateruatim, ad differentiã eorum, qui monomachi sunt, qui viritim, & singulari certamine congrediuntur. Secutoribus.] Gladiatores, qui aduersus retiarios depugnant, secutores peculiariter nuncupantur, perinde ac illos fugientes, vel fugam simulantes sequantur. Hinc illud amphibologicum est, Retiarium fugisse secutorem. Et Iuuenalis ait:

-Cum Graccho iussus pugnare secutor.

Totidem.] Numero quinque. Succubuerant.] Tanquam victi. Silius: Succubuit medicina malis.-

Cùm occidi iuberentur.] Cùm Caligula iussisset vt secutores occiderent retiarios, qui succubuerant.

Vnus.] Ex retiariis. Resumpta fuscina.] Retiarii gladiaturã exercẽtes fuscina dimicabãt. Hinc illud Iuuen. Vicit & hoc monstrũ tunicati fuscina Gracchi. & illud: -Mouet ecce tridentem.

Est enim fuscina, insigne Neptuni: alio nomine tridens dicitur. Vnde in Priapeia scriptum est:

-Neptuni fuscina telum. Diminutiuum fuscinæ est fuscinula. Libro Regũ primo: Puer sacerdotis habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem: & omne, quod leuabat fuscinula, tollebat sibi sacerdos. Victores.] Illos quinque secutores.

Queri.] Lamentari. Insignirentur.] Illustrarentur: cum magis aduersa, quàm secunda, ad memoriã posterorũ trãsmittantur. Clade Variana.] Repetenda sunt quæ diximus in Augusto de clade Variana, quæ illius principatum fecit memorabilem.

Tyberii.] Principatum extrinsecus subintelligendum est. Apud Fidenas.] Suprà diximus quemadmodum imperante Tyberio perierunt apud Fidenas supra viginti hominũ millia ex ruina amphitheatri: eũm illhic munus gladiatorũ exhiberetur.

Sui.] Scilicet principatus. Obliuionem.] Tanquam obliuio obrepat rerum secundarum: econtrario memoria duret infortuniorum. Identidem.] Frequẽter.

Exercituum cædes.] Qualis fuit clades illa vastissima apud Cannas. Famem.] Qualis olim in Samaria facta est: quæ tam magna fuisse proditur, vt caput asini venundaretur octoginta argenteis: & quarta pars cadi stercoris columbarũ, quinq; argẽteis: in qua matres, ob inopiã cibariorũ, coxerũt filios, & pastæ sunt carnibus humanis. Historia explicatur lib. IIII. βασιλέων. Pestilentiã.] Qualis fuit illa, quæ olim Athenas internecino genere morbi populata est: quã Thucydides in II. Lucretius in vltimo graphicè, miserantérq; cõscribunt.

M. AN. TVrbæ fauenti.] Diuersæ aurigarum ab ea, cui ipse fauebat, factioni studiose plaudenti.

Vnam ceruicem haberet.] Vnam dixit, quasi securi subiectam vno fuisset ictu amputaturus.

Postularetur.] Accusaretur, vel latrocinii reus esset.

Qui postularent.] Accusarent. Tetrinios.] Tetrinio similes. hoc est, latrones. Scribit Lampridius, Alexandrũ principem nihil æquè, ac fures iudices odisse.

Retiarii.] Qui retia aduersus secutores iaciebant. Habebant hi piscem in galea, quẽ se petere retiarius dictitabat. Iuuenalis:

Vicit & hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi.
& rursus: -Cum Graccho iussus pugnare secutor.

Dimicantes.] Aduersus secutores pugnantes.

Succubuerãt.] Superari contigerat. Vnus.] Ex retiariis. Resumpta fuscina.] Quam abiecerat, aut vi aliqua excussam amiserat.

Omnes victores.] Secutores ipsos, qui victores crediti fuerant.

Execratus.] Diris execrationibus insectatus.

Insignirentur.] Nobilitarentur.

Imminere.] Instare.

Prosperitate temporum.] Otio, & felicitate.

incendia, hiatum aliquem terræ optabat.

De crudelitate eius etiam in cœnis, ludis, spectaculis, & sacris. XXXII.

Nimum quoq; remittenti, ludóq;, & epulis dedito, eadem dictorũ, factorumq; sæuitia aderat. Sæpe in conspectu prandentis, vel comessantis seriæ quæstiones per tormenta habebantur. Miles decollandi artifex quibuscunque è custodia capita amputabat. Puteolis dedicatione pontis, quem excogitatum ab eo significauimus, quum multos è litore inuitasset ad se, repentè omnes præcipitauit. Quosdam gubernacula apprehendenteis, contis, remisque detrusit in mare. Romæ publico epulo seruum, ob detractam lectis argenteam laminam carnifici confestim tradidit, vt manibus abscissis, atque ante pectus à collo pendentibus, præcedente titulo, qui causam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circunduceretur. Mirmillonem è ludo

PHIL. INcendia.] Quale fuit illud memorarissimum Phaethontis incendium: quale & illud, quo Lugdunum conflagrauit in Gallia.

Hiatum terræ.] Ammianus Marcellinus eleganri vocabulo, chasmaticum appellat terræ motum, quo patefactis subitò voratrinis terrarum partes per hiatum absorbentur: vt olim Helice & Burra ciuitates profundo hiatu deuoratæ sunt. & Græci χά-σμα vocãt hiatum. Fit autem chasma non solùm in cælo, de qoo Plinius: Fit & hiatus cæli, quẽ vocant chasma. sed etiam in terra. Vnde ait Iurisconsultus tituloDe cẽsibus: Si agri portio chasmate perierit, debebit per censitorem releuari.

Remittẽti.] Relaxanti, recreãtiq;. Dicere tamen solebat Musonius philosophus, remittere animum, quasi amittere esse.

Comessantis.] Vino & gulæ indulgentis extra legitimas horas, tanquam comessatio propriè sit cibus, & potus, qui post cœnam, vel post prandium extraordinariè sumitur. Qoidam comessationem luxuriosum conuiuium esse voluerunt. Autumat Festus, comessationẽ dici à vicis, quos Græci κώμας appellant. In his enim priùs, quàm oppida conderentur, habitantes homines alii alios conuictus causa inuitabant. Sed de hoc verbo paulò pòst pluribus.

Seriæ quæstiones.] Sanguinaria Caii natura etiam in prandio habere volebat quæstiones de rebus seriis per tormẽta, & cruciatus: cùm id horæ sit dandũ rebus voluptariis, & genialibus. Olim Cato censor è Senatu mouit L. Flaminium, quòd in cœna inter pocula, & epulas, vbi libare diis dapes, vbi bene precari mos esset, vnum de damnatis occiderat, vt scorto gratificaretur: quòd aiebat nunquam se vidisse hominem decollari. Ob hoc facinus in mensa patratũ meruit etiam accusari læsæ maiestatis, inserique declamationibus.

Decollãdi.] Decollare, significatione manifestaria est securi cædere. Apud veteres, vt inquit Diomedes, hoc verbum decollo, significat decipio: in quem sensum est Illud Plautinum ex Casina, act. I I. scena I I I I.

Si sors autem decollassit, gladium faciam culcitram. & in Captiuis, act. I I I. sce. I. Est illhic vna spes cœnatica: Si ea decollabit, redibo huc ad senem ad cœnam asperam. vbi decollabit, significat decipiet.

Artifex.] Innuit Lucanus, artifices fuisse hominum decollandorum. sic enim inquit:

-Nondum artis erat caput ense rotare.

Præcipitauit.] Ex põte præcipites In mare deiecit.

Gubernacula prehẽdentes.] Vt ita scilicet per prehensionem gubernaculi euaderent infortunium, saluti consulentes.

Contis.] Contos intellige perticas, quibus nautæ vtuntur ad loca exploranda nauibus opportuna: vnde percontor deriuatur, sicuti tradit Donatus in Hecyræ commentario. Alibi dictũ est, cõtos esse lanceas militares: vnde & contati equites à Vegetio nuncupantur.

Ob detractã lectis.] Tricliniares lecti laminis argenteis, siue bracteis operiebantur. Pli. in XXXIII. Lectos mulierũ iam totos operiri argẽto, & triclinia quædã, quibus argẽtum addidisse primus traditur Caruillius Pollio eques Romanus. Quin etiã repositoriis tricliniorum argẽtum addi sua memoria cœptum Fenestella tradit. Serui furaces inter ministrandũ solebant vnguibus, cultrísve deradere laminas argenteas ex ipsis tricliniis: qood Iidem in statuis auratis factitabant. Martialis:

An magis astuti derasa est vngue ministri
Bractea de fulcro, qnod reor esse tuo.

Iuuenalis:

Radat inaurari, femur Herculis, & faciem ipsam
Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat.

Artifices inducendi bracteas, & inaorandi eleganter dicũtur bractearii, & bracteatores: qui, vt inquit Firmicus, nascuntur sub Cassiopea.

Præcedente titulo.] Inscriptione, & elogio: per quod significaretur causa supplicii.

Cœtus.] Erat enim epulum publicum.

Mirmillonem.] Gladiatorem.

E ludo.] Scilicet gladiatorio.

M. AN. HIatum aliquem terræ.] Vt terra alicubi subsideret. Græci χάσμα vocant.

Animum remittenti.] Ab curarum intentione ad voluptatem reuocanti.

Seriæ quæstiones.] Quæstionibus de re seria adhibitis coràm torquebantur.

Decollandi artifex.] Ceruicis amputandæ peritus.

Quibuscunque.] Quasi dicat, indifferenter custodia eductus.

Præcipitauit.] In subiectos fluctus deiecit.

Gubernacula.] Nautica instrumenta ad nauis regimen quæsita.

Detrusit.] Depressit.

Publico epulo.] Quod publicè dabatur.

Argenteã laminã.] Plinius: Lectos verò iam pridẽ totos operiri argẽto, & triclinia quædã, quibus argentum Caruillius Pollio eqoes Romanus primus addidisse traditur. Præcedẽte titulo.] Prælato flagitii elogio. Mirmillonẽ.] Qui aduersus retiariũ pugnabat. Iuuenalis: -Aut Mirmillonis explicat infans.

E ludo.] Ex ludi consuetudine, vbi exercitii causa ad gladiaturam iuuenes exercebantur.

rudibus secum batuentem, & sponte prostratum, confodit ferrea sica, ac more victorum cum palma discurrit. Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu, elato altè malleo, cultrarium mactauit. Lautiore conuiuio effusus subitò in cachinnos, Consulibus, qui iuxtà cubabant, quidnam rideret, blandè quærentibus: Quid, inquit, nisi vno meo nutu iugulari vtrunque vestrûm statim posse?

Apelles per eum flagellatus, & alia eius gesta. XXXIII.



INter varios iocos, quum assistens simulacro Iouis Apellem tragœdum cōsuluisset, vter illi maior videretur, cunctantē flagellis discidit, collaudās subinde vocem deprecātis,

PHIL. RVdibos batuentē.] Virgis gladiatoriis depngnantem. Est enim rudis virga, qua, authore Prisciano, gladiatores donati cessabant à gladiatura: vnde rudiarii dicti: de quibus suo ioco iam scripsimus. Rudibus aotem solitos pugnare gladiatores, testis est Lampridius, qui ait, Commodum Imperatorem in arena rudibus inter cubicularesgladiatorios depugnasse. Diminutiuum rudis est rudicula. Rudiculis autem lanæ curantur. Hinc iiiud est à Plinio dictum in XXIX. Non opus est lanas in hoc vsu rudiculis esse curatas. Batuere verò significat virgis verberare, vt author est Fulgentius Placiades: quod verbū frequens quoq; est apud nos in sermone vernaculo. Plin. in XXX. Crocodilorum morsibus ex acero in linteolis, ita vt batuerentur ante ictum vlcera. Plautus ait in Casina, act. II. sce. VIII. Qui, quæso, potiùs, quàm sculponeas? Quibus batuatur tibi os, senex nequissime? Sunt autem sculponeæ, vt dictionem Plautinā intelligas, cæstus ex corio ligati. Alii calceamēta esse dixerūt, & pro calceamentis accipe apud Plautū: quāuis Fulgētius glossematicus exponat pro cæstibus: sicut & illud Næuianū: Sculponeis batuēda sunt latera huic probé. A sculponea sculponeatus deriuatur, pro eo, qui est sculponeis indutus. Varro: Aspicio sculponeatū bigas sequi cornutas. Ego existimo sculponeas magis dici calceamēta, quàm cæstus. Scribit Cato, sculponeas bonas alternis annis dari oportere familiæ rusticanæ. Spōte.] Tāquā qui noilet vincere principē. Sica.] Gladio breui. vnde sicarii nūcupātur. Cū palma.] Gladiatoria. Victoribus in certaminibus palma, ac signum victoriæ dari solebat: quoniam, vt Plutarchus, & Gellius tradiderunt, magnitudini oneris vrgenti non cedat, sed aduersus pōdus resurgat, sursúmque nitatur. Romani, sicut docet Liuius in X. palmas victoribus dare cœperūt Græcos imitati. Cū palma gladiatoria discurrit Caius: sicut posterioribus temporibus palmas gladiatorias consecutus est ex occisis retiariis, certaminibúsq; gladiatorū Cōmodus Imperator, qui Caligulam habuit veluti exemplar, quod imitaretur. Admota.] Iā proxima facta vt mactaretur. Succinctus.] More ministrorū, qui succincti, expeditique esse solēt. Horatius: Succinctus cursitat hospes. Pōparū habitu.] Qualiter succinctus esse solebat victimarius paratus victimis immolādis: de quo Ouid.

Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia cælitibus quo feriente cadit.

Quid si legas poparum? Lectio nimirum potior erit, & eruditior. Nam popæ, dicuntur ministri sacrorū, qui victimas immolant, alio nomine victimarii nuncupati. Et ita videtur legendum, intelligendúmq; illud Propertii:

Succinctiq; calent ad noua sacra popæ.

Spartianus in vita Getæ, Hostiam, inquit, popa nomine Antoninus percussit. Erit ergo sensus Tranquilli, Caligulam habitu poparum, id est victimariorum, ministrorúmque sacrificalium succinctum pro victima mactasse cultrarium. Malleo.] Ferramento fabrili: à quo malleator deriuatur. Martialis:

Illhinc paludis Malleator Hispanæ.

A Iurisconsulto libro de legatis tertio, libri dicuntur malleati, pro eo, quod est concinnari, peractiq; à malleatore, concinnatoréque librorum. Cultrariū.] Cultrarius dicitur minister, qui victimā cultro victimat: qui alio nomine dicitur victimarius immolator victimæ. Illud verbum sacris accōmodatum, quod est agón', de quo Seneca lib. III. Controuersiarū: Carnifex manum tollat, déinde respiciat ad patrē, & dicat, agón'? quod fieri solet victimis. Hinc illud est Nasonis ex lib. I. Fastorum:

Semper agát ne rogat, nec nisi iussus agit.

In cachinnos.] In risus solutiores. Præcipit Seneca vt risus noster sit sine cachinno. Ab Apuleio risus immodicus, & reprehensibilis festiuiter dictus cachinnabilis. Cubabant.] In mensa discumbebāt. Vno nutu.] tanquam ad solum principis nutum presto sint parati milites, qui iugulent, qui confodiant, qui cuncta perficiant. Nutus enim principis pro edicto est: cùm omnes, sicut primo Esdræ scriptū est, regibus obediant. Tragœdum.] Histrionem scenicum, actorémq; tragœdiarum: sicut comœdum dicimus actorem comœdiarum. Consuluisset.] Interrogasset. Vter.] Ipse princeps, an Iupiter. Cunctantem.] Cunctāter, dubitantérq; respondentē. Discidit.] Concidit, cecidit, mulctauit. Súbinde.] Frequenter. Deprecantis.] Tragœdi.

M. AN. SEcum.] Aduersus se.

Rudibus.] Virgis. Consueuerūt, vt Lampridius tradit, & in arena pugnare rudibus: vt constat Commodum principem in arena rudibus inter gladiatores pugnasse. Batuentem.] Ferientem, pulsantem. Plinius: Ita vt batuerentur ante ictū vlcera. Confodit.] Traiecit. Ferrea sica.] Vero telo, & non ficto, quo per lusum vtebantur.

Cum palma.] Quasi veræ, non simulatæ victoriæ compos.

Succinctus.] Caligula expeditus, ne aliò, quàm vellet, habitu impeditus, ictum detorsisse videretur.

Cultrarium.] Cultrum sacrificanti subiicere solitū: aut certè qui hostiæ iugulo cultrum admonebat.

Effusus.] Solutus.

Vno meo nutu.] Me innuente.

Varios iocos.] Iocosos sermones.

Assistens.] Astans.

Apellem.] Tragœdum, tragœdiarum actorem.

Vter.] Ipse, an Iupiter.

Cunctantem.] Hæsitantem, tardiùs respondentem.

Discidit.] Lacerauit.

Súbinde.] Identidem, sæpius.

quasi etiam in gemitu prædulcem. Quoties vxoris, vel amiculæ collum exoscularetur, addebat: Tã bona ceruix, simul ac iussero, demetur. Quin & súbinde iactabat, exquisiturum se vel fidiculis de Cæsonia sua, cur eam tantopere diligeret.

Malignitas, & superbia eius contra omnes. XXXIIII.

NEc minore liuore, ac malignitate, quàm superbia, sæuitiáque pene aduersus omnis æui homines grassatus est. Statuas virorũ illustrium, ab Augusto ex Capitolina area, propter angustias in Martium Campum collatas, ita subuertit, atque disiecit, vt restitui saluis titulis nõ valuerint. Vetuítque posthac viuentium cuiquam vsquam statuam, aut imaginem, nisi consulto se, & authore poni. Cogitauit etiam de Homeri carminibus abolendis. Cur enim sibi non licere dicens, quod Platoni licuisset, qui eum è ciuitate, quam constituebat, eiecerit? Sed & Vergilii, & Titi Liuii scripta, & imagines, paulùm abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amouerit: quorũ alterum vt nullius ingenii, minimæque doctrinæ,

PHIL. QVasi etiam in gemitu.] Tanquam non solùm dulci voce vteretur in agendis fabulis commentiöis, sed etiam in vero gemitu, veróque dolore. Io primis canora vox conuenit tragœdo. M. Tullius in Oratore desiderat vocem tragœdorum.

Amiculæ.] Sicut amiculum dicimus ὑποκοριστικῶς, hoc est, diminutiuo vocabulo amicum, ita etiam amiculam vocitamus: qualia nomina sunt plena blanditiarum, & amatoribus accommodata.

Tam bona ceruix.] Tã pulchra, tam venusta: ad elegantiam, luculentiatémque referenda est.

Demetur.] Amputabitur ad iussum meum.

Súbiode.] Frequenter.

Fidiculis.] Fidicularum tormento: de quibus in Tyberio satis multa repete quæ illhic annotata sunt.

De Cæsonia.] Elegãs locutio hæc est, vt dicamus, Quæro de te: quæro de vxore: pro eo, quod est, quæro abs te, quæro ab vxore.

Taotopere.] Quasi philtris, & veoeficiis contra naturam suam pellectus esset, & coactus ad amandam efflictim Cæsoniam.

Grassatus.] Debacchatus, vtens crudelitate, & sæuitia. De grassatoribus, & grassaturis iam dictum est.

Ex Capitolina area.] Quinctus Catulus curator restituendi Capitolii voluit olim aream Capitolinam deprimere, vt pluribus gradibus in eam conscenderetur, suggestúsque pro fastigii magnitudine altior fieret: sed id facere noo quiuit, impeditus quibusdã cisternis, quæ in area Capitolina erant sub terra.

Collatas.] Comportatas.

Saluis otulis.] Manentibus inscriptionibus eorum virorum, quibus statuæ positæ fuerant.

Statuam aut imaginẽ.] Statua ænea est, vel marmorea: imago cerea, vel picta.

Quod Platoni licuisset.] Plato lib. 11. de Repub. poetas censet ex ea ciuitate, quam format, esse repellendos. Nam de Hesiodo inquit: Non probè mentitus est Hesiodus, quando fingit quemadmodũ Saturnus Cæliũ patrem puniuit, quæ à filio Ioue Saturnus ipse perpessus est: quæ quidem, si vera essent, non tamen putarem esse proferẽda, sed tacẽda pootius. De Homero verò paulò pòst sic ait: Vincula Iunoni à filio indita, proiectionémq; Vulcani à patre, cùm ille verberatæ matri sobuenire vellet, aut deorũ pugnas, quotcũq; Homerus scripsit, minimè in ciuitate recipere debemus, siue per allegoriam dicta sint, siue sine allegoria. Idem libro x. Poesim, inquit, ex ciuitate expulimus. Huius Platonicæ sententiæ Cicero quoque meminit, cuius verba hæc suot: Rectè à Platone educuntur poetæ ex ea ciuitate, quam finxit ille, cùm mores optimos, & optimum Reipublicæ statum exquireret. Eosebius in Præparatione Euangelica poetas e ciuitate Platonica repudiatos esse prodidit, & io primis Homerũ, propter pugnas, contentionesque deorum, quas ille in suo poemate scribit. Quin etiam Augustinus io 11. de ciuitate Dei, super hac re tradit hæc: Ao forte Platoni Græco potiùs palma danda est, quĩ cùm ratione formaret qualis esse ciuitas debeat, tanquã aduersarios ciuitatis poetas censuit vrbe pellendos.

Alterum vt nullios ingenii.] Hoc ad Vergilium referendum est, qui cõtra Caligulæ inuidentiam maximè maximus atque optimus poetarũ ab eruditis nuncupatur: quẽ, vt inquit non minos verè, quàm scitè Macrobius, nullius vnquã disciplinæ error inuoluit. Quem Alexander Romanus Imperator Platonem poetarum vocitabat.

M. AN. PRædulcem.] Dulcem, & vt io tragœdiarum actu modulatam.

Amicitæ.] Amicarum cuiuspiam.

Tam bona.] Suauis.

Simul ac.] Statim quód.

Exquisiturum.] Quæstionem habiturum.

Fidiculis.] Quæstiooe, & suppliciis. A fide fidicula est, quo genere vinculi membris colligatis acerba exercebatur quæstio.

Tantopere diligeret.] Quasi se non natura, sed magica arte amare intelligeret.

Minore liuore.] Inuidia.

Omnis generis homines.] Omne genus hominũ.

Grassatus.] Violenter, & perniciose inuectus.

Nisi consulto se.] Se priùs authore facto.

Abolendis.] Tollendis.

Ciuitate sua.] Quã ipse legibus & institutis constituit: ad cuius æmulationẽ Xenophon Cyri institutionẽ scripsisse dicitur. Cẽsuit Plato eo opere Homeri scripta in vsum haud recipienda. Euphorion, & Panætius prodiderunt initium librorũ, quos Plato de Republica scripsit, sæpios inuersum ab eo, atqoe immutatum.

Nullius doctrinæ.] Cõtrà Plinius: Vergilius, inquit, omniũ disciplinarum peritissimus. Fabius Quintilian. Domitii Aphri iudicio, credidit tã proximè ad Homerũ accedere, vt propior primo quàm tertio esset. Trãseo poetarũ, & grãmaticorũ testimonia, quibus planè arguitur deliramentũ id Caligulæ fuisse, nõ iudicium.

Alt

alterum vt verbosum in historia, negligentémque carpebat. De iuris quoque consultis, quasi scientiæ eorum omnem vsum aboliturus sæpe iactauit, se (mehercle) effecturum, ne quid respondere possint præter* eum.

Item inuidia eius contra omnes. XXXV.

Etera familiarum insignia nobilissimo cuique ademit: Torquato torquem:

PHIL. Alterum vt verbosum.] Hoc ad Liuium referendum: qui tamen ex sententia eruditorum nobilissimus est Historicorum: ad quem visendum ex vltimis Galliarum Hispaniæque finibus viros nobiles Romã venisse Plinius, Hieronymúsque notificant. Caligula vt non solùm in viuentes, sed etiam in defunctos sæuiret: vt nõ solùm in corpora, sed etiam in ingenia stringeret feram, ferreámque naturam, cogitauit de abolenda Iliade, & Odyssea Homeri: à quo, ceu fonte perenni, vatum Pieriis ora rigantur aquis. Dicebat enim, Si licuit Platoni eiicere poemata Homerica ex illa sua ciuitate commentitia, & imaginaria: cur mihi vero principi non licet illa abolere? Tanquam ita animis imperare posset, vt corporibus. Nec mirũ, si Vergilium vt indoctum, si Liuium vt verbosum carpebat maleuolus, & osor virtuosũ princeps: cùm maxima semper ingenia fuerint inuidentium morsibus subiecta. Summa enim impetit liuor, minora prætéruolans: sic altiora fulminantur. Sic, vt ait Sidonius, linguas vituperonum cote liuoris acuminatas non fugere Demosthenes, & Cicero. Sic Homero, Mantuano, & Historico Patauino non defuere carptores. Nanque compilator Græcorum dictus est ab æmulis Maro: in quem ausi sunt critici stringere linguas. Et olim editus est liber à nebulone infando titulo inscriptus Vergiliomastix: sicut Zoilus Homeri obtrectator cognominatus fuit Homeromastix. Liuium quoque Asinius Pollio ausus est canina lacerare facundia, dicẽs se in illo inuenisse quandã Patauinitatẽ. Sed dum Caligula obiicit Vergilio inscientiã, ingeniíq; hebetationẽ, périnde facit, ac si Herculi obiiciat timiditatẽ. Dum in Liuio criminatur vbertatem, périnde est, ac si fœcunditatem culpet in fonte, & in Oceano largitatem insectetur: cùm Vergiliana maiestate nihil doctius, nihil ingeniosius: cùm Liuiana vbertate nihil fœcundius, nihil expetibilius excogitari possit.

*æquum

De iuris quoque consultis.] Plato, & Aristoteles præcipiunt, legem dominari debere vt regitiam, si volũt mortales honestè degere, & beatè: vbi verò lex non præest, sed subest, nec legi paret princeps, sed imperat: malè actum sit cum ciuitate illa est necessum. Caligula volebat legibus imperare, non parere, contra præscripta sapientissimorum: ideóque iactabat, se aboliturum vsum scientiæ Iurisconsultorum, quæ pertinet ad legũ interpretationem. Legis enim scriptum angustum, interpretatio legis diffusa est, cuius ministri sunt Iurisconsulti: adeò vt quod dictum est de magistratu iuridico, idem dici possit de Iureconsulto, videlicet Iurisconsultum legem esse loquentem. Sublato itaque vsu Iurisconsultorum, lex quodammodo muta fiet, & silens. Quocirca Caius volens abolere interpretamenta Iurisconsultorum, poterat videri leges ipsas tollere velle, atque concidere, vt ipsius fœdissimæ voluntates, & placita insanissima pro legibus haberentur.

Præter eum.] Quæ scilicet illi collibuissent. Libido enim regum, vt inquit Iustinus, pro lege est: &, vt testatur Iurisconsultus, Quod principi placuit, legis habet vigorem. Si verò legas, æquum: sensus erit, Caligulam iactasse se effecturum vt Iurisconsulti non tam ex præscripto legum responsa darent, quàm ex æquo & bono. Est autem æquum & bonum, non tam secundùm legem, quàm secundùm emendationem legis: nam, vt inquit eleganter Aristoteles in quinto Ethicorum, natura boni & æqui emendatio legis est: qua omissum erat aliquid præter vniuersale.

Ne quid respondere.] Verbo vsus est Iurisconsultis accommodato, qui propriè de iure respondere dicuntur. Author est Pomponius Iurisconsultus, ante tempora Augusti publicè respondendi ius datum non fuisse Iurisconsultis: sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant: neque responsa signata dabant. Primus diuus Augustus, vt maior iuris authoritas haberetur, constituit vt ex authoritate eius responderent. Legimus Neruam filium adhuc adulescentem, vel potiùs puerum, publicè de iure respondisse. Labeo quoque Antistius consulentibus de iure publicè responsitauit.

Insignia.] Insignia familiarum vocamus, quæ vnaquæque familia distinctionis causa habet peculiaria: vt illustres principes mei Bentiuoli habent insignia serrulata, ita apud priscos in gente Torquatorum erat torquis, ob illum torquem, quem interfecto Gallo detraxit Manlius, ob id Torquatus cognominatus. Hæc insignia Caius ex inuidentia, sæuáque natura nobilissimis detrahebat. Ita Torquato nobili id temporis in gente Torquata detraxit insignia torquis, ne eo honestamento amplius insigniretur.

M. AN. VErbosum in historia, negligentémque carpebat.] Liuium scilicet: sed Fabius, qui eum Herodoto comparat, ac suprà quàm dici possit in cõcionibus putat eloquentem, nihil luxuriare credidit.

Iurisque consultis.] Iuris scientiæ peritis.

Aboliturus.] Sublaturus.

Præter eum.] Omnes Tranquilli codices, quos vidimus, sic habent: ego æquum, non eum, legendum contenderim, vt sit sensus, statuisse Caligulam abdere omnia iuris volumina, ne quis posteà consultus, nisi ex æquo & bono, non autem ex Iureconsultorum authoritate respondere posset. Aliud est enim lege, aliud ex æquo & bono iudicare. Nec est cur eum ad Caligulam referas: siquidem, præter se, non eum, dixisset: quum ipse loqueretur.

Vetera insignia.] Ornamenta quædam à maioribus per manus tradita, vt gestandi torquis, & concinnatæ comæ vsum.

Torquato.] Torquatæ gentis viro cuidam: sed cuius familiæ nõ dicit: nam & à torque Gallo hosti adempto Torquati cognomen victori primùm, mox & familiæ vsurpatum, Liuius & Ouidius id prodiderunt. Cæterùm Caium Nonium Asprenatem ab Augusto aureo torque donatum planè constat, datúmque vt ipse, & posteri Torquati cognomen ferrent. In dubiũ igitur venire potest Asprenatum, an Manliorũ vni sit ipsum insigne ademptũ. Vegetius lib. 11. Torquati duplares, & simplares erant, quibus torquis aureus solidus virtuosũ præmiũ fuit. quem qui meruisset, præter laudẽ interdum duas consequebatur annonas, duplares duas, simplares vnam. Torquati tamen hodie vocitari debent equites, qui vulgò cochleati dicuntur.

Cincinnato crinem: Cn. Pompeio stirpis antiquæ, Magni cognomen: Ptolemæum, de quo retuli, & accersitum è regno, & exceptum honorificè non alia de causa repentè percussit, quàm quòd edente se munus ingressum spectacula, conuertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animaduertit. Pulchros & comatos quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat. Erat Esius Proculus patre primipilari, ob egregiã corporis amplitudinem, & speciem

PHIL, Cincinnato crinẽ.] Cincinnus, significat capillum cintorium: vt est in vite colliculus capreolus ouncu patus: author M. Varro. A cincinno cincinnati capillati dicuntur: & ab eodem cincinno Quintii veteres Romani cognominati sunt Cincinnati. Apud Liuium lib. III. ab origine vrbis luculenter historia perscribitur de Quintio Cincinnato, qui obsessi cõsulis & exercitus liberator ab aratro vocatus ad Dictaturam venit, ac rursus fascibus depositis, quos, vt inquit Columella, festinãtiùs victor reddiderat, quàm sumpserat Imperator, ad eosdem iuuencos, & quatuor iugerum auitum hærediolum rediit. Est autem hærediolum, vt Columellæ verbũ intelligas, prædiolum, ab eo dictum, quòd hæredem sequeretur. In legibus duodecim Tabularum in horti significatione semper nominabatur hæredium: ex quo diminutiua forma hærediolum dictum. Crinis autem, hoc est capillus, in familia Cincinnatorum erat pro insignibus: hunc ademit pessimus princeps cuidam Cincinnato ex illa vetusta familia: sicut cuidam Pompeio, qui à Magno Pompeio descenderat, ademit cognomentum illud Magni: quod Pompeius Magnus Africa subacta, & in deditionem redacta, tanquam spolium sibi comparauit: author Plinius. Sentire videtur Liuius Magni Pompeiũ cognomem cepisse ab assentatione familiari, sicut Felicis Syllæ. Plutarchus verò tradit, Pompeium ex bello Africano redeuntem à Sylla Magnum ingenti voce salutatum fuisse, qui iussit vt omnes, qui tunc aderant, consimiliter eum Magnum appellarent. Alii dicũt, cognomen hoc primùm in Africa ab vniuerso exercitu inditum fuisse Pompeio: deinde vim, atque consuetudinem ex hac Syllæ salutatione habuisse. Pompeius ipse serò, longóque tempore pòst se Magnum in Epistolis scripsit.

De quo retuli.] Paulò antè retulit, Ptolemæum regem fuisse à Caligula interemptum: cuius necem dum libertus vlcisci laborat, fuit causa vt arma Romana, Claudio iam principe, in Mauritania bellauerint.

Edente.] Exhibente.

Munus.] Spectaculum gladiatorum.

Fulgore abollæ.] Abolla, vestis est militaris, vt inquit Nonius. Abollam scribit Seruius vestem esse duplicem. Apud Martialem accipitur pro Cynici philosophi vestimento, sic scribentem:

Cerea quem nudi tegit vxor abolla grabati.

Apud eundem abolla Tyria, hoc est, purpurea, datur Crispino inter aulicos potentissimo:

Nescit cui dederit Tyriam Crispinus abollam.

Abollæ meminit Iuuenalis. Omnis autem purpura non est fulgore luminosa, sed quadam obscuritate censetur: quæ nisi strictiùs tollatur, non splendescit, nec implet oculos contuentium. Hinc Augusti iocus innotuit: qui cùm olim quereretur de obscuritate Tyriæ purpuræ, quam emi iusserat: dicente venditore, Erige altiùs, & suspice. his vsus est salibus: Quid? Ergo vt me populus Romanus dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum? Cæterùm sicut vestis pretiosa causam mortis præstitit Ptolemæo apud Caligulam, ita Imperium peperit Sylosonti apud Darium: qui olim curiosa contemplatione viderat Sylosontem amiculo purpureo indutum, eiúsq; pulchritudine captus id mercari voluerat. Sed Syloson, Ego, inquit, amiculum hoc nulla pecunia vendo, sed tibi dono do, si modò tuũ perpetuò esse debet. Mox Darius memor muneris liberaliter dati Sylosontem remuneratus est regia remuneratione: namque pro veste illi retribuit Imperiũ Sami insulæ fortunatæ & opimæ: authores Herodotus in Thalia, Valerius in IIII. Strabo in XIIII. Geographiæ.

Occipitio.] Miror, Albertum Magnum, virum alioqui eruditissimum, occipitium partem capitis anteriorem nuncupare, sinciput verò posteriorem: cùm apud Latinè, puréque scribentes in contrarium accipiantur: quod & alibi annotauimus.

Deturpabat.] Sicut ornamentum capitis est maximum coma, ita dehonestamentum turpissimum est capillamenti amputatio: in tãtum vt ipsa Venus dearum pulcherrima, si calua processerit, placere non possit, ne Vulcano quidem suo. Comati verò, qui mallent Rempublicã turbari, quàm comam, si hoc tempore raso capite deturparentur, Deus bone, quas lamentationes, quos eiulatus facerent? quàm plorabili querimonia perditam comam complorarent? qui non minus temporis, minúsque curæ impendunt concinnatoribus capillorum, quàm studiosi doctoribus disciplinarum.

Esius Proculus.] Nomen est proprium viri staturosi.

M. A N. Cincinnato.] Cui gentile erat coocinnatum capillum ferre.

Stirpis antiquæ.] A Magno Pompeio deductæ.

Cognomen Magni.] Ne Magni cognomen ferret. Eam appellationem ex clarissima illa Orientis victoria Pompeio quæsitam, Appianus innuere videtur: qui Pharnace sub primum accessum superato ait Cæsarem exclamasse, Hi sunt qui te Magnum fecere Pompei. Plutarchus eum admodum iuuenem ad Syllam cum exercitu venientem ab eo Magnum appellatum tradidit. Plures ex Africa ab eo Magni appellationem relatam dicunt.

Percussit.] Occidit.

Munus.] Gladiatorum spectaculum.

Fulgore.] Splendore.

Abollæ.] Vestis Senatoriæ, vt Festo placet, quasi abullæ, quòd sit vndique bullata. Nonius Varronem sequutus militarem vestem abollam interpretatur. Varro: Toga detracta est, abolla data.

Occipitio.] Posteriore parte capitis. Persius:

Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ.

Occiput dicimus, & occipitium.

Esius Proculus.] Et hic quoq; locus mendosè meo iudicio legitur: omnia enim quæ vidimus Tranquilli exemplaria suis habent, quasi duæ sint partes orationis, quod ne eleganter quidem diceretur: ex qua lectione nullus sequitur sensus: quare Esius nomen melius accipies, vt sit Esius Proculus, siue Elius.

*coloſſeros dictus. Hunc è ſpectaculis detractum repentè,& in arenam deductum, Thraci, & mox hoplomacho comparauit:biſq; victorem conſtringi ſine mora iuſſit: & pannis obſitum vicatim circunduci, ac mulieribus oſtendi, deinde iugulari. Nullus denique tam abiectæ conditionis, támque extremæ ſortis fuit, cuius non commodis obtrectaret. Nemorenſi regi, quòd multos iam annos potiretur ſacerdotio, validiorem aduerſarium ſubornauit. Quum quodam die muneris eſſedario Porio ob proſperam pugnam

*Coloſſæos

PHIL. Coloſſeros dictus.] Coloſſos,authore Plinio, vocant moles ſtatuarũ turribus pares. Inde Proculus coloſſeros,ſiue coloſſæos dictus eſt,cùm eſſet ſtaturoſus.Statuæ quoq; iogẽtes coloſſæ,& coloſſicæ à veteribus oũcupatæ ſunt.Spartianus:Statuas Cælio Vero per totam vrbem coloſſas poni iuſſit. Plinius:Fecit Phidias alterum ſignum coloſſicoo oudũ. Vitruuius in x. coloſſicotera ooera,comparatiuo nomine eleganter dixit, intelligi volens ingentiora,magiſque coloſſica.

Hũc è ſpectaculis.] Qui inter ſpectatores ſedebat, ſpectabátque alios gladiatores io arena gladiatoria digladiantes.

Thraci.] Gladiatores quidam ſpeciali vocabulo Thraces dicti,ab armatura Thracum. Horatius:

- Ad imum Thrax erit. Quem locum exponens Porphyrio ait: Auctorabitur in ludum, vt gladiator ſit. Mirmilloni in certamioe gladiatorio opponebatur Thrax: quod ſignat Auſonius in moooſyllabis, cùm ait: Quis Mirmilloni conteoditur? æquimanus Thrax. Cicero in v s. Antonianarum: Thracem iugulaoit familiarem ſuum. De Thrace gladiatore intelligendum eſt illud Plinianum ex x I. Thraci ſtudioſo in Caii Cæſaris ludo ootum eſt dexteram fuiſſe proceriorem. Signat enim Plinius gladiatorem ex his, qui Thraces vocitantur,ſolitum in Caligulæ ludo gladiatorio exercere gladiaturam.Caligula enim,qui dicitur Caius Cæſar,delectabatur Thracibus.Inde arma Thracis gladiatoris dicta Threcidica.Cicero io ſexta Antonianarum: Mirmillo io Aſia depognauit,cùm ornaſſet Threcidicis comitem,& familiarem ſuum:illum miſerum fugientem iugulauit.Ciceroniani codices meodoſi ſuot. Iotèrpretes quoq; illud Threcidicis perperam & legunt, & interpretantur. Hoplomacho.] Gladiatorem vocant hoplomachum,quaſi cum armis militaribus & ſcuto depugnantem.Græci enim τὸ ὅπλον dicunt ſcutum: τὰ ὅπλα arma,& μάχομαι pugno. Martialis:

Hoplomachus ounc es,fueras ophthalmicus antè.

De hoplomachis gladiatoribns ait Iulius Firmicus in v I I.Si Mars fuerit in finibus Iouis, famoſi gladiatores naſcentur:hoplomachi naſcentur, ſi teſtimonium Veneris defuerit Marti. Comparauit.] Oppoſuit, commiſit. Biſq; victorem.] Cùm primò Thracem, deinde hoplomachũ viciſſet. Pannis obſitum.] Veſtito ſordido,ſqualleotiq; oboolutum magis, quàm indutum. Tale eſt illud Terentiannm: Video quendam aonis,& pannis obſitum. Tranſlatio eſt ab ægro, vt inquit Donatus. Vicatim.] Per vicos vrbis. Obtrectaret.] Noceret,incommodaret. Nemorenſi regi.] Iuxta Aricĩa lucus eſt Dianæ, Artemiſium vocant, vbi barbaricus, Scythicúſq; mos obſeruatur. Nanq; ſacerdos inſtituitur fugitiuus quidam vir gladium tenẽs, & inſultus ſemper circuoſpectans:&,vt inquit Strabo,ad ſe turandum ſtrennè paratus.Scribit Seruius in hoc Artemiſio fuiſſe arborem illam, qoam celebrat Vergilius in v I. de qoa infringi ramum ooo licebat.Dabatur autem fugitiuis poteſtas,vt ſi quis éxinde potuiſſet auferre,monomachia,hoc eſt ſingulari certamine, cum fugitiuo templi dimicaret: cui victo victor ſuccedebat in ſacerdotium: idque peculiariter regnum vocabatur, & ipſe ſacerdos rex Nemorenſis dictus, à nemore illo Dianæ ſacrato, quod Artemiſium ouncupari ſignificauimus. Hinc ab Ouidio dictum eſt in tertio Faſtorum:

Regna tenent fortes manibus, pedibúſque fugaces,
Et perit exemplo pòſtmodò quiſque ſuo.

Item in primo de Arte:

Ecce ſuburbanæ templum oemorale Dianæ,
Partáque per gladios regna nocente manu.

Hinc Valerius Flaccus io ſecundo Argonauticorum:

-Et ſoli non miris Aricia regi.

Lucanus quoque in tertio Pharſaliæ ſic inquit:

Quà ſublime nemus, Scythicæ qua regna Dianæ.

Caligula,qui omnium commodis incommodabat, immiſiequendam ſugitiuũ robuſtiorem, qui cũ rege illo Aricino ſacerdote depugnaret: vt ita ſuperatus & vita ſpoliaretur,& ſacerdotio: etſi ſacerdotiũ illud erat conditionis vilioris. Muneris.] Spectaculi gladiatorii.

Eſſedario.] Eſſedariũ appellat certatorẽ nomioe Poriũ,qui ex eſſedo depugoabat: videtúrq; ſignificare laniſtã. De eſſedariis Britãnis lõga eſt diſertatio apud Cæſarem in commẽtariis:& oos ſuperiùs meminimus: qui alio oomine dicuntur couinarii,à couino curru.

M. AN. Coloſſeros] Maior quidam coloſſus.

E ſpectaculo.] E canea ſpectaotium in ſubiectum theatri locum. Thraci.] Retiario. Seneca: Si Thrax eſſem,fuſus eſſem.

Mox hoplomacho.] Hoplomachus gladiator, qui ſcuto,& ferro in ſpeciẽ iuſtæ pugnæ dimicat. ὅπλον Græci ſcutum vocant, μάχομαι pugno: quanquã καὶ τὰ ὅπλα Græci arma, καὶ ὁπλίτην armigerum dicunt.

Comparauit.] Commiſit. Bis victorem.] Thrace,& Hoplomacho victis. Obſitum.] Sordidis veſtibus,& ſquallore coopertum. Mulieribus oſtendi.] quibus ob elegantẽ formã gratiſſimum fuiſſe ſenſerat.

Obtrectaret.] Detraheret,malediceret.

Nemorẽſi regi.] Aricinæ Dianæ ſacerdoti. Ariciæ ipſum quoq; ſacerdotiũ rrgnũ dicebatur. Ouidius:

Regna teneot fortes manibus,pedibúſq; fugaces:
Et perit exemplo pòſtmodò quiſque ſuo.

Siquidem quotannis ferro decertare cogebatur, qui ſi victor fuiſſet,victũ pro hoſtia numini dabat: ſi victus, is,qui viciſſet,ſacerdooium obtinebat.Sed huius feri ritus,præter Ouidium, Plinius, Strabo, Lucanus, & alii plerique memioerunt.

Multos annos.] Quaſi rarò aliàs coorigiſſet,vt tam diu quiſquam ſuperſtes fuiſſet:quum circumacto ferè anno ſagina grauis,& deſes ferociſſimo hoſti,& morti deuoto obiiceretur.

Validiorem.] Potentiorem.

Aduerſarium.] Hoſtem concertatorem.

Snbornauit.] ſubſtruxit,inſtigauit.

Eſſedario Porio.] Laniſtæ: quod in Claudio apertiùs oſtenditur.

Seruum

seruum suum manumittenti studiosiùs plausum esset, ita se proripuit è spectaculis, vt calcata lacinia togæ, præceps per gradus iret indignabundus, & clamitans, dominum gentium populum ex re leuissima plus honoris gladiatori tribuentem, quàm consecratis principibus, aut præsenti sibi.

Luxura, & libido eiusdem. XXXVI.

PVdicitiæ neq; suæ, neq; alienæ pepercit. Marcum Lepidum, M. Nestorem Pantomimum, quosdã obsides dilexisse fertur, commercio mutui stupri. Valerius Catulus consulari familia iuuenis, stupratum à se, ac latera sibi contubernio eius defessa, etiam vociferatus est. Super sororum incesta, & notissimum

PHIL. SEruom.] Qui erat in familia lanistæ gladiatoria.

Plausum esset.] A spectatoribus.

Calcata lacinia.] Illa vestis, inquit eleganter Symmachus, decenter indutui est, quæ non trahit puluerẽ, nec in humum demissa calcatur. Laciniam, hoc est extremam togę particulã, cùm prolixior esset, pedibus pressit, conculcauitque Caligula per indignationem è spectaculo se furenter eripiens, adeò vt præceps per singulos gradus iret: more eorum, qui vestigia titubata tenere nõ possunt. A lacinia laciniosus deriuatur: accipiturq; pro flexuoso, sinuosóque: ab Apuleio conuallis laciniosa: à Hieronymo disputatio laciniosa decenter dicitur, pro tortuosa, & implicata. Sũt enim laciniæ in vestimẽto cæsuræ particulatim concisæ decoris causa: vnde laciniata vestis, & aduerbiũ laciniatim, quod significat particulatim, & per flexuras. Apuleius: Non laciniatim disperso, sed cuneatim stipato cõmeatu difficultates illas transabiremus. Laciniosa fuit Alexandria anguloso procursu. Columella iubet pecus ægrotum distribui in lacinias, hoc est, in particulas separari, vt faciliùs conualescat.

Plus honoris.] Propter plausum, quo prosecuti fuerant manumissionem gladiatoris manumissi à Porio essedario.

Cõsecratis principibus.] Moris fuit apud Romanos, vt principes in theatro populari plausu exciperẽtur: hos autem tergeminos honores appellat Horatius.

Præsenti sibi.] Cùm debeat principis vrgere præsentia: & hoc ipso honoratior solet esse.

Sibi.] Vis est in pronomine, Sibi, qui princeps erat. Sibi, qui deus videri volebat. Sibi, qui diuino cultu venerabilis, & venerandus apparebat. Sibi, qui se fratrem Iouis, vt inquit Iosephus, est ausus appellare. Sibi, qui se dominum imposito diademate, vt ait Sextus Aurelius, iussit nominari.

Neq; suæ.] Stupratũ, stupratorémq; fuisse significat.

Pantomimũ.] Histriones pantomimi dicũtur, ab egregia quadã rerum omniũ imitatione. Furius Bibaculus, Fuerã, inquit, & vocabar pãtomimus. Scribit Iulius Firmicus, pantomimos nasci, qui habẽt Leporis sydus in horoscopo, si eum locũ Venus respexerit. Olim pantomimi sublati fuerunt à Domitiano, restituti mox à Nerua: quos Traianus iterum sustulit, vt scribit Plinius in Panegyrico. Celebratur mors repentina duorum equitum, qui in Venere obierunt coeũtes cum Pantomimo mythico tunc forma præcellente.

Quosdam obsides.] In hanc sententiam est illud Satyrici poetæ:

Aspice quid faciant commercia, venerat obses;
Hîc fiunt homines.-

Caligula quosdã in obsidatum datos turpi amore dilexit, dum illos subagitat, & ab illis vicissim subagitatur.

Mutui.] Cùm pariter agerẽt, & paterẽtur muliebria.

Stupratũ.] Scilicet Caligulã. Cõtubernio.] Obscœna sodalitate, & probrosa cõtubernalitate, atq; cõuictu.

Defessa.] Catullus eleganti vocabulo latera per cõcubitum crebriorem exhausta appellat exfututa: nam frequens Venus debilitat, subneruátq;, & in primis latera: vnde parcere lateri, est abstinere à coitu. Iuuenal.

-Nec queritur quod
Et lateri parcas.-

Ouidius præcipiẽs exercendam Venerem ait:

Sed lateri nec parce tuo.-

Sunt enim in lateribus renes: quos ait Varro ita dictos, quasi riui ab his obscœni humoris oriantur. Quidam philosophorum libidines rerum Venerearum in iecore contineri arbitrantur. quod à Lactãtio quoq; memoratur in lib. de Opificio.

Pyrallidis.] Nomen est proprium meretriculæ, quam amauit Caligula. Aliàs pyralis est pennata bestiola, magnitudine muscæ, ex igne proueniens, vnde & nomẽ: à quibusdam pyrausta appellatur: quandiu est in igne, viuit: cùm euasit, longiore paulùm volatu, tunc emoritur.

M. AN. MAnumittenti.] Libertatem donanti.

Seruum suum.] Vnum ex familia, ex iis videlicet, qui ad gladiaturam sub eo instituebantur.

Ob prosperam pugnam.] Quia idem gladiator in munere prosperè pugnasset.

Studiosiùs.] Maiore quodam studio, & fauore, velut ei, qui gratè, & non auarè fecisset, vt hunc, qui prospere pugnasset, & sua seruitute retinere liceret, libertate tamen donasset.

Proripuit.] Cum impetu, & indignatione se spectaculo subtraxit.

Calcata.] Pedibus pressa.

Lacinia.] Extremæ vestis scissura. Sunt enim laciniæ scissuræ in extrema parte vestium ornatus gratia factæ: vnde laciniatæ vestes. A lacero id nomen: hinc lacesso, quod est lacerando prouoco, seu irito. Apuleius sæpissime laciniam pro veste accipit.

Præceps.] Præcipitanter ruens.

Gladiatori.] Qui ob prosperam pugnam manumissus esset.

Neque suæ.] Quasi dicat, ne suæ quidem pudicitiæ, non modò alienæ, rationem habuit.

Commercio.] Nefaria consuetudine.

Stupratum.] Caligulam.

Contubernio.] Domestico vsu.

Defessa latera.] Stupri assiduitate. Iuuenalis:

-Nec queritur quod
Et lateri parcas.- & rursus:
Quantum erat exhausti lumbos donare clientis.

Vociferatus.] Clara, & alta voce testatus.

Super sororum incesta.] Supra nefarios sororum concubitus.

Notissimum amorem.] Præter repete, quòd perditè prostitutam amauerat ancillam.

Lentè.] Cunctanter, otiosé.

Prost

prostitutæ Pyrallidis amorem, non temere vlla illustriore fœmina abstinuit, quas plerunque cum maritis ad cœnam vocatas, prætérque pedes suos transeuntes diligenter, ac lentè, mercantium more considerabat, etiam faciem manu alleuans, si quæ pudore summitterent. Quoties deinde libuisset, egressus triclinio, quum maximè placitam seuocasset, paulò pòst recentibus adhuc lasciuiæ notis, reuersus vel laudabat palàm, vel vituperabat, singula numerans bona, maláve corporis, atque concubitus. Quibusdam, absentium maritorum nomine, repudiũ ipse misit, iussítq; in acta referri.

Luxuria eiusdem in cœnis, balneis, ædificijs, & alijs operibus. XXXVII.



NEpotinis* sumptibus omnium prodigiorum ingenia superauit, commentus

*Nepotatus

PHIL. PRostitutæ.] Instar vulgaris scorti, & diobolaris. Dicitur enim diobolare scortũ, quod duobus obolis conducitur. Mendosus est locus apud Varronem in tertio de Latina lingua, in cuius codicibus impressis sic legitur: Viuolares Sabini soboles. corrupto sensu ex literarum confusione, innersione, & ordine præpostero. Tu ita lege, Diobolares, à binis obolis. Docet enim Varro, diobolares meretrices dici à binis obolis, à duobus minutulis nummulis, qui pro pretio concubitus numerantur. Plautus in Pœnulo dixit, seruulorum sordidulorum esse scorta diobolaria. Erat itaque ob infamiam notissimus amor, quo Caligula afflictim amabat turpem, & prostitutam meretricẽ Pyrallida: potuissétq; videri tolerabilis, si sequutus foret illud Catonianũ, Horatianúmque præceptum:

Huc iuuenes æquum est descendere, non alienas
Permolere vxores.

Et illud Plautinum: Dum te abstineas nupta, vidua, virgine, iuuentute, & pueris liberis, ama quod lubet. Sed Caligula & prostitutas amabat, nec illustrioribus matronis abstinebat, nuptásq; sectabatur.

Præter pedes.] Iuxta pedes.

Mercantium more.] Mos est mercatorum, vt mercẽ, quam empturi sunt, otiose, & cum quadam lentitudine etiam, atq; etiã contẽplentur. Hoc idem faciebat Caius in spectanda, pensitandáque matronarum formositate.

Sũmitterent.] Ad terrã demitterent, more matronarum verecundarum. Decet enim talis pudor ingenuam mulierem. Vergilius:

Tum breuiter Dido vultum demissa profatur.

& sicut γυναιξὶ κόσμον ἡσυχία φέρει, mulieribus ornatum præbet taciturnitas, ita & verecundia.

Seuocasset.] Solam seorsum euocasset: quod signũ est futuri concubitus.

Notis.] Signis, vestigiisque peractæ libidinis: qualia sunt illa apud Iuuenalem:

Humida suspectis referens multitia rugis,
Vexatásque comas, vultúmque, aurémq; calentem.

Laudabat palàm.] Agebat contra Ouidii documentum scribentis:

Præcipuè Cytherea iubet sua furta taceri.

Cui adstipulantur Tibullus, & Propertius: quorum alter cecinit:

Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu. alter tradit:
In tacito cohibe gaudia clusa sinu.

Bona, maláve cõcubitus.] Scribit Lucretius in quarto, scorta in concubitu moueri, vt ipsa Venus sit cõcinnior viris, & suauior. Caligula palàm dicebat de concubitu matronarũ, quid cõcinnitatis, quid insuauitatis habuisset. Itidem bona corporis vel vitia, si qua latebant, promulgabat: adeò nullam rationẽ habebat matronatus, matronalisq; dignitatis. Signat autẽ historiã, quam legimus apud Senecã in libro 11. quòd in sapientẽ nõ cadit iniuria: Erat Valerius Asiaticus in primis ferox, & vix æquo animo alienas cõtumelias laturus, huic in cõuiuio, in concione voce clarissima qualis in concubitu esset vxor eius, obiecit. Hæc tam atrox, támq; insigniter facta iniuria effecit, vt Asiaticus inter præcipuos authores interficiendi Caligulæ fuisse prodatur: quanuis ipse dicat apud Iosephum, cùm quæreretur de interfectoribus Caii, Vtinam ego interemissem. Hic deinde, ac cepto Claudii iussu libero mortis arbitrio, venas secuit, vt docet C. Tacitus.

Repudiũ misit.] Sensus est: Caius princeps libellũ repudii misit ad quasdam matronas nomine non suo, sed maritorũ, cùm illi essent absentes.

In acta.] Tale est illud poetæ: Cupient & in acta referri. Nam, vt res testatior esset de repudio matronarum, voluit in acta publica referri.

Nepotinis sumptibus.] Luxuriosis, & immodicis profusionibus impensarum. In vetusto codice legimus nepotatus: quod placet. Etenim nepotatum dicimus luxuriam, prodigámq; profusionem: & nepotari, significat luxuriose, & prodigaliter viuere: quo verbo vsus est Tertullianus in Apologetico: Aristippus, inquit, in purpura nepotatur.

Prodigorũ ingenia.] Duo sunt, inquit M. Tullius, genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales. Prodigi, qui epulis, & viscerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum, venationũmq; apparatu pecunias profundunt. Veteres dixere prodigitatem, & prodigentiam, profusionem, quam nunc prodigalitatẽ.

Commentus.] Cùm excogitasset.

M. AN. MErcantiũ more.] Tanquam aliquid mercaturus.

Faciem.] Ipsarum mulierum.

Alleuans.] Attollens, erigens.

Summitterent faciem.] Est enim muliebris decori vultum coram viris demittere. Vergilius:

Tum breuiter Dido vultum demissa profatur.

Contrà petulantis, & impudicæ attollere. Iuuenalis:

Cúmque paludatis ducibus præsente marito,
Ipsa loqui recta facie, strictisque mamillis.

Lasciuiæ notis.] Patratæ libidinis signis.

Mala.] Vitia, quæ laterent.

Concubitus.] Coeundi rationem, quam in fœmina obseruasset.

Quibusdam.] Matronis scilicet. Referri in acta.] Vt publicè constaret. Capitolinus author est, apud præfectũ ærarii notari solita, quæ publicis actis maiores inferri voluissent. Nepotinis.] Luxuriosis. Nepotes luxuriosæ, vt Festo placet, vitæ homines: quòd tã his suæ res curæ sint, quàm iis, quibus pater auúsq; viuunt. Plinius Apitiũ altissimũ appellat nepotum gurgitẽ. Inde nepotatus pro luxuria & voracitate. Afranius scurrilitate, & nepotatu nobilis. Inde & nepotinus.

nouum balnearum vſum, portentoſiſſima genera ciborum, atque cœnarum, vt calidis, frigidiſque vnguentis lauaretur: pretioſiſſimas margaritas aceto liquefactas ſorberet: conuiuis ex auro panes, & obſonia apponeret: aut frugi hominem eſſe oportere dictitans, aut Cæſarem. Quin & nummos non mediocris ſummæ è faſtigio baſilicæ Iuliæ per aliquot dies

PHIL. Portentoſiſſima.] Inuſitata, atque admiranda loco, viceque portenti. Plinius appellat ingenia portentoſa, quæ noua luxuriæ inſtrumenta excogitauerunt.

Vt calidis.] Hoc referendum eſt ad nouum vſum balnearum: neq; enim anteà vſitatum fuerat lauari in balneari ſolio vnguentis calidis, frigidiſque. Vnde Plinius noſter hoc cõmentum Caii Caligulæ in XIII. taxat his verbis: Necnon aliquem ex priuatis audiuimus iuſſiſſe ſpargi parietes balnearum vnguento, atque Caium principem ſolitum lauari: ac ne principale videatur hoc bonum, & poſtea quendam ex ſeruis Neronis.

Vnguentis.] Vnguenta, ſicut ſcribit Pomponius Iuriſcõſultus, ea intelligimus, quæ & voluptatis, & valetudinis cauſa comparantur. Sed Plinius, & reliqui ferè omnes, qui Latinè, & puriter loquuntur, vnguentorum nomine ea ſignificãt, quæ ad voluptatem, & elegantiam tantùm conficiuntur: cùm medicamenta illa veriùs dicantur, quæ ad valetudinem pertinent: quorum multiiuga ſunt nomina. Ariſtippus, authore Seneca, aliquando delectatus vnguento, Malè, ait, iſtis effœminatis eueniat, qui rem tam bellam infamauerunt. De compoſitione vnguentorum, & nominibus lege quæ ſcribit Plin. in XIII. qui cùm omnia diligenter, copioſéque explicaſſet, Hæc eſt, ait, materia luxus è cunctis maximè ſuperuacui: vnguenta illico expirant, & ſuis moriũtur horis. Olim Licinius Craſſus, & Iulius Cæſar cenſores edixerunt, ne quis vẽderet vnguẽta exotica. Sic enim peregrina, & externa nuncupantur. Ex quo eſt illud Plauti: Nõ poſſunt omnes olere vnguenta exotica. Quod ad ſententiam Tranquilli pertinet, ait Plinius audiuiſſe, Caium principem ſolitum lauari vnguento. Græci μύρον vocant vnguentum: μυροπώλιον tabernam vnguentariam: μυροπώλην vnguentarium. Sic enim dicitur, qui conficit vnguenta, & vendit: cùm cõfector medicamentorum nominetur medicamẽtarius. Apud Plinium, qui ſignificãtiſſimè ſcribit, inuenies vnguentarium à medicamento ſeiungi, ſicut vnguenta à medicamentis.

Margaritas liquefactas.] Clodius Tragœdi Aeſopi filius, vt experiretur in gloria palati, quid ſaperẽt margaritæ, ſingulos vniones conuiuis abſorbendos dedit: ne luxu ſuo nimis ſuperbiat Caius princeps hiſtrioni comparatus. Horatius in II. Sermonum:

Filius Aeſopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet vt decies ſolidum exorberet aceto,
Diluit inſignem baccam.

Hoc idem fecit Cleopatra, cùm vnionem pretioſiſſimũ ex aure detractum merſit in aceto, & liquefactũ abſorbuit, facta cum M. Antonio ſponſione, ſe ſolam vna cœna centies ſeſtertiũm abſumpturam. Hiſtoria ſcribitur à Plinio in IX. à Macrobio in III. Saturnalium.

Aceto.] Scribit Plinius in IX. aſperitatem, vimque aceti in tabem margaritas reſoluere.

Ex auro panes.] Scribit Plutarch. In libro de claris mulieribus, quemadmodũ olim vxor Pithei id temporis ditiſſimi marito appoſuit aureos panes, omnia cibaria ex auro fabrefacta, ad illius auaritiam caſtigandam auro ſemper inhiantis, & aurifodinas iugiter exercentis: cui olim ex peregrinatione domum reuertẽti vxor menſam aureã apponi iuſſit, in qua omnia erant ex auro obſonia. Gauiſus Pitheus primo aſpectu, mox ſatiatus auri inſpectione cibum afferri præcipiebat. Verùm mulier cũcta ex auro cõcinnata iubebat apponi. Cúmque ille iracundia percitus eſurire ſe diceret, neque ſe aurum id temporis deſiderare, ſapienter inquit vxor, Tu nullius rei, præter hanc vnam, habendæ facultatem præbes. Omnis cura virorum tuo iuſſu occupata eſt in auro fodiendo, vt nemo iam agros colat, nemo fruges ſerat, nemo arbores plantet. Hac vxoria caſtigatione cõmotus Pitheus, quintam duntaxat ciuiũ partem in aurifodinis continuit: reliquos tum agriculturæ, tum cæteris artibus operam dare præcepit.

Obſonia.] Eſculenta, quibus cum pane veſcimur, vulgò obſonia dicuntur. Græci ὄψον vocant obſonium, & ὀψοποιὸν concinnatorem eduliorum. Obſonare, eſt emere obſonia: obſonatores, qui emendis, & concinnandis obſoniis præſunt: de quibus in Annotationibus plura. Cato dixit obſonitauere, pro ſæpe obſonauere. Optimum obſonium eſt fames: &, vt dicebat Alexander Magnus, ad prandium optimus eſt coquus, optimúmque obſonium νυκτοπορία, id eſt, nocturnum iter: ad cœnam verò ὀλιγαριστία, id eſt, prandii parcitas.

Aut frugi, aut Cæſarem.] Hoc eſt, vel parcum, vel magnificentiſſimum, lautiſſimúmq;. Frugi per omnia genera indeclinabiliter dicitur: & ſignificat temperatũ, parcum, moderatum: vnde frugalitas, vt author eſt Cicero, appellari poteſt ea virtus, quam Græci σωφροσύνην, Latini tum temperantiam, tum moderationem appellare conſueuerunt. Græci frugi homines χρησίμους dicũt, id eſt, vtiles: & id ſcribit Donatus, qui frugi vtile interpretatur, & M. Cælius, qui ſe eſſe hominem frugi dictitabat, hoc eſt, vtilem multis, & fructuoſum. Sed, vt ait Cicero, id nomen latius eſt, vt non ſolùm vtilis, ſed moderatus, & temperans, & parcus frugi dicatur. Hinc cognomen Lucii Piſonis magnopere laudatum, qui frugi dictus eſt. Illud attende, quòd qui frugalis dicit, Latinitate peccat, ſi credimus Quintiliano, qui monet vt frugi dicatur, frugalis verò relinquatur contentioſis.

Faſtigio.] ſumma altitudine, & culmine.

Baſilicæ Iuliæ.] Vitruuius architectus tradit, ſe præfectum fuiſſe baſilicæ Iuliæ faciendæ.

Portentoſiſſima.] Noua, & inſueta: vt portentorum loco haberi poſſent. Seneca: Caius Cæſar Auguſtus, quem mihi videtur rerum Natura edidiſſe, vt oſtenderet quid ſumma vitia in ſumma fortuna poſſent, centies ſeſtertio cœnauit vno die. M. AN.

Margaritas aceto liquefactas ſorberet.] Quod Cleopatra quoque in luxurioſis, & intempeſtiuis Antonii cœnis feciſſe dicitur, quæ vnionem ea tempeſtate maximum liquefactum hauſit, profeſſa grandi ſponſione ſe centies ſeſtertiũm vna cœna abſumpturam: Plinius & Macrobius ſunt authores.

Obſonia apponeret.] Quæ cum pane apponuntur.

Aut Cæſarem.] Eum, qui omnia poſſet, vel cui præ cunctis ſumptuoſiſſima conuiuia parare liceret.

Baſilicæ Iuliæ.] De ea in Auguſto abundè diximus.

Sparſit

sparsit in plebem. Fabricauit & de cedris liburnicas gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum, & porticuum, & tricliniorum laxitate, magnáque etiam vitium, & pomiferarum arborum varietate, quibus discumbens de die inter choros, ac symphonias, litora Campaniæ peragraret. In extructionibus prætoriorũ, atque villarum, omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat, quàm quod posse effici negaretur. Et iactæ itaque moles infesto, ac profundo mari, excisæ rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata fossuris montium iuga, incredibili quidem celeritate, quum moræ culpa capite lueretur. Ac ne singula enumerem, immensas opes, totúmque illud Tyberii Cæsaris, vicies, ac septies millies sestertium

PHIL. Sparsit in plebem.] Olim populus Romanus nummos sparsit, Posthumio, & Martio consulibus: & Cn. Scipio infamis existimatus est, quòd pecuniam sparsisset in populum. Scribit Iosephus, Caium Caligulam ascendisse in Capitolium, vt pro filia sacrificaret: & in Imperialis loci culmine stantè dispersisse populo auri argentique pecunias: ex quo loco Chæreas cogitauit præcipitem impellere.

Liburnicas.] Naues, de quibus ante dictum est.

De cedris.] Author est Plinios, reges in Aegypto, ac Syria ad naues conficiendas vios esse cedro inopia abietis. Diodorus quoque testis est in XI. Bibliothecæ, ex cedris naues ingentes fabrefactas fuisse à regibus Aegyptiacis. Materiæ cedri æternitas est: ideóque simulacra deorum ex ea factitauerunt. Cedrinus fuit Romæ Apollo Sosianus. Tectũ templi Ephesiæ Dianę fuit ex cedrinis trabibus. Vt refert Plinius in XVI. cariem, vetustatémque non sentit cedrus.

Versicoloribus velis.] Cleopatra velo purpureo ad Actium venit cum M. Antonio, eodémq; fugit. Versicoloria appellare videntur Iurisconsulti non solùm ea, quæ diuersi coloris sint, sed etiam quæ tincta, infectáq; fuerint, natiuúmque colorem immutauerint. Sed apud Plinium, & scriptores alios luculentos, versicoloria dicuntur à varietate colorum, sicuti caudæ pauonis, & maculæ viperarum versicolores nominantur. Olim interdictum fuit matronis, ne versicoloribus vestiretur: hoc est, vestibus coloris varietate distinctis.

Thermarum.] Hinc laxitas, & amplitudo nauigiorum significatur: in qoibus & thermæ, & porticus, & triclinia erant capacissima, vnà cum viridariis, pomariisq;.

Inter choros.] Multorum vocibus constat chorus, vt Seneca, & Macrobius prodiderunt. Est enim multitudo cantorum, ad musicum concentum conficiendum præparata. Chorus apud priscos ex seruis symphoniacis comparabatur: ex quo apud Iurisconsultos titulo De ædil. edic. scriptũ est: Si chorus veneat, plurimũ referre, nũ in singulos, an in vniuersos pretiũ constituatur. Itidem lib. de legatis tertio, ait Celsus: Si chorus legetur, périnde ac quasi singuli homines legari sint.

Symphonias.] Musicos cõcentus: vnde & symphoniaci pueri à Cicerone dicti, qui ad modulationes musicas, concentúsque conficiendos comparãtur. A Latinis symphonia enuntiatur penultima correpta, cõtra consuetudinem vulgatiorem. De Vero Antonino hoc idẽ memorat Iulius Capitolinus, quòd scilicet inter symphonias, & cantica per maritimas ciuitates nauigaret.

Prætoriorum.] Iam suprà docuimus, prætoria in agris dici ædificia magnificentiora, atque elegantiora, quorum ædificationes dicuntur extructiones, substructionésve. In quo significatu est illud Ciceronis in oratione pro Milone: Propter insanas illas substructiones facilè mille hominum versabatur valentiũ.

Moles.] Saxa ingentia, pilæ, ædificia.

Iactæ mari.] Qui fastidiosus terræ est, ædificat in mari. In hanc sententiã est illud Horatii lib. III. Carm.

Contracta pisces æquora sentiunt
Iactis in altum molibus. Huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominúsque terræ
Fastidiosus.

Iosephus scribens, Puteolanas moles, de quibus antè dictũ est, fabrefactas fuisse à Caligula sic ait libro vndeuigesimo Antiquitatũ: Graue putans vt remis transitum faceret, putánsque subiicere sibi etiam elementum aquæ posse, velut domino maris existente, talia etiam volebat fluctibus gerere, qualia solet terræ natura sustinere. Voluit ergo & à litore ad litus stadia fermè trecenta In medio mari, & intra tam vastum sinum, pontem construere, soper quẽ carrucis, & diuersis vehiculis itinera valeret efficere.

Aggere æquati.] Ex aggeratione terræ cumulati. Hoc idem factitauit Xerxes, qui velut Naturæ ipsius dominus conuexa vallium æquabat, montes in planum deducebat, maria pontibus sternebat.

Totum illud Tyberii.] Omnes illas luculentas pecunias, quas congesserat Tyberius, & Caio successori reliquerat.

Capite.] Pœna capitali.

Lueretur.] Puniretur.

Moræ culpa.] Qui fuisset lentius operatus, pœnã capitis dabat pro lentitudine.

M. AN. Cedris.] Pretiosa cedri materia. Plinius: Cedri duo genera, quæ floret, fructum non fert, fructifera non floret. Nec multò pòst, Materiæ, inquit, ipsi æternitas: itaque & simulacra deorum ex ea factitarunt: in Syria ea arbor prouenit.

Versicoloribus.] Colorum varietate præditis.

Magna thermarum laxitate.] Laxioribus thermis, porticibus, & tricliniis.

Pomiferarum arborum.] His quoq; nanim excultã fuisse subaudi.

Choros.] Canentium cœtus.

Symphonias.] Concentus.

In extructionibus.] Aedificationibus.

Prætoriorum.] Campestrium ædificiorum.

Omni ratione.] Omni ædificandi lege, seu præcepto à maioribus tradito.

Iactæ.] Fundatæ.

Infesto.] Semper æstuanti.

Durissimi silicis.] Verg. -Quàm stet dura silex. Quò durior fuisset vena, eò difficiliùs esset excisa.

Aggere.] Aggeratione, fossuris montium, montibus effossis. Plinius: Promontoria aperiuntur mari, & rerum natura agitur in planum.

Culpa

Culpa moræ.] Si quid operantium culpa minus celeriter fuisset confectum.

Capite lueretur.] Capitale esset.

Totum illud Tyberii.] Totam vim illam pecuniarum à Tyberio relictam.

non toto vertente anno absumpsit.

Rapinæ, & extorsiones eiusdem. XXXVIII.



Xhaustus igitur, atque egens, ad rapinas conuertit animum, vario, & exquisitissimo calumniarum, & auctionum, & vectigalium genere. Negabat iure ciuitatem Romanam vsurpare eos, quorum maiores sibi, posterísque eam impetrassent, nisi filii essent.

PHIL. NOn toto vertente anno.] Sol duodecim signorum interualla peruagando, cùm redit ad id signum, à quo cœpit, perficit spatium anni, quem vertentem appellant: author Vitruuius libro IX. Macrobius quoq; lib. 2 s. in somnium Scipionis, vertentē annum appellari posse meritò tradit, cùm astra cuncta ad eandem metā redierint, vnde semel profecta sunt. Idē paulò pòst ait: Annus verò, qui mundanus vocatur, qui verè vertens est, quia conuersione plenæ vniuersitatis efficitur, largissimis seculis explicatur. Idem in I. Saturnalium annum Solis vertentem nominat: sicut & lunaris annus mensis vertens dicitur à Vitruuio. Ex quo illud Plauti est in Persa: Tu si hanc emeris, nunquam hercle hunc mensem vertentem, credo, seruibit tibi. Annum vertentem significauit Iuuenalis illo versu,

-Et cùm se verterit annus,
Accipe victori populus quod postulat aurum.

Cicero in oratione pro Quintio: Sex quidem illis mensibus profectò anno vertente, sine controuersia, anno, & sex mensibus verbum nullum facis. Et quoniam incidit mentio anni vertentis, annotanda hoc potissimùm loco quædam sunt de anno, non indigna memoratu. Quidam annum magnum esse dixerunt in annis vertentibus duobus: alii in multis millibus annorum arbitrati sunt: quidam penteterida nominauerunt, qui annus magnus ex quinquennio constabat: nonnulli trieterida, quod tertio quoque anno redibat. Eudoxus octoterida magnum annum esse dixit: quod & pleraque Græcia existimauit, tanquam ex octo vertētibus annis constantem. Romani lustra, Græci olympiadas pro annis magnis obseruauerunt. Est & annus, quem Aristoteles maximum potiùs quàm magnum appellat: quem Solis & Lunæ, vagarúmque quinque stellarum orbes conficiunt: cuius anni hyems est κατακλυσμὸς, nostri diluuionem vocant: æstas autem ἐκπύρωσις, id est, exustio, quod est mundi incendium. Hæc est illa exustio, de qua intellexit Plinius scribens in VII. Raros patribus prôceriores fieri, consumēte vbertatem seminum exustione, in cuius vices nunc vergat æuum. Est & annus Chaldaicus, constans ex annis solaribus duodecim: vnde δωδεκαετηρὶς vocatus, quem genethliaci non ad Solis Lunǽque cursus, sed ad obseruationes alias accommodár. Præterea sunt anni magni complures, vt Aegyptiorum, quem Græci κυνικὸν, Latine canicularem vocamus, propterea quòd initium illius sumitur cum eo die, quo caniculæ sydus exoritur. Est & metonticus, quem Meton Atheniensis ex annis vndeuiginti constituit: de quo intellexit M. Tullius, cùm in epistola quadam ad Atticum ait: Quis erit cui credam? aut quando iste Metonis annus veniet? Mendosi codices pro Metonis, habent mentionis, corrupto nomine & sensu. Prætereà fuerunt anni apud quosdam semestres, qui æstate annum vnum determinabant, alterum hyeme. Tales erant anni Acarnanum. Arcades quadripartitis temporibus annum metiebantur: itaque illorum anni trimestres fuere, quorum fuit annus menstruus, Lunæ senio terminatus. Talis videtur fuisse Aegyptiorum, & Iudæorū. Itaq; apud eos aliqui singula millia annorum vixisse produtur. Huic tamen opinioni reclamat Augustinus, qui in decimoquinto de ciuitate Dei, conatur ostendere, annos Iudæorum tales, & tantos fuisse, quales & quanti nostri sunt. Annum autē dici tanquam circulum interpretatur M. Varro: cuius verba ex libro secundo Latinæ linguæ hæc sunt: Tempus à bruma ad brumā, dum sol redit, vocatur annus: quòd vt paruuli circuli annuli, sic magni dicebantur circites anni: vnde annus dictus. Atteius Capito annum à circuitu temporis putat dictum: quia veteres an, pro circum ponere solebant: vt an terminum, id est, circum terminum dixit Cato. Quidam à Græco ἐνιαυτὸς deduci arbitrantur. Caligula, vt domum repedemus, luxu, & prodigalitate portentosa prodegit, effuditque luculentas opes, quas coaceruauerat Tyberius, intra spatium vnius anni vertentis, qui annus Solis est, qui diebus trecenis sexagintaquinque & quadrante peragit circuitionem zodiaci, dum ad id signum se denuò vertit, ex quo die digressus est: vnde ab illa versione annus vertens vocatur: & habetur magnus, cùm Lunæ annus breuis putetur. Ex hoc Macrobius in primo Saturnalium scribit scienter dictum esse à Vergilio,

Intereà magnum sol circum voluitur annum.

Ad rapinas.] Sequuntur largitionem, prodigalitatémque rapinæ: cùm enim & dando, & effundendo egere cœperunt, alienis bonis, vt ait M. Cicero, manus afferre coguntur.

Calumniarū.] Ordinatim subiungit exempla declarantia calumnias, auctiones, & vectigalia, quibus ad rapinas conuersus est Caligula.

Auctionū.] Auctio significat publicam venditionē, ab eo dicta, quòd ementem augeat, & vendentem: author Placiades.

Ciuitatem Romanam vsurpare.] Tanquam non essent legitimi Romani ciues. Romani Imperatores ciuitatem Romanam dare poterant: vt author est Cicero in oratione pro Cornelio Balbo, his verbis; Audebo etiam hoc contendere, nunquam esse condemnatum, quem constaret ab Imperatore nostro ciuitate donatum.

NOn toto vertente anno absumpsit.] Nondum circumacto. M. AN. Macrobius in Somnium Scipionis libro secundo: Annus non is solus est, quem nunc communis omnium vsus appellat, sed singulorum seu luminum, seu stellarum, emenso omni cæli circuitu, à certo loco in eundem locum reditus, annus suus est. Sic mensis, Lunæ annus est, intra quem cæli ambitum lustrat. Nam & Luna mensis dicitur: quia Græco nomine Luna μήνη vocatur. Et infrà: Ille ergo annus vertens vocādus est, quē nō Solis, reditu metiūtur, sed quē stellarū omniū in quocūq; cælo sunt, ad eundem locū reditus, sub eadem cæli totius descriptione concludit.

Negabat ciuitatē.] Hæc vna calumniarum fuit, quas ad exprimendas ciuibus, & populis pecuniam est Caligula commentus.

Neque enim intelligi debere poſteros vltra hunc gradum. Prolatáque diuorum Iulii, & Auguſti diplomata, vt vetera, & obſoleta deflebat. Arguebat & perperam editos cenſus, quibus poſteà quacunque de cauſa quicquam incrementi acceſſiſſet. Teſtamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tyberii, neque illum, neque ſe hæredem reliquiſſent, vt ingrata reſcidit. Item cæterorum, vt irrita, & vana, quoſcunque quis diceret, hærede Cæſare mori deſtinaſſe. Quo metu iniecto, quum iam & ab ignotis inter familiares, & à parentibus inter liberos palàm hæres nũcuparetur, deriſores vocabat, quòd poſt nuncupationem viuere perſeuerarent, & multis venenatas macteas miſit. Cognoſcebat autem de talibus cauſis,

PHIL. Intelligi poſteros.] Cùm appellatione poſterorum notiſſima, intelligantur non ſolùm filii, ſed & nepotes, pronepotes, abnepotes, & reliqui gradatim deſcendentes: nolebat Caius poſteros protendi vltra primum filiorum gradum. Paulus Iuriſcõſultus Digeſtis de gradibus, ſic ſcribit: Liberi vſque ad trinepotem nominãtur: vltra hos, poſteriores vocãtur. Quàm iniqua foret Caligulæ interpretatio de poſteris, ſatis liquet: cùm dicamus poſteris traditum eſſe: & poſterorum negotium agere ſe dicat Seneca: quod ſanè refertur ad poſteritatem.

Diplomata.] Vulgus decreta, & bullas appellat. Diximus in Auguſto quid ſint diplomata. Si qui protuliſſet diplomata, & priuilegia obtenta per Iuliũ Cæſarem, & Auguſtũ de impetrata ciuitate Romana ſibi & poſteris, in quibus declarabatur, poſteros intelligi in gradus vlteriores: dicebat Caius talia diplomata iã vetuſtate eſſe obſoleta, & euaneſcentia: & dum fingit ſe illa deflere tanquam obſoleta, ipſe erat cauſa ne rata fierent.

Vt obſoleta.] Obſoleo, vt ſcribit Priſcianus, vnde obſoletus deriuatur, ab obs, & oleo componitur. Obſoleta autem dicimus, quæ abierunt in deſuetudinem, tanquam ſqualleutia, & inculta. Horatius:

Caret obſoleti ſordibus tecti:
Caret inuidẽda ſobrius aula.

Perperã.] Nõ rectè.

Editos cenſus.] Moris erat apud Romanos, vt vnuſquiſque ederet cenſum: hoc eſt, quantum in bonis poſſideret, per editionẽ declararet. Cenſum primus inſtituit Seruius Tullius ſextos rex Romanorum. Senſus eſt, Caligulam arguere ſolitum cenſus ciuium Romanorum tanquam editos iniuſtè, ſi poſt cenſionem illi auxiſſent patrimonia: & ob hoc mulctabantur.

Primipilarium.] Iam diximus, primipilos dici centuriones primæ cohortis: vnde & primipilares, non milites dicti, qui erãt ſub primo pilo, ſed ipſi centuriones, qui functi erant ea dignitate militari, quam indulſerat princeps. Ita enim primipilaris dici videtur, vt conſularis: tales autem honoratiores habebantur.

Reſcidit.] Reſcindi dicuntur teſtamenta, quando irrita fiunt, neque obſeruantur. Titulus eſt apud Valerium, de teſtamentis reſciſſis.

Vt ingrata.] Cùm nihil principi reliquiſſent, à quo diuitias eſſent conſequuti, & dignitate primipili decorati.

Item cæterorum.] Scilicet reſcidit teſtamenta.

Hærede Cæſare.] Si quis diceret ſe ex aliquo audiuiſſe quòd ille hæredem ſibi eſſe vellet principem, Caius illius bona occupabat, reſciſſis teſtamentis, tanquã irritis, atque futilibus. Scribit Paulus Iuriſconſultus titulo De teſtamentis, quòd eius bona, qui ſe Imperatorem facturum hæredem eſſe iactauerat, à fiſco occupari non poſſunt.

A parentibus inter liberos.] Natura comparatum eſt, vt patribus nulli hæredes ſint gratiores, quàm filii: itaque ſcito à bono patre non ſcribi, neque hæredem, neque cohæredem, niſi malum principem. Similiter ſi ignotus inter familiares nuncupat hæredem principẽ, credas id fieri ex metu, & neceſſitate. Igitur cùm Caligula à patribus inter filios hæres ſcriberetur, & ab ignotis inter familiares: quid cauſæ, quid meriti putas interueniſſe? Profectò rapax, truculentáque in principe natura ita fieri cogebat. Quantò laudabilior videri poteſt Pertinax Imperator, qui profeſſus eſt, nullius ſe aditurũ hæreditatem, quæ aut adulatione alicuius delata eſſet, aut lite perplexa, vt legitimi hæredes, & neceſſarii priuarẽtur. Addiditq; hæc verba bractеata: Sanctius eſt, inopẽ Rempublicam obtinere, quàm ad diuitiarũ cumulũ per diſcriminum, atque dedecorum veſtigia peruenire.

Poſt nuncupationem.] Poſtquam ipſum inter hæredes nominaſſent, dicebat eos mori debere: vt ſcilicet ſtatim illorum bona occuparet.

Venenatas macteas.] Macteæ, dicuntur pretioſa edulia. Apud Græcos ματτυάζειν ſignificat macteas cõficere: hoc eſt, ganeata cibaria. Refert Athenæus, comeſſantibus quibuſdam Lacænam fœminam iuſſiſſe mattya deportari, ſtatimque illatæ fuerunt perdices, & anſerculi aſſati, & quadræ placentarum. Martialis neutro genere mactea dixit, cùm ait:

-Sed te mactea ſola iuuant.

Apud Senecam lib. v. Cõtrouerſiarum, iocus eſt ex nomine turdi, quod nomen eſt & hominis, & auis in cibatu pretioſæ. Erat, inquit, inter infames maximè & inuiſos homines Turdus: cùm Turdus promitteret iturũ ſe, vt inde poſſet exire, Sabinus ſilentio facto ait: Ego ad Cæſarem non ſum iturus cum mactea.

M.AN. Neque poſteros.] Calumniæ ratio, quaſi poſteri, quibus ciuitas fuerat à maioribus impetrata, non intelligerentur niſi filii: quæ praua interpretatio publicum beneficium pluribus adimebat.

Diplomata.] Quid diplomata eſſent, alio eſt loco demonſtratum.

Vt vetera, & obſoleta.] Ac per hoc illis minimè ſtandum.

Arguebat.] Fraudi dabat.

Editos.] A ciuibus relatos.

Primipilarium.] Primipilares milites erant, qui ſigna circunſtabant. Hi poſteà rei militaris ratione mutata pilani cœperunt dici.

Reſcidit.] Pro irritis habuit.

Deſtinaſſe.] Animo conſtituiſſe.

Ab ignotis.] A quibuſdam, qui minùs noti erant.

Macteas venenatas.] Vncta obſonia veneno illita. Mart. neutro genere protulit: -Te mactea ſola iuuãt. Quidam à verbo Græco ματτύειν nomen factum exiſtimant: ſunt qui ἀπὸ τοῦ μάσσεσθαι, mandere, ſiue comeſſe, id ductum putent. Ariſtophanes grãmaticus, dulcius nihil eſt mihi Mattya, dixit.

taxato priùs modo summæ, ad quem conficiendū consideret: confecto demum excitabatur, ac ne paululum quidem moræ patiens, super quadraginta reos quondam ex diuersis criminibus vna sententia condemnauit, gloriatúsque est expergefactæ somno Cæsoniæ quantum egisset, dum ea meridiaret. Auctione proposita, reliquias omniū spectaculorum subiecit, & venditauit, exquirens per se pretia, & vsq; eò extendens, vt quidam immenso coacti quædam emere, ac bonis exuti, venas sibi inciderent. Nota res est, Aponio Saturnino inter subsellia dormitante, monitum à Caio præconem, ne prætorium virum crebro capitis motu nutantem sibi præteriret: nec licendi finem factum, quoad tredecim gladiatores sestertiûm nonagies ignoranti addiceretur.

Turpia lucra eiusdem. XXXIX.



IN Gallia quoque, quum damnatarum sororum ornamenta, & supellectilē, & seruos, atq; etiam libertos, immensis pretiis

PHIL. Taxato modo summæ.] Ad quam scilicet summā persoluendam condemnasset reos.

Consideret.] Tanquam iudex sederet. Hinc illud notissimum, Consedere duces.

Confecto.] Taxata scilicet summa.

Super.] Vltra.

Vna sententia.] Ex hoc Caligulæ improbitas significatur, qui vna sententia cōdemnauit reos, quorū diuersæ erant causæ, & diuersa crimina: & ob id debebant singulatim audiri: & eorum causæ ob diuersitatem non merebātur subiici vni sententiæ.

Cæsoniæ.] Vxori. Meridiaret.] In meridie dormiret. Meridiare enim significat somnum meridianū capere. Corn. Celsus: Longis diebus meridiari debet potiùs ante cibum: si minus, post eum. Hinc meridiationē dicimus quietē meridianam. Cicero in 11. de Diuinatione: Nunc & lucubrationes detraxi, & meridiationes addidi, quibus antea vti nō consueuerā. A Catullo quoq; dictum est: Iube ad te veniam meridiatum. Non memini legere me quòd meridiare significet merendam, hoc est meridianū cibum capere: sed semper pro dormitione, & meridiano somno. Auctione.] Venditione: ex eo dicta, quòd & ementem augeat, & vendentem. Parasitus Plautinus ait, se facere auctionem parasiticā: & sestiniter enumerat quæ habeat venalia parasiticæ supellectili congruentia. Reliquias spectaculorū.] Id est reliquum apparatum, qui superfuerat ludo gladiatorio exhibendo. Scribit Plinius in xxxvi. in spectaculis Marci Scauri, quæ in ædilitate sua fecit, tantum apparatum, tantásq; reliquias superfuisse ex Attalica veste, tabulísq; pictis, vt in Tusculanā villam reportata fuerint quæ superfluebāt quotidiani vsus deliciis: quæ incensa villa ab iratis seruis concremata sunt ad sestertia mille.

Subiecit.] Propriè loquitur. Subiiciuntur enim auctioni, & hastæ, quæ venalia proponuntur.

Per se.] Sine præconis ministerio. Extendens.] Hinc auctio dicta, quoniam auget ementem & vendētem. Itaque Caius extendebat, hoc est augebat more præconis pretiū rerum venaliū. Immenso.] Scilicet pretio. Bonis exuti.] Spoliati propriis fortunis, quas impendere cogebātur ad ea emenda, quæ volebat princeps: qui tanti vendere volebat, quanti libebat.

Inciderēt venas.] Genus mortis est lenissimæ incisio venarum: de quo intelligi voluit Seneca cùm ait: Quæris quod sit ad libertatē iter? quælibet in corpore tuo vena. Inter subsellia.] Vbi auctio celebrabatur rerum venalium.] Prætorium virum.] Saturninum.

Nutantem.] Qui dormitat, capite nutare identidē consueuit: & qui sic nutat, approbare videtur quod fit, diciturq;. Vnde Caligula captās quæstum ex Saturnino dormitante, admonuit præconem, qui præerat auctioni peragendæ, vt illi tanquam motu capitis innuenti se venalia emere velle, addiceret magno pretio: cùm tamē Saturninus nutaret ex somno, nō autem ex approbatione emptionis.

Ne præteriret.] Ne omitteret, pertrāsiretve Aponiū: tanquā ex nutu capitis innueret se emere velle aliquid ex auctione illa.

Dicendi finem.] Extendendo scilicet semper pretiū, & illo per somniū veluti approbante talem licitationē: tanquā nutatio capitis dormitātis esset pro comprobatione. Quidā tamē licendi legunt, non dicēdi: à qua lectione nō multùm abhorreo. Quid autē & liceri, & licitari significent, notū est.

Nonagies.] Nonaginta millibus sestertiorum.

Ignoranti.] Saturnino. Quid enim homo dormitans earum rerum scire poterat, quæ à vigilantibus emi & vendi solent? Addicerentur.] Venderentur. Est enim addicere, in auctione vendere. Inde titulus apud Iurisconsultos est De in diem addictione. De addictis affatim suprà scripsimus. Damnatarum sororum.] Quas scilicet ipse damnauerat.

M. AN. COnsideret.] Confessum iret, aut secretū quæreret.

Reos.] Iudiciis obnoxios.

Quantum egisset.] Quantum operatus esset.

Meridiaret.] Meridianis horis quiesceret. Sed meridiare, est tam cibum, quàm quietem circa meridiem capere. Auctione.] Venali hasta in auctionario foro constituta.

Reliquias spectaculorum.] Quicquid ex munerū, ludorúmve apparatu superfuisset.

Subiecit.] Auctioni, siue hastæ.

Exquirens per se pretia.] Ipse suo arbitrio pretiū rebus adscribens.

Extendens.] Augens.

Bonis.] Propriis fortunis.

Inciderent.] Resectis venis vitam abiicerent.

Præconem.] Qui auctioni instabat.

Nutantem.] Dormitantem, atq; ob id quasi nutu licitantem. Sibi.] Quando sua interesset.

Præteriret.] Ne illum elabi pateretur, quin aliquid ex auctione homini annuenti addiceret.

Tredecim gladiatores.] Qui ex ipso munere reliqui fuerant.

Addicerentur.] Pro venditis adscriberentur.

Damnatarum sororum.] Liuillæ, & Agrippinæ, quas damnauerat.

vendidisset, inuitatus lucro, quicquid instrumenti veteris aulæ erat, ab vrbe repetiit, comprehensis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis, & pistrinensibus iumentis, adeò, vt & panis Romæ sæpe deficeret, & litigatorũ pleriq;, quòd occurrere absentes ad vadimoniũ nõ possent, causa caderent. Cui instrumento distrahẽdo nihil nõ fraudis, ac lenocinii adhibuit: modò auaritiæ singulos increpãs, & quòd nõ puderet eos locupletiores esse, quàm se: modò pœnitentiã simulãs, quòd principalium rerũ priuatis copiã faceret. Compererat prouincialem locupletẽ ducenta sestertia numerasse vocatoribus, vt per fallaciam conuiuio interponeretur, nec tulerat molestè tam magno æstimari

PHIL. INuitatus lucro.] Cùm sibi lucrum arrideret confectum ex diuenditis sororum bonis.

Quicquid instrumenti.] Id est, omne instrumentũ. Nomine autem instrumenti aulici, intelligimus quicquid pertinet ad aulam Imperatoriam instruendam, atque parãdam. Sic instrumentum fundi, instrumentum lanionis, instrumentum balneatorum dicuntur à Iuriscõsultis, & explicantur in titulo De fundo instructo. sic etiam instrumentũ oratoris memoratur. Ab vrbe.] Roma: cùm in Gallia fieret talis auctio. Veteris aulæ.] Scilicet Imperatoriæ, quæ extiterat sub antecessoribus Augusto, & Tyberio.

Meritoriis vehiculis.] Meritoria vehicula sunt illa, quæ mercede locãtur. Sic & pueri meritorii apud antiquos dicti, qui mercede corpus prostituebant. Meritoria absolutè dixit Seuerus pro tabernis mercede conductis, cùm ait in epistola, quam scribit ad Celsum Gallias regentem: Pro triclinits popinas habent: pro cubiculis meritoria. Itidem Iuuenalis: -Nam quæ meritoria somnum Admittunt.- Pistrinensibus iumentis.] Pistrino seruientibus. Legato pistrini instrumento, & caballos, & pistores legatos videri, respondit Seruius Iurisconsultus. quod & Pomponio placet: vt in titulo de fundo instructo, proditum est.

Panis.] Ex hoc colligimus, molas molẽdinaries, quæ aquariæ sunt, non fuisse in frequenti vsu apud Romanos. Scribit tamen Palladius, pistrina, si aquæ copia est, ita debere formari, vt constructis aquariis molis, sine animalium, vel hominum labore frumenta frangantur.

Occurrere ad vadimonium.] Ex inopia vehiculorum multi litigatores non poterant in tempore obire vadimonium: quo deserto, litem perdebant. Est autem vadimonium, sponsio quædam sistendi, vt dici solet, cõparendiq; in iudicio ad diem constitutũ: quod deserere non licet. Hinc illud Plinianũ: Inscriptiones, propter quas vadimoniũ deseri possit. Apud Ciceronem in oratione pro Quintio longa est disputatio de vadimoniis dilatis, atq; desertis. Seneca per prouerbialem veluti sententiam ait: Vadimonium promittimus, & tamen deseritur. Plinius per decoram translationem dixit in duodeuigesimo: Non ad dies vtique præfinitos sperari debere tempestatum vadimonia. Thales Milesius culpabat vadimonia. Ex quo est illud Sidonii: Thales Mileto genitus vadimonia damnat. Idem ait: Mileto quod Crete Thales vadimonia culpas. Plautus quoque decenter dixit, & festiuiter. Vbi tu es, qui me conuadatus veneris vadimoniis.

Causa caderent.] Litem perderent. Cicero libro 1. de Oratore, deridet oratores fatuos, qui nescirẽt quid significaret causa cadere: cùm olim Ipseus maxima voce à Marco Crasso prætore cõtenderet, vt ei, quem defendebat, causa cadere liceret. Cn. autem Octauius non minùs longa oratione recusaret, ne aduersarius causa caderet. Distrahendo.] Vendẽdo. Distrahere enim verbum est peculiare Iurisconsultorũ: & significat vendere, vt inquit Nonius: quo vsus est Lucilius: Diuidãt, dissipent, distrahant. Nihil nõ.] Omnem fraudem. Lenocinii.] Fuci, & pelliculationis.

Principalium rerum.] Imperatoriarum, à principe nomen deriuatum. Olim M. Antoninus auctionẽ fecit & ipse ornamẽtorũ Imperialium, vendiditq; vasa regia, & vestem vxoriã: auctor Iulius Capitolinus. Copiã.] Per emptionem: qua scilicet fieri potest meum id, quod erat principis: nam quod emas, possis dicere iure tuum.

Prouincialem.] Nõ Italicum. Hæc enim Italicus, & prouincialis opponuntur. Vel ad Gallicanum hominem specialiter referas: cùm in prouincia Gallia fieret talis auctio.

Vocatoribus.] Vocatores significanter dicuntur hi, quorum officium est conuictores inuitare ad principis mensam: & hi erant in familia principum, & opulentiorum. Martialis:

Iam dices mihi vapulet vocator.

Plinius in trigesimoquinto: Indignanti Ptolemæo, & vocatores suos ostendenti, vt diceret à quo eorum inuitatus esset. Hinc Catullus inuitationes eleganter vocationes appellat illo hendecasyllabo:

Quærunt in triuio vocationes.

M.AN. INuitatus lucro.] Quod ex diuendita sororum supellectile fecerat.

Instrumenti.] Apparatus.

Veteris aulæ.] Ab Augusto, & Tyberio instructæ.

Comprehensis.] Currui iunctis.

Meritoriis.] Mercede locari solitis.

Pistrinensibus.] Ad pistrini vsum quæsitis.

Panis deficeret.] Quum iumentorum defectu pistoria opera cessarent.

Plerique litigatorum.] Plerique litigantium.

Occurrere.] Tempestiuè adesse curruum defectu.

Vadimonium.] Vadimonium, sponsio ad certum diem sistendi se in iudicio, id est comparendi per se, aut per aduocatos. Quintilianus: Nisi ad vadimonium legare venisses, non multorum dierum commeatum habebamus.

Causa caderent.] Actione causæ.

Instrumento.] Aulico apparatui.

Distrahendo.] Alienando.

Lenocinii.] Verborum illecebræ.

Principalium.] Quæ Augusti, & Tyberii principũ fuissent, id vnum illecebræ genus.

Priuatis.] Priuatæ fortunæ viris.

Copiam.] Emendi facultatem.

Vocatoribus.] Iis, quibus datum erat id negotiũ, vt ad cœnam principis conuiuas vocarent.

Per fallaciam.] Supposita alterius loco persona.

Interponeretur.] Cœnæ adhiberetur.

D 2

honorem cœnæ suæ. Huic postero die sedenti in auctione misit, qui nescio quid friuoli ducentis millibus traderet, diceretque cœnaturum apud Cæsarem vocatu ipsius.

Noua uectigalia, tributa, & sordidi quæstus. XL.



Vectigalia noua, atque inaudita primùm per publicanos, deinde, quia lucrum exuberabat, per centuriones, tribunósque prætorianos exercuit, nullo rerum, aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. Pro eduliis, quæ tota vrbe venirẽt, certũ, statúmq; exigebatur. Pro litibus, atq; iudiciis vbicunq; conceptis quadragesima summæ, de qua litigaretur: nec sine pœna, si quis cõposuisse, vel donasse negotium cõuinceretur. Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octaua, ex capturis prostitutarum quantum quæq; vno concubitu mereret. Additúmque

PHIL. Honorem cœnæ suæ.] Existimatur honorificum discumbere, vescique ex mensa principis. Vnde olim Vespasianus egit gratias principi apud Senatum, quòd se honore cœnæ dignatus esset. Contrà Athenodorus ait: Ne ad cœnam quidem iturum se ad eum, qui sibi nihil pro hoc debiturus sit. Mos tamen est hodierno die, vt opulenti fercula pro congiariis numerent, & cum amicorum officiis parem mẽsam faciãt: vt inquit verissimè Seneca in libro de Tranquillitate vitæ. Caligula gauisus est, quòd ille prouincialis tãti faceret secum cœnare, vt ob id magnam pecuniã erogauerit vocatoribus, à quibus fuerat inuitatus.

Nescio quid friuoli.] Rem vilem, & parui pretii. Iuuenalis: -Iam friuola transfert Vcalegon. Friuola autẽ sunt propriè vasa fictilia quassa: vnde verba friuola dicta, quæ minus sunt fide subnixa: author Festus.

Vocatu ipsius.] Vocatione, & inuitatione facta per ipsum Cæsarem, quod honorificẽtius est: nõ autem per vocatorẽ, sicut superiore die vocatus cœnauerat. veluti dicere vellet Caligula: Si tu vocatus à vocatore meo ad cœnam dedisti ducenta, debes longè plura mihi ipsi persoluere, cùm meo ipsius vocatu ad cœnam Cæsareã fueris inuitatus. Exuberabat.] Vberius, copiosiúsq; proueniebat. Tribunos prætorianos.] Hi præerãt cohortibus prætorianis: de quibus in Tyberio dictũ est. Pro eduliis.] Hoc ad res refertur, quarum nouũ vectigal instituit. Voluit enim vt pro cibariis, quæ passim Romæ vendebantur, vectigal certum exigeretur. Hoc etiã hac tempestate fit Bononiæ: fit & in aliis Italiæ ciuitatibus, vt pro eduliis vendendis macellarii soluant vectigal institutum: quod alibi maius, alibi minus imponitur. Aedilium hoc erat officiũ, quos Plautus dictione Græca ἀγορανόμους appellat. sic enim ait in Captiuis: Euge editiones ædilitias hic quidẽ habet: mirúmq; adeò est, nisi hunc fecerunt sibi Aetoli ἀγορανόμον.

Venirent.] Venderentur.. Statutum.] Constitutum, &, vt dici solet, taxatũ. Quidam legũt statũ: quod non improbo. Quadragesima summæ.] Scilicet exigebatur. Exempli gratia, voluit Caius, si litigatum foret de summa quadraginta millium, vt quadragesima pars, hoc est mille de ipsa summa exigeretur nomine vectigalis. Sic enim dicimus absolutè quadragesimã, vt decimam, vigesimã, quinquagesimã, atq; centesimã: de quo scriptum est à nobis in superioribus, & in libro Annotationũ. Cõposuisse.] Solent sæpe litigatores inter se cõponere negotium, atq; decidere, vt ita subterfugiant impensas, molestiásq; litigatorias. Sed noluit Caligula per compositionẽ, vel per donationẽ lites explicari, ne priuaretur quadragesima quæ sibi debebatur ex lite. Gerulorũ.] Hoc ad hominũ vectigal referendum est. Sunt autem geruli, qui mercedis gratia vecturas onerum suo corpore factitant. Græci, vt inquit Gellius βαστάζοντας vocant: Cicero, & Apuleius baiulos appellitauerunt. Diurnis quæstibus.] Lucra singulorum dierum diurnos quæstus nominat, ex quibus octaua pars nomine tributi exigebatur. Verbi causa, si gerulus octonos nummos ex lucello diurno lucrabatur, voluit vt nũmus singulus persolueretur.

Ex capturis prostitutarũ.] Bononiæ hoc etiam hac tẽpestate obseruatur, vt prostitutæ meretrices tributariæ sint, hoc est vectigal persoluant menstruũ his magistratibus, qui vulgò præfecti bulletarũ dicuntur. Si Latinè dici volumus, syngrapharũ dici possunt. Plaut. elegãti vocabulo prostitutas meretrices scorta appellat diobolaria, ab eo quòd duobus obolis cõducebantur à scortatoribus, vt antè docuimus. Refert Iulius Firmicus in VIII. Matheseos, quòd habentes horoscopum in tertio pede Scorpii, erunt meretrices pudore prostituto. Idem ait, quòd in quarta parte Pisciũ habens horoscopum mulier, pudorem passiua libidinũ ordinatione prostituet. Capturas autẽ Intelligẽ quæsticulos, quos capiunt pro concubitu à subactoribus. Precium autem scorti, vt inquit Solomon, vix vnius est panis. Institutum autem fuisse vectigal meretricum, & lenonum, & exoletorum, testis est Lampridius, qui Alexandrum Imperatorem Romanum vetuisse talia vectigalia inferri in sacrum ærarium refert, sed ea deputasse ad instaurationem theatri, Circi, & amphitheatri.

Mereret.] Verbo vsus est meretricibus accõmodato: nam merere interdum significat humillimum, & foedidissimum quæstum capere. Vnde & mercenarii, & meretrices, authore Nonio, dicuntur. Aul. Gellius, Lais, inquit, Corinthia ob elegantiam, venustatémque formæ grandem pecuniam merebat.

M. A N. Huic.] Prouinciali. Sedenti in auctione.] Vbi venalia hastæ subiecta erant. Friuoli.] Minimi valoris. Ducentis millibus.] Ducentorum millium taxatione ipsi rei adscripta. Vocatu ipsius.] Ipso Cæsare, non ministro, ad cœnam vocãte, vt pridie acciderat. Per publicanos.] Publicanis ea cõducẽtibus.

Exuberabat.] Redundabat.

Pro eduliis.] Esculentis.

Statutum.] Impositum vectigal.

Quadragesima.] De vectigalis ratione aliâs.

Composuisse.] Priùs, quàm de eo esset iudicatum.

Donasse.] Rem.

Negotium.] Litem.

Gerulorum.] Græci τοὺς βαστάζοντας vocant.

Capturis.] Quæstibus.

Prostitutarum.] Quæstum corpore facientium.

Mereret.] Vno concubitu caperet.

Ad

ad caput legis, vt tenerentur publico, & quæ meretricium, quæ ve lenocinium fecissent: necnon & matrimonia obnoxia essent.

Item de eodem. XLI.

Eiusmodi vectigalibus indictis, neq; propositis, quum per ignorantiam scripturæ multa commissa fierent, tandem flagitãte populo Romano proposuit quidem legem, sed & minutissimis literis, & angustissimo loco, vti ne cui describere liceret. Ac ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in Palatio constituit. *Distructisq;, & instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronæ, ingenuiq; starent, misit circũ fora, & basilicas, nomẽclatores

PHIL. AD caput.] Vulgò dicitur capitulũ. In lege enim capita sunt plura: de quibus in primo Commentario mentio facta est: &, vt inquit Asconius, propriè iuris capita dicuntur. Consimiliter capita rerum, capita epistolarum appellitamus.

Legis.] Quam tulerat Caius de prostitutis meretricibus, déq; earum vectigali.

Tenerentur publico.] Obligarentur soluere publicum vectigal.

Meretricium fecissent.] Absolutè meretricium appellat artem meretriciã. Etenim voluit eas quoque obnoxias esse legi, quæ olim meretricium quæstum exercuissent, quãuis in præsentia ob seniom, aliámve causam nõ exercereor.

*Distinctis

Lenocinium.] Vlpianus Iurisconsultus, Lenociniom, inquit, facit, qui quæstuaria mancipia, & prostituta habet: & talis notatur infamia, & lenocinii pœna tenetur. Lenonum quoq; vectigal fuit institutum, vt dudũ diximus. Matrimonia obnoxia.] Nuptas, quæ adulterarent, quæq; pudicitiam prostituerent, voluit esse obnoxias legi de prostitutis, pœnæq; obligatas ob adulterium: vt scilicet ita tantundem soluerent, quantum prostitutæ soloebant.

Indictis.] Indicere enim, enũtiare est: vnde indictũ bellum, & Indictiuum funus dicuntur. Est autem indictiuũ funus id, ad quod per præconem aduocabantur.

Neq; propositis.] Leges quando in æs incisæ sunt, tunc propositæ, & perlatæ esse dicuotur, oeq; amplius eas tolli fas est: sed quando promulgatæ tantummodo erant, necdum tabulis inscriptæ, tolli poterãt, & infirmari. Et hoc est, quod ait Cicero in prima Antonianarum: Loquar de legibus promulgatis, de quibus est integrũ vobis: demonstro vitia, tollite: denuntio vim, arma remouete. Commissa.] Peccata contra præscriptum legis nondum propositæ. Cõmissa enim, vt inquit Asconius, dicuntur facta contra volũtatem conditoris. Vergilius: Luant commissa. Cõmitti fraus dicitur, atque peccatũ. Sed, vt docet Aristoteles in tertio Ethicorum, per ignorantiam cõmissa non puniũtor, uisi si ipse cõmittetis causa fuit ignorantiæ. Illi verò puniuntur, qui ignorant aliquid ex his, quæ legibus continentur: quæ vtiq; scire oportet, nec difficilia sunt: & quæ per negligentiam ignorãtur. Apud Oratores locus est vetialis status ab imprudẽtia, cùm sciuisse aliquid is, qui arguitur, negatur. Minutissimis.] Quæ vix legi possent.

Angustissimo.] Ad qoem non esset facilis aditus.

Vti.] Vt. Describere.] Exscribere, exempla trãsferre. Ne quod non.] Vt omne genus.

Manubiarum.] Pecuniæ prædatitiæ, & spoliorum Imperatoriorũ. De multiplici manubiarũ significatu diximus soprà abunde in Iul. Cæsare. Lupanar constituit.] Hoc idem traditum est de Heliogabalo, qui lupanaria domi amicis, clientibus, & seruis exhibuit.

Pro loci dignitate.] Qualis est dignitas ædium Palatinarũ. Cellis.] Cellulas meretricias significat, quibus nomina, & tituli prostitutarũ inscribebãtur. Seneca lib. ss. Controuersiarum: Meretrix vocata es, in communi loco stetisti: superpositus est cellæ tuæ titulus: venientẽ accepisti. Idem: Deducta es in lupanar, accepisti locum, pretium cõstitutũ est, titulus inscriptus est. Hinc illud Satyricum exiit in Messalinã:

-Tunc nuda papillis Constitit auratis titulũ mentita Lyciscæ. Et ab Epigrãmatario poeta dictum est:

Intrasti quoties inscriptæ limina cellæ. In quibus matronæ.] Commodus Imperator, qui eundem diem natalẽ habuit, quo Caligula natus est, imitator Caianorũ flagitiorum, collegit concubinas trecẽtas ex matronis, & exoletos totidẽ ex nobilibus, cum quibus in Palatio cõuiuia, & balneas bacchabatur. Circũ fora.] Vtpote loca celebratiora, & frequentiora: vnde circũforanei dicti. Ita Liuius, Decemuiri, inquit, supplicationem in biduum, valetudinis causa, per omnia fora, conciliabuláque edixerunt.

Basilicas.] Loca iudicils, negotiationibúsq; frequẽtata. Seneca: Fremitu iudiciorum basilicæ resonant.

Nomenclatores.] Nomenclatores vocauerunt seruos, qui ciuium omniũ nomina callebãt, & vnũquenq; nominatim nominabant. Adrianus adeò singulari memoria præditus fuit, vt nomina singulis sine nomenclatore redderet, & nomenclatores sæpius errantes emendauerit. A Plinio nomenclatura nominatio ipsa dicta est. Caligula nomenclatores emittebat, qui nominatim euocarent ciues ad libidinem, vel puerilem, vel fœmineam colendam.

M.AN. AD caput legis.] Ad eam legem, quæ vno cõplexa erat capite, vt insignior adhuc esset.

Tenerentur.] Legi obnoxiæ essent.

Et quæ meretricium.] Corpore pecuniã mererent.

Et quæ lenociniũ.] Quæ penes se quæstuarias habuissent ancillas. Matrimonia.] Matrimonio locatæ essent, modò turpiter quæstum facerent.

Indictis.] Denuntiatis.

Neq; propositis.] In publicũ relatis, vt qualis esset ratio intelligi posset.

Minutissimis.] Quò minus perlegi possent.

Angustissimo.] Et ob id minùs freqoentl.

Manubiarum.] Pecuniarum, quasi ex præda quadam principi quæsitarum: nam quid alioqui manubiæ sint, diximus.

Pro loci dignitate.] Pro conditione hoc, vel illo loco prostituendarum.

Matronæ.] Ad ancillarum differentiam, quasi Ingenuæ dicere voluisset: nam & quæ nondum nupserant, & viduas promiscuè, ac nuptas prostitutas crediderim.

Ingenui adolescentes.] Hoc quoque conditionem respicit.

Circum fora.] Per loca videlicet celebratiora.

Nomenclatores.] Qui nominatim ciues vocarent, Quid nomenclator esset, in Augusto significauimus.

D 3

ad inuitandos in libidinē iuuenes, senésque, præbita aduenientibus pecunia fœnebri: appositisq; qui nomina palàm subnotarent, quasi adiuuantium Cæsaris reditus. Ac ne ex lusu quidem aleæ compendium spernens, plus mendacio, atq; etiam periurio lucrabatur. Et quondam, proximo collusori demandata vice sua, progressus in atrium domus, quum prætereuntes duos equites Romanos locupletes sine mora corripi, confiscariq; iussisset, exultans rediit, gloriánsque nunquam se prosperiore alea vsum.

Dos pro nata filia, & strenæ per eum petitæ, ac receptæ. XLII.



Filia verò nata, paupertatem, nec iam Imperatoria modò, sed & patria conquerēs onera, collationes in alimoniam, atq; dotem puellæ recepit. Edixit & strenas ineunte anno se recepturum, stetítque in vestibulo ædium Calendis Ianuariis, ad captandas stipes, quas plenis ante eū manibus, ac sinu, omnis generis turba fundebat. Nouissimè contrectandæ pecuniæ cupidine incensus, sæpe super immensos aureorum aceruos patentissimo diffusos loco, & nudis pedibus spatiatus, & toto corpore aliquādiu volutatus est.

PHIL. Pecunia fœnebri.] Cum vsura, & fœnore. Liuius in septimo: Noui consules fœnebrem quoque rem, quæ distinere vnanimos videbatur, leuare aggressi. Idē in xxxv. Instabat cura alia, quòd ciuitas fœnore laborabat: & cùm multis fœnebribus legibus cōstricta auaritia esset, via fraudis inita erat. Mendosa dictio est in codicibus Liuianis: nam pro fœnebribus, legitur fœneribus. prisci autem leges de credita pecunia, fœnebres appellauerunt, à fœnore scilicet, & fœtu: quia crediti nūmi alios nūmos pariunt. Fœnerari autem apud maiores non solùm dedecorosum erat, sed detrimētosum. Nam, vt inquit M. Cato Censorius, in legibus posuerunt furē dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Ex quo licet existimare quantò peiorem ciuem existimauerint fœneratorem, quàm furem. Idem olim interrogatus, nūquid fœnerari vtile foret: quid hominē, inquit, occidere? Inuenio apud authores, L. Genutium tribunū plebis tulisse ad populum, ne fœnerari liceret. Scribit Liuius, fœneratores ab ædilibus fuisse mulctatos: ex quorum mulctatitia pecunia, ænea in Capitolio limina posita fuerunt. Nomina eorum.] Scilicet qui pecuniā fœnebrem acciperent, & ad lupas Palatinas frequētes itarent: vt ita soluta pecunia pro cōcubitu, adiuuarent vectigal Imperatoris. Compendium.] Lucrum. Contrarium est dispendium: inde cōpendiosum, & dispendiosum, pro lucroso, & detrimētoso apud eruditos reperies. Collusori.] Socio in alea, & ludo aleatorio. Cicero: Lenticulā de alea condemnatū collusorem suū restituit. Vice sua.] Vt pro se iaceret talos in ludo talario. Corripi.] Tanquam sontes capi.

Confiscari.] Damnari, adiudicari fisco principis.

Rediit.] Ad collusores. Prosperiore alea.] Quoniam plus lucri ex cōfiscatione duorū equitū fecerat, quàm ex omni vnquā ludo talario. Collationes.] Ciues pro virili portione pecunias contulerunt nomine alimentorū, & dotis pro filia nata Imperatori: cū pater cōquereretur de oneribus & patriis, & Imperatoriis. Qui ad tantā prorupit insaniā, vt filiolā perduceret in Capitoliū, eámq; super genua simulacri Iouialis collocaret, cōmunem sibi natā, Iouiq; cōfirmās, duos patres vni proli constituens. Edixit.] Vtpote Imperator edicto Imperatorio proposito declarauit.

Ineunte anno.] Calendis Ianuarii. Superiùs abūdè docuimus, cur strenæ darentur anni noui principio: & vnde strenarū nomen deductū sit. Aediū.] Scilicet Palatinarū. Ad captādas stipes.] Nummos pro strenis oblatos. Omnis generis.] Fœminæ, & mares tam Senatorii, & Equestris ordinis, quàm plebeii.

Nudis pedibus.] Vt corpore ipso aurū contrectaret.

Volutatus.] Vide principis insaniam, qui existimabat principale bonum esse nō solùm abundare auro, sed volutari super aceruos aureorū, instar iumenti, cui in puluere volutatio est iucūdissima. Debebat Caius nimirum facere id, quod olim Alcmæon factitauit: qui quum à Crœso donaretur tanto auro, quantū semel corpore suo ferre posset, hanc astutiam cōmentus est: Pergrādem tunicam indutus, cothurnis follicantibus calceatus perrexit ad thesaurum Crœsi: ibíque primùm calceamenta auro refersit, mox sinus vestis impleuit, quin etiā capillos ramentis aureis implicans, ore quoq; repleto, exiit è thesauro ægrè trahēs cothurnos, ægrè vestem gestās, ore turgido, totus auro onustus. Id cernens Crœsus, risiq; cachinnabili diffluens, ea omnia Alcmæoni condonauit, aliáque non minora dedit: ex quo domus Alcmæonis vehementer est locupletata.

M. A N. Foenebri.] Cum fœnore, & non gratuita.

Adiuuantiū.] Palatinū lupanar frequentantiū.

Ex lusu.] Ludendi studio. Compendiū.] Lucrū.

Mendacio.] Fallendo collusores. Periurio.] Peieratione. Collusori.] Ex colludentibus vni.

Vice sua.] Vt vicariam pro se vicem gereret.

In atrium.] In apertam domus partem, & quæ sub dio est. Corripi.] Raptos in custodiam duci.

Confiscari.] Illorum bona fisco adscribi.

Alea.] Tesserarum. Imperatoria onera.] Quæ scilicet ex Imperii administratione sustineret.

Patria.] Quia pater ex Cæsonia factus esset.

Collationes.] Pecunias spōte potiùs, quàm tributi nomine oblatas. Edixit.] Edicto denuntiauit. De strena abundè suprà. Cupidine.] Cupiditate: sed fœminino genere. Vergilius:

-Quæ lucis miseris tam dira cupido? Sunt qui cupidinem maius quiddam cupiditate significare dicant, illud Lucilii secuti, Cupiditas ex homine, sed cupido ex stulto nunquam tollitur.

Spatiatus.] Citro, vltróque euagatus.

Expeditio eius Germanica. XLIII.

Militiam, réſque bellicas ſemel attigit, neq; ex deſtinato: ſed quum ad viſendum nemus, fluménq; Clitumni Meuaniam proceſſiſſet, admonitus de ſupplendo numero Batauorum, quos circa ſe habebat, expeditionis Germanicæ impetum cepit: neque diſtulit, ſed legionibus, & auxiliis vndique excitis, delectibus vbique acerbiſſimè actis, contracto & omnis generis commeatu, quanto nunquā antè, iter ingreſſus eſt: confecítque modò tam feſtinanter, & rapidè, vt prætorianæ cohortes contra morem ſigna iumentis imponere, & ita ſubſequi cogerentur: interdum adeò ſegniter, & delicatè, vt octophoro veheretur, atq; à propinquarū vrbium plebe verri ſibi vias, & conſpergi propter puluerem exigeret.

PHIL. Neque ex deſtinato.] Nulla priùs facta animi deliberatione ſuper rebus bellicis tractandis.

Flumen Clitumni.] Fluuius eſt in Vmbria, cuius aqua pota candidos boues facit: vt teſtis eſt Plinius in ſecundo. de quo Silius:

Et lauat ingentem perfundēs flumine ſacro Clitumnus taurum.

Meuaniā.] Meuanates populi ſūt Vmbriæ, in ſexta Italiæ regione à Plinio collocati. Inclyta eſt ciuitas alūno Propertio. De Meuania Silius ſic inquit: Et latis Meuania pratis. Meuaniā, Clitūoúmq; deſideranter inſpexi, propter genitale ſolum Propertii poetæ, cùm ex vrbe Roma in patriā per ea loca domuitionē capeſſerē io comitatu reuerendi fratris tui Antonii Galeacii protonotarii apoſtolici: qui à Republica noſtra deſtinatus fuerat legatus ad pontificem maximum ſalutandum.

Batauorum.] Io Rheno inſula eſt Batauorum nobiliſſima propè centū millia paſſuum in longitudinem habēs: author Plinius in quarto. De Batauis hæc Cor. Tacitus io libro de ſitu Germaniæ: Omnium harū gentium virtute præcipui Batani noo multùm à ripa inſulam Rheni colunt. Martialis ſpumam Batauam appellauit ſaponem: propterea quòd apud Germanos, Batauóſq; ſapo in maximo vſu erat tam viris, quàm fœminis ad capillos rutilandos: ſicuti docet Plin. in XXVIII. Silius in III. Punicorum in laudem Domitiani cecinit illud: Iam puer auricomo præformidate Batauo.

Quos circa ſe.] Tanqnam σωματοφύλακες: ita enim Græci cuſtodes regis appellāt, quos Latini priſco vocabulo latrones dixerunt, quaſi laterones, ab latere: quia vt interpretatur Varro, circum latera erant regi, atque ad latera habebāt ferrum. Seruius exiſtimabat à verbo Græco λατρεύειν, quod ſeruire ſignificat, dici latrones: ex quo illud Plautinum: Nam rex Seleucus me opere orauit maximo, vt ſibi latrones cogerem, & conſcriberem. Dictum iam eſt, quemadmodum Auguſtus Cæſar inter armigeros ſecum habuerat cohortem Germanorum vſque ad cladem Varianam: & cùm Bataui populi Germaniæ ſint, eoſdem habuiſſe Caligula ſignificatur. De cohortibus Batauorum mentio fit ab eodem Cor. Tacito in libris Hiſtoriarum.

Legionibus, & auxiliis.] Sæpe iam diximus, legiones ex Romanis, auxilia ex externis conſtare, intelligique militibus. Commeatu.] Annona omnifaria.

Quantos nunquam antè.] Alter ſcilicet commeatus contraxit. videtur tamen elegantius ſic legi poſſe: Quantū nunquam antè iter ingreſſus eſt. vt ſit ſenſus, Caligulā ingreſſum eſſe iter ad expeditionem Germanicam, cùm commeatum coadunaſſet tantum, quātum nunquam anteà congregauerat.

Confecítque.] Scilicet iter.

Contra morem.] Ex more eſt, vt ſigniferi ſigna ferant: ſed nunc ob celeritatem cogebātur imponere ſigna ferenda iumentis, vt expeditiùs Caium comitarentur feſtinanter iter facientem.

Octophoro.] Lecticam, quæ ab octo ſeruis lecticariis fertur, octuphorum dixerūt, quod vectabulū propriè eſt delicatorū. Apuleius in II. Apologiæ: Vectabatur octophoro: vidiſtis profectò, qui affuiſtis, quàm improba iuuenum circūſpectatrix, quàm immodica ſui oſtentatrix. Martialis:

Octophoro ſanus portatur amice Philippus.

Verri.] Purgari, mundari. Iuuen.

Verre pauimentum. Inde verſum dicimus nō ſolùm id, quod tractū eſt, vt autumat Seruius, ſed repurgatū atque deterſum. Cato: Mūda ſiervillica, villam verſam, mundámque habeat. Veteres Romani deam oomine Deuerram venerabātur, vt bene ſcopis domum deuerrere poſſent: author Auguſtinus in VI. de ciuitate Dei.

Et conſpergi.] Aqua perfundi: ita enim puluis reſtinguitur. Hæc autem fiebant, vt mollius, ac delicatius iter faceret, cōtra officium boni Imperatoris, qui neq; puluerem, neque ſolem timere debet: imò virtus, vt inquit Seneca, puluerulenta eſt, colorata, & calloſas habēs manus. Cicero in oratione de ſuppliciis, caſtigat Verrē, & inceſſit faceroſa quadam vrbanitate, quòd itinerum laborem, qui vel maximus eſt in re militari, iocundum ſibi per delicias reddiderit: qui nun in equo, ſed in lectica ferebatur, in qua erat puluinos perlucidus Melitēſi roſa fartus: qui qnum ad aliquod oppidum venerat, eadem lectica vſque ad cubiculum deferebatur.

M.A.N. Ex deſtinato.] Propoſito, certóve conſilio.

Flumen Clitumni.] Tranquillus circa Meuaniam eſſe Clitumnum ſignificare videtur. Eſt enim Meuania Vmbriæ oppidum: de qno Plinius, & Strabo. Verùm quod ad flumē attinet, Plinius in Phaliſcis apertè Clitumnum retulit. In Phaliſco, inquit, Clitumni amnis aqua potata candidos boues facit. Ouidius:

Colla rudes operum præbent ferienda magiſtro:
Quos aluit campis herba Phaliſca ſuis. Vergil.
Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima, ſæpe tuo perfuſi flumine ſacro
Romanus ad templa deûm traxere triumphos.

Optimi inde, vt ex his apparet, ad vſum ſacrorum tauri Romam accerſebantur. Sed Silius Italicus Meuaniæ quoq; campis optimos ſcilicet in hunc vſum tauros nutriri ait, Et ſedet ingentes paſcens Meuania tauros, Dona Ioni. Dion Clitūnum ait fontem eſſe Vmbriæ: quæ ſcriptorū variatio efficit, vt intelligi nō poſſit vbi ſit Clitumnus, apud Phaliſcos io Hetruria, an in Vmbria apud Meuaniā, vt Trāquillus ſentire videtur, niſi quis dicat primò illū in Hetruria Clitumnū vidiſſe, mox in Vmbriam tranſgreſſus Meuaniam vſq; pro-

De gestis per eum in castris. XLIIII.

POstquam castra attigit, vt se acrem, & seuerũ ducem ostenderet, legatos, qui auxilia seriùs ex diuersis locis adduxerant, cũ ignominia dimisit. At in exercitu recensendo, plerisque centurionum maturis iam, & nonnullis ante paucissimos, quàm consummaturi essent, dies, primos pilos ademit, causatus senium cuiusque, & imbecillitatem: cæterorum increpita cupiditate, commoda emeritæ militiæ ad sexcentorum millium summam recidit. Nihil autem amplius quàm Minocynobellino * Batauorum regis filiò,

* Britannorum

cessisse. Batauorum.] Bataui in Chatis priùs foere, mox, vt Tacitus ait, seditione pulsi ad extrema Gallicæ oræ cultoribus vacua, iosulámq; occuparũt, quæ à fronte Oceanum habet, à tergo, & lateribus Rheno flumine alluitur. Lucanus penultimam huius nominis corripit: Rangiones, Batauique truces.- Iuuenal. produxit, Hic petit Eufratem iuuenis domitique Bataui. Auxiliis.] Externis. Modò.] Interdum. Ita.] Hoc est, iumentis signa portantibus. Octophoro.] Lectica octo cerui cibus gestata. Martialis: Octophoeo sanus portatur, Auite, Philippus, Hunc tu si sanum credis, Auite, furis. Cõspergi.] Aqoa perfundi, ne puluere offenderetur: quo ipso manifesta laborum in duce arguitur impatientia: sed apud Xenophontem Cambyses Cyrum filium instituit frigus, æstum, & labores in primis oportere Imperatorem perpeti.

PHIL. LEgatos.] Militares significat, & eos, qui secundas ab Imperatore partes in exercitu tutabantur.

Cum ignominia.] Per ignominiosam missionem.

Recenseodo.] Io eecognoscendis militibus, & lustratione militari facienda. In Peotatheuco, in eo libro, cui titulus est Numeri, frequens est hæc locutio: Recensiò sunt per oomina, & capita singulorum, omne, quod sexus est masculini, à vigesimo anno, & suprà.

Maturis.] Matura ætate, iam senescentibus. Alii legunt, emeritos: vt exponas veteranis, qui legitima stipẽdia iamiam erant peracturi, vel iamiam peregerunt.

Quàm consummaturi essent.] Pro fioituri stipendia militaria: quibus peractis dicebantur veterani emeritæ militiæ: quales habuisse in exercitu Alexander Magnus, & Cæsar Dictatoe à luculentis scriptoribus memorantur. Primos pilos.] Dignitatem centoriotiatus primipilarem. De centurionibus primipili satis ac super dictum est superiús. Liuius io v s s. Primus centurio erat, quem nunc primipilum appellant.

Caosanis.] Caosam afferens, cur id fecisset, tanquã ob senium inutiles forent disciplinæ militari. Interdum causari, est excusatiooem afferre, & causificaee: vt apod Vlpianũ: Ne possit causari tempestatem. & apud Martialem: Sed iam causaris barbámq;, pilósque. Vnde & causa dicitur, vt inquit Asconius, excusatio.

Senium.] Veteres senectutem malam ætatem dixerunt, cùm senium sit tædium, & odium, senésque omoibus tædio, & odio esse dicantur. Morbus naturalis est ipsa senectus: inter cuius incommoda est imbecillitas virium, & hebetudo sensuum. Senium ad inanimata quoque transfertur. Liuius io v s 1. Cuius lentæ rabis senio victa, vtriosque populi pertinacia est.

Increpita.] Castigata. Commoda emeeitæ militiæ.] Veteranis emeritis commoda & emolumenta quædam perinde dabantur, ac si militiam exercerent. De his loquitur Cæsar apud Lucanum:

-Quæ rura dabuntur
Quæ noster veteranus aret? quæ mœnia fessis?

Veteranis idem erat honor, qui & decurionibus: sicuti alibi docuimus. Britannorum.] Nou video, quum de expeditione Germanica loqoatur, qoomodo bene quadret, vt filium Britannorũ eegis io deditioné acceperit. Germanico enim bello Britanni intempestiuè immiscẽtur: quocirca Batauorũ cẽseo legẽdũ esse, nõ Britannorũ: nãq; propter supplendũ numerũ Batauorum, quos custodes corporis habebat, expeditioné Germanicã susceperat. Facile auté fuit pro Batauorum scribere Britannorũ. Sed vt Britannorũ quis legere malit, quã Batauorũ, facit authoritas Orosii, à quo historia hæc explicatur, scribẽte de Caligula his verbis: Hic siquidé magno & incredlbili apparatu profectus, quæreee hostem, viribus otiosis Germaniã, Galliámq; percurrẽs, iu ora Oceani circa prospectũ Britanniæ restitit. Cùmq; ibi Minocynobellioũ Britannorũ regis filiũ, qui à patre puisus cũ paucis oberrabat, in deditioné recepisset, deficiente belli materia, Romã rediit. Si vera sunt hæc Orosiana, haud dubié legemus apud Tranquillũ, Britannorũ: vt sit ioter Historicos eadé referentes eadé fides historiæ. Sed potuit idem error, ob vicinitaté nominis obrepeee Orosio, qui inuentus erat in Tranquillo, vt Britãnorum poneretur, pro Batauorũ. Dispice, quæso, diligenter, ô lector candide, & iudicii synceri oris acumen inteude, num Britanuorũ legendum sit, an potiùs Batauorum: & insula tradita, num Britannia, an Batauia significetur: apparatus quoque triumphi, cùm sit pertinens ad res Germanicas, non Britanoicas, etiam atque etiam suadet, vt opiner, vel poòùs credã de Batauis, & insula Batauorũ esse sentiendũ. Habes, ô lector, vtrãq; sententiã, vt si hæc nostra curiosiùs petisitata sordescit, sequaris alterã vulgatioré: oec ob id me arguas insciétiæ, aut superstitiosæ curiositatis. Videtur autem Minocynobellino legendũ esse, tanquã sit oomen proprium barbaricũ. Quidam seiunctim legũt Miocyno Bellini, tanquam sint duo nomina, alterũ filii, alterum patris. Prior lectio quadrat cũ Orosio, & talia oomioa iosolanis barbaricis cõueniunt. Plautus longa oomina Persarum, & cõtortiplicata esse prodidit. Scribit Cor. Tacitus, C. Cæsarem hunc, videlicet Caligulã, agitasse de intranda Britãnia: sed mobilitate ingenii, & pœnitentia substitisse. Qui itaque agitauit de intranda Britannia, non intrauit: qui cogitauit de bello, non gessit. Hoc tamen totum liberum opiuaturis relinquo.

MAturis.] Aetate prooectis: sed libentiùs emeritis, M. A N.
quàm maturis legerim: quasi dicat, legitima militia defũctis: quod ex his quæ sequũtur potest intelligi.

Ante quàm consummaturi.] Ad militiæ exitũ perueoturi. Primos pilos.] Id est, peimi pili centurionatum. Primũ pilum prima centuria vocabatur, quæ graui armatura instructa circa Aquilam excubabat, in qua Inter cætera armorum genera hastile erat pedũ quinq; & semis, quod pilum Romani nomiuabant: huius ordinis cẽturio cæteris centurionibus dignitate præstabat. Miror tamen primos pilos Tranquillum dixisse, quum prim

qui pulsus à patre, cum exigua manu trensfugerat, in deditionem recepto, quasi vniuersa tradita insula, magnificas Romam literas misit, monitis sæpe latoribus, vt vehiculo ad forum vsq; & curiam pertenderent, nec nisi in æde Martis, ac frequente Senatu, Consulibus traderent.

Sylua per eum truncata, & milites præmijs donati, & alia gesta eius. XLV.



MOx deficiente belli materia, paucos de custodia Germanos traiici, occulíq; trans Rhenum iussit, ac sibi post prandiū quàm tumultuosissimè adesse hostem nuntiari. Quo facto, proripuit se cum amicis, & parte equitum prætorianorum in proximam syluam, truncatísq; arboribus, & in modum trophæorum adornatis ad lumina reuersus, eorum quidem, qui secuti non essent, timiditatē, & ignauiā corripuit: comites autē & participes victoriæ nouo genere, ac nomine coronarū donauit, quas distinctas Solis, ac Lunæ, syderúmque specie, exploratorias appellauit. Rursus obsides quosdam abductos è literario ludo, clámque præmissos, deserto repentè cōuiuio cum equitatu insecutus, veluti profugos, ac reprehensos in catenis reduxit, in hoc quoque nimio præter modū intemperās. Repetita cœna renūtiantes

primum pilum neutro genere alioqui pronunciari soleat: ad ordines, credo, allusit: nec me fugit primipilos dictos centuriones ipsos primæ centuriæ. Liuius: Centurio erat, quem primipilum nunc vocāt. At aliud certè est, primos pilos, aliud primipilos dicere: quanquā ne hoc quoque rectè diceretur, nisi fortè nonnullis, qui primipili essent, primi pilos ademptos dictum videri velles: quod nihil aliud esset dicere nisi tribunū tribuno, aut cēturionem centurioni ademit, quū ipse interim apertè de adempta dignitate loquatur.

Commoda.] Militibus ob emeritā militiā reddenda.

Recidit.] Sustulit, nec reddenda censuit.

PHIL. TRadita insula.] Batauia scilicet, quam diximus nobilissimam esse Germanicarū insularū in fluuio Rheno: vel intellige de Britannia.

Vehiculo.] Ex Augusti instituto, qui per vias militares vehicula disposuerat, quibus vecti nuntii literas celerrimè perferebant.

Latoribus.] Baiulis literarum: qui geruli, & portitores non inelegāter appellantur: tabellarios vetustas dixit. Veredarii verò, qui equis pernicibus vtentes citissimè perferunt literas nuncupantur: vulgus caballarios vocat. Refert Iul. Firmicus in VIII. Veredarios nasci sub sydere equi cælestis. In æde Martis.] Templū Martis cognomento Vltoris significat, vbi de bellis, triumphísque Senatus consulebatur ex Augusti constitutione.

De custodia.] Vel quos captos habebat in custodia significat, vel quos habebat ad sui corporis custodiam.

Traiici.] Transportari.

Occuli.] Occultari. Plinius locum oculatissimum appellat occultissimum, secretissimúmque: quāuis per contrarium oculatissimus dici possit manifestissimus: & tunc ab oculato vocabulo, nō autem ab occulo verbo deriuabitur: sicut & oculissimū pro carissimo dixit Plautus, & oculitus ea forma, qua medullitus dicitur: quo significatur tam carum esse, quàm oculum.

Trans Rhenum.] Hoc demonstrare satis videtur, regulum Batauorum potiùs, quàm Britannorum in deditionem fuisse receptum à Caligula: quæ insula Rhenana est.

Hostem.] Germanum, Batauúmque.

Proripuit.] Quasi ad rem tumultuariam esset festinanter eundum.

In modum trophæorum.] Scribit Plutarchus, Romulum victorem opima spolia deposuisse ad quercum in trophæi formam adornatā. Trophæi autem forma, sicus significare videtur Rufinus in symbolo Apostolico, erat cruci simillima, quæ triumphi insigne est, & trophæum.

Ad lumina reuersus.] Quasi in noctem protracta fuerit dimicatio.

Corripuit.] Castigauit.

Distinctas.] Variegatas, ornatásq;.

Exploratorias.] Nomen nouum est coronarum, vt exploratoriæ dicantur, quasi in explorationem hostium datæ: cùm apud veteres obsidionalis, ciuica, muralis, costrata, castrēsis, oualis celebrentur.

Abductos.] Quasi vi, furtímq; abreptos, asportatósque.

Ludo.] Ex schola, in qua vacabant disciplinis.

Reprehensos.] Reprehendere, est fugiētem apprehendere, reducere, retinere, retrahere. Liuius: Adeò turbati erant dexteræ alæ equites, peditésq;, vt quosdam Cōsul manu ipse reprehēderit, verterítq; in hostem. Plautus in Pseudolo: Reprehende hominem, assequere.

M. AN. INsula.] Britannia. Latoribus.] Tabellariis. Vehiculo.] Vecti.

In æde Martis.] Quò patres vocarentur.

De custodia.] De his, qui ad eius corporis custodiam potiùs, quàm castrorum lecti erant.

Traiici.] In aduersam Rheni ripam deuehi.

Proripuit.] Celeriter ex suorum conspectu abiit.

Ad lumina.] Velut difficili negotio nox interuenisset. Comites.] Qui illum sequuti fuerant.

Distinctas Solis, & Lunæ.] Est hoc nouum illud genus formæ: sed ad expeditionis illius euentum coronarum formam accommodasse videri potest, quippe quæ diei, noctisque sint participes.

Exploratorias.] Ad illud referatur, quod nō solùm forma, sed nouo etiam nomine coronas ab eo datas dixit. Obsides.] Quos à regulis, & populis ad eorum fidem sibi oppignerandam acceperat.

E literario ludo.] Quem obsides frequentabant.

Adductos.] Quos adduci fecerat.

Reprehensos.] Ex fuga receptos.

In hoc quoque nimio.] Sed vt minimo legi posset, negotio scilicet subintellecto: alioqui nimio cum sequentibus iungas.

coactum agmen, sicut erant, loricatos ad discumbendũ adhortatus est. Monuit etiã notissimo Vergilii versu, Durarent, secũdísq; se rebus seruarent. Atque inter hæc absentem Senatum, populúmq; grauissimo obiurgauit edicto, quòd Cæsare præliante, & tantis discriminibus obiecto, intempestiua conuiuia circum & theatra, & amœnos secessus celebrarent.

Apparatus exercitus eius contra Oceanum, & alia eius gesta. XLVI.

POstremò, quasi perpetraturus bellum, directa acie in litora Oceani, ac ballistis, machinísque dispositis, nemine gnaro, ac opinante quidnam cœpturus esset, repentè vt conchas legerent, galeásque, & sinus replerent, imperauit, spolia Oceani vocans, Capitolio, Palatióque debita. Et in indicium victoriæ altissimam turrem excitauit: ex qua, vt ex Pharo, noctibus ad regendos nauium cursus, ignes emicarent, pronuntiatóque militi donatiuo, centenis

PHIL. COactum.] Congregatum.

Loricatos.] Lorica indutos. Verbum est apud antiquos loricare, quod significat lorica se munire. Hinc illud à Plinio elegãter dictum: Mox vbi pluribus eodem modo se coriis loricauit, in dimicationem pergit. Diloricare verò, est discindere, & lacerare, quasi loricã rescissa. Apuleius: His dictis inuolat eam, vestémque plurifariàm diloricat, capillóq; disciso, & capite cõquassato grauiter affligit. Cicero in II. de Oratore, loquens de M. Antonio, ait: Non dubitauit excitare reum consularem, & eius diloricare tunicam. Lorica autem in ædificiis est quoddã quasi sepimentũ, & veluti peribolus, quæ nos tuetur à lapsu. Est & loricula in re militari præsidium obsidentium. Solẽt enim obsessores vltra teli iactum fossam facere, quã nõ solùm vallo, & sudibus, sed etiam turriculis instruunt, vt erumpentibus ex ciuitate possint obsistere, quod opus loriculã vocant. Sæpe inuenitur in Historiis loricula vrbes fuisse circũdatas: cuius Vegetius, & Cæsar in Cõmentariis meminerũt. Loricationem verò apud Iuriscõsultos legimus accipi pro ornatu domus specioso, ac veluti tectorio: quæ impẽsæ sunt voluptariæ. Durarent.] Apud Vergilium in I. Aeneidos ait Aeneas ad socios:

Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Obiurgauit.] Incusauit. Edicto.] Imperatorio.

Intempestiua conuiuia.] Tanquã laborãte principe indignũ sit, & flagitiosũ, ciues indulgere voluptatibus, & curare genialia. Circum.] Spectacula Circensia.

Theatra.] Ludos theatrales, & scenicos.

Secessus amœnos.] Quales fuerunt Prænestinus, Tiburtinus, Aricinus. Papinius in lib. IIII. Syluar. multiiugos celebrat his versibus:

Hos Præneste sacrum, Nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuscula protegit vmbra:
Tiburis hi lucos, Anienáque frigora captant.

Strabo refert, Neapolitano, Antiatinóq; secessu, tãquã amœno, oblectatos esse in primis proceres Romanorum. Perpetraturus.] Impositurus extremã manũ.

Ballistis.] De ballistarũ cõfectione scribit elegãter, & scienter Vitruuius in x. quæ ea magnitudine formãtur, vt lapides centũ viginti põdo eiaculentur. Vegetius in IIII. de re militari, ballistas nõ solùm saxa, sed & spicula mittere tradit: quæ quantò prolixiora brachia habuerint, tãtò tela lõgiùs torquẽt: quæ si iuxta artem mechanicam temperabũtur, penetrabunt quodcũque percusserint. Adstipulatur Vegetio Silius, cùm ait ex ballista mitti molares, & hastas. Ballistam Phœnices primi inuenerunt. Hinc ballistarii artifices dicti, quorum meminerunt Iurisconsulti. Machinis.] Bellicis tormentis. Inter machinas, & organa, authore Vitruuio, id videtur esse discrimen, quòd machinæ pluribus operibus in maiores coguntur effectus, vti ballistæ: organa autem vnius operæ præpositum, vti scorpionis.

Gnaro.] Sciẽte. Scribit Cicero, priscos dixisse notos, nauos, naros: quibus eùm in, præponi oporteret, dulcius visum est, ignotos, ignauos, ignaros dicere, quàm vt veritas postulabat.

Conchas.] Hæc sunt maris eiectamenta. Legerẽt.] Colligerent.

Spolia Oceani.] Sicut spolia hostiũ & Imperatorũ dici solent, ita Caligula cõchas marinas vocauit Oceani spolia. Capitolio, Palatióq; debita.] Vide principem ridicularium, qui conchas, quas fluctus eiaculantur in litus veluti spolia Oceani existimat esse in Capitolio, ædibúsque Palatinis consecrandas: cùm in talibus locis non nugatoria, sed regalia spolia, & exuuiæ dedicari & debeant, & soleant.

Excitauit.] Construxit, erexit.

Vt ex Pharo.] Superius docuimus, turres vocitari Pharos generali vocabulo, ex quibus ignes nocturno tempore dirigunt cursus nauigantium.

Donatiuo.] Sulpitius Seuerus scribit, fuisse cõsuetudinem, vt singuli milites citarentur ad donatiuum, quod militibus Imperator erogabat. & olim diuus Martinus donatiuum Iuliani Cæsaris, cùm non amplius militaturus esset, accipere recusauit, dicens: Donatiuum tuum pugnaturus accipiat.

Centenis.] Hoc dabatur pro donatiuo.

M. AN. COactũ agmen.] Quod esset qui agmẽ cogerẽt, & quasi subsidio sequeretur: id perspicuè Liuius demonstrat, Magonem, inquit, inde iubet cum expeditis Numidis cogere agmen.

Durarent.] Vergilius:

Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Obiurgauit.] Castigauit. Perpetraturus.] Profligaturus, ad exitum perducturus.

Ballistis, machinis.] Bellicis instrumentis.

Nemine gnaro.] Nullo quidem percipiente.

Conchas.] Inanes conchas intellige, Oceani æstu in litus deiectas. Legerent.] Colligerent.

Debita.] Consecratione digna.

Indicium.] Monumentum.

Excitauit.] Erexit.

Vt ex Pharo.] Ex alta turri, quæ iuxta mare Alexandriæ præiacet.

Donatiuo.] Munere, quod ab Imperatore militibus, vt dixi, dabatur.

Denar

viritim denariis, quasi omne exemplum liberalitatis supergressus: Abite, inquit, læti, abite locupletes.

Cura triumphi, & alia eius gesta. XLVII.

Conuersus hinc ad curam triumphi, præter captiuos, ac transfugas barbaros, Galliarum quoque procerissimum quenque, &, vt ipse dicebat, ἀξιοθριαμβευτον, ac nōnullos ex principibus legit, ac seposuit ad pompā: coegitq; non tantùm rutilare, & summittere comam, sed & sermonem Germanicū addiscere, & nomina barbarica ferre. Præcepit etiam triremes, quibus introierat Oceanum, magna ex parte itinere terrestri Romam deuehi. Scripsit & procuratoribus, triumphum apparaerēt quàm minima summa, sed quantus nunquam alius fuisset, quando in omniū hominum bona ius haberent.

Nefarium consilium trucidandi legiones. XLVIII.

Prius, quàm prouincia decederet, consilium iniit nefandæ atrocitatis, legiones, quæ post excessum Augusti seditionem olim mouerant, contrucidandi, quòd & patrē suū Germanicum ducem, & se infantem tunc obsedissent. Vixq; à tam præcipiti cogitatione reuocatus,

PHIL. Denariis.] Denarius nūmus est argenteus, qui pro decem libris æris accipiebatur, sicut quinarius pro quinque: olim placuit, denarium sexdecim assibus permutari, quinarium octonis.

Abite locupletes.] Tanquam centeni denarii possint militem locupletare, qui vno interdum die maiorē summam prodigere consueuit.

Procerissimū.] Magna statura, & procera corporatura præditū, quales Augustinus staturosos appellat.

Ἀξιοθριαμβευτον.] Hoc est, dignum triumpho.

Ex principibus.] Scilicet Gallorum.

Legit.] Elegit.

Ad pompam.] Triumphalem.

Rutilare comā.] Vt scilicet ita veri Germani viderentur: quorum, vt inquit Tacitus, rutilæ sūt comæ, & corpora procera: quibus peculiaris hic mos fuit, vt capillos rutilarent, adhibito sapone: quod tamen in vsu frequēti fuisse nō minùs Gallorū, quàm Germanorū docet Plinius. Hinc pilæ saponis dictæ sunt Mattiacæ, à Mattiacis Germaniæ populis: quorū meminit Tacitus in libro de Germania. Martialis:

Accipe Mattiacas quo tibi calua pilas. Idem appellat spumam causticam saponem habentem vim ignitam ad capillos rutilandos, qua Germani vtebantur. hinc illud est:

Caustica Theotonicos accendit spuma capillos.

Idem mos coaluit apud Romanas matronas, vt capillos rutilarent: sicuti tradit Valerius capite de institutis antiquis.

Summittere.] Promittere, & prolixiorem facere: quod proprium est Germanorum. Nanque populi Septentrionales, vt Vitruuius, & Plinius tradiderunt, flauos habēt crines, & promissos ex humoris copia: sicut ecōtrario Aethiopes vaporis efficacia capillos habent breues, & adustis similes. Sermonem Germanicū.] Sunt Germanis carmina, quorum relatu, quem baritū vocant, accendunt animos. affectatur præcipuè asperitas soni. Strabo in VII. Geographiæ Germanos dictos esse autumat pèrinde, ac fratres legitimos Gallorū: quoniam & proceritate corporū, & colore flauo, & forma, & moribus, & viuendi ritibus pares existimat. Non me præterit aliter tradi à Cornelio Tacito.

Nomina barbarica.] Tanquam Gallorum nomina sint elegantiora, Germanorum verò asperiora, magisq; barbarica. Itinere terrestri.] Hoc olim ab Argonautis factum est, qui humeris Argo nauim alpes trāsuexerunt: quæ mox subit Istro, deinde Sao, deinde Nauporto fluuio: cui nomen ex ea causa est.

Procuratoribus.] His, qui procurabant triumphū: vel Cæsaris procuratoribus. Titulus est apud Iurisconsultos De officio procuratoris Cæsaris, vbi scriptū est: Quæ acta, gestáq; sint à procuratore Cæsaris, sic ab eo comprobari, ac si à Cæsare gesta sint.

Summam.] Impensam.

In omnium bona.] Tāquam illis permitteret inuadere bona ciuium, & fortunas pro arbitrio dissipare.

Excessum.] Obitum.

Patrem suū Germanicum.] Suprà dictum est, quemadmodum legiones in Germania tumultuari cœperūt, obitu Augusti nuntiato, cùm Imperatorem Tyberiū recusarent, Germanicū Caligulæ patrem deposcentes.

Tunc obsedissent.] Suprà huius rei sic meminit Trāquillus: Post excessum Augusti tumultuantes, & in furorem vsque præcipites, solos haud dubiè conspectu suo flexit: non enim priùs destiterunt, quàm ablegari eū ob seditionis periculū, & in proximā ciuitatē demādari animaduertissēt.

M. AN. Quasi omne exemplum.] Quum Cæsar Dictator, & alii Imperatores eo nomine multò plura dedissent. Transfugas.] Obsides ex fuga receptos.

Ἀξιοθριαμβευτον.] Triumpho dignum, siue idoneū.

Rutilare.] Cura, & studio flauos reddere.

Summittere.] Alere, vt Germani crederentur, aduersus quos bellum à se motum videri voluit.

Nomina barbarica.] Germanica. Ferre.] Habere.

Procuratoribus.] Iis, qui res ipsius absentis domi procurabant: erátque penes eos authoritas nō parua.

Quàm minima summa.] Minima fisci impensa.

Sed quantus.] Quàm magnificus, & sumptuosus.

Nunquam alius.] Triumphus scilicet.

Bona ius haberent.] In omnium fortunas grassandi facultatem.

Excessum.] Obitum Augusti. Seditionem olim mouerant.] Bis in Tyberio, & rursus in Caligula militaris seditionis sub Germanico factæ meminit.

Obsedissent.] Quasi vim allaturi circunstetissent. De recētiore igitur illa intelligit, qua puer ipse à militibus retentus est, sed officiosè, non violenter.

inhiberi nullo potuit modo, quin decimare vellet perseueraret. Vocatos itaque ad concionem inermes, atque etiam gladiis depositis, equitatu armato circunsedit. Sed cùm videret, suspecta re, plerosq; dilabi ad resumenda, si qua vis fieret, arma, profugit concione, confestímque vrbem petiit, deflexa omni acerbitate in Senatum, cui *animaduertendos tantorum dedecorum rumores palàm minabatur, querens inter cætera fraudatum se iusto triumpho: quum ipse paulò antè ne quid de honoribus suis ageretur, etiam sub mortis pœna denuntiasset.

*ad auertendos

Reditus eius ad urbem, malum propositum, & uenena reperta. XLIX.



Aditus ergo in itinere à legatis amplissimi ordinis, vt maturaret, orantibus, quàm maxima voce, Veniam, inquit, veniam, & hic mecum, (capulum gladii crebro verberans, quo cinctus erat) edixit & reuerti se, sed his tàtum, qui optarent Equestri ordini, & populo. Nam se neque ciuem, neque principem Senatui ampliùs fore. Vetuit etiam quenquam Senatorum sibi occurrere: atque omisso, vel dilato triumpho, ouans vrbem natali suo ingressus est. Intráque quartum mensem periit, ingentia facinora ausus, & aliquantò maiora moliens. Siquidem proposuerat Antiũ, deínde Alexandriã commigrare, interẽpto priùs vtriusque ordinis electissimo quoq;. Quod ne cui dubium videatur, in secretis eius reperti sunt duo libelli diuerso titulo, alteri gladius, alteri pugio index erat. Ambo notas, & nomina cõtinebãt morti destinatorũ. Inuenta & arca ingens, variorum venenorum plena: quibus mox à Claudio demersis

PHIL. Decimare.] Decimum quenq; afficere supplicio. Quid sit decimare, & centesimare, suprà dictũ est. Circunsedit.] Circunuallauit, ne vllum pateret effugium. Si qua vis fieret.] Si aliqua violentia inferrentur ab his armatis, quos adhibuerat Caius.

Dilabi.] Sensim, dissimulãterq; abscedere.

Deflexa.] Deriuata.

Fraudatum se.] Scilicet à Senatu.

Querens.] Cõqoerens.

Iusto.] Legitimo, & merito.

Ne quid ageretur.] Ex hoc temeritas Caligulæ significatur, qui minabatur Senatui, tanquã ab eo fraudatus esset triumpho: cùm olim ipse Senatui denuntiasset sub pœna capitali, ne quid ageret de honoribus ad ipsum pertinentibus.

Aditus à legatis.] Quum legati eum adiuissent.

Amplissimi ordinis.] Senatorii.

Capulum gladii.] Ita significãs Senatui trucidationem. Crebra enim concussio capuli, hoc est ipsius manubrii, specimẽ est minarum capitalium. Statius:

Illius ad capulũ rediit manus.

Sed his tãtùm.] Tanquam Senatus non desideraret Caium reuerti ab expeditione.

Sibi occurrere.] Obuiam venire officii causa.

Dilato.] In aliud tempus protracto.

Ouans.] In põpa ouatiõis. Quid autem differant triomphus, & ouatio, suo iam loco declarauimus.

Natali suo.] Nouissimo scilicet die mẽsis Augusti.

Alexandriam commigrare.] Chæreas Caligulæ interfector aduocatis coniuratis dixit: An nõ videtis hodie spectaculorum diem esse nouissimum, & Caiũ ferri ad Alexandriam nauigaturum, vt Aegyptum cõtempletur? Hoc itaque propositum commigrandi, fuit causa coniuratis maturandi necem Caianam.

Vtriusque ordinis.] Senatorii, & equestris.

Quoque.] Quolibet, quocunque. Propertius:

Vix decimo admittor nunc ego quoque die.

Alteri gladius.] Quum in libellis gladius, & pugio, tanquam signa, & notæ apposita fuissent, significabat se gladio, & pugione in vnum quenque debacchaturum. De quo Orosius iisdem penè verbis tradit hæc: Duo libelli in secretis eius reperti sunt, quorum alteri pugio, alteri gladius pro signo nominis adscriptus erat: ambo lectissimorum virorum vtriusque ordinis, Senatorii, & Equestris nomina, & notas continebant morti destinatorum. Inuenta est & arca ingens variorum venenorum pocula continens: quibus mox, Claudio Cæsare iubente, demersis infecta maria traduntur, nõ sine magno pisciũ exitio: quos enecatos per proxima litora æstus eiecit.

M. AN. Decimare.] Decimũ quenque supplicio afficere.

Plerosque.] Ex iis, quibus res suspecta erat.

Dilabi.] Clandestine abire.

Profugit.] E concione se repentè surripuit.

Deflexa.] A militibus in patres.

Animaduertendos.] Sic habent quæcunque Tranquilli vidimus exẽplaria, sed ad auersendos legendum esse contenderim, id est discutiendos.

Iusto triũpho.] Qui sibi decretus non fuisset.

Aditus.] Præuentus.

A legatis.] Ab iis, qui officii gratia publicè obuiam missi fuerant.

Capulum gladii.] Manubrium. Est & capulus, quo mortui efferũtur: sed vtrunq; à Capio, vt Festo placet.

Optarent.] Se scilicet reuersurum.

Equestri ordini, & populo.] Quasi dicat, non Senatui. Neque ciuem, neque principem.] Hostem ergo potiùs, quàm hospitem innuere voluit.

Facinora.] Hic in malam partem: est enim mediũ alioqui verbum.

Vtriusque ordinis.] Patritii, & Equestris.

Index.] Inscriptio. A Claudio.] Qui illi successit.

Infect

infecta maria traduntur, non sine piscium exitio, quos enectos æstus in proxima litora eiecit.

Statura corporis eius, ac ualetudo. L.

STatura fuit eminenti, pallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima ceruicis, & crurum, & oculis & temporibus cõcauis, frõte lata, & torua, capillo raro, ac circa verticem nullo, hirsutus cætera. Quare transeunte eo prospicere ex superiore parte, aut omnino quacunq; de causa capram nominare, criminosum, & exitiabile habebatur. Vultũ verò natura horridũ, ac tetrũ, etiam ex industria efferebat, componens ad speculum in omnem terrorem, ac formidinẽ.

PHIL. INfecta.] Corrupta, contaminata, venenata. Aliás infectum dicimus tinctum: & infectores tinctores. Sententia est apud Senecam luculenta, sic scribentem: Vitiis non maculati sumus, sed infecti.

Enectos.] Mortuos. Autumant grammatici, enectũ proprie dici vi necatum.

Corpore enormi.] Immenso, & exuberanti: quales sunt ventriosi. Ita enim Plautus appellat, quos Græci γαςρώδης dixerunt. Enorme veteres vocant immodicum: & enormitatem, nimiam magnitudinem, atque exuperantiam. Spartianus: Enormitate stipendii militibus, vt solet, placatis inde Romam rediit. Idem alibi: Denique nisi querelis de Geta editis, & animis militum delinitis, enormibus etiam stipendiis datis, Romam Basianus redire non potuit. Solinus, Sunt enormes, inquit, pisces supra modum ingentium columnarum.

Oculis concauis.] Conditi oculi clarissimè cernunt: prominẽtiores verò sunt hebetiores. Caio principi rigentes oculos fuisse scribit Plinius in xi. Tempora autem concaua, in equis maximè, senium significant. Seneca in libro ad Serenum, quòd in sapientem non cadit iniuria, de hoc Caio Cæsare sic scribit: Tanta illi palloris insaniam testantis fœditas erat, tanta oculorum sub fronte simul latentium toruitas, tanta capitis destituti, & enudatis capillis aspersi deformitas. Adiice obsessam setis ceruicem, & exilitatem crurum, & enormitatem pedum.

Fronte lata.] Quibus frons lata est, vt inquit Aristoteles in primo de animalibus, mente moueri idonei sunt: quibus magna, segnes: quibus parua, mobiles: quibus rotunda, iracundi. Hoc idem Trogus apud Latinos retulit. A fronte sunt Frõtonum cognomina, sicut à capite Capitonum, author Cicero lib. 5. de natura Deorum.

Hirsutus cætera.] Pilosus, hirtúsque reliquo corpore. Eloquutio vetus est, & périnde elegans. Vergilius: -Et cætera Graius. Plinius de phœnice: Aquilæ narratur magnitudine, auri fulgore circa colla: cætera purpureus. Itidem Horatius: -Cætera fuluus. hoc est, in toto corpore coloris fului. Hirsutos autem, qui & hirti, & pilosi dicuntur, libidinosiores esse Trogus, & Plinius prodiderunt.

Prospicere ex superiore.] Ne videretur de industria velle contemplari deformitatem capitis destituti capillis, & honore comæ despoliati: talis enim erat vertex Caligulæ.

Capram nominare.] Id conuicium Caius ad suam contumeliam trahebat, quum esset ipse hirsutus instar capræ. Capras autem pilosas esse, & hirsutas, manifestarium est. Quidam, authore Porphyrione, pilos capræ non setam esse dicebant, sed lanam: cui sententiæ adstipulatur Vlpianus libro xxi. de legatis, scribens legata lana, etiam caprinam contineri. Seneca dixit, ceruicem Caligulæ fuisse obsessam non pilis, sed setis, vt *ἰμφαλμοτρίφως* signaret hominis hirsutiam. Refert Ammianus Marcellinus, Iulianum Imperatorem, cùm esset hirsutus, appellatum fuisse à captoribus Capellam: tanquã & ipse setoso corpore repræsentaret hirsutias setarum caprinarum.

Vultum horridum.] Seneca libro tertio de ira, de Caligula sic scribit: Torserat per omnia, quæ in rerũ natura tristissima sunt, fidiculis, eculeo, igne, vultu suo. Quibus verbis significat, vultum habuisse plenum horroris, atque formidinis, adeò vt loco tormẽti esset trux eius aspectus.

Tetrum.] Tetrum dicimus vitabile, illuuiosum, crudele, impium, austerum. Vergilius: -Lauit improba teter Ora cruor.- Vultus teter in Caligula significatur crudelis, & vitabilis. A contrario per quandam quasi annominationem dixit Sidonius Apollinaris: Seueritas non tetra, sed tetrica.

Efferebat.] Truculentiorem, tetrioremque, & magis ferum efficiebat. Lege potiùs efferabat.

Ad speculum.] Inuenta sunt specula, vt homo ipse se nosceret: formosus, vt vitaret infamiam: deformis, vt sciret redimendum esse virtutibus, quicquid corpori deesset: iuuenis, vt flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi: senex, vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret: author Seneca in primo Quæstionum. Socrates quoque speculo ad disciplinam morum vtebatur, suadens discipulis crebrõ vt semet in speculo contemplarentur. Demosthenem tradunt semper ante speculum, quasi ante magistrum, causas esse meditatum: tanquam à speculo peteret pronũtiandi congruentiam. Sextus ait, quibusdam iratis profuisse speculum aspexisse. Perturbauit etiam illos tanta mutatio sui, qui velut in rem præsentem adducti, non agnouerunt sese. Econtrario Caligula speculum contemplabatur, non vt ex eo componeretur ad mores, & tranquillitatem, sed vt ad feritatem, & tristitudinem accumulandam fieret compositior.

M. AN. EXitio.] pernicie, interitu.

Enormi gracilitate.] Tanta corporis gracilitate præditus, vt modum excederet: sed maxima ceruicis, & crurum.

Torua.] Terrifica.

Cætera.] Cæteris corporis partibus.

Quare.] Ob quod ipsum, quia caluitio insignitus esset, & totus hirsutus.

Horridum.] Horrore præditum.

Tetrum.] Fœdũ, terribilem. Inde est verbũ tetro, quod est fœdo, siue horridum, & obscurum facio.

Ex industria.] Dedita opera.

Efferebat.] Exquisita feritate deformabat.

Componens.] Aptans.

Valet

Valetudo ei neque corporis, neque animi constitit. Puer comitiali morbo vexatus, in adolescentia ita patiens laborum erat, vt tamen nonnunquam subita defectione ingredi, stare, colligere semet, ac sufferre vix posset. Mentis valetudinẽ & ipse senserat, ac súbinde de secessu, déq; purgando cerebro cogitauit. Creditur potionatus à Cæsonia vxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit. Incitabatur insomnia maximè: neq; enim plus, quàm tribus nocturnis horis quiescebat:

PHIL. VAletudo neque corporis, neq; animi.] Infelicem fuisse Caium ex hoc clarum est, quòd bonis animi, quæ prima sunt, dein corporis, quæ secundum locũ obtinent, fuit viduatus. Scribit Plato in Gorgia, cantilenam hanc in conuiuiis cantari solitam: Optimum esse, bene valere: secundo loco, formosum esse: tertio, habere diuitias nulla fraude partas. Idẽ lib. III. de Legibus, Recta, inquit, distributio est, vt prima, & in primis honoranda censeantur animi bona: secundo gradu corporis bona ponantur: tertio, externa, quæ fortunæ sunt. Aristoteles quoque libro septimo Politicorum, Cùm, inquit, tria sint genera bonorum, externa, corporis, & animi: ista omnia oportet adesse homini felici. Externa autem, gratia animi expetenda esse docet: quòm animus sit pretiosior corpore, & pecuniis. Votum Ausonii illud est:

Non animo doleam, non corpore: cuncta quietis
Fungantur membra officiis.

Morbo Comitiali.] Relege quæ curiosè, opinor, & copiosè scripsimus in primo Commẽtario super comitiali morbo: quo & Cæsar Dictator laborauit.

Puer.] Scripsit Hippocrates, & adstipulatur Galenus, epilepsiam, qui morbus caducus, siue comitialis dicitur à nostris, esse propriè infantium, & puerorum: qui adolescentes quoque infestat propter incontinentiam, etsi fuerint famis, vigiliæ, caloris, algoris supra modum patientes. Cornelius Celsus author est, comitialem morbum ante pubertatem cœptum non ægrè finiri. Plinius quoque ait in vigesimooctauo, multos morbos, maximéque comitiales, finiri primo coitu pueri, primóq; menstruo fœminæ: quod si non contingat, longinquos fieri.

Subita defectione.] Genus morbi est, defectio animi: quo laborantes, defecti dicuntur. Græci συντήξεις appellant ipsum morbum, & syncteticos defectione laborantes. Plinius: Tali sorbitionis genere emendantur synctexes. Idem: Præcordiorum vitiis, syncteticis, comitialibus cum vino in aqua mulsa illinitur. Idem: Nam vt in Achaia bubulum biberent phthisici, syncteticiq; diximus in orbe terrarum. A nobis traditum est in Cæsare Dictatore, de his, quos linquit animus: qui morbus est consimilis defectioni.

Colligere.] Reficere. Cicero: Manifesto furto perturbatus vbi se collegit.

Súbinde.] Frequenter, identidem.

De secessu.] Tanquam mutatio loci possit mutare morbum animi. Nanque, vt scriptum est in Decretis canonicis, L XXXI. distinctione, plerunque dum mutatur locus, mutatur mentis affectus. Verùm, vti inquit Horat. Scandit æratas vitiosa naues cura. & alibi:

Cælum, non animũ, mutant, qui trans mare currunt.

Olim iuueni conquerenti quòd peregrinationes nihil sibi profuissent: nõ mirum, inquit Socrates: vitia enim tua tecum circunfers.

Potionatus.] Potione ad dementiam conuersus. Apud Quintilianum mentio est patris ægroti, qui potionem à filio medico datam cùm bibisset, epota potionis parte dixit venenum sibi datum. Est enim potio μέσον, hoc est medium vocabulum: nam & saluriferam, & mortiferam potionem appellamus.

Amatorio medicamento.] Quintilianus in VII. Ex contrario, inquit, armenta ducuntur: vt si quæratur, an amatorium venenum sit, nécne: quia venenum amatoriũ non sit. Hecatõ luculenter ait: Ego tibi mõstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine vllius veneficæ carmine: si vis amari, ama. Sed amatorium venenũ esse credere libet, cùm legerimus Lucullũ amatorio periisse: & Lucretium poetam amatorio poculo in furorẽ conuersum: per interualla insaniæ libros aliquot conscripsisse, & mox sibi ferro mortem consciuisse. Plinius amatoria commemorare se nolle, tanquam medicamenta non sint, súbinde testatur.

In furorem verterit.] Huius amatorii ita meminit Iuuenalis Satyra VI. his versibus: -Si non

Et furere incipias, vt auunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit.-

De eodem sic scribit Iosephus libro Antiquitatum vndeuigesimo: Omnium malorum, quæ gesta fuerant à Caio, Cæsonia fuerat caput. Caio nanq; dederat poculum, vt eius mentem suo potuisset subiugare seruitio, & amore, incantationibúsq; ad vesaniam transformatum sibi deuinxerat.

M. A N. NEque Corporis, neque animi.] Et idcirco omnis felicitatis expers. Iuuenalis:

Orandum est, vt sit mens sana in corpore sano.

Comitiali morbo vexatus.] Quem maiorem etiam appellatum Cornelius ait: eum vulgò caducum vocãt, & comitialem, vt Quintus Serenus ait, ab eo quòd aliquo cadente comitia soluerentur.

Defectione.] Subito corporis affectu ex improuisa vi grassantis morbi.

Mentis valetudinem.] Alienationem.

Súbinde.] Identidem, sæpius.

De secessu.] Anticyrano, credo.

Potionatus.] Medicato poculo à communi mente alienatus.

A Cæsonia vxore.] Iuuenalis:

Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit quæ non faciet, quod Principis vxor.
Ardebant cuncta, & fracta compage ruebant,
Non aliter, quàm si fecisset Iuno maritum
Insanum.-

Iosephus hoc nomine ait Cæsoniam à cõiuratis interfectam: quia alienata potionibus principis mente omnium malorum fuisset causa.

Insomnia.] Græci ἐνύπνια vocant: fit quoties cura oppressi animi, vel corporis, vel fortunæ, qualis vigilantem fatigauerit, talem se ingerit dormienti. quare aptè Tranquillus in Caligula, vt tyranno, & vndique odiis circunuento posuit. Sunt & aliæ species quatuor, somnium, visio, oraculum, & visum: Græci ὄνειρον, ὅραμα, χρηματισμόν, φάντασμα vocãt, quorũ rationem Macrobius diligenti dissertatione explicat, lib. I. in somnium Scipionis, cap. III. de falsis insomniis Maro:

Sed falsa ad cælum mittunt insomnia manus.

ac ne his quidem placida quiete, sed pauida miris rerum imaginibus, vt qui inter cæteras, pelagi quondam speciem colloquentem secum videre visus sit. Ideóque magna parte noctis, vigiliæ, cubandíque tædio, nunc toro residens, nunc per longissimas porticus vagus, inuocare identidem, atq; expectare lucem consueuerat.

Valetudo mentis eius, & contemptus deorum, & alia eius gesta. LI.



On immeritò mentis valetudini attribuerim diuersissima in eodem vitia, summã confidentiam, & contrà nimium metum. Nam qui deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua, & fulgura coniuere, caput obuoluere, ad maiora verò proripere se è strato, sub lectúmq; cõdere solebat. Peregrinatione quidem Siciliensi, irrisis multorũ locorum miraculis, repentè à Messana noctu profugit, Aetnæi verticis fumo, ac murmure pauefactus. Aduersus Barbaros quoque minacissimus, quum trans Rhenum inter angustias, densúmq; agmen iter essedo faceret, dicẽte quodam, non mediocrem fore consternationem,

PHIL. NEc placida quiete.] Inqoies nocturna, & somnia tumultuosa sunt loco pœnæ mortalibus.

Miris imaginibus.] Scribit Auicenna, & Cor. Celsus, mentem phreneticorum imaginibus quibusdam vanis esse addictam. Idem Celsus, Insaniæ, inquit, genus est, cùm imaginibus, nõ mente fallũtur, qualem insanientẽ Aiacem, vel Horestem poetarum fabulæ ferunt.

Pelagi speciẽ.] Imaginem Oceani. Phantasma signare videtur, quod Cicero visum vocat: quod, vt docet Macrobius in primo in somnium Scipionis, fit qoum dormiens aspicere videtur irruentes in se, vel passim vagãtes imagines à natura, seu magnitudine, seu specie discrepantes, variásq; tẽpestates rerum, vel lætas, vel turbulentas. In hoc genere est & ἐπιάλτης, quẽ poblica persuasio opinatur inuadere, & põdere suo pressos, ac sentiẽtes grauare. Auicenoa incubum appellat.

Vigiliæ.] Extrinsecus subintelligendum est, erant. Inter mala autem, vt ait Plinius in xxvi. vigiliæ sunt plerisque.

Toro residens.] Dum cubandi, iacendíq; tædio afficitur. Identidem.] Frequenter.

Valetudini.] Insaniæ, ac perturbationi.

Confidentiam.] Fortitudinis pars est fidentia, vt ait Cicero in II. Rhetoricorum: & dicitur cum laude: confidentia verò in vitio, cùm sit temeritas, & audacia: vt apud Pacuuium: Grandem, atque atrocem coerce confidentiam. Conniuere.] Deos contemnere ad coofidentiam: conniuere verò ad metum referendum est. Conniuere autem, est oculos claudere. de quo verbo satis suprà scriptum est.

Obuoluere.] Vt ita oboolutus minùs sentiret tonitrua. Sub lectum.] Diximus in Tyberio, quemadmodum pauidi specus altiores tutissimos putabãt contra fulminum metum: cùm nunquam altiùs quinq; pedibus fulmen descendat in terram.

Irrisis miraculis.] Hoc qooque referas ad confidentiam. Inter cætera locorum Siciliæ miracula, hoc etiam memoratur, quòd lacus in ea est, in cuius medio sita ara colitur, vltra qoam non licet attingi: & si quis ausus fuerit, malo plectitur: quaotámque sui partem ingurgitauerit, tantam perditum vadit. Est & fluminis miraculum, de quo si hauserit impudicus, non coibunt in corpos vnum latex vini, & latex aquæ. Sal etiam Agrigentinus inter mira est: qui in flãma liquescit, in aqua crepitat, veluti torreatur. cuius meminit Augustinus in xxi. de ciuitate Dei.

A Messana profugit.] Et hoc ad nimium metũ est referendum. Messana autem ciuitas est Siciliæ, quam Siculi Zanclam vocant, à specie falcis: si quidem falcem Siculi zanclam appellant. Messanam autem nominauit Anaxilaus Rhegyoorum tyrãnus à Messana antiqua patria: author Thucydides libro sexto. Mamertini, quæ natio Campana fuit, tãtum olim Messanæ pollentes fuerunt, vt Mamertini omnes vocarẽtur: vnde & vinum, quod generosissimum est, nõ Messaniom, sed Mamertinum, Strabo & Plinius nuncupanerũt: quod olim Cæsar Dictator dedit in epulo vnà cum Chio, Lesbio, & Falerno.

Murmure.] Aetna interdin fumat, noctu flammigat: &, vt inquit Pindarus, per noctes emittit fluenta flammæ cum strepitu: quod profectò mõstrum est tum visu, tum auditu mirabile. Hinc à Vergilio dictum:

Erigit eructans, liquefactáque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundóque exæstuat imo.

Essedo.] Curru.

Consternationem.] Paoorem, exnimationem. Autumat Festus, cõsternationem à sternutamento deduci, eò qnòd toto concutimur corpore, aitque concitationem significare subitariam ex aliquo metu.

M. AN. INter cæteras.] Imaginationes scilicet.

Diuersissima.] Nam quid magis dinersum à metu esse potest, quàm confidentia?

Tantopere contemneret.] Vt & Ioui obstreperet, séque inter Castorem & Pollucem adorandum daret.

Conniuere.] Oculos perstringere, occludere: quod timoris est indicium.

Caput obuoluere.] Stragulis: ne fulgetra, & tonitru offenderetur.

Ad maiora.] Tonitrua.

Peregrinatione Siciliensi.] Quum in Siciliam est profectus.

Ex Messana.] Vrbe Aetnæ propinqua.

Aetnæi verticis.] Aetnæ incendia notiora omnino sunt, quàm longior de his sermo sit habendus. Plinius, Strabo, Polybius, Solinns, Meláq;, & poetæ quàm plurimi eius rei meminerunt.

Minacissimus.] Minarum pleous.

Angustias.] Angustiora loca.

Essedo.] Vehiculo.

Sicund

sicunde hostis appareat, equum illico cõscendit, ac properè versus ad põtes, vt eos calonibus, & impedimentis stipatos reperit, impatiens moræ, per manus, ac super capita hominũ trãslatus est. Mox etiã, audita rebellione Germaniæ, fugã & subsidia fugæ classes apparabat: vno solatio acquiescens, transmarinas sibi superfuturas prouincias, si victores Alpium iuga, vt Cimbri, vel etiam vrbem, vt Senones quondam, occuparent: vnde credo percussoribus eius posteà consilium natum apud tumultuantes milites ementiendi, ipsum sibi manus intulisse, nuntio malæ pugnæ perterritum.

Vestes, cæterique eius habitus. LII.



Estitu, calceatúq; , & cætero habitu, neq; patrio, neque ciuili, ac ne virili quidem, ac deniq; nõ humano semper vsus est. Sæpe depictas, gẽmatásq; indutus penulas, manulea-

PHIL. Sicũde.] Aduerbiũ est, & significat si ex aliqua parte.
Ad poores.] Qui supra Rhenũ erant fabricati.
Calonibus.] Seruis militaribus, de quibus suprà.
Impedimentis.] Impedimenta dici non solùm sarcinas, sed etiã ipsa iumenta, docet Frõtinus scribens in libris Stratagematicon, fuisse interfecta à Petreio impedimenta in magna aquarum & pabuli inopia. Stipatos.] Confertos, repletósque.
Super capita.] Caligula sustollebatur festinãter, & raptim supra capita militũ, vt ita citiùs trãferretur cis Rhenũ: cùm aliter per põtem transire nõ posset refertissimum. Classes.] Nimirũ naues sunt subsidia fugæ: quas apparabat Caligula, quum audisset Germanos rebellare. Si victores.] Scilicet Germani.
Vt Cimbri.] Scilicet quondã occupauerunt Alpiũ iuga, quando vndantes superatis alpibus transmiserunt in Italiam, & apud Athesim à Mario profligati fuerunt. Historiam retulimus in Commentariis Propertii, & in Iulio Cæsare affatim de Cimbris dictum est.
Senones.] Historia notissima, quemadmodum Senones Galliarum populi vrbem Romam ceperunt, diruerúntq., præter Capitolium. Hoc prætereundum nõ est, quod tradit Verrius Senonas appellatos esse, quasi cænonas: quia noui venerunt ex Transalpina Gallia. Καινὸν enim Græci nouum vocãt. à Senonibus bellum Senonicum dictum. Apud tumultuãtes.] Ex morte scilicet ipsius Caligulæ.
Sibi manus intulisset.] Tanquam ex nimio metu ad desperationem redactus fuisset.
Ac ne virili quidem.] In Deuteronomio præcipitur, ne vir induatur veste fœminea, sicut mulier virili veste vti non debet. Et apud Iurisconsultos, Digestis de auro & argento legato, in l. Vestis, vel vestimenta. Scriptum legimus, virum muliebribus vestibus non facilè vti posse sine vituperatione. Caligula verò inuerecundissimus, præmortuiq; pudoris, stolas muliebres induebatur, cõcinnabátq; capillos annulis, & cincinnis: aliáque faciebat, quæ pertinent ad ornatum, cultúmq; muliebrem, cùm talis esset: quod deterius est, audebat aliis cultus fœmineos exprobrare: author Ioseph. in XIX.
Depictas penulas.] Vestitus hic minimè Imperatorius, ideóque reprehensibilis in Caligula. nanq;, vt author est Aelius Spartianus, Imperatores penulis nunquam vti solebant: penula autem vtimur pluuiæ tempore, ideóque neque pictura, neque gemmis distincta esse debet. Hinc iocus ille apud Quintilianum, quum Galba penulam roganti amico respõdit, Non pluit, nõ opus est tibi: si pluet, ipse vtar. In hanc sententiam est illud Satyr. poetæ: -Et multo stillaret penula nimbo. Significare videtur Augustinus, penulam habitum fuisse grammaticorum, sic scribens lib. 1. Confessionum: Quis penulatorum magistrorum audit aure sobria ex eodem puluere hominem clamantem, & dicentem, Fingebat hæc Homerus? Vlpianus Iuriscõsultus inter communia vestiméta, quibus vir & mulier promiscuè vtuntur, penulas annumerat. Varro dixit eleganter, nõ quærendam esse penulam homini, qui habet virtutem. Scribit Lãpridius, Alexandrum constituisse, vt Senatores penulis intra vrbẽ frigoris causa vterẽtur: cùm id vestimenti genus semper itinerariũ, aut pluuiæ fuisset: matronas intra vrbem penulis vti vetuit. A penula penularium deducitur: significátq; thecã, & repositorium penulæ. Gemmatas.] Gemmis ornatas, distinctásq;. Dicebat Alexander Romanus, gemmas viris vsui non esse, neque ad ornatum virilem pertinere.
Manuleatus.] Manuleatã dicimus tunicam manicas prolixiores habentem: & manuleatũ hominem indutum tunicis manicatis: quibus vti virũ Romæ, atq; in omni Latio indecorũ fuit: vt inquit Gellius. Eas tunicas Græco vocabulo χειριδῶτας, nostri manicatas appellauerunt. Alio nomine manicatæ tunicæ nominantur macrocheræ. Lampridius: Macrocheras ex purpura ad vsum suum reuocauit. Publius Africanus Sulpicio Gallo homini delicato inter pleraq;, quæ obiectabat, id quoq; probro dedit: quòd tunicis vteretus manus totas operientibus. Plautus tamẽ ait in Pseudolo: Manuleatam tunicam habere hominem decet.

M. AN. STipatos.] Refertos.
Per manus.] Subleuantium.
Super capita hominum.] Eorum, qui in tanta trepidatione ad decedendum illi sese expedire tam citò non poterant.
Rebellionem.] Germaniam rebellasse.
Transmarinas.] Quasi Italiæ rebus minùs fidere cœpisset.
Victores.] Germani.
Cimbri.] Qui à C. Mario victi circa alpes ad vnum interiere: Plutarchus est author.
Senones quondam, occuparent.] Bellum Senonicum, quo vrbs Roma capta est. quod Heraclitus Ponticus futurum aliquantò antea prædixerat. Liuius id bellum abundè explicat, Polybius, & Plutarchus & ipsi de eo plura.
Ementiendi.] Milites mendacio fallendi.
Manus intulisse.] Sibi mortem consciuisse.
Ac denique non humano.] Quasi dicat, non contentus pro patrio cultu peregrinum vsurpasse, pro ciuili militarem, pro virili muliebrem: sed ne diuino quidem abstinuit.
Manuleatus.] A mulieribus, vt alio loco ostendimus, vsurpari solitas, nec nisi à mollibus viris in vsum receptas.

Armil

tus, & armillatus in publicũ proceſſit, alíquãdo ſericatus, & cycladatus: ac modò in crepidis, vel cothurnis, modò in ſpeculatoria caliga, nonnunquã ſocco muliebri, plerunque verò anrea barba fulmen tenens, aut fuſcinam, aut caduceum, deorum inſignia, atque etiam Veneris cultu conſpectus eſt. Triumphalem quidem ornatum, etiam ante expeditionem, aſſiduè geſtauit: interdum & Magni Alexandri thoracem repetitum è conditorio eius.

PHIL. Armillatus.] Armillis ornatus. Sunt autem armillæ ornamẽta militaria, ab armis, id eſt, humeris nuncupatæ. Scribit Plinius Sicinium Dentatũ armillis centum ſexaginta fuiſſe donatum. Iulius Capitolinus author eſt, Seuerum Imperatorem militares ludos dediſſe, propoſitis præmiis argẽteis, id eſt, armillis, torquibus, & balteolis. Ab armilla armillatus deriuatur. Propertius:

-Armillatos colla moloſſa canes.

Super quo verſu annotauimus quædam nõ indigna cognitu in commentariis Propertianis.

Sericatus.] Indutũs veſte ſerica. Alexander Romanus Imperator veſtes ſericas raras habuit, holoſericas nunquam induit, ſubſericas nunquam donauit. Eſt autem holoſerica veſtis ex ſerico contexta ſine alia materia: ſubſerica verò, quæ non plenè eſt ſerica. Illa enim particula ſub, ſignificat temperamentum. Sericarius autem vocatur ipſe textor. Iulius Firmicus in octauo Macheſeos refert, ſericarium textorem naſci, qui habuerit horoſcopum in vigeſimaoctaua parte Arietis. Sericum autem dici à Seribus populis nemo non nouit. de quo in notis Seruii operoſiùs ſcripſimus. Illud adde, quòd ſingulariter in recto caſu dicitur Ser. Auſonius:

Iam pelago volitat mercator veſtifluus Ser.

Cycladatus.] Cyclade indutus. Cyclas autem, veſtis eſt fœminea in rotunditatem formata: cuius copioſa mentio à me facta eſt in quarto Propertii commentario, enarrante illud:

Hæc nunc aurata cyclade ſignat humum.

Addamus in præſentia id, quod traditur à Sidonio, pronubam cyclade honorari, ſicut toga Senator honoratur.

In crepidis.] Calceamentis hiſtrionicis. Autumat Seruius, cothurnum, calceamentum eſſe vtrique pedi accommodatum: ex quo Theramenes ille Athenienſis dictus eſt feſtiuiter Cothurnus: tanquam modò harum, modò illarum foret partium. A cothurno cothurnatus deriuatur, accipitúrque non tam pro eo, qui ſit calceatus, quàm pro grandiloquo.

Speculatoria caliga.] Suprà docuimus, caligã calceatũ eſſe militarẽ: quam ſpeculatoriam dicit, ab eo quòd ſpeculatores caligati ſpeculatum ibant, & exploratum. In pronerbio apud priſcos fuit, cùm de ineptis, & longis hominibus ſermo fieret, vt diceretur, Caliga Maximini: cuius calceamentum fuit longè maius humano veſtigio, atque menſura.

Socco.] Soccum non ſolùm muliebre calceamentum, ſed & hiſtrionicum eſſe, teſtis eſt Horatius illo verſu:

Hunc ſocci cepere pedem, grandéſque cothurni.

Comœdi enim, hoc eſt actores comœdiarũm, cum ſoccis introibant proſcenium, ſicuti actores tragici cum cothurnis. Scribit Plinius in XVI. cap. VIII. corticem ſuberis in vſu fuiſſe in hyberno fœminarum calceatu: quam ob rem non infacetè Græci cortices arborum appellant.

Aurea barba.] Sicut Iupiter figuratur. Aeſculapius quoque barba aurea olim ſpoliatus fuit à Dionyſio.

Fulmen tenens.] Tanquã hoc habitu Iouem fulminantem imitari vellet.

Fuſcinam.] Tanquã Neptunus videri cuperet, cuius inſigne eſt fuſcina, quæ alio nomine dicitur tridens. Hinc illud notiſſimum:

Fulmina ſub Ioue ſunt, Neptuni fuſcina telum.

Caduceũ.] Hoc Mercurii inſigne eſt: vnde & caducifer dictus. Ouidius:

Hinc ſe ſuſtulerat paribus caducifer alis.

Caduceũ Aegyptii figurauerũt in ſpeciem draconũ maris, & fœminæ coniunctorum: qui parte media voluminis ſui nodo Herculaneo obligãtur: primæq; partes in circulum reflexæ, ambitum circuli iungunt, & poſtmodum caudæ reuocantur ad capulum caducei. Exiſtimat Macrobius, argumentum caducei ad genituram hominum referri. Plinius in XXIX. ſcribit, complexum anguium, & efferatorum concordiã, videri cauſam eſſe, quare caduceũ fecerint in pacis argumentis circundata anguiũ effigie: neq; criſtatos eſſe in caduceo mos eſt. Hinc caduceatores, authore Seruio, dicti legati, qui pacis, deditioniſve conciliandæ cauſa mittuntur. Quintus Curtius: Caduceatorem præmiſit, qui denuntiaret, ni ſe dederent, ipſos vltima eſſe paſſuros.

Veneris cultu.] Cultam Venerem graphicè, & eleganter deſcribit Apuleius in X. Metamorphoſeos, cuius verba hæc ſunt: Introceſſit Venus nudo, & intecto corpore, perfectam formoſitatẽ profeſſa, niſi quòd tenui pallio bombycino inumbrabat ſpectabilem pubem: ipſe color deæ diuiſus in ſpeciem: corpus candidum, quòd cælo demeat: amictus cærulus, quòd mari remeat.

Triumphalem ornatum.] De ornatu, habitúq; triumphali, memorauimus in ſuperioribus.

Ante expeditionem.] Scilicet Germanicam.

E conditorio.] Corpus Alexandri Magni Alexandriæ primùm in alueolo aureo conditum fuit, mox in vitreo: cùm Coccas aureum ſuſtuliſſet: author Strabo libro nouiſſimo. Conditorium autem dici repoſitorium, annotauimus in ſecundo commentario. Vnde à Marcellino dictum eſt, conditorium muralium tormentorum.

M. AN. Cycladatus.] Iuuenalis:

Hæ ſunt quæ tenui ſudant in cyclade.

Lampridius: Cyclade, quæ ſex vnciis auri plus non haberent.

In crepidis, vel cothurnis.] Alterum Graiorũ eſt, vt Perſius ait: poetarum alterum. Vergilius:

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Caliga.] Quæ militaris eſt.

Socco.] Muliebri calceamento: quanquam & comici eo ſint vſi.

Fulmen.] Iouis inſigne, vt fuſcina Neptuni, vt caduceum Mercurii.

Veneris habitu.] Qui alius alibi figurabatur: nam & barbata apud quoſdam culta eſt.

Conditorio.] Quod Alexandriæ fuit.

Eloquentia eius, & ars oratoria. LIII.

Disciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiæ plurimùm attendit, quantumuis facundus, & promptus: vtique si perorandum in aliquem esset, irato & verba, & sententiæ suppetebant. Pronuntiatio quoque, & vox, vt neque eodem loci præ ardore consisteret, & exaudiretur à procul stantibus. Peroraturus stricturum se lucubrationis suæ telum minabatur. Lenius, comptiúsque scribendi genus adeò contemnens, vt Senecam tum maximè placentem, commissiones meras componere, &

PHIL. Minimum eruditioni.] Scribit Cicero in Oratore, ab aliis rerum, ab aliis verborum doctrinã quæri. Terentius Varro, authore Quintil. plus scientiæ collaturus est, quàm eloquẽtiæ. Cicero eloquentior est, M. Varro eruditior. Sicut de duobus Iurisconsultis Trebatio, & Caselio dictum est, quòd scilicet Trebatius peritior esset Caselio, Caselius Trebatio eloquentior fuisse diceretur. Caligula attendit, hoc est operam dedit, vt non tam eruditus foret, quàm disertus: quamuis nemo possit esse consũmatus orator, nisi sit multarum doctrinarũ sciẽtiã cõsequutus.

Et verba, & sententiæ.] Cùm verba rerum causa inuenta sint; debẽt rebus præsto esse, & ancillari, subsequique procliuiter sententiã. Vnde dicebat Pollio: Malè verbis eueniat, vbi rẽ non sequuntur. Alburius quoq; declamator dicere solebat: Cùm res animum occupauit, verba ambiunt.

Irato.] Ira enim, vt inquit Aristot. cos est virtutis.

Pronuntiatio, & vox.] Scilicet suppetebant. Pronuntiationem autem à voce separauit: quoniam pronuntiatio non solùm voce constat, sed vultu, & gestu, vt inquit Fortunatianus. A Cicerone, & Quintiliano dicitur actio, quæ nihil aliud est, quàm corporis eloquentia.

Exaudiretur à procul stantibus.] In Oratore desiderat Cicero vocem tragœdorũ. & Quintilianus io x s s. in Thracalo testatur se cognouisse vocẽ super omnes, quos vnquam audierit, tragœdos, pronuntiationémq; vel scenis suffecturam.

Peroraturus.] Perorationem quidam cumulum, alii conclusionem vocant: In qua rerum repetitio summatim fit, quæ Græcè dicitur ἀνακεφαλαίωσιν, Latinè dici potest, vt Augustinus interpretatur, recapitulatio. Cicero, cùm in omnibus orandi partibus esset eximios, in peroratione cum primis dominabatur: vnde quotiescunque plures oratores causam vnam agebant, perorationem omnes Ciceroni relinquebant.

Stricturum telum.] Scribit Corn. Tacitus in dialogo de oratoribus, eloquentiam esse præsidium, simul & telum, quo propugnare, pariter & incessere possit. Cicero quoque in primo de Oratore, Quid est, inquit, tã necessarium, quàm tenere semper arma, quibus tectus ipse possis vel prouocare improbos, vel te vlcisci lacessitus: Stricturum eleganter dixit, cùm stringere significet gladium educere, &, vt dici solet, euaginare. Quo tamen verbo Ecclesiastici scriptores frequenter vtuntur. Eloquentia stringitur vice teli, cùm penetret instar spiculi intra vitalia.

Lucubrationis.] Latini libros suos, authore Plinio, lucubrationes inscripserunt, tanquam ad lucernam elucubratos, euigilatósque.

Telum.] Quod non manu, sed voce cõtorquebat, vibrabátque.

Comptius.] Reprehenditur ab eruditis genus illud dicendi, molle, delicatum, & quasi calamistratũ: qualis eloquentia fuit in Mecœnate.

Tũ maximè.] Fuit, inquit Tacitus, ingeniũ Senecæ amœnum, & temporis eius auribus accommodatum.

Commissiones meras.] In ædificiis commissiones meræ non probantur, quæ nullo ferrumine, nullóque glutino immisso, firmitudinem non præstant ædificiis, sed vetustate hiantes proruunt. Sed cùm nõ temerè inuenias dici commissiones pro coagmẽtationibus lapidum, & pro commissuris structurarum: cúmque commissiones dicantur componi in ludo gladiatorio, quãdo gladiatores simul committuntur, vt mox inter se digladientur: vide etiam atque etiã, an istud Caligulæ dictum in Senecam ad id referri possit, Senecæ scilicet scriptionem non esse concitatam, neque sanguinariam, neque vibrantem sententias instar iaculorum: sed vt videatur tantummodò committere quidem gladiatores, atque deducere in certamen, sed non digladiari: tanquam eloquentia Senecæ perueniat vsque ad certamen, nec certet: vsque ad gladiaturam, nec hauriat sanguinem. Componere enim meras commissiones dici potest ille, qui comparat sola tantummodo gladiatorum paria, vt in arenaria pugna bene conueniant: cùm ipse nec arma instituat, nec conflictum meditetur. Componere enim, verbum est huic rei accommodatum, quando inter se paria gladiatorum committuntur, comparantúrque ad gladiaturam. Vnde illud Lucilii: -Componitur optimus multò

Post homines natos gladiator, qui fuit vnus.

Si quis fuerit aure non hispida, neq; hebeti iudicio, diiudicabit verbũ istud Caligulæ de Seneca dictũ esse decoriter in hanc sententiã, quam explicauimus, per gladiatoriam quasi quandam translationem. Vehemens enim orator non solùm cõponit gladiatores, quando parat tela sanguinantis eloquentiæ, sed digladiatur, atque depugnat: quum illa vibrat, atque contorquet, petitque iugulum aduersarii: de quo alibi dictum est. Hoc ego sentio, ita interpretor, cum primis hoc meum commentum est, hæc mea interpretatio: quæ si cui non probatur, is habet alteram illam priorem sententiam, quam sequatur, quæ triuialis est, & vulgò vsurpata.

Attendit.] Animum adiecit. M. AN.

Irato.] Quod magis etiam mirum est, cùm ira vnà & animum, & orationem ferè impediat: quanquã Marc. Tullius peripateticorum sententia oratorem non modò accusantem, sed ne defendentem quidem probari dicat, sine iracundiæ aculeis: vnde apparet non solùm non obesse, sed necessariò etiam ad agendum requiri.

Peroraturus.] Ad calcem orationis peruenturus.

Telum.] Spiculum, hoc est vulnificam vim dicendi.

Cõmissiones meras.] Sine glutino, ac per hoc malè compactam, & connexam orationem.

Aren

arenam esse sine calce diceret. Solebat etiam prosperis oratorum actionibus rescribere, & magnorum in Senatu reorum accusationes, defensionésque meditari. Ac (prout stylus cesserat) vel onerare sententia sua quenque, vel subleuare, Equestri quoque ordine ad audiendum inuitato per edicta.

Eiusdem cantandi, saltandíque ars, atque aurigandi. LIIII.



SEd & aliorum generum artes studiosissimè, & diuersissimas exercuit. Thrax, & auriga, idem cantor, atq; saltator, batuebat pugnatoriis armis. Aurigabat extructo plurifariàm circo. Canendi, ac saltandi voluptate ita efferebatur, vt ne publicis quidē spectaculis tēperaret, quò minùs & tragœdo pronūtianti concineret, & gestū histrionis, quasi laudans, vel corrigens, palàm effingeret. Nec alia de causa videtur eo die, quo periit,

PHIL. ARenam sine calce.] In ædificiorum structura arena missa calci proficit ad firmitudinem: ita autem temperari debet, vt arenæ fossitiæ quarta pars calcis addatur: fluuiatili, aut marinæ tertia: authores Plinius, & Vitruuius. Quemadmodum ergo arena sine calce structuram non bene ferruminat, nec bene coagmentat, ita Caligula Senecam arenam esse sine calce dicebat: tanquam eius oratio malè coagmentata, maléque ferruminata flaccesceret, atq; prorueret. Sicut Cicero dixit, Curionem fuisse in struēdo dissipatū. Miror, non de Caligula, qui per insaniā iudicio caruit, sed de Quintiliano & Gellio viris doctissimis, qui Senecæ orationem infamare non desinūt, & eius dicendi genus corruptum, & omnibus vitiis fractum esse tradunt: cùm sententiosum, & sanctum, & eruditum sit, & seuerissimus morum castigator mihi videatur: cuius libros in manibus quotidie habeo, & habēdos esse studiosis suadeo: non vt illis insit eloquentia vibrans, sed pressa, & philosophica magis, quàm oratoria.

Actionibus.] Dudum diximus, actionem esse corporis eloquentiam: vnde & actores causarum dicti: &, vt inquit eleganter Plinius in epistolis, oratio est actionis exemplar, atque archetypon: fieríque potest, vt sit actio bona, quæ non sit bona oratio. Caligula composuit rescripta, contradictionésq; actionibus oratorum, qui id temporis prosperè, feliciterque causas actitauerant, & actiones ediderant: de quo sic refert Iosephus: Fuit rhetor optimus Caligula Græca lingua, pariter & Latina, ad dicendum velocissimus, & ad intelligenda aliena opera præparatus: ita vt maiori oratione contradiceret alienis, & acerrimo ingenio, meditationísque labore suum magis opus excellere dictionis fortitudine comprobaret. De eodem sic tradit Cornelius Tacitus: Etiam Caii Cæsaris turbata mens vim dicendi non corrupit.

Magnorum reorum.] Magnos reos vocamus summates viros, qui coram magistratibus accusantur. Possunt & magni rei dici, qui de magnis criminibus accusantur, vt maiestatis, & repetundarum.

Meditari.] Oratoris officium est, vt meditetur, cùm nihil non ei assidua, iugíque meditatione facillimum fiat. Refert Cicero, Galbam non solùm in agendo, sed etiam in meditando fuisse incensum, atque vehementem.

Stylus.] Stylum dicendi magistrum optimum Cicero appellat, quem creditum est nō minùs agere cùm dicit, quàm cùm scribit.

Onerare.] Quando accusabat.

Vel subleuare.] Quando defendebat.

Inuitato.] Cùm in Senatu accusaret, vel defenderet, equites quoque inuitabat, vt in Senatum venirent ad audiendum principem orantem.

Thrax.] Gladiator. De Thrace gladiatore áffatim dictum est in superioribus.

Batuebat.] Digladiabatur, depugnabat. Et hoc ad id referendum est, quòd Thrax erat. Quid sit batuere, superiùs explicauimus.

Pugnatoriis.] Pugnæ magis, quā gladiaturæ accommodatis.

Circo.] Plinius Vaticanū appellat Circum Caii, & Neronis principum: quoniam in eo aurigare solebant.

Tragœdo.] Histrioni, actoríque tragœdiarum.

Pronuntianti.] Officium penè totum histrionum in pronuntiatione cōsistit: qua & vox, & gestus corporis significatur.

Cōcineret.] Decretis canonicis, distinctione vigesimaprima, legimus, concentorem dici eum, qui consonat, & concinit canenti: sicut succentor est, qui voce subsequens canendo respondet: sicut præcentor, qui vocem præmittit in cantu.

Effingeret.] Fingendo, imitandóque repræsentaret.

M. AN. ARenam sine calce.] Quæ concrescere non potest. Quæ de Senecæ scriptis eruditiore seculo fuerint indicia, Fabius, & Gellius planè demonstrant.

Tum maximè placentem.] Hoc quoq; nomine Fabius praua sui temporis accusat iudicia, quòd illius scripta potioribus præferrent. Nec mirum videri oportet, Caligulam hæc de Anneo Seneca sensisse, quū ille sub Nerone maximè floruerit, qui post Claudiū regnauit. Siquidem vltro ipse fatetur potuisse se Ciceronem cognoscere, si fato, non ferro periisset. Quo apparet, Caligulæ temporibus fuisse Senecā iam ætate prouectū, ac grandem natu.

Rescribere.] Scripto respondere.

Meditari.] Tempestiua meditatione præparare.

Stylus cesserat.] Dicendi ratio successerat. Siquidem stylum, non causam secutus, eò detorquebat impetum, quò vis dicendi faciliùs inclinasset.

Studiosissimè.] Magnum est plures artes exercere, sed studiosissimè omnes, longè maius.

Batuebat.] Pugnabat, quum Thracem ageret.

Pugnatoriis armis.] Quibus reliqui in pugna tantū vtuntur. Efferebatur.] Ita studio accendebatur.

Pronuntianti.] Agenti.

Concineret.] Accommodaret.

Gestum histrionis.] Gesticulationem, & motum.

Palàm.] Omnibus spectantibus.

peruigilium indixiſſe,quàm vt initium in ſcenam prodeundi licentia temporis auſpicaretur. Saltabat autem nonnunquam etiam noctu. Et quondã tres conſulares ſecunda vigilia in Palatium accitos,multáque,& extrema metuentes ſuper pulpitum collocauit: déinde repentè magno tibiarum, & ſcabellorum crepitu cum palla,tunicáque talari proſiluit, ac deſaltato cantico abiit. Atque hic tam docilis ad cætera,natare neſciit.

Studium eius,& fauor ad plaudentes,& odium ad impedientes. LV.



Vorum verò ſtudio teneretur , omnibus ad inſaniam fauit. Marcum Neſtorem pantomimum , etiam inter ſpectacula , oſculabatur : ac ſi quis ſaltante eo vel leuiter obſtreperet , detrahi iuſſum manu ſua flagellabat. Equiti Romano tumultuanti,per centurionem denuntiauit,vt abiret ſine mora Hoſtiam, perferrétq; ad Ptolemæum regem in Mauritaniam

PHIL. Peruigilium.] Vt per totam noctem vigilaretur. Eſt enim peruigilium,ſacrum nocturnũ,quo vigiliæ indicuntur. Liuius in XXIII. Caſtra Campana, vt peruigilio neglecta,ſimul omnibus portis inuadit. Peruigilare,eſt continenter noctem totam vigilare. Vnde illud Epigrammatiſtæ:

Nã vigilare leue eſt , peruigilare graue.

Peruigilio præcipuè cibi concoquuntur in ſtomacho,vt autumat Plinius noſter in XI.

In ſcenam prodeundi.] Ad auſpicandam ſcenicam artem, & inchoandam hiſtrionicam.

Licentia temporis.] Nocturnum tempus accommodatius eſt rebus turpibus,& indecoris.

Saltabat.] Cicero in oratione pro Murena, neminem ſaltare ſobriũ ſcribit, niſi fortè inſaniat : & ſaltatorem appellare , maledictum eſſe demonſtrat. Scipio Aemylianus ludũ ſaltatorium tanquam probroſum taxat his verbis: Sed cũ ductus ſum in ludum ſaltatoriũ,plus mediusfidius in eo ludo vidi pueris,virginibúſq; quingentis: in his vnũ,quod me Reipublicæ miſertũ eſt,puerũ bullatum cum crotalis ſaltare. M. Cato Cæcilium Senatorẽ non ignobilem, ſpatiatorem per contumeliã vocat,eúmq; ſtaticulos dare caſtigat. Secunda vigilia.] Iam diximus,noctem in quatuor vigilias diuidi: quarũ ſingulæ trium horarũ ſpatio ſupputantur. Extrema metuentes.] Tanquam euocati eſſent ad ſupplicium capitale ſubeundum. Scabellorũ.] A ſcamno ſcabellum fit,vt docet Quintilianus. Suppedaneũ dicitur à luculentis ſcriptoribus eccleſiaſticis: Græci ὑποπόδιον appellant. Cùm ſcabella concrepant,fit crepitus, ſonitúſque vehementior. Palla, tunicáq; talari.] Habitus eſt tibicinis: de quo περιφραστικῶς locutus eſt Iuuenalis:

Sit licet eximius citharœdus,ſiue ſeleucus,
Et quibus aurata mos eſt decurrere palla. Et Horatius in Arte poetica: -Luxuriam arti
Tibicen traxítq; vagus per pulpita veſtẽ.

Tunicã talarẽ dicimus ad talos demiſſam: quã Græci vocãt ποδήρη: cuius meminit Hieronymus in epiſtola ad Fabiolã. Deſaltato.] Saltatione peracto. Natare neſciit.] Contra ritum Romanorũ,qui omnes in Tyberi natare diſcebãt. Natabula dixit Apuleius loca natationis. Nati ſub Delphino habebunt natandi ſtudium: & cum Saturni teſtimonio erũt vrinatores,ſicut docet Iulius Firmicus in VIII. Vrinatores autẽ dicũtur, qui natãdi peritia ſub aquis diutiùs merſi cõmorãtur. Vrinare enim,eſt mergi in aquã: vnde vrnæ dictæ,quòd vrinãt in aqua hauriẽda. Hinc vrinatores nominati,vt ait Varro. Apud Pliniũ crebra eſt mentio vrinantiũ in hoc ſignificatu. Vulgus indoctũ exiſtimat vrinare, eſſe vrinã facere : quod meiere verbo Latino dictitamus. Ad inſaniam fauie.] Id eſt,vehementiſſimè fauit. Nam inſani faciũt omnia vehemẽter. Vnde Plautus vehementer cùm voluit dicere,dixit inſanè. & ita interpretatus eſt M. Varro libro tertio de Latina lingua. Oſculabatur.] Hoc maximũ ſpecimen eſt fauoris,quòd pãtomimum ob artem hiſtrionicã oſcularetur: cùm oſculo excipere eos potiſſimùm ſoleamus,qui nobis ſunt iucũdiſſimi. Scribit Iulius Firmicus, qui habuerit horoſcopũ in XXIII. parte Capricorni,eum futurum pantomimum, grata venuſtate cõſpicuum. Fortaſſe hic pãtomimus Neſtor talẽ habuit genituram, cùm eſſet tam fauorabilis apud Caium.

Saltãte.] Fabulam agente. Saltare enim dicuntur hiſtriones in agendis fabulis. Detrahã iuſſum.] E ſpectaculis,cunctíſq; theatralibus. Tumultuanti.] Tumultũ excitanti, ſaltante Neſtore pantomimo. Hoſtiã.] Ciuitatem conditam ab Anco Martio in ora Tyberis.

In Mauritaniam.] Mauritaniã duplicẽ eſſe,teſtis eſt Ptolemæus in tertio Coſmographiæ: altera Tingitanica dicitur,altera Cæſarienſis. Mauri,authore Strabone, magna ex parte paſtoraliter viuũt: comæ cincinnis exornãtur,& barba,& terſura dentiũ,& vnguiũ cultu: rarò videas inter ſe contingere,dum ambulant,ne capillorũ ordo perturbetur. Autumat Salluſtius,Mauros pro Medis appellatos,nomine corrupto lingua barbara.

M. AN. Peruigilium.] Vt nox,quæ diem cædis proximè ſecutura erat,peruigilio ageretur. Peruigilium dicitur, quum tota nox vigilatur. Martialis:

Nam vigilare leue eſt,peruigilare graue.

Plinius gladiatorum corpora peruigilio firmari dixit.

Initiũ.] Principiũ. In ſcenã prodeũdi.] Scenicã operam nauandi. Licentiam tẽporis.] Nocturnis tenebris. Auſpicaretur.] Inchoaret. Extrema.] Vltima mala,& ſupplicia. Super pulpitũ.] Altiore loco. Cum palla.] Muliebri veſte,& ad veſtigia vſq;,vt Seruius tradit,deducta. Verg. -Pro longæ tegmine pallæ
Tigridis exuuiæ per dorſum à vertice pendent.

Tunicáq; talari.] Quæ ſub palla geſtabatur. Marcellus: Palla eſt honeſtæ mulieris veſtimentum, hoc eſt tunicæ pallium. Ioſephus quoque ſtolã aliquando induiſſe refert. Ad inſaniam fauit.] Inſano, & immoderato fauore. Eo.] Neſtore. Detrahi.] Spectaculo. Sua.] Propria manu. Tumultuanti.] Tumultuoſius ſpectanti,interim dum Neſtor caneret.

Hoſtiam.] Oppidum in ripa Tyberis non procul à fluminis oſtio,quod Martius Ancus, quartus Romanorum rex condidit,authores ſunt Strabo,& Liuius.

Ad Ptolemæum regem.] Conſanguineum ſuum, cuius ſuprà meminimus.

codicillos suos. Quorũ exemplum erat: Ei, quem isthuc misi, neque boni quicquam, neq; mali feceris. Thraces quosdam Germanis corporis custodibus præposuit. Mirmillonũ armaturas rescidit. Colũbo victori, leuiter tamẽ saucio, venenũ in plagam addidit, quod ex eo Columbinum appellauit. Sic certè inter alia venena scriptum ab eo repertum est. Prasinæ factioni ita addictus, & deditus, vt cœnaret in stabulo assiduè, & maneret. Agitatori * Cythico comessatione quadam in apophoretis

* Eutycho

PHIL. CODicillos.] Tabellas, & pugillares. Ante enim chartarum vsum in libris arborum cõstat esse scriptitatum. Vnde & Homerus Bellerophonti codicillos datos, non epistolas prodidit. Aliâs codicillus accipitur pro genere testamenti, quod antè latiùs explicatũ est.

Ei, quem isthuc.] Verba sunt Cai principis subridicula in codicillis exarata.

Thraces.] Propter studium gladiaturæ, quã exercebant gladiatores Thraces nũcupati; de quibus suprà.

Mirmillonum.] Tanquã digladiantium cum Thracibus. Mirmillo enim & Thrax in gladiatura inter se depugnant. Hinc illud Ausonii in monosyllabis:

Quis Mirmilloni contenditur æquimanus Thrax.

Armaturas.] Armatura Mirmillonum Gallica erat: vnde & ipsi Mirmillones anteà Galli appellabantur: in quorum galeis piscis effigies inerat. Spartacus ille notissimus gladiator ab historicis Mirmillo nominatur. Caligula Mirmillonicam armaturã subuertit, sustulitq; è medio, vtpote fautor Thracum gladiatorum, qui contrarii sunt Mirmillonibus.

Columbo.] Nomen est Mirmillonis.

Columbinum.] Dilogia figura est. Iocus mouetur ex nomine, tanquam à columbo alite Columbinũ deriuetur: cùm à Columbi gladiatoris nomine venenum id columbinum intelligi vellet Caius: quo scilicet Columbum necauerat Mirmillonẽ. Ex quo significat, Mirmillones inuisos fuisse Caligulæ, Thraces autem gratissimos. Prasinæ factioni.] In libro Annotationum nostrarum satis, opinor, diligenter scripsimus de factione aurigarũ Prasina, & Veneta, quæ à coloribus nomina sortiuntur. Etenim à panno coloris prasini, qui viridis est, dicta est factio Prasina: sicut à Veneto, qui cæruleus est, & marinis fluctibus similis, Veneciani aurigæ nuncupati. Verus Antoninus Imperator imitatus est Caligulam fauore, & studio Prasinæ factionis. Relege quæ copiosiùs, operosiúsque tradidimus in Annotationibus. Factio autem, olim honestũ vocabulũ fuit: vnde adhuc, vt inquit Festus Pompeius, factiones histrionũ, & quadrigariorum dicuntur: nunc autẽ sicut inter bonos amicitia, ita inter malos factio esse dicitur: quod & Memmius in oratione testatur apud Sallustium. Erant & aliæ duæ factiones aurigarum, alba scilicet, & rosea, à panno albo, & roseo dictæ. Cassiodorus ait, prasinum colorem virenti veri, roseum flammabundæ æstati, album albicanti niuibus autumno, venetum cæruleæ hyemi esse dicatum. Sed de his in posterioribus plura.

In stabulo.] Scilicet Prasinorum aurigarum.

Cythico.] Nomen est aurigæ factionis Prasinæ, de quo Iosephus: Erat enim Cythicus agitator Prasini, Codices impressi adeò in eo loco mendosi sunt, vt nulla structura, nullúsq; sensus eluceat. Comessatione.] Luxuriosa, extraordinariáq; post cœnam epulatione.

In apophoretis.] Apophoreta, munera sunt Saturnalitia, & propriè illa, quæ pro xeniis remittũtur. Apud Martialem libri sunt duo, alter xeniorum, alter apophoretorum. Illud adde, Apophoreta dici vasa, quæ conuiuis apponebantur, vt secũ ea, peracto conuiuio asportarent, donóq; haberent: vnde & nomen. Nam ἀποφέρειν Græcè significat referre. Hoc docet apud Græcos Athenæus: apud nostros Ambrosius: qui in libro de Cohortatione virginum, sic refert: Qui ad conuiuium magnum inuitantur, apophoreta secum referre consueuerunt. In hũc sensum accipi possunt non minùs scitè, quàm verè Apophoreta Martialis; vt scilicet non tam dicantur munuscula, quæ remittũtur, quã ea, quæ ex conuiuiis Saturnalitiis referuntur, donóq; habentur. Eodem intellectu hîc quoque accipito: vt scilicet Caligula in apophoretis, id est, muneribus conuiualibus viginti millia sestertiũ protulerit agitatori, cuius studio tenebatur.

M.AN. CODicillos.] Literas.

Thraces.] Retiarios.

Rescidit.] Sustulit.

Ex eo.] Quia Columbum Mirmillonem eo perdidisset.

Colũbinũ.] Venenũ subaudi. Prasinæ factioni.] Factiones Circensiũ ludorũ diuersæ erant, & à panni nominibus nũcupatæ: quod ex his, quæ in Domitiano scribũtur, datur intelligi: Duas, inquit, Græcorũ factiones Circẽsibus purpurei, auratiq; pãni, ad quatuor pristinas addidit. Cassiodorus colores explicat: Ludi, ait, theatrales & Circenses in vrbe fiebant: colores autem in vicem temporum quadrifaria diuisione funduntur: prasinus virẽti veri, roseus flammeæ æstati, venetus nubilæ hyemi, albus pruinoso autumno dicatus: quibus factionibus per colores distinctis vniuersus populus suo quisque studio ductus per partes fauebat: nec alii tantùm, sed & Cæsares ipsi. Nam præter hæc, quæ de Caligula dicuntur, idem author tradit, Vitellium ob id ipsum quosdam interemisse, quia apertè Venetæ factioni maledixerant. Martialis:

Si Veneto, Prasinóve faues, qui coccina sumis,
Ne fias ista transfuga sorte vide.

Capitolinus Venetianos dixit: Multas, inquit, à Venetianis passus est iniurias, quòd turpissimè contra eos faueret: nam & volucri equo Prasino aureũ simulacrũ fecerat. Plinius: Nunc fauent panno, pannum amant, & si in ipso cursu non mediocri certamine hic color illhuc, ille huc transferatur, studium, fauórque transibit, & repente agitatores illos, equos illos, quos procul noscitant, quorum clamitant nomina, tanta gratia, tanta authoritas in vna vilissima tunica. Nec illud obiter tetigisse grauabimur, quemadmodum aurigarum, sic & histrionum factiones in theatro varias fuisse. Cornelius, Fautores, inquit, histrionum velut in prælia conuertit, impunitate, & præmiis.

Prasinæ.] Igitur factioni, viridi panno insignitæ: viride enim Græci πράσινον dicunt.

In stabulo.] Quo quadrigæ asseruabantur.

Agitatori.] Aurigæ ipsi.

Cythico.] Sed Eutycho meliùs, quod aurigæ nomen est apud Martialem.

Apophoretis.] Id est, eorũ munerũ celebratione. Apophoreta ἀπὸ τ̃ ἀποφέρειν, quod referre est, dicta. Martialis nouissimum operis librum Apophoreta inscripsit.

vicies ſeſtertiûm contulit. Incitato, equo (cuius cauſa pridie Circenſes, ne inquietaretur, viciniæ ſilentium per milites indicere ſolebat) præter equile marmoreum, & præſepe eburneum, prætérque purpurea tegumenta, ac monile è gemmis, domum etiam, & familiam, & ſupellectilem dedit, quò lautiùs nomine eius inuitati acciperentur: conſulatum quoque traditur deſtinaſſe.

Coniuratio & conſpiratio contra eum facta. LVI.

ITa bacchantem, atq; graſſantem non defuit pleriſq; *animus adoriri. Sed vna, & altera conſpiratione detecta, aliis per inopiam occaſionis cunctantibus, duo conſilium communicauerunt, perfeceruntque non ſine conſcientia potentiſſimorum libertorum, præfectorúmq;

*conſiliũ

PHIL. VIcies ſeſtertiûm.] Non tam viginti ſeſtertia, quàm viginti millia ſignificat hæc locutio.

Incitato.] Nomen eſt aurigæ Praſini, de quo Martialis:

-Cocco mulio fulget
Incitatus.- Idé:
Sed cùm ſponſio, fabulæq; laſſæ
De Scorpo fuerint, & Incitato.

Eqoo.] Obequum. Ita enim diſtinguendum eſt, vt Incitato, ſit datiuus caſus, Equo autem ſeptimus. & eſt ſenſus: Caligula addictus Praſinæ factioni Incitato aurigæ dedit munera regalia propter equum optimum: cuius equi cauſa, vt quieſcere poſſet, denuntiabat ſilentiũ vicinis illo ſemper die, qui antecedebat ſpectacula Circẽſia. In quibuſdã codicibus ſuppreſſa illa dictione Equo, ſic legitur: Incitato, cuius equi cauſa. Idem tamen eſt ſenſus.

Pridie Circenſes.] Illo ſcilicet die, qui antecedebat futuros ludos Circenſes, quibus equus aurigæ Incitati erat curſurus in certamine curuli. Igitur Caligula denũtiabat ſilentium vicinis aurigæ omnibus illo die, quem ſubſequebantur ludi, vt equus bene quieſcere poſſet, vt ita paratior, agiliórque fieret ad curſuram. Qoies enim nocturna auget vires, & alacritatem ſuggerit: ſicut inquieratio ſubneruat, & vexat.

Equile.] Sicut bubile, & ouile, & caprile dlcimus ſtabulum boum, ouium, & caprarum: ita equile vocamus locum, in quo equi ſtabulantur. Ab equo per diminutionem fit equoleus. Equula quoque dicta eſt equa. Equiſonem verò dici voluerunt domitorem equorum, & magiſtrum. Varro: Equiſo doceat tollutim, quod ſignificat volubiliter gradi: vnde & tollutarii equi nominati, qoi molliter gradiuntor.

Tegumenta.] Quibos equus Incitati tegebatur. Talia eleganti vocabulo dorſualia appellat Iulius Capitolinus, ſic ſcribens in Gallienis: Proceſſerunt centeni albi boues cornibus auro iogatis, & dorſualibus ſericis diſcoloribus præfulgentes. Marcus Varro aſellos doſſuarios luculenter appellat, qui dorſo onera ferũt.

Monile.] Ad equum exornãdum. Scribit Apuleius ſeſe, cùm eſſet aſinus, à domino exornatum fuiſſe fucatis ephippiis, & porporeis tapetis, & frænis argenteis, & tlntinnabulis perargutis.

Lautius.] Lautiore, & ſplendidiore apparatu.

Acciperentur.] Paſcerentur. Verbum eſt conuiuiis accommodatum. Vergilius:

Illos porticibus rex accipiebat in amplis.

anthores Seruius, & Donatus.

Nomine eius.] Senſus eſt: Caligula Incitatum aurigam, cui peculiariter fauebat, inſtruxit domo, domeſticóque inſtrumento: vt ita inuitati nitidiùs, elegantiúſque accipi poſſent ab Incitato.

Bacchantem.] Furentem, & ſæuientem inſtar graſſatorum, & eorum, qui dicuntur bacchabundi.

Duo cõmunicauerunt.] Scribit Ioſephus libro Antiquitatum vndeuigeſimo, tria capita fuiſſe triplicis in Caligulam coniurationis, videlicet Aemylium Regulum, Caſſium Chæream tribunum, & Minutianum. Cauſa erat, odium, qoo vniuerſi aduerſus Caium tenebantur. Præterea Aemylius Regulus horrebat iracundiam, iniuſtitiámq; principis, qua in cunctos vtebatur. Minutianus vlciſci volebat Lepidum amicum ſoum, qoẽ Caius extinxerat: ſuper hoc quoque timebat, ne idem à Caio & ipſe pateretur. Chæreas verò confuſionem ſuam, & Caligulæ opprobria non ferebat, quibus eũ culpabat, quòd quaſi nihil in ſe fortitudinis gereret: omnes quoque in commune mortẽ Caii deſiderabant, cupientes à tantis cladibus aliquando liberari. Super omnia Chæream ad opus gerendum excitabat melioris famæ cupiditas: & quia cernebat facilem ſibi aditum fore ad Caium. Erat enim tribunus: & per hoc opportunitatem ſe reperturum putabat, qua peſſimum principem perimeret. Tranquillus ſignare videtur, Chæream, & Minutianum, qui habito colloquio cõſenſerunt de cæde Caligulæ.

Non ſine conſcientia.] Cùm conſcios, participéſq; coniurationis feciſſent libertos principis, qui apud illum erant potentiſſimi. Significatur autem Calliſtus in primis, qui inter libertos Caii fuit maximus, & potentia ſummi culminis eleuatus: quem conſciũ coniurationis fuiſſe innuit idẽ Ioſephus eodem libro Antiquitatum.

Præfectorúmq; prætorii.] Clementem, atq; Papinium inoitatos eſſe à Chærea in participatũ cõiurationis conditores clariſsimi prodiderunt: quorũ Clemens ſuper militiã erat conſtitutus, Papinius verò ſuper eos, qui Caligulæ fuere cuſtodes. Pompedius quoque aſcitus eſt, qui per omnes penè ordines, vt inquit Ioſephus, pérque omnes gradus adminiſtrationis tranſierat.

M. AN. INcitato, equo.] Martialis: De Scorpo fuerint, & Incitato. Quibos verbis Martialis aurigã Incitatum, nõ equum fuiſſe innuere videtur. & rurſus: Cocco mulio fulget Incitatus. Quare vide ne Incitati equo verior ſit lectio, quàm incitato equo. Pridie Circẽſes.] Pridie illius diei, quo curſurus erat. Inquietaretur.] ſtrepitu, & clamore vicinorũ vexaretur. Indicere.] ſolenni denunriatione præcipere. Equile.] locum, quo equi ſtabolantur. Et præſepe.] in quo pabula illis apponuntur. Domum.] familiam, vt maius adhuc ſtudiũ præ ſe ferre, omniáq; deſideria ipſi equo, & eius agitatori tempeſtiuè adhiberentur. Conſulatum.] agitatori Incitato. Vnde datur intelligi incitato equo mendoſè, vt proximè oſtendimus, legi. Bacchantẽ.] Inſanientem. Graſſantem.] Dirè ſæuientẽ. Pleriſq; adoriri.] Quod pleriſque dixit, non vacat: nã haud ſemel in eo coniuratũ eſt: primò ab Aemylio, mox à Mi-

nut

prætorii, quòd ipsi quoque, etsi falsò, in quadam coniuratione, quasi participes, nominati, suspectos tamen se,& inuisos sentiebant. Nam & statim seductis magnam fecit inuidiam, districto gladio affirmans sponte se periturum, si & illis morte dignus videretur. Nec cessauit ex eo criminari alterum alteri, atque inter se omnes committere. Quúmque placuisset Palatinis ludis spectaculo egressum meridie aggredi, primas sibi partes Cassius Chærea tribunus cohortis prætoriæ depoposcit, quem Caiùs seniorem iam, & mollem, & effœminatum denotare omni probro consuerat:& modò signum petenti, Priapum, aut Venerem dare: modò ex ali

nutiano, Chærea, Sabino, & aliis. Libertorum.] Ipsius Caligulæ,& in iis Callistū fuisse Iosephus innuere videtur. Præfectorum.] Qui prætorianis cohortibus prætoriíve præerant. Iosephus Clementem, qui militiæ præerat, Papinium, qui custodibus,& Chæream mollem tribunū primū conspirasse ait, mox Sabinū Minutianum, Lupum, Asprenatem, inde & alios adhibitos.

PHIL. IN quadam coniuratione.] Didius accusauit apud Caligulam Pōpediū illū, de quo nunc mētio facta est, quòd cōuiciis,& maledictis principem infamaret. Fuitq; Quintilia fœmina ob pulchritudinē amabilis, amicáq; multorū, iussu Caligulæ torta, cruciatáq;, vt vi tormentorū coacta cōfiteretur conscios coniurationis eius, quæ dicebatur in Caligulā parata fuisse: quæ cùm ad tormenta duceretur, vnius ex consciis pedem calce premens, signauit eos debere confidere,& nihil de tormentis eius penitus timere. In hac verò coniuratione, quæ ducem Chæream habuit, multi ex ordine Senatorio, multi ex Equitibus conscii extiterunt. Fecit inuidiā.] Illos inuisos,& odiosos pro viribus fecit. Inter se cōmittere.] Ad manus, cōtentionésq; deducere. Super quo verbo superiùs abūdanter diximus. Cato ille Censorius hoc idem facere solebat, sed in seruis, inter quos seditiones serebat,& inimicitias clanculùm commentabatur, tanquam seruorum consensus esset formidandus. Palatinis ludis.] Ludi Palatini sunt spectacula, quæ in Palatio agebantur in paruo rotundo templo in honorē Cæsaris Dictatoris, qui primus potestatē populi conuertit in se ipsum. Hos ludos Palatinos Romani nobiles cum filiis, simul & coniugibus libenter spectare solebāt: tunc Caius negligens adeò erat, adeóque omnibus facilis patebat incursus, vt potuisset quilibet ad eius necem audacter accedere, absentibus quoque custodibus: qui licet vellēt, non tamen ei præsidiū facilè deportarent. Triduum Palatini ludi celebrabātur, vt docet Iosephus. Vnde Chærea tribunus die ludorum nouissimo exhortatus conscios coniurationis rem peregit: qui cùm omne tēpus opportunissimū huic negotio iudicaret, cogitauit olim Caligulam stantem in culmine Capitolii impellere, daréque præcipitem, cùm se à nullo videri putaret: sed consciis placuit vt in celebratione spectaculorum res perageretur: itaque conuenit inter eos, vt Caium aggrederentur, dum egreditur è spectaculo circiter meridiem, id temporis, quo ludi Palatini agebantur ob Cæsaris honorem. Primas sibi partes.] Chæreas solicitus pro publica libertate coniuratos arguebat segnitiæ & lentitudinis: ipse dux, author, impulsor vsquequaq; erat coniuratorum, vt rem maturarent: habitáq; apud eos exhortatione, ipse audacia erat armatus,& reliquis fiduciam præparauit, ita vt cuncti, impulsore Chærea, extimulati iam desiderarent conamē attingi. Caius.] Caligula. Seniorem.] Chæream. Mollem.] Vt inquit Seneca, exprobrabat variis modis Caligula mollitiem armato Chæreæ,&, vt refert Iosephus, Chærea confusionem suam,& Caii opprobria non ferebat, quibus eum arguebat, quòd quasi nihil in se fortitudinis gereret. Denotare.] Notabilem facere, ac defamare probro, dedecore, atque flagitio. Priapum, aut Venerē.] Seneca ad Serenum lib. 1 1. In sap. non cad. iniur. Caius Chæreæ signum petenti modò Veneris, modò Priapi dabat, aliter atque aliter exprobrans armato mollitiē. Coegit itaque illum vti ferro, ne sæpius signum peteret. Ille primus inter coniuratos manum sustulit: ille ceruicem mediā vno ictu * discidit: plurimū deinde vndiq; publicas ac priuatas iniurias vlciscentiū gladiorum ingestū est. Sed primus vir fuit qui minimè visus est. Hactenus Seneca. Signum autem militare significat quod Vegetius in tertio appellat vocale, quia voce datur. Sic enim ait: Vocalia signa sunt, quæ voce humana pronunciantur: sicut in vigiliis, vel in prælio pro signo dicitur, vt puta victoria, palma, virtus, Deus, triūphus: & alia quæcunq; voluerit dare is, qui in exercitu habet maximā potestatē. Sciendū est tamē, ista vocabula quotidie debere variari, ne ex vsu hostes signum cognoscant, & exploratores inter nostros versentur impunè. Rufinus in expositione symboli Apostolici refert symbola Latinè signa, vel indicia nuncupari, quæ in bellis distincta vnusquisque dux suis militibus tradit: vt si fortè occurrerit quis, de quo dubitatur, symbolum prodat si sit hostis, vel socius. Seruius explanans illud in v i i. Aeneidos:

-It bello tessera signum,

dicit intelligi symbolum bellicum, quod ad pugnam exeuntibus datur, scilicet propter confusionem euitandam: vt fuit in bello Marii Lar deus: in Syllæ Apollo delphicus: in Cæsaris Venus genitrix. A Vegetio tesserarii nominantur, qui tesseras per contubernia militum nunciāt. Tessera autem dicitur præceptum ducis, quo vel ad aliquod opus, vel ad bellum mouetur exercitus. Signi dationem, tesseras, vigilias inuenit Palamedes, in Troiano bello, vt author est Plinius in v i i. Hîc significatur illud signum militare quidem, sed quod etiā citra bellum,& in vrbe ab Imperatore dari solet tribuno militum ex more militiæ. Sic etiā Nero tribuno petenti signū ex more militari, dabat optimæ matris. Igitur, vt ad Tranquilli enarrationem reuertamur, Caligula signum ex more militiæ Chæreæ tribuno non dabat aut victoriæ, aut palmæ, aut triumphi, aut consimilium, sed dabat signum Veneris,& Priapi: de quorum signorum turpitudine intellexit Iosephus, cùm ait: Per totā ciuitatem grata Chæreæ videbatur iniuria, quā pro signorum datione ipse portabat: qui Minutiano requirenti quod signum illo die accepisset, Tu mihi, inquit, da libertatis signum.

*decidit

M.AN. SEductis.] In secretum adductis. Magnam fecit Inuidiam.] Magnam eis inuidiam conflauit, vel se illis inuisum reddidit. Committere.] Odiis decertare.

Palatinis ludis.] Spectaculis. Si ludi spectaculo legas, erit subdura lectio, ordóq; talis, cùm placuisset pa-

qua causa agenti gratias, osculandam manum offerre, formatam, commotámque in obscœnum modum.

Prodigia futuræ cædis eius. LVII.

FVturæ cædis multa prodigia extiterunt: Olympiæ simulacrum Iouis, quod dissolui, transferríque Romam placuerat, tantum cachinnum repentè edidit, vt machinis labefactis opifices diffugerint. Superuenítque illico quidam Cassius quoque nomine, iussum se somnio affirmans, immolare taurum Ioui. Capitolium Capuæ Idibus Martiis de cælo tactum est. Item Romæ cella Palatina atriensis. Nec defuerunt, qui coniectarent altero ostento periculum à custodibus domino

latinis ministris, scilicet coniuratis, spectaculo ludi, pro ludorum: quod nullo modo placet: sed verior lectio erit, quum Palatinis ludis spectaculo, id est, dum Palatini ludi spectarentur, licuisset coniuratis eum inuadere. Erant enim Palatini ludi, vt Iosephus scribit, qui in honorem Cæsaris Dictatoris in Palatio triduo celebrabantur, circa templū illi eodem loco erectū. Seniorē.] Chæream.] Probro.] Iniuria, cō tumelia. Iosephus: Chæreas Caii opprobria ferre non poterat. Signum petenti.] Tesseram, symbolum, quod excubātibus ad opportunos casus dari consueuit: item ad pugnā exeūtibus, aut nocturnam stationem circa castra habētibus. Vergilius:

-It bello tessera signum. Plinius auchor est, Palamedē Troiano bello tesseras & vigilias inuenisse. Priapum, aut Venerem.] Per quæ libidinosam senectutē Chæreæ exprobrabat. Agenó.] Chæreæ.

ait Iouis Olympii pulchritudinem esse tantam, vt adiecisse aliquid, religioni videatur: adeò maiestas operis deum æquauit. Huius historiæ meminit Iosephus his verbis: Nam etiam Iouem Olympium, qui maxime apud gentiles venerabilis habetur, quem Phidias Athenæus fecerat, ausus est in Romanam transferre ciuitatē: nec tamen ad effectum res perducta est, architectis dicētibus, quòd si illud moueretur simulacrum, aliquod malū posset accidere. Machinis.] Scilicet tractoriis. Scribit enim Vitruuius lib. x. de Architectura, genus esse machinæ tractoriū, nuncupatum, quo onera pertrahuntur. Cassius quoque nomine.] Hoc prodigium fecit: cùm & hic Cassius diceretur, sicut & Chærea interfector Caligulæ nominabatur.

Taurum Ioui.] Sicut Cassius Chærea Caligulam tanquam victimam immolauit.

Capitolium Capuæ.] De Capitolio, quod erat Capuæ, ad similitudinem Romani Capitolii, ait Silius in xi. Punicorum: -Monstrant Capitolia celsa,

Stellatisq; docent campos, Cererémque benignam.

Fuit & Capitolium Beneuenti.

De cælo tactum.] Fulmine percussum. Fulmina, vt inquit Seneca in secundo Quæstionum, sæpe nuntiant ordinem sequentium fatorum: tantáq; habetur vis fulminum, vt quicquid alia portendunt, id omne interuentu fulminis tollatur: quicquid ab hoc portenditur, fixū sit. Inter multa fulminum genera vnum est, quod vocatur authoritas, quod rem bonam, vel malam futuram enuntiat. De fulminibus alibi retulimus & eruditiùs, & copiosiùs. Hoc autem portendebat Caio exitū penè talem, qualem olim passus fuerat Iulius Cæsar per superiora tempora, eodē scilicet die, Idibus scilicet Martiis interfectū fuisse Cæsarē, vel vulgo notū est, & in superioribus explicatum. Cella Palatini atriensis.] Scilicet de cælo tacta, & fulminata est: quod portēdere videbatur domino ædium Palatinarum Caio infortuniū per custodes. Est autē cella atriēsis dicta ab atrio priori parte ædiū Palatinarum: vnde & atriēsis seruus dictus, qui in familia nobilium lautior censebatur. Hinc apud Plautū atriensis ille seruus nomine Saurea inducitur imperiosus. Et Cicero in Paradoxis, In magna, inquit, familia stultorū, sunt alii lautiores (vt sibi videntur) serui, sed tamen serui, atrienses, ac topiarii. Atriis Græci in ædificiis non vtuntur, vt ait Vitruuius.

Altero ostento.] Quo cella Palatina fulmine icta est. A custodibus.] Tanquam ab atriensibus.

PHIL. IN obscœnum modū.] Ad effigiem mēbri virilis repræsentandam: sicut vulgò fieri solet ab improbioribus per contemptionē. Est enim manus, cùm sit organum organorum, vt philosophi dicunt, accommodata ad plures imagines exprimēdas. Hinc ait elegāter Hieronymus ad Rusticū monachū scribens: Si subitò respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curuari, aut manu aures asini agitari, aut æstuantem canis protrahi linguam. quæ omnia trāstulit vir doctissimus ex illo Persiano: O Iane, à tergo quē nulla ciconia pinsit. Anaxagoras hominē prudentissimū omnium animalium esse ait, quoniam vnus omniū manuarus est. Sed recta ratio exigit, vt doctissimè scribit Aristoteles, vt quoniam prudentissimus omniū est, ideo manus receperit, quæ instrumentum sunt.

Agēti gratias.] Scilicet Chæreæ tribuno. Vt inquit Corn. Tacitus, finis fermè sermonum cū principe, est actio gratiarum. Osculandā.] Religio est in dextra, quæ osculis auersa petitur. Olim Caligula per insolentiam porrexit non manum, sed pedem sinistrum osculandum Pompeio Pœno gratias agēti. Olympiæ.] Olympia, locus est, & lucus oleastro vestitus iuxta fluuium Alpheum, in agro Pisano, sub ditione Eleorum: vbi fuit templum Ioui Olympio dicatum, inclytū monumentis poetarum, & Historicorum: vbi Olympiaca certamina cum maxima totius Græciæ celebritate agebantur, instituta antiquitus ab Hercule, in quibus ipse primus decertasse fertur, palmámque reportasse.

Dissolui, transferriq;.] Iupiter Olympius, quē ex ebore fabrefecit Phidias Atheniēsis, tāta erat magnitudine, vt tectū templi ferè vertice contingeret, quanuis sedens esset effigiatus: author Strabo in VIII. De Ioue Olympio Plinius hæc: Phidiæ Iupiter Olympius quotidie testimonium perhibet. Idem: Phidiam clarissimum esse per omnes gentes, quæ Iouis Olympii famam intelligunt, nemo dubitat. Quintilianus in XII.

M. AN. IN obscœnum modū.] In surrecti genitalis formā. Machinis.] Quæ admotæ erant ad simulacrū soluendum. Capitolium Capuæ.] De loco diximus in Tyberio. Atriensis.] Quæ in atrio erat.

A custodibus.] In atrio enim domus milites excubabant.

Port

PHIL. Portendi.] Significari.

Eodem die.] Quo scilicet Capitolium Capuæ fulmine percussum. Fuit autem dies Idus Martiæ, quo Cæsar à tyrannoctonis fuit in Pompeiana curia interemptus.

portendi: altero, cædem rursus insignem, qualis eodem die facta quondam fuisset. Consulenti quoque de genitura sua, Sulla mathematicus certissimam necem appropinquare affirmauit. Monuerunt & * Fortunæ Antiatinæ, vt à Cassio caueret. Qua causa ille Cassium Longinum Asiæ tum proconsulem occidendum delegauerat, immemor Chæreā Cassium nominari. Pridie quàm periret, somniauit consistere se in cælo iuxta soliū Iouis, impulsúmque ab eo dextri pedis pollice, & in terras præcipitatū. Prodigiorū loco habita sunt etiam, quæ forte illo ipso die paulò prius acciderāt: Sacrificans respersus est phœnicopteri sanguine. Et pantomimus M. Nestor tragœdiam saltauit, quam olim Neoptolemus tragœdus ludis, quibus rex Macedonum Philippus occisus est, egerat. Et quum in Laureolo Mimo, in quo actor

De genitura.] De natiuitate.

Sulla mathematicus.] Quintilianus in primo dicit, doctorem subtilem origines mille nominum scrutaturū. Vnde Sullæ dicti sint, possunt videri Sullæ nuncupari à silo naso. Est enim silus nasus, sursum versus, & repādus. Ex habitu enim corporis Syllas dicti, sicut Burrhos, Plancos, & Scauros existimat. Macrobius verò ait, Corneliū Rufum, cùm esset vnus ex decēuiris Sibyllinis, cognominatum esse Sibyllam: qui mox, corrupto vocabulo, primus Sylla cœpit vocitari. Quam in sententiam videri potest iuisse Papinius, cùm ait in Syluis: -Conuiua Sibyllæ Cœnabat semper.- Sibyllæ enim dixit pro Syllæ.

Sortes Fortunæ Antiatinæ.] Scribit Macrobius in primo Saturnalium apud Antiū simulacra Fortunarum fuisse, quæ promouebantur ad danda responsa. Hinc Antiatinæ Fortunæ à Tranquillo dictæ. Fortunam autem apud Antium coli testis est Horatius illo versu:

O diua gratum, quæ regis Antium.

Cassium Longinum.] Antè dictū est, quemadmodum Caligula Drusillam sororem Cassio Longino consulari collocatam abduxit: de quo nunc loquitur. Fuit alter Cassius Longinus Iurecōsultus maximæ in vrbe Roma authoritatis: qui expulsus à Caio Caligula in Sardiniam, reuocatus à Vespasiano diem suum obiit.

Asiæ.] Prouinciæ scilicet. Est enim Asia tertia pars orbis: & Asia dicitur prioris pars Asiæ, in qua est Ionia, ac prouincia Romana Cilicia: author M. Varro. Illud obiter annotandum, quod ad laudē maximè spectat fœminarum, Orbem terrarum sororum esse nomē à mulieribus. Nanque Asia ab vxore Promethei, Libya à muliere indigena sibi nomen vendicant. Europā verò ab Europa Tyria nomen accepisse tradunt. Ex quo illud Horatianū: Toa sectus orbis nomina ducet.

Chæream.] A quo fuit interfectus. Solium.] Sellam Iouialem. Illo ipso die.] Quo scilicet fuit contrucidatus. Phœnicopteri sanguine.] Dictum est suprà, quemadmodum aues phœnicopteri, quarū linguæ sunt scitissimi saporis, erant hostiæ, quæ immolabantur numini ipsius Caligulæ. Minister.] Existimo dictionem esse mendosam, atque expungendam, & in eius locum substituendum Marcus Nestor. Lubrico enim errore, & facili ex literarum confinio pro Marcus Nestor subrepsit minister. Suprà relatum est, Marcū Nestorem pantomimum in primis fuisse Caligulæ iucundissimū.

Philippus occisus est.] De hac re Iosephus sic tradit lib. xix. Antiquitatum: Pantomimus fabulam saltauit Cinyræ: in qua & ipse occisus & eius filia Myrrha videbatur: atque sanguis mimica arte diffusus. Cōstat autem quoniam & dies ipse fuit, quo Philippum Amyntæ filium Macedonum regem in spectaculum ingredientem vnus sociorum sustulit. Fuit autem hic, qui interemit Philippum, Pausanias nominatus, Historicorum monumentis clarus: qui constupratus ab Attalo, Philippum regem nuptias celebrantē, & publico spectaculo indulgentē obtruncauit, propterea quòd contempserat vlcisci iniurias sibi ab Attalo factas. Mendosum in codice Iosephi verbum fecit eruditos titubare: sic enim habent impressa volumina: Philippum spectaculū ingredientem vnus socius sustinet. cùm legendum sit, sustulit: significatur enim Pausanias, qui vnus erat in comitatu Philippi: qui sustulit, hoc est interemit ipsum regem in spectaculo.

Tragœdus.] Actor tragœdiarū tempore Philippi.

In laureato.] Videtur legendum Laureolo potius, quàm laureato. Etenim Laureoli crebra est mētio apud veteres scriptores. Iuuenalis:

Laoreolum velox etiam bene Lentulus egit,
Iudice me dignus vera cruce.- Martialis:
Non falsa pendens in cruce Laureolus.

Aureolus verò, vt Trebellius Pollio author est, nomē est gladiatorium: & nomen principis Romani, à cuius obitu pons Aureoli noncupatus est. Iosephus huius historiæ mentionem faciens, crucifixum iudicem appellat, quem Tranquillus Laureolum mimum. Verba Iosephi hæc sunt: In illo siquidem spectaculo duo ei auguria prouenerunt: mimus nanque est introductus, quo actum est, vt iudex deprehensus crucifigeretur: & pantomimus fabulam saltauit & sanguis mimica arte diffusus: & circa iudicē crucifixū, & Myrrham. Author.] Corrige actor: & intellige actorem fabulæ histrionem.

EOdē die.] Idibus Martiis, quo die Cæsar dictator in Senatu occisus est. M. AN. Fortunæ Antiatinæ.] Martial.

Seu tua veridicæ discūt responsa sorores. Macrob. author est, fortunam sub duarū sororū imagine Antii cultam. Id templum opulentū fuisse scribit Porphyrio.

Cassium Longinū.] Cui Drusillā matrimonio locatā ademit. Delegauerat.] Mādauerat. Phœnicopteri sanguine.] Asprenatē cōiuratorū vnum sanguine victimæ respersum fuisse ait Iosephus, fuisséq; illi augurio, quia ipse quoq; eo die occisus est. Philippus.] Alexandri pater, qui à Pausania est occisus: Valerius & Plutarchus sunt authores. Miror Iosephum tradidisse Philippum, eius dico imaginem, eo spectaculo ad finem vsq; ab sociorū vno sustineri solitā. Laureolo mimo.] Iuuenalis: Laureolū velox etiā bene Lentulus egit. Næuius in carcere Laureolum fabulam scripsit.

proripiens se ruina sanguinem vomuit, plures secundarum certatim experimentum artis darent, cruore scena abundauit. Parabatur & in noctem spectaculum, quo argumenta inferorum per Aegyptios, & Aethiopes explicarentur.

Cædes, & mors eius. LVIII.



NOno calendas Februarias, hora quasi septima cunctatus an ad prandium surgeret, marcescente adhuc stomacho pridiani cibi onere, tandem suadentibus amicis egressus est. Quum in crypta, per quam transeundum erat, pueri nobiles ex Asia ad edendas in scena operas euocati præpararentur, vt eos inspiceret, hortaretúrque, restitit. Ac

RVina.] Ita erat argumentū, vt actor scenicus subduceret se ruinæ introductæ in fabula.

Plures secundarum.] Scilicet partium. Inter actores partium ille dicitur primarum partium, qui sæpius progreditur: secundarum verò, qui minùs minúsque procedit: author Pedianus Asconius. Actores enim secundarum partium, teste Porphyrione, omnia summissè agunt: quod & Cicero testatur sic scribens in Diuinatione: Vt in actoribus Græcis fieri videmus, sępe illum, qui est secundarum, aut tertiarum partium, cùm possit aliquantò clariùs dicere, quàm ipse primarū, multum summittere, vt ille princeps quàm maximè excellat. De actore secundarum partium sic ait Horatius:

Vel partes mimū tractare secundas.

De actore primarū Terētius in Phormione: Quia primas partes qui aget, is erit Phormio parasitus. Sensus tranquilli est: Cùm ageretur fabula mimi Laureoli, actor primarū partium, prout argumentum exposcebat, sanguinem euomuit: quod cùm per artem histrionicam fieret, à secundarū quoque partium actoribus, vt imitarentur actorem primarum, scena cruore repleta est: quod fuit dirum omē Caligulæ, portenditque instare veram scilicet sanguinis effusionem.

Argumenta Inferorum.] Fabulæ ad actum scenarū compositæ argumenta dicuntur: author Quintilianus in v. in quo significatu hîc accipimus argumenta. Præterea argumenta sunt opificum: paulóque numerosius opus dicitur argumentosum. Idem Quintilianus in secundo numerat argumentum inter species narrationis. Hoc idem refert Hermogenes in præexercitamentis.

Aegyptios, & Aethiopes.] Vtpote homines nigros, & ipso colore diis manibus, & inferis bene congruētes. Opinatur Herodotus genituram Aethiopum esse nigram: ideóque illos nasci adusto colore. Herodotum refellit Aristoteles, qui omnium animalium tradit genituram esse albam. Adusti autem, nigríque coloris sunt Aegyptii, & Aethiopes, propterea quòd vicini Solis vapore torrentur.

Pridiani cibi.] Pristini diei, & hesterni. Ita suprà pridiana, id est, superioris diei obsonia dixit apposita fuisse à Tyberio in solennibus cœnis.

Marcescente.] Nauseabūdo, & fastidioso. Horatius;
Testis marcentem squillis recreabis, & Afra
Potorem cochlea.

In hanc sententiam est illud Sidonii Apollinaris: Esculenta ructatio de dapibus hesternis.

In crypta.] Iosephus: Cùm iam esset intra regalia, rectum dimisit iter, vbi constituti erant famuli, qui ei gratificè ministrabant. Clandio scilicet præcedēte conuersus est ad locum quendam angustum, tanquam silenter iturus ad balnea, simul & pueros, qui venerant ex Asia, contemplaturus, qui eorum forent vtiles ad hymnos ministeriorum, quæ erat celebrare consuetus: aut qui ad Pyrrhicam in theatris apti esse viderentur. Κρύπτην vocamus dictione Græcanica occultā, & subterraneam cauernam: qualis est crypta illa Neapolitana, cuius meminit Seneca libro sexto Epistolarum moralium, dicens: Illo carcere nihil longius esse, nihil illis faucibus obscurius. Κρύπτω apud Græcos significat abscōdo: hinc crypta: hinc & cryptoporticus nuncupata porticus vndique tecta, & quasi sepimento parietum abscondita, tanquam subterranea. Plinius in epistolis: Subest cryptoporticus similis subterraneæ, æstate incluso frigore riget, contentáque aere suo nec desiderat auras, nec admittit. A crypta crypticus deriuatur, significátq; occultum, & subterraneum. Sidonius Apollinaris in primo Epistolarum; Pontes antiquitus crypticis arcubus fornicauit. Iulius Firmicus libro tertio Matheseos eleganter crypticos nominat, secreta fideli taciturnitate custodientes: & tales facit Mercurius in sexto loco ab horoscopo. Idem Seneca in tertio de Ira author est, Caligulam hunc decollasse ad lucernam quosdam, cùm inambularet in crypta maternorū hortorum. Simillima cryptis sunt ὑπόγαια: sic enim Græco vocabulo subterranea loca nominātur, sed vsitato apud Latinos: quo Petronius Arbiter, & Egesippus vsitati sunt. Eodem vtitur interpres Iosephi Rufinus.

Ad edendas operas.] Ad hymnos theatricos concinendos, vel ad Pyrrhicam depugnandam.

Hortaretur.] Subaudi ad operas scenicas grauiter exhibendas.

PRoripiens se ruina.] Ex argumēto fabulæ id erat, M. AN.
vt author se ruinæ subtrahens sanguinem vomat. Iosephus, Sanguis, ait, mimica arte diffusus, & circa iudicem crucifixum, & circa Cinyram atq; Myrrhā. Nam Cinyram & Myrrham filiam Pantomimi saltasse ait: & iudicem deprehensum crucifixum; ita vt de Laureolo dictum suspicari possis. Martialis:

Et ficta pendens in cruce Laureolus.

Plures secundarum.] Qui secundas erant sortiti partes.

Experimentum artis.] Vt exemplum primi actoris secuti ad experiētiā artis ipsi quoq; sanguinē vomerēt.

Argumenta.] Repræsentationes.

Per Aegyptios, & Aethiopas.] Ob colorem maximè rei accommodatos.

Marcescente.] Crudo adhuc, ac cibum fastidiente.

Crypta.] Subterraneo loco, aut certè concauo: Græci κρύπτην vocant ea. Occultius, ait Iosephus, Caium in balnea concessurum fuisse, simul & pueros, qui ex Asia venerant, contemplaturum, qui eorum ad hymnos, qui item ad Pyrrhicam in theatris apti essent.

Princ

niſi princeps gregis algere ſe diceret, redire, ac repræſentare ſpectaculum voluit. Duplex dehinc fama eſt: Alii tradunt, alloquenti pueros à tergo Chæream ceruicem gladio cæſim grauiter percuſſiſſe, præmiſſa voce, Hoc age. Dehinc Cornelium Sabinum alterum è coniuratis tribunum ex aduerſo traieciſſe pectus: alii Sabinum, ſummota per conſcios centuriones turba, ſignum more militiæ petiiſſe, & Caio Iouem dante, Chæream exclamaſſe, Accipe ratum, reſpicientíque maxillam ictu diſcidiſſe. Iacentem, contractíſque membris clamitantem ſe viuere, cæteri vulneribus triginta confecerunt. Nam ſignum erat omnium, Repete. Quidam etiam per obſcœna ferrum adegerunt. Ad primum tumultum lecticarii cum aſſeribus

PHIL. Princeps gregis.] Grex hîc accipitur pro caterua ſcenicorum: ſicut apud Plautum ſcribêtem in Aſinaria: Gregíque huic, & dominũ, & conductoribus.

Pueros.] Quos ad ſcenicas operas præparatos inſpiciebat.

Algere.] Algore, ſiue algu, vt veteres dixerunt, infeſtari. Qui frigentis ſunt naturæ, quiq; à frigore læduntur, hi eleganti vocabulo dicuntur alſioſi. Plinius ambrotonum, & adoniũ, qui ſunt flores, alſioſa eſſe refert. Marcus Varro de capris ſcribens ait: Stabulatur pecus melius ad hybernos exortus ſi ſpectat: quod eſt alſioſum.

Cæſim.] Vegetius dictione vtitur minimè apud priſcos vſitata: nam cæſam vocat ictũ, qui cæſim fit: ſicut puncta, qui pũctim: ait enim, Cæſa quouis impetu veniant, non frequenter interficiunt: at contrà puncta duas vncias adacta mortalis eſt. Cæſim pugnantes deriſere Romani, qui punctim hoſtes feriendos eſſe præcipiebant. Ait Liuius, Hiſpanos quoque punctim magis, quàm cæſim aſſuetos petere hoſtem.

Grauiter percuſſiſſe.] Scribit Ioſephus, Chæream gladio intuliſſe plagam Caligulæ vehementem, non tamen omnino mortalem, inter humerum, & collum.

Hoc age.] Hoc dixit Chæreas, quaſi dicere vellet, Attende huic negotio, quod ad te magis pertinet, quàm Inſpectioni puerorum. Vel hac voce adhortatus eſt cõiuratos, vt idem factitarent, ipſius exemplum ſecuti. In ſacris verò, quando res diuina fiebat, vox iſta à præcone cum boatu proclamabatur, Hoc age. per quam vocẽ admouebat mortales, vt animos ſacrificio adhiberent, & huic vni rei vacarent, omnibus aliis poſthabitis operibus: author Plutarchus in Coriolano.

Cornelium Sabinum.] De hoc ſic ſcribit Ioſephus: Caligulam fugiẽtem Cornelius Sabinus, & ipſe iam ſua mente præſtructus, impulit: eum genu flexo cadentem multi circunſtantes ſinguli adinuicem gladiis diſcerpſerunt.

Signum petiſſe.] Diſſentit Ioſephus ſcribens, Chæream, non Sabinum, petiiſſe ſignum à Caio, & illũ per illuſionem ſignum dediſſe languẽtium: potuit Sabinus quoque, vtpote tribunus, & ipſe ſignum à Caio petere: qui ſignum Iouis dedit.

Accipe ratum.] Tanquã ſignum, quod ipſe per vulnus infligebat principi, eſſet futurũ firmum, & validũ.

Diſcidiſſe.] Diuiſiſſe, diſrupiſſe.

Maxillam.] Cicero in Oratore ſentit, maxillam dici non ὑποκοριστικῶς, id eſt, diminutiuè à mala, ſed malam è maxilla eſſe factam per contractionem, fuga literæ vaſtioris, tanquam elegantior ſit dictio, & iucundior auribus mala, quàm maxilla. Itidem ab axilla ala, à vexillo velum factum eſt. Malas dixit Plinius nulli eſſe præter hominem: maxillas crocodilus tantùm ſuperiores mouet, cùm cætera moueant inferiores, ſicut homo.

Confecerunt.] Contrucidauerunt.

Repete.] Imperatiuus eſt modus. & hoc fuit ſignũ inter ipſos coniuratos conſtitutum, quo ſignificabatur, vt vnuſquiſque ex coniuratis non ſemel feriret Caium, ſed bis, térque repeteret vulnus. Vltimus omnium Aquila Caligulæ mortiferam intulit plagam: ſed omnis gloria Chæreæ indubitanter attribuenda eſt. Nam licet cum multis hoc opus effecerit, tamen ipſe primus cogitauit, quemadmodũ res gereretur, & primus alios congregauit, ſapienterque cuncta diſponens rem prior aggreſſus eſt, operámque dedit, ne vxor, ne filia ſupereſſent, ſed tota domus vnà cum Caio extingueretur.

Lecticarii.] Lecticarii ſunt ſerui, qui lectica dominum portant. Vlpianus: Legato continentur mancipia, puta lecticarii, qui ſolam matremfamiliâs portabant. Libro quoque de legatis tertio, traditum eſt, quòd ſeruis lecticariis legatis, ſi idem lecticarius ſit & coquus, accedit legato. Et quia ad octophorum geſtandum opus erat octo lecticariis, ideo dixit Pomponius, ſi ita legatum eſt, lecticarios octo legatos eſſe.

Cum aſſeribus.] Aſſeres ligna appellat, quibus innixi lecticarii lecticam baiulant. Iuriſconſultus burdones appellare videtur aſſeres lecticarum. De his exiſtimo intellexiſſe Martialẽ illo verſu, Vt Canuſinatus multo Syrus aſſere ſudet. Iuuenalis quoque ait:

-Ferit hic cubito, ferit aſſere duro
Alter.-

M. AN. Princeps gregis.] Caput, dux cœtus.

Algere ſe.] Se algore affectum. Celebrabãtur enim hi ludi circa Idus Martias.

Cæſim.] Ex acie, non punctim. Liuius: Punctim, ac cæſim.

Hoc age.] Vox à præcone, vt Plutarchus ait, in ſacris vſurpata, vt animos ſacrificio adhiberent: ſed hîc aliter accipienda, vt vel ſignum inuadendi fuerit: paulò pòſt tamen coniuratorum ſignum fuiſſe ait Repete: aut certè viæ quam inſtarent Caligulam aliud curantem aduertere hoſtiliter, & violentè iuſſit.

Ex aduerſo.] A fronte.

Sabinum Cornelium.] Scilicet conſcios coniurationis participes.

Accipe ratum.] Certum, ac firmum, ſignum ſubintellige: ſed ad vulnus alluſit: vel certè militarem eſt morẽ ſecutus, à nullo, quod adhuc ſciam, traditum: vt qui ſignum acciperent, ſignum dicerent. Signũ erat.] Perpetrandæ cædis. Repete.] Vulnus itera. Clamitantem.] Sunt qui ſcribant, in quibus eſt Ioſephus, nollam emiſiſſe vocem: ſed quaſi primo vulnere diſſimulato tentaſſe in apertum euadere. Lecticarii.] Qui lecticam geſtabant.

Cum aſſeribus.] Iuuenalis:

-Duro ferit aſſere lumbum.

in auxilium accurrerunt. Mox Germani corporis custodes, ac nonnullos ex percussoribus, quosdã etiam Senatores innoxios interemerunt.

Funus Caij, & mors uxoris, & filiæ eius. LIX.



Vixit annis vigintinouem, imperauit triennio, & decem mensibus, diebúsque octo. Cadauer eius clàm in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum leui cæspite obrutum est. Posteà per sorores ab exilio reuersas erutum, crematum, sepultúmque. Satis constat, priùs, quàm id fieret, hortorum custodes vmbris inquietatos. In ea quoque domo, in qua occubuerit, nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec ipsa domus incendio consumpta sit. Periit vnà & vxor Cæsonia, gladio à centurione confossa, & filia parieti illisa.

Gesta per Senatum post mortem eius. LX.



Conditionem temporũ illorum etiam per hæc æstimare quiuis possit. Nam neque cæde vulgata, statim creditum est. Fuitq; suspicio, ab ipso Caio famam cædis simulatam, & emissam, vt eo pacto erga se hominũ mentes deprehenderet. Neq; cõiurati cuiquam Imperiũ destinauerunt. Et Senatus in asserenda libertate adeò consensit, vt Cõsules primò non in curiã, quia Iulia vocabatur, sed in Capitoliũ cõuocarẽt. Quidã verò sentẽtiæ loco abolendã Cæsarum memoriã,

PHIL. Germani.] Scribit Iosephus, mortem Caii primùm à Germanis esse cognitam, qui erant armigeri corporis robusti, & magis impetu valentes, quàm ratione pollentes: quibus Caius ob hoc charissimus erat, quòd illos pecuniarum muneribus sibi placauerat. Euaginatis ergo gladiis perscrutantes Cæsaris peréptores, Asprenatem, qui primus occurrit, interemerunt: post hũc Barbarus Norbanus fortissimus ciuium multis vulneribus Interficitur: tertius Atteius ex ordine Senatorio à Germanis occiditur: qui furentes, & subtiliter inquirẽtes eos, qui Caium occiderant, etiã innoxios vnà perimebant.

In hortos Lamianos.] Inter hortos voluptatis causa comparatos fuere complusculi, vt Sallustiani, Luculliani, Mecœnaniani, Inter quos erant etiam Lamiani, à Lamiarum generosa familia nuncupati: de qua posteriùs in Domitiano dicetur.

Tumultuario.] Per tumultum, festinationémque confecto: sic tumultuarium studium, & tumultuariam pugnã dicimus.

Cæspite.] Terra herbosa.

Ab exilio.] In quod missæ fuerãt à Caio fratre.

Hortorũ.] Subaudi Lamianorum, in quibus obrutũ erat cadauer Caligulæ. Inquietatos.] Scribit Apuleius in libro de dæmonio Socratis, laruas appellari vmbras, animásque sceleratorum, quæ terriculamenta sunt inania, quibus homines terreri se, & inquietari habent persuasissimũ.

Cæsonia.] Lupus vnus tribunorum à Chætea missus est ad vxorem Caii, filiámque perimendas: sic Cæsonia à Lupo perempta est, magnanimiter iugulum porrigens: & super eam filia pariter extincta.

Deprehenderet.] Vt ita cognosceret qui dolerent ex eius obitu, tanquam amici: qui lætarentur, tanquam Inimici. Neque statim creditum est.] Dum in theatrum de Caii nece sermo peruenisset, admiratio & incredulitas facta est: alii valde lætabãtur eius morte, nec tamen sinebantur credere per timorem. Mulieribus, & Infantibus minimè grata fuit mors Caii, propter spectacula, quibus solitus erat pascere oculos spectatorum. Quidam audire de cæde Caii, aut dicere fugiebãt, metuentes ne cùm verum non appareret, pœnæ succumberent, quasi vota suæ voluntatis aperientes. Præterea sermo dispersus est in populo, quòd res quidem à coniuratis tentata fuisset, nec tamen Caius esset extinctus, sed ablatus à medicis curaretur.

Senatus in asserenda libertate.] Post Caligulæ necem congregata est multitudo Senatorum, qui iam fiduciavtebantur, quasi in eis esset Respublica cõstituta. Chæreas verò cùm signum à Consulibus militiæ more petiisset, illi libertatis signum dederunt, quod specimẽ fuit, omnes libertatis assertores, vindicésque sese præstare.

Iulia vocabatur.] Adeò nomen Cæsarũ cœperat esse detestabile, vt nec quidem in curia Iulia conuocari Senatus vellet, abominatus scilicet nomen Iuliorum, tanquam oppressores essene libertatis, & id nomen foret ominosum.

M. AN. Ex percussoribus.] Coniuratis.

Innoxios.] Cõiurationis, & cædis expertes, & in his Atteium Senatorẽ.

Hortos Lamjanos.] Lamia gens clara, & illustris haud vnius poetarum testimonio. Iuuenalis:

Hoc nocuit Lamiarum cæde madenti. Horatius:

Aeli vetusto nobilis ab Lamo.

A Lamo, qui Caietæ regnauit, gens ipsa orta dicitur.

Silius Italicus: -Et regnata Lamo Caietæ.

Ouidius: -Atque Lamo veterem Læstrygonis.

Tumultuario.] Tumultuosè instructo.

Erutum.] Refossum.

Id fieret.] Vt legitimè tumultuaretur.

Vmbris.] Manibus.

In qua occubuerat.] Obtruncatus erat.

Filia.] Ex Cæsonia, & Caligula genita, quam Drusillam nominarant.

Illisa] Afflicta.

Conditionem.] Formidolosam, terrificúmq; temporum statum.

Eo pacto.] Vulgata fama.

In asserenda.] Vindicanda.

Quia Iulia.] Abominari Iuliæ gentis nomen.

Conuocarent.] Senatum.

Abolendam.] Obliuioni dandam.

Dir

ac diruenda templa cenſuerunt. Obſeruatum autem,notatúmq; eſt in primis,Cæſares omnes,quibus Caii prænomen fuerit,ferro periiſſe, iam inde ab eo,qui Cinnanis temporibus ſit occiſus.

PHIL. Diruenda templa.] Quæ ſcilicet Cæſaribus,tanquã diuis,plurima iam pridem fuerant dicata.

Quibus Caii prænomen.] Scriptores ferè ſemper Caium Cæſarem appellant,intelligi volentes Caligulã: quando verò mentionem facere volunt de Iulio Cæſare,identidem eũ nominant Cęſarem Dictatorem: & ita appellatione Caii Cæſaris ſignificatur Caligula.Interdum tamen & ipſe Cæſar Dictator dicitur à ſcriptoribus C. Cæſar,ſine additamento Dictatoris. Olim Caligula iratus eſt Herennio Macro primipilari,quia ipſum Caium ſalutauerat: tanquam Caius dici nollet. Idem,vt inquit Seneca in lib. cui titulus eſt, In ſapientem non cadit iniuria: exiſtimabat Caligulæ nomen eſſe conuicium, & probrum: neq; Caligula appellari volebat, ſed alumnus legionum. Quemadmodum ergo hic Caius Caligula, & Caius Cæſar Dictator ferro contrucidati perierunt: ſimiliter & tertius Cæſar,cui prænomen fuit Caius,ferro,& biothanata morte occiſus eſt: quo tempore Cinna, & Mario victoribus lumina Romanæ Reipublicæ extincta ſunt. Nam cùm Cornelius Cinna Conſul,perniciosas leges per vim ferret, pulſus vrbe eſt ab Octauio collega,& ab his, quibus pax, & quies potior erat: qui mox Caio Mario cum aliis exulibus accerſito bellum patriæ intulit, vrbémque circunſederunt quatuor exercitibus: quorum duo dati ſunt Carboni, atq; Sertorio, cùm Ianiculum occupauiſſent, recepti tandem in vrbem ſunt Cinna & Marius: qui velut captam, eam cædibus,& rapinis vaſtarunt, Octauio Conſule occiſo, & omnibus aduerſæ partis nobilibus trucidatis: inter quos hic Caius Cæſar,de quo nunc ait Tranquillus, in penatibus ſuis vnà cum fratre L. Iulio Cæſare fuit interfectus,eiúſque caput in Roſtris poſitum, ab Hiſtoricis memoratur. Auguſtinus quoque in tertio de ciuitate Dei, mentionem facit de nece iſtius Caii Cæſaris,quem Tranquillus ait fuiſſe occiſum Cinnanis temporibus. Illa enim tempora meritò Cinnana nuncupabãtur,quibus Cinna impotenter atque crudeliter dominatus eſt, turbata Republica ciuili bello, deformata ciuitate cædibus nobilium,atque rapinis: ipſe paulò pòſt ab exercitu interemptus dedit pœnas crudelitatis. Hic nimirum eſt ille Caius Iulius Cæſar, qui diſputat de riſu, & facetiis apud Ciceronem in ſecundo de Oratore. Fuit enim facetiſſimus orator: de cuius morte ſic ſcribit idem Cicero in tertio de Oratore: Neque verò non longè ab eo Caii Iulii caput hoſpitis Hetruſci ſcelere proditum, cum Lucii Iulii fratris capite iacuit. De eodem ſic ait in Bruto: Feſtiuitate,& facetiis Caius Iulius Lucii filius,& ſuperioribus, & æqualibus ſuis omnibus præſtitit: oratórque fuit minime ille quidem vehemens, ſed nemo vnquam vrbanitate, nemo lepore, nemo ſuauitate conditior.

M. AN. Diruenda templa cenſuerunt.] Illorum geniis erecta. Caii prænomen fuiſſet.] Qui id prænomen tuliſſent in ea familia.

Qui Cinnanis temporibus.] Appianus: Caius, inquit,& Lucius Iulius in via deprehenſi trucidantur. Cæterùm ſatis conſtat ab vna gente Iulia,neq; vlla Romanarum alia Cæſaris cognomen receptum.

C. SVETONII TRANQVILLI LIBER V.

D. Claudius Cæsar.

De patre Claudij, & gestis eius. I.



PATREM Claudii Cæsaris Drusum, olim Decimū, mox Neronem prænomine, Liuia quum Augusto grauida nupsisset, intra mensem tertium peperit. Fuitque suspicio, ex vitrico per adulterii consuetudinem procreatum. Statim certè vulgatus est versus:

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.

Is Drusus in quæsturæ, præturæq; honore dux Rhetici, deinde Germanici belli, Oceanū Septentrionalē

PHIL.



SEXTUS Aurelius de Claudio Cæsare scribit hæc: Claudius Drusi Tyberii fratris filius, Caligulæ patruus, imperauit annos quatuordecim. Iste, cùm Senatus cēsuisset, gentem Cæsarum exterminari, deformi latebra latens, à militibus repertus, qui vecors erat, & mitissimus videbatur, Imperator effectus est: hic veteri, coniugis imperiis subiectus fuit. Scripturus Suetonius vitam Claudii exorditur à patre, qui omni præconio bonitatis ornatus longè filio dissimilis fuit. Ille enim prudentissimus, & virtute præcellens: hic socordissimus, & à virtute alienus: qui nunquam profectò ad Imperiū peruenisset, si Romanis, sicut Carthaginiensibus, mos fuisset eligendi Imperatorē, non secundùm genus, sed secundùm virtutem: sed boni, maliq; indiscriminatim imperant, fauente Fortuna: verúmque est illud Constantini dictū, Imperatorem esse, Fortunæ est. Sed iam commētationes cœptas peragamus, amputata longiore præfatione.

Olim Decimum, mox Neronē.] A prænomine nobiles Romani oscitabātur. Drusus Claudii pater olim dictus est Decimus Drusus, posteà mutato prænomine Nero Drusus nuncupatus. Decimū autem prænomen fuisse priscorū, indicat Epigrāmatarius poeta illo versu:

Quintū pro Decimo, pro Crasso Regule Macrum.

Legimus apud Historicos, Brutum illum, qui fuit vnus ex Cæsaris interfectoribus, nominatum fuisse Decimū Brutum: quanuis in quibusdam codicibus non Decimus Brutus legatur, sed Decius. Neronem autem lingua Sabina significare fortem, diximus in Tyberio.

Grauida.] Superiùs dixit Trāquillus, quemadmodum pater Tyberii vxorem Liuiam Drusillam, & tunc grauidam, & antè iam apud se Tyberium enixam, petenti Augusto concessit.

Intra mensem.] Liuia posteà quàm nupsit Augusto ante tres menses exactos peperit Drusum. Apud Gelliū caput est, quid significet intra Calēdas: vbi docet interdū intra Calēdas, accipi nō ante Calendas, sed in Calendis, id est, eo ipso die, quo Calēdæ sunt. Interdum intra Calēdas dici, sicut intra modū, hoc est citra Calēdas, & citra modum: & ita frequens est locutio, vt dicamus intra mensem, pro citra mensem.

Ex vitrico.] Cæsare Augusto.

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.] Hoc est, felicibus etiam trimestres filii, tanquā mirū non esset, si Imperatori fortunato natus esset filius trimestris: cùm genitales menses sint septimus, nonus, & decimus. Sed hoc dicto latenter voluit significare, Augustum Liuiam fecisse prægnantem ex consuetudine adulterii, antequam eā duxisset vxorem. Rhetici.] Relege quæ diximus in Tyberio de bello Rhetico.

Oceanum Septentrionalē.] Hecateus Oceanū Septentrionalem appellat Amalchiū: quod nomē lingua Scythica significat congelatū: à Cimbris vocatur mare mortuū. Ab Germania incipit clarior fama eius aperiri, vbi efficit sinum, qui Codanus vocatur, refertus insulis. Herodotus ait, mare Scythicum, hoc est, Oceanum Septentrionalem, gelu stringi, & concrescere: in quam culpam lapsus videri potest Iuuenalis illo versu:

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem Oceanum.

Philosophi verò rerum naturalium scrutinatores, asserunt omne mare esse incongelabile.

MARCI ANTONII Sabellici ad Augustinum Barbadicum serenissimum Venetiarum principem Paraphraseos in Claudium parænesis quinta.

M. AN.

PATREM Claudii Cæsaris.] Fortuna, credo, Romani populi potiùs, quàm hominū cōsilia, Claudiū ad Imperii fastigiū perduxit, iucundissime princeps: nā tantum abest vt obscurè in priuata fortuna præ se tulerit qualis futurus esset Imperator, quòd quum soror eius audisset fore, vt quandoq; rerū potiturus esset, palàm tā iniquam Romani populi sortē sit detestata, & Antonia mater portentū hominis eū appellare sit solita, nec absolutū à Natura, sed tantū inchoatū: ac si quē socordiæ argueret, stultiorē filio suo Claudio esse diceret. Augusti præterea ad Liuiā epistolæ haud obscure demōstrāt, nihil eo adolescēte amēnius fuisse: sed fatū, vt dixi, cui humana ratione occurri non potest, ita euenire voluit, vt populus ille omniū gentiū victor, vnius viri socordiæ tā turpiter seruiret, quā omnibus olim gētibus gloriose imperasset. Magnū Fortunæ ludibriū, & quo res humanæ suæ fragilitatis valeāt admoneri. Sed ea clades nihil ad tuū principatū, dux inclyte: etenim optimā administrationis formā à maioribus traditā nō solùm ad hunc diē incorruptā seruasti, sed variis etiā clemētiæ, & æquitatis exēplis auxisti plurimū, vnde meritò cōsecutus es, vt nemo sit, qui te in optimorū principū numero aperta prædicatione nō censeat reponendū. Sed iā qualem Claudius principē egerit, ex his, quæ sequūtur, cognosce, veteremq; alieni Imperii fortunā tecum miserare.

Intra mensem tertiū.] Ab eo scilicet, quo Augusto nupsit. Eleganterq; intra dixit: refertur enim & ad numerū, & ad spatiū: vt intra viginti dies, intra muros: infra ad dignitatē, & locū: vt infra philosophi officiū: infra tectū. Vitrico.] Augusto. Cōsuetudinē.] Quòd ante conciliatas nuptias Liuiæ cōsuetudine teneretur, id triumuir Antonius illi per epistolas, idq; Græcū carmen incerto authore illi exprobrauit. Τοῖς εὐτυχοῦσι, &c.] Feliciter agentibus, & filii trimestres.

primus Romanorum ducum nauigauit: tránsque Rhenũ fossas noui, & immensi operis effecit, quæ nunc Drusinæ vocantur. Hostem etiam frequẽter cæsum, ac penitus in intimas solitudines actum, non priùs destitit insequi, quàm species barbaræ mulieris humana amplior, victorem tendere vltra sermone Latino prohibuisset. Quas ob res ouandi ius, & triumphalia ornamenta percepit. Ac post Præturam confestim inito Consulatu, atque expeditione repetita, supremum diem morbo obiit in æstiuis castris, quæ ex eo Scelerata sunt appellata. Corpus eius per municipiorum, coloniarúmque primores, suscipientibus obuiis scribarum decuriis, ad vrbem deuectum, sepultúmque est in Martio Campo. Cæterùm exercitus honorarium ei tumulum excitauit: circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret,

Oceanum Septentrionalẽ.] Germanicũ intelligas: nam Gallicum priùs Cæsar Dictator nauigarat.

PHIL. Fossas effecit.] Sæpe Imperatores ad discutiendũ torporem militarem milites occopatos detinent in fossa facienda, aliisq; similibus: hoc fecit Drusus olim. Corbulo quoque inter Mosam Rhenúmqoe trium & viginti millium spatio fossam perduxit: vt ita miles otium exueret.

Drusinæ.] A nomine Drusi fossæ in Germania effectæ, sunt nominatæ Drusinæ.

Hostem.] Germanos. Multi autẽ populi Germanorum à Druso subacti sunt: qui missus in eam prouinciam primos domuit Vsipetes, inde Bructeros superauit: spoliis quoque Marcomãnorũ insignibus quendam editum tumulũ in trophæi modum excoluit. Inde validissimas natiooes Cheruscos, Sueuos, & Sicambros pariter aggressus est: quibus superatis per Rheni ripam quinquaginta ampliùs castella disposuit. Prætereà Hercyniam syluam, io id tempus inaccessam patefecit. Ea deniqoe io Germania virtute Drusi pax, ea trãquillitas facta est, vt mutari homines, alia terra, cælum ipsum mitius, molliúsqoe solito videretur.

Species barbaræ mulieris.] Ipsam Germaniam intelligimus sub habitu muliebri barbarico apparuisse Druso victori, eúmque admonuisse verbis Latinis, vtpote cognobilioribus, ne vltra se iosectari vellet. Apud Lucanum effigies vrbis Romæ describitur Iulio Cæsari se offerentis, rogantisq; ne vltra progrederetur. Iotellige tamen dæmonem, siue genium fuisse, qui sese io speciẽ mulieris transfiguraoerit: quod dæmonibus perfacile est induere varias effigies: cuius rei testis est Dion: & apud authores celebratissimum dæmonas transfigurari in quæ velint simulacra.

Ouandi ius.] Sensus est, Drusum ooationem peregisse, & pro triumpho percepisse ornameota triũphalia: quæ multis data sunt citra triumphum.

Expeditione repetita.] Cùm redisset iterũ ad Germanicum bellum.

Morbo obiit.] Liuius autumat Drusum mortuum esse ex fractura, equo super crus eius collapso. Periit autem inter Salam fluuium, & Rheoum, vt indicat Strabo libro VII.

Appellata Scelerata.] Ad calamitatẽ, infortuniúmqoe indicãdum ex obitu Drusi, Scelerata dicta sunt castra: sicut olim porta Romæ Scelerata est appellata, qua Fabii egressi ad amnem Cremeram ad vnum omnes cæsi sunt à Veientibus. Et campus quoqoe Romæ Sceleratus dictus prope portam Collinam, quo virgines Vestales ob incestum viuæ defodiebantur. Fuit & vicus Romæ Sceleratus dictus à Tullia Tarquinii Superbi vxore: quòd ibi cùm iaceret pater Seruius Tullius à ge-

nero occisus, iussit mulionem supra eum agere carpentum, quo vehebatur: authores Liuius, Varro, & Festus Pompeius.

Scribarum decuriis.] Ordinibus scripturariorum. Ita olim dicti sunt, qui nunc scribæ vocantur: quorũ ordinem honestũ appellat Cicero: qui tamen apud Græcos, vt inqoit Aemylius Probus, honoratiores fuerũt, quàm apud Romanos. Nanque apud illos ad id officium nemo admittebatur, nisi honesto loco, & fide, & prudentia cognita: quod necesse est omniũ consiliorum eum esse participem. Græci scribam γραμματία vocant: qua dictione vsus est Apuleius libro vltimo de Asino aureo: principem verò scribarũ ἀρχιγραμματεία. Hinc ait Plutarchus, Eumenem Cardianum fuisse ἀρχιγραμματεία Alexandri Magni. vulgò cancellarii vocantur: quam dictionem Latinitate donauit Flauius Vopiscus scribens, à Carino Imperatore factum esse præfectum vrbis vnum ex cancellariis suis. Mercurius in horoscopo constitutus facit scribas. Præterea scribæ regum, vel quibus dictandi committitur officium, nascentur habentes horoscopum in XVII. parte Libræ.

In Martio Campo.] In Iulii Cæsaris Dictatoris tumulo conditum fuisse cadauer Drusi, docet Liuius.

Honorarium.] Tumulum hooris causa factũ vocat honorarium. Et hũc in Germania factum fuisse intelligas, noo Romæ, perinde ac ceootaphium, hoc est, inane sepulcrum: quod Iurisconsultus ex Vergilii authoritate religiosum locum esse demoostrat. Qoando funus fit cadauere iam sepulto, vocatur imaginariũ, ab imagine defuncti, quæ funebri põpa perinde honoratur, ac si demortui corpus præsens foret. Iulius Capitolinus prodidit funus imaginariũ factũ fuisse Pertinaci Imperatori. Idẽ referẽs Spartianus ait in Seuero: Funus Pertinacis imagini duxit, eúmq; inter diuos sacrauit.

Miles.] Milites. singularis numerus pro pluratiuo.

Decurreret.] Decursionem faceret more militari. Liuius in XL. Mos erat lustrationis sacro peracto decurrere exercitum, & diuisas bifariàm duas acies concurrere ad simulacrum pugnæ. Talis decursio nunc significatur à Tranquillo instituta à militibus in honorẽ defuncti Drusi in Germania. Vegetius in II. inter militares exercitationes memorat Campi decursionem, ad quam cùm exeunt milites tubicine vocante operãtur: & rursum tubicioe admooente cessant.

M. AN. Sermone Latino.] Quod ipsum quoqne ad prodigium attinet.

Aestiuis castris.] Ad hybernorum differentiam.

Honorarium.] Cenotaphion honoris, nõ vsus gratia excitatum.

Supp

Galliarúmque ciuitates publicè supplicarent. Præterea Senatus inter alia complura, marmoreum arcum cum trophæis via Apppia decreuit, & Germanici cognomen ipsi, posterisque eius. Fuisse autem creditur non minùs gloriosi, quàm ciuilis animi. Nam ex hoste super victorias opima quoque spolia captasse, summóque sæpius discrimine duces Germanorum tota acie insectatus, nec dissimulasse vnquam pristinum se Reipublicæ statum, quandocunque posset, restituturum. Vnde existimo nonnullos tradere ausos, suspectum eum Augusto, reuocatúmque ex prouincia: & quia cunctaretur, interceptum veneno. Quod equidem magis, ne prætermitterem, retuli, quàm quia verum, aut verisimile putem: quum Augustus tantopere & viuum dilexerit, vt cohæredem semper filiis instituerit, sicut quondam in Senatu professus est: & defunctum ita pro concione laudauerit, vt deos precatus sit, similes ei Cæsares suos facerent: sibíq; tam honestum quandoque exitum darent, quàm illi dedissent. Nec contentus elogium tumulo eius versibus compositis à se insculpsisse, etiã vitæ memoriam prosa oratione apposuit. Ex Antonia minore complures quidem liberos tulit, verùm tres omnino reliquit, Germanicũ, Liuillam, Claudium.

Natiuitas Claudij, & eius infantia. II.



Laudius natus est Iulio Antonio, Fabio Africano Consulibus, Calendis Augusti, Lugduni eo ipso die, quo primùm

PHIL. Supplicarent.] Supplicationes solennes templatim facerent in honorem Drusi.

Marmoreum arcum.] Quales dicari solent Imperatoribus ob victoriam ex hoste partam: quales duos Romæ conspeximus, in quibus trophæa fabrefacta visuntur.

Germanici cognomen.] L. Florus in quarto: Druso, quod nunquam alteri, Senatus cognomen ex prouincia dedit. Traiano quoque, vt inquit Plinius Panegyrista, cùm Germaniæ præsideret, Germanici nomen ex vrbe missum fuit. Domitianum & ipsum Germanici cognomentum vsurpasse suo mox loco explicabitur.

Gloriosi.] Generosos in primis animos extimulat gloria, instar stimuli, & incentiui: de qua ait Flaccus: Tu sola animos, mentémq; peruris gloria. A Silio non minus verè, quàm graphicè gloria dicta est fax mentis honestæ. Multi solam gloriam virtutis verrimum fructum esse existimant: cuius cupiditate qui non tangitur, is mihi saxeus videtur, & stolido fatuitatis stupore confectus.

Ciuilis.] Prædi ti ciuilitate.

Opima spolia.] De opimis spoliis, quæ dux duci detrahebat, consecrabátque in templo Iouis Feretrii, superiùs diximus: & affatim scripsimus in quarto Propertii commentario. & hoc referendum est ad animum gloriosum.

Dissimulasse.] Hoc ad ciuilem Drusi animum referendum est: qui apertè declarabat se, si vnquam posset, restituturum Rempublicam in pristinam libertatem, quæ tunc à Cæsaribus oppressa tenebatur: quod specimen maximum est in homine ciuilitatis.

Ex prouincia.] Germania.

Cohæredem.] Antiqui particulones dixerunt cohæredes, ab eo quòd partes patrimonii sumant.

Defunctum laudauit.] Liuius scribit, laudatũ fuisse Drusum à Cæsare Augusto vitrico, & supremis eius funeribus plures honores exhibitos. Cùm autem funebres laudationes, authore Quintiliano, frequẽter mandarentur magistratibus, non potuit maior magistratus contingere Druso, quàm Augustus omnium maximus.

Cæsares suos.] Filios, quos Caium, & Lucium domi adoptauerat: vt suprà retulimus.

Tam honestum exitum.] Annibal apud Silium optat sibi dari obitum tam honestum, quàm datus est Paulo Aemylio Cãnensi clade, occumbenti. Sic enim ait lib. x. Punicorum:

-Cùm fata vocabunt
Tale precor nobis, salua Carthagine, lethum.

Elogium.] Hic pro epitaphio accipimus elogiũ: cùm alibi pro omni testificatione dicatur, non minùs vituperationis, quàm laudis: sicuti antè expliciùs docuimus.

Versibus compositis.] Plato libro XII. de Legibus, epitaphia quatuor tantùm heroicis versibus confici debere præscribit, quibus laudes defuncti comprehendãtur. Cicero quoque Platonicas leges æmulatus, idem tradit libro II. de Legibus.

Ex Antonia minore.] Hæc est illa Antonia, quam nunquam expuisse, Plinius, Solinúsq; notificant.

Lugduni.] Genitale solum Claudii fuit Lugdunum, ciuitas Galliæ notissima: à qua Lugdunensem dici Galliam, antè dictum est.

M. AN. Sibi, & posteris.] Vt Germanici cognomen ferrent.

Gloriosi.] Gloriæ cupidi.

Opima spolia.] Quæ à Romulo primùm, mox à Cornelio Cosso, nouissimè à Marcello sunt relata.

Dissimulasse.] Celatum habuisse.

Pristinum Reipublicæ statum.] Qualis ante Cæsarem Dictatorem fuisset: de qua re datas ab eo ad Tyberium literas, atque Augusto proditas, alio Tranquillus loco significauit.

Suos Cæsares.] Quos in familiam adoptasset.

Germanicum.] Caligulæ patrem.

Liuillam.] Hæc illa est, de qua ægra Augustus sub ipsum vitæ exitum eos, qui ex vrbe venerant, rogasse dicitur.

Claudium.] De cuius vita iam hinc perget author dicere.

Lugduni.] Vnde Comatæ Galliæ pars nuncupata est.

Ara

ara ibi Auguſto dedicata eſt, appellatúſque Tyberius Claudius Druſus. Mox fratre maiore in Iuliã familiam adoptato, Germanici cognomen aſſumpſit. Infans autem relictus à patre, ac per omne ferè pueritiæ, atque adoleſcentiæ tempus variis, & tenacibus morbis conflictatus eſt, adeo vt animo, ſimul & corpore hebetato, ne progreſſa quidem ætate vlli publico, priuatóque muneri habilis exiſtimaretur. Diu etiam atque poſt tutelam receptam, alieni arbitrii, & ſub pædagogo fuit: quem barbarum, & olim ſuperiumentarium, ex induſtria ſibi appoſitum, vt ſe quibuſcunque de cauſis quàm ſæuiſſimè coerceret, ipſe quodam libello conqueritur. Ob hanc tandem valetudinem, & gladiatorio munere, quod ſimul cum fratre memoriæ patris edebat, palliolatus nouo more præſedit: & togæ virilis die, circa mediã noctem, ſine ſolenni officio lectica in Capitolium latus eſt.

Opera eius circa liberales diſciplinas. III.



Iſciplinis tamen liberalibus ab ætate prima non mediocrem operam dedit, ac ſæpe experimenta cuiuſq; etiã publicauit.

PHIL. Ara ibi Auguſto dicata.] Diximus ſuprà ex authoritate Senecæ quemadmodum Lugdunum colonia fuit Munatii Planci, & olim tota incẽdio deflagrauit: vbi fuit templum ab vniuerſis Galliæ populis communi impenſa extructum, dicatúmque Auguſto Cæſari: aderat & ara dignitatis eximiæ gẽtium ſexaginta numero inſcriptum habens titulum: earúmque ſingularũ ſingulæ ſtatuæ erectæ: poſt hanc aram altera erat ara ingens locata.

Fratre maiore.] Germanico Caligulæ patre.

In Iuliam familiam.] Quando adoptatus fuit à Tyberio: qui & ipſe per adoptionẽ inſertus fuerat Iuliæ genti.

Tenacibus.] Non facilè deſinentibus.

Hebetato.] Morbus plerunque cauſa eſt vt vnà cum corpore animus hebeteſcat, & deprauetur. Nam quum ſit corpus animi organum, ſicut philoſophi dixerunt, nõ poteſt animus ſuũ ſatis officium facere, organo malè coagmentato.

Muneri.] Officio.

Poſt tutelam receptam.] Poſtquã exemit ſe per ætatem ex aliena tutela. Receptum quandoque ſignificat liberatum, & aſſertum: vt illud Maronianum: -Medióque ex hoſte recepit. & illud -Frugéſque receptas.

Sub pædagogo.] De pædagogis in vniuerſum hoc præcepit Quintilianus, vt ſint eruditi, aut ſe non eſſe eruditos ſciant. Hac tempeſtate, non pauci pædagogi (de malis loquor) aut plagoſi, aut ſtupratores ſunt diſcipulorum: & cùm hoc hominũ genus maximè imperioſum ſit, ferula vice ſceptri intumeſcunt, atque interim ſæuientes ſtultitiam ſuam perdocent. Talis fuit Claudii pædagogus indoctus, truculentus.

Superiumentarium.] Eadem forma dicitur iumentarius, qua armentarius, & ſignificat eum, qui præeſt iumentis. Meritò conqoerebatur Claudius, ſibi appoſitum fuiſſe tanquam cuſtodem, rectorémque eum, qui iumenta regere conſueuiſſet, non autem homines: qui barbariem doceret, non elegãtiam: qui ſæuitia vteretur, non humanitate.

Quibuſcunque de cauſis.] Etiam leuiſſimis: quum pœna delicto maior eſſe non debeat.

Ob eandem valetudinem.] Quia afflictabatur animo, corporéque hebetato.

Cum fratre.] Germanico, Caligulæ patre.

Memoriæ patris.] Ritu, exemplóque maiorum: qui in funere patrum gladiatoria ſpectacula edere ſolebãt. Valerius libro ſecundo dictorum, factorúmque memorabilium teſtis eſt, gladiatorum munus primùm Romæ datum eſſe in foro Boario, Appio Claudio, Quinto Fuluio Conſulibus: dederũt autem Marcus, & Decius filii Bruti, funebri memoria patris cineri honorando.

Palliolatus.] Indutus palliolo. Eſt autem palliolũ genus veſtis. Formatur per diminutionem à pallio dictione: videtúrque magis muliebris eſſe, quàm virilis. Iuuenalis:

-Dorida nullo
Cultã palliolo.

Martialis:

Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vocatur. Idem:

Succida palliolo vellera quinq; petit.

Attamen Iuriſconſultus titulo De auro & argẽto legato, numerat palliola inter veſtimenta virilia. A pallio aduerbium fit palliolatim. Plaut. Palliolatim amictus ſic inceſſi ludibundus.

Nouo more.] Cùm id veſtimenti genus vſurpari, nõ ſoleat ab his, qui præſident ſpectaculis.

Togæ virilis die.] Quo ſcilicet togam virilem induit, qui dies eſt tyrocinii: de quo ſuprà diximus áffatim.

Sine ſolenni officio.] Sine pompa, & magnificentia in talibus diebus vſitata.

M.A N. Ara Auguſto dedicata eſt.] Strabo author eſt, ad Araris, & Rhodani confluentem templum ab vniuerſis Gallis communi deſignatum impenſa, ibiq; aram præcipuæ dignitatis titulo ſexaginta gentiũ inſcriptã.

Fratre maiore.] Germanico.

Adoptato.] A Tyberio Auguſti iuſſu.

Hebetato.] Imbecilliore facto.

Progreſſa ætate.] Aetate iam adulta.

Poſt tutelam receptã.] Poſtquam ſub tutore eſſe deſiit.

Pædagogo.] Ductore, cuſtode, moderatore.

Barbarum.] Et idcirco inhumanũ, & intractabilẽ.

Iumentarium.] Qui iumenta egiſſet.

Eandẽ valetudinẽ.] Corporis, & animi imbecillitatẽ.

Palliolatus.] Palliolo amictus, vt parũ mentis cõpos: erat enim pallium nõ patrius, ſed peregrinus habitus.

Nouo more.] Nouo exemplo: cùm nemo antè tali habitu ludis præſediſſet.

Solenni.] Legitimo, & conſueto.

Experimenta.] Noua opuſcula.

Publicauit.] In apertum retulit, edidit.

Verùm ne sic quidem quicquam dignitatis assequi, aut spem de se commodiorem in posterum facere potuit. Mater Antonia portentum eum hominis dictitabat, nec absolutum à Natura, sed tantùm inchoatum: ac si quem socordiæ argueret, stultiorem aiebat filio suo Claudio. Auia Augusta pro despectissimo semper habuit, non affari, nisi rarissimè, non monere, nisi acerbo, & breui scripto, aut per internuntios solita. Soror Liuilla quum audisset quandoque imperaturum, tam iniquam, & tam indignam sortem populo Romano palàm, & clarè detestata est. Nam & auunculus maior Augustus quid de eo in vtranque partem opinatus sit, quò certiùs cognoscatur, capita ex ipsius epistolis posui.

Epistolæ Augusti ad Liuiam de testimonio Claudij. IIII.

Collocutus sum cum Tyberio, vt mandasti, mea Liuia, quid nepoti tuo Tyberio faciundum esset ludis Martialibus. Consentit autem vterque nostrûm, semel nobis esse statuendum, quod consiliũ in illo sequamur. Nam si est ἄρτιος, & (vt ita dicam) ὁλόκληρος, quid est quod dubitemus, quin per eosdē articulos, & gradus perducēdus sit, per quos frater eius perductus

PHIL. Quicquam dignitatis.] Per experimenta, publicationémque liberalium disciplinarũ, quæ ornamenta & dignitatem maximam mortalibus identidem conciliare consueuerunt. Scribit Tacitus, neminē priscis temporibus magnam potentiam sine eloquētia consecutum. Idem testis est, veteres Romanos sibi ipsi persuasisse, neminē sine eloquentia aut assequi posse in ciuitate, aut tueri cōspicuum & eminentem locum. Claudius tamen adeò erat per valetudinē hebes, & socors, vt nec quidē per eruditionem assequeretur vllam dignitatē: fortassis quia in Imperatore, & in eo, qui imperaturus est, aliud quæritur, quàm literatura. Portentum.] Vt nō tam portentosus videretur, quàm ipsum portentum.

Absolutum.] Perfectum. Absoluere enim interdũ significat perficere. Hinc ille iocus est Augusti Cæsaris, qui cùm multi Seuero Cassio accusatore absoluerētur, & architectus fori ipsius expectationem operis diu traheret, ita iocatus est: Vellem & Cassius meum forum accusasset.

Socordiæ argueret.] Stoltitiæ accusaret. vetus est & Latina locutio. Plautus: Eccum video, qui me miseram arguit stupri, dedecoris. Socordiā pro ignauia posuerunt. Cato pro stultitia posuit, tanquam per compositionem, sine corde significet.

Stultiorem Claudio.] Tanquam Claudius exemplum esset vnicum absolutæ, consummatæq; stultitiæ.

Augusta.] Liuia Drusilla, quæ Augustæ cognomento decorata est post Augusti matrimonium.

Despectissimo.] Vilissimo, contemptissimo, despicatissimo. Aut per internuntios.] Tanquam fastidiret cum nepote stulto consociare sermonem.

Audisset.] A mathematicis.

Tam indignam sortem.] Quòd essent futuri sub Imperio fatui, & insipientis.

Detestata.] Execrata. Dolebat enim, quòd populus Romanus futurus esset sub Imperio principis tam fatui, támque socordis. Detestatio apud Iurisconsultos significat denuntiationem factam cum testatione.

Auunculus maior.] Suprà diximus, auunculum maiorem, siue magnum, dici auiæ maternæ fratrem, qui est in quarto affinitatis gradu ex transuerso: vt scribunt Iurisconsulti. Augustus auunculus maior erat Claudii, quum frater esset Octauiæ, ex qua nata erat Antonia Claudii mater.

In vtranque partem.] Et laudationis, & vituperationis. Capita.] Vulgò dicimus capitula.

Collocutus sum.] Verba sunt ex epistolis Augusti ad vxorem Liuiam.

Nepoti tuo Tyberio.] Hũc Claudium significat, qui appellatus est Tyberius Claudius Drusus.

Martialibus.] In honorem Martis Romanorum Dei celebratis. Et de Saliaribus videtur intelligendum: vel ludi Martiales signantur, quos Augustus peculiariter instituerit in honorem Martis Vltoris: de quo dictum est in secundo Commentario.

Vterque nostrûm.] Ego, & Tyberius Liuiæ filius.

Ἄρτιος.] Græcè dicitur integer.

Et ὁλόκληρος.] Totus perfectus, & integer. Sensus est Augusti: Si Claudius est integris sensibus, & validus animo, & corpore, nihil esse dubitandum, quin perducendus sit ad gloriam iisdem gradibus, per quos Germanicus frater fuerat perductus.

M. A N. Ne sic quidem.] Quanquam variarum disciplinarum præ se ferret cognitionem.

Dignitatis.] In Republica administranda.

Portentum hominis.] Portentosum hominem.

Socordiæ.] Ignauiæ. Auia Augusta.] Liuia Drusi mater. Audiuisset.] Ex mathematico aliquo, seu aruspice, seu coniectore. Detestata.] Auersata.

Auunculus maior.] Siquidem minor Antonia Claudii mater, ex Antonio triumuiro, & Octauia Augusti sorore nata est: ergo Augustus maior auunculus, quia maternæ auiæ frater.

In vtranque partem.] Bonam scilicet, & malam.

Cum Tyberio.] Filio tuo.

Nepoti.] Tyberio Claudio: nam Tyberius Claudius Drusus ab initio nominatus est.

Consentit autem vterque nostrûm.] Ambobus conuenit. In illo.] Claudio. Ἄρτιος.] Integer. ὁλόκληρος.] Totus perfectus.

Articulos.] Temporum momenta, & opportunitates. Terentius:

Vide vt in ipso articulo oppressit.

Ἔλεγ

sit : Sin autem ἐλαττῶσθαι sentimus eum, καὶ βεβλάφθαι, καὶ εἰς τὴν τοῦ σώματος, καὶ εἰς τὴν τῆς ψυχῆς ἀρτιότητα, præbenda materia deridendi & illum,& nos nõ est hominibus, τὰ τοιαῦτα κώπτειν καὶ μυκτηρίζειν εἰωθόσιν. Nam semper æstuabimus, si de singulis articulis temporum deliberabimus: μὴ προϋποκείμενον ἡμῖν, posse arbitremur eum gerere honores, nécne. In præsentia tamen quibus de rebus consulis, curare eum ludis Martialibus triclinium sacerdotum, non displicet nobis, si est passurus, se ab Syllani filio, homine sibi affini, admoneri, ne quid faciat, quod conspici, & derideri possit. Spectare eum Circenses ex puluinari, non placet nobis. Expositus enim in prima fronte spectaculorum conspicietur. In Albanum mõtem ire eum, non placet nobis, aut esse Romæ Latinarum diebus. Cur enim non præficitur vrbi, si potest fratrem suum sequi in montem? Habes nostras, mea Liuia, sententias, quibus placet semel de tota re aliquid constitui, ne semper inter spem & metum fluctuemus. Licebit autem, si voles,

PHIL. Ἐλαττῶσθαι.] Id est, minui & hebetari: siue ἐλαττωθῆ, hoc est errare.

Βεβλάφθαι.] Græca sunt verba, quorum est ad verbum interpretamentum: nocumento affectum esse, circa corporis,& animæ integritatem.

Τὰ τοιαῦτα σκώπτειν.] Id est, talia deridere & subsannare solitis.

Aestuabimus.] Agitabimur, vexabimur anxietate, & curis. Horatius: Aestuat, & vitæ disconuenit ordine toto. Translatio sumpta à fluctibus maris æstuátis.

Articulis.] Momentis.

Μὴ προϋποκείμενον.] Id est, ne subiacentem nobis.

Consulis.] Cõsultas, inquiris.

Triclinium sacerdotum.] Hoc propter Salios dictum existimo, qui erant sacerdotes dicati Marti: & soliti erant celebratis ludis lautissimas cœnas conficere. Vnde, authore Porphyrione, est in prouerbio, Saliares cœnas, dicere opiparas,& copiosas. Apuleius: Saliares se cœnasse cœnas crederet. Prætereà cœnæ põtificum epulis exquisitissimis erant instructissimæ. Macrobius pontificum cœnam memorat, in qua triclinia lectis eburneis strata fuisse, in quibus pontifices cubuerunt,& edulia esculentiora multifaria fuisse testatur. Curare autem tricliniũ is dicitur, qui præest triclinio, vt omnia diligenter in cœna appareãtur: Græco vocabulo vocatur ἀρχιτρίκλινος,& συμποσιάρχης.

Admoneri.] Tanquam à rectore,& magistro.

Sibi affini.] Infrà scribet Tranquillus, Appium Syllanum fuisse consocerum Claudii. Præterea fuit M. Syllanus nepos neptis diui Augusti.

Ex puluinari.] Tanquam ex loco religioso,& nobiliori. De puluinari suprà diximus non pauca.

In prima fronte.] Ex hoc colligitur, eũ, qui spectabat ludos ex puluinari, fuisse inter cæteros conspicabilem, vtpote in primis ac honorationibus spectaculis sedẽtem. Igitur cùm in talibus locis nõ sint collocãdi homines fatuitate, aliáve qua labe monstrabiles, meritò noluit Augustus Claudium, vtpote fatuum, atque ridiculosum, spectare ex loco conspicuo,& eminentiori: ne esset causa risus spectatoribus.

In Albanum montem.] Vbi in honorem Iouis Latialis fiebat sacrum: & per Latinas ferias omnes Latini populi carnem accipere soliti erant. Historia traditur à Dyonisio in quarto.

Præficitur vrbi.] Quasi dicat: Potest præfectus vrbi, quæ dignitas amplissima est, constitui, si idoneus est ad celebrandas Latinas ferias in Albano monte cum fratre Germanico.

In montem.] Scilicet Albanum: vbi Consules soliti erant sacrum facere Ioui Latiali. Ex quo intelligimus, Augustum hæc scripsisse eo tempore, quo Consul erat Germanicus Claudii frater: qui quum esset facturus in monte solenne sacrum indictis Latinis feriis, quærebat Liuia ab Augusto, an vnà mittendus esset Claudius cum Germanico fratre Consule.

Inter spem,& metũ.] Inter duas contrarias affectiones. Est enim spes, opinatio boni futuri: metus verò futuri mali. Tale est illud Maronianum:

Spémque metúmque inter dubii.

Fluctuemus.] Instar fluctuum agitemur. iuxta illud:

Magno curarũ fluctuat æstu.

M.AN. Eum &c.] Sic enim legendũ, non cum etiam, vt cæteri habent: aliter enim ordo non procedit.

Βεβλάφθαι, καὶ εἰς τὴν τοῦ σώματος, καὶ εἰς τὴν τῆς ψυχῆς ἀρτιότητα.] Id est, offensus est circa animi, & corporis integritatem.

Τὰ τοιαῦτα σκώπτειν,&c.] Hæc cauillari,& ridere consueris.

Aestuabimus.] Soliciti,& anxii erimus,& præ pudore feruebimus.

Articulis temporũ.] Quoties aliquid erit agendũ.

Μὴ προϋποκείμενον.] Præsubiectum nobis.

Posse arbitremur.] Totius consultationis ratio, vtrum quem talem haberent, putandum esset, posse nécne gerere honores.

Consulis.] Petis à me consilium.

Ludis Martialibus.] Quos, credo, Augustus in dedicatione templi Martis Vltoris celebrauit.

Ab Syluani filio.] Syllani potiùs legerim: nam & M. Syllani filia Claudilla dicta est, quod nomen arguit Syllanæ familiæ,& Claudiæ affinitatem.

Puluinari.] Quid puluinar esset, diximus.

In prima fronte.] Vnde ab omnibus possit cõspici.

Latinarum diebus.] Latinis feriis.

Cur non præficitur vrbi.] Sensus est: Si talis habendus est, vt sine maiore nostro rubore cum fratre Albam sacrorum causa venire possit, non video qua ratione non etiam ciuitati eum præficere possimus: absentibus enim magistratibus, qui ciuitati per eos dies præesset, creabatur. Pomponius Iureconsultus, Quoties, inquit, Reipublicæ magistratus proficiscuntur, vnus relinquitur, qui ius dicat, qui præfectus olim constituebatur: posteà Latinarum feriarum causa introductus est,& quotannis obseruatur.

De tota re.] De tota Claudii vita,& institutione.

Fluctuemus.] In motu,& solicitudine simus.

Antoniæ quoque nostræ des hanc partem epistolæ huius legendam. Rursus alteris literis: Tyberiũ adolescentem ego verò, dum tu aberis, quotidie inuitabo ad cœnam, ne solus cœnet cum suo Sulpitio, & Athenodoro: qui vellem diligentiùs, & minùs μετεώρως deligeret sibi aliquem, cuius motum, & habitum, & incessum imitaretur misellus:

Ἀτυχεῖ πάνυ ἐν τοῖσι σπουδαίοις χίαν. Vbi non aberrauit eius animus, satis apparet ἡ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ εὐγένεια. Item tertiis literis: Tyberium nepotem tuum placere mihi declamantem potuisse, peream, nisi, mea Liuia, admiror. Nam qui tam ἀσαφῶς loquatur, quî possit, quum declamat, σαφῶς dicere quæ dicenda sunt, non video. Nec dubium est, quin post hæc Augustus constituerit, & reliquerit eum, nullo, præter auguralis sacerdotii, honore impertitum: ac ne hæredem quidem, nisi inter tertios, ac penè extraneos, & parte sexta nuncuparet, legatóque non ampliùs quàm octingentorum sestertiorum prosequutus.

Honor Consulatus eidem per Tyberium negatus, & successus eius. V.

Tyberius patruus petenti honores, consularia ornamenta detulit. Sed instantiùs legitimos flagitanti, id solùm codicillis re-

PHIL. Antoniæ.] Matri scilicet ipsius Claudii.

Tyberium adolescentem.] Claudium scilicet Tyberium appellatum.

Cum suo Sulpitio, & Athenodoro.] Hos inutiles, & minùs idoneos fuisse significat ad Claudium excolendum, & virtutibus expoliendum, sed potiùs accommodatos ad corrũpendum. Trahuntur à conuersantibus mores, vt inquit Seneca: &, vt author est Aristoteles, qui iusto, temperantique se deuinxerit, melior euadet. Si itaque vis exui vitiis, longè à vitiorum exemplis recedendum est. Corruptor, fraudulentus, circunscriptor, aleator, asotus, explodendi, eliminandique sunt: cùm vel solo tactu, & visu nocituri sint. Viue cum Catonibus, viue cum Læliis, versare cum probatis, dege cum literatis, quorum cõuersatio tibi futura est & ornamẽto, & emolumento. Nam sicut ille, qui in sole ambulat, coloratur: sic qui conuiuit cum bonis, colore bonitatis inspergitur. Carendũ est non solùm crimine turpitudinis, sed etiam suspicione, quæ de nobis exoriri solet, quum inter malos versamur, quanquam impoliti, incorruptive. Verùm, vt ait Cyprianus, nemo est satis tutus periculo proximus.

Minus μετέωρος.] Id est, minus subleuatus, minúsq; stolidus: nam Græci μετέωρον sublimem vocãt: inde Meteora Aristotelis, & Alberti Magni: quæ, corrupto vocabulo, vulgus semidoctũ appellat Metaura. In his enim de rebus sublimibus tractatur.

Ἀτυχεῖ.] Id est, infeliciter agit valde nimis inter studiosos.

ἡ τῆς ψυχῆς.] Id est, Satis cernitur animi ipsius generositas. Tyberium.] Claudium scilicet.

Peream.] Verbum est imprecatoriũ. Ita Horatius: Peream malè, si non optimum erat.

Ἀσαφῶς.] Id est, obscurè, & indoctè.

Σαφῶς.] Apertè & nitidè. Est autem sensus, Eum, qui in quotidiano sermone, qui maximè perspicuus esse debet, obscurè loquatur, non credibile est, eundem apertè loqui posse in declamatione, quæ suapte natura artificiosior est, & subobscurior.

Auguralis sacerdotii.] De sacerdotio augurali, & numero augurum, diximus suprà ex authoritate Liuii, quorum numerus erat impar.

Impertitum.] Decoratum, factúmque participem.

Inter tertios.] Tertii hæredes ita secundis substituuntur, sicut secundi primis: vt iam diximus.

Extraneos hæredes.] Qui testatoris iuri non sunt subiecti, extranei appellantur. Itaque liberi quoque nostri, qui in potestate nostra non sunt, hæredes à nobis instituti, extranei hæredes dicuntur: seruus quoque à domino institutus, extraneorũ numero habetur. Scribunt Iurisconsulti, extraneis hæredibus deliberandi potestatẽ esse de adeunda hæreditate, vel non adeunda.

Parte sexta.] Ex Sextante.

Legato.] Inter legatarios Augusti fuit Claudius, sed in legato haudquaquam opulento, & opimo.

Tyberius.] Qui princeps fuit post Augustum, frater Drusi, & ita patruus Claudii.

Legitimos.] Scilicet honores. Aliud est Consulatum gerere, aliud ornamenta Consularia impetrare: cùm Cõsulatus sit legitimus honos, & magistratus: Consularia verò ornamenta per indulgentiam principis etiam illis dentur, qui nunquam ad Consulatum aspirauerunt: sicut insignia quæstoria, & ornamẽta prætoria decreta Narcisso, & Crispino fuisse legimus.

M. A N. Antoniæ quoque nostræ.] Claudii matri.

Μετέωρος.] Suspensus. Misellus.] Claudius.

Ἀτυχεῖ &c.] Infeliciter ita valde inter studiosos agit omnino insanum, intellige vt ille. ἡ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ εὐγένεια.] Animæ eius generositas. Tertiis literis.] Ad eandem Liuiam. Tyberium.] Claudiũ subaudi.

Ἀσαφῶς.] Perplexè, & obscurè.

Σαφῶς.] Perspicuè.

Constituerit.] Quasi dicat, illum nullo maiore præditum honore relinquere.

Inter tertios.] Qui secundis hæredibus substituebantur: quippe quibus nulla penè spes erat hæreditatem aliquando adeundi.

Parte sexta.] Solo sextante, qui ex duodecim bonorum partibus duas habet.

Patruus.] Drusi, qui Claudium genuit, frater.

Legitimos honores.] Non imaginarios, vt erat, triumphalia dedisse ornamenta: sed publica munera obeunda. Id solùm.] Ad ea scilicet, quæ petebãtur, munuscula se mittere: vt puero, & huic, qui adhuc parũ saperet, rescripsit.

scripsit quadraginta aureos in Saturnalia, & sigillaria misisse ei. Tunc demum, abiecta spe dignitatis, ad otium concessit, modò in hortis, & suburbano, modò in Campaniæ secessu delitescens, atque ex contubernio sordidissimorum hominum super veterem segnitiæ notam, ebrietatis, & aleæ quoque infamiam subiit.

Gratia, & fauor eius apud homines. VI.

QVum interim (quanquam hoc modo agenti) nunquam aut officium hominum, aut reuerentia publica defuit. Equester ordo bis patronum eum perferendæ pro se legationis elegit: semel cùm deportandum Romam corpus Augusti humeris suis à Consulibus exposcerent: iterum cùm post oppressum Seianum apud eosdem gratularentur. Quin & specta-

PHIL. IN Saturnalia, & sigillaria.] Ad celebrandam Saturnaliorum, & sigillariorum festiuitatem. Sciendum est autem, sigillariorum celebritatem adiectam esse Saturnalibus, & ita in septem dies propagatam fuisse lætitiã Saturnalitiam: cùm priùs Saturnalia quinque tantùm dierũ numero terminarentur. Hinc Martialis Saturnaliorum dies modò quinque nominat, modò septem. Sic enim ait:

Septẽ Saturni veniat ante dies.

Scribit Macrobius, sigillaria lusum præbere reptãti adhuc infantiæ oscillis fictilibus. Illis enim diebus sigilla, hoc est, parua simulacra fingebantur, ac venalia parabantur: quæ homines pro suis capitibus offerre solebant in sacellũ Diris, aræ Saturni cohærẽs: ideo Saturnalibus talium commerciorum celebritas cœpta sæpẽ occupat dies, qui erant feriati. Sicut autem Saturnalibus cerei missitabantur, ita in sigillaribus sigilla, quæ arte fictili fingebantur: totóque hoc tempore alea impunè exercebatur. Et sicut Saturnalitia munera appellarunt, quæ Saturnalibus missitabantur, ita sigillariciã vocauerũt, quæ in sigillaribus mittebantur. Spartianus: Saturnalitia, & sigillaritia frequenter amicis inopinantibus misit Adrianus Imperator, & ab his libenter accepit, & alia inuicem dedit. Sigillaria dicimus dies ipsos, atque festiuitatem, sicut Saturnalia: & ita in hoc loco accipitur. Prætereà sigillaria dici locum ipsum, In quo sigilla fingebãt, & venalia proponebantur, testis est Gellius, qui sic ait in quinto: Apud sigillaria forte in libraria ego, & L. Paulus poeta, vir memoria nostra doctissimus, cõsederamus. Obseruauimus, mentionem fieri de sigillaribus apud Iuriscõsultos in hoc significatu, videlicet pro loco in vrbe Roma, in quo non solùm sigilla, sed etiam vasa venalia proponebantur. Sic enim ait Scæuola libro de legatis tertio: Paterfamilias ita legauit: Lances duas leues, quas de sigillaribus emi, dari volo. Is de sigillaribus leues quidem non emerat, lances autẽ emptas habebat. Quàm friuola, quàm futilis, quàm ridicula, Deus bone, est Accursii interpretatio, qui sigillaria exponit pro genere vasorum: mox, tanquam aliquid luculentius excogitasset, ait esse genus venditorũ. Est'ne hoc interpretari leges, an inquinare? Talia interpretamenta candidatos legũ inficiunt haud dubiè, non instituunt: quæ nescire melius est, cùm sint dedocenda potiùs, quàm docẽda. Habet tamẽ hic egregius enarrator sectatores non paucos, adeò addictos, vt nefas esse existiment, piaculúmq; cõmitti, si vel vnguẽ latũ ab ipsius interpretatione discesserint: tanquam vnus, & vnicus sub omni cælo sit iuris ciuilis illustrator: qui non tantũ cutem, sed sanguinẽ, & medullã legum possit eruere. Pecunias autem, vt ad rem redeamus, in sigillaria dari solitas docet Spartianus, cùm de Antonio Caracalla scribẽs ait: Quæ à parentibus gratia sigillariorũ acceperat, ea vel clientibus, vel magistris sponte donauit. Id munus sigillaricium dicebatur. Seneca libro primo Epistolarũ: Ego sum Felicio, cui solebas sigillaritia afferre. Mẽdosi codices habent sigillaria. Flauius Vopiscus tradit, Aurelianum instituisse vxori, & filiæ annuum sigillaricium.

Ex contubernio sordidissimorum.] Scribit Hieronymus, dominarũ mores sæpe ex ancillarum moribus iudicari: ita qui cum sordidis, & aleatoribus viuit, inter sordidatos, & aleones numerari solet. Quærit Aristoteles in Problematis, cur qui iusto & temperanti, & bono viro se iunxerit, melior in his bonis animi euadet: qui verò cũ sano traxerit morã, nihilò fiet robustior: quia scilicet bona corporis animo imitari non possumus, bona autem animi possumus. Claudius igitur dũ versatur cũ ebriosis, & aleatoribus, infamatus est.

Super segnitiæ notam, & sugillationem.] Tanquam & ipse ebrietati indulgeret, & aleæ.

Bis patronum.] Vt patrocinium susciperet ordinis Equestris in legatione perferenda: tanquam idoneus esset, qui fieret orator impetrabilis.

Deportandum corpus Augusti.] Decuriones municipiorum, & coloniarum à Nola Bouillas vsque deportauerunt corpus Augusti: à Bouillis Equester ordo suscepit, vrbique intulit, atq; in vestibulo domus eius collocauit: Claudius nomine Equestris ordinis hanc peregit legationem apud Senatum, vt scilicet ordini Equestri deportatio Corporis Augusti demandaretur. Iterum.] Scilicet patronum Claudium elegit ordo Equester.

Apud eosdem.] Scilicet Senatores. Latinè & elegãter dicimus, tibi gratulor victoriam. Plaut. in Captiuis: Vbi quisquã videt, eunt obuiã, gratulantúrq; eã rem.

M. AN. IN Saturnalia.] Ad Saturnaliorum luxum.

Et sigillaria.] Quæ Saturnalibus dono mittebantur. Spartia. Saturnalitia, & sigillaritia frequẽter amicis inopinantibus misit. Dabatur autem in primis pueris, quod idem author alibi demonstrat. Quæ à parentibus sigillariorum gratia acceperat, id vel clientibus, vel magistris sponte donauit. Erant itaque sigillaria paruæ imagines fictilibus descriptæ, à signis dicta. Martialis In Apophoretis:

Gloria tam parui non est obscura sigilli. Et rursus:

Sum fragilis, sed tu, moneo, ne sperne sigillum.

Modò domo.] Vsitatiùs domi.

Super veterem notam.] Segnitiæ, & ignauiæ infamiam.

Aleæ.] Lusus.

Patronum.] vt suam ad Consules causam ageret.

Oppressum Seianum gratularentur.] Sic Liuius: Vt victoriam Philippus ipsi, populóque Romano gratularetur.

culis aduenienti assurgere, & lacernas deponere solebant. Senatus quoque, vt ad numerum sodalium Augustalium sorte ductorum extra ordinem adiiceretur, censuit: & mox vt domus ei, quam incendio amiserat, publica impensa restitueretur, dicendæque inter Consulares sententiæ ius esset. Quod decretum abolitum est, excusante Tyberio imbecillitatem eius, ac damnũ liberalitate sua resarturum pollicente. Qui tamen moriens, & in tertiis hæredibus eum ex parte tertia nũcupatum, legato etiam circa sestertiûm vicies prosequutus, commendauit insuper exercitibus, Senatui, populóque Romano inter cæteras necessitudines nominatim.

Consulatus eius, & gesta per eum. VII.



SVb Caio demum fratris filio secundam existimationẽ circa initia Imperii omnibus lenociniis colligẽte, honores auspica-

PHIL. SOlebant.] Sensus est: Equester ordo in honorem Claudii solitus erat lacernas deponere in spectaculis, vti scilicet togati, non lacernati vnà cum ipso Claudio spectarent. Depositio enim lacernarũ signum erat venerationis, quũ id vestimẽti genus in spectaculis vsurparetur: de quo suprà copiose diximus. Prætereà in Augusto explicatũ est, quemadmodũ princeps noluit quempiam nisi positis lacernis rogatum cõsistere in Circensibus spectaculis.

Sodalium Augustaliũ.] Tyberius Cæsar Iuliæ genti sacrauit sacerdotes, qui dicti sunt sodales Augustales: sicut olim tale sacerdotium Romulus Tatio regi' sacrauerat: author Cornel. Tacitus lib. x VIII. Præterea legimus, Imperatoribus defunctis sacratos fuisse sacerdotes, qui sodales cognominati sunt à nomine illius, cui dicabantur. Hinc ait Iulius Capitolinus Antonino Pio sacratos fuisse sodales cognominatos Antoninianos. Idem sodales Antoninianos M. Antonino Imperatori datos fuisse tradit. Spartianus quoque prodidit, Flaminem, & sodales Heluianos sacratos fuisse Heluio Pertinaci. Infrà dicet Tranquillus Galbam inter sodales Augustales fuisse cooptatum: sodales autẽ generali vocabulo ab eo dicti, quòd vnà sederent, & essent, hoc est epularentur: vel quòd, vt interpretatur Augustinus, nuncupantur simul edales, eò quòd simul edant. Hinc sodalitates institutæ, quas Cato senior apud Ciceronem se iuuene cœptas esse testatur. Caius Iurisconsultus titulo De collegiis, ait sodales esse, qui eiusdem collegii sint, qui multùm simul habitantes sunt. Mandatis principalibus præcipitur præsidibus prouinciarum, ne patiantur esse sodalitia, tanquam collegia sint illicita.

Sorte ductorum.] Sensus est: Cùm per sortitionem sodales Augustales eligerentur, voluit Senatus, vt Claudius, honoris causa, quasi extraordinarius legitimo numero adiungeretur.

Publica impensa.] Memoriæ proditum est à scriptoribus luculentis, honorem hunc quàm paucissimis contigisse, vt impensa illis publica domus exædificaretur. Nam Valerio Maximo inter alios honores domus publicè fuit ædificata in Palatio. Præterea Ciceroni domum pecunia publica ædificatam fuisse testatur Asconius: & ipsemet Cicero sæpe gloriatus est.

Inter Consulares.] In Senatu Romano in dicenda sententia primi rogabantur Consulares, vel inter primos. Vnde ait Gellius, obseruatum fuisse, ne quis quẽquam ex alio, quàm ex Consulari loco, sententiam primùm rogaret: cùm id extra ordinem fieret. Claudio id honoris concessum est, vt sententiam in Senatu dicere posset inter Consulares: hoc est eos, qui iam fuerãt Consules: quamuis ipse nondum ad Consulatũ peruenisset.

Decretum.] De restituenda scilicet domo Claudii publico sumptu, & de dicenda inter Consulares sententia. Imbecillitatem.] Hoc ad sententiam dicendam referendũ est.

Damnum resarturum.] Hoc ad domum incendio absumptam referendum. Resarturum autem dixit, quasi compensaturum.

In tertiis hæredibus.] Quemadmodum secũdi hæredes dicuntur instituto hæredi substituti, ita secundis hæredibus tertii hæredes substituũtur: &, vt aiunt Iurisconsulti, potest quis in testamento suo plures facere gradus hæredum: vt puta, si ille hæres non erit, ille hæres esto: & deinceps in quantum velit testator, substituere potest.

Ex parte tertia.] Ex triente.

Legato.] Inde legatarius dictus, qui legata consequitur.

Cæteras necessitudines.] Necessarios, & cognatos.

Nominatim.] Nuncupatim. Verbum est Iurisconsultorum. Nanque libro XXVIII. Digestorum, titulo De liberis & posthumis, sic inquit Vlpianus: Quid sit nominatim exhæredari, videamus: nomen, & prænomen, & cognomen eius dicendum est, an sufficit vnum ex his: & constat sufficere.

Sub Caio.] Caligula.

Secundam existimationem.] Fauorabile, & plenum benignitatis nomen.

Lenociniis.] Blanditiis, & illectamentis.

Colligente.] Aucupante.

Honores auspicatus.] Magistratus incipiens.

M.A N. SPectaculis.] Inter spectandum.

Aduenienti.] Theatrum ingredienti.

Lacernas deponerent.] Aut quà transiturus esset substernerent: aut certè, vt nũc, aperto capite superiorẽ alioqui officii gratia excipimus, ita illi positis lacernis: sed neutrum, quod sciam, legere est. Quidam lucernas legunt: sed quid sibi velint, non video.

Sodalium Augustalium.] Flamines sodales, & tẽpla sunt Cæsaribus quibusdam post mortem decreta. Capitolinus, Vnde, inquit, ei templum constructum, dati sacerdotes Antoniniani, & sodales, & flamines, & omnia, quæ de sacratis decreuit antiquitas.

Damnum.] Cladem illam parum sanæ mentis, concussique morbo corporis: aut certè ignominiam, quòd author eius decreti abolendi fuisset.

Resarturum.] Suppleturum.

Necessitudines.] Necessarios.

Nominatim.] Nomine Claudii expresso.

Vnà

tus, consulatum gessit vnà per duos menses. Euenítque vt primitus ingredienti cum fascibus forum, præteruolans aquila dexteriore humero cõsideret. Sortitus est & de altero Consulatu in quartum annum. Præseditque nonnunquam spectaculis in Caii vicem, acclamãte populo, Feliciter, partim patruo Imperatoris, partim Germanici fratri.

Contumeliæ eidem per ludum illatæ. VIII.

NEc eò minùs cõtumeliis obnoxius vixit. Nam etsi paulò seriùs ad prædictam cœnæ horam occurrisset, nõ nisi ægrè, & circuito demũ triclinio, recipiebatur. Et quoties post cibum obdormisceret, (quod ei ferè accidebat) olearum, ac palmularum ossibus incessebatur: interdum ferula, flagróve, velut per ludum, excitabatur à tropeis. Solebant & manibus stertentis socci induci: vt repentè expergefactus faciem sibi confricaret.

PHIL. Secundam existimationem.] Benignitatis, & clemẽtiæ opinionem. Omnibus lenociniis.] Blandimentis. Colligente.] Captante.

Auspicatus.] Ritè occœpit.

VNà.] Cum Caligula Cæsare.

Ingredienti cum fascibus.] In Iulio Cæsare denarrauimus quemadmodum fasces primi mensis Consul somebat ille prior, qui erat maior natu, pluresque liberos, quàm collega, habebat: igitur ob ætaté fasces sumendi Claudio potestas facta est à Caio Cæsare.

Aquila.] Scribit Seneca libro secundo Quæstionũ naturalium, aquilæ hunc honorem datum fuisse, vt magnarum rerum faceret auspicia: &, vt aothor est Seruius, minora aoguria maioribus cedunt, nec vllarum sunt viriũ, licet priora sint. Hinc auguria corui, cornicis, & colũbarum, superueniẽte aquila, abolentor: sicut quicquid aquilæ portenderunt, interuentus fulminis tollit. Dexteriore.] Non omnes aues ab eadem parte ratum faciunt auspicium: sed sicut à sinistra cornix, & picus faciunt ratum, sic à dextera coruus & aquila. Hinc illud Plaotioum ex Asinaria: Picus, & cornix est ab læua: coruos porrò ab dextra consoader. Apud Liuium, & Diooysium legimus, quemadmodum aquila auspicium fecit regni Tarquinio Prisco Romam commigranti.

Io quartum aonum.] Hoc est, vt post primum Consulatum quarto demum anno iniret secundum.

Præsedit.] Veluti præpositus, & agonotheta.

Partim patruo.] Hæ duæ populares acclamationes felicitatem porteodebant Claudio, qoibus modò patruus Imperatoris Caligulæ acclamabatur, modò Germanici frater.

Obnoxius.] Subiectus.

Aegrè.] Difficulter.

Triclinio.] Lecto discubitorio.

Recipiebatur.] A conuictoribus, & discumbentibus. Incessebatur.] Percutiebatur, impetebatur. Hac tempestate pueri officulis cerasorum, quæ digitis exprimunt, iocessere homines ludibrii causa consueuerunt. Scribit Porphyrio Horatianus interpres, solere amantes duobus primis digitis compressare pomorum semina, eáque mittere in cameram, veluti auguriũ, vt si cameram contigerint, sperare possint ad effectum perduci, quod animo conceperunt.

Post cibum obdormisceret.] Scribit Aristoteles, somnum à cerebro proficisci, qui maximè cibum subsequi consueuit. Vnde ait Lucretius io quarto:

Deinde cibom sequitur somnus: qoia quæ facit aer,
Hæc eadem cibus in venas dum diditur omnis
Efficit: & multò sopor ille grauissimus extat,
Quem satur, aut lassus captas.

Claudius obdormiscens io mensa, ludibrii causa, & coorемptionis incessebatur officulis oliuarum, quæ sunt orbiculata: quæ à Columella sansæ nomioantur, sic scribente in decimotertio. Et qoũ est oliua in sansam redacta, tunc sal coctus, tritúsque manu permiscetor cum cæteris aridis condimentis. Ossa verò palmarum, siue dactylorum, sont oblonga. Plinius lignum appellat: idqoe io plerisque ait esse vmbilicatum: quod est semen ipsarum palmarum: &, vt vtar ipsius Plioii verbis, palmarum aliis breuius lignom in pomo, aliis lõgius, his mollius, illis durius: quibusdã osseum, limatúmque dente contra fascinãtes religione politum: aliud pluribus vestitum, paucioribúsve tunicis: aliud crassioribus, teonioribúsve.

A Capreis.] Quidam exponũt Capreas pro meretricibus. quod sentire ridiculum est. Alii Capreas accipiũt pro iosula, de qua dictum est in Tyberio: tanquam illhic, & non Romæ, tales contumeliæ in Claudium perpetrarentur. Vetustus, & périnde emendatus codex habet à tropeis: quæ lectio mihi in primis placet: vt sit sensus, Claodium obdormiscentem in cõuiuio incessi solitum ossibus olearum, nonnunquam ferula cædi, & ita veluti per iocum excitari à somno per conuiuas: qui statim se cooоerrebant, ne ab ipso Claudio deprehenderentur aothores cootumeliarum: sicut hodie quoqoe sæpe fieri solet, vt qui alterũ vellicat, infestátq; io coouioio, se ipsum auertat dissimulamenti causa. Tales autem dictione Græca τροπῖοι vocantur, quasi versarii. Τρέπω enim Græcè significat verto: & τρέπη versionem. Inde & tropei venti vocantur, cùm è mari redeunt: quorum meminit Plin. in 11. & Aristoteles in Problematis. Interpres Aristotelicus tropeos interpretatus est versarios.

Socci induci.] Calceamenta indoi. Confricaret.] Manibus scilicet calceamento socco inductis.

M. AN. AD dexteram.] Quod adhuc auspicatius fuit.

Partim patruo.] Modò Imperatoris patruum, modò Germanici fratrem appellando.

Contumeliis.] Iniuriis.

Recipiebatur.] A conuiuarum aliquo, loco cedebatur.

Obdormisceret.] Dormire inciperet.

Ferè.] Semper ossibus digitorum compresso excussis per contemptum petebatur.

A Capreis.] Impudicis, & prostitutis. Sic suprà hircum vetulum Capreis naturam ligurire.

Socci.] Socci calceamenti genus, quæ & clauis suffixi, clauati dicebantur.

Discrimina, quæ passus est. IX.

Sed ne discriminibus quidem caruit: primum in ipso Cōsulatu, quod Neronis, & Drusi fratrum Cæsaris statuas segniùs locādas, ponēdásq; curasset, penè honore summotus est. Deinde extraneo, vel etiā domesticorū aliquo deferēte, assiduè, varièq; inquietatus. Quum verò detecta esset Lepidi, & Getulici cōiuratio, missus in Germaniā inter legatos ad gratulandū, etiā vitæ periculū adiit, indignāte, ac fremente Caio patruū potissimùm ad se missum, quasi ad puerū regendū: adeò vt nō defuerint, qui traderent præcipitatum quoq; in flumen, sicut vestitus aduenerat. Atq; ex eo nunquàm nō in Senatu nouissimus cōsularium sententiam dixit, ignominiæ causa post omnes interrogatus. Etiam cognitio falsi testamēti recepta est, in quo & ipse signauerat. Postremò etiam sestertiûm octogies pro introitu noui sacerdotii coactus impendere, ad eas rei familiaris angustias decidit, vt quum obligatam ærario fidem liberare non posset, in vacuum lege prædiatoria venalis pependerit sub edicto præfectorum.

PHIL. Fratrū Cæsaris.] Scilicet Caligulæ. Superiùs enarratū est, quemadmodū Nero, & Drusus fratres Caligulæ à Tyberio perempti fuerunt. Segnius locandas.] Statuæ ponendæ summatibus locabantur: quod cum segnius factū esset à Claudio Cōsule in statuis fratrū Caligulæ Imperatoris, parum abfuit quin à Cōsulatu submoueretur.

Deferente.] Insimulante, accusante in primis apud Caligulā: qui, vt author est Iosep. lib. vndeuigesimo Antiquitatum, studebat Claudiū interficere, & cùm honestas occasiones exquirere nō posset, subornauit Callistū libertū ad calūnias in Claudiū struendas: sed eū Diuinitas à Caii vesania liberauit. Lepidi, & Getulici.] Qui in Caiū Caligulam coniurauerāt. Etenim pluribus cōiurationibus in Caiū Cæsarem conspiratum fuit, sed vna, & altera detectæ fuerunt. In Germaniā.] Vbi erat Caligula, qui expeditionē susceperat aduersus Batauos: & egressus Sueuiā strenuè nihil fecerat: vt ait Eutropius. Ad gratulandum.] Vt gratularetur Caio Reipublicæ nomine ob detectam coniurationem. Interdum gratulari est gratias agere: in quo significatu est illud Scipionis admodum scitum: Censeo relinquamus nebulonem hunc, eamúsque nuoc protinus Ioui Optimo Maximo gratulatum.

Fremente Caio.] Liuius de Annibale ait: Frendēs, fremens geménsq;, ac vix lacrymis temperans, dicitur legatorum verba audisse. Patruum.] Claudium.

Nunquam non.] Semper. Nouissimus Consularium.] Vltimus fuit semper Claudius in dicenda sententia inter eos, qui, sicut ipse, Consulatum gesserant.

Interrogatus.] Scilicet sententiam: nam qui vltimo loco sententiam in Senatu rogari solet, magis ignominiæ causa, quàm dignitatis, rogari videtur.

Et ipse signauerat.] Septem signatores testamento signando adhibendos esse docent Iurisconsulti: si quis verò falsum testamentū signasset, legis Corneliæ pœna tenebatur. Hinc illud Satyricum: Signator falsi.

Pro introitu noui sacerdotii.] Sodalitii scilicet Augustaliū, cui sacerdotio extra ordinē additus est ex decreto Senatus. Lege prædiatoria.] Qua scilicet prædia tam rustica, quàm vrbana venui subiiciūtur. A prædiis enim prædiatoria lex nuncupata: vnde & prædiatores dicti cōsulti, peritiq; iuris ad prædia pertinētis. Scribūt Valerius lib. viii. & Cicero in oratione pro Cor. Balbo, Scæuolam, cùm de iure prædiatorio cōsuleretur, solitum esse consultores suos reiicere ad Furiū, & Caselium prædiatores: cùm assiduus vsus vni rei additus, & ingenium, & artem sæpe superet. In vacuū venalis.] Ea res, quæ venditioni subiicitur, cuius emptor non inuenitur, dicitur pendere venalis in vacuū. Et ita Claudius in vacuū, hoc est, non reperto emptore, pependit venalis sub edicto præfectorū ærarii cui debebat: ideo autem pependit in vacuū, quia nullus emere volebat bona, quæ soluendo non essent. Talis enim erat Claudius, qualis Lyco Plautinus argentarius, qui ait: Si reddo quibus debeo, plus alieni est.

Præfectorum.] Scilicet ærarii. Olim quæstores vrbani præfecturam ærarii administrabant: quam Augustus ad prætorios viros prætorésve traduxit.

M. AN. Locandas.] Opificibus decernendas.

Ponendas.] Publico loco erigendas. Deferente.] Accusante falsis criminibus in eum apud Caligulā grassante. Iosephus Pollucem seruum ait, Caligula annuente, falsis, ac capitalibus criminationibus Claudium incessere aliquandiu perseuerasse. Gratulandum.] Vt publico ei nomine gratularetur. Ad puerum.] Ad se, velut puerum.

Recepta.] Vt cognosceretur. Signauerat.] Ex signatoribus vnus fuerat pro introitu noui sacerdotii, cum augurale sacerdotium adiisset. In vacuum lege prædiatoria.] Sic Cicero pro Cornelio: Etenim si Q. Scæuola ille augur, quum de iure prædiatorio consuleretur, homo iuris peritissimus, cōsultores suos nonnūquam ad Furium & Caselium prædiatores reiiciebat. Hæc Cicero: Quæsiui ego à iurisscientiæ peritissimo quodam, quid esset prædiatoria lege in vacuum pendere, quod Tranquillus presse admodum, & obscure posuisset: tum ille, Veterem, ait, obæratorum ignominiam tangit: siquidem Iureconsultus in Digestis demonstrat eos, qui nō essent soluendo, sublimiore loco altero tantùm pede, & manibus subnixos pendere solitos, per quod argueretur nihil prædiorum, aut fortunarum superesse illis amplius, ne soli quidem tantum, vt in eo plantis consistere possent. Sed ego posteà Digestorum volumina scrutatus locum non reperio, si lectionis insolentia non me fefellit.

Venalis.] Alioqui venalis, quasi dicat, nisi ea ignominia debitoris nomen declinasset, ab ærarii præfectis veniisset, vt ærario illud octogies sestertiûm recuperaretur.

Pependerit.] Sic alibi, Reos, qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependissent.

Initium Imperij Claudij. X.

PEr hæc ac talia maxima ætatis parte trāsacta, quinquagesimo anno Imperiū cepit, quantunuis mirabili casu. Exclusus inter cæteros ab insidiatoribus Caii, quum quasi secretum eo desiderante turbam summouerent, in diætam, cui nomen est Hermæum, recesserat. Neque multò pòst rumore cædis exterritus, prorepsit ad solariū proximū: intérq; prætenta foribus vela se abdidit: latentē discurrēs fortè gregarius miles animaduersis pedibus è studio sciscitādi quisnā esset, agnouit: extractúmq;, & præ metu

PHIL. EO desiderante.] Scilicet Caligula: qui cùm esset intra regalia, rectum dimisit iter, deflectens ad locum angustum, vbi inspecturus erat pueros arti scenicæ præparatos.

Diætam.] Diæta significat cœnationem, siue locum in domo, in quo habitamus. A diæta diætarii dicti ministri diætæ deseruiētes: quorum meminit Vlpianus titulo De fundo instructo, in l. quæsitum. apud eosdem Iurisconsultos titulo De extraordinariis criminibus, legimus diætarios appellari eos, qui in aliena cœnacula se dirigunt furandi animo: quos plusquā fures puniendos esse docet Vlpianus. Corrigēda est obiter mendosa dictio apud eosdem Iurisconsultos titulo De effractoribus, in l. saccularii. vbi sic scriptum est: Simili modo & saccularii, & derrectarii erunt puniendi. Tu pro derrectarii, emenda diætarii: accipéque pro his, qui in diætis furantur: de quibus ait Papinius in II. Syluarum:

Vna tamen cūctis procul eminet, vna diætis. Dicitur diæta à verbo Græco διαιτάομαι, quod significat viuo, & versor. In his enim cœnaculis viuimus, & versamur: vnde etiam diæta nominatur victus, & medicinæ pars diætetica nuncupata, quæ victu medetur. Est enim medicina in treis partes diducta: in diæteticam, quæ victu: in pharmaceuticam, quæ medicamentis: in chirurgicam, quæ manu morbos curat. De diæta sic scribit Scæuola Iurisconsultus lib. III. de Legatis: Liberto meo ex domo mea, quā libertis meis dedi, diætā, in qua habitaui. Idem: Cellariū iuoctū eidem diætæ ab hærede meo ei concedi volo. Diætā Sidonius interpretari videtur cœnariunculā esse, cùm ait in Epistolis: Ex triclinio fit in diætam, siue cœnatiunculam transitus. Leges apud Plinium sæpe zetā & zetecula nominari, quæ diætæ, & diæticulæ elegantiùs dicerentur: quòd si codices Plinianos sine mendis haberemus, talis, opinor, lectio facile appareret. Est enim quædam cognatio inter D, & Z, vt odor, ὄζω: Medentius, Mezētius. Fortassis ita diæta, & ziæta fieri potuit: quæ mox per contractionem zæta dicta est. Hermæum.] Soliti erāt veteres indere nomina cœnationibus, & cubiculis à nominibus deorum: sicut Lucullus triclinium habebat nomine Apollinē, in quo lautiores cœnas parare solebat: vnde illud celeberrimum est, Cœnabitur in Apolline. Sic & Hermæū, ab Herme, id est Mercurio dictū existimamus. Alexander Romanus Imperator fecit in Palatio diætas nomine Mammeas in honorē matris Mammeæ: quas vulgus imperitum posteà ad mammam vocitauit. Hac etiam tempestate in ædibus principū sont cubicula varii nominis: vt aliud psittaci, aliud pauonum, aliud columbarum vocitetur. A nominibus quoq; diuorum nominamus cubicula, & cœnationes: vt apostoli Petri, vt Pauli: & consimiliter. Ad solarium.] Latini solaria vocant plana tecta, quæ alio nomine meniana nuncupantur, quæ Græci dicūt δώματα, vt suprà docuimus ex interpretatione Hieronymi. Aliàs solariū accipitur pro horologio. Præterea solariū appellant Iurisconsulti titulo, Ne quid in publico fiat, vectigal, quod pro solo penditur: & ex eo solariū dictū. Hic accipitur solariū pro meniano: sicut in II. Regum, cap. XI. vbi scriptū est, quòd Dauid deambulās in solario domus regiæ, vidit Bath-sabā se lauantem ex aduerso super solariū suum.

Se abdidit.] Iosephus libro XIX. Claudius egrediebatur de theatro, Caio mortuo, & domo Cæsaris nece turbata, in angusto pro sua salute consistens, & in quodam loco arctissimo deueniens se celabat: qui nequaquam de sua salute securus stabat, in quodam loco super paucos gradus obscuritate celatus. Itidē Sextus Aurelius ait, Claudium deformi latebra latentē fuisse abreptum à militibus. Prætenta foribus vela.] Aulæa significat, quæ in domibus principū ante ostia prætendi solent. Lampridius, Alexandrum Romanū Imperatorem ea fuisse humanitate præditum scribit, vt salutaretur quasi vnus de Senatoribus patente velo, admissionalibus remotis. Hæc peculiariter vocantur cubicularia vela, vtpote cubiculorum vsui accommodata. Idem Lampridius de Heliogabalo sic refert: Subito militum strepitu exterritus in angulum se condit: obiectúque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, se texit.

Gregarius.] Vilior. Cicero: At id etiā gregarii milites faciunt inuiti, vt coronā dent ciuicā, & se ab aliquo seruatos esse fateātur. Hic autem miles, de quo loquitur Suetonius, proprio nomine, vt inquit Ioseph. Gratus nuncupabatur: qui videns Claudium, nec perfectè præ obscuritate cognoscens, proximè venit, eúmq; apprehendens agnouit, séque sequentibus dixit: Iste Germanicus est, eum constituamus Imperatorem.

INsidiatoribus.] Iis, qui in Caium conspirabant. Iosephus author est, Claudium & Minutianū præcessisse nonnihil Caium ex spectaculo exeuntem: sed cùm ille in concauum locum, vbi occisus est, quasi in balnea iturus repente deflexisset, factum esse, vt ille à sequentiū multitudine sit ab eo exclusus. M. AN.

Eo desiderante.] Caligula in diætam cœnaculum, in quo æstate cœnatur ad vmbram, hyeme ad Solem, quod & cœnatio dicitur, quanuis à Græco quidam id nomen deducāt. Varro ita appellatam existimat, quòd in ea die edatur: in hortis diæta ferè ædificari solebat: hinc & diætarii dicti, qui furandi gratia in aliena se ingererent cœnacula. Est & diæta vnius diei cibus.

Hermæum.] Græci ἑρμαῖον refugium, thesaurum vocant. Ad solarium.] Horologium nunc, in quo horæ vmbrarum aspectu notabantur. Plinius: Princeps Romanis solarium horologium statuisse ante duodecim annos, quàm cum Pyrrho bellatum est, ad ædem Quirini L. Papyrius cursor. Ad proximum igitur solarium, quod proximo erat loco. Nisi solarium accipias simpliciter pro eminentiore loco: nam Iosephus de eius latebra ita refert, Stabat, inquit, in quodam loco super paucos gradus obscuritate celatos.

Foribus.] Solarii scilicet.

ad genua sibi accidentem Imperatorem salutauit. Hinc ad alios commilitones fluctuantes, ne quicquam adhuc, quàm frementes, perduxit. Ab his lecticæ impositus, & quia serui diffugerant, vicissim succollantibus in castra delatus est tristis, ac trepidus, miserante obuia turba, quasi ad pœnam raperetur insons. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctauit, aliquantò minore spe, quàm fiducia. Nam Cōsules cum Senatu, & cohortibus vrbanis forū, Capitoliúmq; occuparūt, asserturi cōmunem libertatē: accitúsq; & ipse per Tribunū Plebis in curiā ad suadenda quæ viderētur, vi se, & necessitate teneri, respondit. Postero verò die, Senatu segniore in exequendis conatibus per tædium, ac dissensionem diuersa censentium,

PHIL. AD genua sibi accidentem.] Claudius metuens, ne propter Caium ipse moreretur, parcendum sibi esse poscebat: tunc Gratus subridens, dexteram ei porrexit: &, Noli, inquit, de tua salute pusillanimis esse: cùm te magis oporteat magnanimiter de Imperio cogitare: quod dii auferentes Caio, Mundóque prospicientes, tuæ concessere virtuti. Perge, & maiorum tuorum recipe solium. Ad genua ideo dixit, quia misericordiæ sunt consecrata: & Claudius præ metu supplicabat militi gregario. Relege quæ à nobis explicata sunt de genuum adoratione in superioribus.

Cōmilitones fluctuantes.] Milites ex obitu Caligulæ perturbati cædem fecerunt: mox à cæde abstinentes fecere cōcilium de Imperatore creando: qui decreuerunt, Claudium Imperatorem facere, vtpote defuncti Caligulæ patruum, & omnium Senatoria dignitate præcipuum, virtute maiorum fultum, & militari disciplina pariter eruditum. Hunc itaque deliberauerunt in medio statuentes Imperatorem facere, dignisque solennitatibus honorare. Fremebant autem milites ex nece Caligulæ, quia ille illis charissimus fuerat, propterea quòd pecuniarum muneribus eos sibi conciliauerat.

Vicissim succollantibus.] Per vices humeris subleuantibus, portantibúsque. Succollare enim significat in collum tollere, & ita baiulare. Varro libro tertio, de re rustica, Apes, inquit, regem suum sequūtur, quocūq; it, & fessum subleuant: &, si nequit volare, succollant. Plinius idem memorans ait: Fessum humeris subleuāt, validiùs fatigatum ex toto portant. Hinc ab eodem Trāquillo succollatus Otho Imperator dictus est: hoc est, collo, humeróque baiulantium subleuatus. Scribit Iosephus, Claudium supportatum fuisse nequaquam valentem pedibus ambulare, propter timorem scilicet, gaudiúmque dictorum.

Sui diffugerant.] Alii codices habent serui: & ad lecticarios referendum, qui lectica impositum dominum deportare consueuerunt.

Quasi ad pœnam raperetur.] Iosephus, Concurrebant, inquit, circa Gratum multi militum: & videntes Claudium duci quasi ad supplicium, rerum gestarum dolebant: tunc Claudio propter corporis debilitatem fugere non valente, eum in vehiculo rapientes, pro eius incolumitate soliciti cum fuga ad Palatium venerunt.

Inter excubias militum.] Concursus militum factus est, cunctis aspectum Claudii libenter inspicientibus, eúmque principem statuere festinantibus pro fauore Germanici eius fratris, qui magnam gloriam vitæ suæ reliquerat vniuersis.

Intra vallum.] Castra prætoria significat.

Forum occuparunt.] Diuisæ sententiæ erant populi, & Senatus. Nanque Senatores dignitatem pristinā appetebant, & onerosum seruicium tyrannidis declinabant: & ob hoc tanquam assertores libertatis occupauerant Capitolium, & forum: populus autem gaudebat Imperatore, lætabatúrque Claudium foueri militari fauorē ad Imperium capessendum.

Accitus.] Euocatus.

Per Tribunum plebis.] Scribit Iosephus, legatos à Senatu missos ad Claudium, Venarium, & Bracchum ambos tribunos, qui postrati suppliciter Claodiū orabāt ne bellorum, ac subuersionis foret occasio ciuitati: suadebántque simul, vt si appeteret principatum, à Senatu magis, quàm à militibus, acciperet. Refert Ioseph. Agrippam à Senatu ad Claudium fuisse legatum: qui latenter exacuit Claudium, vt Imperii dignitatem tutaretur, neque cederet Senatui.

Vi se teneri.] Scribit Iosephus, Agrippam missum esse à Senatu legatum ad Claudium super rebus componendis: cui Claudius respondit, non esse mirabile, si Imperatorem non libenter acciperet curia, quæ crudelitate priorum principum fuerit vulnerata: sed si ipsius mansuetudinem degustaret, quum nomine tantùm ipse princeps esset futurus, re autem Senatus imperaret, profectò illos gauisuros sibi prosperè Imperium obuenisse.

Diuersa censentium.] Ex Senatoribus adhuc nocte existente alii semetipsos occultauerūt, alii in agros proprios sunt egressi, vixque centum Senatores collecti sunt, quibus in commune de præsenti statu tractantibus, repentè clamor congregati exercitus est emissus, petentis vt militaris Imperator eligeretur.

M. AN. GEnua accidentem.] Genua misericordiæ veteres consecrarunt: idcirco suppliciter precaturi ad illa obuoluti iacuere.

Quia serui.] Sic enim legendum, non sui, vt alii habent: quod ne Latinè quidem diceretur.

Succollantibus.] Ceruicem oneri subiicientibus. Iosephus vehiculo ait in castra peruectum.

In castra.] Prætoria, quæ circa vrbē Appia via fuere. Plinius: Ad extrema verò tectorum cum castris prætoriis cœperunt ea Tyberii principatu Romæ esse, cùm anteà prætorianæ cohortes vagæ per vrbem sparsa haberent tabernacula.

Aliquantò minori spe, quàm fiducia.] Vt minus omnino spei adesset, quàm fiduciæ.

Cohortibus vrbanis.] Quæ in vrbe erant ad principis præsidium.

Asserturi.] Vindicaturi.

Per Tribunum plebis.] Cui vocandi Senatus veteri instituto ius erat. Sentium Saturninum hunc fuisse crediderim, quem Iosephus de libertate continuò post mortem Claudii concionatum scribit.

Mulcit

& multitudine, quæ circunstabat, vnum rectorem iam & nominatim exposcente, armatos pro concione iurare in nomen suum passus est, promisitq́; singulis quinadena sestertia, primus Cæsarũ fidem militis etiam præmio pigneratus.

Gesta per eum in initio principatus. XI.



IMperio stabilito, nihil antiquius duxit, quàm id biduum, quo de mutando Reipublicæ statu hæsitatum erat, memoriæ eximere. Omnium itaque factorum, dictorúmque in eo veniam, & obliuionem in perpetuum sanxit, ac præstitit. Tribunis modò, ac centurionibus paucis è coniuratorũ in Caium numero interemptis, exempli simul causa, & quòd suam quoque cædem depoposcisse cognouerat. Conuersus hinc ad officia pietatis, iusiurandum neque sanctius sibi, neque crebrius instituit, quàm per Augustum. Auiæ Liuiæ diuinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum Augusteo

PHIL. MVltitudine nominatim exposcente.] Milites decreuerant apud semetipsos, vt vni, & speciatim Claudio traderetur Imperium, vt antè dictum est, hoc tantùm Senatoribus concedentes vt ipsi qui dignus videretur eligerent. Iurare in nomẽ suum.] Claudius congregato exercitu concionem habuit, iusiurandum à militibus accipiens secum permanendi, donauitq; singulos custodes corporis quinque millibus drachmarum, & ducibus munerũ promeritam portionem largitus est: sed & militibus absentibus similia repromisit.

Militis.] Pro militum: singularitnus numerus pro pluratiuo.

Pigneratus.] Veluti pignore obligatã, obnoxiámque efficiens.

Antiquius.] Melius, charius. Macrobius: Soli Posthumiano antiquior visa est instruendarũ cura defensionum. Liuius in VII. Vtilitate fides fuit antiquior. Lucilius: Quin potiùs vitam degat sedatus quietam, quàm tu antiquius, quàm facere hoc fecisse videaris.

Id biduum.] Quod tumultuosum scilicet inter obitum Caii, & principatum Claudii fuit intermedium: de quo sic ait Paulus Orosius: Claudius mox vt confirmauit Imperium, magna, atq; adhuc incognita clementia ne in tantam nobilium multitudinem vltio si esset cœpta sæuiret, biduum illud, quod ex Reipublicæ statu infeliciter consultatũ, actúmq; fuerat, memoriæ exemit: omnium factorũ, dictorúmq; In eo veniam, & obliuionem in perpetuũ sanxit. Obliuionem in perpetuũ.] In lib. Annotationũ nostrarũ latissimè explicauimus, quemadmodũ sæpenumero obliuio præteritorũ factorum inducta est, quã Græci ἀμνηςίαν vocant, quasi legẽ obliuionis: quã Romæ inducere Cicero tentauit post interfectũ Iuliũ Cæsarem: quam Claudius vltronea clementia, nullo expetente, firmauit. Relege quæ à nobis super hac re scripta sunt in libro Annotationum, vbi enarramus illud Ciceronianum. Græcũ etiam verbum vsurpaui, quod tum in sedandis discordiis vsurpauerat ciuitas Atheniensis. Tribunis interemptis.] Chæreas princeps Caianæ necis ad supplicium ductus est: qui mortem excepit animo virili, rogans vt eo gladio necaretur, quo ipse Caium interemerat. Lupus alter è coniuratis plurimarum ictu plagarum peremptus est, eò quòd ceruicem molliùs præparasset ad necem. Sabinus autem semetipsum occidit, gladio sic incumbens, vt eum vsque ad capulum vulnus absorberet.

Exempli causa.] Inter causas puniendi peccata, hæc quoque ratio vindicandi est, quæ à Græcis παράδειγμα, à Latinis dicitur exemplum: cùm punitio propter exemplum necessaria est, vt cæteri à similibus peccatis, metu cognitæ pœnæ deterreantur. Idcirco veteres exempla pro maximis, grauissimisque pœnis nominitabant.

Quàm per Augustum.] Claudius quando sanctissimum iusiurandum iurare volebat, per Augusti nomen deierabat: quod erat pietatis indicium in Augustũ Cæsarem: in cuius nomen, velut quadam adoptione, aut iure hæreditario succedebant Romani Imperatores.

Augustino.] Vetus codex habet Augusteo: sed siue Augustino legas, siue Augusteo, nomẽ est deriuatũ ab Augusto Cæsare. Et est sensus, Claudiũ decreuisse in honorẽ auiæ Liuiæ Augustæ, vt in põpa Circensium spectaculorum currus ageretur, qualis olim fuerat decretus Augusto: quem appellat currum elephantorum, propterea quòd ab elephantis duceretur, vt res esset honorificentior: sicut olim subiere currum Pompeii Magni Africo triumpho: quanuis possimus etiam eo nomine intelligere currum eburatum, tanquã ex secto elephanto, hoc est ebore cõpactum. Nanq; notum est, non solùm dentes elephantorũ, sed etiã ossa, penuriæ causa, in laminas secari solita ad ebur cõficiundũ. Hinc Maro ebur significare volens, dixit elephantũ, cùm ait:

Altera cãdenti perfecta nitens elephãto. & alibi ait:

-Sectóq; elephanto. Quòd autem ex ebore vehicula forent in vsu priscorum gliscente luxuria, testes sunt Historici, & in primis Lampridius, qui ait, Heliogabalum habuisse gemmata vehicula, & aurata, contemptis argenteis, & eboratis.

M. AN. NOminatim.] Nomine Claudium deposcentes. In nomen suum.] Suo nomine nouo se sacramento adstringere. Præmio pigneratus.] Primus, qui pretio Imperiũ mercatus est. Antiqoius.] Vtilius. Id biduum.] Acta illius bidui, id est cõsultationes patrum, & quæcunque ad asserendam libertatem varie in curia, aut alibi dicta essent. Memoriæ eximere.] abolere. Præstitit.] Seruauit.

Exempli simul causa.] Vt illorum pœna aliis documento esset. Quòd suam quoque cædem.] Quòd se quoque ad cædem requisiuissent. Chæream, & Lupũ ad suppliciũ tractos Iosephus scribit, Sabinũ verò sibi mortem consciuisse. Auiæ Liuiæ.] Drusi patris sui matri. Diuinos hoores.] Quos defunctæ decerni Tyberius permiserat.

Currum elephantorum.] Qui iunctos haberet elephantes. Iulius Capitolinus elephantorum quadrigas ait Gordiano principi decretas, quibus ille more Persico triumpharet: quo apparet elephantes currui admoueri solitos.

Augustino.] Qui Augusto fuerat decretus.

similem decernendum curauit: Parentibus inferias publicas: & hoc amplius patri Circenses annuos natali die, matri carpentum, quo per Circũ duceretur, & cognomen Augustæ, ab auia recusatum. Ad fratris memoriam per omnem occasionem celebratam, comœdiam quoque Græcam Neapolitano certamine dedit, ac de sententia iudicum coronauit. Ne Marcum quidem Antoniũ inhonoratum, ac sine grata mentione transmisit, testatus quondam per edictum, tantò impensiùs petere se, vt natalẽ patris Drusi celebrarent, quòd idem esset & aui sui Antonii. Tyberio marmoreũ arcum iuxta Pompeii theatrum, decretum quidem olim à Senatu, verùm omissum, peregit. Caii quoque, etsi acta omnia rescidit, diem tamen necis, quanuis exordium principatus sui, vetuit inter *fastos referri.

*festos. faustos.

Honores per eum spreti, & alia ciuilia gesta eius. XII.



AC in semet augendo parcus, atque ciuilis, prænomine Imperatoris abstinuit, ni-

PHIL. PArentibus.] Druso, & Antoniæ.

Inferias.] Parentalia.

Circenses annuos.] Subaudi decernendos curauit: vt scilices quotannis die natali Drusi ludi Circenses exhiberentur.

Carpentum.] Scilicet curauit decernendum. Est autem carpẽtum, carruca matronalis: de quo suprà satis diximus. Carpentis per vrbem vehi matronis concessum est: quia cùm aurũ non reperiretur ex voto, quod Camillus vouerat Apolli ni, id matronæ contulerunt.

Ab auia recusatum.] Plinius tamen significat, cognomen Augustæ non fuisse à Liuia recusatum, scribẽs eam accepisse nomen Augustæ, cùm primùm pacta esset Augusto Cæsari. Et idem in vltimo Naturalis historiæ inquit: Magnitudo crystalli amplissima adhuc nobis visa erat, quam in Capitolio Liuia Augusta dicauerat, librarum circiter quinquaginta. Augustas autem matres, vxores, sorores, filias Imperatorum appellatas esse dignitatis causa, proditum est.

Fratris.] Germanici.

Neapolitano certamine.] Apud Neapolitanos, authore Strabone, agon quinquennalis cõplures dies celebrabatur, qui & musicus erat, & gymnicus, illis æmulus, qui per Græciam clarissima celebritate geruntur. Hinc illud Papinii libro v. Syluarum:

-Patrii quinquennia lustri.

Docuit.] Videtur potiùs legẽdum dedit: talia enim exhibentur magis, quàm doceantur.

Coronauit.] Subintellige actorem comœdiæ Græcæ: ipsi enim histriones coronari solent, nõ comœdiæ. Quòd si legas docuit, erit sensus, Claudium ipsum docuisse comœdum prout fabula esset agenda: cùm alioqui comœdus adeò scius, gnarúsque esse soleat actionis histrionicæ, vt præcipiat Quintilianus, oratorem futurum dare operam debere comœdo: cuius officium hoc esse dicit, vt vitia oris emendet, vt expressa sint verba.

Ne Marcum quidem Antonium.] Erat hic Claudii maternus auus, vtpote pater Antoniæ, quæ mater fuit Claudii, quam ex Octauia Augusti sorore susceperat. Hinc ait ipse Claudius apud Senecã: M. Antonius auus meus nullo minor, nisi eo, à quo victus est, fratrem interfectum audiuit.

Idem esset.] Eundem diem natalem habebant Drusus pater Claudii, & Antonius auus maternus.

Tyberio.] Principi, fratri patris Drusi: & ob hoc patruo ipsius Claudii.

Pompeii theatrum.] Scribit Eusebius, theatrum Pompeii incensum esse Tyberii principatu.

Caii.] Caligulæ.

Inter fastos.] Quum in fastorum libris dies religiosi, & nefasti, causæque dierum præscriberentur, noluit Claudius vt inter fastos referretur dies ille, quo Caius fuerat interemptus, quanuis eum ipse diem haberet pro exordio sui principatus. Alii codices habent, inter festos: & sensus erit apertior, tanquam noluerit Claudius inter dies festos referri diem illum, quo occisus fuerat Caius, & quo fuisset initium sui principatus: ne videretur insolentiùs, & elatiùs exultare partim de nece Caii, partim de inito principatu. De diebus fastis, & festis scribit Macrobius diligẽter in primo.

Prænomine Imperatoris.] Sicut Claudii ciuilitas laudanda ex eo est, quòd Imperator dici noluit, ita Cæsaris Dictatoris insolentia reprehendenda, recipientis prænomen Imperatoris, qui à Græcis dicitur αὐτοκράτωρ.

M. AN. DEcernenda.] Neutro genere decernenda dixit, non vocem, sed sensum sequutus: quum currum, & honores decernendos curasset.

Fratris.] Germanici.

Græcam.] Græcè scriptam.

Neapolitano certamine.] Ludorum rationem suo loco explicauimus.

Docuit.] Sic Platonius ille de comœdiarum differentiis In eo loco, ἴσμεν γὰρ τὸν Εὔπολιν &c. Scimus Eupolim quoniam si fabulam docuerit.

Coronauit.] Qui maximè placuisset.

Marcum quidem Antonium.] Traiectio, sed Coreliana illa adhuc durior, Has res ad te scriptas Luci misimus Aeli.

Aui materni.] Antonii triumuiri, qui ex Octauia Augusti sorore Antoniam Claudii matrem genuit.

Tyberio.] Patruo, qui Drusi patris sui fuerat frater.

Inter fastos referri.] Quasi maiorem duxerit Caianæ cædis, & luctus ex ea accepti, quàm propriæ lætitiæ ex adepto principatu rationem habendam. Fasti dies, secundum Macrobium, sunt, quibus licet fari tria verba solennia, do, dico, addico. His contrarii sunt nefasti. Et fastis quidem lege agi potest, cum populo non potest.

Spons

mios honores recusauit: sponsalia filiæ, natalémq; geniti nepotis silentio, ac tantùm domestica religione transegit. Neminem exulum, nisi ex Senatus authoritate, restituit. Vt sibi in curiam præfectum prætorii, tribunósque militum secum inducere liceret, vtque rata essent, quæ procuratores sui in iudicando statuerent, precariò exegit. Ius nundinarum in priuata prædia à Consulibus petiit: cognitionibus magistratuum, vt vnus è Consiliariis frequenter interfuit. Eosdem spectacula edentes, surgens & ipse cum cætera turba, voce, ac manu veneratus est. Tribunis plebis adeũtibus se pro tribunali excusauit, quòd propter angustias nõ posset audire eos nisi stantes. Quare in breui spatio tantum amoris, fauorísque collegit, vt quum profectum eum Hostiam periisse ex insidiis nuntiatum esset, magna consternatione populus, & militem quasi proditorem, & Senatum quasi patricidam diris execrationibus incessere non antè destiterit, quàm vnus, atque alter, & mox plures à magistratibus in Rostra producti,

PHIL. SPonsalia.] Seruius Sulpitius sponsalia in Latio hoc more fieri solita scripsit: Qui, inqoit, vxorem ducturus erat, ab eo, vnde ducenda erat, stipnlabatur in matrimonium ducturum iri: qui daturus erat, itidem spondebat daturum. Is contractus sponsionum, stipulationúmque dicebatur sponsalia: tum, quæ promissa erat, spõsa appellabatur: qui spopõderat ducturum, sponsus. Talis formula significatur à Plauto sic scribeote in Corgulione: Spondésne miles mihi hanc vxorem? Spondeo. Spõdere aotem, vt docet Varro, est dicere: & à spõte, id est, voluntate deducitur: hioc sponsus, consponsus, spoosa, sponsio, & sponsalia deriuantur. Et qui spoponderat filiã, despõdisse dicebatur, quòd ex spõte eius, id est voluntate exierat. Obiter enarrandum vetus verbũ, quod est despondisse animũ. Nanq; despondere animũ dicitur ille, qui suæ spontis statuit sioẽ, & quasi ex desperatiooe mori decreuit. Varro in t1s. De re rustica: Ne reliqui, si videãt, despondeant animũ, atque alieno tempore venditori moriaotur. Liuius in s11. ab origine vrbis: Nec ipsi solùm desponderant animos, sed contemni cœpti erant à finitimis populis. Plautus in Milite: Ne lamentetur, néve animũ despondeat. Apud Senecã despondere legimus, sine animi additamento, in hoc eodem significatu. Per eandem similitudinem dicitur quis despondere sapientiam, qui desperat se posse ad sapientiæ fastigiom peruenire: & ob hoc desistit ab incœpto, destituítque inchoatũ studiũ. Silentio.] Sine publica festiuitate.

Procuratores sui.] Quæ à procuratore Cæsaris fiunt, ea périnde rata haberi solent, atque si ipse Imperator statuisset: author Iuriscõsultus. Tamẽ Claudius, vt se magis, ac magis ciuilem præberet, precatus est Senatum, vt rata haberentur, quæ per suos procuratores statuta fuissent. Refert Cor. Tacitus, aoditam esse vocem principis Claudii, Parem vim rerũ habendam esse iudicatarum à procuratoribus suis, ac si ipse statuisset. quod & Senatusconsulto cõfirmari, & vberius fieri voluit. Aogustus qnoq; anteà decreta procuratorũ périnde haberi iusserat, ac si magistratos Romani constituissent. Precariò exegit.] Precibus impetrauit à Senatu, vt ingrediẽs curiam secũ ducere posset præfectũ prætorii, & tribunos militum: quibus alioqui ius non erat io Senatum veniendi. Precariò autem, aduerbium est, quo Plautus, & Terentios vsi sunt. Apud Iurisconsultos titulus est De precario, vbi sic inquit Vlpianus: Precariom est, quod precibus perenti vtendum cunceditur tandiu, quandin is, qui concessit, patitur. In hanc sententiam eleganter dictum est à Seneca, hominẽ esse precarii spiritus. & apod Qu. Curtium ait Alexander: Mori præstat, quàm precariò Imperatorem esse. Idem, Sed precariũ, inquit, spernebatur Imperiũ. Vbi precarium Imperiũ dicitur, id quod tandiu obtinetur, quandiu, qui cõcessere, permittunt. Ius nũdinarũ.] Scribit Plin. in v. Epistola. virum prætorium à Senatu petiisse, vt sibi instituere in agris suis nundinas permitteretur: cui cõtradixerũt legati Vicẽtinorũ. Cognitiooibus.] Quãdo de causa aliqua cognoscebant.

Vt vnus è Consiliariis.] Vt vnus, qui consuleret: nõ vt Imperator, qui præciperet.

Eosdem.] Scilicet magistratus.

Surgens.] Honoris videlicet causa: nam qnos hooramus, his assurgere consuenimus: de quo iam dictũ est.

Voce, ac manu.] Acclamatione, & plausu. Propter angustias.] Scilicet tribunalis.

Nisi stantes.] Stare, & sedere, inter se opponuntur. Plaotus io Captiois: Hi stant ambo, noo sedent. Cùm tribunal non esset capax multorum, & ob id tribuni, qui sedere debuissent, stare cogerẽtur, vsus est excusatiooe. Hostiam.] Ciuitatem ab Auco Martio cooditam. Militem.] Milites.

Quasi patricidam.] Taoquam authorem mortis Claudii, qui pater esset Senatus. Plautus eleganti vocabulo parenticidam vocat: quem Græci πατροκτόνον dicunt, nos vulgatiori vocabulo patricidam nominamus.

Incessere.] Impetere, criminari, insectari. A. Gellius: Incessebat quempiã Taurus Philosophus seuera, atq; vehemẽti obiorgatione. Silius: -Vnũ incessentia tela.

In Rostra.] Polpitum Romani fori, vbi concionantur: de quo satis multa in Iulio Cæsare. Declinantur autem numero tantùm pluratiuo Rostra in hac significatione, vt docet Diomedes. M. A N.

SPoosalia filiæ.] Cuius dicat, io dubium venire potest. Claudiam eoim, Antoniam, & Octauiam filias habuit: Claudiã vt ex adulterio genitam ad matris ianuam exposuit. Antonia Pompeio Magno, deiode Fausto Syllæ nobilissimis iuuenibus nupsit. Octauia Syllano priùs, mox Neroni priuigno desponsata est.

Restituit.] Ab exilio reuocauit. In curiam.] Cæsaris Dictatoris exitu admonitus, cum patribus egit, vt cum tribonis, & præfecto prætorii sibi curiam ingredi liceret. Ios nundinarum.] Vt nundinæ in prædiis, quæ priuatò possideret, celebrari possent.

Vt vnus è consiliariis.] Et non vt Imperator.

Excusauit.] In excusationẽ adduxit. Incessere.] Insectari. In Rostra.] In forum, vbi Rostra erant.

Per

saluum, & appropinquare confirmarent.

Insidiæ & coniurationes contra eum factæ. XIII.



NEc tamen expers insidiarum vsquequaq; permansit, sed & à singulis, & per factionem, & denique ciuili bello infestatus est. E plebe homo nocte media iuxta cubiculum eius cum pugione deprehensus est. Reperti & Equestris ordinis duo in publico cum dolone, ac venatorio cultro, præstolãtes, alter vt egressum theatro, alter vt sacrificantem apud Martis ædem adoriretur. Conspirauerant autem ad res nouas Gallus Asinius, & Statilius Coruinus Pollionis ac Messalæ oratorum nepotes, assumptis compluribus libertis ipsius, atque seruis. Bellum ciuile mouit Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus: verùm intra quintum diem oppressus est, legionibus, quæ sacramentum mutauerant, in pœnitẽtiam religione conuersis, postquam denuntiato ad nouum Imperatorem itinere, casu quodam, ac diuinitus, neque aquila ornari, neque signa conuelli, mouerique potuerunt.

PHIL. PEr factionem.] Conspirationem plurium. E plebe.] Plebeius. Et hoc referendum est ad singulos. Equestris ordinis duo.] Cor. Tacitus: Interea Romæ nullis palàm, neque cognitis mox causis, Nonius eques Romanus ferro accinctus reperitur in cœtu salutantium principem. Nam postquam tormentis dilaniabatur, cõscios nõ edidit, incertũ an occultans. Dolone.] Dolones, authore Donato, sunt tela quædam bellica, à lædẽdo dicta. Nã δόλ☉ Græcè læsio dicitur: vnde & dolus à lædendo. Seruius enarrans illud ex vss. Aeneidos:

Pila manu, sæuósque gerunt in bella dolones. ait, dolonem flagellũ esse, intra cuius virgam lateat pugio. Dolones autem à fallendo dici, quòd decipiãt ferro, cùm speciem præferant ligni. Hac dictione vsus est Alphenus Iurisconsultus Digestis ad legẽ Aquiliam, in l. si ex plagis. §. j. cuius hæc sunt verba: Tabernarius eum consequutus lucernã reposcebat, & fugientem retinebat. Ille flagello, quod in manu habebat, in quo doloo inerat, verberare tabernariom cœperat. Accursius legit dolor: & ita in codicibus impressis legitur. Sed ego existimo legendum esse dolon, & accipiendum pro telo flagelli. Apud Liuium dolones accipi videntur pro armamentis naualibus, sic scribentem: Sublatis raptim dolonibus, Ephesum petit fuga. Venatorio cultro.] Venator non solùm venabulo telo lõgiore vtitur in venatu, sed etiam cultro breuiore soccingitur: qui ob id venatorius dicitur: de quo est lemma in Apophoretis Epigrãmatarii poetæ. Præstolantes.] Expectantes. Aliàs præstolari significat præsto esse, vt exponit Donatus Terentianus interpres. Egressum.] Scilicet Claudium.

Conspirauerant.] Hoc ad illud referendũ est, quod ait per factionem infestatum fuisse.

Ipsius.] Scilicet Claudii.

Bellum ciuile.] Plinius in III. Epistolarum, huius ciuilis belli sic meminit: Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium mouerat: fuerat Pætus in partibus, occiso Scriboniano Romã trahebatur. De hoc eodem Sextus Aurelius sic refert: Claudii temporibus Scribonianus Camillus intra Dalmatias Imperator creatus occiditur. Cor. Tacitus tradit, Furium Scribonianum huius Scribooiani filium, qui arma per Dalmatiam mouerat, fuisse missum in exilium: quasi finem principis per Chaldæos scrutaretur. Legionibus, quæ sacramentum mutauerant.] Hanc historiam copiosiùs explicat Paulus Orosius, cuius verba subieci, ad sententiã Tranquilli lucidiorẽ, apertioremq; reddendã: Accidit, inquit, eodem tempore grãde miraculũ: siquidẽ Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus bellũ ciuile molitus legiones multas, fortissimásque ad sacramenti mutationem pellexerat. Itaq; die dicto vt in vnum vndiq; ad nouum Imperatorem cõueniretur, neq; aquilæ ornari, neq; conelli quoquo modo signa, mouerive potuerũt, exercitus tãta, & tam inusitata miraculi fide motus, & conuersus in pœnitentiam, Imperatorem Scribonianum quinto statim die destitutum interfecit, seq; sacramento prioris militiæ continuit.

Ad nouũ Imperatorem.] Scribonianum Camillum.

Aquilæ ornari.] Obiter dicendum est, quemadmodũ aquilæ principalia Romanorum signa inungebãtur festis diebus. Neq; signa cõuelli.] Hoc ominosum fuisse apud veteres testatur casus Flaminii Consulis, cui antè, quàm apud Trasimenũ cum copiis deleretur, ocyus conuelli signa iubenti nuntiatur signum omni vi moliente signifero conuelli nequire: qui cõtemptor religionis cõuersus ad nuntiũ inquit: Nuntia signum effodiant, si ad conuellendum manus præ metu obtorpuerũt. Sed paulò pòst dedit pœnas spreti ominis, & ostenti, interfectus ab Annibale, apud Trasimenũ cum magna strage Romanorũ. Conuelli autem proprie dixit: quia Romana signa figebãtur in castris: & cùm ad bellum eundum erat, captatis auguriis euellebantur è terra. Nam alibi, vt tradit Seruius grammaticus, figi non licebat. Sed inter auguria hoc etiam habebatur, si auellentem facile sequerentur, adeò vt Crassus Parthico bello occisus sit, qui iturus ad prælium auellere signa non potuit. Vergilius in vndecimo:

-Vbi primùm vellere signa
Annuerint superi.-

M. AN. PEr factionem.] Plurium conspirationem. E plebe homo.] Hoc est, quod à singulis dixit. Cum dolone.] Verg. -Sæuósq; gerunt in bella dolones. Seruius flagellum esse putat, in cuius virgis lateant pugiones: Varro contum cum ferro breuissimo. Satis constat à dolo nomen rei datum, quia aliud facie sit, re ipsa aliud. Cornelius Tacitus Nonium equitem Romanum ait ferro accinctom in cœtu salutãrium deprehensum, nullis cruciatibus cogi potuisse vt consciũ quempiam nominaret.

Venatorio cultro.] Martialis:

Si deiecta geres longo venabula rostro,
Hic breuis in grandem comminus ibit aprum.

Gallus

Consulatus eius, & gesta in eis. XIIII.


Onsulatus super pristinum quatuor gessit. Ex quibus duos primos iunctim, sequentes per interuallum, quarto quenq; anno, semestrem nouissimum, bimestres cæteros. Tertium autem nouo circa principem exemplo in locum demortui suffectus. Ius & Consul, & extra honorem laboriosissimè dixit, etiã suis, suorúmq; diebus solennibus, nonnunquam festis quoque antiquitus, & religiosis. Nec semper præscripta legũ sequutus, duritiam, lenitatémve mulctarum ex bono, & æquo périnde vt afficeretur, moderatus est. Nam & iis, qui apud priuatos iudices plus petendo formula excidissent, restituit actiones: & in maiore fraude conuictos, legitimam pœnam supergressus, ad bestias condemnauit.

Varietas eius in cognoscendo, & decernendo. XV.


N cognoscẽdo autem, ac decernendo mira varietate animi fuit, modò circunspectus, & sagax, modò inconsultus, ac præceps, nonnunquam friuolus, amentíque similis.

Gallus Asinius.] Pollionis nepos.

Statilius Coruinus.] Hic quoque nepos Coruini Messalæ, de quo, & Pollione Fabius in decimo: Cornelius Tacitus in Historiis, & rursus in libro, quem de Oratoribus scribit.

Furius Camillus.] Camillus Scriboniani pater, ait Cornelius, arma per Dalmatiã mouerat.

Sacramentum.] Siquidem in nomẽ Claudii priùs iurauerant.

Ad nouum Imperatorem.] Camillum.

Neque aquila.] Quæ erat in publicis signis.

Conuelli.] Refigi: idque ostentũ religionem, & metum militibus iniecit.

PHIL. SVper pristinũ.] Præter illũ priorem, quem cũ Caio adhuc priuatus gessit per duos mẽses.

Iunctim.] Sine interuallo.

Nouo exẽplo.] Cùm non sit ex Imperatoria dignitate, vt princeps in locum demortui Cõsulis substituatur: sed debet ordinarius esse Consul, non suffectus.

Suffectus.] Substitutus, subrogatus. Sufficere enim, substituere est: vnde & suffectos Consules dicimus.

Et extra honorem.] Extra Consulatum.

Suis, suorúmque diebus.] Multi dies in Fastis legebantur solennes, & festi: qui dicati erant partim Claudio, partim Cæsaribus Claudii antecessoribus, partim Druso, & Germanico, reliquísque gentis Claudiæ maioribus. Hinc est illud Nasonis ex lib. 1. Fastorum:

Inuenies illhic & festa domestica vobis:
Sæpe tibi pater, est sæpe legendus auus:
Quæque ferunt illi pictos signantia fastos,
Tu quoque cum Druso præmia fratre feres.

Religiosis.] De diebus religiosis dictum est in superioribus: qui potiùs ominosi sunt, quàm sacrati.

Duritiam, lenitatémve.] Claudius leges, quæ nimis atroces videbantur in exigenda pœna, moderabatur: cùm, authore Martiano Iurisconsulto, in grauioribus pœnis seueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis iudices subsequi debeant. Interdum verò quæ leniores leges videbantur, eas grauiores faciebat, prout ipse delictum atrox iudicabat.

Ex bono, & æquo.] Docet Aristoteles, bonum, & æquum esse emendationem legis: nam cùm lex vniuersalis sit, accidátque interdum aliquid præter vniuersale: tunc rectum est, vt ex æquo & bono id princeps moderetur.

Plus petendo formula excidissent.] Cicero in oratiõe pro Roscio Comœdo: Si tu, inquit, amplius æquo petisti in iudicio, quàm tibi debitum est, causam perdidisti. Si peteret quispiã apud iudicem centum sibi dari, hic nisi planum facit centum sibi ad libellum deberi, causam perdit. Secus est in arbitrio: nanq; ad arbitriũ hoc animo adimus, vt neque nihil neque tantum, quantum postulamus, consequamur: in iudicio nihil nisi directum, asperum, simplex: in arbitrio mite, moderatum, & æquum. Apud eundem Ciceronẽ libro 1. de Oratore, docet Crassus, eum causa cadere, qui plus lege agendo petebat, quàm quantum lex duodecim Tabularum permiserat.

Formula.] Quæ scilicet de petendo instituta est.

Restituit actiones.] Vt causam suã périnde, ac integram iterum agere possent, quam perdidisse ex lege videbantur. Et hoc referas ad duritiam legum, quam moderatus est.

Legitimam pœnã. supergressus.] Hoc pertinet ad illud, quod ait lenitatem legum exasperasse.

Ad bestias condemnauit.] Inter capitales pœnas damnatio ad bestias numeratur, vt scribunt Iurisconsulti Digestis de pœnis.

Nonnunquam friuolus.] Aliquando leuis, inanis, nulliúsque momenti: sicut friuola dicuntur verba, quæ minùs fide sunt subnixa: & friuola quoque prisci vocitauerunt vasa fictilia quassa: vnde friuola pro ungatoriis dici quis nescit? Iuuenalis:

-Iam friuola transfert.

NOuo circa principem exemplo.] Quia principes, Imperatores dico, ad id tempus in demortui Consulis locum suffici non consueßent. M. AN.

Præscripta legum.] Quæ legibus sancita, aut scita essent.

Ex bono, & æquo.] Ex æquo ius dicitur, quum ex vero, communíque vtilitate iudicetur.

Afficeretur.] Pacatus, infestúsve esset causæ.

Priuatos.] Priuatas causas cognituros.

Restituit actionem.] Exequendæ causæ, qua deciderant, facultatem indulsit. Dicimus etiã Iudicem dare actionem, quando actorem ad intendendam actionem admittit. Ad bestias.] Bestiis ad laniatum in theatro obiiciendos.

Decernendo.] Decreta interponendo.

Circunspectus.] Prudens, consulte agens.

Sagax.] Acutè sentiens.

Inconsultus, ac præceps.] Temere, & præcipitanter agens.

Decur

Quum decurias rerum actu expungeret, eum, qui dissimulata vacatione, quam beneficio liberorum habebat, responderat, vt cupidum iudicandi dimisit. Alium interpellatum ab aduersariis de propria lite, negantémq; cognitionis rem, sed ordinarii iuris esse, agere causam confestim apud se coegit, proprio negotio documentum daturum, quàm æquus iudex in alieno negotio futurus esset. Fœminam non agnoscentem filium suum, dubia vtrinque argumentorum fide ad confessionem compulit, indicto matrimonio iuuenis. Absentibus, secundum præsentes facillimè dabat, nullo delectu culpæ, * nisi quis in aliqua necessitate cessasset. Proclamante quodam, præcidendas

* si

PHIL. DEcurias.] Iudicum: de quibus iam satis multa. Expungeret.] Priuaret: &, vt vtar verbo Iurisconsultorum, cancellaret, remoueretque ab actione rerum iudicialium. Expūgere enim verbum est militare, quod significat milites ab exercenda militia repellere, atq; exauctorare, adempto stipēdio. Paulus Iurisconsultus in tit. de re militari: Ex causa desertionis notatus, ac restitutus, tēporis, quo in desertionis causa fuerit, impendiis expungitur. Hinc illud Plautinum est: Expuncto in manipulo. Hioc illa apud Senecam io lib. ssss. de Beneficiis luculenta sententia: Pignus est protinus aliud inuicem mittere, & munus munere expungere. quod significat delere, ne debere videatur. Milites enim punctis scripti inseruntur legionl, & iurant, vt docet Vegetius in 11. Inde expuncti dicti deleti, & à militia remoti. Itidē expungi dicuntur iudices, iudicúmq; decuriæ, quaodo amouentur à iudicando, veluti expuncti, cancellatíque ex albo iudicum. Dispungere quoq; verbum est consimile, quod significat conferre accepta, & data: sicuti docet Papitianus Iorisconsultus.

Dissimulata vacatione.] Per dissimulationem occultata, non patefacta vacatione iudicandi.

Beneficio liberorum habebat.] Scribunt Iurisconsulti, Digestis de vacatione, & excusatione munerum, quòd numerus liberorum à muneribus ciuilibus præstat excusationem. Responderat.] Tanquam legitimus iudex. Respondere enim dicuntur iudices, & Iureconsulti, quando de iure responsitant.

De propria lite.] Pertineote ad eum ipsum, qui iudex erat. Cogniōonis rem.] Apud Oratores status est, siue constitutio, quæ dicitur translationis: ea autem formula est, An huic? an cum hoc? an hac lege? an apod hunc? an hoc tēpore liceat agere? Sensus est: Cùm vnus ex iudicibus negaret propriæ litis cognitionem agi posse eo tempore, & loco: Claudius coegit vt apud se tanquam priuatus causam suam ageret, vt ita in propria causa doceret quàm rectè iudicare deberet in alienis negotiis. Ordinarii iuris.] Tanquā extra ius, & ioiorium esset eum, qui iudex est, agere causam de propria lite: nanq;, vt inquit Vlpianus tit. De in ius vocando, nō debet iudex in ius vocari, dum de re cognoscit.

Ad cōfessionem compulit.] Non absimile est illud Ecclesiasticum, quod de Salomone circunfertur iudicate inter duas mulieres de filii proprietate litigantes.

Indicto.] Denuntiato.

Iuuenis.] Scilicet quem filium suom esse oegabat.

Absentibus.] Scilicet alterutris litigatoribus. Septimus est casus. Secundum præsentes dabat.] Dare secundum præsentes litem, & possessionem dicitur iudex, quando pro præsentibus iudicat: & secundum te litem do, id est, pro te. Et hoc ad id refertur, quod interdum fuit inconsultus, & præceps in iudicādo. Absentibus enim alterutris litigatoribus nō debet iuridicus magistratus secundum præsentes litem dare, sed differre sententiam quoad venire possint, qui absentes sunt. Si quis ènim iusta causa impeditos ad iudicium occurrere non potuit, erit ei subueniendum: vt tradit Vlpianus lib. 11. Digestorum. Ideóque lex duodecim Tabularum iubet diem iudicii esse diffusum, si alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediatur. Dicitur autem morbus sonticus, nocens, & vehementior.

Nullo delectu culpæ.] In hoc incōsultus erat Claudius, qui nullum habebat delectum de culpa cessatorum, si quis culpa, & dolo malo non stetisset in iudicio, cùm tali minimè danda sit exceptio: an valetudine, vel alia iusta causa impeditus sistere se nō potuisset: cùm tali sit subueniendum. Claudius omnes vno ordine habebat.

Cessasset.] Vt scilicet omnes litigatores properarēt adesse in iudicio: attamē leges veniam, exceptionémq; dant illi, qui necessitate coactus ad diem iodicii præsto esse non potuit.

M. AN. DEcurias.] Iudicum. Rerum actu.] Rerum gerendarum cura, id est, iudicandi munere.

Expūgeret.] Amoueret, ex albo tolleret: sed tu quorundam nomina ex decuriis expuncta accipias, & quasi ex albo sublata, defunctorum scilicet, necnon eorū, qui vel morbo, vel ætate, domesticisve curis adstricti vacationem haberent.

Eum.] Vnum ex iudicibus.

Dissimulata.] Celata, suppressa.

Vacatione.] Immónitate.

Beneficio liberorum.] Filiorum meritis ait: quod magis placet, trium natorum iure concesso.

Responderat.] Nominatim enim in recogooscendis decuriis citabantur, sed hic cùm vacationem haberet, ambitioseq; adhuc in iudicum numero esse vellet, ob eámque rem ad nomen respondisset.

Dimisit.] Ignominiose præteriit, missúmque fecit.

Alium.] E numero iudicum.

Interpellatum.] Admonitum, accersitum.

De propria causa.] Quæ ad eum ipsum, & aduersarios attinebat.

Rem.] De qua esset ab aduersariis interpellatus.

Cognitionis.] Negantem scilicet talem esse, vt tūc cognosci posset, seu deberet, sed alio aut loco, aut tempore. Ordinarii iuris.] Alterius cognitionis, & magis ordinariè coegit Claudius.

Daturum eum.] Qui pro iudice sederet.

Documentum.] Exemplum.

In alieno.] Si in propria causa boni consuleret.

Iuuenis.] Quem se agnoscere dissimulabat.

Secūdum præsentes.] Pro iis, qui iudicio adessent.

Nullo delectu.] Nullo delicti discrimine.

Ne quis aliqua necessitate.] Sed si quis, verior lectio: vt sit ordo, Si quis cessasset non sponte, sed necessitate compulsus.

Falsa

falſario manus, carnificem ſtatim acciri cum machæra, menſáque lanionia flagitauit. Peregrinitatis reum, orta inter aduocatos leui contentione, togatúmne, an palliatum dicere cauſam oporteret: quaſi æquitatem integram oſtentans, mutare habitum ſæpius, & prout accuſaretur, defenderetúrve iuſſit. De quodam etiam negotio, ita ex tabella pronuntiaſſe creditur, ſecundum eos ſe ſentire, qui vera propoſuiſſent. Propter quæ vſque eò euiluit, vt paſſim, ac propalam contemptui eſſet. Excuſans quidem teſtem de prouincia ab eo vocatum, negauit præſto eſſe poſſe. Diſſimulata diu cauſa, ac poſt lõgas demum interrogationes mortuus eſt, inquit, puto licuit. Alius gratias agens, quòd reum defendi pateretur, adiecit: Et tamen fieri ſolet. Illud quoque à maioribus natu audiebam, adeò cauſidicos

PHIL. Falſario.] Pœna legis Corneliæ irrogatur in falſarios, & eos omneis, qui falſi damnantur, vt docet Martianus Iuriſcõſultus ad legem Corneliam de falſis.

Acciri.] Euocari.

Cum machæra.] Gladio. Græci enim μάχαιραν dicunt gladium: inde μαχαιροποιὸς faber gladiorum, quo oo mine nuncupatus Demoſthenis pater. Μαχαιροφόροι dicti à Cicerone ſatellites accincti gladiis. Liuius: Læuo humero machæra prope traiecto eeſſerat parûper ex acie. Apuleius machæram, ſpatámq; indifferenter vſurpat cùm ait in IX. de Aſino aureo: Cõminabatur ſeſe cõciſurum eum machæra fruſtatim. Quu ſermone eius cõmonefactus hortulanus eripit ei ſpatam. Vegetius meminit ſpatæ, & ſemiſpatæ.

Menſa lanionia.] Qua ſcilicet vtuntur carnifices ad dãnatos plectendos, & capita amputãda: à laniando dicta: ſicut lanio, ſiue lanius à laniando: ſicut laniſtæ, quòd laniandis præſint gladiatoribus nominati. Scribit Varro, lanienam dici locum, vbi venditur caro, ſicut pelleſuinam, vbi pelles: ſutrinam, vbi calcei. Apud Apuleium, prout in librõ Annotationum noſtrarum ubſeruauimus, laniena accipitur non ſolùm pro loco, ſed etiam pro ipſa laceratiooe. Lanionia autẽ menſa nõ ſolùm in inſtrumento eſt carnificis: ſed etiam continetur in inſtrumento lanionis.

Peregrinitatis reum.] Qni peregrinus erat, ſe Romanum faciebat: vnde re cognita accuſatus eſt peregrinitatis. Ex hoc eernitur Claudius in cognoſcendo friuolus, & ſimilis amenti: qui modò togam, modò palliũ indui voluit ab eu, qui accuſabatur de peregriuitate: vt videlicet pallium indueret, habitũ peregrinũ, quando accuſabatur tanquam pergrinus: togam verò Rumanũ veſtimentum, quando defendebatur, tãquam cinis Romanus. Ita fiebat res ridicula, eùm idem in iudicio ſæpius cogeretur mutare veſtem, quum accuſatores ooo ſemel, ſed pluries, accuſatoris munus obirent, & identidem defenſores defenſionis munia capeſſerent.

Tugatum.] Tanquam Romanus eſſet, eùm Romanorũ ſit toga. Palliatũ.] Tanqnam peregrinus eſſet, eùm pallium ſit Græcorũ: vnde Palliatæ fabulæ dictæ.

Prout accuſaretur.] Quãdo accuſabatur tanquam peregrinus, induebat pallium: quando defendebatur tanquam Romanus, ſumebat togam.

Ex tabella pronutiaſſe.] Ex ſcripto, quod in tabella continebatur. Secundum eos ſe ſentire.] Ineonſulta prorſus ſententia eſt, & qua nihil inconſultius, ae penè amentius eſſe poſſit, vt de ſcripto prunũciet Imperator, ſe ſentire, indicaréque ſecundum vera propunentes: cùm incertũ ſit qui vera propoſuerit ex litigatoribus: & eùm buni iudicis officiũ ſit audiõs hinc & iode allegationibus vel dãnare, vel abſoluere: & ita dicere debet, ſibi non liquere: ſicut veteres factitabant.

indicare qoi ſit vera propoſoerit: quòd ſi res ſit dubioſa, dieere debet, ſibi non liquere: ſicut veteres factitabant.

Euiluit.] Factus eſt vilis, & per contemptionem deſpicabilis.

Excuſans teſtem.] Si ad teſtimonium deſideratus, vocatúſve ad iudicium occurrere in tempore non poterit, erit ei, vt inquit Vlpianus, ſubueniendum.

Præſto eſſe.] Tempeſtiuiter: aduerbium eſt. Tibullus: Pauper erit præſto. Apparitores diei exiſtimat Seruius miniſtros ab eo, quòd apparent, & præſto ſunt ad obſequium.

Diſſimulata diu cauſa.] Propter quam præſtn eſſe nun potuerit teſtis è prouincia euocatus. Mortuus eſt, inquit.] Qui excuſabat teſtis tarditatem, & moram, coactus explicare cauſam cunctationis, dixit illũ eſſe mortuum: & adiecit, puto licuit: hoc eſt, ſe putare licitam eſſe cauſam cunctatinnis, mortem, & ita per ludibrium contemptilis erat Claudius.

Quòd reum defendi pateretur.] Noo tam laodandus eſt princeps quòd reum defendi ſinat, quàm vituperandus ſi ſecus fecerit: eùm iniuſtiſſimi ſint illi, qui reum indicta caoſa condemnant. Fieri ſolet.] Vt ſcilicet reus defendatur, & cauſam dicat.

M. AN. Falſario.] Qui teſtamentum, aut quid aliud falſò ſignarat. Falſarius lege Cornelia intelligebatur, nõ ſolùm qui falſum teſtamentum ſcripſiſſet, ſed qui etiã ſignaſſet, recitaſſet, ſubieciſſet, vel adulterinum ſignum feciſſet, aut ſculpſiſſet: pœna in ſeruos vltimũ ſupplicium, in liberos deportatio. Deportari dicebatur, qui in perpetuum relegaretur: relegatio eerto tempore finiebatur. Hæc Iureconſultus.

Cum machæra.] Græca vox eſt, Latineq; ſica dicitur: dicitur & culter ad ſcindendum ſimul, & vulnerandum. Iuuenalis: -Ames victum, noménq; machæræ. Hinc & Machærophori ſicarii dicuntur.

Menſa lanionia.] Qua eeruices, & damnatorũ membra præciduntur: à laniando dicta; nec eo inficias, lanioniam menſam poſſe etiam dici, qua lanii beſtiarum carnes diſſecant: ſiquidem vtrunque à lanio verbo eſt.

Peregrioitatis reum.] Qui peregrioitatis arguebatur, quum pro ciue ſe geſſiſſet.

Togatum.] Vt ciuem.

An palliatum dicere cauſam.] Pallio amictum, vt peregrinum.

Ex tabella.] Ex ſcripto, vt iam ſtultum iudicium adhuc nobilius eſſet.

Euiluit.] Vilis omnibus factus.

Negauit præſtò eſſe poſſe.] Nihil intempeſtiuius, leuiúſque pronunciari potuit.

Puto licuit.] Et hoc omnino minus ſtultum.

Lacinia togæ.] Quid lacinia ſit, diximus.

patientia eius solitos abuti, vt descendentem è tribunali non solùm voce reuocarent, sed & lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenso, retinerent. Ac ne cui hæc mira sint, litigatori Græculo vox in altercatiõe excidit: κ͵ σὺ γέρων εἶ κ͵ μωρός. Equitem quidem Romanum obscœnitatis in fœminas reum, sed falsò, & ab* impotentibus inimicis confi cto crimine, satis constat, quum scorta meritoria citari aduersus se, & audiri pro testimonio videret, graphium, & libellos, quos tenebat in manu, ita cum magna stultitiæ, & sæuitiæ exprobratione iecisse in faciem eius, vt genam non leuiter perstrinxerit.

* impotentibus

Officium censuræ, & gesta per eum. XVI.

Gessit & censuram intermissam diu post Paulum, Plancúmque censores. Sed hãc quoque inæqualiter, varióque & animo, & euentu. Recognitione equitum iuuenem plenũ probri, sed quẽ pater probatissimũ sibi affirmabat, sine ignominia dimisit, habere dicẽs censorẽ suũ. Alium corruptelis adulteriisque famosum, nihil amplius quàm monuit, vt aut parciùs ætatulæ in-

PHIL. Patientia abuti.] Consimile est illud Ciceronianũ: Quousq; tãdem abutere patientia nostra, Catilina?

Lacinia.] Parte vestis extrema pene fimbriata, cæsuratimque concisa.

In altercatione.] Apud Quintilianum lib. VI. titulus est de altercatione, in quo tradit quemadmodum in altercatione valet plurimùm acumẽ: & vt neque iracundus, neque turbidus, neque clamosus sit altercator.

Excidit.] Ex ore cecidit. Vergi. -Tantúmq; nefas patrio excidit ore.

Καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός.] Id est, Et tu senex es, & stultus. Quid contemptius, quid despectius esse potest eo principe, in quem talia conuicia impunè dicantur: Et senex es, & stultus? Hoc enim interpretamentum est verborum Græcorum, quæ in altercatione Græculo exciderunt.

Obscœnitatis in fœminas reum.] De cũnilingo intelligẽdũ esse censeo: quæ obscœnitas meritò puniebatur quam multis Epigrammatis insectatur Martialis. Seneca quoque Mamercum detestatur ancillarum menstrua ore hiante excipientem. Et Lactantius in morsum cũnilingorum & fellatorum dixit in VI. De istis loquor, quorum teterrima libido, & execrabilis furor ne capiti quidem parcit. Non placet intelligas de libidine præpostera: quæ & ipsa obscœnitatis labe maculosa est.

Ab impotentibus.] Valentioribus, & supra modum potentibus. Ita Impotens tyrannus, & fortuna impotens dicuntur.

Scorta meritoria.] Quæ mercede corpora prostituunt, & tam superiores, quàm inferiores partes omni libidinis genere profanant, nundinato, venditóque pudore: ita & pueri meritorii dicti, qui ob mercedem prostituuntur: quos catamitos dixit antiquitas.

Audiri pro testimonio.] Tanquam indignum foret, minimeque ferendum scorti testimonium audiri aduersus equitis Romani dignitatem: nanque fœminæ etiam probatæ, testimonium dicere non possunt, nisi in paucis admodũ causis, vt est in crimine læsæ maiestatis, scorta verò, cùm famosa sint, tantò magis repelli debẽt à dicẽdo testimonio. Pro testimonio autẽ dixit elegãter, & sciẽter: cùm ista particula pro, sit in oratiõe Latina maximæ varietatis. Aliter enim dicimus, pontifices pro collegio decreuisse: aliter, pro castris depugnatum: aliter pro Rostris, pro tribunali: aliter testem introductum pro testimonio dixisse. quæ omnes dictiones neque omnino similes sunt, & pares, neque omnino diuersæ.

Graphium.] Stylum ferreum.

Genam.] Malam intelligit. Plinius: Infra oculos malæ homini tantùm, quas prisci genas vocabant. Aliàs gena significat palpebram, operimentúmq; oculorum. Idem, Pisces, inquit, & insecta non habent genas. Ennius quoque genas palpebras vocat illo versu: Pandite sulcis genas, & corde relinquite somnum.

Perstrinxerit.] Vulnerauerit, læserit.

Hanc quoque inæqualiter.] Sicut in iudicando fuerat maximè varius, ita in officio quoq; censorio exercendo præbuit se inæqualem, & varietate inconstantem. Ob hanc Claudianam censuram dixit Sidonius: Et caligas Caii Claudii censura secura est.

Corruptelis.] Plautus in Asinaria: Is apud scortũ corruptelæ, & liberis lustris studet.

Probri.] Dedecoris, atque flagitii.

Censorem suum.] Dictum profectò censorium, grauitatis, & prudentiæ plenum: quo Claudius declarauit patres censores esse debere filiorum, & censorio supercilio, atque castigatoria seueritate vti ad illos coercendos: nam, vt ait Sidonius, filios pro patria authoritate monere debemus.

Famosum.] Infamem.

Aetatulæ.] Molliori, & iuniori ætati, quæ propensa est, atque procliuis ad libidinem. Ita Varro: Properate viuere pueræ, quas sinit ætatula ludere.

M. AN. Καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός.] Et tu senex es, & stultus.

Obscœnitatis in fœminas.] Quod obscœno congressu illis abuteretur.

Impotentibus.] Valde potentibus.

In faciem.] Claudii.

Perstrinxerit.] Impegerit. nunc: alioqui perstringere percurrere, radere est.

Varióque & animo.] Inconstanti, nec eodem circa crimina affectu.

Probri.] Criminis, infamiæ.

Censorem.] Patrem scilicet, qui pro censore illi esset. Aetatulæ.] Teneræ ætati. Indulgere alibi pro addictũ esse, vehementius studere, & propense incũbere: vt, Indulge ordinibus, apud Vergil. Cicero in Lælio: Sperni ab iis amicitias veteres, indulgeri nouis.

Aut

dulgere, aut certè cautiús. Addidítque: Quare enim ego scio quam amicã habeas? Et quum orantibus familiaribus dempsisset cuidam appositã notam, Litura tamẽ, inquit, extet. Splendidũ virum, Græciæque prouinciæ principem, verùm Latini sermonis ignarum, non modò albo iudicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit. Nec quenquam nisi sua voce, vtcunque quis posset, ac sine patrono rationem vitæ passus est reddere. Notauítque multos, & quosdam inopinantes, & ex causa noui generis, quòd se inscio, ac sine commeatu Italia excessissent. Quendam verò, & quòd comes regis in prouincia fuisset, referens maiorum temporibus Rabirio Posthumo Ptolemæum Alexandriam crediti seruandi causa secuto, crimẽ maiestatis apud iudices motum. Plures notare cona-

PHIL. Avt certè cautiùs.] Suppressiùs, prudentiúsque: iuxta illud triuiale, Si non castè, saltem cautè. Cui consimile est illud Apuleianum: Quod nemo nouit, penè nõ fit. Cæterùm sapientem ne quidem peccaturum esse philosophi tradunt, etiam si peccasse eum dii, atq; homines ignoraturi forent. Nõ enim pœnæ, aut infamiæ metu, non esse peccandum sentiunt, sed iusti, honestiq; studio, & officio. Remoti verò ab illa perfecta sapientia, peccare prodiuiùs existimantur, quum latere posse id peccatum potuerint, immunitatémque ex ea latebra sperauerint.

Quare ego scio.] His verbis ostendit Claudius adulteria parum cautè, nec furtim exerceri ab eo iuuene, quem castigabat: quum eius amica sibi foret nota. Furta autem Venerea furtim, clanculúmque exerceri debent: nec mysteria Cupidinis sunt inuulganda. nam, vt inquit Ouidius:

Præcipuè Cytherea iubet sua sacra taceri.

Dempsisset.] Sustulisset, detraxisset.

Appositam notam.] Infamiam, & sugillationem: vnde & notatus infamia dici solet ignominiosus. Interdum nota accipitur in bonam partem: vt illud apud Ouidium: Ille Numantina traxit ab vrbe notam.

Litura.] Demo, inquit, notam: sed tamen volo vt extet litura: hoc est vestigium notæ, quæ res declaret hunc olim fuisse notatum, sugillatúmque.

Albo.] In quo nomina iudicum perscripta legebãtur. Repete quæ suprà explicauimus de albo iudicum, decurionum, & pontificum.

In peregrinitatem redegit.] Inter peregrinos numerari voluit, tanquam ciuitate Romana dignus non esset, qui Latinè loqui nesciret.

Ac sine patrono.] Laudandus meritò vel ob hoc Claudius est, qui noluit quenquam ex ordine iudicum rationem vitæ suæ reddere per aduocatum, sed vt ipsemet suamet voce causam suam tutaretur. Sine causidicis, vt inquit eleganter Columella, felices olim fuerunt, futurǽque sunt vrbes.

Rationem vitæ reddere.] Olim Amasis Aegyptiorum rex legem cõdidit saluberrimam, vt quisque quotannis apud præsidem rationem vitæ redderet, demonstrarétque vnde viueret, aut quo quæstu sustentaretur: qui hoc non faceret, vt is morte afficeretur. Hanc legẽ Solon ab Aegyptiis transtulit ad Athenienses: quã illi, vt inquit Herodotus in Euterpe, quòd sit castissima, assiduè vsurpant. Etenim homines honestatem sectabuntur, suppressiùs, cautiúsque peccabunt memores rationem vitæ esse reddendam. Vtinam hæc lex in patria nostra seruaretur: profectò iuuenes, qui luxu diffluunt, ad frugalitatem vergerentur.

Ac sine commeatu.] Non petito temporali abscessu, qui commeatus dicitur: lege militari milites puniũtur, qui sine commeatu castris excedunt. Hinc Liuius taxans exercitum Annibalis tanquam luxuriosum nimis factum & parum obsequibilem, ait: Sine commeatibus magna pars ab signis dilabebantur: neque aliæ latebræ, quàm Capua, desertoribus erant.

Rabirio Posthumo.] Caius Rabirius Posthumus Ptolemæo regi Alexandrino, cùm regno pulsus Romã venisset, egenti, & roganti, grandem pecuniam credidit: cui & regnanti crediderat absens: nec solùm suam pecuniam credidit, sed & amicorum. Postquam autem in regnum reductus est Ptolemæus, Alexãdriã profectus est Posthumus causa pecuniæ exigendæ: vbi dioecetes fuit regius, hoc est dispensator. Dictio mendosa est apud Ciceronem in oratione pro Rabirio Posthumo: nã non dioecetes, sed Diogenes in plerisq; omnibus codicibus legitur. Præterea coactus est suscepta regia dispẽsatione vestitum, habitúmque mutare. Ex hoc accusatus, tãquam maiestatem populi Romani læsisset, & à Cicerone defensus: propter hunc opinor dictum ab eodem Cicerone in principio Epistolarum ad Lentulum: Res agitur per eosdem creditores, per quos, quum tu aderas, agebatur. Nanque nomine creditorum priuatim Rabirius Posthumus significatur, qui pecuniam credebat regi Alexandrino. Sensus autem Tranquilli hic est, quendam ob id notatum fuisse à Claudio nouo genere notationis, ob hoc solùm, quòd regem externum comitatus fuisset: tanquam indecorum esset, Romanos ciues comites, assecláque fieri regum. Allegauitque exemplum Rabirii Posthumi, qui factus fuerat reus maiestatis, dum sequitur Ptolemæum Alexandriam ex vrbe reuertentem. Verùm, vt ait Cicero, vis, quæ omnia frãgit, coegit Posthumum, etiam inuitum, causa seruãdæ pecuniæ creditæ Ptolemæum subsequi, & eius fieri dispensatorem.

Crediti.] Pecuniæ creditæ.

Notare.] Nota ignominiosa signare.

Cvr scio quam amicam.] Admonere id certè fuit, vt cautiùs adulteria sectaretur. M. AN.

Notam.] Ignominiam.

Litura extet.] Vt monumentum ignominiæ esset irrogatæ, sed precariò remissæ.

Ex albo iudicum.] In albo, vt diximus, iudicum nomina conscribebantur. In peregrinitatem redegit.] Ciuitate adempta pro peregrino habuit.

Causa noui generis.] Noua quadam de causa, & ob quam nemo vnquam anteà notatus esset.

Quòd se inscio.] Et hæc causarum vna.

Quòd comes regis.] Quòd regẽ comitatus esset. sed quem regem, non dicit.

Rabirio Posthomo.] Pro quo bis Cicero orauit.

Motum crimen.] Crimini datum.

tus, magna inquisitorum negligentia, sed suo maiore dedecore innoxios ferè reperit, quibuscunq; cælibatum, aut orbitatem, aut egestatem obiiceret maritos, patres, opulentos se probantibus: eo quidem, qui sibimet vim ferro intulisse arguebatur, illæsum corpus veste deposita ostentante. Fuerunt & illa in censura eius notabilia, quòd essedum argenteum sumptuosè fabricatum, ac venale, ad sigillaria redimi, concidíque coràm imperauit. Quódque viso die viginti edicta proposuit: inter quæ duo, quorum altero admonebat, vt vberi vinearum prouentu bene dolia picarentur: altero;

PHIL. INquisitorum negligentia.] Sæpenumero inquisitores, quibus aliquid inquirendum, vestigandúmque mandatur, per negligentiam, & incuriam peccare nos faciunt. Ita Claudius inuentus est vanidicus, & dedecorosus, dum credit vera esse, quæ sibi referebantur ab his, quibus inquirenda hoc genus crimina commiserat, negligenter, somniculoséque inquirétibus. Sic etiā Seneca (si Quintiliano reprehendenti credimus) errauit, deceptus ab his quibus inquirenda quædam mādabat.

c. Cælibatum.] Singula singulis opponenda. Nam cælibatū ad maritos, orbitates ad patres, egestatem ad opulentos referre debemus. Cælibatus autem significat abstinentiam rei vxoriæ, vitámq; sine matrimonio: & cælebs is dicitur, qui caret vxore. Quintilianus deridet Modestum, qui quia Cællo Saturnus genitalia absciderit, cælibes appellatos ait, qui vxore careant. Gablnius ingeniosè sibi visus est dicere, cælibes dici, veluti cælites. Priscianus quoqoe ait: Cælebs dicitur, quasi cælestium vitam ducens. Hieronymus lib. II. contra Iouinianum, cælibibus nomen inditum esse autumat, quòd cælo digni sint, qui coitu careant: videntúrq; hi omnes accipere cælibes non tam pro vxore carentibus, quàm pro castis, & omni Venere abstinentibus. Sed nescio an satis exactè, satísq; significanter locuti sint: nanq; apud eos, qui puriter, & Latinè loquuntur, cælibes pro his, qui vxore careant, vsurpantur, etiam si in concubinatu concubinas haberent. De cælibatu sic ait Martianus Capella, Constituit, inquit, Mercurius pellere cælibatum. Quem locum allegans Fulgentius Placiades, exposuit cælibatum esse virginitatis abstinentiam. Maritum, & cælibē inter se opponi, docet hic Trāquillus, & Quintilianus lib. v. sic scribens: Pater an filius: ciuis, an peregrinus: liber, an seruus: maritus, an cælebs: parens liberorum, an orbus sit. Boethius, & dialectici hæc affecta appellant, quæ se è regione respiciunt. Cælibes autem opere censorio puniri solebant, sicuti docet Valerius in titulo De nota censoria: & Cicero sic scribens in legibus de officio censorum, Cælibes esse prohibento.

Orbitatem.] Quòd filios scilicet nō haberent. De orbitate hæc Statius: Orbitas omni fugienda nisu. Plinius ait, orbitatem fuisse in authoritate, summáque potentia. Orbi enim captabantur ab hæredipetis: &, vt author est Marcellinus, orbi, & cælibes colebantur.

Sibi vim intulisse.] Scribit Aristot. in v. Ethicorū, eum, qui semet occidit, sibi quidem iniuriam non facere, quia volens id patitur, sed ciuitati, cuius partem tollit: est enim ciuis particula ciuitatis.

Essedum.] De essedo curru, & essedariis copiosè scripsimus in superioribus, & in II. Propertii cōmentario. Argenteum.] Plin. in XXXIII. taxans Romanā luxuriam ait: At nos carrucas ex argento cælare inuenimus. Idem in eodē memorat currus argēteos, aureósq; Mithridatis Eupatoris fuisse translatos in triumpho Magni Pompeii. Ad sigillaria.] Nomen est vici, in quo sigilla, hoc est, simulacra pusilla vendebantur: vnde & sigillaria pro festiuitatis nomine, & sigillaritia munera: de quibus suo loco diximus. In vico sigillariorum venale fuisse essedum significat, de quo vico sic meminit Gellius lib. v. Apud sigillaria forte in libraria ego & Lucius Paulus poeta, vir memoria nostra doctissimus, consederamus.

Concidi.] Frāgi, & in frusta, particulásque secari.

Bene dolia picarentur.] Dolia, vasa sunt grādia fictilia, quibus vina reconduntur. Docet Plinius in XIIII. quemadmodū ventrosa, ac patula minùs vtilia sūt. Hæc autem pice intus linebantur: quod picare dicitur, & impicare apud Columellam: vnde & vasa picata. Plinius pīcari oportere ait protinus post ortū Caniculæ. Coopercula verò dolliorū medicanda mastiche, an pice. Quin etiam vinum ipsum pice prisci condiebant, idque picatum vocitabant: cuius cōditura traditur à Columella lib. XII. Agricolationis. & Plinius dixit: Pice, & resina cōdire musta vulgare Italiæ est. Idē in XXIII. Vinum rubrū magis constringit, magísq; calefacit: innocētius pice sola conditū. Erat & picatū aliud quod spōte naturæ suæ picis saporē resipiebat: & hoc in agro Viennēsi peculiariter nascebatur. Plinius: Iam inuēta viris per se in vino picē habēs, resipiénsq; Viennensem agrū nobilitās. De hoc genere vini intellexit Mart. illo versu: Hæc de vinifera venisse picata Viēna. Pix autem Brutia, & Nemeturica laudātur ad vini condituras. Columella dolia refert ante quadragesimū vindemiæ diem picāda esse, picariq; dicit debere pice feruētissima infusa: & quod distillauit in fundū, aut quod in lateribus hæsit, curuata ferrea radula ducendum. Est autē radula, instrumentū ferreū, à radendo dictū: vnde pix ipsa radulana cognominata, quæ radula eraditur. Obiter emēdemus mendosam Plinii dictionē. Ita enim in XIIII. passim scriptum est: Rabulana pice, ac resina cōdire musta: cū radulana legēdū sit, & rabulana expūgendū. De doliis vinariis scribūt Iuriscōsulti hæc: Vino legato cum vasis, dolia legata non sunt: quia scilicet ea mente vinum in dolia cōdimus, vt ex his posteà, vel in amphoras, vel in cados diffundamus: & hoc est, quod vinum diffusum nominatur à doctis. Iuuenalis:

Ille capillato diffusum consule potat. Qui versus à grāmaticis vacanter, & otiosè solet nō tam explicari, quàm implicari. Iulianus titulo De verborū significatione, ait dolia tandiu esse in vasis vinariis ponenda, quandiu vinū habuerint: cùm sine vino esse desinerēt, in eo numero non esse, quoniam ad alium vsum transferri possunt. Diminutiuum dolii, est doliolum: vnde & locus Romæ dictus Doliola, ex eo quòd condita in doliis sacra Romanorum, illhic defossa fuerūt in bello Gallico à flamine Quirinali, virginibúsque Vestalibus: author Liuius in v. Marcus autem Varro Doliola esse ait ad cloacam maximam, dicique à doliolis, in quibus essent ossa cadauerū. Alii quòd Numæ Pōpilii religiosa quædam post mortem eius essent infossa doliolis. A dolio vasa doliaria nuncupata. Plautus anum ventriosam, & suffarcinatam, festiuiter appellat doliarem.

nihil æquè facere ad viperæ morsum, quàm taxi arboris succum.

Expeditio eius Britannica, & triumphus. XVII.



Xpeditionem vnam omnino suscepit, eámque modicam. Quum decretis sibi à Senatu ornamentis triumphalibus leuiorem maiestati principali titulum arbitraretur, velléťq; iusti triumphi decus, vnde acquireret, Britāniā potissimùm elegit, neq; tentatā vlli post Diuū Iuliu, & tūc tumultuantē ob nō redditos trāsfugas. Huc cùm ab Hostia nauigaret, vehementi Circio

M.AN. INquisitorum.] Eorum, qui negligenti inquisitione temere quorundam crimina detulissent.

Cælibatum.] Cælibem vitam, & connubii expertē.

Orbitatem.] Quod certe ineptius fuit, quum illud consilio, hoc casu euenire possit: nisi orbitatem simpliciter accipias pro sterilitate quadam, connubiive detractione.

Obiiceret.] Probro, & crimini daret. Maritos, patres, opulentos.] Singula singulis referenda eodem ordine, quo crimina intentata.

Essedum.] Vehiculum.

Adsigillaria.] Gellius: Quum in sigillaribus sederemus. Bene dolia picarentur.] Quasi verò priuati cōmodi ciues publico edicto admonendi essent. Quòd dolia picarentur, Plinii verba demonstrant, lib. x vi. cap. x i. Doliis duntaxat, inquit, vasísq; cæteris vtilis, lentore ab alia pice differens. Cato: Ante vindemiam vasa lauentur, corbulæ sarciantur, picentur dolia.

PHIL. AD viperæ morsum.] Vt ait Lucanus:

Morsu virus habent, fatúmq; in dente minātur:
Pocula morte carent.- Quidam viperis vtuntur in cibis, vt ait Plinius libro vndetrigesimo, quatuor digitorum mensura à cauda, & à capite præcisa, exemptisq; interaneis. Antonius Musa viperas edendas dabat, cùm incidisset vlcera insanabilia, miráque celeritate persanabat. Vipera porcelli modo inassata, medetur iecinorum doloribus. Constat contra omnium serpentium ictus, quāuis insanabiles, ipsarum serpentium exta imposita auxiliari: eósq; qui aliquando viperæ iecur ederint, nunquam postea feriri à serpente.

Taxi succum.] Ab arbore taxo taxica dici putant venena, quæ nunc toxica dicimus. Vasa viatoria ex taxo vinis facta, mortifera fuisse compertum est. Arbor est baccifera, vt inquit Plinius, cuius baccis, in Hispania præcipuè, venenum lethale inest. De taxo scribit abunde Theophrastus in III. de plantis, vbi refert taxi fructum esse rotundum, faba paulò maiorem, colore rufum, tactu mollem. Si iumenta taxi folia comederint, emoriuntur: si ruminantia, nihil patiuntur. Dicebat Claudius, succum taxi præsentissimum esse remedium ad viperæ morsum: fortasse quia venenum veneno retunditur, atque expugnatur: sicut aconitum colluctatur cum veneno, quod inuenerit in homine: & ita duo venena in homine commoriuntur, vt ipse homo supersit. Auicenna refert remedia non pauca ad morsus viperarum, nulla facta mentione huiusce Claudianæ medelæ: cum primis ait coagulum ceruinum, & leporinum esse salutaria: laudat & rutam syluestrem, stercus caprinum in poto datum, succum anagallidis, succū porri, & corticem aristolochiæ.

Leuiorem titulum.] Aliud est triumpho decorari, aliud triumphalibus ornamentis: nam multi ornamenta triumphalia consequuti sunt, qui nunquam tamen triumpharunt. Quæ autem essent ornamenta triumphalia, alibi docuimus. Titulus autem ornamentorum triumphalium visus est Claudio leuior, quàm maiestati principis conueniret: ideóque expeditionem bellicam suscepit.

Iusti triumphi.] Legitimi, & magni. Plinius: Opere iusto temporum nostrorum historiam orsi. Et iustum prælium, & iustum exercitum Historici dicunt magnum. Vergilius verò in eodem significato, non iustum dixit, sed iniustum: sic enim ait in Georgicis: Iniusto sub fasce viam dum carpit.- Asconius iustas inimicitias apud Ciceronem pro magnas exposuit: subiunxítque: Magnas dicit, vt econtrario Vergil. Iniusto sub fasce viam dum carpit.-

Post Diuum Iulium.] Primus omnium Romanorum Diuus Iulius cum exercitu Britāniam ingressus, potest videri ostendisse posteris eam insulam, non tradidisse. Caligulam cogitasse de intranda Britannia satis cōstat, ni velox ingenio, mobilis pœnitentia fuisset. Claudius verò transuectis legionibus, auxiliísque eam expeditionem suscepit: author Corn. Tacitus in libro de vita Iulii Agricolæ.

Vehementi Circio.] Circius, ventus est peculiaris Galliæ Narbonensis: de quo hæc Gellius: Galli ventum ex sua terra flantem, quem sæuissimum patiūtur, Circium appellant, à turbine, opinor, eius, ac vertigine. Marcus Cato Cercium dicit, non Circium: cuius verba hæc sunt: Ventus Cercius cùm loquare buccā implet: armatum hominem, plaustrum oneratum percellit. De Circio Lucanus:

-Solus sua littora turbat
Circius: & tuta prohibet statione monœci.

Seneca in IIII. Quæstionum: Atabulus Apuliam infestat, Calabriam Iapix, Athenas Sciron, Galliam Circius. Addit Plinius in secundo, hunc ventum Circium non solùm in reliquis cæli partibus esse ignotum, sed nec quidem Viennam eiusdem prouinciæ Galliæ ciuitatem attingere.

M.AN. TAxi arboris succum.] Neque hoc minus ridiculum, medicinæ præcepta per edictum populo demonstrare: aut certè quia titulus ipsi arbori, vt Plinius ait, inest. Succus ex baccis est præcipuum venenum. Sunt qui venena inde toxica putent dicta, quasi taxica. In Arcadia tam præsentis est veneni, vt si qui dormiant sub ea, cibúmve capiant, moriantur. Et vasa vinis ex ea arbore facta mortifera fuisse in Gallia compertum est. Græci, vt Sestius ait, eam smilacem vocant. Potuit, quod ad edictum attinet, Claudius sympathiam aliquam sequutus videri: nam vt contraria contrariis, sic similia similibus curantur.

Maiestati principali.] Quàm principis maiestatem deceret.

Transfugas.] Ad Minocynum Bellini regis filium: qui cum multis ad Caligulam transfugerat.

Vehementi Circio.] Est is ventus Narbonensi Galliæ clarissimus, nec vllo, vt Plinius ait, violētia inferior, Hostiam plerunque rectà Ligustico mari perferens.

bis penè demersus est prope Liguriam, iuxtáque Stœchadas insulas. Quare à Massilia Gessoriacum vsq; pedestri itinere cõfecto, inde trãsmisit: ac sine vllo prælio, aut sanguine * intra paucissimos dies parte insulæ in deditionem recepta, sexto, quàm profectus erat, mense, Romam rediit, triumphauitque maximo apparatu. Ad cuius spectaculum cõmeare in vrbem non solùm præsidibus prouinciarũ permisit, verùm etiam exulibus quibusdam: atque inter hostilia spolia, naualem coronam fastigio Palatinæ domus iuxta ciuicam fixit, traiecti, & quasi domiti Oceani insigne. Currũ eius Messalina vxor carpẽto secuta est. Secuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti, sed cæteri pedibus, & in prætexta, Crassus Frugi equo phalerato, &

* inter

PHIL. PRope Liguriam.] Plinius Italiæ descriptionem orditur à Liguria: cuius finis est fluuius Macra, celeberrimum oppidum Genua. Refert Liuius libro vndequadragesimo, Liguriam prouinciã ante omnes alias acuisse Romanam virtutem: cùm Ligustinus hostis videretur esse natus ad continendã Romanis militarem disciplinam. Vergilius de Liguribus:

Assuetúmq; malo Ligurem.- Olim capillati fuerunt Ligures, nunc tonsi: ex quo illud Lucani: Et nunc tonse Ligur.- Ligures bellicosos fuisse, testis quoque Plutarchus in Aemylio.

Stœchadas.] Stœchades insulæ tres numero sunt in Rhodani ostio, vicinæ Massiliensibus, propter ordinem, quo sitæ sunt, ita nũcupatæ: Græci enim στῖχον ordinem dicunt, & versus. Nomina Stœchadum, vt inquit Plinius in tertio, cap. v. sunt hæc: Prote, Mese, Hypæa: Latinè dici possunt, prima, media, vltima. Stœchados singulariter protulit Lucanus illo versu:

Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite classis
Stœchados arua tenens.-

Gessoriacum.] Scribit Plinius in IIII. Gessoriacũ litus esse gentis Morinorum, qui à Vergilio extremi hominum dicuntur: vnde traiectus breuis est in Britanniam: hodie vulgò Cales nuncupatur.

In deditionem recepta.] Author est Corn. Tacitus, Claudium, assumpto in partem rerum Vespasiano, domuisse gentes Britannicas, regésque cepisse. Eusebius quoque Chronographus sic inquit: Claudius de Britãnis triumphauit, & Orchadas insulas Romano adiecit Imperio. Commeare.] Venire.

Præsidibus permisit.] Cùm alioqui præsidi abnoctare non liceat extra prouinciam, permisit præsidibus Claudius, vt Romã venire possent causa spectãdi triũphum. Nam, vt inquit eleganter Martianus Iurisconsultus, illud obseruandum est, ne qui prouinciam regit, eius fines excedat, nisi voti soluendi causa.

Naualem coronam.] Corona naualis est, qua donari solet maritimo prælio, qui primus in hostium nauem vi armatus transiliuit: ea quasi nauium rostris insignita ex auro fieri solebat: author Gellius in v. Plinius in XVI. rostratas appellat, quas in duobus maximè celebres fuisse prodidit, M. Varrone scilicet, & M. Agrippa. Hinc illud Maronianum:

Tempora nauali fulgent rostrata corona.

Fastigio.] Parte sublimiori, eminentiorique.

Palatinæ domus.] Imperatoriæ, Cæsariæque. Plinius ait, Palatinas domos Cæsarum repletas signis probatissimis.

Iuxta ciuicam.] Scilicet coronam: quam in primis Imperatores accipiebant, eámque figebant in vestibulo: sicuti latiùs explicatum est in Tyberio.

Currum.] Triumphalem.

Carpento.] Tanquam carruca matronali. Carpenta ab Euandri matre Carmente dicta fuisse, alibi docuimus. Vsus carpentorum peculiariter fuit fœminis in vrbe concessus.

In prætexta.] Prætextati scilicet sequuti sunt. Author est Eutropius, Claudium, deuicta Britannia, per Cn. Sentium, & Aulum Plautium illustres, & nobiles viros triumphum celebrem egisse, qui circa quosdam amicos tam ciuilis extitit, vt etiam Plautium nobilem virũ, qui in expeditiõe Britannica multa egregiè fecerat, triumphãtẽ ipse prosequeretur, & conscendenti Capitolium læuus incederet. Crassus Frugi.] Primus apud Romanos Lucius Piso cognominatus est Frugi. Cicero in Tusculanis quæstionibus: Reliquas etiam virtutes frugalitas cõtinet: quæ nisi tanta esset, & si his angustiis, quibus plerique putant, teneretur, nunquam esset Lucii Pisonis cognomen tãtopere laudatum. Græci χρησίμους homines appellant, quos Latini dixerunt frugi, nomine indeclinabili. Hinc à Martiale dictum:

Tam frugi Iuno vellet habere Iouem. Donatus frugi vtile interpretatur, tãquam frugibus nihil sit vtilius. Boni serui peculiariter frugi nuncupabantur, quasi vtiles, & necessarii. Plautus: Atque ita seruum par videtur frugi sese instituere. In Crassorum quoque familia fuisse cognomentum Frugi indicat hîc Tranquillus, & Spartianus, cùm ait: Crassum Frugi occisum fuisse à procuratore Adriani iniussu ipsius, quasi res nouas molientem. Phalerato.] Phaleris ornato.

M. AN. STœchadas insulas.] Sunt hæ ante Rhodani ostia tres numero, Prote, Mese, & Hypæa, ab ipso ordine quo iacent dictæ: Plinius est author.

A Massilia.] Strabo Isthmum esse ait, qui à Narbonensi mari Oceanũ submoueat, tribus millibus stadiorum arctiorem. Gessoriacum.] Plinius Certiacum pagum appellat Morinis propinquum, quos Maro ad Oceanum posuit, Extremique hominum Morini.

Hostilia spolia.] Quæ in aperto suspenderat.

Naualem coronam.] Cuius formam in Augusto expressimus. Iuxta ciuicam.] Cuius perpetuò habendæ vsus iam anteà fuerat Imperatoribus cõcessus. Plinius: Dedit hanc Augustus coronam Agrippæ, sed ciuicam à genere humano accepit ipse & rursus: Ciuicæ coronæ militum virtutis insigne clarissimum, iampridem verò & clementiæ Imperatorum, postquam ciuilium bellorum profanatione meritum cœpit videri ciuem non occidere. Messalinã.] Ex qua Octauiã, & filium, quem Germanicum primò, mox Britannicũ appellauit. Iuuen. Ostendítq; tuum, generose Britannice ventrem. Crassus Frugi.] Frugi, cognomen est. Sic in Galba, Piso, inquit, Frugi Licinianum. Cuius gentis Crassum fuisse suspicari libet: nam Crassi in Licinia familia fuere: credo fuit Pisonis pater, quẽ posteà Nero, vt Cornelius ait, occidit.

In

in veste palmata, quòd eum honorem iterauerat.

Cura urbis, & annonæ. XVIII.



VRbis, annonæq; curam solicitissimè semper egit. Quum Aemyliana pertinaciùs arderent, in delibatorio duabus noctibus mansit: ac deficiente militum, ac familiarum turba, auxilio plebem per magistratus ex omnibus vicis conuocauit: ac positis ante se cum pecunia fiscis, ad subueniendũ hortatus est, repræsentaturus pro opera dignã cuiq; mercedem. Arctiore

PHIL. IN veste palmata.] Vestem hanc triumphantiũ fuisse docet Ausonius in Panegyrico sic scribẽs: Palmata vestis, vt in pace Cõsulis est, sic in victoria triumphãtis. Eiusdem meminit Liuius lib. x. cùm de ornamentis triumphalibus loquens ait: Quos vos sellis curulibus toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triũphali, laureáq; honorauerítis. Palmata, vt refert Seruius vtebantur illi, qui palmam merebantur: vnde palmata dicta. Hinc illud luculenter dictum à Sidonio in Panegyrico: Post palmã palmata venit. Nõ prætereondum est, quod tradit Iulius Capitolinus, qui de Gordiano scribens ait: Palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum priuatus suam propriam habuit: cùm antè, Imperatores etiã, de Capitolio accipereot, vel Palatio.

Aemyliana pertinaciùs arderent.] M. Varro libro III. de re rustica mentionem facit Aemylianorum ædificiorum, cùm sic inquit: Quod enim extra vrbem ædificiũ nihilò magis est villa, quàm eorũ ædificia, qui habitant extra portam Flumétanam, aut in Aemylianis. Aemylianorum quoque meminit Cor. Tacitus his verbis: Plus infamiæ id incendium habuit, quia è prædiis Tigillini Aemylianis proruperat. Vidẽtur autem Aemyliana dici à familia Aemyliorum, quæ Romæ fuit honestissima, vetustissimáque à sermonis lepiditate dicta, quã Græci Αἱμυλίαν appellant. Aemylianus vocitatur Africanus minor, quasi Aemylii filius, qui per adoptionem insertus fuit familiæ Scipionũ. Qui sentit Aemyliana ab Aemylia via nũcupari, malè sentit: cùm ab Placentia Ariminum vsque perducta sit Aemylia via ab Aemylio consule. Qui legit Aequimeliana, perperam legit, à scriptóque recedit.

In diribitorio.] Hunc nodum qui enodauerit, nõ sat scio, sicut alia multa dissimulanter prætérita sunt. Ego existimo legendum esse, in delibatorio, sicut emaculatus codex habet. Erat autem delibatorium, locus delibationibus accõmodatus, cuius conditor fuit Mar. Agrippa: cuius apud Plinium nostrum meorio fit libr. XVI. Naturalis historiæ. Verba Plinii adscripsimus, quæ sunt hæc: Fuit & memoria nostra in porticibus septorũ à Mar. Agrippa relicta æquè miraculi causa, quæ delibatorio superfuerat viginti pedibus breuior, sesquipedali crassitudine. Qui deriuatorium corrigendum esse autumant, accipiúntque pro castello in ductibus aquarum deformato, hi commentitiam dictionem, & nusquam repertam, deriuare moliuntur: igitur legas velim, meo quidem periculo, delibatoriũ: vt sit sensus, Claudium ardentibus Aemylianis, mansisse per duas noctes in delibatorio, loco scilicet Aemylianis proximo, vt sua præsentia, & cura ad incendium restinguendum homines incitarentur. Quantum ex Varronianis verbis, & Plinianis coniectare possumus, Aemyliana, & delibatorium erant in campo Martio prope septa, & villam publicam, ita vt ardentibus Aemylianis meritò Claudius manserit in delibatorio, illhíncque incitauerit restinctores incendii. Quòd si legas, in diribitorio, sicut plerique omnes lectitare consueuerunt, expones pro ministratorio, hoc est pro loco, in quo ministri diuersantur, quos diriuitores appellãt: qua dictione vsus est Apule. in II. de Asino aureo, cùm ait: Diriuitores plusculi splendide amicti, fercula copiosa scitule subministrata. Ammianus quoque Marcellinus sic scribit libro historiarum duodeuigesimo: Dum hæc in castris Constãtii quasi per lustra aguntur, & scenam, & diriuitores venũdatæ subitò potestatis pretium per potiores diffundit. Plinius in Epistolis pædagium appellat Id, quod diriuitorium dici videtur: ἀπὸ τῶν παίδων, id est à pueris, & ministris. Prior sententia magis placet, vt legas in delibatorio.

Auxilio.] Ad ignẽ restinguendũ.

Fiscis.] Marsupiis, atque crumenis. Sunt enim fisci, authore Pediano, nummorum receptacula, sicut & fiscinæ, & fiscellæ. De hoc alibi copiose dictũ satis est. Cicero: Reperiebã fiscos cõplures cum pecunia Siciliensi à quodam Senatore ad equitem Romanum esse trãslatos. Repræsentaturus.] In præsentia, & sine cunctatione exhibiturus. Arctiore.] Egestate rei frumentariæ: quo tempore constat quindecim, tãtùm dierum alimenta vrbi superfuisse.

M. AN. IN veste palmata.] Triumphali toga, qua triomphantes vtebantur, erátq; ea picta, & togæ Iouis similis: ab eo palmata, siue palmaris dicta, quòd ea vtebantur, qui palmã, id est victoriã meruissent. Aemyliana.] Aequimeliana potiùs ædificia, scilicet Aequimelio circũiecta: fuit Aequimeliũ in parte vrbis ad busta Gallica, quo scilicet Gallorum, qui in vrbe perierant, ossa sunt in vnũ collata. Eius loci Liuius, & Varro meminerunt. Aequimeliana igitur, aut certè ædificia deflagrasse accipias, qua vrbs in Aemyliam mittit, quod non probo.

Diribitorio.] Multùm, diúque elaboraui, quid diribitoriũ esset, intelligere: nec ex varia lectione ad hunc diẽ contigit id discere. Tradet fortasse id alius, verùm ne omnino intactũ locũ prætereamus, libet, vt in plerisq; aliis, suspicari, quãdo neq; nostri, neque Græci authores, quos vidimus, id tradant, librariorũ incuria deprauatã esse dictionem: vt vno, alteróq; elemẽto ob soni vicinitatem inuerso, pro diriuatorio diribitoriũ scripserint. Latinè enim Trãquillus diriuatorium appellare potuit ædificium in aquæductibus, quod castellum alii vocant, vnde aquæ in diuersas vrbis partes corriuabantur: vt Vlpianus, & Iabolenus Iureconsulti apertè demonstrant: quibus Plinius, & Frontinus adstipulantur, vt sit sensus: Spectauit Claudius incendium ex diriuatorio, id est castellorum vno, quippe quæ erãt ad centum triginta numero: ac complura cultu magnifica, & operibus, aliísq; sita, vt Frontinus ait, adeò vt in Palatio quoque fuisse, colligere possis: vnde suo arbitrio vno, pluribúsve locis laborãri per biduum vrbi aquas subministrari iuberet. Sunt, scio, qui pro domus parte accipiant: sed qualis ea fuerit, vnde dicta, non expediunt. Apuleius, Diriuitores, inquit, plusculi splendidè amicti, fercula copiosa scitulè subministrata. Quibus verbis apparet locum, diriuitorium esse potuisse, vbi conuiuia pararentur: sed id nomen, vt dixi, non memini apud quempiam me adhuc legisse.

Arctiore.] Angustiore, cariore.

autem annona ob assiduas sterilitates detentus quondam medio foro à turba, conuiciisque, ac simul fragminibus panis ita instratus, vt ægrè, nec nisi postico, euadere in Palatiũ valuerit. Nihil non ex eo cogitauit ad inuehẽdos, etiã in tempore hyberno, commeatus. Nam & negotiatoribus certa lucra proposuit, suscepto in se damno, si cui quid per tẽpestates accidisset: & naues mercaturæ causa fabricantibus magna commoda.

Vacationes per eum concessæ. XIX.

CONstituit pro conditione cuiusque ciuis vacationem legis Papiæ Pom-

PHIL. DEtentus medio foro.] Cor. Tacitus: Nec occulti tantum questus, sed iura reddentem Claudiũ circunuasere clamoribus turbidis, pulsũmque in extremã fori partem vi vrgebant, donec militum globus infensus prorupit. Instratus.] Coopertus, impetitus, &, vt legitur ab Orosio, infestatus.

Aegrè.] difficulter.

Postico.] Qood Tranquillus posticum vocat, id elegãti vocabulo ψευδόθυρον, quasi falsum ostiũ Paulus Orosius appellat: cuius verba hæc sunt ex libro septimo, quibus historia hæc explicatur. Veruntamen sequenti anno tanta fames Romæ fuit, vt medio foro Imperator correptus à populo cõuiciis, & fragminibus panis turpissimè infestatus ægrè per pseudothyrum in Palatium refugiens furorẽ excitatæ plebis euaserit. Qoin etiam parens Romani eloquii M. Tullius pseodothyrũ Latinitate donauit sic scribens in Verrinis: Ea quemadmodum ad istum posteà per pseudothyrum reuertantur, tabulis vobis, & testibus, iudices, planum faciam. Ammianus quoque Marcellinus eadem dictione vsus est his verbis: Socrus cõmisceri sibi generũ flagrans eius amore non impetraret, vt ferebatur, per Palatii pseudothyrũ introducta. Posticum autem ostium esse in parte ædium posteriore, testis est vel ille versus Horatianus:

Atria seruantem postico falle clientem. Plautus in Trinummo vsus est postici diminutiuo: sic enim ait: Posticulum hoc recepit, cùm ædes vendidit.

Interdum adiectiuum est, vt apud Ausoniũ sic scribentem: -Postico vulnere fossor. Dicitur & postica, fœminino genere. Marcellinus: Per posticam ingressus refertam inueni, confluente ex finitimis virili, & muliebri sexu. In alia significatione postica significat partem templi cælestis vergentem ad Septentrionem, vt docet M. Varro. Cõmeatus.] Cibaria, & rem frumentariã. Accipitur aliquando etiam pro licentia, seu saluo conductu militi ab Imperatore cõcesso, eundi scilicet quò velit, ad præscriptũ diem reuersuro. Cicero ad Herennium. Ille, qui ad diem commeatus non venit, quòd eũ aquæ interclusissent. Liuius item lib. XXXIII. Magna pars sine cõmeatibus dilabebatur. In primo significatu, quando scilicet accipitur pro cibariis ad alimoniam, loquitur Sallustius inquiens: Si vincimus, omnia nobis tuta erunt, commeatus abundé.

Negotiatoribus.] Scilicet frumentariis.

In se damno.] Vt iactura redundaret in ipsum principem, si negotiatores frumentarii vi tempestatis frumẽta amisissent. Simile est illud, quod tradit Liuius lib. XXIII. ab origine vrbis: quòd scilicet olim societas publicanorũ conduxit præbenda ea omnia, quæ ad exercitum Hispaniensem opus essent, hac conditione, vt quæ nauibus imposuissent, hostium pericula, tempestatesq́; in publico essent. Magna commoda.] Repete illud verbum proposuit: melius enim cum superioribus cõnectitur, quàm cũ inferioribus. Mercaturæ.] Potissimùm frumentariæ. Mercatura, si tenuis est, sordida putanda est: vt sentit M. Tullius in I. de Officiis. Sin magna, & copiosa, multa vndiq; apportans, non est admodum vituperanda. Præstat Mercaturis rem quærere, vt inquit optimè M. Cato, ni tam periculosum sit.

Vacationem legis Papiæ.] Papiã legem Iuliæ legi de adulteriis è regione oppositam fuisse indicat Ausonius illo versu:

Papia lex placuit, Iulia displicuit. Hæc autem lex tempus præscribebat, quo nuptialia celebrari deberent. Hinc illud est Senecæ in libris naturalis philosophię: Quid ergo est quòd apud poetas salacissimus Iupiter desierit liberos tollere, vtrum sexagenarius factus est, & illi lex Papia fibulam imposuit? In codicibus Lactantii hæc Senecæ verba repetentis mendum est. Namq; passim legitur fabulam, vel tabulam imposuit: cùm legendũ sit, fibulam imposuit. Fibula enim vtimur ad coercenda genitalia: de qua alibi diximus. Seuerus Imperator leges Papias exclusit, quas Tertullianus in Apologetico vanissimas appellat, cùm antè cogant liberos suscipi, quàm Iuliæ matrimonium contrahi. A Papo cõditore dicta lex Papia: quæ cùm multa haberet capita, in his vnum erat, quo cõtinebantur iura patronorum, sicut meminerunt Iurisconsulti: vnde & lib. III. Institutionum sic scriptũ legimus: Posteà verò lege Papia adaucta sunt iura patronorum, qui locupletiores libertos habebant. Cautũ est enim, vt ex bonis eius, qui sestertiorum centum millium patrimonium reliquerat, virilis pars patrono deberetur. Scribit Gellius, se inuenisse Papiam legem, qua cauetur de capienda virgine Vestali. In codice Imperatorio copiosa mentio fit de lege Papia, circa obseruationem caducorum: quam in multis capitibus emendatam fuisse à veteribus testatur Iustinianus, cùm nimis rigida foret: ex quo & ipse Papiæ legi derogat, velut austeriori.

M. AN. COnuiciis.] Probrosis verbis.

Fragminibus.] Frustis.

Instratus.] Coopertos.

Postico.] Ostio in posteriore parte ædium. Posticum veteres dixere, posticam, & posticulam. Apuleius, Per quandam breuem posticulam.

Inuehendos.] Deportandos. Nonnunquam inuehere, intrò vehere significat. Plinius libro septimo, cap. XIX. Merces alii suas euehunt, res externas inuehunt.

Magna commoda.] Hæc cum iis, quæ sunt in fronte alterius capitis ordinantur, aliter non procederet.

Vacationem legis Papiæ.] Lex papia qualis esset, Lactantii verba declarãt: Quid est, inquit, quòd apud poetas salacissimus Iupiter desierit liberos tollere? vtrum sexagenarius est factus, & illi lex Papia fibulam imposuit? Ausonius:

Iurisconsulto, cui viuit adultera coniunx,
Papia lex placuit, Iulia displicuit.

Pomp

peiæ. Latinis ius Quiritium, fœminis ius quatuor liberorum, quæ constituta hodie seruantur.

Opera publica per eum facta. XX.



Pera magna potiùs, quàm necessaria, quàm multa perfecit. Sed vel præcipua, aquæ ductum à Caio inchoatum. Item

PHIL. POmpeiæ.] Põpeia lex multa habebat capita, & illud potissimùm, quo parricidarum pœna continetur. Legimus apud Ciceronem, lege Pompeia horas tertias ad dicendum datas esse. In hoc autem loco Tranquillus non hanc Pompeiam legem significare videtur: sed aliã, quæ Pompeia Latina nuncupabatur, propterea quòd de Latinitate vt opinor, danda nisi certis personis loquebatur. Et hæc fortassis dicta est à Pompeio Strabone Pompeii Magni patre, qui colonias transpadanas traducens non nouis colonis eas constituit, sed veteribus incolis manẽtibus Ius dedit Latii, vt possent habere ius, quod cæteræ Latinæ coloniæ: id est, vt petendi magistratus ciuitate Romana adipiscerentur: author Pedianus Asconius. De Latinis autem colonis diximus áffatim in primo commentario. Sensus verò Tranquilli hic est: Claudius pro conditione ciuium vacationem legis Papiæ dabat: hoc est vt etiam vltra sexaginta annos vxorem ducere possent, quem terminum præscripserat lex Papia: dabat etiam vacationem Pompeiæ Latinæ: hoc est, vt Latinitatem impetrare possent, & ius Latii obtinere, contra quàm legis Pompeiæ præscripto capite contineretur. Quidam seiunctim legũt Pompeiæ, & Latinæ, tanquam duæ leges significentur: sed magis conuenit vt iunctim legamus, dicatúrque lex Pompeia Latina, quæ de iure Latii, & Latinitate tractabat. Ego, vt enarratoris non incuriosi officio fungar, existimo legendum esse non Latinæ, sed Latinis, & ita distinguendum: Latinis ius Quiritium: vt sit sensus, Claudium vacationem dedisse legis Papiæ, & Pompeiæ: eundémque constituisse Latinis populis Ius Quiritium: hoc est, vt Latini iure ciuitatis Romanæ périnde ac Quirites fruerẽtur. & legis Pompeiæ caput illud significabitur, quod de sexagenariis ne vxorem ducere possent, conscriptum fuerat: &, vt ita exponam, facit Trãquillus, qui paulò pòst scribit, Claudium abrogasse huic capiti legis Papiæ, & Pompeiæ. Quid si legas iunctim Papiæ Pompeiæ, tanquam vna tantummodo sit lex à Papo Pompeio perlata? Opus certè est acri iudicio ad hæc curiosè pensitanda.

Ius Quiritiũ fœminis.] Sensus est: Voluit vt fœminæ pro dignitatis conditione ius Quiritium haberent, hoc est, iure Romanæ ciuitatis fruerentur. Nanque prisco instituto nuptiæ non iure contractæ existimabantur, quæ non aut inter ciuem Romanum, ciuémque Romanam iungebantur: aut cui princeps, populúsve ciuitatem, vel connubium permisisset: vnde filii ita suscepti in patrum non erant potestate, sed matres potiùs sequebantur, quoniam nuptias fecissent cum eo, cum quo connubii ius nullum erat. Hæc Boethius in secundo commentario Topicorum: vnde elicimus hunc Tranquilli sensum, quòd Claudius fœminis Ius Quiritium, hoc est, ciuitatem Romanam permisisset, iúsque connubii, vt filii ex tali matrimonio nati essent legitimi Romani ciues.

Ius quatuor liberorum.] Ius trium, quatuor, quinque liberorum pro numero nobilius est, & ad maiores pertinens immunitates, vt inquit Iurisconsultus, excusationem præstat à muneribus ciuilibus. Vbi annotandum quòd adoptiui filii numerum non perficiunt eorum liberorum, qui excusare parentes solent. Cæterùm cùm distinctio sensum faciat apertiorem, ita existimo esse distinguendum, legendúmque: Latinis ius Quiritium: mox subnectendum, fœminis ius quatuor liberorum: vt sit sensus, Claudium pro conditione personarũ tribuisse fœminis ius quatuor liberorum: hoc est, vt ea prærogatiua, & immunitate fruerentur, qua decorantur matres quatuor liberorum. Quod autem foret id ius, videor fermè obseruasse apud Iurisconsultos, maximéque in libro tertio Institutionum, vbi scriptum annotauimus, fuisse cautum Tertulliano Senatusconsulto, vt mater ingenua trium liberorum ius habens, libertina quatuor, ad bona filiorum filiarúmve admittatur intestatorum mortuorum: licet in potestate parentis sit. Quanuis autem Senatusconsultum illud Tertullianum post Claudium Adriani temporibus factum fuerit, tamen ex eo colligimus penè consimile ius quatuor. liberorum pro beneficio fœminarum à Claudio institutum fuisse. Nanque eodem libro Institutionum, eodémque titulo proditum est ex lege duodecim Tabularum, necessitudines fœminarum expelli, amouerique à capienda hæreditate: sed hæ iuris stricti nimis angustiæ posterioribus temporibus emendatæ sunt: & primus quidem diuus Claudius, de quo nunc scribitur, matri ad solatium liberorum amissorum legitimam eorum detulit hæreditatem. Hæc lectio, hæc distinctio, hæc interpretatio magis placere, magisq; quadrare videtur, quàm illa superior: sed hoc totum diiudicandum, pensitandúmque lecturis relinquo: quorum maior pars, atque candidior pedibus transibit, opinor, in hanc nostram sententiam, vtpote elegantiorem, atq; distinctiorem.

Aquæ ductum à Caio inchoatum.] Plinius in xxxvi. Naturalis historiæ in hanc sententiam ait hæc: Vicit antecedentes aquarum ductus nouissimum impendium operis inchoati à Caio Cæsare, & peracti à Claudio.

M. AN. POmpeiæ Latinæ.] Id est, de iure Latii: ad alterius legis Pompeiæ differentiã, quam de quæstorũ creatione Magnus Pompeius tulit. Põpeius Strabo transpadanis ius Latii dedit, ius videlicet petendi in vrbe magistratum, vt Asconius interpretatur: sed quid alii senserint, suo loco significauimus.

Ius Quiritium.] Pompeia scilicet lege concessum. Quiritium nomine non semper milites significantur, sed ciues Romani, & iidem iam pagani.

Ius quatuor.] Natorum. Martialis:

Rumpitur inuidia tribuit quòd Cæsar vterque
Ius mihi natorum.

Plura quidem commoda in id ius habentibus erant constituta.

Aquæductum.] Aedificium ad aquas in vrbem perducendas.

A Caio inchoatum.] Quem Caligula inchoauerat.

Regione Tiburti.] Qua Tibur ad montes sedet.

emissarium Fucini lacus, portúmque Hostiensem, Quanquàm sciret ex his alterum ab Augusto precantibus assiduè Marsis negatum, alterum à Diuo Iulio sæpius destinatum, ac propter difficultatem omissum. Claudiæ aquæ gelidos, & vberes fontes, quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio, & Albudino nomen est: simúlque

PHIL. EMissarium Fucini lacus.] Fucinus lacus Marsorum est io quasta Ialiæ segione, iuxta quem Albenses sunt: author Plinius in tertio. De eodem sic ait Strabo lib. v. Geographiæ: Prope Marsorum Albam Fucious est lacus longitudine par pelago. Is Marsis, & vicinis maxime vsui fuit. Memosiæ prodiium est, illum nonnuoquam vsq; ad moontana crescere, interdum autem decrescere, vt mersa priùs lacu loca desiccentur, & agricolasiooem rusticis exhibeant. De Fucino lacu fontes aquæ Martiæ manare traduntur: quæ clarissima aqoarum omnium inter reliqua deûm munera vsbi Romæ tributa est. Fucini lacus meminit Maro illo versu:

Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus vnda,
Te liquidi flcuere lacus.-

Clodius Cæsar emissurus Fucinum lacum, perrupit mootem, edidítque spectaculum: quo perfecto, aperiũ fuit aqoarum iter. Quin etiam conuiuium effluuio lacus appositum, magna formidioe cunctos affecit, quando vis aquarum prorumpens proxima trabebat: authror Cornelius Tacitus in duodecimo. Emissarium autem appellat emissionem ipsam, & effluuium, quo iter aquarum ex Fucioo lacu emittendæ patefactum est monte perrupto.

Portum Hostiensem.] Sic nuncupatom ab Hostia ciuitate in Tyberis ripa ab Anco Martio condita: de qua persæpe dictum est. Ego psoximis mensibus curiose cootemplatus sum non tam portum Hostiensem à Claudio perfectum, quàm vestigia portus nescio quid magnum adhoc præferentia: contemplatus est & venerabilis frater tuus Antonius Galeacius Protonotarius apostolicus, in quo non tam indoles, quàm plena virtus enitescit: qui ad poutificem maximum salutandum destinatus orator à Senatu Bononiensi, id probitatis, id prudeotiæ, id moderationis speeimen præbuit, vt non syrunculus, sed veteranus videretur, nec parum laudaretur à superciliosis antistitibus: qui quotiescunq; vacuus erat à publicis negotiis, desideráter inquirebat locos vetustos, causásq; locorũ percunctabatur: aderat & noster Roscius, sine quo nil altum mens inchoat.

Ex his.] Scilicet emissasio Fucini, & portu Hostiensi.

Alterum.] Emissarium Fucini lacus.

Precantibus Marsis.] Quoniam in regione ipsorũ erat lacus Fucinus.

Alterum.] Portum Hostiensem.

Es quáuis in Iulio Cæsare nihil super hoc dixerit Trãquillus, non tamen psoptereà negandum est, Iullum Cæsarem constituisse portũ Hostiensem exædificare. multa enim [illegible], hoc est per silenuium omittuotur, quæ suis mox locis referuntur. In quo Iulio Cæsare dixit Tranquillus, quemadmodum ille destinauerat emittere Fucinum lacum: ounc ait quemadmodum Augustus emissionem talem concedere ooluit precantibus Marsis: nec ista discordant, cùm alter destinaueris emittere, alter negauerit emissionem. Similiter iu Iulio Cæsare nihil dixit, quòd destinasses extruere portum Hostiensem: nunc verò cùm dicat, ob hoc non existimandus est Historicus obliuiosus, cùm scriptoris sit officium multa pro loco, pro tempore, vel reticere, vel dicere.

Claudiæ aquæ.] Frontinus libro primo de aquæductibus, sic inquit: Caligula duos ductus inchoauis, quos Claudius consummauit: alteri, quod ex fontibus Cæruleo, & Curtio perducebatur, Claudiæ datum nomen: alter Anio nouus appellari cœperat.

Vbeses fonses.] Frontious: Claudia aqua cõcipitur via Sublacensi, diuerticulo sinistrorsus ex fontibus amplissimis Cæruleo, qui à similitudine appellatus est, & Cursio. De iisdem sic scribit Plinius in tricesimosexto, capite decimoquinto: Vicit antecedẽtes aquarũ ductus nouissimũ impendiũ operis inchoati à Caio Cæsare, & peracti à Claudio: iofluxere Curtius, atq; Cæruleus fontes.

Albudiuo nomen est.] Frontinus de hoc: Accipit & eum fontem, qui vocatur Albudinus, tantæ bonitatis, vt Martiæ adiutorio sit. Demiror viros alioqui eruditos tradidisse nullã Albudini fontis mentionẽ fieri apud alios scriptores. Vnde anxiè nimis laborauerunt hoc oomẽ ab Albunea dea Tiburtina deducere: cũ, si licet coniectura vti, possit ab Albulis aquis, vel potiùs ab albore Albudini nomeo deriuari.

M. AN. EMissarium.] Ostium, per quod emitteres.

Fucioi lacus.] Is io Marsis est, vt Plinius & Strabo scribũt, vbi pugnã naualẽ Claudius spectãdã dedit. Martia. Fuscinus, & pigri raceantus stagna Neronis.

Alterum.] Fucini emissarium.

Sæpius destinatum.] Hostiensem portum intelligas necesse est: sed in Cæsare Dictarore dixerat eum emittere destinasse: quo apparet non recte bis Alterum legi: rectiùs igitur secundo loco Cæterum, pro Alterum dixeris, vt sit sensus, emissiouem lacus ab Augusto Marsis sæpius denegatam, destinatam verò à Iulio Cæsare, sed operis difficultate omissam.

Alterum à.] Non est cur Hostiensis portus opos ad Cæsarem referas, quòd is nunquam, si Tranquillo credimus, sed Fucini emissionem destinauit, & idcirco Cæterum tutios, veriórque erit lectio.

Alteri Cæruleo, alteri Curtio.] Plinius libro tricesimosexto, cap. decimoquinto: Vicit antecedentes aquarum ductus nouissimum impendium operis inchoati à Caio Cæsare, & peracti à Claudio: quippe à lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, vt in omnes vrbis montes leuasentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes, erogata in id opus sestertia quiogeota quioquaginsaquinque millia.

Albudino.] Sextus Rufus vndeuiginti aquæ ductus enumerat, meminitque Cæruleæ aquæ, cuius modò Plinius: sed Albudinum neutes celebrat, ne Frõtinus quidem Rufo antiquior, is octo tantùm aquæ ductus memorat. Posset tamen videri ex Anienis corriuatione nomen factum: quòd Albunea, cuius Varro & Lactantius meminerũt, in ripa ipsius flumiois sit Tiburi culta, eiúsque simulacrũ posteà in flumine repertũ. Fuls Albunea Sibyllarũ vna: Nec me latet quod Plin. de ea scripserit. Maro ad hæc: -Lucósq; sub alta Consulit Albunea.- Vbi Seruius, Fons est, ait, & sylua eius nominis: quo apparet ab Anienis corriuatione, vel ab Albunea Tiburti regione docta, nomen esse fonti inditum: legerImque libentiùs Albunium, quàm Albudinum, quasi Albuneiũ, sed coniectura hæc rasio non est.

riuum Anienis nouo lapideo opere in vrbem perduxit, diuisitque in plurimos, & ornatissimos lacus. Fucinum aggressus est, non minùs compendii spe, quàm gloriæ, quum quidam priuato sumptu emissuros se repromitterent, si sibi siccati agri concederentur. Per tria autem passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absoluit ægrè, & post vndecim annos, quanuis continuis, triginta hominum millibus sine intermissione operantibus. Portum Hostiæ extruxit, circunducto dextra, sinistráque brachio, & ad introitum profundo iam solo mole obiecta. Quam quò stabiliùs fundaret, nauem antè demersit, quàm magnus obeliscus

PHIL. Riuum Anienis.] Romæ ioteraquæ ductus Anio vetus, & Anionouus annumerantur. Hic de Aniene nouo iorelligendum, vt Tranquillus, Frontinúsque concordenr: dixit enim Frontinus, duorū ductuū, quos Claudius cōsummauit, alteri Claudiæ nomē datū esse, alterum Anienum nouū appellari cœpisse: quoniam duæ Anienis aquæ in vrbem fluere cœperant. Anienem autē M. Curius in vrbē perducendum curauit.

Io plurimos lacus.] Plinius libr. XXXVI. ca. XV. scribens de aquæ ductu Claudiaoo mox hæc subiungit: Quòd si quis diligenuus æstimauerit aquarum abundātiam io publico, balneis, piscinis, domibos, euripis, hortis, suburbanis, villis, spatióque aduenientis extructos arcus, montes perfossos, conualles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.

Compendii.] Lucri. Inde compendiosum, lucrosum dicitur: sicut ecootrario dispendium significat detrimentum, & dispendiosum detrimētosum. Columella: Cùm præsertim maius dispendium sequatur ioertem, & segnum pastorem, quàm prudentem, diligentémque compendium. Idem: Quod si per parteis nonnunquam damnosum est, in summa tamen fit compēdiosum. Idem: Dispendiosa est cunctatio.

Siccati agri.] Tanquā post emissam aquā futuri fœcundiores. Etenim loca ab aquis liberata, fiunt fœcūdiora, velut vligine saginata.

Effosso.] Per cunicularios factis cuniculis.

Exciso.] Vbi fossores fossam, cuniculúmq; cōtinuare non poterant ob asperditā, excidebāt silicea saxa: omnia tamen intus fiebant in tenebris.

Triginta hominū millibus.] Plinius in XXXVI. cap. XV. Einsdē, inquit, Claudii inter maxima equidē, ac memoranda duxerim, quanuis destitutū successoris odio, montem perfossum ad lacum Fucinū emittendū, inenarrabili profectò impendio, & operariorum multitudine per tot annos: cùm aut corriuatio aquarum, qua terrenus mons erat, egereretur in vertice machinis, aut silex cæderetur, omniáq; intus in tenebris fierent, quæ neq; concipi animo, nisi ab his, qui videre, neque humano sermone enarrari possunt.

Mole obiecta.] Extructione maxima sub aquis exædificata: talia enim moles appellantur. Plinius huiusce rei mentionem faciens in XVI. tres moles turrium à Claudio dicit fuisse extructas.

Stabiliùs fundaret.] Scribit Plinius, ex Puteolano puluere exædificatas fuisse à Claudio turres Hostiensis portus. Est autē Puteolanus puluis appellatus, quoniā in Puteolanis collibus nascitur, qui opponitur maris fluctibus, mersúsq; protinus lapidescit, vnus inexpugnabilis vndis, vtiq; si Cumano cæmento misceatur. De hoc puluere intelligit Vitruuius sic scribens: Est genus pulueris admirandū, nascitur in regionibus Baianis, quod commistum cum calce, & cæmento oon modò cæteris ædificiis præstat firmitates, sed etiam moles constructæ in mari sub aqua solidescunt. De hoc puluere Puteolano est illud à Sidonio proditum in Panegyrico:

Nanque dicarcheæ translatus puluis arenæ
Intratis solidatur aquis.-

° Nauem antè demersit.] Hac naue nihil mirabilius visum in mari certum est, vt inquit Plinius: longitudo spatium obtinuit magna ex parte Hostiensis portus latere læuo: ibi nanque demersa est à Claudio principe.

Magnus obeliscus.] Obeliscus, authore Ammiano Marcellino, lapis est in figuram metæ cuiusdam, sensim ad proceritatem consurgens excelsam, & in radium gracilescens specie quadrata, in verticem prodoctus angustū, manu læuigatus artificis, formarū innumeras notas continet, quæ hieroglyphicæ literæ appellantur. Plinius in XXXVI. ca. VIII. de obeliscis scribēs hæc tradit: Trabes ex lapide Syenite fecere reges quodā certamine, obeliscos vocātes, Solis nomini sacratos. Radiorū eius argumentum in effigie est, & ita significatur nomine Aegyptio. Primus omnium instituit Mitres. Sculpturæ verò, effigiesque, quas videmus, Aegyptiæ sunt literæ. Οβελίσκον Græci dicunt verū. Ex Aegypto autem Romā plures obelisci translati sunt: quorum vnum Importauit Caius Caligula nauigio illo, quo nihil mirabilius in mari visum autumat Plinius. De hoc nunc intelligit Tranquillus. Volumina instrumenti veteris fuerunt antiquitus obelis, asteriscisque distincta. Nam si quid in Græco fuisset inuentum, quod in Hebraico codice non legeretur, id obelo notabatur, veluti virgula confodiendū, perinde ac subditirium. Cōtrà si quid esset in Hebræo, quod Græcus codex non haberet, id è latere adscribebatur apposito asterisco veluti stella illuminandum: super quo Hieronymus, & ecclesiastici scriptores multa conscribunt.

M. AN. Nouo lapideo opere.] Ad recentem Anienis cornitiationem allusit: fuit enim & Anio vetus.

Effosso monte.] Per quem emissus est. De veteri Fucini lacus inundatione Strabo nonnihil in trāscursu. Gellianus prodidit Alchippem Marsorum oppidum à Marso Lydorum rege conditum, lacus inundatione absorptum.

Ad introitum.] Portus scilicet Hostiensis.

Profundo iam solo.] Posset non absurdè & salo legi.

Nauē antè demersit.] Eam per plures annos assernatā tradit Plinius: nā obeliscus ingens fuerat in illā ex Aegypto delatus: tū verò Puteolani pulueris turribus super eam extructis, à Claudio portus gratia mari demersam. Obeliscus.] Est obeliscus, lapis in figuram metæ sensim ad proceritatem consurgens excelsam. Plinius: Trabes ex Syenite lapide fecere reges quodam certamine, obeliscos vocantes, Solis numini sacratos. Radiorum eius argumentum in effigie est.

ex Aegypto fuerat aduectus, congestísque pilis superposuit altissimam turrim, in exemplum Alexandrinæ Phari, vt ad nocturnos ignes cursum nauigia dirigerent. Congiaria populo sæpius distribuit.

Spectacula per eum edita. XXI.



SPectacula quoque complura, magnificaque edidit, non vsitata modò, ac solitis locis, sed & commentitia, & ex antiquitate repetita, & vbi prætereà nemo ante eum. Ludos dedicationis Pompeiani theatri, quod ambustum restituerat, è tribunali in orchestra commisit, quum priùs apud superiores ædes supplicasset, pérque mediam caueam sedentibus, ac silentibus cunctis, descendisset. Fecit & seculares, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reseruatos: quanuis ipse in historiis suis prodat intermissos eos Augustum multò pòst, diligentissimè annorum ratione subducta, in ordinem redegisse. Quare vox præconis irrisa est, inuitantis more solenni ad ludos,

PHIL. COngestis pilis.] Saxeas pilas intelligit, qualis à poëta describitur:

Saxea pila cadit, magnis quàm molibus antè
Constructam iaciunt ponto.-

Autumat Festus Pompeius pilam, quæ parietem sustentat, ab opponendo dictã. A pila fit aduerbium pilatim, quod significat per pilas: ex quo illud Vitruuii: Pilatim struuntur ædificia.

Altissimã turrim.] Non turrim vnam, sed turres à Claudio exædificatas in portu Hostiensi ex puluere Puteolano Plinius prodidit.

Alexãdrini Phari.] Legendum est Alexandrinæ. Est enim Pharos generis fœminini. De Pharo autem Alexandrina explicatiùs diximus in cõmentariis Propertii, enarrantes versum illum:

Et Ptolemææ littora capta Phari.

Suprà quoque non pauca retulimus super Pharo.

Congiaria.] Dona Imperatoria.

Commentitia.] Noua commentatione excogitata. Commentitium enim significat partim fictitium, partim nouum. Scribit Varro comminisci dictum esse à con & mente: cùm finguntur in mente, quæ non sunt. Hinc commentum, commentitiúmque deriuantur.

Ludos commisit.] Significanter locutus: nam committi propriè ludi dicuntur. Vergilius:

Et tuba commissos medio canit aggere ludos.

Quod ambustum.] Testis est Eusebius in Chronicis, Pompeii theatrum incensum fuisse imperante Tyberio.

E tribunali in orchestra.] Tribunal poni voluit Claudius in orchestra, ex qua Senatores spectabant: vt illhinc committendorum ludorum signum daret, veluti agonotheta, atque præpositus.

Superiores ædes.] Templa hîc intellige: cùm aliâs ædes pluraliter dicantur pro domicilio. Templa autem illa intelligit, quæ erãt in illa parte vrbis collocata, quæ est super theatrum.

Caueam.] Theatralem caueam signat, de qua alibi dictum est.

Silentibus cunctis.] Contra morem Romani populi, qui plausu excipiebat bonos principes ad theatrum ingressos, sicuti malos exibilabat.

Nec legitimo tempore reseruatos.] Legitimum secularium tempus est, vt inquit Censorinus, spatiũ centũ annorũ, siue, vt alii, centum & decem: quod sentit Horatius sic scribens in carmine seculari:

Certus vndenos decies per annos
Vrbis vt cantus referátque ludos.

Prodat.] Tradat. Claudiũ autem fuisse eruditum, scriptorémque historiarum, paulò posteriùs dicetur.

Ratione subducta.] Supputato numero annorum per ratiocinationẽ. Cicero in epistolis ad Lentulũ: Hîc ego quantũ humano cõsilio efficere potui, circũspectis rebus meis omnibus, rationibúsque subductis, summã feci cogitationum mearũ omniũ. Plautus in Curgulione: Beatus videor, subduxi ratiunculam.

M. AN. COngestisq; pilis.] Grandioribus saxis ad molẽ sustinendã. Festus, Pila, inquit, quæ parietem sustentat, ab opponendo dicta. Martialis:

Nulla catenatis præcincta est pila lagenis.

Horatius:

Nulla taberna meos habeat, neq; pila libellos.

In specie Alexandrinæ Phari.] Sic & Rufus Auienus:

Romuleiq; Phari fauces illæsa relinquat.

Iuuenalis,

Tyrrhenámque Pharon dixit fœminino genere.

Commentitia.] Nouiter inuenta.

Mediam caueam.] Medium consessum. Plinius lib. xxxvi. cap. xv. de Scauri theatro, Cauea ipsa cepit hominum octoginta millia. Pro quo theatri loco sit cauea accipienda, video diuersum trahi: sunt qui partes altiores, vnde sedens populus spectat, caueã appellatam existiment: alii aream ipsam in medio theatri, quod Vergilii carmen significare videtur:

Hic totum caueæ consessum ingentis, & ora
Prima patrum.-

Caueam poeta dixit, quam non multò antea circum appellauit:

Circus erat, quo se multis cum millibus heros
Consessu medium tulit, extructóque resedit.

Seruius caueam simpliciter consessum populi appellat.

Sedentibus.] Nec illi assurgentibus.

Silentibus.] Nullo plausu, & fauore excipientibus, quum soleret aliòqui populus Cæsarem venientẽ plausu, & fauore excipere. Martialis:

Quósque sonant pleno vocésq;, manúsq; theatro,
Quum subiti populus Cæsaris ora videt.

Idq; pertinax silentium in causa fuisse videtur, quòd ille ex tribunali ludos, non ex scena cõmiserit, aliquantò maiore populi, cui iratus erat, incommodo.

Anticipatos.] Ante legitimum tempus repetitos. Secularium ludorum ratio satis, supérque alio est loco expressa.

Ad ludos.] Quos Claudius erat editurus.

Nec spectasset.] Quisquam spectare potuisset, si veteri instituto centesimo quoque anno eos celebrari contigisset.

quos nec ſpectaſſet quiſquã, nec ſpectaturus eſſet: quũ ſupereſſent adhuc, qui ſpectauerãt, & quidam hiſtrionũ producti olim, tũc quoq; producerẽtur. Circenſes frequenter etiam in Vaticano commiſit, nonnunquam interiecta per quinos miſſus venatione. Circo verò maximo marmoreis carceribus, auratiſque metis, quæ vtraque & tophina, ac lignea anteà fuerãt, exculto, propria Senatoribus conſtituit loca, promiſcuè ſpectare ſolitis. Ac

PHIL. QVos nec ſpectaſſet quiſquam.] Verba erant præconis ad ludos ſeculares inuitãtis ſpectatores: quæ quidem erant vera, quando inter ſeculares binos fuiſſet legitimũ interuallum cẽtum decem annorum: quos rarenter, vel penè nunquam tranſcendit caduca mortalitas: ſed fuit tunc ridicula vox præconis, quoniam inter ſeculares Augusti, & Claudii interfuere anni non ampliùs tres & ſexaginta: vnde meritò potuerũt multi ſpectaſſe & primos, & ſecundos ſeculares. Præterea qui ſpectauerunt hos Claudianos, potuerunt etiã ſpectatores eſſe ſeculariũ, quos poſtea fecit Domitianus: cùm inter vtroſq; non fuerit magnum interuallũ: & ob hoc dicit matrona apud Epitaphiſtam Martialem:

Bis mea Romano ſpectata eſt vita theatro.

ſuper quo abundãtercõ ſcripſimus in Anoorationibus.

Quidã hiſtrionũ producti.] Scribit Plinius inter ludos ſeculares, quos fecit diuus Auguſtus, & quos poſtea Claudius Cæſar edidit, ſexaginta tres annos, nec ampliùs, interfuiſſe, ſtephanionemq; togatarum fabularũ hiſtrionẽ vtriſq; ſecularibus ludis ſaltaſſe, hiſtrioniámque feciſſe. In Vaticano cõmiſit.] Vaticanũ collem appellatum eſſe autumat Feſtus Põpeius, quòd eo potitus ſit populus Romanus, vatũ reſponſo expulſis Hetruſcis. Gellius Vaticanũ agrum dictũ eſſe cenſet à vaticiniis, quæ vi, atque inſtinctu Dei Vaticani in eo agro fieri ſolita eſſent. Eſt autem Vaticanus Deus, penes quẽ ſunt vocis humanæ initia: nominatus ab eo, quòd pueri ſimul atq; parti ſunt, eam primã vocem edũt, quæ prima in Vaticano ſyllaba eſt. Tamen Auguſtinus non Vaticanum hunc deum appellat, ſed Vagitanũ, tanquã infantium vagitibus præſidentẽ. Plinius in xxxvi. Vaticanũ eleganter appellat Circũ Caii, & Neronis principum, propterea quòd in eo ludos curules peculiariter exercebãt. Per quinos miſſus.] Seruius tradit, olim in ludis Circenſibus vigintiquinq; miſſus ſolitos exhiberi: quorũ vltimus appellabatur ærarius, eò quòd de collatione populi exhibebatur. Tranquillus verò in Domitiano centum miſſus in Circenſibus peragi ſolitos fuiſſe ſignificat: ad quod videtur alluſiſſe poeta illo verſu:

Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

Dicuntur autem miſſus, equorum circuitiones in ludis Circenſibus, dum à carceribus ad metas recurrunt. Senſus eſt, Claudium poſt quinq; equorũ circuitiones in ludis Circenſibus, dum à carceribus ad metas recurrunt. Senſus eſt, Claudium poſt quinq; equorũ miſſus peractos interpoſuiſſe venationẽ, vt ita magis ſpectatores oblectarentur: qui aliqua nouitate, vt inquit Horatius, morandi ſunt, ac retinendi.

Carceribus.] Carceres dicuntur in Circo, vnde mittuntur equi, ex eo nominati, quòd coercentur equi, ne inde exeant, antequam magiſtratus ſignum miſerit: author Varro. Carceres Næuius oppidum appellat.

Metis.] Circum metas currere ſolitos equos nullus ignorat. Hinc illud Horatianum:

Metáque feruidis euitata rotis.

Et Varro circum dici exiſtimat, eò quòd ibi equi in ludis circũ metas currunt. Hinc illud apud eundem prouerbialiter dictũ in primo de re Ruſtica: An quid aliud & à quibus carceribus currat ad metas. Quoniã autem auriga quandocunq; primus metã ſuperauerat, iam ad finem certaminis perueniſſe videbatur, ex eo factũ eſt vt metam pro fine, terminóq; paſſim accipiamus. Maro:

Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.

Et apud Silium:

Tormentis finẽ, metámque laboribus orat.

Figura autem metæ pyramidis eſt, à lato incipiens, in acutum faſtigiata. Hinc Plinius figuram vmbræ noctis ait ſimilem eſſe metæ. Et Columella præcipit in ſecũdo, vt fœnũ ſiccatũ in metas extruatur, quæ in acutiſſimos vertices exacuuntur. Tophina, ac lignea.] Refert Liuius lib. VIII. ab origine vrbis, quoto anno carceres in Circo primũ ſtatuti fuerint: ſed neq; ex topho, neq; ex ligno factos indicat: quod hic docet Trãquillus. Eſt autẽ tophus, lapis, vt inquit Seruius, aſper: vnde à Vergilio ſcaber nuncupatur illo verſu: Et tophus ſcaber, & nigris exeſa chelydris. A topho tophinus, & tophaceus deducitur. Plinius: Eſt alba, rufa, colũbina, argillacea, tophacea, arenacea. Idem: Nam tophus ſcaber, natura friabilis, expetitur ab authoribus. Exculta.] Corrige exculto: vt ita cõnectas, Circo maximo exculto, hoc eſt exornato marmoreis carcẽribus. Promiſcue ſpectare ſolitis.] In ludis quidẽ theatralibus loca propria Senatoribus erãt aſſignata: cũ in Circo eſſent promiſcua. Prodiderũt Hiſtorici, ante Scipionẽ ad quingẽteſimũ octauũ annũ ab origine vrbis in promiſcuũ fuiſſe ſpectatũ: Senatus autẽ à populo ſecretus primũ ſpectauit ludos Romanos, quos Atilius Seranus, L. Scribonius Libo ædiles curules primi fecerũt. Ferũt Africanũ, quòd eius rei author fuiſſet, pœnituiſſe.

M. AN. PRoducti olim.] Qui Auguſti tẽporibus ſcenicã operã ſecularibus ludis exhibuerãt. In Vaticano.] Vbi nũc vltra Tyberim põtificia domus ſita eſt. Vaticanũ veteres dixere: quo apparet nõ à loco, vt alibi diximus, eſſe ludos dictos. Per quinos mẽſes.] Inſuetũ certè, & ingratũ diuturnitate ſua ſpectaculũ: quare verius quinos miſſus, quã mẽſes legeris: vt ſit ordo, interiecta per quinos miſſus venatione, id eſt, quinquies inſtaurata, aut quincuplici ferarũ immiſſione edita. Sic alibi: Circẽſiũ die, quò faciliùs cẽtũ miſſus peragerẽtur. Carceribus.] Vnde equi in curſum prorũpunt. Metis.] Circa quas aurigæ bigas, & quadrigas agitabãt. Tophina.] Ex topho lapide. Vulgaris lapis, & in primis circa vrbẽ. Iuue.

Et ingenuum violarent marmora tophũ. Papinius in IIII. Sylu. Cocto puluere, ſordidóq; Topho. Promiſcuè ſeruare ſolitis.] Quo pacto promiſcuè, quũ Auguſtus Senatoris iniuria motus, quẽ nemo Puteolis frequẽti ſpectaculo receperat, iuſſiſſet vbicũq; quid ſpectandũ eſſet, ſemper primus ſubſelliorũ ordo vacaret Senatoribus. Sed his ita occurrendũ, quanquã primus ordo Senatoribus vacaret, cõtigui tamẽ, & penè immiſti ſcilicet equitibus illi erãt, qui ſecundùm ordinẽ obtinebant: aut Claudii indulgẽtia ex podio Senatores ſpectare cœpiſſe crediderim, ſicq; maiorẽ in modũ ordines vtrunque ab altero fuiſſe diſcretos. Iuuenalis:

Et omnibus ad podium ſpectantibus.

PHIL. SVper quadrigarum.] Præter quadrigarios ludos, & curules, exhibuit etiam ludicrum Troiæ.

Africanas.] Lege quæ scripsimus in lib. Annotationum, enarrantes hunc locum, vbi docuimus, Africanarũ appellatione intelligi pantheras, quarum genus in Africa creberrimum: de quibus senatusconsultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiã aduehere. Econtrario tulit ad populum Cn. Aufidius tribunus plebis, permisitq; Circensium gratia importare.

Cõficiente.] Trucidante. Verbum est bestiariorum, & gladiatorum. Inde confectores dicti interfectores ferarũ. Scribit Lampridius, Cõmodum Imperatorem fuisse tantarum virium ad feras conficiendas, vt singulis ictibus multa millia ferarum ingentium conficeret.

Prætorianorũ.] Vtpote nobiliorũ.

Præfecto.] Scilicet prætorianarũ cohortium: qui & præfectus prætorio nuncupatur.

super quadrigarũ certamina Troiæ lusum exhibuit: exhibuit & Africanas, conficiente turma equitum prætorianorum, ducibus tribunis, ipsóque præfecto. Prætereà Thessalos equites, qui feros tauros per spatia Circi agunt, insiliúntque defessos, & ad terram cornibus detrahunt. Gladiatoria munera plurifariàm, ac multiplicia exhibuit. Anniuersarium in castris prætorianis, sine venatione, apparatúque: iustum, atque legitimum in septis, ibidem extraordinarium, & breue, dierúmq; paucorum, quódq; appellare cœpit sportulã: quia *primùm daturum se dixerat, velut ad subitam, condictámq; cœnulam inuitare se populum. Nec vllo spectaculi genere communior, aut remissior erat, adeò vt oblatos victoribus aureos, prolatáq; sinistra pariter cum vulgo, voce, digitísque numeraret: ac sæpe hortando, rogandóque ad hilaritatem homines prouocaret, dominos identidem appellans, immissis interdum frigidis, & accersitis iocis: Qualis est, vt quum Palumbũ postulantibus

*præmiũ

pud me. Communior.] Magis communis, & omnibus obuius, expositúsque. Remissior.] Solutior, & animo magis relaxato. Victoribus.] Gladiatoribus.

Cum vulgo.] Quod victoribus præmium dari deposcit. Iuuenalis:

Accipe victori populus quod postulat aurum.

Voce.] Vt palàm diceret numerum aureorũ, quos numerabat.

Digitis.] Suamet manu, sicut fieri solet.

Dominos.] Πολιτικώτατος, hoc est ciuilissimus erat Claudius, tam comi ciuiliq; erga Romanos appellatione: vt cùm ipse dominus sit, dominos appellet ipsos subiectos. Scribit Seneca, dominos salutari à nobis obuios solitos, si nomina nõ succurrũt.

Identidem.] Frequenter.

Accersitis.] De industria quæsitis, euocatísque.

Palumbũ postulantibus.] Iocus est in nomine. Nam palumbus nomen est auis notissimæ: & eodẽ nomine gladiator famosus nuncupabatur. Populus Romanus petebat exhiberi gladiatorem nomine Palumbum. Claudius alludens ad nomẽ alitis, Dabo, inquit, si captus fuerit.

Feros.] In omnibus animalium, cuiuscunq; generis vllum est placidum, eiusdem inuenitur & ferum: vtpote cùm hominum etiam syluestrium plura genera tradãtur. Scribit Plinius, efficaciora omnia in medicamentis esse ex feris animalibus. Problema est Aristotelis, Cur in animantium genere quæcunq; domestica, eadem etiam fera reperimus; quæcunque autem fera, non vtique eadem domestica Natura creauit.

Ad terram cornibus.] Plinius tradit in octauo, cap. xv. Thessalorũ gentis inuentum esse, equo iuxtà quadrupedante cornu intorta ceruice tauros necare: quod spectaculum primus dedit Romæ Cæsar Dictator.

Anniuersariũ.] Dicimus anniuersaria, quæ quotannis fiunt, sicut anniuersarium sacrum.

Plurifariàm.] Pluribus in locis.

In castris prætorianis.] Castra prætoriana ad extrema vrbis Romæ ædificia fuisse collocata, signat Plinius in tertio. Iustum, atque legitimum.] Spectaculũ gladiatorum iustum, & legitimũ appellat, quod ex formula, ritúq; ordinario dabatur vnà cum venatione, apparatúque gladiatorio. In septis.] Septa fuisse in cãpo Martio alibi latiùs explicauimus.

Ibidem.] In septis.

Sportulam.] Claudius gladiatorũ munus tanquam cœnam daturum se denuntiauerat: ideóque non inuenustè sportulam appellabat, quæ inter sportulãtes condici, darique solet à principibus.

Primùm daturũ.] Quidã codices habent præmiũ.

Condictã.] Denuntiatam. Condicere enim verbum priscum significat denuntiare: & ad cœnas refertur. Cicero: Nam cùm mihi Crassus condixisset, cœnauit apud me. [*continued above*]

M. AN. AFricanas.] Pantheras, siue pardos. Plinius de pantheris lib. VIII. ca. XVII. Nunc, inquit, Varias, nũc Pardos, qui mares sunt, appellãt in eo omni genere, creberrimo in Africa, Syriáq;. Quidã ab his pantheras solo candore discernunt, nec adhuc aliam differentiã inueni. Senatusconsultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam aduehere. Quibus verbis colligitur, pantheras, pardos, Varias & Africanas dici. Ducibus tribunis.] Militaribus. Ipsóque præfecto.] Prætoriis scilicet, hoc est tribunis, & præfecto prætorii ductantibus equitum turmas. Thessalos equites.] Plinius li. XXI. cap. XV. Thessalorum gentis inuentum est, equo iuxtà quadrupedante cornu intorta ceruice tauros necare.

Feros.] Indomitos, minaces: & hæc sunt illa noua spectaculorum genera.

Anniuersarium.] Omnibus annis.

Iustum, atq; legitimum.] Munus scilicet cum venatione, & reliquo apparatu.

Condictámque.] Vt inter priuatos solet communiter, simúlque constitutam, ac determinatam. Condicere enim simul determinare est: vnde & condictum, quasi in communi dictum.

Communior.] Ciuilior.

Prolata sinistra.] Quia aureos dinumeraret.

Dominos.] Ambitiosã nimis appellatione, quos ciues, aut Quirites debuit, dominos vocabat.

Palumbum.] Gladiatoris id nomen fuisse accipias.

In

daturum se promisit, si captus esset. Illud quoque planè quantumuis salubriter, & in tempore, quū essedario, pro quo quatuor filii deprecabātur, magno omnium fauore indulsisset rudem, tabulā illico misit, admonens populum, quantopere liberos suscipere deberet, quos videret & gladiatori præsidio, gratiæq; esse. Edidit & in Martio campo expugnationē, direptionémq; oppidi ad imaginē bellicam, & deditionē Britanniæ regum, præseditque paludatus. Quin & emissurus Fucinū lacum, naumachiā antè cōmisit. Sed quū proclamātibus naumachiariis, Aue Imperator, morituri te salutāt, respōdisset, Auete vos: neq; post hanc vocē, quasi venia data, quisquā dimicare vellet, diu cūctatus, an omnes igni, ferróq; absumeret, tādē è sede sua prosiluit, ac per ambitū lacus nō sine fœda vacillatiōe

PHIL. IN tempore.] Tempestiniter. Temporius, aduerbiū est, quod significat maturius, & tēpestiuius. Columella in nono scribēs de gallinis ait: Ante crepusculū propter cibi spem temporiùs ad officinā redeāt. Ouidius:

-Modò surgis eoo
Tēporius cælo modò seriùs incidis vndis.

Essedario.] Gladiatorem significat, qui ex essedo scienter depugnabat. Neque enim placet, vt pro gladiatoris nomine proprio accipiatur. Itidem in Caligula dictum est: Essedario Porio ob prosperā pugnam.

Indulsisset rudē.] Gladiaturæ immunitatem. Est enim rudis, vt alibi copiose explicanimus, virga, qua gladiatores donari cessabāt à gladiatura: vnde rudiarii.

Tabulā misit.] Quidā codices habent fabulam: tanquam significet, rumorem diuulgasse inter populares, liberis operam dandam esse: cùm filii patri gladiatori vacationem gladiaturæ impetrauissent. Magis placet legas, tabulam misit: & exponas, à Claudio missam esse tabellam in populum, continentem de gladiatore, filiisq; argumentum.

Ad imaginem bellicam.] Idem à Vespasianis Imperatoribus in triumphi Iudaici spectaculis factitatū est: nanque, authore Iosepho, multis imitationibus bellum alternaliter diuisum certam sui faciem demonstrabat. Erat enim cernere vastari, totas interfici acies hostium, & alios fugere, alios captiuos duci. Tēporibus nostris edita sunt talia spectacula à principibus: vt ciuitas è ligno formata oppugnaretur forinsecus, propugnaretur intrinsecus.

Præsedit.] Tanquam præses, præfectúsq; ludorum.

Paludatus.] Paludamento Imperatorio, ornatúq; militari indutus: tanquam legitimæ pugnæ interesset. Cor. Tacitus: Claudius insigni paludamento, neq; procul Agrippina chlamyde aurata præsedere.

Naumachiam.] Pugnam naualem: de qua hæc Tacitus: Inter lacum Fucinum, amnemq; Lirim perrupto monte, quo magnificentia operis à pluribus viseretur, lacu in ipso nauale prælium ordinatur. Claudius triremes, quadriremesque, & vndeuiginti millia hominum armauit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent.

Naumachiariis.] Qui prælium nauale committūt, ναύμαχοι Græca dictione nuncupantur: bellatores in re nautica ἐπιβάτας eruditi appellant: quanuis Græco vocabulo ἐπιβάτης proprie significetur ascensor. Oppius siue Hirtius in commentario belli Alexandrini: Capta est vna hostium quadriremis, depressa est altera, alterāque perturbata: deinde omnes epibatis nudatæ. Idem in commentario belli Africi: Remigum partem ex classe Gallorum, Rhodiorúmque epibatarum armata.

Morituri.] In hac ipsa scilicet nauali pugna.

Auete vos.] Auere, verbum salutatorium est: quo cùm vsi essent erga Imperatorem naumachiarii, eodē Claudius illos resalutans vicissim vsus est: vnde illi arbitrantes sibi datam esse pugnandi veniam, dimicare supersedebant. Quidam codices non auete vos, sed αὐτὴν: quæ dictio Græca est, & significat ipsum: tanquam Claudius militibus dicentibus se morituros illum salutare suprema salutatione, responderit id ipsum scilicet velle: & ita illud, quasi venia data: corrigendum erit vnius literæ immutatione, vt pro venia legas nænia: & erit sensus, naumachiarios dimicare ampliùs noluisse, tanquam Claudius per id verbum illis dederit næniam quandam, hoc est, funebrem orationem, qualis mortuis exhiberi solet. Næniā enim carmē dici funebre nullus ignorat: & interdū accipi pro epitaphio, vt apud Sidonium sic scribentem: Nænia marmori incisa per hēdecasyllabos. Et hic mihi videtur verior sensus, & lectio.

Fœda vacillatione.] More senum, quorum corpora vacillant, & tremula sunt. Scribit enim Macrobius in septimo Saturnalium, senes laborare tremore membrorum: vnde senectus non minùs vero, quàm eleganti epitheto dicta est tremebunda à Calphurnio in Bucolicis: & à Quintiliano dictū est in primo: Nolo puerum seniliter tremere: tanquam tremor sit peculiaris morbus seniorum. Iuuenalis:

Vna senum facies, cum voce trementia membra.

Ipsum verò Claudium laborasse tremore, posteriùs ostendit Tranquillus, quem destituebant poplites parū firmi, & caput tremulum dehonestabat. Ex quo est illud in Claudium à Satyrographo prolatum:

Ille senis tremulúmque caput descendere iussit
In cælum.-

M.A.N. INdulsisset rudem.] Referri vacationē concessisset, quæ per rudem significatur. Iuuenalis:

Accepta rude cœpisset Veiento videri.

Horatius: -Donatum rude quæris.

Tabulam.] Argumento rei notatam, figuratam non dixerim, quæ continuò missa est.

Paludatus.] Paludamento ornatus, tanquam veræ pugnæ præsidēs. Naumachiariis.] Naualem pugnam pugnaturis. Morituri.] Naumachiarii: quasi dicat, qui paulò pòst pugnando morientur.

Auete vos.] Resalutatos intellige: sed illi, quasi vitite Claudius dixisset, remissam sibi pugnandi necessitatem interpretati sunt. Neque post eam vocem.] Auete scilicet. Quasi data venia.] Quasi veniam sibi datam interpretantes.

Cunctatus.] Anceps, & deliberabundus.

Per ambitum.] Extremitatem.

Fœda.] Turpi, & indecora.

Vacillatione.] Trepidatione.

discurrens, partim minando, partim adhortando ad pugnam compulit. Hoc spectaculo classis Sicula, & Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium singulæ, exciente buccina Tritone argẽteo, qui è medio lacu per machinam emerserat.

Institutio, correctio, & ordinatio quorundam morum, & actuum. XXII.

QVædam citra ceremonias, ciuiléq;, & militaré morem, item circa omniũ ordinum statũ domi, forísq;, aut correxit, aut exoleta reuocauit, aut etiam noua instituit. In cooptãdis per collegia sacerdotibus, neminẽ nisi iuratus nominauit: obseruauítq; sedulò, vt quoties terra in vrbe mouisset, ferias aduocata cõcione prætor indiceret: vtq; ob dira aut in vrbe, aut in Capitolio visa, obsecratio haberetur, eámque ipse iure maximi pontificis commonito pro Rostris populo

CLassis Rhodia.] Rhodins fuisse nauticos homines, & omnis naualis disciplinæ scios, testantur Historici: ex quo lex Rhodia de iactu dicta est, quæ pertinet ad rem nauticam.

Ad pugnam.] Scilicet naualem.

Duodenarũ triremium.] Tacitus ait, non solùm triremes, sed & quadriremes hoc nauali prælio depugnasse.

Exciente.] Instante.

Buccinã.] Tubam. de qua alibi dictũ est: vnde & buccinator inclinatur.

Tritone.] Triton, tubicen est Neptuni, refértq; Plinius Tyberio principi nuntiasse Olysiponensium legationem, visum, auditúmque in quodã specu cõcha canentem Tritonem, qua noscitur forma. Tritonis autẽ formam sic describit poeta:

Frons hominẽ præfert, in pristin desinit aluus.

De buccina Tritonis, quæ concha est, traditur historia ab Hygino, qui ait, Tritonẽ, cùm conchã inuẽtam excauasset, secum eam contra gigantes tulisse, & ibi sonitum quendam inauditũ per conchã emisisse: hostes autem veritos ne qua esset immanis fera ab aduersariis adducta, cùm esset ille mugitus, fugæ se mandasse, & ita victos in hostium potestatem venisse. Romani Tritonas cum buccinis fastigio Saturni ædis superposuerunt, vt significarent à commemoratione Saturni historiam quasi vocalem esse factam, cùm anteà muta, & obscura, & incognita fuisset: quod etiam testari videntur, vt inquit Macrobius, caudæ Tritonum humi mersæ, & absconditæ.

Per machinam.] Mechanico scilicet artificio fabrefactam: quales hodie quoque in spectaculis scienter conficiontur.

Omnium ordioum statum.] Senatorii, Equestris, & plebeii. Exoleta.] Per desuetudinem euanescentia, & iam abolita.

Cooptandis.] Verbum est electioni accommodatũ. Cicero: Cooptatum me ab eo in collegium recordabar. Plinius: Me penè adhuc puerum patronum cooptauit. Nominauit.] Indicat Plinius in epistolis, hoc verbum nominare, ad sacerdotes peculiariter pertinere. Verba Plinii hæc sunt ex secundo Epistolarum: Sic illo die, quo sacerdotes solent nominare, quos sacerdotio dignissimos nominant, me semper nominabat. Hinc dicta nominatio.

In vrbe mouisset.] Romæ factus esset terræmotus. Nunquam autem, authore Plinio, vrbs Roma tremuit, vt non futuri euentus alicuius id præounciũ esset. Refert Iulius Capitolinus in Gallienis, olim factũ esse motum terræ, quo mota est Roma, mota & Libya: hiatus terræ plurimis in locis fuerunt.

Ferias indiceret.] Imperatiuæ feriæ significantur. Has enim, vt author est Macrobius, Consules, vel Prætores pro arbitrio potestatis indicũt: veteres verò Romani, vbi terram mouisse senserant, nunciatũmve erat, ferias eius rei causa edicto imperabant: sed Dei nomẽ, ita vti solet, cui obseruari ferias oportere, statuere, & edicere quiescebant: ne alium pro alio nominando falsa religione populũ alligarẽt. Cuius rei causam hanc fuisse tradit Gellius in secũdo Noctium Atticarum: quoniam compertum nõ est, nec inter physicas quidem philosophias satis constat, quænam esse causa videatur, quam ob rẽ terræmotus fiãt. Anaxagoras ignem putat esse causam motus terræ. Anaximenes ait terram ipsam sibi esse causam motus. Thales Milesius, atque Democritus ab aqua terram mouere credidetunt. Sed Plinius, Seneca, Aristoteles ventos esse prodiderunt causam motus, cùm spiritu nihil sit potentius. Hoc idem sentit Epicurus, Epicurique sectator Lucretius.

Ob dira.] Exẽpli causa, si bubo, aliæq; aues inauspicatæ visæ fuissent. Scribit enim Plinius in x. Romã lustratam fuisse, proptereà quòd Capitolii cellam ipsam intrauerat bubo, qui funebris est, & maximè abominatus, publicis maximè auspiciis. Lucanus in primo Pharsaliæ, ob dira prodigia nunciata vates ex Hetruria accitos, & ab sacerdotibus deos comprecatos, vrbémq; lustratam fuisse commemorat.

Obsecratio.] Supplicatio. Est enim obsecrare, opem à sacris petere, vt docet Festus.

Iure maximi pontificis.] Antiquitus, quod etiã in Decretis canonicis scriptum est, dist. xxi. erat hæc consu[illegible], vt rex esset sacerdos, & pontifex. Vnde & Romani [illegible]peratores pontifices appellabãtur. Hinc illud Iuuenalis Saty. IIII. de Domitiano:

Destinat hoc monstrum cymbæ, linique magister
Pontifici summo.-

TRitone.] Neptuni filio, & ministro. Vergilius: M. AN.
Cymodoce, simul & Triton annixus acuto
Detrudnot naues scopulo.- Papinius:
Stat celer obsequio iussa ad Neptunia Triton.
Seruius Neptuni & Salaciæ filium dixit.

Argenteo.] Squamosis piscibus, & vitreis aquis cõcolori. Per machinam.] Instrumentũ ad hoc ipsum artificiosè paratum. Exoleta.] Abolita.

Nisi iuratus.] Iureiurando affirmasset se optimum quenque, ac maximè idoneum nominaturum.

Mouisset.] Mota esset.

Prætor.] Vrbanus scilicet.

Dira.] Prodigia deorum iram portendentia.

Obsecratio.] Venia à diis peteretur. Est enim obsecrare, deprecari, & quasi sacra facere, vt veniam impetremus.

Iure maximi pontificis.] Pontificia potestate.

Præiret

præiret. Summot ísque operariorum, seruorúmq; turba, rerum actum diuisum anteà in hybernos, æstiuósque menses coniunxit.

Instituta, & sanctiones eius. XXIII.



IVrisdictionem de fideicommissis quotannis, & tantùm in vrbe delegari magistratibus solitam, in perpetuum, atque etiam per prouincias potestatibus demandauit. Capiti Papiæ Pompeiæ legis, à Tyberio Cæsare, quasi sexagenarii generare non possent, edito abrogauit. Sanxit, vt pupillis extra ordinem tutores à Consulibus darentur: vtque hi, quibus à magistratibus prouinciæ interdicerétur,

PHIL. PRæiret.] Plinius in XXVIII. capi. II. scribens, valeántne aliquid verba, & iocantaméta, Vidimus, inquit, certis precationibus obsecrasse summos magistratus, & ne quid verborum prætereatur, aut præposterum dicatur, de scripto præire aliqnem. Ibidem: Cuius sacri precationem, qua solet præire quindecimuirûm collegii magister, si quis legat, profectò vim carminum fateatur. Obsecratio itaqne fiebat adhibita precatione verborum solennium, qua præibat maximus sacerdotum. Est enim præire, prælegere, vt reliqui mox concinát. Liuius in octauo: Agedum pontifex publicus populi Romani, præi verba. Quintilianus in secundo ait, doctores non posse semper præire singulis legentibus.

Rerum actum.] Actionem rerum, quæ in foro, iudicisque agi solent: cùm priùs essent distributæ per tempora, voluit vt sine Interuallo iugiter, continentérque tractarentur. De actionibus titulus est apud Iurisconsultos: actus etiam dicuntur. Silius: Rerum omnes pendent actus. Aliter actus intelligitur in fabulis.

De fideicommissis.] Fideicommissa ex eo appellata sunt, quòd testatores fidei committebant eorum, qui capere ex testamento poterant hæreditatem: fuítque creatus prætor proprius, qui de fideicõmissis ius dí.ceret: quem fideicommissarium appellabant.

In perpetuum.] Referêdum hoc est ad illud, quotannis.

Per prouincias.] Referendum hoc ad illud, in vrbe delegari.

Potestatibus.] Scribunt Iurisconsulti, potestates dici magistratus, qui gladii, & necis habêt potestatê. Magi, authore Plinio, tribuunt sanguini basilisci successus petitionũ à potestatibus. Iidem promittunt dentes draconis mites præstare dominos, potestatésque exorabi...

Capiti Papiæ.] In lege Papia caput erat, quod vulgo capitulũ dicunt, ne sexagenarii vxorê ducere possent: tanquã ad generandũ minimè idonei. Hoc idem altero quoque capite legis Pompeiæ contioebatur: & ita à Tyberio Cæsare fuerat editum, publicatũmq;: vt edito exponas publicato. Claudius verò huic capiti abrogauit. Abrogatur autem legi, siue capiti legis, cùm prorsus tollitur. Legis Papiæ, atque Pompeiæ mentio superiùs facta est, vbi coniectatoriè annotauimus, non inscienter de vna tantùm lege Intelligi posse, quæ Papia Põpeia diceretur.

Quasi sexagenarii.] Hoc dictum est secundum id, quod est vsitatissimũ: alioqui multi inuẽti sunt, qui annos septuaginta nati genuerunt: vt author est Aristoteles in VII. de animalibus. Præterea Plinius, & Solinus prodiderunt, Masinissam regem post octogintasex annos generasse filium nomine Metymathoum. Catonem quoque Censorium octogesimo exacto è filia Salonii clientis sui genuisse filium, notum est. Meritò Claudius detraxit capiti legis prohibentis sexagenarios ducere vxorem: cùm supra eam ætatem viros gignere posse, & eruditorum probet authoritas, & exempla testentur. Verba Aristotelis subscripsi ad hanc rem conducentia, quæ sunt hæc: Mares plurimi ad sexagesimum annum generãt: quem si excesserint, ad septuagesimum vsq; procedunt: & iam quidam annos septuaginta nati genuerunt. Idê in septimo Politicorũ author est, fœtus seniorum, sicut iuniorum, esse imperfectos & corporibus, & iogeniis

Tutores à Consulibus darentur.] Apud Iurisconsultos tituli sunt De legitimis tutoribus: De datis tutoribus: & de his, qui petant tutores: vbi declaratur, pupillis esse subueniendũ. Tradit Vlpianus, ius dandi tutores datum esse omnibus magistratibus municipalibus.

M. AN. PRæiret.] Vota, siue preces nuncuparet, cæterique sequerentur.

Summota.] Sublata, ne à seruili ministerio, & opere auersi rebus agendis interesse cogereotur.

Actus.] Actus, & acta pro priuatis officiis vsurpata à maioribus obseruare est. Sunt enim acta, priuatarum rerum minorum, ac familiarium, quanquam acta, & actus Senatus, & populi dicuntur. Lampridius: Actibus publicis pòst multam operam dabat. Et rursus: Actus publicos, seu bellicos, seu ciuiles. Ipse Tranquillus alibi tam Senatus, quàm populi diurna acta. Iuuenalis:

-Cupient & in acta referri.

Cicero in eundem sensum vtraque est voce vsus. Lucanus: -Ingentes obruperit actus.

Papinius: -Solidos oouus exultabis in actus.

Vbi Papinius actum, pro forensi actione videtur accipere: etsi Laurentius Valla actum comœdiarum esse velit, actionem causarum: quod & Plinius vna ad Corõelium epistola id sæpissimè vsurpat. In quem autem sensum nunc Trãquillus vtatur, planè osteoditur: non enim comœdiarũ spectacula, sed ciuium officia à Claudio cooiuncta significare voluit.

Iurisdictionem.] Muous dicundi iuris.

Fideicommissis.] Quæ fideicommissa dicantur, notissimum est.

In perpetuum.] Quum annuum anteà fuisset id munus.

Papiæ legis.] De liberis scilicet procreandis.

Edicto.] Edito, & non edicto legendum: vt sit ordo, Capiti Papiæ legis edito à Tyberio.

Quasi sexagenarii.] Legis ratio hæc fuit, ne vltra sexagesimum annum, quasi homo ampliùs generare non posset, quisquam vxorem ducere teneretur.

Abrogauit.] Vim omnê ademit, ac sustulit. Est enim abrogare, prorsus tollere: vnde abrogatio. Siquidê credidit Claudius ea quoque ætate, vt res habet, viros esse ad procreationem aptos.

Extra ordinem.] Quando, & quos illis visum esset dari oportere.

Prouinciæ interdicerentur.] Ii, quibus prouincia aliqua esset interdictum, vrbe quoque, & Italia exclusi Intelligerentur.

PHIL. Vrbe & Italia.] Sensus est: Voluit Claudius, vt illis vrbe, & Italia quoq; interdictũ esset, quibus prouinciæ interdicerentur: exempli causa, vt si Seio à prætore Sicilliensi prouincia Sicilia interdicta fuisset, Romã quoq; & Italia eidem interdictum significaretur.

Claudium in censura inquinasse Senatũ, lectis libertinorum filiis: quæ cùm esset infamis, & inuidiosa Senatus lectio, victus verecundia collega Appii Plautius magistratu se abdicauit. Cæcus autem factus Appius, & luminibus captus est ira deorum, cùm eo authore ministerium sacri Herculanei translatum fuisset à Potitia gente ad seruos publicos. De hoc Appio Cæco dictum est abundanter in tertio Commentario.

vrbe quoque, & Italia summouerentur. Ipse quosdam nouo exemplo relegauit, vt vltra lapidem tertium vetaret egredi ab vrbe. De maiore negotio acturus in curia medius inter Consulum sellas Tribunitio subsellio sedebat. Commeatus à Senatu peti solitos beneficii sui fecit.

Indulgentia, & liberalitas eius. XXIIII.



ORnamenta Consularia etiam procuratoribus ducenariis indulsit. Senatoriam dignitatem recusantibus, Equestrem quoque ademit. Latum clauum, quanuis initio affirmasset non lecturum se Senatorem, nisi ciuis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit: sed sub conditione, si priùs ab equite Romano adoptatus esset. Ac sic quoq; reprehensionem verens, etiam Appium Cæcum censorem, generis sui proauthorem, libertinorũ filios in Senatum allegisse docuit: ignarus temporibus Appii, & deinceps aliquandiu libertinos dictos, non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos. Collegio Quæstorum pro stratura viarum gladiatorum munus iniunxit:

Vltra lapidem tertium.] Milliariũ tertium.

Vetaret egredi.] Nouum profectò genus relegationis, nouúmque exemplum, vt quis hac relegatione afficiatur, ne egredi possit ex vrbe Roma vltra tria millia passuum: sicut relegati in insulas, & loca penitissima, egredi non possunt, nec debent, præscriptos terminos relegationis.

Medius inter Consulum sellas.] Alibi docuimus, medium locum esse honoratiorem.

Tribunitio subsellio.] Quo scilicet tribuni vti solebant: quibus ius veniendi in curiã non fuit antiquitus, sed ante valuas positis subselliis decreta patrum attentissima cura examinabant: vt si qua ex eis improbassent, rata esse non sinerent.

Libertinos dictos.] Hoc tanquã notabile diligenter obseruandum est, cùm aliàs libertini dicantur, qui ex seruitute manumissi sunt: quod & Iurisconsulti testantur. Vnde libertinitas dicta, sicut ab ingenuis ingenuitas.

Ingenuos.] Ingenuus est is, qui vt statim natus est, liber est: siue ex duobus ingenuis matrimonio constante editus, siue ex libertinis duobus, siue ex altero libertino, & altero ingenuo.

Ex his.] Manumissis.

Pro stratura viarum.] Cùm anteà quæstorum munus fuisset, vt viæ silice sternerentur, voluit Claudius, vt loco viarum sternendarum, gladiatorum spectaculum celebraretur pecunia eorum, qui quæsturam adipiscerentur: & cùm anteà quæstura ex dignitate candidatorũ, aut facilitate tribuentium gratuitò concederetur, voluit Claudius vt venundaretur ex sententia Dolabellæ ita censentis.

Commeatus.] Solebant multi petere à Senatu facultatem abeundi, temporariúmque discessum: voluit Claudius vt id ab ipso peteretur.

Ducenariis procuratoribus.] Dictum est in Augusto, quemadmodum ad tres iudicum decurias quartam addidit Augustus, quæ vocata est ducenariorum, iudicabátque de summis leuioribus. Procuratoribus ex hoc ordine tribuit Claudius ornamenta consularia. Nec mirum, cùm facta per procuratores suos rata haberi voluerit périnde, ac si per ipsum decreta fuissent.

Senatoriam recusantibus.] Proditum posteritati est, talem fuisse Mecœnatem temporibus Augusti, qui sua voluntate in Equestri dignitate permansit: cùm Senatoria dignitas, & lati claui facultas ei pateret.

Latum clauum.] Ius gestandi vestem Senatoriam.

Nisi ciuis Romani abnepotem.] Quarto gradu inferiore est abnepos, & abneptis: sicut superiore est abauus, & abauia. Claudius, cùm priùs affirmasset se nullum Senatorem esse facturum, nisi qui quarto gradu esset ciuis Romanus, hoc est abnepotem: tamen mutata voluntate Senatorem legit filium libertini, eique tribuit latum clauum, qui primo tantùm gradu ciuis Romanus erat.

Proauthorem.] Qua forma proauum dicimus, eadem proauthorem, quasi procul & longa origine authorem eleganter dixit.

Libertinorum filios.] Liuius in 1 x. tradit, Appium

M. AN. NOuo exẽplo.] Nouo quidem, si quũ sontes procul vrbe relegari consuessent, ipse ita relegaret, vt procul vrbe abscedere prohiberet.

Commeatus.] A ciuibus nunc peti solitos intellige, non à militibus.

Sui beneficij.] A se peti, & impetrari voluit.

Procuratoribus.] Procurator, vt Vlpianus ait, est, qui aliena negotia mandato domini administrat.

Ducenariis.] Qui ducentesimã ex auctionibus exigebant: nam ducenteni, & duceni dicimus. Ducentesimam auctionum Caligula ab initio sui principatus Italiæ remisit, quod Claudius non fecit.

Abnepotem.] Qui abauum ciuem Romanum habuisset. quasi dicat, cuius non solùm pater ciuis Romanus fuisset, sed quod longè plus est, etiam abauus.

Pro stratura viarũ.] Pro sternendarũ viarũ munere: vt quæstorum anteà fuisse intelligas publicas vias communire. Gladiatorum munus.] Vt munus ipsum, gladiatorium dico, quotannis illorum, qui quæstores essent, pecunia instrueretur publica, Dolabella Consule id censente: Cornelius author.

detractáque Hostiensi,& Gallia prouincia, curam ærarii Saturni reddidit, quam medio tẽpore Prætores, aut vtique tunc prætura functi sustinuerant. Triumphalia ornamenta Syllano filiæ suæ sponso nondũ puberi dedit. Maioribus verò natu tã multis, támq; facilẽ, vt epistola cõmunis legionũ nomine extiterit, petentium, vt legatis consularibus, simul cum exercitu & triumphalia darentur, ne causam quoquõ modo belli quærerent. Aulo Plautio etiam ouationem decreuit, ingressóque vrbem obuiàm progressus, & in Capitolium eunti, & inde rursus reuertenti, latus texit. Gabinio Secundo, Caucis gente Germanica superatis, Caucici cognomen vsurpare concessit.

Quædam ciuilia gesta, & ordinationes eius. XXV.



Questreis militias ita ordinauit, vt post cohortẽ, alam: post alam tribunatũ legionis daret: stipẽdiáq; instituit, & imaginariæ militiæ genus, quod vocatur super numerum,

PHIL. Decreta.] Boni codices habent detracta: vt sit sensus, Claudium ademisse quæstoribus Hostiensem prouinciam, & Galliam, quæ erãt prouinciæ quæstoriæ, & loco earum restituisse præfecturam ærarii, quam Augustus à quæstoribus vrbanis ad prætorios, prætorésve transtulerat. M. Tullius in oratione pro Murena mentionẽ facit Hostiensis prouinciæ quæstoriæ, quam ait esse non tam gratiosam, & illustrem, quàm negotiosam, & molestam: ídque illi, cùm quæstores sortiuntur, etiam acclamari solet.

Aerarii Saturni.] In æde Saturni erat ærarium Romanũ. Causam quærit Plutarchus in Problematis, An ex eo, inquit, quòd fama obtinuit Saturni tempore nec auaritiam, nec improbitatẽ vsquam in hominibus fuisse, sed iustitiam, & fidem. Refert Cyprianus, Saturnum in Italia primum instituisse nummos signare: vnde ærarium Saturni vocitatur. De hoc Macrobius sic refert: Aedem Saturni ærarium Romani esse voluerũt, quòd tempore, quo incoluit Italiam, fertur in eius finibus nullum esse furtum commissum: aut quia sub illo nihil erat cuiusquam priuatum. Primus autem omniũ Valerius Publicola, exactis regibus, ædem Saturni ærarium declarauit, ductus opportunitate loci, quem & apertum, & ab insidiis tutum, & in primis monitum animaduertit. In ærario tabulæ publicæ seruabantur: & ex eo dictum tabularium, quasi tabularum repositorium. Cicero: Hîc tu tabellas desideras Heracliensium publicas: quas Italico bello incenso tabulario interiisse scimus omnes.

Medio tempore.] Ab Augusto, ad Claudium.

Prætura functi.] Prætorii viri significantur.

Triumphalia ornamenta.] Cornelius Tacitus: Lucio Syllano desponderat Octauiam Cæsar, iuuenémque, & aliâs clarum per insignia triumphalium, & gladiatorii muneris magnificentiam protulerat ad studia vulgi.

Tam multis.] Scilicet dedit triumphalia ornamenta.

Legatis Consularibus.] De dignitate legatorũ Consulariũ loco suo diximus.

Cum exercitu & triumphalia.] Huius rei meminit Tacitus his verbis: At legionibus cum damno labor, & fodere riuos, quæque in aperto grauia humum infrà moliri, queis subactus miles, & quia plures per prouincias similia tolerabant, componit occultas literas nomine exercituum precantium Imperatorem, vt quibus permissurus esset exercitus, triumphalia antè tribueret.

Inde reuertẽti.] Scilicet Plautio. Mos erat eorũ, qui aut ouabãt, aut triumphabãt, vt irẽt in Capitoliũ, vnde domũ pompabiliter reuertebantur, reducebantúrque.

Latus texit.] Inferior in itinere latus tegere dicitur superioris, quem comitatur. Horatius in 2. Sermonum:

Vísne tegam spurco Damæ latus? De hoc ita scribit Eutropius: Tã ciuilis circa quosdã amicos extitit, vt etiã Plautiũ nobilem virũ, qui in expeditione Britãnica multa egregiè fecerat, triũphantem ipse prosequeretur, & conscendenti Capitoliũ læuus incederet.

Gabinio Secundo.] Sensus est: Claudius concessit Gabinio, qui Secundus nominabatur, vt à deuictis Caucis Caucicus cognominaretur: sicut à Creta Creticus, à Balearibus Balearicus, à Dalmatis victis, Dalmaticus sunt cognominati tres Metelli. Est autem Caucorũ gens in Germania incipiens à Frisiis, partémque occupans litoris Septentrionalis in Catos vsq; porrecta: author Tacitus in libro de situ Germaniæ. Plinius Caucos duplices esse significat, qui maiores, minorésq; appellentur: quorum cibus est lutum, potus imber: & tamen hæ gentes si vincantur à populo Romano seruire se dicunt.

Post cohortem.] Vt post præfecturã cohortis administratam alæ equestri præficeretur. De ala equitum, & equitibus alariis iam dictum est.

Post alam.] Vt post præfecturã alæ fieret tribunus: & ita gradatim promouebatur in militia.

Imaginem militiæ.] Imaginariam militiam vocant, quæ legitima non est, sed commentitia.

Super numerũ.] Vulgò supernumerarii dicuntur. Vegetius libro secundo rei militaris de supernumerariis sic scribit: Milites vocabantur accersiti, hoc est posteà additi, quàm fuisset legio completa: quos nũc supernumerarios vocant.

M. AN. Hostiensi, & Gallia.] Duabus prouinciis illorũ curæ adẽptis, & si quidam non detracta, sed decreta habeant: sicque diuersus erit sensus.

Aerarii Saturni.] Quæ cura ab Augusto ad prætores prætorióśque viros fuerant delata. Cur in Saturni templo fuerit ærarium constitutum, Macrobius docet.

Communis.] Communi nomine data.

Latus texit.] Ouantis lateri adhæsit.

Caucis gente Germanica.] Plinius, & Ptolemæus de Caucis gente Germanica Tranquillo accedunt. Cornelius Corbulonem ait in Caucos mouisse: cæterũ bello Claudii literis auersum insignibúsq; nihilò minùs triumphalibus donatum.

Post cohortem.] Cohortis præfecturam.

quo abſentes, & titulo tenus fungerentur. Milites domos Senatorias ſalutandi cauſa ingredi, etiam patrum decreto prohibuit. Libertinos, qui ſe pro equitibus Romanis agerẽt, publicauit. Ingratos, & de quibus patroni quererentur, reuocauit in ſeruitutem, aduocatiſque eorum negauit ſe aduerſus libertos ipſorum ius dicturum. Quum quidam ægra, & affecta mancipia in inſula Aeſculapii tædio medendi exponerẽt, omnes, qui exponerentur, liberos eſſe ſanxit, nec redire in ditionem domini, ſi conualuiſſent: quòd ſi quis necare

Alam.] Præfecturam alæ. Imaginariæ.] Non veræ, ſed rei imaginem præ ſe ferentis.

PHIL. Titulo tenus.] Vt milites quidem dicerentur, quũuis legionem, verámque militiam non exercerẽt.

Salutandi cauſa.] Tanquã non deceret milites fieri ſalutatores: quod vt banorum eſt.

Libertinos publicauit.] In publicum redegit, & publica eorum bona, publicóſque ipſos fieri iuſſit.

Ingratos reuocauit in ſeruitutem.] Hoc ex inſtituto Athenienſiũ tráſtulit Claudius, apud quos cõuictus à patrono libertus ingratus, iure libertatis exuebatur. Soperſedeo, inquit patronos, habere te ciuem tanti muneris impium æſtimatorem: abi igitur, & eſto ſeruus, quoniã liber eſſe neſciſti. Apud Maſſilienſes quoq; tres in eodem manumiſſiones reſcindi permittebatur, ſi ter ab eodem deceptum dominum cognouerint, quarto errori ſubueniendum non putabant. Meritò itaq;, & laudabiliter inſtituit Claudius, vt ingrati in patronos liberti in ſeruitutẽ priſtinã, mancipatumq; reuocarentur: cùm in vitio ingratitudinis nihil non inſit mali: vnde apud Athenienſes, vt inquit Valerius, actio aduerſus ingratos conſtituta eſt: & author eſt Xenophon in primo Pædiæ, quòd apud Perſas ingrati ſeueriſſimè puniebãtur: quippe qui arbitrantur, eos, qui ſint ingrati, deos maiorem in modum negligere, & parentes, & patriã, & amicos. Sicut autem gratitudo, vt docet Cicero in oratione pro Plancio, mater eſt virtutũ omnium reliquarum, ſic econtrario ingratitudo dicetur mater vitiorum, criménq; abſolutæ malitiæ. Quid verò ingratius eſſe poteſt eo homine, qui agit immemorem acceptæ libertatis, quæ inæſtimabilis res eſt, vt aiunt Iuriſconſulti: cuius dulcedine captus Cicero exclamat, O nomen dulce libertatis. Aduocatiſque eorum.] Si qui erant aduocati, qui ſuo patrocinio cauſam libertinorũ ingratorum tutarentur, talibus negauit Claudius ſe iura dicturum, ſi de libertis ſuis & ipſi aliquando conquererẽtur: tanquam indigni eſſent, quibus Imperator faueret in ea cauſa, quam ibant oppugnatum.

Quidam.] Scilicet domini.

Affecta mancipia.] Languentes, & ægrotos ſeruos. Nanq; affectum dicimus languidũ abſoluta locutione: vt illud apud Propertium, Iupiter affectæ tandem miſerere puellæ. Et à Celſo eleganter dictum eſt: Pulmo totus afficitur. & alibi: At lienis, vbi affectus eſt, intumeſcit: & renes, vbi affecti ſunt, diu malè habent. Liuius in quinto: Vires corporis affectæ, ſenſus oculorum, atque aurium hebetes, memoria labat.

In inſula Aeſculapii.] Inſulam Aeſculapii dicimus inſulam Tyberinam, in qua Aeſculapii templũ cõſtructum fuit. Plinius in xxix. Ideo templũ Aeſculapii, etiã cùm reciperetur is deus, extra vrbẽ feciſſe, iterũmq; in inſula traduntur. Ouidius libro xv. Metamorphoſeos, hiſtoriam referens vnde Aeſculapius Epidaurius in inſula Tyberina templum acceperit, ſic ait:

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis,
Inſula nomen habet: laterũmq; à parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos:
Huc ſe delata pinu Phœbeius anguis
Contulit.

Idem in primo Faſtorũ docet, Calendis Ianoarii in hac inſula Tyberina ſacratũ fuiſſe templũ Aeſculapio vnà cũ delubro Iouis. Hiſtoria de templo Aeſculapii in Inſula Tyberina dicato, à Valerio quoq; in primo, & à Liuio in xi. memoratur. Hodie quoque in ea inſula conoiſcitur delubrum religioſum, nõ ethnicæ ſuperſtitionis, ſed Chriſtianæ religionis. In inſula autẽ Aeſculapii ideo exponebantur ægroti, quia deus medicinæ eſt, ob hanc ſcientiam in deorum numerũ receptus, vt ait Celſus in primo. Mortalitas enim, vt Plinius quoque libro vndetrigeſimo cap. 1. refert, diis primum inoentores ſuos aſſignauit, & cælo dicauit. Phalaris epiſtola quadam ſic inquit: Te neque ipſe medicæ artis inuentor Aeſculapius, cum omnibus diis, ſanare vnquam potuiſſet. Fabula eſt vetuſtas, Aeſculapium fulmine Iouiali ictum fuiſſe, quoniam Hippolytum, vel, vt alii tradunt, Tyndaridẽ reuocauiſſet ad vitam. Apud Ariſtophanem in fabula, cui titulus eſt πλοῦτος, inducũtur languentes in æde Aeſculapii, vt medelarum fomentis refocillentur. Apud Plautum in Curgulione inducitur leno Cappadox lienoſus, iecoroſus, pulmonarius in fano Aeſculapii incubans cauſa valetudinis recuperãdæ. Hippocrates inſtituiſſe fertur medicinã clinicen in templo Aeſculapii. Nam cùm mos fuiſſet, liberatos morbis in Inſula Co ſcribere in tẽplo, qoi auxiliatus eſſet, quo quiſq; vſus remedio cõualuiſſet, ea exſcripſiſſe fertur. Aedes autẽ Aeſculapii extra vrbẽ ideo ædificari ſolet, quia, vt refert Plutarchus in Quæſtionibus, crediderũt priſci ſalubriùs foris, quàm in vrbe, habitari. Vnde & Græci in excelſis locis Aeſculapii templa conſtituebãt. In inſula Tyberina erat Romæ veluti domicilium ægrotorum egenorum, tanquã νοσοκομεῖον: ſic enim Græco vocabulo vocamus domicilium languentiũ. Scribit Hieronymus, Fabiolam inſtituiſſe noſocomion, quod ipſe interpretatur villam languentium, in quo ægrotantes refouebantur. conſimile eſt ξενοδοχεῖον.

In ditionem.] In poteſtatem.

M. ANT. Etiam patrum decreto.] Patribus etiam id decreto prohibentibus.

Publicauit.] In publicum cum bonis redegit.

Ingratos.] Qui in patronos ingrati eſſent, immemoréſq; accepti ab eis beneficii, quòd libertate donati eſſent.

Aduocatis eorum.] Libertorum cauſæ fauentibus: eorum dico, adoerſus qoos ingratitodinis ageretur.

Aduerſus libertos ipſorum.] Quando videlicet indigni eſſent, qui eo iure ſobleuarentur, quod nuper oppugnaſſent. Affecta.] Morbo propemodum cõſumpta. In inſula Aeſculapii.] In Tyberina inſula, vbi Aeſculapii templum erat. Valerius, & Ooidius in Faſtis ſunt aothores: mos vetus, & à Græcis ſumptus, ſi curandi gratia eò delati ſunt. Ariſtophanes: ἦσαν δὲ τινὲς κἄλλοι ἀσθενοῦντες τ῀ θεῷ: ſic Charion ille heræ ſuæ de iis, qui

mallet quē, quàm exponere, cædis crimine teneri. Viatores ne per Italiæ oppida, niſi aut pedibus, aut ſella, aut lectica tranſirent, monūit edicto. Puteolis, & Hoſtiæ ſingulas cohortes ad arcēdos incendiorū caſus collocauit. Peregrinæ conditionis homines vetuit vſurpare Romana nomina dúntaxat gentilitia. Ciuitatem Romanam vſurpātes, in campo Exquilino ſecuri percuſſit. Prouincias Achaiam, & Macedoniam, quas Tyberius ad curam ſuam tranſtulerat, Senatui reddidit. Lyciis ob exitiabiles inter ſe diſcordias libertatem ademit: Rhodiis, ob pœnitentiam veterum delictorum, reddidit. Ilienſibus, quaſi Romanæ gentis authoribus, tributa in perpetuū remiſit, recitata vetere epiſtola Græca Senatus, populiq; Romani Seleuco regi amicitiā, & ſocietatem ita demū pollicentis, ſi cōſanguineos ſuos Ilienſes ab omni onere immunes præſtitiſſet. Iudæos impulſore Chriſto

qui in Aeſculapii templo erant: ſed hi, vt mendicarent, expoſiti videntur, ob idque in dominorum inuidiam principis decreto libertate donati.

PHIL. Quem, quàm.] Duæ dictiones, & ſeiunctim legendæ: vt ſit ſenſus, dominū tanquam homicidii reum haberi, qui necare maluiſſet quem, hoc eſt, aliquem ſeruorum, quàm exponere in inſulā Aeſculapii.

Monuit edicto.] Miror hoc edixiſſe Claudium, tanquā improbaret eos viatores, qui in equo, aut in iumento, aut in carruca veherentur. Marcus Imperator vetuit ſederi in equo, aut in vehiculo in ciuitatibus. Et de viatoribus, qui vulgò ita dicūtur, intelligit: cùm aliâs viatores ſint miniſtri publici, ex eo nominati, quòd à villis in curiam Senatores euocabant: authores Plinius, Cicero, & Columella.

Puteolis.] Ciuitas eſt Campaniæ, alio nomine Dicearchia dicta. de hac ſuprà diximus.

Gentilitia.] Sicuti ſunt Iuliorū, Scipionū, Claudiorum, Fabiorum, & id genus reliquarum familiarum Romanarum. De nominibus gentilitiis diximus áffatim in primo Commentario. Non improbandus in hoc Claudius, qui noluit nomina Romanarū familiarum pollui, vſurpariq; à peregrinis, périnde ac tali vſurpatione pollueréntur. Eſſet enim indecorū, quòd peregrini vſurparent nomina gentis Corneliæ, Aemyliæ, Claudiæ, aliarúmq; gentilitia Romana nomina. Olim Athenienſes ſanxerunt, ne cui ſeruo inderentur nomina Armodii, & Ariſtogitonis.

Ciuitatem Romanam vſurpantes.] Eos ſcilicet, qui cùm eſſent peregrini, cioes ſe Romanos eſſe dictitabant, & ius Quiritium fraudolenter vſurpabant.

In campo Exquilino.] Fortaſſis hic ille campus eſt, quem Catullus minorem appellat illo verſu:

Te quæſiuimus in minore campo.

Exquiliæ autē, vt alibi docuimus, à quibus ſecunda Romana regio Exquilina nominatur, ab excubiis regis dictæ ſunt, vel ab eo quòd excultæ à rege Tullo fuerunt. Exquiliæ duo montes habiti ſunt, alter Ciſpius, alter Opius dictus: author Varro.

Ad curam ſuam tranſtulerat.] Vt ſcilicet Cæſaris dicerentur. Auguſtus enim totum Imperium bifariàm diuiſit in prouincias cōplures: quarū aliæ Cæſaris, aliæ populi dicebantur. In prouincias Cæſaris ipſe Cæſar mittit præſides: in prouincias populi, ipſe populus: & ex his aliæ factæ ſunt conſulares, aliæ proconſulares, aliæ præſidiales, aliæ prætoriæ prouinciæ: authores Strabo, & Sextus Rufus. Lyciis.] Lycia, regio eſt Aſiatica, in qua mons Chimæra noctibus flagrans: & Patara ciuitas: vnde Apollo Pataræus nominatus. Reddidit.] Scilicet libertatē. Cor. Tacitus: Redditur, inquit, Rhodiis libertas adempta ſæpe, aut firmata: prout bellis externis meruerant, aut domi ſeditione deliquerant.

Ilienſibus.] Nero adhuc puer ſuſcepit cauſam Ilienſium apud Claudiū, impetrauitq; vt Ilienſes omni publico munere ſoluerētur, dum Iuliæ ſtirpis Aneā, & Romanos Troia oriundos facūdè enumerat: author Tacitus. Tranquillus verò ait immunitatem Ilienſibus datā, cùm recitata eſſet epiſtola, quā olim Græcè ſcriptā Senatus, & populus Romanus miſerat ad Seleucum Syriæ regem, qua cōſanguineos ſuos Ilienſes appellabant. Conſimiliter diuus Cæſar maximā de Ilienſibus curā ſuſcepit, vtpote conſanguineis, & cum quibus certiſſima habebat cognationis ſigna: itaq; regionē eis tribuit, libertate, & immunitate ſeruata.

Iudæos impulſore Chriſto.] Locus hic diligenter enarratur à Paulo Oroſio, qui lib. VII. hiſtoriarū ſcribit hæc: Anno principatus Claudii nono expulſos per Claudium vrbe Iudæos Ioſephus refert: ſed me magis Suetonius mouet, qui ait hoc modo: Claudius Iudæos impulſore Chriſto aſſiduè tumultuantes Roma expulit. Quod vtrum contra Chriſtum tumultuantes Iudæos coerceri, & comprimi iuſſerit: an etiam Chriſtianos ſimul, velut cognatæ religionis homines, voluerit expelli, nequaquā diſcernitur. Ex his Oroſii verbis ſatis liquet cur à Tranquillo dictum ſit, Iudæos impulſore Chriſto tumultuantes expulſos vrbe Roma eſſe à Claudio: tamen apud Ioſephum legimus, edictū à Claudio pro Iudæis miſſum eſſe per orbem terrarū: cùm Agrippa, & Herodes petiiſſent vt Iudæis ſua iura concederentur in omni Imperio Romanorum. Ait in edicto itaque Claudius: Optimum iudico, Iudæos in omni Mundo ſub nobis conſtituto patrias ſolennitates ſine prohibitione celebrare: quibus iam nūc præcipio, vt meam hanc manſuetè cuſtodiant, & ipſi aliarum gentium religionem nequaquam ſubneruare pertentent, ſed ſuas leges obſeruent.

Caedis crimine teneri.] Quò maior dominis curandi neceſſitas imponeretur: aut, ſi curare nollent, manumittendi. M. AN. Viatores.] Peregrè tranſeuntes. Vergilius: -Carpe viator iter. Horatius:

-Tandem feſſus dormire viator Incipit.-

De hoc melius, quàm de publico miniſtro intelligas, qui ex agris vtique Senatores accerſere ſolebat, nō autem Italiæ vrbes peruagari. Aut ſella, aut lectica.] Sequitur vt neq; rheda, neq; equo ſedenti liceret: ſed cur magis ſella, quàm equo, aut lectica magis, quàm rheda licere voluerit, non video: vide tamen ne ſit negatiuè, nō disiunctiuè legēdū, id eſt pedibus, nō autē lectica, nō ſella. Capitolinus huic opinioni noſtræ adſtipulatur: Marcus, inquit, vetuit ſederi in ciuitatibus in equis, ſiue

assiduè tumultuantes Roma expulit. Germanorum legatis in orchestra sedere permisit, simplicitate eorum, & fiducia motus, quòd in popularia deducti, quum animaduertissent Parthos, & Armenios sedentes in Senatu, ad eadem loca sponte transierant, nihilò deteriorem virtutem, aut conditionem suam prædicantes. Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantùm ciuibus sub Augusto interdictam, penitus aboleuit. Contrà, sacra Eleusina etiam trãsferre ex Attica Romã conatus est. Templũ quoq; in Sicilia

vehiculis.

Dúntaxat.] Gentilia hæc sunt, quæ vsurpari noluit: ne temeraria nuncupatione se Corneliæ, Iuliæ, Liciniæ, alterive familiæ insererent.

Vsurpantes.] Nunc in malam partem, & quasi fraude vendicantes.

Achaiam, & Macedoniam.] Prouinciarum aliæ, vt Strabo ait, Cæsaris, aliæ populi dicebãtur. Lyciis.] Lycia regio minoris Asiæ inter Cariam, & Pamphyliam, à Lyco Pandionis filio.

Rhodiis reddidit.] Plinius: Pulcherrima, & libera Rhodos. Lyciæ ea præiacet, éstque Cycladum prima.

Seleuco.] Fuit is Syriæ rex, & Antiochi pater, qui vxorem propriam, vt Appianus ait, filio concessit, cùm illius amore deperire sensisset.

Ilienses.] A quibus Romani authore Aenea oriũdi.

Impulsore Christo.] Seu, vt alii habent, Chresto: vtrunq; nomen viri proprium: hoc ab eo quod χρηϛὸς bonus, seu vtilis dicitur: illud παρὰ τὸ χρίω vngo.

PHIL. IN orchestra.] In sedibus Senatorum. Corn. Tacitus id à Nerone, non à Claudio factũ esse prodidit. Verba Taciti hæc sunt de rebus Neronis scribentis: intrauere barbarorum legati Pompeii theatrum, quo magnitudinem populi viserent illhic per otium: nec enim ludicris ignari oblectabantur: dum consessu caueæ discrimina ordinum, quis eques, vbi Senatus percunctantur, aduertere quosdam cultu externo in sedibus Senatorum, & quinam forent rogitantes, postquã audiuerunt earum gentiũ legatis id honoris datum, quæ virtute, & amicitia Romanorum præcellerent, nullos mortalium armis, aut fide ante Germanos esse exclamãt: digrediuntúrque, & inter patres considunt: quod comiter à visentibus exceptũ, Nero ciuitate Romana ambos donauit.

In popularia.] In cuneos, & gradus theatrales, in quibus populus sedens spectare solet.

Parthos, & Armenios.] Legatos Parthorum, & Armeniorum.

Eadem loca.] Sedilia scilicet Senatoria in orchestra.

In Senatu.] In sedibus Senatoriis.

Nihilò deteriorẽ virtutem.] Exclamauerunt enim, vt ex verbis Taciti declarauimus, nullos mortalium armis, aut fide ante Germanos esse.

Druidarum religionem.] Druidæ magi sunt Gallorum, vt inquit Plinius in xvi. qui nihil habent sacrarios visco, & arbore, in qua gignatur, si modò sit robur: nulla sacra sine roboris fronde cõficiunt, vt inde appellari quoq; interpretatione Græca possint Druides videri: Græce enim δρῦς nominatur quercus. Idẽ in xxx. refert, Druidas hominẽ immolare solitos, prodigioso sacro exercentes artem magicã. De authoritate Druidarũ, & doctrina, multa facundissimè scribit Cæsar in vi. commentario: quorum mentio quoque fit à Strabone lib. iiii. Geographiæ, quos iustissimos esse memorat: ideóque illorum fidei priuata & publica iudicia committi, adeò vt rebus quoque bellicis præsint, ita vt pugnaturi iubentibus Druidis à pugna desistant, aut in pugnam impellantur.

Diræ immanitatis.] Propter immolationem hominum, quam faciunt, exercentes magicã. Lucanus in primo Pharsaliæ meminit Druidarum illis versibus:

Et vos barbaricos ritus, morémque sinistrum
Sacrorum Druidæ positis repetistis ab armis.

Non solùm autem viros Druides fuisse, sed & fœminas, testis est Flauius Vopiscus, qui ait, Aurelianum consuluisse Gallicanas Druidas, sciscitantẽ vtrum apud eius posteros Imperium permaneret: quæ responderunt, nullius nomen in Republica clarius futurum, quàm Claudii posterorum.

Penitus aboleuit.] Plinius non à Claudio, sed à Tyberio Druidas, Druidarúmque religionem sublatam esse demonstrat, sic scribẽs lib. xxx. Natu. Historiæ: Nam Tyberii Cæsaris principatus sustulit Druidas Gallorũ, & hoc genus vatum, medicorúmque. Potest tamen Plinius cũ Tranquillo conuenire: cùm Claudius Cæsar appellatus sit Tyberius Claudius Drusus, sicut suprà demonstratum est. Et apud Iosephum libro vndeuigesimo, formula edicti à Claudio missi talis est: Tyberius Claudius Cæsar, Pius, Germanicus, tribunitiæ potestatis dicit.

Contrà.] Ex altera parte: quemadmodũ enim religionem Druidarum execratus est: ita è contrario Eleusinas ceremonias est veneratus. De Eleusinis sacris, quæ inter vetustissima, sacratissimáque commemorãtur, diximus in ii. Commentario. Repetẽ quæ illhic latissimè explicata sunt. Fuit enim Eleusis ciuitas in Attica Cereri consecrata, vt refert Pomponius Mela: vbi Eleusinæ Cereris templum extitit memoratissimum vnà cũ fano mystico, quod Ictinus apparauit turbæ theatralis capacissimum: vt inquit Strabo in nono. Profani, authore Lampridio summouebantur, à sacris Eleusinis.

IN popularia.] Quòd popularia in theatro essent, diximus. M. AN.

In Senatu.] In orchestra, seu podio.

Sponte.] Non accersiti.

Druidarum.] Bardi, vt Strabo ait, vates, & Druidæ apud Gallos in honore erant, quorum Bardi laudationibus, & poeticis rebus studebant: vates naturalibus causis: Druidæ non Naturæ solùm rebus, sed & moribus. Hi hominem dominationi destinatum in tergo ferientes, ex ipso impatientiæ, afflictandique modo vaticinium capiebant. Plinius lib. xxx. cap. i. Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso Consulibus, Senatusconsultum factum, ne homo immolaretur, palámq; in tempus siluit Sacri prodigiosi celebratio. Gallias vtique possedit, & quidem ad nostram ætatem. Nanq. Tyberii Cæsaris principatus sustulit Druidas eorũ, & hoc genus vatum, medicorúmque. Quod nisi locus mẽdosus est, à Tyberio, non Claudio Druidæ sublati sunt. De Druidis, & peruerso sacrorum ritu Lucanus:

Et vos barbaricos ritus, morémque sinistrum
Sacrorum Druidæ positis repetistis ab armis.

Sacra Eleusina.] Cereris initia, ab Eleusi oppido, vt Plinius ait, Atticæ regionis, vbi sacra ipsa celebrabantur.

Ven

Veneris Erycinæ vetuſtate collapſum, vt ex ærario populi Romani reficeretur, author fuit. Cum regibus fœdus in foro icit, porça cæſa, ac vetere fecialium præfatione adhibita. Sed & hæc, & cætera, totúmque adeò ex parte magna principatũ non tam ſuo, quàm vxorum, libertorúmque arbitrio adminiſtrauit, talis vbique plerunque, qualem eſſe eum aut expediret illis, aut liberet.

Sponſæ, & uxores eius. XXVI.

SPonſas admodũ adoleſcens duas habuit, Aemyliam Lepidam Auguſti proneptẽ,

PHIL. VEneris Erycinæ.] Scribit Strabo in ſexto, Erycem montem eſſe Siciliæ excelſum, in quo Veneris ob id Erycinæ nominatæ templum antiquitus extructum fuit, quod ſingulari veneratione colebatur, mulierum frequentia refertum. Romæ quoque ante portam Collinam ædes fuit Veneris Erycinæ, quã, authore Liuio, Fabius Maximus Dictator vouit: de qua intellexit Ouidius illo verſu:

Eſt prope Collinam templum venerabile portam,

Appoſuit templo nomina Celſus Eryx.

Vetuſtate collapſum.] Tradit Strabo, ſuis temporibus templum Veneris Erycinæ defeciſſe, ſicut & copia ſanctarum fœminarũ, quæ Veneri Erycinæ dicatæ erant. Cicero in Verrinis meminit Veneriorũ, qui in Veneris familia conſecrati numerabantur: ſicut Martiales dicti apud Larinates, publici Martis miniſtri: quorum mentio fit ab eodem M. Tullio in oratione pro Cluentio. Ex ærario.] Ex pecunia deprompta ex ærario ad impenſam.

Icit.] Percuſſit. Hoc enim ſignificat icit. Plautus: Frendit, icit femur. Dicimus & in paſſiuo, vt apud Lucretiũ: Emicat in partem ſanguis: vnde icimur ictu. Icimur dixit pro eo, quod eſt percutimur, & ferimur. Inde fœdus ictum frequenter ab Hiſtoricis dicitur pro factum: quia percuſſa victima fiebant fœdera.

Porca cæſa.] Liuius in primo formulã fœderis, quod primum inter Romanos, & Albanos ictum eſt, referens non porcam, ſed porcum cædi ſolitum demonſtrat. Feriebatur autẽ ſaxo ſilice à patre patrato, qui princeps erat fecialium, ad patrandũ, id eſt ſanciendũ fœdus adhibitus. Vergilius fœminino genere, ſicut Tranquillus, porcam dixit illo verſu:

Et cæſa iungebant fœdera porca.

Quamuis Seruius exiſtimet Vergiliũ vſurpaſſe genus pro genere, tanquam porcã dixerit pro porco. Nanque ſicut ex authoritate Liuii demonſtrauimus, non porca, ſed porcus ad hoc ſacrificii genus adhibebatur. Præterea in omnibus ſacris fœminini generis victimæ plus valere exiſtimantur: vnde ſi per marem litare non poſſent, ſuccidanea fœmina dabatur: ſi autem per fœminã non litaſſent, ſuccidanea adhiberi non poterat.

Fecialium.] Numa Pompilius ſacerdotium inſtituit fecialium, qui erant quidam quaſi pacis cuſtodes: vnde à Græcis, vt inquit Dionyſius, nominati ſunt Εἰρηνοδίκαι. Græci enim εἰρήνην pacem vocant: ex quo irenarchæ inclinari videtur, qui corrigẽdis moribus præficiuntur, quaſi præſides pacis: quorum mẽtio fit apud Iuriſconſultos titulo De muneribus. Feciales præerãt fœderibus faciendis: quorũ maximus pater patratus nominatur: tanquã pater eis ſit, & illi filii: author Plutarchus in Problematis. De fecialibus M. Varro hæc: Feciales dicti, quòd fidei publicæ inter populos præerant. Nam per hos fiebat vt iuſtum conciperetur bellum, & inde deſitum: & vt fœdere fides pacis cõſtitueretur: ex his mittebantur, qui res repeterent, & per hos etiã nũc fit fœdus: quod fidus ſcripſit Ennius. Ex quo exiſtimat Seruius fœdus dici à fecialibus. Vetere præfatione.] Formula veteris præfationis in fœdere percutiẽdo inter Romanos, & Albanos fuit, quam in aliis quoque fœderibus vſurpabant: fecialis patrem patratum faciebat, qui legibus recitatis, Audi, inquit, Iupiter: audi pater patrate populi Albani: audi tu populus Albanus: ſine dolo malo vtiq; ea hîc hodie rectiſſimè intellecta ſunt: illis legibus populus Romanus prior nõ deficiet: ſi prior defecerit publico conſilio, dolo malo, tu illo die Iupiter populum Romanũ ſic ferito, vt ego hodie hunc porcũ feriam: tantóque magis ferito, quantò magis potes, pollẽſque. Vbi id dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit.

Vxorum, libertorúmq; arbitrio.] Sententia apoſtolica eſt, virum eſſe caput mulieris: ex quo intelligimus ordine fieri, vt caput imperet, membra obſequantur. Fit autem ordo præpoſterus, & cuncta turbantur, vbi quod ſubeſſe debet, id vult præeſſe. Debet, vt inquit ſapientiſſimè Ariſtoteles in ſecundo Oeconomicorum, mulier putare virum eſſe veluti legem vitæ ſuæ impoſitam, maritúmq; perinde ac dominum reuereri: neque fœminam decet perquirere, quæ fiant foris. Claudius verò cùm eſſet vxorius, non imperabat vxoribus, vt decet, ſed parebat: quod cum primis dedecet. hinc ait Cornelius Tacitus in Claudio nõ fuiſſe iudicium, non odium, niſi indicta, & iuſſa: ex quo factum eſt, vt cuncta fœminæ obedirent, fieréiq; id in Romano Imperio, quod in principatu Lacedæmoniorum eſt factitatum: apud quos, vt docet Ariſtoteles in ſecundo Politicorum, multa à mulieribus adminiſtrabantur. Nihil autem refert vtrum mulieres ipſæ gubernent, an qui gubernant, à mulieribus gubernentur. Idem enim pariter accidit. Turpe eſt, Principem Imperium adminiſtrare ex arbitrio vxoris, turpius ex arbitrio libertorum, & mancipiorum. Tales taxat Plinius in Panegyrico his verbis: Plerique principes cùm eſſent ciuium domini, libertorũ erant ſerui: horũ conſiliis, horũ nutu regebantur: per hos audiebant, per hos loquebantur. Decet principem regere, non regi: decet adminiſtrare Imperiũ, non ex arbitrio muliercularũ, & mancipiorũ, ſed ex præſcripto legis: quam vt dominã vbi colueris, libertos tractet vt libertos, vxores habeat vt vxores, ipſe verò agat principem non obnoxium.

Aemyliam Lepidã.] Cùm Claudiũ dixerit arbitrio vxorũ, libertorúmq; adminiſtraſſe principatũ, primò loquitur de vxoribus, mox de libertis locuturus. Dicit autem primã ſponſam habuiſſe Aemyliam Lepidã, quæ Auguſti proneptis erat. Nanq;, vt in ſecundo Commentario explicatum eſt, Auguſtus habuit neptem Iuliam, quam Paulo Aemyllo Cenſoris filio collocauit: ex qua nata eſt hæc Aemylia Lepida Auguſti proneptis, quam primam ſponſam habuit Claudius.

ERycinæ.] Eryx mons, & oppidum Siciliæ. Polybius Erycem ait poſt Aetnam omnium Siciliæ montium maximum, eſſéque in eius vertice templum Veneris opulentiſſimum. M. AN.

Porca cæſa.] Quæ quoniam fœde icta lapide cæderetur, Varro fœdus dictum exiſtimauit.

item Liuiam Medullinam, cui cognomen & Camillæ erat, è genere antiquo Dictatoris Camilli. Priorem, quòd parentes eius Augustum offenderant, virginem adhuc repudiauit: posteriorem ipso die, qui erat nuptiis destinatus, ex valetudine amisit. Vxores deinde duxit Plautiam Herculanillam triumphali, & mox Aeliam Petinam Consulari patre. Cum vtraque diuortium fecit. Sed cum Petina ex leuibus offensis, cum Herculanilla ob libidinum probra, & homicidii suspicionem. Post has Valeriam Messalinam Barbati Messalæ consobrini sui filiam in matrimonium accepit. Quam quum comperisset super cætera flagitia, atque dedecora, Caio Silio etiam

Fecialium.] Sacerdotum. De fecialibus apud Dionysium, Liuium, Plutarchum, & Seruium, longe plura.

Præfatione.] Quali feciales præfatione vterentur, Liuius explicat.

Augusti proneptem.] Ex Iulia Augusti nepte, quæ Agrippæ, & Iuliæ fuit filia, & L. Paulo Aemylio Censoris filio genitam.

PHIL. E Genere antiquo Camilli.] Furius Camillus, qui Romulus, ac parens patriæ, conditórque alter vrbis appellabatur, serua tà manibus Gallorum vrbe Roma, quinquies Dictator fuit, & quater triumphauit. Thusci veteres Camillū appellauere Mercurium: quo vocabulo significant præministrum deorū. Vnde Pacuuius Medeam cæliñ Camillam, quasi ministram vocat. Romani quoq; pueros, puellásve nubiles, & inuestes Camillos, & Camillas appelliauerunt Flaminicarum, & Flaminum ministros. In nuptiis Casmillus nominatur, qui merum fert: & Camillon antiqui dicebant vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis vtensilia: authores Macrobius, Festus Pompeius, & M. Varro. Hæc autem Medullina Camilla erat ex ea familia, quæ defluxerat à Furio Camillo Dictatore. Apud Iuuenalem fœda est sugillatio alterius Medullinæ illo versu:

Ipsa Medullinæ frictum crissantis adorat.

Priorem.] Aemyliam Lepidam.

Augustum offenderant.] Superiùs scripsit Trāquillus quemadmodum Lucius Paulus Augusti progener, qui pater fuit huius Aemyliæ Lepidæ, coniurauerat in Augustum: cuius coniuratio priùs, quàm inualesceret, indicio detecta, ab Augusto compressa est. Præterea idē Iuliam neptem Aemyliæ Lepidæ matrē omnibus probris contaminatam relegauit.

Posteriorem.] Liuiam Medullinam.

Triumphali.] Scilicet patre natam.

Aeliam Petinam.] Hanc ex familia Tuberonum fuisse indicat Tacitus: ex qua Antoniá filiam suscepit: hæc post diuortiū elaborauit, fautore Narcisso, vt rursus nuberet Claudio in cælibatu viuenti ex obitu Messalinæ.

Ob libidinum probra.] Dedecora, ac dehonestamenta. Et hæc iusta profectò est, legitimáque causa diuortii. Quid enim esse potest flagitiosius matrona vinosa, & adultera? cùm nulla res magis exornet summatem fœminam, quàm pudicitia. Non enim natales faciunt matremfamiliâs, sed boni mores. Meritò celebratur illa fœmina Spartana, quæ interrogata, quam ad maritum dotem afferret, respondit se afferre τὴν πάτριον σωφροσύνην, id est, patriam modestiam, siue pudicitiam.

Valeriam Messalinam.] Valerios fuisse cognominatos Messanas à Messana ciuitate Siciliæ deuicta, mox corrupto vocabulo Messalas, alibi annotauimus: & testatur Seneca in libro de Breuitate vitæ; ex quo nomen fœminæ io Valeria familia natæ, vt Valeria Messalina diceretur: sicuti viri Valerii Messalæ nuncupantur.

Barbati.] Ita vocabatur: sicut apud Liuium celebratur nomen Consulis Barbati.

Caio Silio nupsisse.] Hic est ille Caius Silius, cui nimia pulchritudo parauit excidium: de quo sic inquit Iuuenalis:

-Rapitur miser extinguendus
Messalinæ oculis.

Hunc Corne. Tacitus iuuentutis Romanæ pulcherrimū fuisse tradit: Cuius amore ita exarserat Messalina, vt non furtim, sed multo comitatu eius domum ventitaret, egressibus adhæresceret, illíque & opes, & honores largiretur. Postremò ob magnitudinē infamiæ nomen matrimonii cum Silio concupiuit. Profecto itaque Hostiam Claudio principe sacrificii gratia cuncta nuptiarum solennia celebrauit: idque adeò palam factitatum est, vt sacrificauerit apud deos, discubuerit inter cōuiuas, oscula, complexus, noctem denique egerit licentia coniugali. Vnde Narcissus apud Tacitum sic inquit Claudio: An dissidium tuum nosti? Nam matrimonium Silii vidit populus, & Senatus, & miles: ac ni properè agis, tenet vrbem maritus. Hæc est illa Messalina ob impudicitiam famosissima, quæ pudorem passiua libidinum nundinatione prostituit: quæ palmam coitus regalem esse existimans, elegit io id certamen nobilissimam è prostitutis ancillam, eámque die ac nocte superauit quinto ac vigesimo concubitu. Ex hoc non commentitium, sed historicum videri potest illud Satyrici poetæ præconium de Messalina celebratum:

Intrauit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam, atq; suam.- Deinde paulò pòst:
Excepit blanda, intrantes atque æra poposcit.

Apud Cor. Tacitum agminatim recensentur nomina adulterorum Messalinæ. Sextus Aurelius sic tradit: Claudii vxor Messalina primò clàm, mox passim quasi iure adulterii vtebatur: ex quo facto plures metu abstinentes extincti sunt: dehine atrociùs accensa nobiliores quasque nuptas & virgines scortorum modo secū proposuerat: coactíque mares vt adessent: quod si quis talia horruerat, adficto crimine in ipsum, omnémque familiam sæuiebat, vt magis videretur sub Imperatore vir, quàm Imperatori nupta esse.

M Edullinam.] Apud Iuuenalem impudicæ id fœminæ est nomen: M. AN.

Ipsa Medullinæ frictum crissantis adorat.

Dictatoris Camilli.] Qui Senones Gallos vrbe Roma deiectos Gabina via ad vnum cecîdit. Eius victoriæ Liuius & Plutarchus authores.

Parentes.] Quia pater Lucius Paulus in Augustum cōiurarat: Mater Iulia adulterii damnata ab Augusto relegata est. Posteriorem.] Medullinam.

Triumphali.] Patre, qui triumphum egerat.

Oblib

nupsisse, dote inter auspices consignata, supplicio affecit: confirmauitq; pro concione apud Prætorianos, quatinus sibi matrimonia malè cederent, permansurum se in cælibatu, ac nisi permansisset, non recusaturum confodi manibus ipsorum. Nec durare valuit, quin de cōditionibus cōtinuò tractaret, etiã de Petinæ, quã olim exegerat, dćq; Loliæ Paulinæ, quæ C. Cæsari nupta fuerat. Verùm illecebris Agrippinæ Germanici fratris sui filiæ per ius osculi, & blanditiarum occasiones pellectus

Ob libidinum probra.] Nam cum Boetere Claudii liberto coiuerat, quo adulterio Claudiam ferunt conceptam. Messalæ cousobrini sui.] Antonia Claudii mater vnam habuit sororem ex Antonio triumuiro, & Octauia Augusti sorore genitã, quæ Domitio Aenobarbo nupsit, cùm ipsa Druso oupsisset. Habuit ex eadē matre, & M. Marcello genitas sorores duas: ex his quoq; vna Agrippæ priùs nupsit, inde Antonio M. Antonii & Fulniæ filio: altera cui nopserit nō reperio, sed ex hac ipsa suspicari libet Barbatũ Messalam genitũ, quem Trãquillus Claudii cōsobriuũ fuisse ait.

C. Silio.] Tacitus Coroelius, Caium, inquit, Silium iuoentutis Romanæ pulcherrimum ita exarserat (cùm de Messalina ille interim loqueretur) vt Iuliam Syllanam oobilem fœminam matrimonio eius exturbaret.

PHIL. INter auspices consignata.] Apud antiquos non solùm publicè, sed etiam priuatim nihil gerebatur, nisi auspicio priùs sumpto. Quo ex more, vt iuquit Valerius, nuptiis etiam nunc auspiees interponuntur. Hinc Lucanus loquens de Carouis Martiæque matrimonio ait: Iunguntur taciti, cōtentiq; auspice Bruto. Cor. Tacitus cùm hanc Messalinæ historiam memoraret, hoc quoque adscripsit, adhibitos fuisse, qui obsignarent velot suscipieudorum liberorum causa conuenisse, atqoe illam audisse auspicum verba. Hoe idem satyricè taxat Satyrographos, cùm ait:

-Veniet cum signatoribus auspex:
Hæc tu secreta, & paucis commissa putabas:
Non nisi legitimè vult nubere.-

Sopplicio affecit.] Claudius, impulsore Narcisso, Messalinam mandauit ioterfici: quam in hortis Lucullianis vitam prolatantem tribunus ictu transfixam interemit. Corpus matri Lepidæ concessum est, nuntiatúmqúe Claudio epulanti, periisse Messalinam.

Prætorianos.] milites. Quatinus.] Differētia est inter quatinus per l, & quatenus per e, pronunuiatum. quatinus enim significat quoniam: vt apud Iuuenalem:

Quatinus hīc nō sunt.- Quatenus verò qua fine, vt hactenus hac fine: author Festus.

Permansurum io cælibatu.] Victurum sine vxore. Tacitus scribit, Claudiũ cælibi vitæ intonantem fuisse obnoxium coniugibus Imperatoriis. De cælibe & cælibatu diximus áffatim paulò antè.

Ipsorum.] Militum prætorianorum.

Couriuuò.] Statim.

De Petinæ.] Scilicet condirionibus. Aelia Petina à Narcisso fouebatur: qui vt suaderet Claudio eam in primis vxorem docendam esse, memorabat vetus matrimonium, familiam communem: nam Antonia ex Petina erat: nihil in penaribus principis nooum futurum, si sueta coniunx rediret haudquaquam nouercalibus odiis visura Britannieum, & Octauiam proxima suis pignora.

Olim exegerat.] Cum qua diuortium fecerat ex leuibus offensis.

Loliæ Paullnæ.] Scilicet co nditionibus tractaret. Hæ autem Callistũ habebat fautorem: qui apud Claudium agebat, Loliam Paulinam Marci Lolii Consularis filiam vxorem ducendam esse: quæ quum nullos liberos genuisset, vacua æmulatiooe priuignis futura esset parentis loco.

Caio Cæsari,] Caligulæ. Hoc suprà explcatum est: & Plinius prodidit se vidisse Loliam Paulinam, quæ fuit Caii principis matrona, spōsaliũ cœna smaragdis, margaritisq; opertam.

Per ius osculi.] Refert Tacitus, Agrippinam habuisse fautorem Pallantem Claudii libertum: qui apud patrooum iu Agrippina id maximè laudabat, quòd Germanici filia, qui fuerat frater Claudii, Germanici nepotem secum traheret dignum prorsus Imperatoria fortuna: caueudúmque dicebat, ne fœmina ex parte fœcunditatis integra iuuenta claritudinem Cæsarum aliam in domũ ferret: præualuere hæc, adiuta Agrippinæ illecebris, quæ ad Claudium per speciem necessitudinis crebrò ventitando pellexit patruum, vt prælata cæteris, & oondum vxor potentia vxoris iam vteretur. De iure osculi, quo cognati fœminas osculabantur, suprà diximus, causámque explicauimus.

Prællectus.] Elegantiùs leges pellectus, quasi inductus, illectúsque. Pellicere enim inducere est, & illicere: vnde apud priscos pellicator dictus, qui ad fraudē pellicit. Indidē est pellax, & pellacissimus. Pellieulationem quoque dixit Cato à pellicendo, intelligi volens quoddam veluti illicium: sic enim ab illicieudo incliuatur illiciũ, sicut à pelliciendo pelliculatio: & illices oculi, & Venus illix eleganter vsurpantur à doctis, ex eo quòd illiciunt, attrahúntq; animos amantium. Pellicere interdum accipitur in bonã partem: vt indicat illud Martiani Capellæ, cùm ait, Varronis dialecticam prima In Latinam voeem pellexit industria.

M. AN. DOte iam inter auspices eoosignata.] Idem author, Non vltra, ait, expecto quòd sacrificii gratia Claudius Hostiam proficisceretur, cuncta nuptiarum solennia celebrat. Iuuenalis de eodem connubio:

-Veniet cum signatoribus auspex. Nec multò pòst:
Non nisi legitimè vult nubere.-

Supplicio affecit.] In Lucilianis hortis. In Cornelio textus est deprauatus, ab Eoodo tribuno occisa est. Sunt qui Lucilianis legant, alii Lucullianis.

In cælibatu.] Sine connubio.

De conditionibus continuò tractaret.]. Nouæ cōiugis ducendæ.

Petinæ.] Cum qoa leuibus offensis diuortium fecerat.

Loliæ Paulinæ.] Quam Caio Memmio Caligula ademerat: cui dimissæ perpetuò alterius coucubitu interdixerat.

Agrippinæ.] Ex Germanico fratre, & Agrippina Marci Agrippæ. & Iuliæ filia natæ.

Per ius oscull.] Quia sæpius, & apertè vt fratris filia in Claudii complexus, & oscula se effundebat. Vetus prætereà est, neeà Romanis, vt Cato, & Plinius docent, tantùm, sed à peregrinis quoq; gentibus seruatũ, vt uecessitudine coniūctas osculo viri exciperēt. Ouidius: Oscula aperta dabis, oscula aperta dabo.

in amorem subornauit proximo Senatu, qui censerent cogendum se ad ducendum eam vxorem, quasi Reipublicæ maximè interesset, dandámque cæteris veniam talium coniugiorum, quæ ad id tempus incesta habebantur: ac vix vno interposito die, confecit nuptias, non repertis, qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari, cuius officium nuptiarum & ipse cum Agrippina celebrauit.

Liberi, & generi eius. XXVII.

LIberos ex tribus vxoribus tulit: ex Herculanilla Drusum, & Claudiam: ex Petina Antoniam: ex Messalina Octauiam, & quẽ primò Germanicum, mox Britannicum cognominauit. Drusum Pompeium puberem amisit, pyro per lusum in sublime iactato, & hiatu oris excepto strangulatum, cui & ante paucos dies filiam Seiani despondisset. Quò magis miror fuisse, qui traderent, fraude à Seiano necatum. Claudiam ex liberto suo Botere conceptam, quanuis ante quintum mensem diuortii natam, alíque cœptam, exponi tamen ad matris ianuam, & nudam iussit abiici. Antoniam Cneo Pompeio Magno, déinde Fausto Syllæ nobilissimis iuuenibus, Octauiam Neroni priuigno suo collocauit, Syllano antè desponsatam. Britannicum vigesimo Imperii die, ínq; secundo Consulatu natum sibi, paruulum etiam tum, & militibus pro cõcione manibus suis gestans, & plebi per spectacula gremio, aut ante se retinens assiduè commendabat, faustísque

PHIL. SVbornauit proximo Senatu.] Vitellius percontatus Claudium an iussis populi, an authoritati Senatus cederet: vbi ille se cessurum respõdit, curiam ingreditur, docétque principem egere adminiculis vxoris, vt domestica cura vacuus in commune consulat, coniugémque assumendam esse suader, quæ in prosperis dubiísque socia sit, cui cogitationes intimas, cui paruos liberos tradat. Postquam hæc fauorabili oratione præmisit, multáque patrum assentatio sequebatur, quando maritandum principem cuncti suadebant, ait Vitellius, Agrippinam in primis esse deligendã, fœminam nobilitate, puerperiis, sanctimonia insignem. Non defuerunt Senatores, qui certatim, si cunctaretur Cæsar, vi coacturos se Claudiũ esse testificarentur ad Agrippinã ducendam.

Talium coniugiorum.] Vt scilicet filias fratrũ patruis liceret ducere vxores.

Incesta.] Sic ait Vitellius apud Tacitum: At enim noua nobis in fratrũ filias coniugia, sed aliis gentibus solẽnia, neque lege vlla prohibita. Incesta autem dicimus illegitima, inhonesta, polluta: vnde incestus sermo dicitur à Liuio. Existimat Lactantius, siue Lutatius interpres Papinii, Incestum dici, quod nõ fuerit iustum cesto: quod cingulum Veneris est, quo ad honestas nuptias vti fertur. Incestare significat polluere, vnde & incestum dicitur, id est, vt ait Seruius, quæcunq; pollutio. Sed de incesto, & incestuosis alibi plura. Excepto libertino quodam.] Cor. Tacitus: Nec tamen repertus est nisi vnus talis matrimonii cupitor Titus Aledius Seuerus eques Romanus, quem pleriq; Agrippinæ gratia impulsum ferebant. Claudius Senatusconsultũ fieri iussit, quo iustæ inter patruos fratrúmque filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur. Et ipse.] Scilicet Claudius: vt celebrando tales nuptias approbare videretur.

Mox Britannicum.] Deuictis Britannis, Britannici nomen indidit filio: de quo est illud notissimum:

Ostendítque tuum generose Britannice ventrem.

Ferunt Britannico fuisse indolem minimè segnem: cuius retinuit famam sine experimento.

Puberem.] Prisci vesticipes eleganti vocabulo eos appellarunt, qui iam pubescentes prima barba vestiebantur. Apuleius: Inuestem à nobis accepisti, vesticipẽ illico reddidisti. Seiani.] De Seiano, Seianiq; potẽtia satis ac super in Tyberio.

Claudiam exponi iussit.] Ob hoc scilicet, quia nõ ex se ipso, sed ex liberto suo nomine Botere conceptã esse opinabatur. Scribit Iulius Firmicus lib. VII. Matheseos, quòd illi exponentur, in quorum horoscopo Saturnus & Mars Solem & Lunã diametra radiatione respexerint. Diuortii.] Superiùs dictũ est Claudiũ fecisse diuortium cum Herculanilla ob libidinum probra.

Ali cœptã.] Educari, atq; nutriri.

Cn. Põpeio Magno.] Vni ex posteris illius Magni Põpeii, qui in ore est omnium: & per figurã hypozeugma verbum illud annecte collocauit, quod significat in matrimoniũ dedit.

Fausto Syllæ.] à Fausto Sylla filio Syllæ Felicis descẽdenti.

Neroni priuigno.] Filio scilicet Agrippinæ, quæ ipsi Claudio denupserat.

Syllano antè despõsatam.] Cor. Tacitus tradit, Claudium diremisse affinitatem cum Syllano genero: qui quum esset prætor, coactus est eiurare magistratum: & ita Octauia abducta à Syllano desponsata est Neroni, Vitellio, & Pollione suasoribus.

M. AN. QVi censeret.] In curia sententiã diceret cogendũ Claudiũ Senatus authoritate. Incesta.] Incesti loco. Exemplũ.] Vt fratris filiã vellet ducere. Cuius.] Primipilaris. Octauiam.] Quæ Neroni nupsit. Britannicum.] Iuuenalis:

Ostendítque tuum generose Britannice ventrem.

Puberem.] Iam adultum.

Ante paucos dies.] Quàm ita extinctus esset.

Necatum.] Drusum ipsum.

Botere.] Qui furto cum Herculanilla cõcubuerat.

Antoniam.] Quam ex Petina tulerat.

Cn. Pompeio.] Matrimonio locauit.

ominibus cum acclamantium turba prosequebatur. E generis Nerorem adoptauit: Pompeium, atq; Syllanũ nõ recusauit modò, sed & interemit.

Liberti ab eo prædilecti. XXVIII.

Libertorum præcipuè suspexit Posidem spadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donauit. Nec minùs Felicem, quem cohortibus, & alis, prouinciæque Iudææ præposuit, trium reginarum maritum. Et Harpocran, cui lectica per vrbem vehendi, spectaculáque publicè edendi ius tribuit. Ac super hos Polybium à studiis, qui sæpe

PHIL. Ominibus.] Auguriis, & felicibus acclamationibus. Interemit.] Tacitus ait, Syllanum generũ non fuisse à Claudio interemptum, sed sibi mortem consciuisse eo die, quo nuptiæ inter Agrippinam & Claudiũ celebratæ fuerũt, Caluina Syllani soror Italia pulsa est.

Libertorum suspexit Posidem.] Sextus Aurelius de libeeris apud Claudium potẽtissimis, & maximè fauorabilibus scribit hæc: Libertorum, & cõiugis imperiis subiectus fuit: ex quibus Felicem legionibus Iudææ præfecit, Posidi eunucho post triumphũ Britannicum inter militariũ fortissimos arma insignia tanquam participi victoriæ douo dedit. Polybiũ inter Cõsules medium incedere fecit. Hos omnes anteibat Narcissus ab epistolis, dominum se gerens ipsius domini: Palláсque prætoriis ornamentis soblimatus.

Posidem.] De hoc Iuuenalis:

Vt spado vincebat Capitolia nostra Posides.

Ab huius nomine in Baiano aquæ calidæ, quæ obsonia quoque percoquebant, Posidianæ vocatæ sunt: author Plinius in XXXI.

Hasta pura.] Id est, sine ferro. Ita enim Donatus, & Seruius interpretãtur, exponentes illum Maronis versum: Ille vides pura iuuenis qui nititur hasta. Hastis puris ob fortitudinem milites donabantur. Scribit Plinius Sicinium Dentatum donatum fuisse hastis puris duodeuiginti.

Nec minùs Felicem.] De Felice Claudii liberto sic scribit Tacitus: At nou frater Pallantis cognomento Felix pari moderatione agebat, tum primùm Iudææ impositus, & cuncta malefacta sibi impunè ratus tanta potentia subnixo. Huius quoqoe liberti Felicis Claudiani mentio fit in Actibus Apostolorum, cap. XXIIII. vbi scriptũ legimus ad Felicem præsidem Iudææ Paulum fuisse perductum: quo de fide disputante, atq; de iudicio futuro, tremefactus est Felix: qui successori suo oomine Festo, vt Iudæis gratificaretur reliquit Paulum vinctum. De eodem Iosephus sic refert In secundo belli Iudaici: Post hæc Felicem Pallantis fratrem destinauit ad Iudæos, qui eorum prouinciam cum Samaria, & Galilæa curaret. Hic Felix in procuratione Iudææ cepit Eleazarum principem latronum, aliósque cũ eo multos, ouos partim victos Romã direxit, partim in crucẽ sustulit: ex quo Iudæa à latronibus purgata est.

Trium reginarum maritum.] In Actibus Apostolorum scriptum legimus, Drusillam, quæ erat Iudæa, vxorem fuisse Felicis.

Harpocran.] Existimo hunc esse illum, qui alio nomine Callistus nominabatur, qoem Plinius Claudii libertorum potentissimum fuisse dicit: quem Seneca in primis memorat: cuius mentio multa est apud Tacitũ: qui plurimum etiam polluit sub Caligula. Nam quum Tranquillus nullam faciat mentionem Callisti, qui inter alios est memoratissimus, adducor facilè vt credam eum alio uomine à Tranquillo significari, tanquã esset binominis. Lectica vehendi.] Quod vix summates, & nobiliores vsurpant.

Polybium à studiis.] Seneca consolatur hunc Polybium immodicè lugentem de obitu fratris: quẽ ostendit liberalibus disciplinis non tantùm fuisse nutritum, sed innatum: ex quo inter cætera fomenta hanc in primis adhibet consolationem, vt studiis immergatur, vt ex literis solatium petat: vt cũ Homero, Vergilióq; moretur. Idem apertè demonstrat, quàm gratus, quámq; iucundus fuerit Claudio Imperatori: qoem ioducit ipsũ Polybiom cõsolatione luculenta mitigante. Hũc Tranquillus non minùs doctè, quàm eleganter, ait à studiis fuisse ipsi principi: cùm intelligi velit eum præfuisse studiis Imperatoris, vtpote virum eruditissimum: cuius opera & adminiculatione in studiis literarũ vteretur. Consimiliter ab epistolis, à rationibus dicti, qui epistolis, qui rationibus principis præpositi erant. A libellis quoque is venustè dicitur, qui præest libellis supplicibus. Quæ oomina sunt, vt inquit Tacitus, summæ curæ, & meditamenti: sicut à memoria appellatur is, cuius officium est suggerere principi res obeundas, & quæ sint agenda in memoriã illius reuocare ex præscripto. Scribit Lampridius, Alexandrum Romanum post meridianas horas dedisse operam semper subscriptioni, & lectioni epistolarum, ita vt ab epistolis, à libellis, & à memoria semper assisterent. Ex hac eadem nõ minùs erudita, quàm nitida elocutione dicitur à pugione, is qui gestat pugionem principis, eique semper est præsto. Lampridius in Commodo Cæsare: Inter quos libertinus, qui à pugione appellatus est. A pugione nominari posset & Latine, & scitè is, qui ante prætorem pompabiliter euntem gestat ensem, siue pugionem, périnde ac insigne prætoriæ potestatis. Frontinus in secundo de aquæductibus, appellat à punctis eum, qui præerat redituі aquariorum, quem vocant punctam. In secundo Regum dicitur à secreto, qui vulgò vocitatur secretarius. In eodem scriptum est: Iosaphat erat à commentariis: pro eo, qui præest commentariis, qui commentariensis ab Asconio nuncupatur. Sed de elegantissima varietate istius particulæ à, copiosissimè annotatum est in superioribus, quemadmodum interdum significat post: vt à partu, à coitu, à tergo. Interdum habet vim defensionis, & idem pollet quod pro: vt à quæstionibus, à testibus, à voluntate: id est, pro quæstionibus, pro testibus, pro voluntate: & talis loquutio creberrima est in libris Rhetoricorum. Sed vt eòdem reuertamur, vnde digressi sumus, commodè, & scienter dicere possemus, Tyronem Ciceronis libertũ fuisse patrono à studiis, propterea quòd eo adminiculatore, & quasi administratore in studiis literarum Cicero vsus est.

M. AN. Ex generis.] Filiarum maritis.

Neronem.] Agrippinæ & Domitii Neronis filium.

Posidem.] Huius Iuuenalis meminit:

Vt spado vincebat Capitolia nostra Posides.

Felic

Felicem.] Libertum. Fuit hic Pallantis frater, vt Iosephus in historiis refert: Post hæc, inquit, Felicem Pallantis fratrem ad Iudæos destinauit. Polybium à studiis.] Seruum subaudi, aut libertũ: sic à manu, sic à pedibus dixere. A studiis, quòd eius opera in studiis literarum vteretur.

si Claudius Tirio officium aliquod dedisset, vxor, aut liberti subiiciebant, vel immutabant diplomata, & codicillos, in quibus mos est perscribi nomen eius, qui accepit officium: vnde de Claudio meritò dici poterat id, quod Diocletianus dicere solebat, nihil esse difficilius, quàm bene imperare. Colliguntur enim quatuor, vel quinque, atq; vnà consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt. Imperator, qui domi clausus est, vera nõ nouit: cogitur hoc tantùm scire, quod illi loquuntur: facit iudices, quos fieri non oportet: amouet à Republica, quos debeat obtinere: denique optimus venditur Imperator. Quocirca clarissime Annibal etiam, atq; etiã circunspicito, ne ministri tui, te ignaro, quicquã sub nomine tuo perperã moliantur: ne dicãt te iussisse id, quod minimè iusseris: ne asserant id velle, quod minimè velis. Quòd si tibi ministri sunt egregiè fideles, sicut profectò sunt, hi in domesticis tuis rebus sint diligentes: de his verò rebus, quæ ad aliquam partem Reipublicæ pertinebunt, ne quid attingant, non discursent, non satagant, non susurrent in aures magistratuum te vel hoc, vel illud deposcere, nisi tu præceperis: &, vt semel finiam, facito ne tui tam scribæ, quàm asseclæ fumos vendant, ne pecuniæ causa lædant tuam æstimationem, néve à præscripto tuo, ne digitum quidem transuersum, recedant. Sæpe enim bonus princeps ob malos ministros infamatus, sugillatúsque est. Mea erga te obseruantia fecit, vt longior forem in monendo, etsi scio te non egere alienæ monitionis, cùm per te ipse sapias, désque operã vt qui in famulatu tuo sunt, hi omnes sint & bene morati, & bene instituti: tamẽ nõ inuitus addidi calcaria sponte currenti, tuique id omne, quod me præcipere cogit doctoris affectus, boni consules. Sed iam ad propositum redeamus.

inter duos Consules ambulabat. Sed ante omnes Narcissum ab epistolis, & Pallantem à rationibus, quos decreto quoque Senatus non præmiis modò ingentibus, sed & quæstoriis, prætoriisq; ornamentis ornari libenter passus est. Tantum prætereà acquirere, & rapere, vt querente eo quondã de fisci exiguitate, non absurdè sit dictum, Abundaturũ, si à duobus libertis in consortium reciperetur.

Maleficia, opera libertorum, & uxorum per eum patrata. XXIX.



His (vt dixi) vxoribúsq; addictus, non principem se, sed ministrum egit. Compendio cuiusque horum, vel etiam studio, ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est: & quidem insciens plerunque, & ignarus. Ac ne singulatim minima quæque enumerem, reuocatas libertates, eius iudicia rescissa, suppositos, aut etiam palàm immutatos datorum officiorum codicillos, Appium

PHIL. INter duos Consules.] Econtrario laudãt Historici Adrianũ principem, qui cùm quendam seruũ suũ inter duos Senatores ambulãtẽ vidisset, misit qui colaphũ daret, & diceret: Noli inter eos ambulare, quorum adhuc potes esse seruus. Narcissum.] De Narcisso, & Pallãte libertorũ Claudii potẽtissimis crebra mẽtio est apud eruditos. Scribit Tacitus, Pallanti prætoria insignia, & centies quadragies sestertiũm decreta fuisse. Alibi de eodem ait: Flagrantissima eo in tẽpore gratia Pallas. Idem Narcisso quoque quæstoria insignia decreta fuisse tradit. Idem de eodem inquit: Liberto omnia obediebant. Hinc à Iuuenale dictum Satyricè, & mordaciter: Possideo plus Pallante & Licinis. Item alibi:

-Nec diuitiæ Narcissi
Indulsit Cæsar, cui Claudius omnia, cuius
Paruit Imperiis, vxorem occidere iussus.

Narcissum domini dominum fuisse dixit Sextus Aurelius.

Quæstoriis, prætoriisq; ornamẽtis.] Quæstoria ad Narcissum, prætoria ad Pallantem insignia sunt referenda. Hinc exiit illud Plinianum: Et nos adeò potiri rerum vidimus, vt prætoria quoque ornamenta decerni à Senatu, iubente Agrippina, Claudii Cæsaris viderimus libertis. Querente.] Lamentante.

A duobus libertis.] Narcisso, & Pallante. De hoc sic refert Sextus Aurelius: Adeò diuites Narcissus, & Pallas, vt causante eo inopiam fisci, lepidissime famoso elogio vulgatum sit, abundè ei pecuniam fore, si à duobus libertis in societatem reciperetur. Addictus.] subiectus, mancipatusve. Sed ministrum egit.] Tacitus in hanc sententiam scribit: In animo Claudii principis nõ iudicium, non odium fuisse, nisi indita, & iussa.

Compendio.] Lucro. Sextus Aurelius: Ita liberti eius summam potestatem adepti, stupris, exilio, cæde, proscriptionibus, omnia fœdabãt. Reuocatas libertates.] Verbi causa, si cui genti libertatẽ concessisset, eam reuocabat volentibus vel vxoribus, vel libertis.

Eius iudicia rescissa.] Nihil turpius dici potest, quàm quòd iudicia principis rescinderentur ex volũtate vxoris, & libertorum. Contrà Philippus Macedonũ rex, cùm Macheræ causam iniquè iudicasset, cognouissetq; paulò pòst se iniquè iudicasse, iudicium quidem nõ rescidit, sed æstimationem litis ipse persoluit.

Suppositos officiorum codicillos.] Exempli causa,

NArcissum ab epistolis.] Vt à studiis dixit, sic & Pallantem à rationibus, cuius Cornelius meminit. M. A N.

Quæstoriis, prætoriisque ornamentis.] Idem Tacitus author est, quæstoria Narcisso decreta fuisse insignia.

Acquirere, & rapere.] Passus est, subaudi.

A duobus libertis.] Pallãte, & Narcisso. Iuuenalis: Possideo plus Pallante & Licinis.

Plinius: Multos post Pallantem, Callistũ, & Narcissum

compendio, commodo, vsu, lucro.

Exercitus.] Exercituum administratione.

Minima quæque.] Exempla videlicet licentioris illorum administrationis.

Libertates.] Vrbibus siue populis concessas.

Rescissa iudicia.] Ab eisdẽ libertis, aut vxoribus.

Consoc

Syllanum consocerum suum, Liuiásque, alteram Drusi, alteram Germanici filiam crimine incerto, nec defensione vlla data occîdit. Item Cn. Pompeium maioris filiæ virum, & L. Syllanum minoris sponsum. Ex quibus Pompeius in concubitu dilecti adolescentuli confossus est: Syllanus abdicare se prætura ante quartum Calen. Ianuarias, moríq; initio anni coactus. Die ipso Claudii & Agrippinæ nuptiarum, in quinque & triginta Senatores, trecentósque amplius equites Romanos tanta facilitate animaduertit, vt de nece consularis viri renũtiante centurione, factum esse quod imperasset, negaret quicquam se imperasse, nihilò minus rem comprobaret, affirmantibus libertis officio milites functos, quòd ad vltionem Imperatoris vltro procurrissent. Nam illud omnem fidem excesserit, quòd nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis & ipse consignauerit, inductus quasi de industria simularentur ad auertendum, transferendúmque periculum, quod imminere ipsi per quædam ostenta portenderetur.

PHIL. Consocerum.] Consoceros vocant, quorum filii inter se matrimonio copulati sunt: verbi gratia, ego illi consocer sum, & ille mihi consocer est, cuius filio filia mea nupsit. Consocerum Claudii Appium Syllanum appellat, propterea quòd Octauia Claudii filia desponsata fuerat Syllano Appii Syllani filio. Vis exemplum consocerorũ clarissimum? Id euidenter exhibêt illustrissimi pater tuus, & dux Ferrariensis, qui sunt inter se consoceri: cùm alter socer sit vxoris tuæ, alter socer tuus. Prosocerum verò, & abso-cerum eodem inclinatu dicimus, quo proauũ, & abauũ.

Alteram Drusi.] De hac Liuia Drusi existimo sensisse Plinium sic scribentem lib. xxix. Iam verò & adulteria, etiam in principũ domibus, vt euidés in Liuia Drusi Cæsaris.

Alteram Germanici.] Suprà dixit Tranquillus, Germanicum ex vxore Agrippina suscepisse tres filias, Agrippinam, Drusillam, & Liuiam continuo triennio natas.

Maioris virum.] Suprà dixit, Antoniam Claudii filiam Cn. Pompeio nobilissimo iuueni nupsisse.

Minori sponsum.] Cui Octauiam filiam natu minorem Claudius desponsauerat.

In concubitu adolescentuli.] Apud Valerium legimus, Corn. Gallum, & Quintum Eterium equitem Romanum in concubitu puerorum interiisse, sed nõ aliena manu confossos, sicut Pompeius hic cõfossus fuit.

Abdicare se prætura.] Cor. Tacitus super hoc sic refert: Syllanus insidiarum nescius, ac forte eo anno prætor repentè per edictum Vitellii ordine Senatorio mouetur, adactúsque eiurare magistratum: & reliqui præturæ dies in Epium Marcellum collati sunt.

Mori coactus.] Cornelius Tacitus: Die nuptiarum Claudii & Agrippinæ Syllanus mortem sibi consciuit: siue eousque spem vitæ produxerit, seu delecto die ad augendam inuidiam. Caluina soror eius Italia pulsa est. Negaret quicquam se imperasse.] Consimile est & compar id Claudianum facinori illi Imperatoris Seueri: qui cùm occisi essent suo nomine nonnulli, se excusabat: & post eorum mortem negabat fieri iussisse, quod factum erat.

Animaduerterit.] Puniuerit. Inde animaduersiones, pœnæ, & supplicia dicuntur.

Vltro.] Etiam sine iussu Imperatoris.

Tabellas dotis & ipse consignauerit.] Iuuenalis: Signatæ tabulæ dictum feliciter. & Tacitus ait adhibitos esse à Messalina nubente Silio, qui obsignarent. Sed hoc vix credibile videri potest, quòd ipsemet Claudius suo annulo signatorio signauerit tabulas dotales de dote, quam Messalina nubens Silio constituebat.

Ad transferendum periculum.] Sensus est: Ex quibusdam portentis harioli prædixerãt periculum imminere Imperatori: quod vt Claudius propulsaret, in alterúmque transferret, permisit vt Messalina nuberet Silio, vt ita in Silium, tanquam in Imperatorem periculũ ipsi imminens trãsferretur. Nãq; quẽadmodum licebat apud antiquos Cõsuli, & prætori pro se alium ciuem deuouere, ita periculum transferri posse putabatur ab vno ad alterum.

M. AN. Consocerum.] Ob Octauiam dixit Syllani filio locatam.

Iulias.] Quas Iulias dicat, non intelligo: neq; enim Drusus, qui Claudii fuit pater, Iuliã filiam habuit, neq; Germanicus frater, sed vterque Liuiã filiam: quapropter Liuias esse legendum contenderim, non Iulias: nec est cur aut ex Druso Tyberii filio, aut altero, qui fuit Germanici, quem damnatum Tyberius in parte Palatii necauit, eas natas suspiceris: neutrum enim filiam vllam tulisse proditum est: nec eas genitas Claudii filiis, quorum hic Drusus, ille Germanicus primò, mox Britannicus est dictus: etenim alter in prima pubertate periit, vxore nondum ducta, alter Claudio iam principe natus: ita vt vix ipse non modò filiæ per ætatem in crimen aliquod maiestatis, alteriũ sve flagitii deuocari potuisset.

Defensione vlla data.] Concessa se defendendi facultate.

Maioris filiæ.] Antoniæ.

Minoris filiæ.] Octauiæ.

Initio anno.] Anni ineunte triduo pòst quàm magistratu abire iussus erat.

Die ipso nuptiarum.] Quo Claudius Agrippinam vxorem duxit.

Facilitate.] Adeò leui de causa.

Excesserit.] Maius quasi dicat alienatæ mentis exẽplum, quàm fides vlla haberi possit.

Et ipse consignauerit.] Subscripserit, quasi testium vnus.

Auertendum.] Ad depellendum.

Transferendum.] In alterius caput, & vitam detorquendum.

Quod imminere ipsi.] Claudio. Et hæc persuasionis fuit ratio.

Autho

Forma, & ſtatura eius. XXX.

Vthoritas, dignitáſque formæ non defuit vel ſtanti, vel ſedenti, ac præcipuè quieſcēti. Nā & prolixo, nec exili corpore erat. Et ſpecie, caniticque pulchra, opimis ceruicibus. Cæterùm & ingredientem deſtituebant poplites minùs firmi, & remiſſè quid, vel ſeriò agentem multa dehoneſtabant. Riſus indecens, ira turpior, ſpumante rictu, humentibus naribus, plectra

PHIL. Authoritas non defuit.] Oportet in primis Imperatorem eſſe authoritate præditum, ac veluti maieſtate venerabilem. Armat enim, vt inquit veriſſimè Silius, maieſtas æterna ducem. In Imperatore ait Cicero in primis eſſe oportere authoritatem: quā in Pompeio Magno tātam fuiſſe refert, vt Mithridates ſola Pōpeii authoritate cohibitus ſit, & Tigranes retardatus. Dignitas autē formæ cumulat authoritatē in principe: qui venerabilior quodammodo fit ex ſtatura Imperatoria, qualē in Pertinace Imperatore fuiſſe prodidit Iulius Capitolinus.

Vel ſtandi.] Quidam ſedentes præ ſe ferunt maieſtatem, qua ſtantes deſtituuntur: aliorum ſtatus eſt, reuerendus, ſeſſio parum decora: ſed Claudium ſiue ſtarēt, ſiue ſederet, ſiue quieſceret, ſubſequabatur decor, & dignitas. Præcipit Cicero vt ſtatus in nobis, ſeſſio, accubatio, inceſſus, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum, quod Græci τὸ πρέπον vocant.

Prolixo, nec exili corpore.] Significat Claudium fuiſſe longa ſtatura, neque tamen gracili: quum multorum, qui longa ſtatura præditi ſunt, corpus gracile eſſe ſoleat. Longa autem ſtatura vt in iuuenta decora eſt, ſic matura ſenectute conficitur: ſicuti docet Hippocrates in Aphoriſmis, & repetitum eſt à Corn. Celſo in ſecundo de Medicina.

Specie.] Sicut facies à faciendo, ita ſpecies à ſpeciendo dicta eſt. Priſci enim ſpecio, & ſpicio dictitabāt, quod nos aſpicio. Vnde ſpectionem pro aſpectione in auguriis nominauerunt. Hinc etiam dictum ſpecillum, quo oculos inungimus, quibus ſpecimus, vt interpretatur M. Varro. De quo ſpecillo ait Plinius in ſeptimo, Super omnes C. Iulius medicus dum inungit ſpecillum per oculum trahens. Corn. Celſus in VI. Specillo ſuper oculum inducatur. Idem indicat, ſpecillum nō ſolùm ad oculos pertinere, ſed etiam ad alia genera morborum. ait in quinto: Ante omnia demitti ſpecillum in fiſtulā conuenit, vt quò tendat, & quàm altè perueniat, ſcire poſſit. Species ergo à ſpeciendo, dicitur pulchritudo, & forma: &, vt ait Pacatus in Panegyrico, auguſtiſſima quæque ſpecies plurimùm creditur trahere de cælo. A ſpecie ſpecioſum, pulchrum, formoſúmque nominamus. Species in alio ſignificatu dialecticorum notiſſima eſt, quæ generi ſubiicitur. Cicero tamen non ſpecies dicere voluit, ſed formas: vnde ſpeciale deriuatur, quod ſignificat, non tam particulare, quàm proprium, & veluti peculiare. Sicut ait Iulius Capitolinus, Macrianorum familiam id ſpeciale ſemper habuiſſe, vt Alexandrum Magnum in auro, & argento exculptum ſemper haberent. Dici & ſpecies Latino vocabulo ipſa aromata, ſicut etiam vulgò vocitantur, teſtis eſt Macrobius, qui ſic ait in vltimo Saturnalium: Species & acres, & calidæ ſuperficiem, quum apponuntur, exulcerant. Hieronymus quoque in homilia in Canticum canticorum, dixit aromata quidem ſpecies eſſe, ſed non ſimpliciter: addidit enim ſpecies pigmentorum. Præterea ſpeciem accipi pro prætextu, & quodam quaſi velamēto quis eſt, qui ignoret?

Canitie.] Cauſa canitiei eſt inopia caloris, ſicut cauſa caluitii eſt inopia humoris calidi: authores Ariſtoteles in quinto de Generatione, & Albertus Magnus in XVIII. de animalibus.

Opimis.] Pinguibus, & craſſis.

Ceruicibus.] Antiqui pluraliter tantùm ceruices appellabant. Primus videtur Hortenſius ceruicem ſingulariter dixiſſe: ſicuti docent Quintilianus, & Varro.

Poplites.] Partes ſunt ſub genibus. Scribit Plinius, elephantum poplitem intus flectere hominis modo: cętera animalia in diuerſum.

Remiſſe.] Soluto animo, & relaxato, aduerbium eſt.

Seriò.] Seuerè, grauiter, citra iocum. Serietas vſurpatur à Sidonio.

Dehoneſtabant.] Dedecorabant.

Riſus indecens.] Catullus:

Riſu ſoluto nulla res ineptior.

Ira turpior.] Iram ſapientes breuem inſaniam eſſe dixerunt. Hinc illud Horatianum:

Ira breuis furor eſt, animum rege.

Spumante rictu.] Iraſcentium ſigna ſunt, vt inquit Seneca libro primo de Ira, multus toto ore rubor, flagrantes oculi, vocibus ſermo præruptus, fœda viſu, & horrenda facies. Multáque alia ſunt, inter quæ Gellius numerat, ex authoritate Plutarchi, os turbidum in ſpumam, ruboréмve efferueſcens. Claudium autem habuiſſe os ſpumabundum indicat etiam Iuuenalis illo verſu: -Manantia labra ſaliua. Rictus autem eſt ex tranſuerſo oris patefactio: vt docet Lactantius in libro de Opificio. Rictum etiam ferarum dici teſtatur Martialis, cùm ait:

Rictibus his tauros non eripuere magiſtri.

Humentibus naribus.] Poteſt connecti cum eo, quod ait, ira turpior: vt ex hoc intelligatur iræ turpitudo, quam rictus ſpumans, & nares humentes comitabantur. Quod ſi ſeiunctim legas, refertur ad rheumatiſmos naſi, quibus obnoxia eſt ſenectus. Hinc illud,

-Madidique infantia naſi.

Plectra linguæ.] Romani linguam ſimilem plectri, dentes chordarum dicere ſolebant: prout docet Cicero in ſecundo de Natura deorum: cui adſtipulatur Ambroſius ſic ſcribens libro ſexto Hexameri: Lingua velut plectrum loquentis, & quædam edentis eſt manus, quæ defluentem cibum dentibus ſuggerit, & ſumminiſtrat. Igitur eleganter plectra linguæ dixit Tranquillus fuiſſe in Claudio titubantia, cùm ſignificare vellet linguæ titubationem, qua laborant ſenes. Vetus codex ſcriptum habet plectra: & ita legendum cenſeo: quamuis nonnulli dictionem illam expungāt, tanquam ſuperuacaneam. Plectrum autem dici inſtrumentum, quo chordæ plectuntur à citharœdo, id eſt feriuntur, nemo eſt qui neſciat: vnde & illud Epigrammatici poetæ:

Exornant docilem garrula plectra lyram.

M. AN. Authoritas.] Grauitas, & maieſtas quædam.

Stanti, vel ſedenti.] Claudio.

Opimis.] Plenioribus.

Deſtituebant.] Languore, & vacillatione retardabant.

Poplites.] Auerſæ genibus partes ſupra ſuras: quo potiſſimùm loco conſiſtit omnis crurum, femorúmque agilitas.

linguæ titubantia, capútque tum semper, tum in quantulocunq; actu vel maximè tremulum.

Valetudo eius. XXXI.



Aletudine sicut olim graui, ita princeps perprospera vsus est, excepto stomachi dolore: quo se correptum etiam de consciscenda morte cogitasse dixit.

Conuiuia, & alia gesta eius. XXXII.



Onuiuia agitauit & ampla, & assidua, ac ferè patentissimis locis, vt plerunque sexcenteni simul discumberent. Conuiuatus & super emissarium Fucini lacus, ac penè submersus, quum emissa impetu aqua redundasset. Adhibebat omni cœnæ & liberos suos cum pueris, puellísque nobilibus: qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur. Conuiuæ, qui pridie scyphum aureum surripuisse existimabatur, reuocato in diem posterum, calicem fictilem apposuit. Dicitur etiam meditatus edictum, quo veniam daret efflatum, crepitúmque ventris in conuiuio emittendi, cùm periclitatum quendam

Remissè.] Minus vehementer.

Seriò.] Intentiùs. Rictu.] Ore.

PHIL. Caput tremulum.] Claudii caput tremulum fuisse, Iouenalis quoqoe indicat, sic scribens de Claudio: Ille senis, tremulúmqoe caput descendere suasit. Præterea sicut in superioribus annotaui, senes maximè tremuli sunt, obnoxiíq; tremori membrorum.

De cōsciscenda morte.] Maiores nostri treis asperrimos cruciatus esse iudicaoerunt: primum calculorum à stillicidio vesicæ, proximū stomachi tertium eorum, qui in capite doleant. Existimat Auicenna, stomachum caulam esse omnium corporis ægrotationum: vnde meritò stomachus paterfamiliàs dici meruit, quasi omne animal solus gubernans. Ex quo est illud à Quinto Sereno luculeter dictū: Qui stomachū regem totius corporis esse cōotendūt, vera nici ratiōne videntur. Legimus apud Plinium, olim Caium Proculeiū Augusti Cæsaris familiarem io maximo stomachi dolore gypso poto cōsciuisse sibi mortem. Vnde mirandum noo est, si Claudius dolore stomachi correptus cogitauit de morte sibi inferenda. Qui stomacho laborat, is dicitur stomachicus. Plinius ait in xxv. helleborum mederi stomachicis. Apud eundem remedia sunt ad stomachi dolores, rosiooes, & rheumatismos. sic enim fluxiones appellantur. Conuiuatus super emissarium.] Cor. Tacitus: Quin & conuiuiom effluuio Fucini lacus apposi tum magna formidine cūctos affecit, quando vis aquarum prorumpens, conoulsis vlterioribus, fragore & sonitu exterruit. Emissarium aotē appellat ipsam emissionem, & effluuium, ab emittendo dictum. Plioius in xxxiii. Emissaria in his qoina, pedum quadratorū ternûm, ferè linquuntur: & repleto stagno excussit obturamentis erumpit torrēs tanta vi, vt saxa prooolůat.

Fulcra.] Fulcrum à fulciendo dici docet Seruius enarrans illud Maronianum,

-Lucent genialibus altis Aorea fulcra toris.- Suot enim fulcra spondæ lectorum, quibus fulcimur, id est sustinemur. Legato lecto, fulcra qooqoe contineri ait Vlpianus lib. III. De legatis.

More veteri.] Mos habebatur, principum liberos, vt docet Tacitus, cum cæteris eiusdem ætatis oobilibus sedentes vesci in aspectu propioquorū propria, & parciore mensa.

Conuiuæ, qui pridie.] Hunc quidam Oniuium, alii Titum Iunium nominatū fuisse prodiderunt: de quo hæc Plotarchus in Galba: Cùm Ouinius apud Claudium Cæsarem cœnaret, argenteum poculum clàm sustulit: quod Cæsar cùm audisset, rursus postridie ad cœnam inuitauit: qui cùm venisset, iussit ministris vt nullum illi argeoteum poculum, sed fictilia omnia apponerent. De eodem Cor. Tacitus hæc: T. Iunius Seruilius ioco respersus est: tanquam scyphum aureum in conuiuio Claodii furatus: & Claudius postero die soli omnium Iunio fictilibus ministrari iossit. Hic mox ex procōsulatu Galliam Narboonensem seuerè integréqoe rexit.

Scyphum aureum.] Scyphus, genus poculi est, & peculiariter Herculi dicatus: sicut Libero Patri cantharus: author Macrobius io quinto Saturnalium: de quo ait poeta:

Et sacer impleuit dextram scyphus.- Alexandrum Magoum iotemperantia bibendi, & ille Herculeanus, & fatalis scyphus condidit: sicuti testatur Seneca libro xiii. Epistolarum moralium. Qood autem scyphus sit potui paratus, & inter pocula oomeretur, ostendit Scæuola Iurisconsultus titulo, De auro legato.

Efflatum.] Plinius in xxviii. subobscurè, simul & eleganter ostendit nefas fuisse in cōuiuio ventris crepitum emittere: qood vulgò dicimus pedere. Verba Plinii hæc sunt: Per mensas vetabantur munditiarum caosa deflare. Claudius tameo existimabat licere in cōuiuio pedere: hoc est, crepitum ventris emittere: & hoc ex sententia Stoicorū, qui aiunt, crepitus ventris æquè liberos, ac ructus esse oportere. Periclitatū.] Adiisse periculum. Aliàs periclitatum dicimus expertum.

Titubantia.] Infirmitas, crebríq; fibrarum motus. M. AN.

Maximè tremulum.] Iuuenalis:

Ille senis tremulúmq; caput descendere suasit
In cælum, & longè manantia labra saliua.

Fulcra.] Susteotacula: à fulciendo: sed fulcrum pro ipso quoque lecto ponitur. Iouenalis:

-Genium cooteudere fulcri.

Scyphum aureum.] Scyphus peculiare Herculis poculum, vt Liberi Patris cantharus: Macrobius est author. Plutarchus: Eporo nondū Herculis scypho.

Calicem fictilem.] Optimi calices ex Sagunto, vt Plinius ait, oppido Hispaniæ. Martialis:

Sume Saguntino pocula ficta luto. Iuuenalis & lagenam Saguntinam celebrat,

Pugna Saguntina feruet commissa lagena.

Periclitatum.] Vltæ periculum adiisse.

Ex

præ pudore ex continentia reperisset.

Cibus, & potus, & luxuria eius, liber quoque eiusdem de aleæ lusu. XXXIII.



Cibi, viníque quocunque & tempore, & loco appetentissimus. Cognoscens quondã in Augusti foro, victúsque nidore prandii; quod in maxima Martis æde Saliis apparabatur, deserto tribunali, ascendit ad sacerdotes, vnáque discubuit. Nec temere vnquam triclinio abscessit, nisi distentus, ac madens, & vt statim supino, ac per somnum hianti pinna in os inderetur, ad exonerandum stomachum. Somni breuissimi erat: nam ante mediam noctem plerunque vigilabat, vt tamen interdiu nonnũquam in iure dicendo obdormisceret, vixque ab aduocatis de industria vocem augentibus excitaretur. Libidinis in fœminas profusissimæ, marium omnino expers. *Alea studiosissimè lusit, de cuius arte librũ quoq; emisit: solitus etiam in * gestatorio ludere, ita essedo, alueóq; adaptatis, ne lusus confunderetur.

* Aleam

* gestatione

PHIL. Ex continentia.] Dum continere vult crepitum, quod pudibundi officium est: cùm tamen talis cõtinentia ees noxia iudicetur. Hinc illud iocose dictum ab Epigrammatario poeta: Pedere te mallem: nanque hoc nec inutile dicit Symmachus: & risum res mouet ista simul.

Quocunq; tempore.] Diogenes Cynicus interrogãti qua hora prandendum foret, respõdit: Si diues est, prandeat quando vult: si pauper, quãdo potest. Et profecto optimum solarium est venter, vt dicebãt Persæ, qui cùm latrat, & instat vt creditor, illi dandus est cibus indifferenter.

Et loco.] Idem Diogenes dictitabat: Si prandere nihil mali est, nec in foro prandere malum est. Non est autem malum prandere: nec in foro quidem prãdere malũ est.

Cognoscés.] Cognoscere dicuntur principes, & magistratus audientes controuersias litigantium. Aliàs cognitor, significat familiarem defensorem, qui præsentis causam nouit, & sic tuetur vt suam, vt docet Asconius. In quam sententiam est illud Horatianum: Si cognitor ipse. Hinc ait Cicero in Verrinis: Siculi me cognitorem iuris sui, me actorem causæ totius esse voluerunt.

Nidore.] Græci κνίσαν appellant odorem epularum, quem Latini nidorem vocant. Martialis:

Pasceris & nigræ solo nidore culinæ. Et illud Hieronymi: Variis nidoribus fumant patinæ.

Saliis.] Sacerdotibus Martialibus, qui cœnas faciebant amplissimi apparatus: vnde in prouerbio est, Saliares cœnas dicere opiparas, & copiosas. De collegio Saliorum, qui erat duodecim à Numa rege instituto, copiosissimè scribunt Liuius, Plutarchus, & Dionysius. Salios à saltando dici autumat M. Varro: quod facere in sacris quotãnis & solent, & debent. Alii à Salio Mantineo Salios vocari prodiderũt. Multa de his Ouidius in tertio Fastorum. Mense enim Martio in honorem Martis Gradiui ibant per vrbem, gestantes ancilia, & canentes carmina cum tripudiis, solennique saltatu.

Proxima æde.] Illam significare videtur, quã Marti Vltori dicauit Augustus, extruxítq; vnà cum foro.

Tribunali.] Vbi ius dicebat.

Distentus.] Fartus, ac satur. Distendere enim est implere, & distentum plenum. Maro:

Distendunt nectare cellas.

Madens.] Vini plenus, & bene potus.

Pinna in os inderetur.] Qui vomitum prouocare volunt, pennam in os demittunt. Vnde à Corn. Tacito scriptum est, Xenophõtem medicum demisisse in fauces Claudii pinnam veneno illitam, tanquam nixus euomẽtis adiuuaret. De talibus ganeonibus, & vt veteres dicebant, comedonibus, celebratur illud Hieronymi, quod & in canonicis Decretis, distinc. nouissima de consecratione, repetitum est: Multi impatientiam gulæ vomitu remediantur: & quod turpiter ingesserunt, turpiùs egerunt. Plin. & Seneca insectantur vomitores, qui bibunt vt vomant, & rursus hauriunt, tanquam geniti ad vina perdenda. Dicimus autem pinnã pennam: cuius diminutiuum est pinnula. Apuleius: Nec vllæ plumulæ, nec vsquã pinnulæ. Ab eodẽ celeritas Pegasi pinnata decoriter dicta: sicut à Varrone pinnatum eloquium nuncupatur.

Inderetur.] Immitteretur, imponeretur.

Interdiu.] De die. Quidam codices habẽt, interdũ. prima lectio elegãtior.

Marium omnino expers.] Masculorum cõcubitorem minimè fuisse Claudium significat. Talis Venus, quæ infanda est, eleganter dicitur præpostera, & auersa. Iulius Capitolinus ostendere volens Albinum talem fuisse in re Venerea, qualis extitit Claudius, sic inquit: Mulierarius inter primos amatores, auersæ Veneris semper ignarus, & taliũ persecutor. Consimiliter Claudius, cùm esset mulierarius, & mulierosus, erat auersæ Veneris, atq; præposteræ penitus ignarus. Masculorum autem concubitores Apostolica sententia negãtur posse frui sedibus piorũ.

Studiosissimè lusit.] Extat libellus Senecæ, cui titulus est, De ludo Claudii, in quo fingit Claudium apud Inferos ludere, percusso fritillo, iubente Aeaco. Scribit Firmicus, aleatorem nasci in nona parte Libræ, qui fit populari notione perspicuus. In gestatorio.] Gestatoriũ appellamus lecticã, sellámve, siue carrucã, deniq; quodcunq; in quo gestamur. In lib. ss. Machabæorum scriptum est: In gestatorio torquebatur Antiochus, vt de corpore impii vermes scaturirẽt. Essedo.] Curru, in quo gestabatur. Alueo.] Tabula lusoria: quæ alio nomine alueolus per diminutionem nominatur.

M. A N. Cognoscens.] Causarum cognitione occupatus.

Nidore.] Odore, qui propriè assatarũ, alitérve conditarum carnium dicitur. Iuuenalis:

Te nidore suæ captum putat ille culinæ.

Maxima æde.] Id est Vltoris Martis, cui Augusti forum erat contiguum. Ad sacerdotes.] Salios.

Distentus.] Vino plenus. Supino.] Supino corpore iacenti. Inderetur.] A ministris.

Adoocatis.] Aduocatus dicitur quoquo modo reo assistens: nunc pro causarum patronis posuit.

Marium omnium.] Omnium dixit, ad depellendã vtriusque

vtriuſque flagitii ſuſpicionem, vt neq; pathicus fuiſſe credatur, neque puerorum amator.

Geſtatorio.] Vbi geſtari ſolebat.

Sæuitia, & crudelitas eius. XXXIIII.

SAeuum, & ſanguinarium natura fuiſſe, magnis, minimiſque apparuit rebus. Tormenta quæſtionum, pœnáſque parricidarum repræſentabat, exigebátque corám. Quum ſpectare antiqui moris ſupplicium Tiburi concupiſſet, & deligatis ad palum noxiis carnifex deeſſet, accitum ab vrbe veſperam vſq; opperiri perſeuerauit. Quocunque gladiatorio munere, vel ſuo vel alieno, etiam fortè prolapſos iugulari iubebat, maximè retiarios, vt expirantium faciem videret. Quum par quoddam mutuis ictibus concidiſſet, cultellos ſibi paruulos ex vtroque ferro in vſum fieri ſine mora iuſſit. Beſtiariis, meridianíſque adeò delectabatur, vt à prima luce ad ſpectaculum deſcenderet, & meridie dimiſſo ad prandium populo perſederet, prætérque deſtinatos etiam leui, ſubitáque de cauſa quoſdam cõmitteret: de fabrorum quoque, ac miniſtrorũ, atq; id genus numero, ſi aut αὐτόματον,

PHIL. SAnguinarium.] Plinius eleganter ſanguinarium Tarquinii Superbi reſponſum appellat, eûm crudeliſſimum, & ſanguini humano hurien do accommodatũ ſignificare vellet. A Seneca quoque ſanguinarius princeps dicitur, gaudẽs ſanguine humano, & crudelitate.

Pœnas parricidarum.] Qualis eſſet parricidarum pœna, docuimus in Auguſto.

Repræſentabat.] Præſẽs exhibebat.

Antiqui moris ſupplicium.] Apud antiquos inter cætera ſuppliciorum genera hoc in primis frequẽtabatur vt ad palum deligati virgis cæderẽtur, ſecuriq; ferirẽtur.

Accitum.] Euocatum carnificem.

Opperiri.] Expectare.

Veſperam vſq;.] Ad crepuſculum vſq; veſpertinum.

Fortè prolapſos.] Qui lapſi forent caſu, neque ex induſtria.

Retiarios.] Qui ſint gladiatores retiarii, ſuo loco ſuprà copioſè explicauimus.

Spirantium faciem.] Erat enim aperta, & nuda facies retiariorum, qui ſolo pileo tecti digladiabantur. Hinc illud Satyricum de retiario:

-Tota fugit agnoſcendus arena.

Par quoddam.] Duo gladiatores inter ſe compoſiti ad depugnandum. Ex vtroque ferro.] Ex telis gladiatoriis vtriuſque gladiatoris.

In vſum.] Ad obſonia, cibariáque concidenda.

Beſtiariis.] Qui aduerſus beſtias pugnãt, beſtiarii dicuntur. Seneca: Nuper in ludo beſtiariorum vnus è Germanis cùm ad matutina ſpectacula prepararetur, ſeceſſit ad exonerandum corpus. Ammianus Marcellinus: Vt beſtiarii obiiceremur feris.

Meridianis.] Meridianos vocat eos gladiatores, qui hora meridiana digladiabantur: de quibus ait Tertullianus in Apologetico: Riſimus inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem. Auguſtinus libro octauo Confeſſionum ſpectaculum Circenſium pomeridianum appellat, propterea quòd poſt meridiem exhiberetur. Erant enim quædam ſpectacula, quæ matutina dicebantur. vnde illud Senecæ: Quum ad matutina ſpectacula prepararetur. & Martialis:

Matutinarum non vltima præda ferarum. Erant & alia ſpectacula, quæ meridiana & pomeridiana nominabantur ex eo, quòd meridie, & poſt meridiem edebantur. Meridie perſederet.] Hoc propter meridianos dictum, quorum ſpectacula à meridie incipiebant.

Deſtinatos.] Præparatos, &, vt dici ſolet, deputatos ad ſpectaculum celebrandum.

Committeret.] Verbum eſt accommodatum congreſſibus, & concertationibus, vt ſuprà docuimus.

De fabrorum numero.] Voluit Claudius vt non ſolùm beſtiarii deſtinati, gladiatoreſq; depugnarent, ſed vt etiã fabri, ac miniſtri ipſius apparatus eõgreſſibus depugnarent.

Id genus.] Huius generis. Crebra, elegánſque loquutio apud eruditos.

Si aut ornatus parum ceſſiſſet.] Id eſt, ſi ea, quæ ad ornanda ſpectacula parabantur, parũ diligenter ab ipſis machinatoribus parata fuiſſent. Quidam codices habẽt automaton. Sunt autem automata, arte mechanica ita ſubtiliter fabricata inſtrumenta, vt ſua ſponte, nulláque apparente cauſa moueantur: qualia ſunt horologia, machinæq; ne verſatiles. Αὐτόματον enim interpretatur vltroneum, & ſuæ ſpontis. Scribit Vitruuius, quod ad hanc pertinet ſententiã, hydrauliticas machinas, & aquarum expreſſiones, & automatas à Cteſibio primò repertas fuiſſe: vbi automata appellat mechanica inſtrumenta, quæ per ſemet ipſa moueantur. Mors naturalis, & fatalis dicitur à Demoſthene αὐτόματος θάνατος: quaſi ſuæ ſpontis, & nulla extrinſecus vi coacta.

SAnguinarium.] Humani ſanguinis appetentem. M. A N.

Antiqui moris.] Vt ad palum deligati darent pœnas. Liuius de Bruti liberis: Stabant nobiliſſimi iuuenes ad palum deligati. In Nerone aliud ſupplicii genus explicatum à maioribus ſeruatum, vt nudi hominis ceruix furcæ insereretur, corpúſque virgis ad necem cæderetur.

Tormenta quæſtionum.] Cruciamenta ad quæſtionem attinentia.

Repræſentabat.] Omnium oculis ſubiiciebat.

Noxiis.] Sontibus.

Opperiri.] Expectare. carnificem intellige.

Prolapſos.] Quibus parci alioqui mos erat.

Faciem videret.] Quo apparet eum humana cæde non mediocriter delectatum.

Par.] Gladiatorum.

Ex vtroque ferro.] Ex vtriuſque gladio.

In vſum.] Edendi, credo ad cibaria ſecanda.

Beſtiariis.] In beſtias euntibus, aut ad beſtias deſtinatis. Meridie.] Vt meridianis etiam horis periclitantes ſpectaret.

Deſtinatos.] Aliquo crimine ad id ſupplicium damnatos: vel certè pretio ad venationes quæſitos.

Committeret.] Feris repentè obiiceret.

vel pegma, vel quid tale aliud parum cessisset. Induxit & vnum ex nomenclatoribus suis, sicut erat togatus.

Timiditas, ac diffidentia eius. XXXV.

Ed nihil æquè quàm timidus, ac diffidens fuit. Primis Imperii diebus, quanquã (vt diximus) iactator ciuilitatis, neque cõuiuia inire ausus est, nisi vt spiculatores cum lanceis circunstarent, militésq; vice ministrorum fungerentur: neque ægrum quenquam visitauit, nisi explorato prius cubiculo, culcitrisque, & stragulis prætentatis, & excussis: reliquo autem tempore salutatoribus scrutatores semper apposuit, & quidẽ omnibus, & acerbissimos. Serò enim, ac vix remisit, ne fœminæ, prætextatique pueri, & puellæ contrectarentur, & ne cuiuis comiti, aut librario calamariæ, aut graphiariæ thecæ ademerentur. Motu ciuili quum eum Camillus non dubitans etiam citra bellum posse terreri, contumeliosa, & minaci, & cõtumaci epistola cedere

Aut ornatus.] Sic omnes Tranquilli codices habent, sed automatum legendum: quod video à Politiano quoque viro diligentissimo obseruatum. Sunt autem automata machinæ ita fabrili arte dispositæ, vt vltro, ac sine vllo humano impulsu valeant per se moueri: vt sunt horologia, aut opera sponte alioqui versatilia. Est enim αὐτόματον, vt Suidæ placet, veluti αὐτοκατάσκευον, αὐτοκίνητον, αὐτοκίνητον, αὐτοέκλητον, αὐτοξάτητον, αὐτοθέλητον: &, vt vno verbo dicã, αὐτόματος est, qui per se, aut sua sponte aliquid facit.

PHIL. AVt pegma.] De pegmatibus, quòd silenter in sublime crescebãt, & per sese in spectaculis surgebant copiosè, diligẽterq; annotatũ est in superioribus. Illud adiiciendum videtur, pegma esse in priuato quoque ædificio: nanque Vlpianus titulo De fundo instructo, putat pegmata esse partem domus, atque ea cedere in emptionẽ, siue sint in ædificio posita, siue ad tempus detracta. Machinatores à Claudio ad cõflictum committebantur, si pegma, quod per se surgere solet, aut illud automaton, id est machinamentum sua sponte versatile parum cessisset. Solent enim talia interdum deficere luxatis, cõuulsisq; mechanematibus.

Induxit.] Ad pugnam bestiarum.

Ex nomenclatoribus.] Ex his, qui nominatim vocant vnumquenque, quibus sunt nomina singulorum cognitissima. Iactator.] Ostentator. Est enim iactantia, vt ait Augustinus in XIIII. de ciuitate Dei, libido gloriandi. Spiculatores.] Spicula, sunt tela missilia ferro triãgulo vnciarum nouem, hastili pedum quinq; & semis: pila prisci vocitauerunt: author Vegetius in II. Inde spiculatores dicti custodes regum corporis. Tacitus: Dilapsis spiculatoribus, cætera cohors non aspernata concionantem. Habentes horoscopum in XVI. parte Scorpii, erunt, vt inquit Firmicus Maternus, spiculatores.

Cum lanceis.] Tales dicuntur lancearii: Græco vocabulo λογχοφόροι appellantur: qui verò ictu lanceæ necãtur, hi lanceati nũcupantur. Iulius Firmicus in VIII. Quicunq; habuerit horoscopum in XXI. parte Tauri, lanceati morientur. M. Varro, & Gellius tradunt, lanceã non Latinum verbum esse, sed Hispanicum. A lancea fit diminutiuum lanceola. Legimus libro III. Regum, quòd prophetæ lucorum incidebant se lanceolis, donec sanguine perfunderentur.

Stragulis.] Stragula sunt omnia, quæ sterni solent. Vnde quærit Iurisconsultus, nunquid tapetia, quibus subsellia sterni solent, in veste sint stragula, an in supellectile. Excussis.] Ne scilicet subter, telum aliquod occultum delitesceret.

Scrutatores.] Qui explorarent, & diligenter scrutarentur, ne cum ferro quispiam sub officio salutãdi adiret principem: sicut olim Nonius eques Romanus ferro accinctus fuit repertus in cœtu salutantium Claudiũ.

Omnibus salutatoribus.] Indifferenter, habita nullius dignitatis ratione.

Acerbissimos.] Scrutatores.

Cõtrectarẽtur.] Manibus scrutatorum. Comiti.] Comitem accipere debemus eum, qui comitetur, & sequatur. Inter comites sunt & pædagogi: in familia sunt & librarii. Iuuenalis:

-Librarius Archimagiri.

Calamariæ thecæ.] Repositoria calamorum: quæ comites, & librarii ferre solent. De theca calamaria ait Martialis:

Sortitus thecam calamis armare memento,

Cætera nos dedimus, tu leuiora para.

Graphiariæ.] Repositoria graphiorum. Martialis eleganti vocabulo thecam graphiariam appellauit graphiarium: in quo deceptus est Martialis interpres, vt alibi docuimus. Motu ciuili.] Motum ciuilem illum intelligit, quem Scribonianus Camillus cõcitauerat: de quo suprà diximus. Citra bellum.] Sine bello.

Contumeliosa.] Plena probrorũ, & contumeliarũ: quæ, vt ait Nonius, grauiores sunt, quàm iniuriæ.

Cedere Imperio.] Deponere Imperium Romanũ: sicut olim fecit Diocletianus, qui Imperio deposito in vitam priuatã cõcessit, & in villa præclaro otio senuit: qui dum ab Herculio, & Galerio ad accipiendum Imperium rursus rogaretur, tanquam pestem aliquã detestatus, in hunc modum respondisse fertur: Vtinam posseris visere olera nostris manibus instituta, profectò nunquam istud tentandum iudicareris.

CEssisset.] Parum prosperè subductum esse, bestiis cõmisit. Nomenclatorem.] Quid nomenclator esset, diximus. Togatus.] Et ob id maiori periculo obnoxius. Nihil æquè.] In nullo alio vitio æquè ac metu, & diffidentia notabilis. M. A N.

Iactator.] Ostentator. Ciuilitatis.] Ciuilis modestiæ. Spiculatores.] Corporis custodes.

Culcitris, & stragulis.] Quibus æger cubabat.

Scrutatores.] Qui officii gratia se adeuntes scrutarentur an ferrum haberent.

Librario.] Librorum transcriptori. Est enim librarius, qui libros transcribit: bibliopola, qui vendit.

Graphiariæ thecæ.] Vt calamariæ: dicuntur à graphiis, & calamis.

Prin

PHIL. PRincipibus viris.] Primariis,& optimatibus. Adhibitis.] In conſilium vocatis.

An obtemperaret.] An deponeret Imperinm.

Per præcones.] Mercurio præconia & præcones at tribuuntur, vt inquit Diodorus in ſexto Bibliothecæ. vt ſcribit Sextus Aurelius. Acquiri Imperium credidiſſet.] Tradit Cor. Tacitus Claudium audito vxoris Meſſalinæ,& Silii matrimonio perturbatum fuiſſe tanto pauore, vt identidem interrogaret, an ipſe Imperii potens,an Silius priuatus eſſet.

Imperio iuberet, vitámque otioſam in priuata re agere,dubitauit,adhibitis principibus viris, an obtemperaret.

Timor inſidiarum,& alia geſta eius. XXXVI.



Vaſdam inſidias. temere delâtas adeò expauit,vt deponere Imperium tentauerit.Quodam (vt ſuprà retuli) cum ferro circa ſacrificantem ſe depræhenſo , Senatum per præcones properè cõuocauit,lacrymiſque, & vociferatione miſeratus eſt conditionem ſuam , cui nihil tuti vſquam eſſet : ac diu publico abſtinuit. Meſſalinæ quoque amorem flagrantiſſimum non tam indignitate contumeliarum , quàm periculi metu abiecit,cùm adultero Silio acquiri Imperiũ credidiſſet. Quo tempore fœdum in modum trepidus ad caſtra confugit, nihil tota via, quàm eſſétne ſibi ſaluum Imperium, requirens.

Pœnæ per eum innocentibus propter leues ſuſpiciones illatæ. XXXVII.



Vlla adeò ſuſpicio,nullus author tam leuis extitit , à quo nonmediocri ſcrupulo iniecto ad cauendum , vlciſcendúmque compelleretur. Vnus ex litigatoribus ſeducto in ſalutatione affirmauit ſe vidiſſe per quieté occidi eum à quodam:deinde paulò pòſt quaſi percuſſorem agnoſceret,libellum tradentem aduerſarium ſuum demonſtrauit : confeſtímque is, pro deprehenſo ad pœnam raptus eſt. Pari modo oppreſſum ferunt Appium Syllanum:quem quum Meſ-

Præconis ars lucroſa erat, & pecunioſa:vnde ait Epigrãmatiſta: Artes dicere vult pecunioſas: Præconem facias vel architectũ. &, vt inquit Quintilianus , Præco plus debet voci ſuæ quàm orator.

Properè.] Feſtinãter , & raptim.

Nihil tuti.]Quid differat tutum à ſecuro,eleganter docet Seneca in Hippolyto, quum ait: Scelus aliqua tutũ, nulla ſecurũ tulit.

Flagrãtiſſimũ.] Ardentiſſimum, & ob hoc maximum. Amor enim ardor eſt, & vſtrina potẽtior igne , feruentior incẽdio. Ignis enim , vt inquit ſapienter, & verè Cyrus apud Xenophontem, vrit homines tangentes: aſt amor nõ ſolùm præſentes vrit, verùm etiã abſentes: & amica formoſa accẽdit amatorem, vel procul intuentem,vt æſtuet,& flagret intolerãdum. Meritò dixit Porcius Licinius,hominem ob amorẽ non eſſe ignitum , ſed ipſum ignem , cùm ait: Quæritis ignẽ ite huc:quæritis?Ignis homo eſt.Et nos quoq; nec confiteri pudet,ſatis ac ſuper experti ſumus torrentiſſimi amoris incendia,quæ te quoque medullitus coquunt, qui iã cœpiſti facere ſtipẽdia,& merere in amoris contubernio. Nũ eſt indecorum,mihi crede inclyte Annibal Bẽtioole,amare,& Veneris tenere bigas:ſed ſi amoris impotentia regi,ſi affectus ille ferociſſimus cohiberi poſſet,ſaluberrimum mehercle foret id facere, quod monet Plantinus ſeruus, Bonum eſt pauxillum amare ſanè:inſanè non bonum eſt.Amemus itaq;,ſi modò fieri poteſt ſanè.Sit quoddam veluti temperamentũ inter affectiones impotentiſſimas, ne inuiti nimis diſtrahamur.Scis enim,imò ſcimus,amorem melle eſſe,felléque conditum , qui guſtu tantùm dulce dat,cùm amarũ ad ſatietatem vſque aggerat. Indignitate contumeliarum.]Stupra,& adulteria,quæ paſſim exercebat,adeò vt ipſa imperare, nõ Imperatori nupta eſſe videretur,

Scrupulo.] Solicitudine. Scrupus eſt propriè lapillus breuis , qui pede preſſus ſolicitudinem creat:qui diminutiuè dicitur ſcrupulus. Vnde eſt illud prouerbialiter prolatum apud Terentiũ : Inieci ſcrupulũ.& apud Apuleium: Iniecto non ſcrupulo, ſed lãceã. Aliàs ſcrupulus põduſculum eſt,ex tribus ſcrupulis drachma cõficitur: vt docet Priſcianus,cùm ait:In ſcrupulis trinis drachmam. Inde aduerbium fit ſcrupulatim , ſicut ab vncia vnciatim. Plinius in XXIS. Scrupulatim quidẽ colligere, ac miſcere vires, non coniecturæ humanæ opus, ſed impudentiæ eſt.

Seducto.] Scilicet Claudio ſẽorſum ducto, & ſeuocato , ne cum illo colloquens exaudiri poſſet. Perſius: Quæ niſi ſeductis nequeas committere diuis.

Libellum.] Supplex libellus ſignificatur: vnde à libellis dictus is , qui huic officio præerat. Aduerſariũ demõſtrauit.] Tanquam is eſſet ille,à quo per quietem vidiſſet Claudiũ occidi. Pro deprehenſo.] Tanquam in ipſo crimine manifeſtario deprehenſus foret.

Appium Syllanũ.] Hunc ſuprà Claudii conſocerũ appellauit:erat enim pater Syllani , cui Octauiam filiã Claudius deſponſauerat.

M. A N. PRincipibus viris.] Vtriuſque ordinis primoribus. Publico.] In publicum prodire non eſt auſus.

Contumeliarum.] Quibus ab ea fuerat affectus.

Periculi metu.] Ne à Meſſalina, & Silio ſibi capitales pararentur inſidiæ.

Author leuis.] Et idcirco nulla fide dignus.

Seducto.] In ſecretum colloquium adducto.

In ſalutatione.] In ſalutationis officio.

Percuſſorem.] Quem ſe per quietem vidiſſe mentitus erat.

Pro deprehẽſo.] Quaſi manifeſti ſceleris cõuicto.

PHIL. PErdere.] Extinguere, necare.

Alter.] Narcissus. Patroni.] Claudii. Sunt enim patronus, & libertus nomina ad aliquid, quæ relatiua Dialectici vocant. Altera.] Messalina.

Formata.] Composita, vt admirari maximè videretur somniũ Narcissi, veluti hoc idẽ ipsa somniasset.

In ordinem se coactum.] In ordinem coacti, & in ordinem redacti dicuntur, qui contemptui sunt, & despicatui. Priscianus lib. XVIII. In ordinẽ redactus est: hoc est, inter viles, & abiectos numeratus. Liuius: Tribuni plebis in ordinem redacti: pro cõtemptissimi habiti sunt. Hoc Græcè dicitur ἰσχόκλος ἀνὴρ ὁ τοιοῦτος ἐστίν.

salina, & Narcissus conspirassent perdere, diuisis partibus, alter ante lucem similis attonito, patroni cubiculum irrupit, affirmans somniasse se vim ei ab Appio illatam: altera in admiratione formata, sibi quoque eandem speciem aliquot iam noctibus obuersari retulit. Nec multò pòst ex composito irrumpere Appius nuntiatus, cui pridie ad id temporis, vt adesset, præceptum erat: quasi planè repræsentaretur somnii fides, accersi statim, ac mori iussus est. Nec dubitauit postero die Claudius ordinem rei gestæ perferre ad Senatum, ac liberto gratias agere, quòd pro salute sua etiam dormiens excubaret.

Ira, iracundia, ac stultitia eius. XXXVIII.



IRæ, atque iracundiæ conscius sibi, vtrũq; excusauit edicto: distinxitq; pollicitus alteram quidem breuem, & innoxiam, alteram non iniustam fore. Hostiensibus, quia sibi subeunti Tyberim scaphas obuiàm non miserint, grauiter correptis, eáque cum inuidia, vt in ordinem se coactum conscriberet, repentè tantum non satisfacientibus veniam dedit. Quosdam in publico parum tempestiuè adeuntes manu sua repulit. Item scribam quæstorium, itémque prætura functum Senatorem, inauditos, & innoxios relegauit: quòd ille aduersus priuatum se intempe-

Eandem speciẽ.] Visionem.

Obuersari.] In somniis occurrere.

Ex composito.] Ita enim Messalina, & Narcissus composuerant, vt id horæ adesse deberet Appius Syllanus.

Repræsentaretur.] Id est, præsens exhiberetur, & certa esse cõprobaretur. Accersi.] Euocari.

Liberto.] Narcisso.

Excubaret.] Sicut excubitores vigilando, excubandóq; tutantur principẽ, ita Narcissus dormiens videbatur excubare pro salute principis, dũ in somnis somniat, vel somniare se fingit conducentia ad vitã Claudii tutandam. Econtrario insomnium attulit perniciem illustri equiti Romano, tã quam secundum quietem vidisset Claudium Pampinea corona, vel, vt alii prodidere, spicea corona euinctum, spicis retro conuersis: adeò illo tempore non solùm vigiliæ, sed etiam omnia erant pestifera, & exitialia, tam sua, quàm aliena, tam vera, quàm commentitia. Iræ, atque iracundiæ.] Inter iram, & iracundiam differentia hæc est, quòd ira est ex causa, iracũdia ex moribus, vitióque multùm irascentis: sicut docet Donatus. Seneca quoque lib. I. de Ira, sic scriptũ reliquit: Ira quo distet ab iracũdia apparet, quo ebrius ab ebrioso, & timens à timido. Iratus potest esse nõ iracundus: iracundus potest aliquando iratus non esse.

Alteram breuem.] Scilicet iram, quæ breuis furor est, cuius impetus, vt inquit Seneca, contatione frangitur: quæ, vt Ciceronis finitione vtar, libido est puniendi eius, qui videatur læsisse iniuria. Quidam ex sapientibus iram dixerunt esse breuem insaniam.

Alteram.] Iracundiam: quam Peripatetici cotem fortitudinis esse dicunt.

Subeunti Tyberim.] Iter facienti per aquas Tyberinas. Hostiẽsibus.] Ab Hostia ciuitate in ripa Tyberis condita Hostienses nuncupati.

Scaphas.] Nauiculas.

Correptis.] Castigatis seueritate castigatoria.

Tanto modo.] Vetus codex habet Tantũ non satisfacientibus: vt dictum sit ex elocutione antiquorum: qualis est illa apud Silium, Tantũ non strictis mucronibus. quod significat ferè etiam. Super qua particula in superioribus satia multa. Nescio an consimilis sit apud Plinium eloquutio sic scribentem in XXXV. Tantúmq; non cum laureatis fascibus remitti illò vnde eretatis pedibus aduenissent.

Satisfaciẽtibus.] Satisfacere est tantum facere, quantũ satis sit irato ad vindictam.

Scribam quæstorium.] Qui fuerat scriba quæstoris. Nanque quæstores qui præerant ærario, scribas habebant, quorum ministerio vtebantur. Olim Cato, quum esset quæstor, scribas, qui priùs domini esse videbantur, ministrorũ locum tenere coegit, & quosdã parum diligentes ab officio scribarũ repulit.

Inauditos.] Iniquum est, hominem inauditum indicta causa dãnare: sed iniustius est, damnare innoxiũ, & innocẽtem: quod dum facit Claudius, peccat duplici genere improbitatis. Ille.] Scriba quæstorius.

Aduersus priuatũ se.] Priùs, quã Imperio potiretur.

M·AN. IN admiratione formata.] In admirantis speciem, simulatóque stupore defixa.

Eandémque speciem.] Quam Narcissus sibi obuersatam dixerat.

Excubaret.] Per quietem etiam de sua salute esset solicitus.

Alteram.] Iram: qui omnium affectuum vnus, vt Seneca ait, mentem præcipitat, quum cæteri trahant.

Alteram.] Iracundiam, quam Græci μῆνιν vocant: éstque, vt Stoici volunt, inueterata ira, & plena odii, vlciscendi tempus obseruans.

In ordinem se coactum.] Id est nullam sui tãquam priuati ciuis rationem habitam.

Satisfacientibus.] Inuidiam deprecantibus, petentibúsque veniam.

Affuisset

rantiùs affuiſſet: hic in ædilitate inquilinos prædiorum ſuorum contra vetitum cocta vendentes mulctaſſet, villicúmque interuenientem flagellaſſet. Qua de cauſa etiam coercitionem popinarũ Aedilibus ademit. At ne ſtultitiam quidem ſuam reticuit, ſimulatámque à ſe ex induſtria ſub Caio, quòd aliter euaſurus, peruenturúſque ad ſuſceptã ſtationem non fuerit, quibuſdam oratiunculis teſtatus eſt. Nec antè perſuaſit, quàm intra breue tempus liber editus ſit, cui index erat, μωρῶν* ἐπανάστασις. Argumentũ autem, ſtultitiam neminem fingere.

Oblinio, & alia geſta eius. XXXIX.



Nter cætera in eo mirati ſunt homines & obliuionem, & inconſiderantiam, vel, vt Græcè dicam, μετεωρίαν καὶ ἀβλεψίαν. Occiſa Meſſalina, paulò pòſt quàm in triclinio decubuit, cur domina non veniret, requiſiuit. Multos ex his, quos capite damnauerat, poſtero ſtatim die & in cõcilium, & ad aleæ luſum admoueri iuſſit: &, quaſi morarẽtur, vt ſomniculoſos per nuntium increpuit. Ducturus contra fas Agrippinam vxorẽ, nõ ceſſauit omni oratione filiam, & alumnã, & in gremio ſuo natam, atq; educatam prædicare.

PHIL. Affuiſſet.] Adeſſe dicitur aduocatus, qui cauſam cuiuſpiam defendit aduerſus alterum. Plinius in III. Epiſtolarum, Aderam, inquit, Bæticis, mecúmq; L. Albinus. Idem in II. Ego & Cornelius Tacitus adeſſe prouincialibus iuſſi. Hic.] Senator quæſtorius.

In ædilitate mulctaſſet.] Officium erat Aedilium hoc in primis, punire eos, qui venderent cibaria cocta cõtra legem. Græci ἀγορανόμους appellant.

Inquilinos prædiorũ.] Inquilini dicuntur, qui alienas ædes, alienáq; prædia ex cõducto incolunt. Ciceronẽ inquilinum Catilina per opprobriũ nominabat tanquã alienum domiciliũ incolentem. Qui inquilinis cœnacula locant habitãda, eleganter dicuntur à Iuriſconſulto facere cœnaculariã. Prædia autem tam vrbica, quàm ruſtica dici teſtantur Iuriſconſulti ſcribentes de ſeruitutibus prædiorũ vrbanorum & ruſticorum. Prædia quoq; dici bona, demonſtrat Pedianus Aſcon.

*ἀνάστασις

Villicum.] De officio villici titulus eſt apud Catonem. Eſt autem villicus, villæ gubernator: vnde & à villa villicus nomẽ accepit, vt docet Hieronymus: qui enarrans quid ſit villicus iniquitatis in Euangelii parabola, tradit villicum pro diſpenſatore accipi, quem Græci vocant οἰκονόμον.

Coercitionem popinarũ.] Ius, poteſtáſq; coercendi luxum popinalem, & obſonia popinarum ganeata, erat penes Aediles: ſed Claudius indignatione prouocatus Aediles priuauit hac poteſtate, ne talis coercitio, punitióque pertineret ad Aedilis officium.

Simulatam ſub Caio.] In hoc videri poteſt imitatus eſſe Brutum: qui, vt inquit Ouidius, erat ſtulti ſapiens imitator, vt eſſet Tutus ab inſidiis dire Superbe tuis. De quo Liuius hæc: Brutus ex induſtria factus ad imitationem ſtultitiæ Bruti haud abnuit cognomen: vt ſub eius obtentu cognominis liberator ille populi Romani animus latens aperiretur tempore ſuo.

Suſceptam ſtationem.] Scilicet Imperii. Lucanus: -Te cum ſtatione peracta Aſtra petes ſerus.-

Editus.] Publicatus. Index.] Titulus.

Μωρῶν ἐπανάστασις. Id eſt ſtultorum inſolentia. Alii codices habent μωρῶν ἀνάστασις, quod magis placet: quod interpretatur ſtultorũ reſurrectio: tanquã Claudio, qui ſtultiſſimus erat, imperante, facta ſit ſtultorum quædam quaſi reſurrectio, vel inſolentia.

Stultitiam neminem fingere.] Hoc erat argumentum, materiáque libri editi: tanquam nemo ſtultitiam fingeret. Stoliditas enim, vt inquit Sidonius, bruteſcit. Contrà legimus apud Senecã, quemadmodum Gallus Tubius ad inſaniam nõ caſu cecidit, ſed iudicio peruenit, qui dũ inſanos imitatur, & ſtultitiã fingit, ad verum redegit quod ſimulabat. Μετεωρίαν.] Μετέωρος Græcè dicitur ſublimis, ſubleuatus, & ſtolidus: & μετεωρία ſublimitas, ſpeculatióque ſublimiũ, pariterq; ſtoliditas.

Ἀβλεψίαν.] Ἀβλεψία interpretatur cæcitas, & inconſiderantia.

Requiſiuit.] Hoc ad obliuionẽ Claudii referendũ, qui velut oblitus Meſſalinã ſuo iuſſu occiſam fuiſſe, quæſiuit cur in conuiuiũ non veniret.

Domina.] Ita Claudius appellabat Meſſalinã coniugẽ, videlicet imitatus Græcos, qui vxorem dicunt δέσποιναν, id eſt dominam: in quem ſenſum exiſtimat Seruius dici poſſe illud Maronianum: Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.

Poſtero die.] Poſtridie eius diei, quo damnati ad ſuppliciũ fuiſſent.

Ad aleæ luſum.] Tanquã ſuos colluſores, vt ſecum aleã luderent, cuius ſtudioſiſſimũ fuiſſe Claudiũ antè dictũ eſt. Somniculoſos.] Somni plenos, & ignauiæ. Interdũ ſomniculoſus dicitur, nõ qui ſomno indulget, ſed qui ſomnũ conciliat, habétq; vim ſomnificã. Cinna aſpidem vocat ſomniculoſam, nõ quòd ipſa dormiat, ſed quòd vi ſomnifica homines percuſſos necat.

Contra fas.] Quia cõiugia inter patruos, fratrúmq; filias nefaria ſunt, & inceſta.

Alumnã, & in gremio ſuo educatam.] Dicit Iupiter apud Apuleiũ: Cupidinẽ manibus meis alũnatus ſum.

In nomen familiæ.] Claudiorũ ſcilicet, & Neronũ.

Affuiſſet.] Plinius iunior, Aderam Arulenillæ, id eſt Arulenillæ cauſam agebam. M. A N.

Coercitionem popinarum.] Ius, & poteſtatẽ, quã in popinas habuerant: & hæc ad iracundiam referas.

Stationem.] Satis quidem verecunde Imperii adminiſtrationem ſtationem appellauit.

Μωρῶν ἐπανάστασις.] Stultorum inſolentia.

Μετεωρίαν, καὶ ἀβλεψίαν.] Eleuationem, & inconſiderationem.

Domina.] Meſſalina coniunx.

Somniculoſos.] Somno, & deſidiæ deditos. Hæc ad obliuionẽ attinent, quæ ſequuntur, ad incõſiderationẽ.

Adſciturus in nomen familiæ Neronem, quaſi parum reprehenderetur, quòd adulto iam filio priuignum adoptaret, identidem diuulgauit, neminem vnquam per adoptionem familiæ Claudiæ inſertum.

Sermones, & orationes eius. XL.

SErmonis verò, rerúmque tantam ſæpe negligentiam oſtendit, vt nec quis, nec inter quos, quóve tempore, ac loco verba faceret, ſcire, ac cogitare exiſtimaretur. Quum de laniis, aut vinariis ageretur, exclamauit in curia: Rogo vos, quis poteſt ſine offula viuere? Deſcripſit abundantiam veterum tabernarum, vnde ſolitus eſſet vinum olim & ipſe petere. De quæſturæ quodam candidato inter cauſas ſuffragationis ſuæ poſuit, quòd pater eius frigidam ægro ſibi tempeſtiuè dediſſet. Inducta teſte in Senatu, Hæc, inquit, matris meæ liberta, & ornatrix fuit: ſed me patronum ſemper exiſtimauit. Hoc ideo dixi, quòd quidam ſunt adhuc in domo mea, qui me patronum non putant. Sed

PHIL. Filiam alumnam.] Quæ nomina inuidiam ſceleris non parum augebant.

ADſciturus Neronem.] Pallas libertus, authore Tacito, ſtimulanit Claudium, vt adoptaret Domitium Neronem, tanquam partem curarum capeſſiturũ: qui euictus Pallantis perſuaſione biennio maiorem natu Domitium filio Britãnico anteponit: habita apud Senatum oratione in eundem, quem à liberto acceperat modum.

In nomen familiæ.] Domitius per adoptionem in familiam Claudiã, & nomen Neronis tranſiuit.

Priuignũ.] Domitium Agrippinæ filium ex Domitio priore marito.

Identidem.] Frequenter.

Neminem per adoptionem.] Ex hoc manifeſtaria fit Claudii inconſiderantia, qui Domitium priuignũ adoptauit, quum nulla ante illam adoptionẽ in familia Claudia adoptio fuiſſet: & id ipſemet palàm teſtaretur. In hanc ſententiam ait Tacitus: Annotabãt periti nullam ante hanc adoptionem inter Claudios patritios reperiri: eóſq; ab Appio Claudio cõtinuos durauiſſe.

Sermonis negligentiam.] Cicero, & Ambroſius in libris Officiorum præceperunt ſeruandum eſſe decorum, etiã in ſermone: nam inepti illi maximè ſunt, qui rationem non habent, neque temporis, neque illorum, quibus cum loquuntur, neque penſicant quid ipſos deceat. Laniis.] Lanionibus. Hi præſunt laniandis carnibus. Iuriſconſulti de inſtrumẽto lanionis. In ſuperioribus explicatum eſt quid differant lanii à macellariis.

Vinariis.] Vinarii ſunt vini vẽditores. Apud Plautum in Aſinaria mentio fit vinarii Exerãbi. Scribit Aelius Lampridius, Alexandrum Romanum conſtituiſſe corpora vinariorum, & caligariorũ, & omnino omniũ artium. Cicero in oratione pro Fonteio facit mentionem de vinario crimine, inſtitutóque vini portorio.

Sine offula.] Hoc propter lanios dictum eſt. Sunt enim offulæ, fruſtra veluti libralia, in quæ caro conciditur. Columella ſcribens de ſalſura ſuillæ carnis ait: Deinde offulæ carnis ſpicæ componũtur & alternis ſal ingeritur. Priſci offam penitam vocauerunt porcinum fruſtum cum cauda. Tabernarum.] Scilicet vinariarum: & hoc ad vinarios referendum eſt. Romæ fuit vicus dictus Sobrius: quia in eo nulla fuit taberna vinaria. Quæſtore candidato.] Elegantior lectio eſt Quæſturæ candidato: & accipitur pro petitore magiſtratus illius, quæ quæſtura nominatur.

Suffragationis.] Fauoris, ſiue fauentiæ, vt vtar vocabulo Cypriani.

Tempeſtiuè.] Nihil eſt, inquit Seneca, in morbis magis periculoſum, quàm immatura medicina: ſicut è contrario nihil ſalutarius medicina tempeſtiuiter data, iuxta illud Naſonis:

Temporibus medicina valet: data tẽpore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocet.

Frigidã.] Aquã. Martialis:

Frigida non deerit, non deerit calda petenti. Scribit Celſus quòd Petro medicus febricitantem hominem abi acceperat, multis veſtimentis operiebat, vt calorem ingentem, ſitimque ſimul excitaret: deinde vbi paulùm remitti cœperat febris, aquam frigidã potui dabat: & ſi mouerat ſudorem, explicuiſſe ſe ægrũ indicabat: ſi nõ mouerat, etiam plus aquæ frigidæ ingerebat. Inducta teſte.] Hoc contra leges factum videtur, quæ à dicendo teſtimonio fœminas excludunt: niſi fuerit crimen læſæ maieſtatis: tunc enim mulieres audiuntur: & cõiurationem Catilinæ Fuluia mulier detexit, & M. Tullium Conſulem iudicium eius inſtruxit.

Matris meæ liberta.] Verba ſunt principis inconſiderati, & fatua, intempeſtiuáq; loquentis, non ſeruato dignitatis decoro. Ornatrix.] Græci ornatrices *κοσμήτας* appellant: qua dictione vſus eſt Iuuenalis illo verſu, Ponunt coſmetæ tunicas. Scribit Celſus Iuriſconſultus, ornatricibus legatis, eas, quæ per duos tantùm menſes apud magiſtrum fuerunt, legato non cedere: alii verò eas cedere tradiderũt. In famulatu matronarum fuerunt etiam ancillæ cuſtodes veſtium, veſtiſpicæ dictæ: ab eo quòd veſtem ſpiciant, id eſt, veſtimenta dominæ cuſtodiant. Afranius: Noui non inſciam ancillulam veſperè, & veſtiſpicam.

Me patronum.] Cùm patrona illius eſſet Antonia Claudii mater. Me patronum non putant.] Ex hoc ſatis indicabat, ſe apud ſuos libertos eſſe deſpicatui.

ADulto filio.] Britannico. M. AN.

Inſertum.] Adſcitum: quapropter validè admoneri potuit, ne id faceret.

Nec quis.] Aut inter quos, quóve loco, ac tempore, omnia breuiter collegit, quæ ſunt in primis oratori ſpectanda, & quæ Plato vir ſummus diligenter ab eo, qui dicturus ſit, conſideranda cenſuit.

Offula.] Obſonio, carnis fruſtulo.

Inducta teſte.] Vt teſtimonium diceret.

Matris meæ.] Antoniæ.

Ornatrix.] Quæ capillum, veſtémque ornabat. Iuuenalis: Componit crinem laceratis ipſa capillis,
Nuda humeros pſecas infelix.

Pro

& pro tribunali, Hostiensibus quiddam publicè orantibus, quum excanduisset, nihil habere se vociferatus est, quare eos demereatur, si quem alium & se liberum esse. Nam illa eius quotidiana, & planè omnium horarum, & momentorũ erant, Quid ego tibi Theogonius videor, & λογιώτατος? multáque talia etiam priuatis deformia, nedum principi, neque infacundo, neque indocto, imò etiam pertinaciter liberalibus studiis dedito.

Libri, & opuscula per eum edita. XLI.

HIstoriam in adolescentia, hortante Tito Liuio, Sulpitio verò Flauo etiam adiuuante, scribere aggressus est. Et quũ primùm frequenti auditorio commisisset, ægrè perlegit, refrigeratus sæpe à semetipso. Nam quum initio recitationis, defractis compluribus subselliis obesitate cuiusdam, risus exortus esset, ne sedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex interuallo subinde facti reminisceretur, cachinnósque reuocaret. In principatu quoque & scripsit plurimùm, & assiduè recitauit per lectorem. Initium autem sumpsit historiæ post cædem Cæsaris Dictatoris. Sed & transiit ad inferiora tempora, cœpitq; à pace ciuili: quum sentiret neque liberè, neque verè sibi de superioribus tradendi potestatem relictam, correptus sæpe & à matre, & ab auia.

PHIL. PRo tribunali.] Ex hoc liquèt quãta fuerit in Claudio negligentia: qui quo ex loco verba faceret, minimè cogitabat.

Quiddam.] Nescio quid, neutro genere dictum.

Excanduisset.] Per excãdescentiã indignatus esset. Est enim excandescentia, ira nascens, & modò desistens, quæ θύμωσις Græcè dicitur.

Eos demereatur.] Beneficio sibi obliget. Demereri enim est beneficium præstare. Quintilianus: Simul vt pleniore obsequio demererer amantissimos mei.

Si quem alium.] Eloquutio est frequens, vt ita dicamus: Ego liber sum si quis alius: significare volentes nos esse liberos, prout quispiam alius liber reperiri possit.

Telogonius.] Interpretatur nouissimo loco natus, & ob hoc humilis, & inglorius. Quidam codices habent Theogonius, tanquam per interrogationẽ diceret Claudius, se videri ex diis genitũ: hoc enim significat Theogonius. quod videtur quadrare cum sequente clausula, quæ interpretatur decens loquutor: vel λογιώτατος, id est, eloquentissimus.

Neque infacundo.] Duo erant in Claudio in primis expetenda, videlicet facundia, & doctrina: cùm non pauci sint diserti quidem, sed parum docti: vel cõtrà eruditi citra facundiam: videntúrque hæc posse seiungi, vt ab aliis doctrina rerum, ab aliis facundia verborum expetatur.

Pertinaciter.] Perseueranter. cum laude dictũ est.

Hortante Liuio.] Meritò princeps Historicorum hortator erat Claudio ad historiam scribendam. Quis enim melius, ac persuasibilius impellere atque extimulare potest ad historiã cudendam, quàm ille, qui est pater historiæ? Quis ad eloquentiam capessendam, quàm princeps eloquentiæ? Sulpitio adiuuante.] Quemadmodum Lælius dictus est adiuuisse Terentium in comœdiis scriptitandis, ita Sulpitius Flauus adiuuit Claudium in historia componenda, fuitque illi pro adminiculatore: sicut etiã Cicero Tyrone liberto in studiis literarum vsus esse fertur adiutore, adminiculatoréq;. Commisisset.] Quasi in certamine literatorio, & in commissione Historicorum.

Perlegit.] Vsque ad finem legit.

Refrigeratus.] Heberatus, relentescens.

Obesitate.] Pinguitudine, & corpulentia. Obesum pro pingui, vberíque accipitur, quanuis Næuius obesum dixerit pro exili, atque graciliento.

Súbinde.] Frequenter. Facti.] Quo scilicet defractum erat subsellium propter obesitatem corpulentioris auditoris.

Cachinnos.] Risus solutiores, qui sunt reprænsibiles. Vnde ait Seneca: Sit risus citra cachinnum.

In principatu.] Dũ princeps esset.

Per lectorem.] Græcè dicitur ἀναγνώστης: qua dictione vsi sunt identidem Latini conditores. Scribit Cor. Nepos, Pomponiũ Atticum in familia habuisse literatissimos anagnostas.

Post cædem Cæsaris.] A morte Cæsaris Dictatoris auspicatus est initiũ historiæ scribẽdæ.

A pace ciuili.] Pacem ciuilem intelligit, quæ imperante Augusto facta est, tumultibus vrbanis ex omni parte tranquillatis. Potestatem relictã.] Ante Imperatores Cæsares, memorabantur res populi Romani pari eloquentia, & libertate: sed postquã omnis ad vnũ potentia conferri cœpta est, magna illa ingenia cessere: &, vt inquit Cor. Tacitus, simul veritas pluribus modis infracta est, maximè libidine assentandi, interdum odio aduersus dominantes.

A matre.] Antonia.

Ab auia.] Liuia Augusta: quod si de auia materna libet sentire, significabitur Octauia Augusti soror.

TElogonius.] Procul natus. M.AN.

Neque infacundo.] Principi.

Indocto.] Literarum, & rerum imperito: vt perspicuum sit illa omnia dementia, & stoliditate, non rerum ignorantia accidisse. Hortãte Tito Liuio.] Romanarum rerum scriptore clarissimo, qui vsque ad Tyberii tempora, Eusebio authore, vixit.

Refrigeratus.] Ab ardore recitandi retardatus.

Obesitate.] pinguedine.

Súbinde.] Sæpius, identidem. Cachinnos reuocaret.] In solutum prorumperet risum.

Transiit.] Priore argumento omisso, à bellorum ciuilium pace sumpsit initium, quæ post M. Antonium victum secuta est. A matre.] Antonia.

Et auia.] Liuia: quarum vtraque diuerso studio probaret, damnarétque illius scripta.

Prioris materiæ duo volumina, poſterioris vnum & quadraginta reliquit. Compoſuit & de vita ſua octo volumina magis ineptè, quàm ineleganter. Item Ciceronis defenſionem aduerſus Aſinii Galli libros ſatis eruditam. Nouas etiam commentus eſt literas tres, ac numero veterum quaſi maximè neceſſarias addidit. De quarum ratione cùm priuatus adhuc volumen edidiſſet, mox princeps non difficulter obtinuit, vt in vſu quoque promiſcuo eſſent. Extat talis ſculptura in pleriſque libris, ac diurnis, titulíſque operum.

Studium eius in literis Græcis. XLII.

Nec minore cura Græca ſtudia ſequutus eſt, amorem, præſtantiámque linguæ occaſione omni profeſſus. Cuidam barbaro Græcè, & Latinè diſſerenti, Quum vtroque, inquit, ſermone noſtro ſis peritus. Et in commendanda patribus conſcriptis Achaia, gratam ſibi prouinciam ait communium ſtudiorum commercio. Ac ſæpe in Senatu legatis perpetua

PHIL. Prioris materiæ.] De hiſtoria ſcripta à cæde Cæſaris.

Poſterioris.] Materiæ: quam cœpit à pace ciuili.

Compoſuit de vita ſua.] Ex more ritúque maiorũ hoc videtur factitaſſe, qui de vita ſua ſcriptitabãt: ſicut Sylla, & Auguſtus ſcripſiſſe memorãtur. Præterea apud priſcos fermè tabulas conficiebant de vita ſua. Cicero ait Cluentium confeciſſe tabulas diligẽtiſſimè. Falſa de M. Antonio fuit opinio, iáquam nullas fecerit: ſed conſtat, eum diligentiſſimè feciſſe. Quidam faciebãt à principio, quidam à certo tẽpore auſpicabãtur, ſicut idem Cicero oſtendit in Verrinis. Tamen confectio talium tabularum magis ad rationes accepti & expenſi, quàm ad alias in vita actiones pertinere videtur.

Magis ineptè.] Cùm omnis de ſemetipſo indecora ſit laudatio, ineptus eſſe videbatur Claudius in ſcriptione, dum fortaſſe ſe ipſum laudat, & per iactationem imitatur militem glorioſum.

Aduerſus Aſinii Galli libros.] Aſinius Pollio ille luculentus oratór filium habuit Aſinium Gallum: quem, vt author eſt Seneca in Declamationibus, reliquit magnum oratorem. Is libros ſcripſit de comparatione patris, & Ciceronis: in quibus patrem Ciceroni longe anteponit: quod ſignificat Plinius ſic ſcribens in VII. Epiſtolarũ: Cùm libros Galli legerem, quibus ipſe patenti, Auſus de Cicerone dare palmámq; decúſque. Claudius aduerſus hos Aſinii Galli libros condidit inſtar Apologetici defenſionem Ciceronis. Videtur autem Aſinius Gallus, dum ſcribit in Ciceronem defunctum, imitari voluiſſe patrem Aſinium Pollionem, qui dictus eſt orationes condidiſſe in Plancũ, quæ poſt mortem Planci ederentur, ne reſpõdere poſſet: vnde Plancus fertur dixiſſe nõ illepide, Cum mortuis non niſi laruas luctari. Quo dicto ſic repercuſſit illas Pollionis orationes, vt apud eruditos nihil impudentius, teſte Plinio, iudicetur.

Commentus eſt.] Reperit, excogitauit.

Literas tres.] Huius rei mentio fit à Tacito his verbis: Claudius nouas literarum formas addidit, vulgauitque. Scribit Quintilianus Aeolicũ digamma vnam fuiſſe ex his literis, quas Claudius adiecit: cuius quoq; meminit Priſcianus in primo grammatices.

Numero veterum.] Apud vetuſtiſſimos Græcorum nõ plus, quàm ſexdecim literæ erant: quibus ab illis acceptis veteres Latini antiquitatem ſeruauerunt perpetuam. Nam ſi veriſſimè velimus, vt teſtatur Priſcianus, inſpicere eas, hoc eſt ſexdecim, non plus, quàm duas additas in Latino ſermone inueniemus. Plinius quoq; in VII. refert literas numero ſexdecim à Cadmo in Græciam fuiſſe allatas ex Phœnice: veteréſque illas Græcas fuiſſe eaſdem penè, quæ nunc, inquit, Latinæ ſunt.

Vt in vſu promiſcuo.] Tacitus ſic: Claudius tres literas adiecit, quæ vſui imperitãte eo: pòſt, obliteratæ: aſpiciuntur etiã nũc in ære publicandis plebiſcitis per fora ac templa fixo.

Diurnis.] Diurna vocamus libros, in quibus rationes ſingulorum dierũ deſcribuntur. Iuuenalis: Longi relegit tranſacta diurni. Aliàs diurnum accipitur pro victu atque mercedula vnius diei. Seneca: Diurnũ accipit: in centuculo dormit. Idem in I. Controuerſiarum: Conſors modò omnis fortunæ diurnum petit.

Linguæ.] Græcæ.

Vtroque ſermone noſtro.] Græco, & Latino: tanquam ſermo Græcus Claudio nõ minùs familiaris eſſet quàm Latinus.

Communi ſtudiorum.] Tanquã ſibi, Græciſque ſtudia Græcarum doctrinarum forent communia.

Commercio.] Vſu, conſuetudine: aliàs mercium permutatione. Opinatur Plinius, commercia victus cauſa fuiſſe inuenta.

Legatis.] Scilicet Græcorum.

Perpetua oratione.] Lõga, & ſine interfatione. Cicero in Verrinis: Vtar oratione perpetua: non quoniam ſit neceſſe, verùm vt experiar verũ ille ferat moleſtius tunc tacuiſſe, an nunc dicere. Idem: Si quis erit, qui perpetuam orationem, accuſationémque deſiderat, altera actione audiet. Quintilianus perpetuam orationem propriè dici oratoris docet, quum ait in ſecundo Inſtitutionum: Itaque quum duo ſint genera orationis, altera perpetua, quæ Rhetorice dicitur: altera conciſa, quæ Dialectice.

M. AN. Prioris materiæ.] Quæ à Caii Cæſaris cæde ſortita erat exordium.

Poſterioris.] Materiæ: quicquam iam inde, ex quo Roma ciuilibus erat bellis defuncta, ſcribere fuerat exorſus.

Aſinii Galli libros.] Quem vel ex hoc apparet in Ciceronem ſcripſiſſe, quare aduerſus hunc, Ciceronem ipſum ait defenſum.

Literas tres.] Sed quæ earũ fuerint figuræ, aut nomina, aut vſus, non tradit.

Sermone noſtro.] Aequè nobis familiari.

Communium ſtudiorum.] Quæ ſibi cum Græcis communia eſſent.

Perpetua.] Continuata.

oratione respondit. Multum verò pro Tribunali etiam * Heroicis locutus est versibus. Quoties quidem hostem, vel insidiatorem vltus esset, excubitori Tribuno signum de more poscenti non temerè aliud dedit, quàm,

Ἄνδρα ἐπαμύνασθ', ὅτε τις πρότερος χαλεπαίνῃ.

Denique & Græcas scripsit historias. Tyrrhenicon x x. Carchedoniacon VIII. Quarum causa veteri Alexandriæ Musæo additum ex ipsius nomine, institutúmque vt quotannis in altero Tyrrhenicon libri, altero Carchedoniacon diebus statutis, velut in auditorio recitarentur toti à singulis per vices.

* Homericis

Pœnitentia de matrimonio Agrippinæ, & adoptione Neronis. XLIII.

Sub exitu vitæ signa quædam nec obscura pœnitētis de matrimonio Agrippinæ, déque Neronis adoptione dederat. Siquidem cōmemorantibus libertis, ac laudātibus

PHIL. Oratione.] Scilicet Græca. & hoc contra institutum antiquorum, qui perseueranter custodiebant, ne Græcis vnquam nisi Latinè responsa darent: quin etiā ipsos Græcos per interpretem Latinè loqui cogebant, nulla in re togam pallio subiiciendam arbitrantes.

Heroicis versibus.] Summa non orationis modò gratia est, sed etiam iucunditatis, cùm orationi Inserimus versus poetarum: quorum sententiis, vt ait Quintilianus veluti quibusdam testimoniis corroboratur oratio.

Excubitori.] Excubias agenti, excubiarúmque præfecto.

Signum.] Scribit Vegetius, signorum quædam esse vocalia, quæ voce humana pronuntiantur: sicut in vigiliis, vel in prælio pro signo dicitur, vt puta victoria, palma, virtus, triumphus, & alia quæcunq; volueris dare is, qui in exercitu maximam habet potestatem. Sciendum est tamen, in bello ista vocabula quotidie debere variari, ne ex vsu hostes cognoscant, & exploratores inter nostros versentur impunè. De signo, quod more militiæ tribuno datur, diximus in proximo cōmentario copiosissimè.

Ἄνδρα.] Versus est Græcus heroicus, quem pro signo dabat Claudius, qui sic interpretatur: virum vlcisci quando aliquis prior sæuit, siue molestus est, siue quum prior ille iniuriam intulerit.

Cyrenicon.] De rebus Cyrenaicis. Fuit autem Cyrene, ciuitas Africæ inclyta & potens, condita à Batto Laconico, quem Callimachus progenitorem suum fuisse tradit: ea ob regionis bonitatem plurimùm creuit, vt inquit Strabo libro vltimo Geographiæ: viros quoque complures nobiles habuit, qui imminentibus barbaris fortiter resistere poterant. Cyrenaicam philosophiam instituit Aristippus Socraticus. A Cyrenis Cyrenaica regio dicta est, quæ illustrabatur Hammonis oraculo, quam Plinius appellat Pentapolitanam, à numero quinque ciuitatum. Cyrenicon autem dixit genitiuo Græco ea forma, qua dicimus argonauticon, & astronomicon.

* Cyrenaicon

Carchedoniacon.] De rebus videlicet Punicis. Græcè enim Carthago dicitur Carchedon: & Carthaginienses Carchedonii: vnde à Plauto dictum est: Carchedonius vocatur hæc comœdia, Latinè Pœnulus. Carbunculos, authore Plinio, Carchedonios vocauere propter opulentiam Carthaginis magnæ. Dicta autem est Carchedon, quæ à nobis Carthago vocitatur, à Carchedone conditore: cuius meminit Appianus in Libycis. Sed vulgatior fama est, conditam fuisse à Didone Carthaginem, de cuius opibus & rebus clarissimè gestis melius est silere, quàm pauca dicere, cùm æmula fuerit Romanæ vrbis, de terrarum orbe circiter centum viginti annos. Cyrenenses quoq; magnos, opulentósq; fuisse, testis est Sallustius, qui ait, eos de finibus agrorū gessisse aduersus Carthaginienses bellum magnum, atque diuturnum: quo vtrinq; legiones, item classes sæpe fusæ, fugatæq; sunt: & alteri alteros vicissim attriuerunt.

Alexandriæ Musæo.] Μουσεῖον Græci vocant domicilium Musis dicatū: accipitúrq; pro diuersorio eruditorum. Plinius in epistolis: O mare, O litus verū, secretúmque musæon, quàm multa inuenitis, quàm multa dictatis! Scribit alter Plinius in XVI. Stagyris, quæ fuit patria Aristotelis, in Musæo populum albā quæ ceciderat, sua spōte resurrexisse: quod fausti fuit ominis. Alexandriæ verò Musæum fuit celebrantissimū: quod, vt inquit Strabo libro Geographiæ nouissimo, ambulacrum habet, & exedram, & maximam domū: in qua cœnaculum est eorū, qui Musæo participant, hominum circa disciplinas versantium: hic conuentus communes pecunias habet, & sacerdotem, qui Musæo præest, olim à regibus, nunc à Cæsare constitutum. Similis Musæo erat ædes Camœnarum, & Athenæum, hoc est ædes Mineruæ, vbi professores sua studia profitebantur. Hoc obiter dixisse volui, vt intelligeres apud Iulium Capitolinum, illud in vita Gordianorum. Posteà verò vbi adoleuit in Athenæo controuersias declamauit, audientibus etiam Imperatoribus suis. Apud Lampridiū menda est: nam pro Athenæum, legitur Ethenæum, cùm ait: Ad Ethenæum audiendorum & Græcorum, & Latinorū rhetorum, vel poetarū causa frequenter processit. In hoc autem Alexandrino Musæo solebat Adrianus Imperator multas quæstiones professoribus proponere, & propositas ipse dissoluere: sicuti tradit Spartianus.

Additum.] Scilicet alterum auditorium.

Ex ipsius nomine.] Vt Claudianum Musæum diceretur.

Toti.] Scilicet libri ipsius Claudii.

M. AN. Respondit.] Græcè scilicet.

Excubitori.] Corporis custodiæ, præsidióque cōstituto. Ἄνδρα &c.] id est, Virum vlcisci, quando prior aliquis iniurietur, siue molestus sit.

Cyrenicon.] Cyrenaicarum rerum.

Carchedoniacon.] Carthaginiensium.

Musæo Alexandrino.] Strabo: Cœnaculū eorū, qui in Musæo participant, hominū circa disciplinas versantium. Quibus verbis planè apparet, Musæon locū fuisse ad studiosorum hominum vsum comparatum: quod & ipsum quoque nomen arguit. Additum.] Aliud intellige recens Musæon in altero Musæo.

cognitionem, qua pridie quandam adulterii reā condemnauerat, sibi quoque in fatis esse iactauit omnia impudica, sed non impunita matrimonia. Et subinde obuium sibi Britannicum arctius complexus, hortatus est, vt cresceret, rationémque à se omnium factorum acciperet, Græca insuper voce prosecutus, ὁ ἔρος δ᾽ ἐπέτγελαι. Cúmque impubi, teneróque adhuc, quando statura permitteret, togam dare destinasset, adiecit, vt tandem populus Romanus verum Cæsarem habeat.

Testamentum, & mors eius. XLIIII.

NOn multóque pòst testamentum etiam conscripsit, ac signis omnium magistratuum obsignauit. Priùs igitur quàm vltrà progrederetur, præuentus est ab Agrippina, quam præter hæc, consciam quoq; nec minùs delatores multorū criminum arguebant. Et veneno quidem occisum cōuenit: vbi autē, & per quē dato, discrepat. Quidā tradunt, epulanti in arce cū sacerdotibus, per Halotū spadonem prægustatorē. Alii domestico conuiuio, per ipsam Agrippinam, quæ boletum medicatum auidissimo ciborum talium obtulerat. Etiam de subsequentibus diuersa fama est. Multi statim hausto veneno obmutuisse aiunt, excruciatúmque doloribus nocte tota

PHIL. Cognitionem.] Cognoscere, est causas litigantium auditas diiudicare. Inde cognitio dicta.

Sed non impunita.] Tanquam fatale esset, vt vxores impudicas haberet, sed quæ tamen luerent pœnas suæ impudicitiæ, sicuti iam acciderat Messalinæ. Corn. Tacitus: Vocem Claudius temulentus iecerat, fatale sibi vt coniugum flagitia ferret, dein puniret.

Subinde.] Mox, deinde. Liuius: Vno alteróque subinde ictu. Aliàs subinde significat frequenter.

Arctius.] Ex affectu paterno.

Ὀρθῶς ποιεῖτε.] Græca dictio est, quæ significat, rectè facite. Alii codices habēt ὁ ἔρος δ᾽ ἐπέτγελαι, quod interpretatur, amor impellit. Impubi.] Scilicet Britannico, qui nondum ad pubertatem peruenerat.

Statura permitteret.] Ostendit, Britannicum in ætate puerili fuisse proceriore statura præditum.

Togam.] Virilis toga significatur.

Verum Cæsarē.] Tanquā Nero, qui erat adoptiuus, nō esset verus Cæsar, sed subdititius.

Præuētus.] Præoccupatus, vt dicitur, anticipatúsque.

Signis obsignauit.] Scribunt Iurisconsulti, signando testamento septem adhibendos, qui nomen suum adscribant, & signent annulo impresso.

Delatores multorum criminum.] Narcissus in primis palàm criminabatur Agrippinam, eiq; impudiciriā obiectabat, cùm Pallante adultero potiretur.

Dato.] Scilicet veneno.

Per Halorum spadonem.] Hoc sentit Corn. Tacitus scribens, Locustæ ingenio paratum venenum: cuius minister ex spadonibus fuit Halotus.

Prægustatorē.] Prægustatores dicuntur, qui in aula principis gustu epulas prægustant, explorántq; ne quid venenatum inferatur. Corn. Tacitus idē tradit scribēs, Halotum solitum inferre epulas, & gustu explorare.

Per ipsam Agrippinam.] Iosephus lib. xx. Antiquitatum, Sermo, inquit, quorundā est, quòd Claudius ab vxore Agrippina fuerit veneno perēptus: quæ metuēs ne Britannicus crescēs regnū à patre perciperet, & volens imperium Neroni filio suo præparare, de morte Claudii, sicut erat sermo, tractauit.

Boletū medicatū.] Plinius in xxii. Natur. histo. Inter ea, quæ temerè manduntur, boletos ponit, aitq;: Optimus quidē est is cibus, sed immēso exemplo in crimē adductus, veneno Tyberio Claudio principi per hanc occasionē à coniuge dato Agrippina: quo facto illa terris venenū alterū, sibiq; ante omnes Neronē suū dedit. Cor. Tacitus scribit, venenum infusum cibo delectabili, nec vim medicaminis statim intellectam.

Auidissimo ciborū taliū.] Plin. boletos nouissima gulæ iritamēta vocat: quos quercus probatissimos gignit. Boletos autē placuisse Claudio in cibis, idē significare videtur scribens, Claudiū putasse boletos stomacho vtiles esse. Poetæ quoque Claudiū boleto extinctū esse notificant. Martialis:

Boletum, qualē Claudius edit, edas.

Iuuenal. Boletus domino, sed qualē Claudius edit

Ante illū vxoris, post quē nihil amplius edit. A boleto boletaria dicta patina, boletis cōdiendis præparata: quæ sic loquitur apud Martialem:

Cùm mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis, pudet heu, seruio coliculis.

De conditura boletorum sic scribit Apitius: Boletos fungos carenū fasciculum coriandri viridis vbi ferbuerit, exempto fasciculo inferes. Boletos aliter, coliculos eorum liquamine vel sale aspersos inferunt.

M. AN. Omnia matrimonia.] Ne Agrippinæ quidem matrimonio excluso.

Ὀρθῶς ποιεῖτε.] Rectè facite.

Impuberi.] Britannico.

Verum Cæsarem.] Et non adoptiuum, vt Neronē.

Obsignauit.] Signis clausit, ac communiuit, ne posset nisi illis adhibitis resignari.

Quàm vltra progrederetur.] Vt Britannico caueret, in Neronémq; aut Agrippinam noui aliquid statueret.

Præuentus.] Veneno oppressus.

Arguebant.] Apud Claudium.

Prægustatorem.] Prægustator is dicitur, qui suspectos prægustat cibos. Iuuenalis:

-Prægustet pocula Papus.

Medicatum.] Veneno infusum. Iuuenalis:

Boletus domino, sed qualem Claudius edit.

Martialis: Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Plinius: Optimus est is cibus, sed immenso exemplo in crimen adductus, veneno Claudio principi per hanc occasionem à coniuge dato.

defecisse prope lucem. Nonnulli inter initia consopitum, déinde cibo affluente euomuisse omnia, repetitúmque toxico, incertum pultíne addito, an immisso per clysterem, vt quasi abundantia laboranti etiam hoc genere egestionis subueniretur.

Mors eius celata, tempus mortis, & funus. XLV.

MOrs eius celata est, donec circa successorem omnia ordinarentur. Itaque & quasi pro ægro adhuc vota suscepta sunt, & inducti per simulationem comœdi, qui velut desiderantem oblectarent. Excessit III. Idus Octobris, Asinio Marcello, Acilio Auiola Consulibus, LXIIII. ætatis, Imperii XIIII. anno. Funeratúsque est solenni principum pompa, & in numerum deorũ relatus. Quem honorem à Nerone destitutũ, abolitúmque, recepit mox per Vespasianum.

Præsagia de morte eius. XLVI.

PRæsagia mortis eius præcipua fuerũt: exortus crinitæ stellæ, quã cometen vocãt:

PHIL. DEfecisse.] Animam efflasse.

Inter initia. Statim post venenum propinatũ.

Repetitũ toxico.] Scribit Cornel. Tacitus aluum Claudio solutam, adhibitúmque esse medicum Xenophontem ab Agrippina: qui tanquam nixus euomẽtis adiuuaret, pennam veneno rapido illitam faucibus eius demisisse creditur.

Pulti.] Puls, cibus est ex farre, quo longo tẽpore Romani vixerunt: vnde & pulmentaria dicta: sacra quoque prisca conficiebantur, vt loquit Plin. pulte fritilla. Videtúrque tam puls ignota Græciæ fuisse, quàm Italiæ polenta. A pulte pultarius deriuatur, accipitúrq; pro vasculo pultis. Corn. Celsus: Si cætera defecerunt, caliculus quoque, aut pultarius oris compressioris ei rei cõmodè aptatur.

Refici.] Recreari, refocillariq;: inde ciborum refectio dicta, & homines cibo refecti. Liuius: Refecti cibo corpora quieti dant.

Clystere.] Ibis, quæ auis Aegypti est peculiaris, prima clysteris vsum mõstrauit, rostri aduncitate per eam partem se perluens, qua reddi ciborum onera maximè salubre est.

Abundantia.] Ciborum redundantia. Plinius in XXXI. Clysteribus marinam infundũt tepefactã. Item: Salem clysteribus infundere ischiadicis.

Hoc genere egestionis.] Inter curationes morborum, quæ communes dicuntur, est deiectio: hanc autem antiqui, vt docet Celsus in secundo, variis medicamentis, crebráq; alui ductione moliebantur. Quod infunditur per clystere, neq; frigidum esse oportet, neque calidum: ne alterutro modo lædat, cùm infusum est. Continere se debet in lectulo æger, quantum fieri potest: vbi necesse est, tum demum desidere. Hæc egestio demit materiam noxiã, superioribúsq; partibus leuatis morbum ipsum mollit. Hoc modo per clystere infusum fuit venenum Claudio, dum simulant se velle educta, egestáq; materia exonerare corpus principis distenti.

Circa successorem.] Neronem.

Adhuc vota suscepta.] Cornelius Tacitus: Vota pro incolumitate principis Cõsules, & sacerdotes nuncupabant, cùm iam exanimis vestibus, & fomentis obtegeretur.

Comœdi oblectarẽt.] Comœdos vocamus histriones, actorésque comœdiarum: qui interdum ægrotantibus adhibentur causa oblectamenti. Nanque, vt author est Celsus, in quibusdam morbis symphoniæ, & cymbala, strepitúsque proficiunt: & delectatio quærenda est ex fabulis, ludísq;, quibus maximè capi sanus assueuerat. Futurus orator dare debet operam comœdo, veluti formatori pronuntiationis.

Auiola.] Alius fuit ille Auiola, quem cõsularem virum in rogo reuixisse: & quoniam subueniri non poterat, præualente flamma, viuum crematum esse, Valerius, Pliniúsque notificant.

In numerũ deorum.] Eutropius: Post mortem Claudius cõsecratus, diuúsque appellatus est. Græci ἀποθέωσιν vocãt deificationẽ, per quam mortales fiunt diui. Seruius enarrãs illud Maronianum, Daphnim ad astra feremus. interpretatur apotheosin Daphnidis se dicturum. Olim Thasii populi insulani Agesilaũ illum magnum Lacedæmoniorum Imperatorẽ apotheosi honorauerũt, & in numerum deorũ adhuc viuentem retulerunt: quo cognito Agesilaus interrogauit an ipsi potestatem haberent deorum faciendorum. Quod cùm illi affirmassent, Facite, inquit, vos ipsos prius: quod si feceritis, tunc crediturus sum potestatem vobis esse etiam mei deificandi.

Abolitum.] Obliteratum, & intermissum.

Præsagia.] Progoostica, & ostenta.

Crinitæ stellæ.] Plinius: Κομήτας Græci vocant, nostri crinitas, horrentes crine sanguineo, & comarum modo in vertice hispidas. Idem mox paulò ait: In nostro æuo circa veneficium, quo Claudius Cæsar Imperium reliquit Domitio Neroni, ac deinde principatu eius, assiduum propè, ac sæuum hoc sydus fuit. Seneca in VII. Quæstionum naturalium stellã hanc crinitam, quæ apparuit Claudii principatu, eleganter appellat Claudianum cometen: qui à Septentrione primùm visus non desiit in rectum assiduè celerior ferri, donec excessit.

M. AN. REpetitũ veoeno.] Ab Agrippina, siue à ministro iterum dato.

Pulti.] Quam post vomitum hauserit.

Immisso.] Infuso veoeno.

Successorem.] Neronem.

Comœdi.] Comœdiarum actores.

In numerum deorum relatus.] Diuinos hooores adeptus. Iuuenalis:

-Minus ergo nocens Agrippinæ
Boletus, siquidem vnius præcordia pressit
Ille senis, tremulúmque caput descendere suasit
In cælum.-

Exortus crinitæ stellæ.] Plinius de eiusdem syderis ortu, Nostro, inquit, æuo circa veneficiũ, quo Claudius Cæsar Imperium reliquit Domitio Neroni, ac déinde principatu eius, assiduum propè, ac sæuum sydus fuit.

Tactum

tactúmque de cælo monumentum Drusi patris: & quòd eodem anno ex omnium magistratuum genere plerique mortem obierant. Sed ipse nec ignorasse, aut dissimulasse vltima vitæ suæ tempora videtur, aliquot quidem argumentis. Nam & cùm COSS. designaret, neminem vltra mensem, quo obiit, designauit: & in Senatu, cui nouissimè interfuit, multùm ad concordiam liberos suos cohortatus, vtriusque ætatem suppliciter patribus commendauit. Et in vltima cognitione pro tribunali accessisse se ad finem mortalitatis, quanquàm abominantibus qui audiebant, semel atque iterum pronuntiauit.

PHIL. Tactum è cælo.] Fulmine percussum. Vergilius:

De cælo tactas memini prædicere quercus.

Elocutio hæc est vsitata apud eruditos, qua in primis scatet Liuius.

Ex omnium magistratuum.] Corn. Tacitus: Numerabatur inter ostenta diminutus omnium magistratuum numerus, quæstore, ædili, tribuno, ac prætore, & consule, paucos intra menses defunctis.

Designaret.] Deligeret. Designati enim dicuntur magistratus electi, qui nondum honorem ipsum inierunt.

Vltra mensem.] Scilicet Octobrem.

Liberos suos.] Alterũ naturalem Britannicum, alterum adoptiuũ Nerooem.

Ad coocordiam hortatus.] Fecit Claudius quod anteà Cyrus, & Micipsa reges factitauerunt: namque Cyrus, sicut copiosissimè, ac facundissimè edisserit Xenophon in vita Pædiæ, vicinus morti hortatus est filios, vt se vicissim honorareot, séque fraternè diligerent: qui enim, inquit, fratri prouidet, se ipsum curat: quem turpius est noo amare, quàm fratrem? quẽ pulchrius est anteponere, quàm fratrem? Veteùm surdis narrauit fabulã: vbi enim primùm migrauit è vita Cyrus, continuò filii inter se dissidere, & simultates exercere cœperunt. Itidem Micipsa apud Sallustinm, cùm sibi finem vitæ adesse intelligeret, hortatur filios ad concordiam fraternã colendam dicẽs: Quis amicior, quàm frater fratri? aut quem fidum alienis inuenies, si tuis fueris hostis? Equidem vobis ego regnum trado firmum, si boni eritis: si mali, imbecillum: nam concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Sed monitiones istæ tam sanctæ, tam veræ, nihil profuerunt. Nam statim defuncto Micipsa cœpit Iugurtha vitæ fratrum insidiari: nec priùs quieuit, quàm vtrunq; sustulit. Sic etiam Claudius iam præsagiens appetere mortem, hortatur filios vt concorditer degant: sed frustrá. Nanque post illius obitum Nero fratrem Britannicum veneno necauit. Sed talia fiunt ab improbis fratribus, qui fratres haud dubiè dici nõ merentur. Inter bonos enim viget fraternus affectus, splẽdescit germana concordia, ad cuius culturã monitor, hortator, rogator esse non desisterem, nisi exploratum haberemus, atque compertum, quanto tu amore fratres prosequaris, quàm fraternè cũ fratribus degas. Io summa, agis bonum fratrẽ, qood in te illustris alumne nõ minùs probo, quàm cæteras dotes. Sed in hac re non ero prolixior, cùm superuacaoea sit extimulario perniciter curreoti. Patribus.] Senatoribus. Vltima cognitiooe.] Iurisdictione: post quam nihil amplius egit. Quanquàm abominãtibus.] Hoc quotidie fieri solet, vt quotiescũque princeps aliquid de se triste loquitur, & luctuosum, reiiciamus, &, velut malũ omen, amoliamur, verba consimilia illi Maroniano dicentes:

Dii, prohibete minas, dii talem auertite pestem.

Apud Silium milites abominantur dicta Annibalis ominosa, cùm effundunt gemitus, atque omina tristia vertunt in stirpem Aeneadum.

M. AN. ARgumentis.] Signis, demonstrationibus.

Liberos suos.] Britannicum, & Neronem.

In vltima cogniõone.] Quum pro tribunali nouissimè ius dixit. Pronuntiauit.] Se ad mortalitatis exitum peruenisse dixit.

C. SVÊTONII TRANQVILLI

LIBER VI.

Nero Claudius Cæsar.



EX gente Domitia duæ familiæ claruerunt, Caluinorum, & Aenobarborum. Aenobarbi authorem originis, itémq; cognominis habēt L. Domitiū: cui rure quodā reuer-

PHIL. 

QVEMADMODVM eadem terra & venena noxia gignit, & fruges salutares, sic Romanum Imperium & bonos principes habuit, & malos: quorum pessimus fuit hic Nero, qui in literarum monumenta mitti nō debuisset, nisi vt hoc exemplo discerent tyranni circunspectiùs viuere, & modestiùs. Enimuero quemadmodū boni antecessores sunt imitādi, & imitabiles successoribus, ita improborum mores improbabiles cogniti documento sunt aliis, ne similes esse velint. Qui clarissimi Dictatoris Cæsaris vitam, & gesta perlegit, ex ea lectione inflammatur ad tanti viri mores imitandos: qui impuram nequissimi Neronis vitam inspicit, is ex ea inspectione admonetur, vt caueat à tam probrosa, támque dedecorosa viuēdi formula. Sunt igitur & boni, & mali periode scribendi, & legendi: vt illorum mores æmulemur, istorum flagitia defugiamus. Noo improbandum est institutum istud Spartiatarum, qui iuuenes à vitio ebrietatis abducere cupientes consueuerunt seruos ad potum, crapulámque compellere: eos deinde mero ingurgitatos in conuiuia iuuenum adduci iubebant: vt illi cernentes temulentorum turpe dehonestamentum, temulentiam, veluti rem fœdissimam, perhorrescerent. Antigenidas quoque ille tibicinio præstantissimus bonos modulatores iuuenibus arbitrabatur futuros iucundiores, si malos aliquando experti fuissent: eodem pacto nos quoqne alacriores, propensioresque futuros existimo ad vitam sanctiùs, probatiúsque degendam, si flagitiosorum principum mores cognouerimus. Nanque philosophi subaccusant eos, qui vitiorum naturam ignorare sese gloriantur: tanqnam virtutes colere rectè non possint, nisi nouerint contraria fugienda. Igitur, diis bene iuuantibus, auspicabimur commentarium in Neronis vitam, vt tántisper animus noster dum illa scribimus, ab improbitate reuocetur ad probitatem: deinde vt legentes faciliùs percipiant vnum hominem ex omnibus vitiis fuisse compactum, atque conglutinatum, adeò vt de Nerone meritò dicere possumus versum illum, qnem in Rufinum non minùs graphicè, quàm vere scripsit Claudianus:

Solus habes scelerum quicquid possedimus omnes.

Sed iam ad institutum commentandi officium reuertamur. Scripturus Tranqnillus vitam Neronis priocipis primordia gentis reperit à longiore principio.

Caluinorum.] In Iulio Cæsare dictum est, qnemadmodum Cn. Domitius Caluinus amisit exercitū in Ponto, fuitqne Dictatoris Cæsaris legatus. Consimiliter Liuios in x. refert Cn. Domitium cognomento Caluinum fuisse Aedilem curulem.

Aenobarborum.] Cùm Nero ex familia Aenobarborum descenderit, ideo Tranquillus Caluinos omittens, Aenobarbos latissimè explicat.

Cognominis.] Aenobarborum. Ex cognominibus, secundum Macrobium, tracta sunt nomina: vt ab Aemylio Aemylianus, à Seruilio Seruilianus.

Cui rure reuertenti.] Scribit Plutarchus in Paulo Aemylio, quo tempore Romani Tarquinios, Latinósque profligarunt, conspectos esse paulò pòst ab exercitu venientes iuuenes duos proceris, ac venustis corporibus, qui ea, quæ in prælio gesta fuerant, nuntiabant: crediderunt Romani illos fuisse Castorem, & Pollucem. Primus illis obuius in foro factus est hic Lucius Dominius, equos multo fluentes sudore siccātibus: qui cùm illa, quæ de victoria nuntiabant, minimè crederet, illi tunc leuiter arridentes, barbā eius manibus attrectasse creduntur, & ex fusca in flauam conuertisse: per hunc modum & assertionis suæ fidem, & viro cognomentum Aenobarbi fecerunt.

MARCI ANTONII SABELLICI AD Augustinum Barbadicum serenissimū Venetiarum Principem Paraphraseos in Neronem Parænesis sexta.

M. AN. 

EX gente Domitia.] Hic est Nero ille, princeps serenissime, qnem C. Plinius alterā humani generis facem appellare noo dubitauit: qnem etiam si Dictator Cæsar oraculo aliquo præuidere potuisset, sibi & ad familiæ dedecus, & ad Imperii exitium successurum, aut eo dominatu, cuius semper copidissimus fuit, aut certè omni filiorū adoptione, ne ad id monstrū generis veniretur, pertinaciter abstinuisset. At siue casu, siue (qnod magis credo) prouidentia aliqua acciderit, infelicissimus Neroois exitus magnū videtur mihi mortalibus documentū dedisse, nihil (nisi Deus, & prudentia assint) esse hominibus in terris stabile, nihil perpetuò mansurum. Gens Iulia, quæ Ascanium Aeneæ filium, Veneris nepotem, sui sangninis anthorē habuit, quæ totā regū seriē, quæ tota olim Albæ regnasse dicitur, quæ ipsius vrbis patrē, & conditorē Romulū genuit, io qua perpetuæ deorū ceremoniæ, dictatura, Augustorū, & patris patriæ appellationes, consecrationes, aliiq; humani, & diuini honores locati sunt, quæ demq; nō solùm Cæsares, sed (ve stulta tūc erat hominū persuasio) deos quoq; Romanæ ciuitati dederat, eū sit demū sortita virū, qni præter sacrilegia, rapinas, cædes, parricidia, libidinémq; omnibus corporis partibus receptā, vrbe in qua natus erat, quæ illū humanarū rerū gubernaculo admouerat, hostiliter incensa, hostis iudicatus, infelici exitu, omine aliquantò infeliciori, decus, & nomen gentis secum sustulit. Est igitur, meo iudicio, nihil, quod bonus, amabilisq; princeps in Nerone imitari possit, præter artiū quarundā æmulationem, si vsus, dico, earum sit honestior, quàm in illo fuit. Sed ad Domitiā gentē redeo, quæ vt Dominius, & Domitianus à domo verbo est (Priscianus est author) sed ipsum verbū idem valet quod dominio, potestatique meæ subigo, cuius prima origo est domus.

L. Domitiū.] Plutarchus in Aemylio, Perse rege victo Castorē ait, & Pollucē, vt vulgò creditū est, in foro conspectos, victoriā nuntiasse viro, qui primus o[c]currerat, ac non credēti leniter arridentes barbam demulsisse, qua ex fusca in flauā continuò versa, & victoriæ fidem, & viro Aenobarbi cognomentum esse factum.

tenti, iuuenes gemini augustiore forma ex occursu imperasse traduntur, nuntiaret Senatui, ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat: atq; in fidem maiestatis adeò permulsisse malas, vt è nigro rutilum, æríque assimilem capillũ redderet. Quod insigne mansit & in posteris eius, ac magna pars rutila barba fuerunt. Functi autem Consulatibus septem, triumpho, censuráque duplici, & inter patritios allecti perseuerarunt omnes in eodẽ cognomine. Ac ne prænomina quidẽ vlla, præter quàm Cnei, & Lucii vsurparunt: eáq; ipsa notabili varietate, modò continuantes vnumquodque per ternas personas, modò alternantes per singulas. Nam primum, secundúmq;, ac tertium Aenobarborum Lucios, rursus sequentes tres ex ordine Cneos accepimus: reliquos non nisi vicissim, tum Lucios, tum Cneos. Plures è familia cognosci referre arbitror, quò faciliùs appareat, ita degenerasse à suorum virtutibus Neronem, vt tamen vitia cuiusque quasi tradita, & ingenita retulerit.

Cneus Domitius Neronis atauus. II.

VT igitur paulò altiùs repetã, atauus eius Cn. Domitius in Tribunatu põtificibus offensior, quòd alium, quàm se, in patris sui

PHIL. Augustiore.] Maiore humano habitu, diuiniore, sacratiore. Liuius: Ibi in quiete vtrique Consuli eadem dicitur visa species viri maioris, quàm humano habitu, augustiorísque.

Victoriam.] De Tarquiniis, Latinísq; ad lacũ Regillum profligatis. Quã historiã luculenter enarrant Liuius in secundo, & Dionysius in sexto Antiquitatũ: qui tradit, Castores visos esse pro Romanis depugnãtes, sudorem equorum abluere. Vbi posteà ædes extructa fuit Castoris, & Pollucis. Quidã sentiunt ad victoriam, quam ex deuicto Perse adeptus est Aemylius Paulus, hoc Aenobarbi exemplum esse referendum: sed malé. Nã temporum supputatio non patitur, vt Aenobarborum cognomen cœperit à bello gesto aduersus Persem: cùm antea id cognomentũ in Domitiis sit celebratum. Liuius enim scribit in trigesimoquinto, Cneũ Domitium Aenobarbum, & L. Quintium factos fuisse consules multis annis, antequam Perses ab Aemylio profligaretur. Ex quo liquet non potuisse tempore Persei originẽ docere id cognomen, quod longè priùs extiterat ante Persicum bellum. In fidem maiestatis.] Vt fidem facerent, se deos esse, & diuina maiestate præpollẽtes: quæ à magnitudine dicta est, vt ait Festus Pompeius. A maiestate Iouem Maiũ dixere, vt docet Macrobius in primo. Vxor quoque Volcani Maiesta vocitabatur: quam quidam Maiam appellant. Malas.] Maxillas. Homines magnarum malarum Mattici antiquitus cognominabantur. Capillum.] Barbam: nanque & pilum dici capillum, testis est Gellius, cùm ait: si ouium lacte hœdi, aut caprarum agni alerentur, constat fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem.

Aeri assimilem.] Aeream: qualis est æris color. Est quoddam genus æris suo colore pretiosum ad iecinoris imaginem vergens: ex quo, vt tradit Plinius in xxxIIII. hepatizon appellauere. Rutila.] Hinc Aenobarbi dicti, à barba scilicet rutila, æneóque colore. Rutilum enim, rufum significare, testis est Festus Põpeius: cuius coloris studiosæ etiam antiquæ mulieres fuerunt: vnde & Rutilæ dictæ sunt. M. Varro in III. de Latina lingua: Rutilare est ab aureo colore: aurei enim rutili: & inde etiam mulieres valde rufæ Rutilæ dictæ.

Cognomine.] Aenobarborum: vt omnes Aenobarbi dicerentur. Vnumquodq; prænomen.] Scilicet Lucii & Cnei. Per ternas personas.] Vt res perpetuo tenore, & continua serie dicerentur Cnei, & mox totidem Lucii. Alternantes.] Vt post Luciũ Cneus, post Cneum Lucius quadam quasi vicissitudine nominarentur. Vicissim.] Per vices. Antiqui vicissatim dixerũt: vicissitatẽ quoq; pro vicissitudine vsurparunt.

Referre.] Perdnere ad negotium susceptum.

Degenerasse.] Propertius:
Dii mihi sunt testes, non degenerasse propinquis.
Dicimus autẽ tam degenerare à malo, quàm à bono. Liuius in IX. Ne degeneraueris à familia imperiosissima, & superbissima.

Cuiusq;.] Proauorum. Retulerit.] Reddiderit, ac regenerauerit.

Atauus.] Quinto gradu cognationis sunt suprà atauus atauia, infrà atnepos atneptis.

M. AN. Gemini iuuenes.] Castor, & Pollux: sic enim vetustati persuasum.

Augustiore humana.] Sanctiore.

Permolsisse.] Leniter tractasse.

Aeri.] Quod metalli genus sanè fuluum est. Ouidius:
-Fuluos operoso ex ære lebetes.
Plinius: Cyprio æri si addatur plumbum, colos purpuræ fit in statuarum prætextis.

Malas.] Quas hodie malas dicimus, Plinio authore, genas veteres dixere. Interdictũ lege duodecim Tabularum eas à fœminis radi. Sunt propriè genæ membranæ, quæ oculos contegũt. Plinius: Neq; genæ omnibus, ideò neque nictationes: malæ infra oculos.

Rutila.] Rufa, vt Festo placet. Est rufus color à rubore dictus, Gellius est author. Accius: Iámq; auroram rutilare cerno. Rutilare dixit pro eo, vt Varro interpretatur, quod est aureum colorem aeri inducere: nec Varronis sentẽtia Gellio repugnat: siquidẽ nõ vno modo dicitur aliquid rubere: aliter enim ignis, aliter sanguis rubet, aliter ostrum, aliter crocum, quæ varietates sub rufi appellatione continentur.

Allecti.] Aenobarbi.

Continuantes.] Idem prænomen vsurpantes.

Per ternas personas.] Per tres continua serie in familia Lucios aut Cneos dictos. Alternantes.] Nunc Lucii prænomen, nunc Cnei variantes. Patris sui.] Cnei Domitii, qui, Liuio authore, Pontifex maximus fuit sacerdotum: qui author fuit, vt non collegia, velut anteà, quem vellent cooptarent, sed populi id beneficium esset.

Coope

locũ cooptassent, ius sacerdotũ subrogandorũ à collegiis ad populum transtulit, ac in Consulatu Allobrogibus, Aruernísq; superatis, elephanto per prouinciam inuectus est, turba militum, quasi inter solennia triumphi, prosequente. In hunc dixit Licinius Crassus orator, non esse mirandum, quòd æneam barbam haberet, cui os ferreũ, cor plumbeũ esset. Huius filius Prætor Cæsarẽ abeuntẽ Consulatu, quẽ aduersus auspicia legésq; gessisse existimabatur, ad disquisitionẽ Senatus vocauit. Mox Consul Imperatorem ab exercitibus Gallicis retrahere tentauit. Successórq; ei per factionem nominatus, principio ciuilis belli ad Corfiniũ captus est. Vnde dimissus, Massilienses obsidione laborantes cùm aduẽtu suo confirmasset, repentè destituit. Aciéq; demum Pharsalica occubuit, vir neq; satis constans, & ingenio truci. In desperatione rerum mortẽ timore appetitã, ita expauit, vt haustũ

PHIL. Cooptassent.] Elegissent. Super hoc verbo non pauca superiùs annotauimus.

A collegis.] Ne põtifices, cæteriq; in sacerdotio collegæ ius haberent substituendi sacerdotem in locũ demortui: sed voluit vt hæc subrogandi potestas pertineret ad populum.

Allobrogibus, Aruernisq;.] Populi sunt Galliæ transalpinæ. Allobroges in Gallia Narbonensi collocãtur à Geographis, quorũ metropolis est Viẽna: Aruerni verò super Ligerim flumẽ siti, metropolim habẽt Nemausum. Hi aduersus Romanos bella identidem gesserunt: qui contra Cæsarem Dictatorẽ quadringentis bellatorũ millibus depugnauerunt: cùm priùs aduersus Maximum Aemylianum, & hunc Domitium Aenobarbum ducẽtis hominum millibus confluxissent: author Strabo in IIII. De hoc bello Allobrogico sic scribit Lucius Florus in tertio: Quantũ gaudiũ victoriæ fuerit, hinc existimari potest, quòd & Domitius Aenobarbus, & Fabius Maximus ipsis, quibus dimicauerant, locis saxeas erexere turres, & desuper exornata armis hostilibus tropæa fixere: cùm hic mos inusitatus fuerit nostris. Elephanto inuectus.] In hoc imitabatur Annibalem, & Porum regem Indorũ, qui elephanto vectabantur. In hoc autem Allobrogico bello Romanos habuisse elephantos, testantur Historici scribẽtes, quòd maximus barbaris terror elephanti fuere, immanitati gentium pares. Per prouinciam.] Galliã Narbonensem signat, quæ populi Romani prouincia erat. De hac intelligit Cæsar sic scribens: Iter Heluetiis alterum per prouinciam nostram multò facilius, atq; expeditius. Inter solennia triumphi.] Quemadmodũ in triumphali pompa triumphantẽ milites prosequi solebant. Triumphasse autem Domitiũ signat Lucius Florus: qui scribit, in eo triumpho nihil tam conspicuũ fuisse, quàm rex ipse fuit visus discoloribus in armis, argenteóque carpento.

Lucius Crassus.] Hic est ille Crassus, qui disputat apud Ciceronem in libris de Oratore: quem ait in Bruto fuisse eloquentium iuris peritissimum, sicut Scæuolam iuris peritorum eloquentissimum. Hic lateris dolore consumptus est: quem morbum medici pleureticum vocant.

Os ferreum.] Crassus alludens ad nomen Aenobarbi mordaciter vsus scommate est, ducto ex nominibus metallorum æris, ferri, plumbi: ita vt per os ferreum, durum, & inflexibile: per cor plumbeum, liuidum Domitii ingenium, necnon obtusum, & ponderosum intelligi vellet. Cæsarem.] Dictatorem. Ad disquisitionẽ.] Hoc in Iulio Cæsare abundè explicatũ est, quemadmodũ Senatui delatum est, vt cognosceret de actis Cæsaris in Consulatu: sed cùm Senatus talem cognitionẽ suscipere recusasset, Cæsar abiit in prouinciã, irrito Domitii conatu. Mox Consul.] Cùm Domitius minaretur, se effecturum in Consulatu, quod efficere in prætura non potuisset. Imperatorem.] Cæsarem. Per factionẽ.] Põpeianorũ scilicet, & eorum, qui Cæsarẽ oppressum esse cupiebant. Ad Corfinium captus.] Lucanus in II. Pharsaliæ laudans hũc Domitium scribit, Cæsarem inuito, & renuenti vitam cõcessisse:

Viue licet nolis, & nostro munere dixit

Cerne diem.

Massilienses confirmasset.] Cæsar in I. belli ciuilis commẽtario refert, Domitium hũc, quem ipse Corfinii captũ dimiserat, à Pompeio missum esse ad occupandã Massiliam nauibus actuariis septẽ: qui à Massiliensibus receptus vrbi præficitur, summáq; ei belli administrãdi permittitur. Destituit.] Deseruit: cùm videret Massilienses superari à Cæsarianis, & maximè à Bruto: quem Cæsar bello præfecerat. Acie Pharsalica occubuit.] L. Domitius, vt author est Cæsar in cõmentariis, ex clade Pharsalica in montẽ refugiens ex castris, cùm vires eius lassitudine defecissent, ab equitibus est interfectus. Lucanus Domitii mortem tanquam generosam extollit luculento præconio in VII. Pharsaliæ.

In desperatione rerum.] Scilicet apud Corfinium.

M. AN. Allobrogibus Aruernisq; superatis.] Strabo ducenta Aruernorum millia à Domitio Aenobarbo, & Aemylio Maximo vna acie superata prodidit.

Elephanto.] Qua belua Romani rarò ad eũ vsum recepere, vt dorso sedentes tanta mole veherẽtur. Annibal in traiectu Apennini, quum per stagnantia Arni loca exercitum traduceret, elephanto vsus est: Liuius & Iuuenalis sunt authores. Lucius Crassus.] Sic libẽtius legerim, quàm Licinius, vt alii fermè omnes habent. Cicero: Quid valet illa eloquentissimi viri Lucii Crassi magis copiosa, quàm sapiens oratio? Corn. Tacitus: Decimo ætatis anno Lucius Crassus Caiũ Carbonẽ accusauit. Nec eo inficias in Crassorum gente Licinii quoque nomen fuisse insertum, sed prænomine scriptores vti maluerunt. Ferreum.] Durum. Cor plumbeum.] Obtusum, vt inconstãtiæ, & socordiæ vno tempore arguerit. Ad disquisitionẽ Senatus.] Require vim verbi ex Cæsaris Dictatoris vita. Ad Corfiniũ.] Plinius, Appianus, Plutarchus, & Lucanus deditionis à Domitio Corfinii factæ meminerunt. Truci.] Fero, & indomito. Mortem timore appetitã.] Plutarchus author est, illum Corfinii quum soporiferã potionem à medico datam pro veneno bibisset, cõtinuò pœnitentia adductum cœpisse vicem suam turpiter flere, vixque errore cognito metu liberatum.

Ven

venenum pœnitentia euomuerit, medicúmque manumiserit, qui idem sibi prudens, ac sciens minus noxium temperasset. Consultante autem Cn. Pompeio de mediis, ac neutram partem sequentibus, solus censuit hostium numero habendos.

Item de proauo Neronis. III.

Reliquit filium omnibus gentis suæ proculdubio præferendum. Is inter conscios Cæsarianæ necis (quanquam insons) damnatus lege Pedia, quum ad Cassium, Brutúmque se propinqua sibi cognatione cōiunctos contulisset, post vtriusque interitū classem olim commissam retinuit: auxit etiam, nec nisi partibus vbique profligatis, M. Antonio sponte, & ingentis meriti loco tradidit, solúsque omnium ex his, qui pari lege damnati erant, restitutus in patriam, amplissimos honores percucurrit: ac súbinde redintegrata dissensione ciuili eidem Antonio legatus delatam sibi summā Imperii ab his, quos Cleopatræ pudebat, neq; suscipere, neq; recusare fidenter, propter subitam valetudinem, ausus, transiit

PHIL. Venenum pœnitentia vomeret.] Plinius in VII. hæc tradit: At contrà miseriarum innumera sunt exempla. Lucius Domitius clarissimæ genris apud Massiliā victus, Corfinii captus ab eodē Cæsare, veneno poto propter tædium vitæ, postquam biberat, omni ope, vt viueret, annixus est.

Medicum manumiserit.] Seneca li. III. Beneficiorū, medicum hunc seruum fuisse significat, à quo hæc historia iuculentè describitur: cuius verba subieci, quæ hæc sunt: Corfiniū Cæsar obsidebat: tenebatur inclusus Domitius: imperauit medico, eidémque seruo suo, vt sibi venenum daret: cùm tergiuersantē eum videret, Quid cunctaris, inquit, tanquā in tua potestate totum istud sit? mortē rogo armatus. Tū ille promisit, & medicamentum innoxiū illi dedit: quo cùm sopitus esset, accessit ad filium eius, Iube me, inquit, seruari: dum ex euentu intelligis an venenum patri tuo dederim. vixit Domitius seruatus à Cæsare: prior tamen seruus illum seruauerat.

Minus noxium.] Refert Piutarchus in Cæsare medicum seruum, cùm Domitius potionem hausisset, pœnitentiáque mox afficeretur, consolatum esse dominum, tanquam non mortiferam, sed somniferam hausisset potionem.

De mediis.] In Cæsaris Dictatoris vita proditum est quemadmodum Pompeius denuntiauit pro hostibus se habiturum, qui medii fuissent: Cæsar verò tales suorum sibi numero futuros pronūtiauit. Huius Pompeianæ sententiæ, quæ planè iniusta est, authorē fuisse Domitium significat Tranquillus.

Damnatus lege Pedia.] Dictum est in Iulio Cæsare, quemadmodū inter cæteros hæredes hæredē instituit Q. Pediū ex quadrante, à quo lex Pedia lata est, qua omnes tyrannoctoni, hoc est Cæsaris interfectores damnati sunt: & contra eos, qui illis ignouissent, omnibus præstituta est vna dies, facto præconio vt ad iudiciū adessent, Augusto ipso iudicia obseruante, neq; vllo indicii absolutionem obtinente. Inter alios damnatus fuit hic Domitius, quanuis innocens foret, nec affinis culpæ parricidali.

Post vtriusq; interitū.] Bruti scilicet, & Cassii: qui quemadmodum obierint, Historici omnes prodiderūt, & nos suprà retulimus.

Commissam.] Sibi traditam à tyrannoctonis.

Partibus.] Brutinis, & Cassianis.

Profligatis.] Profiictis, deperditis, & ad internecionem deductis. Quidam ædificia, quæ propè absoluta, effectáque sunt, in profligato esse dicunt: quos Gellius arcessit inscientiæ, & ignorationis.

M. Antonio tradidit.] Appianus lib. V. bellorum ciuilium, tradit Domitium, Bruto & Cassio profligatis, magna classe præditū vnà cum Marco fuisse, reliquias Bruti, & Cassii refouentem: cū quibus factionē quandam separatim per se fecit, virésque firmauit. Idem posteà totam classem tradidit M. Antonio.

Pari lege.] Scilicet Pedia.

Honores.] Magistratus.

Súbinde.] Mox, statim.

Redintegrata dissensione.] Inter Augustum, & Antonium: quorū societas semper dubia, & incerta, reconciliationibus variis malè focillata, tandem abrupta est.

Propter subitam valetudinem.] Domitius febricitans nauiculam ingressus ad Cæsarē confugit. Antonius cōtra Cleopatræ voluntatem impedimenta omnia cum seruis, & clientibus, & amicis ad eum transmisit: sed Domitius post paucos dies, quasi perfidiæ, ac proditionis eū pœniteret, vita decessit: author Plutarchus in Antonio.

M. AN. Hostium numero habendos.] Plutarchus, Pompeius, inquit, omnes iubens partes sequi, præmonito, quòd qui remansisset, vir Cæsaris existimaretur, vebem reliquit.

Inter conscios.] Quū ipse expers eius consilii fuisset, lege Pedia, quam Qu. Pedius Consul tulit, cohæres Augusti. Is Augusti in primo Consulatu collega Brutū, Cassium, & omnes Cæsaris interfectores absentes parricidii condemnauit. Multi in id crimen deuocati, quia cùm cædes patrata est, haud procul aberant: Appianus est author.

Insons damnatus.] Vnde datur intelligi ex iis vnū, qui in crimen adducti sunt, quòd media cæde se curia non proripuissent, Domitium fuisse.

Commissam.] A Bruto & Cassio illi traditam.

Nec nisi partibus.] Vnde steterat.

Profligatis.] Prorsus accisis.

Classem.] Quinquaginta ab initio naues eum habuisse Appianus tradit, inde Bruto, & Cassio victis, suā, non aliam factionem secutus, perstitit (vt idem author ait) classem retinere.

Redintegrata.] Iterum exorta inter ciues discordia: inter Augustum intellige, & Antonium.

Ab his.] qui in Antonii partibus erant.

Cleopatræ pudebat.] Id est, præsentis Imperii, quod omnia Cleopatræ libidine, & voluntate gererentur.

Propter subitam valetudinem.] Febrem.

ad Augustum:& in diebus paucis obiit, nonnulla & ipse infamia aspersus. Nam Antonius eum desiderio amicæ Seruiliæ Naidis transfugisse iactauit.

De Domitio auo Neronis. IIII.


X hoc Domitius nascitur:quem emptorem familiæ, pecuniæque in testamento Augusti fuisse, mox vulgò notatum est: non minùs aurigandi arte in adolescentia clarus, quàm deinde ornamentis triumphalibus ex Germanico bello. Verùm arrogans, profusus, immitis, Censorem L. Plancum via sibi decedere Aedilis coegit. Præturæ, Consulatúsque honore equites Romanos, matronásque ad agendum mimum produxit in scenam: venationésq; & in Circo,& in omnibus vrbis regionibus dedit. Munus etiam gladiatorium, sed tanta sæuitia, vt necesse fuerit Augusto, clàm frustrà monitum edicto coercere.

De patre Neronis. V.


X Antonia maiore patrem Neronis procreauit,omni parte vitæ detestabilem.Siquidem comes ad orienté C. Cæsaris iu-

PHIL. Seruiliæ Naidis.] Nomen propriū puellæ, ob cuius desiderium,& amoris impatientiam iactauit Antonius,Domitium, tanquam transfugam transisse ad Augustum.

Emptorem familiæ.] Inter testamentorum genera hoc quoq; antiquitus vsurpatum est, quod dicebatur per æs & libram, quod per emācipationē, id est, imaginariam quandam venditionē agebatur,quinq; testibus, & libripēde ciuibus Romanis puberibus præsentibus, & eo, qui familiæ emptor dicebatur. Hoc testamenti genus, sicut alia vetusta, in vsu esse desiit: authores Iuriscōsulti. Cuius rei etiam mētio fit lib.2.Institutionū, titulo De testamentis ordinādis. De hoc emptore familiæ intelligēdum haud dubiè est in hoc loco apud Suetoniū,qui significat Domitium ab Augusto in testamento factum esse emptorem familiæ, vt scilicet per illā imaginariam emptionē Augusti familiā emptā mox manumitteret, disponerétq; ex voluntate, sententiáque ipsius testatoris. Appellatione autem familiæ significatur hæreditas,sicut in lege XII. Tabularum his verbis: Agnatus proximus familiam habeto. Pecuniæque.] Verbum pecuniæ non solùm numeratā pecuniam complectitur,verùm etiam omnē omnino pecuniam,hoc est omnia corpora. Nam corpora quoque appellatione pecuniæ contineri,nemo est,qui ignoret.

Aurigandi arte clarus.] Quicūq; habuerint in horoscopo Equum, quod sydus cæleste est,erunt aurigæ, agitatores,& veredarii : author Firmicus Maternus in VIII.Matheseos. Ex Germanico bello.] Quod auspiciis Augusti gestū est,qui Germanos vltra Albim fluuium summouit:qui Sueuos,& Sicābros Germaniæ populos dedentes se traduxit in Galliam. Hoc autem bellum Germanicū à Tyberio gestū est,sub auspiciis Augusti Cæsaris: quo bello, vt suprà docuit Tranquillus, quadraginta millia dedititiorum traiecit in Galliam.

Ornamentis triumphalibus.] Moris fuit, vt qui in bello strenuā operam nauassent Imperatori, ornamentis triumphalibus insignirentur:quibus ob virtuté Domitius fuit exornatus. Profusus.] Immodicus, & prodigus in impensis. Censorem via decedere.] Ex hoc arrogantia Domitii declaratur:qui cùm esset Aedilis,minórque magistratus,coegit Censorem, qui maior magistratus est,sibi cedere de via. Præturæ, Consulatúsque.] Cùm esset Prætor,& Consul. Ad agendū mimum.] Ad histrioniā faciendam, & scenicam artem exercendam:quæ res apud Romanos notabatur infamia. Ait enim prætor : Qui in scenā prodierit, infamis est. Verùm apud Græcos scenici actores in honore non paruo habebantur,sicut docet Augustinus in 2.de Ciuitate Dei. Vrbis regionibus.] Vrbē Romā in quatuordecim regiones diuisam fuisse tradunt Historici: & nos suprà annotauimus. Hoc autē refertur ad profusionem, prodigalitatémque Domitii. Edicto coercere.] Præceptū ecclesiasticū hoc idē præcipit, vt clàm primò peccanté corrigas: qui si emendari nō vult,palàm castigandus est. Ex Antonia maiore.] Ex Antonio & Octauia duæ filiæ Antoniæ natæ sunt: quarum maior nupsit Domitio Aenobarbo, minor Druso Augusti priuigno. Caii Cæsaris.] Hic filius per adoptionem Augusti Cæsaris fuit:qui in Armeniam ad Parthicas, Arabicásq; res componēdas missus est. Plinius scribit, Caium Cæsarem Augusti filium gloriā percepisse ex Arabia. De cuius obitu suprà dictum est.

M. AN. AD Augustum transiit.] Sub Actiacæ pugnæ tēpus transitionem ab eo factā Plutarchus ait:Domitius, inquit,Aenobarbus iam febre implicitus paruam nauiculam ingressus,quum ad Cæsarem transfugisset, Antonius contra Cleopatræ voluntaté impedimenta omnia cum seruis,clientibus,& amicis ad eū remisit:sed Domitius post paucos dies quasi perfidiæ,& proditionis eum pœniteret,vita decessit. Desiderio.] Cupiditate.

Amicæ.] Mulieris amatæ. Transfugisse.] Ad Augustū transisse. Domitius.] Neronis auus. Emptorem.] Vel quia familiam ab Augusto relictam coemerit : vel, quod magis placet,ambitione,ac pretio per eos,qui apud illū gratia valebāt,Augusto insinuatus, inter tertios hæredes testamēto est insertus, ob idq; & in familiæ potiundæ,pecuniæq; ab Augusto relictæ spē venerit. Ex Germanico bello.] Tyberii Neronis, qui posteà Imperator fuit,ductu,in Germania gesto. Is triumphum Illyricum, quem ob Varianam cædem Augusto vitrico permittente distulerat, agens prosequentibus legatis triumphalia impetrauit ornamenta. Vnde intelligi potest,Domitium vnum ex Tyberii legatis fuisse:nā inter eos,qui Romanas legiones in Germania ductarunt,Domitium ipsum Tacitus Cornelius in eo libro,quem de situ Germaniæ scripsit,non retulit.

Via sibi decedere.] Quum minores magistratus maioribus decederent. Ad agendum mimum.] Ad scenicam operam exhibendam. Produxit.] In scenam

uenis occiso liberto suo, quòd quantum potare iubebatur, recusarat, dimissus è cohorte amicorũ nihilò modestiùs vixit. Sed & in viæ Appiæ vico repentè puerum citatis iumentis, haud ignarus obtriuit. Et Romæ medio foro cuidam equiti Romano liberiùs iurganti oculum eruit. Perfidiæ verò tantæ, vt non modò argentarios pretiis rerum coemptarum, sed & in Prætura mercede palmarum aurigarios fraudauerit. Notatus ob hæc & sororis ioco, querentibus dominis factionum repræsentanda præmia in posterum sanxit. Maiestatis quoq;, & adulteriorũ, incestiq; cum sorore Lepida sub excessu Tyberii reus, mutatione tẽporũ euasit. Decessitq; Pyrgis morbo aquæ intercutis, sublato filio Nerone ex Agrippina Germanico genita.

Ortus, & infantia Neronis, & præsagia quædam. VI.



NEro natus est ante nouẽ menses, quàm Tyberius excessit, XVIII. Calend. Ianuarias, iam tũ quidẽ exoriẽte sole, penè vt radiis

duxit: quod ipsum, quia sine ingenti impendio fieri nõ poterat, idcirco profusum dixit. Credibile est enim, matronas, & viros honesto ordine locatos ad famam prorsus abiiciendam, sine maiore quadam spe præmii, induci non potuisse. Venationes.] Ferarum confectiones, quæ siue conficientium pernicie sterni quidem non poterant. Tanta sæuitia.] Tam dura conditione in victos sæuiendi.

Clàm frustrà monitũ.] Quia clàm frustrà Domitium ipsum monuisset.

Ex Antonia maiore.] M. Antonii triumuiri, & Octauiæ filia. C. Cæsaris.] Quem ex M. Agrippa, & Iulia genitũ Augustus adoptauit.

PHIL. QVantum potare.] Vetus codex habet potare: tanquã libertus occisus sit à patrono, quia bibere tantum recusabat, quantũ patronus volebat. Si portare legimus, referẽdum erit ad onus gestandum. E cohorte amicorũ.] De hac cohorte ait Horatius: Quid operosa cohors operum struit. & Catullus: Pisonis comites cohors inanis. Veteres cohortem prætoriam appellauerunt. Puerum obtriuit.] Cõculcauit, oppressit, attriuit. Iurganti.] Iurgium dicenti. Est enim iurgare, iurgium facere. Horatius:

Iurgares ad te, quòd epistola nulla rediret.

Oculum eruit.] Eluscauit, vt vtar verbo Iuriscõsultorum. Eluscare enim est luscum facere, & oculũ eruere. Scribit Iulianus Iurisconsultus, Aquilia lege teneri eũ, qui eluscauerit discipulum in disciplina. Pretiis rerũ coemptarum.] Argẽtarios præfuisse auctioni, rerúmque venalium pretia in libros retulisse, docet Seneca scribens libro 5. Declamationum, Hortensium persedisse diem totum in auctione, & omnes res, & pretia, & emptores ordine suo recensuisse, argẽtariis recognoscentibus, ita vt in nullo falleretur. In prætura.] Prætorum, Aediliúmq; peculiare munus est, vt ludos exhibeant. Hinc à Iuuenale dictũ est graphicè, & satyricè,

Prædo caballorum prætor sedet. Super quo versu non pauca scripsimus in libro Annotationum. Martialis quoq; indicat, prætorem ludos exhibere solitum. sic enim ait:

-Dicam ego prætor erat:
Constatura fuit Megalensis purpura centum.

Officium autẽ boni Prætoris est, aurigariis victoribus tribuere legitimam victoriæ mercedem: qua Domitius cùm esset Prætor, per quandam perfidiam aurigarios fraudauit. Aurigarii autem significantur, non tam ipsi aurigæ, quàm domini aurigarum, & principes factionũ, Prasinæ scilicet, & Venetæ, atq; reliquarum. Palmarum.] Scribit Liuius in x. ab vrbe condita, palmas victoribus dari cœptas in Romanis ludis trãslato è Græcia more. Cur autem in certaminibus placuerit, palmam esse signũ victoriæ, suprà docuimus ex authoritate Gellii, atque Plutarchi. Ioco.] Scommate, & iocosa reprehensione, quam Græci λοιδορίαν vocant. Querentibus.] Lamentantibus. Dominis factionum.] Factiones aurigarum significat, qualis erãt Prasina, & Veneta: quarum domini cùm quererẽtur se fraudatos esse legitimo victoriæ præmio, Domitius ad hanc notã abolendam decreuit, vt deinceps præsentibus victoribus traderentur. Maiestatis reus.] Accusatus de crimine læsæ maiestatis, de adulteriis, de incesto cum sorore commisso.

Mutatione.] Mors principis causa est temporũ mutationis, & iudicia inchoata intermittuntur. Sub excessu.] Morte, & interitu.

Pyrgis.] In Hetruria oppidũ est nomine Pyrgi, cuius meminit Plinius in III. de quo ait Maro in x.

Et Pyrgi veteres, intempestæq; Grauiscæ.

Ait Seruius, castellũ hoc nobilissimũ fuisse, quo Thusci piraticam exercuerũt. Aquæ intercutis.] Intercus dicitur aqua, quam Græci ὕδρωπα vocant, vt ait Priscianus. Aqua enim inter cutem malè habet, authore Celso: quæ morbus acutus est. Plautus: Mihi erat bilis, aqua intercus, tussis, febris. Plinius alio nomine hũc morbum aquæ subter cutẽ fusæ nominat. Corn. Celsus prodidit, quod ab Auicenna quoque traditum est, tres species esse hydropis, tympaniten, hyposarcham, ascyten Græci nominant. Communis omniũ est, humoris nimia abundantia. Interdũ intercus adiectiuũ nomẽ est. Cato intercutibus stupris dixit pro intestinis. Itidẽ Gellius, Intercutibus, inquit, vitiis madentes. Sublato filio.] Suscepto. Ex Agrippina.] Duas fuisse Agrippinas, notissimũ est: quæ Caium Caligulam, & Domitiũ Neronem principes genuere, totidem faces humani generis. Germanicus ex Agrippina filia Agrippæ suscepit filiam Agrippinam Neronis matrem. Excessit.] Mortuus est. Tantum quòd.] Emenda, iam tum quidẽ.

OCciso liberto suo.] Quia suum occidisset libertũ. M. AN. Dimissus è cohorte.] Abire iussus. Viæ Appiæ.] De via Appia require suprà. Liberiùs.] Audaciùs. Iurganti.] Iurgium sibi facienti. In Prætura.] Quum ludos ederet. Aurigarios.] Aurigarum dominos. Sororis ioco.] Vrbana sororis Lepidæ cauillatione. Incesti.] Incestum committi aiunt cum ea, quæ ob arctissimum sanguinis vinculum, religionémve vxor esse non potest. Vergilius:

-Ausus lectum incestare nouercæ.

Sub excessu Tyberii.] Sub id tempus, quo ille vita decessit. Reus.] Tot capitalibus criminibus obnoxius. Mutatione temporum.] Mutata cum morte principis temporum ratione. Pyrgis.] Litorali Hetruriæ

truriæ oppido vetustate insigni, & iam inde ab aduentu Aeneæ in Italia inter Hetruriæ oppida relatū. Verg. Et Pyrgi veteres, intempestæque Grauiscæ. Aquæ intercutis.] Græci ὕδερον vocant. Celsus Cornelius inter acutos retulit morbos, triáque ait esse eius morbi genera.

imponuntur mortalibus die lustrico, dicuntur nomina imposititia: de quibus præscita sunt Pythagoræ secudum numerum vocalium vel imparem, vel parem: cuius rei mentio quoq; fit à Plinio in XXVIII. Seriò.] Sed per iocum. Contraria sunt seriò & iocó. Hinc Horatius: Sed tamen amoto, quæramus seria, ludo.

Ex Agrippina.] Germanici filia, quę nouissimè Claudio nupsit. Germanico genita.] Dixit ad alterius Agrippinæ differentiā, quæ fuit huius mater.

priùs, quàm terra, cōtingeretur. De genitura eius statim multa, & formidolosa, multis cōiectātibus, præsagio fuit etiā Domitii patris vox, inter gratulationes amicorū negātis quicquā ex se & Agrippina, nisi detestabile, & malo publico nasci potuisse. Eiusdē futuræ infelicitatis signū euidens die lustrico extitit. Nā C. Cæsar rogāte sorore, vt infanti ei, quod vellet, nomē daret, intuens Claudiū patruū suum, à quo mox principe Nero adoptatus est, eius se dixit dare: neque ipse seriò, sed per iocum, & aspernante Agrippina, quòd tum Claudius inter ludibria aulæ erat. Trimulus patrem amisit: cuius ex parte tertia hæres, ne hanc quidē integram cepit, correptis per cohæredem Caium vniuersis bonis, & súbinde matre etiam relegata, penè inops, atque egens apud amitam Lepidam nutritus est sub duobus pædagogis, saltatore, atque

PHIL. Terra contingeretur.] Hunc locum in Augusto enarrauimus, scribētes quemadmodū nascentes terram tangebant: & ideo dea Ops vocabatur, quòd opē nascētibus præberet. M. Varro sic refert: Natus si erat vitalis, ac sublatus ab obstetrice, statuebatur in terra, vt auspicaretur rectus esse: diis cōiugalibus, Pilunno, & Picunno in ædibus lectus sternebatur. Genitura.] Natiuitate: aliàs spermate: de quo in XI. Commētario satis multa. Formidolosa.] Plena formidinis. Formidolosum dici & qui formidat, & qui formidatur, docet Gellius in VIII. Noctium Atticarum, & eruditorum exempla notificāt. Ex se, & Agrippina.] Emphasis est in nominibus: tanquam ex duobus pessimis nasci nisi pessimus non posset. Die lustrico.] Dies lustricus dicitur, quo infantes lustrantur, & nomen accipiūt: sed is maribus nonus, octauus est fœminis: Macrobius anthor in primo Saturnalium. Festus Pōpeius lustratum alio nomine appellat. Romani Nundinam deam venerabantur, à nono nascentiū die nuncupatā, quo infantibus nomen imponebant. Cur autem nomina infantibus non ante diem octaoum imponerentur, causam esse dicit Plutarchus in Problematis, quia septimus dies cùm in cæteris, tū ad vmbilicū infantibus nuper editis periculosus esse consueuit: septimo enim die plerisque resoluitur. Hoc idem sentire videtur Aristoteles libro septimo de animalibus, his verbis, quæ subieci: Plurimi ante septimum diem intereunt: inde fit vt nomina octauo die imponantur, tanquam saluti iā pueri magis credamus. Alia causa proditur à Plutarcho, quæ philosophica est, de numero pari, & impari: tāquā octonarius, vt Pythagorici asserunt, fœmina credatur, nonenarius verò mas. Mendosa est dictio in codicibus Plutarchi impressis: nam pro nono die vulgò impresserunt nono anno. Vt enim diximus, maribus nono die, fœminis octano nomina imponere consueuerunt. legimus esse populos in Africa Atlātes dictos, qui sunt anonymi, hoc est, sine propriis nominibus: neque enim nominum vllorū inter eos appellatio est, in vniuersum Atlantes tantùm vocitantur. C. Cæsar.] Caligula, Neronis auunculus. Sorore.] Agrippina Neronis parente. Eius se dare.] Verum fuit Caligulæ præsagium. Nam Claudius Nero dictus est, vbi insertus fuit per adoptionem familiæ Claudiorū: nomina autē, quæ

Intee ludibria aulæ.] Superiùs declaratum est, quemadmodū Claudius pro despectissimo habitus est: quem Caius Caligula non nisi in ludibriū reseruauit. Trimulus.] Trimum dicimus, & trimulum, à numero triū annorum, sicut trimatum triennil tēpus. Ex parte tertia.] Ex triente. Caium.] Caligulam auunculum. Súbinde.] Déinde, mox. Relegata.] Dixit in Caligula Trāquillus, quemadmodū ille sorores condemnauit. Amitam.] Nullus ignorat, amitā dici patris mei sororē, tanquam à me tertia sit: vel ideo amita dicta est, quia à patre amata. Nam plus sorores à fratribus, quàm fratres diligi solent. Inter hanc Lepidam & Agrippinā olim certamen acerrimum exortum est, cùm vtraq; contenderet amita potiùs, an mater apud Neronem præualeret: tandē vicit Agrippina, mórsq; Lepidæ indicta est, quam uis Narcissus multùm aduersaretur. Saltatore.] Saltator dicitur tripudiator, & qui saltandi artē callet: hoc enim saltare significat. Inde ludus saltatorius, in quo iuuenes saltare, & tripudiare condiscunt. Scipio Aemylianus, Eunt, inquit, in ludum saltatoriū inter cinædos virgines, puerique ingenui. In probro saltationem fuisse apud veteres Romanos, docet Cicero in oratione pro Murena, & Macrobius testatur in tertio Saturnaliū: quē scribit, studium saltandi Gabinio Consulari tanquā pro maximo probro obiectū fuisse à Cicerone. Quintilianus palæstricos vocat saltatores, à quibus motus, gestúsque formatur: quibus paulùm vacare vult futurū oratorem: cùm tales doceant chironomiam, quæ est lex gestus, à Socrate probatā, & à Platone in numero ciuiliū posita virtutum. Qui habuerit horoscopum in Lupo, quod sidus cæleste est, erit saltator: sicut tonsor nascitur, quicunque habuerit horoscopum in parte Arietis vndetrigesima.

M. AN. Statim multa.] Subintellige fuerunt: aliter ordo non procedit.

Formidolosa vox.] Scilicet Domitii patris. Die lustrico.] Quo infantes lustrabantur, noménque accipere consueuere. Erat is dies octauus, ab eo quo puellæ nasci contigisset, puero verò nonus, vt Plutarchus in Quæstionibus ait, & Macrobius in Saturnalib. C. Cæsar.] Caligula. Sorore.] Agrippina Neronis matre.

Claudium.] Qui posteà princeps fuit.

Trimulus.] Treis annos natus dicitur, & trimus: vt bimus, & bimulus: quadrimus, quadrimulus: anniculus

tonsore. Verùm Claudio Imperium adepto, non solũ paternas opes recuperauit, sed & Crispi Passieni vitrici sui hæreditate ditatus est. Gratia quidẽ, & potentia reuocatæ, restitutæque matris vsq; eò floruit, vt emanaret in vulgus, missos à Messalina vxore Claudii, qui eum meridiantem quasi Britannici æmulum strangularent. Additum fabulæ, & eosdẽ dracone è puluino se proferente conterritos refugisse. Quæ fabula exorta est, deprehẽsis in lecto eius circum ceruicalia serpentis exuuiis. Quas tamen aureæ armillæ ex voluntate matris inclusas, dextro brachio gestauit aliquandiu, ac tædio tandem maternæ memoriæ abiecit, rursúsque extremis suis rebus frustrà requisiuit.

Pueritia eius, & gesta in ea. VII.



Ener adhuc, necdũ matura pueritia, Circensibus ludis Troiã constantissimè fauorabiliterq; lusit. Vndecimo ætatis anno, à

verò, qui vnius sit anni. Caium.] Caligulam. Matre.] Agrippina, de cuius relegatione satis in Caligula.

Amitam.] Lepidam, Domitii patris sororem.

PHIL. Crispi Passieni.] De hoc Plinius libro decimosexto, cap. XLIIII. Arborem mori eximiam ætate nostra adamauit Passienus Crispus bis Consul, orator, Agrippinæ matrimonio, & Nerone priuigno clarior posteà, osculari, cõplectique eam solitus, non modò cubare sub ea, vinúmque illi affundere. Hic Passienus vxorem alteram habuerat nomine Domitiam, cuius cùm litẽ pecuniariam ageret aduersus fratrem eius Aenobarbum, dixit illam clausulã à Quintiliano laudatam: Nihil vobis minus deest, quàm de quo cõtenditis. De eodem Plinius in epistolis: Quo audito Passienus Crispus dixit: Bene mehercle, bene: sed quorsum tã bene?

Vitrici.] Vitricum, & priuignum opponi, notum est, cùm sint nomina relatiua.

Renocatæ.] Ab exilio.

Meridiantem.] Meridiano somno indulgentem. Super hoc verbo abundanter dictum est in Caligula.

Aemulum.] Aemulatio dupliciter dicitur, vt & in laude, & in vitio sit: nam & imitatio virtutis æmulatio dicitur: vnde & æmuli cum laude dicuntur. Aemulatio quoque est ægritudo, si eo, quod quis concupierit, alius potiatur, ipse careat. Hinc æmuli dicti, quod nomen vitii est: & in hoc secundo significatu hîc accipitur: tanquam Nero de potentia contenderet cum Britannico filio Messalinæ, ac Claudii.

Dracone è puluino.] Corn. Tacitus: Vulgabatur affuisse infantiæ Neronis dracones in modum custodũ: fabulosa rei, & externis miraculis assimulata: nam ipse haudquaquam sui detractor vnam omnino anguem in publico visam narrare solitus est.

Ceruicalia.] Puluinos: nomine à ceruicibus deriuato. Hoc enim instrumento, delicatorum ceruices consouentur. Hinc illa Pliniana peroratio: Eò deliciæ processere, vt sine hoc plumæ instrumento durare iam ne virorum quidem ceruices possint. De ceruicali ait Epigrammatarius poeta:

Tinge caput nardi folio: ceruical olebit.

A ceruice fit denominatiuum ceruical, vt docet Priscianus in IIII.

Serpentis exuuiis.] Notum est, serpentes quotãnis verno tempore exuere membranã corporis hyberno situ obductam: exuunt autem adhibito fœniculi succo. Plinius modò anguinam vernationem, modò membranam, modò senectutem, modò senectam appellat exuuias serpentum, eásque multis medicamentis efficaces demonstrat. Vernatio anguium reposita in armariis, tineas necat.

Armillæ inclusas.] A Plinio morborũ remedia referuntur, quæ inclusa armillæ gestabantur: Inter cætera illud est memoratu dignũ, quòd vulpinã linguam habentes in armilla lippituros negat.

Dextro brachio.] Veluti in brachiali. Vocamus enim brachiale tegumentum brachii, & ornamentũ sicut ventrale, ventris: frontale, frontis: tibiale, tibiarum in cruribus, & alia hoc genus. Plinius in XXVIII. cap. VII. Lais, & Salpe canum rabiosorum morsus, & tertianas, quartanásque febres aiũt leniri, menstruo in lana arietis nigri, argenteo brachiali incluso. Diotimus Thebanus, vestis omnino ita infectæ portiuncula, acu, vel licio brachiali inserta.

Extremis rebus.] In rerum desperatione, quando deploratum erat de eius Imperio, & ipse ad mortem quærebatur.

Matura pueritia.] Est pueritia noua, matura, & præceps: quod & de aliis quoque ætatibus dicitur. Vergilius:

Iam senior, sed cruda deo, viridísque senectus.

Troiam fauorabiliter lusit.] Cornelius Tacitus: Sedente Claudio Circensibus ludis, cùm pueri nobiles equis ludicrum Troiæ inirent: intérque eos Britannicus Imperatore genitus, & L. Domitius adoptione mox in Imperium, & cognomento Neronis ascitus, fauore plebis acriore in Domitium loco præsagii acceptus est.

Fauorabiliter.] Cum fauore populi. Fauorabilis is dicitur, qui est gratiosus, plenúsque fauoris in populo.

Vitrici.] Passieni, cui Agrippina mater secũdò nupserat. Plinius: Arborẽ mori eximiam ætate nostra adamauit Passienus Crispus bis Cõsul, & orator, Agrippinæ matrimonio, & Nerone priuigno clarior posteà. M. AN.

A Messalina.] Quæ ante Agrippinam Claudio nupserat.

Meridiantem.] Meridianis horis quieti deditum.

Britannici.] Messalinæ filii.

Eosdem.] Percussores à Messalina subornatos.

Ceruicalia.] Ceruical, quo dormientis ceruix fulcitur. Martialis:

Tinge caput nardi folio, ceruical olebit,
Perdidit vnguentum, quum coma pinna tenet.

Exuuiis.] Spolio, siue corio.

Maternæ memoriæ.] Quasi monumentum quoddam matris id esset.

Extremis.] Perditis.

Claudio adoptatus est, Anneóque Senecæ iam tunc Senatori in disciplinam traditus. Ferunt Senecam proxima nocte visum sibi per quietem, C. Cæsari præcipere, & fidem somnio Nero breui fecit, prodita immanitate naturæ, quibus primùm potuit experimentis. Nanq; Britannicum fratrē, quòd se post adoptionem Aenobarbū ex cōsuetudine salutasset, vt subditititiū apud patrē arguere conatus est. Amitam etiā Lepidam reā testimonio coràm afflixit, gratificans matri, à qua rea premebatur. Deductus in forum tyro, populo congiariū, militi donatiuū proposuit: indicta decursione prætorianis, scutū sua manu prætulit, éxinde patri gratias in Senatu egit. Apud eundem Consulem pro Bononiensibus Latinè, pro Rhodiis atq; Iliensibus Græcè verba fecit. Auspicatus est & iurisdictionē

PHIL. IN disciplina traditus.] Agrippina Senecam exulantem ab exilio reuocauit, éique Præturā impetrauit: cui Domitium filium tradidit erudiendū, vt illius pueritia tali magistro adolesceret, & consiliis eiusdem ad spem dominationis vteretur.

Proxima nox.] Illa significatur, quę diem illum secuta est, quo sibi traditus est Nero erudiendus.

C. Cæsari præcipere.] Tanquam Nero futurus esset alter Caligula.

Fidem somnio.] Quia non solùm sese Caligulæ similem præstitit, sed illo quoque sceleratiorem, truculétiorémq; monstrauit.

Prodita.] Detecta.

Aenobarbum salutasset.] Britannicus Domitiū Aenobarbum salutauit, nec Neronē nominauit. Io quam sententiam ait Cornel. Tacitus: Obuii inter se Nero Britannicum nomine, ille Domitium salutauere: quod vt discordiæ initiū Agrippina multo questu ad maritum defert: sperni quippe adoptionē, quæq; censuerint patres, iusserit populus intra penates abrogari. Vt subdititium.] Præpostera res est, quòd adoptiuus filius accuset apud patrē legitimū filium, périnde ac subdititiū, & adulterinum. Subdititii enim dicuntur suppositicii, quos Iuuenalis suppositos appellat. A Plauto Iupiter luculentè dictus est Amphitryo subdititius, propterea quòd imaginē Amphitryonis sumpserat. Quintilianus in primo: Vt non modò versus censoria quadam virgula notare, & libros, qui falsò viderentur inscripti, tanquam subdititios submouere familia permiserint sibi. Arguere.] Criminari. Amitam Lepidam afflixit.] Paulò antè dictū est, quemadmodū mors indicta fuit Lepidæ Neronis amitæ, quæ exercuerat simultates cum Agrippina. Rea.] Scilicet Lepida. Fuit autem obiectum in accusatione inter cætera Lepidæ reæ factæ, quòd coniugium principis deuotionibus petiuisset, quódq; parum coercitis per Calabriā seruorum agminibus, pacem Italiæ turbaret. Tyro.] Die tyrocinii. Super quo non pauca superiùs annotauimus: quæ repetenda illhinc sunt, si quid scire desideras. Populo congiarium.] De hoc sic scribit Tacitus: Virilis toga Neroni maturata, quo capessēdæ Reipublicæ idoneus videretur: & Cæsar adulationibus Senatus libens cessit, vt vigesimo ætatis anno Consulatū Nero iniret, atque interim designatus procōsulare Imperium extra vrbem haberet, ac princeps iuuētutis appellaretur. Additum nomine eius donatiuum militi, cōgiarium plebeiis. De congiario, quod populare est, & donatiuo, quod militare est, suprà satis, ac super. Indicta decursione.] Denuntiata. Signat autem militarē decursionem, quæ solenniter fieri solebat causa ludicri spectaculi, vt suprà affatim declarauimus. In funere nobilium decurrebant circa ipsum rogū: & hoc est, quod dixit Maro in xI. Aeneidos:

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos.

Scutum prætulit.] Tanquam ipse Nero in decursione præcurreret, & prætoriani milites eum sequerentur, præferentem scutum ex ritu decursionis. Patri.] Claudio per adoptionem. Gratias egit.] Pro honoribus, quibus eū exornauerat Claudius: de quibus modò diximus. Pro Bononiensibus. Bononia patria nostra id tēporis igne deflagrauerat: tūc Nero pro Bononiensi colonia orauit, impetrauitq;, vt largitione centies sestertiûm Bononiæ subueniretur: ex quo nos non parum deberemus principi Neroni, nisi ille ob scelera detestanda factus esset odium cunctorum mortalium. Pro Rhodiis.] Rhodii oratore Nerone libertatē impetrarunt.

Iliensibus.] Nero, vt eloquentiæ studiis enitesceret, causam suscepit Iliensium, obtinuitque, vt illi omni publico munere soluerentur: quod suprà quoque explicatum est. Prætereà Iliensibus concessum fuit priuilegio peculiari, vt qui matre Iliensi esset, is sit municeps Iliensium: author Vlpianus titulo Ad municipales. Iurisdictionem præfecti vrbis.] Sensus est: Nero ius dicere cœpit ab his rebus, quæ spectant ad officium præfecti vrbis, & præfecti Latinarum. Quæ autē ad iurisdictionē præfecti vrbis pertineant, docet Iurisconsultus li. s. Digestorum, scribens omnia omnino crimina sibi vendicare vrbis præfecturam: nec tantùm ea, quæ intra vrbē admittuntur, verùm ea quoque, quæ extra vrbem intra Italiam fiebant.

ANneo Senecæ.] Stoicæ disciplinæ studiis ea tempestate claro: præter ipsius opera, quæ & multa, & varia extant: Fabius Quintilianus, Gellius, Iuuenalis, Martialis, & Papinius in Syluis meminerunt. Proxima.] Quæ diem illum, quo Neronem instituendum susceperat. C. Cæsari.] Caligulæ. Fidem somnio.] Nam Nero non solùm æquauit Caligulæ scelera, sed superauit etiam. Plinius lib. v i i. cap. v i i i. Per vtrasque Agrippinas, maximè quæ Caium, & Domitiū Nerones principes genuere, totidem faces generis humani. M. AN.

Aenobarbum.] Et non Cæsarem. Ex consuetudine.] Vt ante adoptionem consueuerat. Subdititiū.] Non verum Claudii filium, sed fraude subditum, ac falsò creditum. Amitam etiam Lepidam.] Patris sororem. Nec eius legas, quod ne eleganter quidem diceretur: sed etiam. Tyro.] Rudis adhuc. Cōgiarium.] Donum. Donatiuum.] Quod militi citra stipendii, aut præmii nomen dabatur, donatiuum dixere: quod gratuitum populo, congiarium: quanquàm aliud sportula, aliud recta cœna esset, aliud viscerario: & breui congiarium, & donatiuum pecunia ferè constabant.

Decursione.] Qualis esset hæc decursio, non reperio: non ineptè tamen accipias decurrere, pro circun-

præfecti vrbis sacro, atque Latinarũ: celeberrimis patronis non translatitias, vt assolet, & breues, sed maximas plurimásque postulationes certatim ingerentibus, quanuis interdictum à Claudio esset. Nec multò pòst duxit vxorem Octauiam: edidítque pro Claudii salute Circenses, & venationem.

Imperium Neronis. VIII.

SEptendecim natus annos, vt de Claudio palàm factum est, inter horam sextam, septimámque processit ad excubitores: quum ob totius diei diritatem non aliud auspicandi tempus accommodatius videretur, próque palatii gradibus Imperator consalutatus, lectica in castra, & inde raptim appellatis militibus in curiã delatus est. Discessit iam vesperi ex immensis, quibus cumulabatur, honoribus, tantùm patris patriæ nomine recusato propter ætatem.

Gesta per eum in initio principatus. IX.

ORsus hinc à pietatis ostentatione, Claudium apparatissimo funere elatum laudauit, consecrauítque. Memoriæ Domitii patris honores maximos habuit.

currere: sic enim Seruius Vergilianum illud interpretatur, Decurrere rogos. - Vt certo anni die, militari pompa milites tam ad ostentationem, quàm ad recognitionis vsum, aut in defuncti ducis memoriã decurrerent: vt alibi idem Tranquillus, Cæterùm, inquit, exercitus honorarium tumulũ excitauit, circa quẽ deinceps statuto die quotannis miles decurreret. Fuit Idibus Iuliis & equitũ transnectio, cuius Dionysius, & Valerius meminerunt: sed illi pedibus, hi equis sedentes pulchrum & hilare spectaculum exhibebant ciuitati. Nec eo inficias, posse id militaris ludicri, certaminísve genus videri, quod ipsum quale esset, vox ipsa propémodum testatur: à decurro decursus est, & decursio.

Patri.] Claudio.

Gratias.] Quòd honorificentissimo tyrocinio se in forum traduxisset.

PHIL. ATque Latinarum.] Aulus Gellius li. XIII. Noctiũ Atticarum demonstrat præfectũ vrbis Latinarũ causa Romæ relinqui solitũ, quẽ Mutius negat Senatũ habere posse. Quæ autem sint Latinæ feriæ, & cuius rei causa institutæ, suprà docuimus. Quidam codices habent præfecti vrbis causa Latinarum: tanquam ob causam Latinarum feriarum obeundarum vsurpauerit iurisdictionem præfecti vrbis, ad quem Latinæ pertinebant. Quidam seiunctim legunt, præfecti vrbis, atque Latinarum, quod placet: alii iunctim. Non translatitias postulationes.] Translatitiæ postulationes dicuntur accusationes non nouæ, nec nuper inuentæ, sed aliunde translatæ: & tales breues esse solent, vtpote ex formula transcriptæ, & faciliores explicatu. Sic edicta trãslatitia veteres dixerũt: de quo suprà dictum est. Postulationes autem non solùm petitiones dici, sed etiam accusationes, satis notum est, quod à postulãdo deriuatur. Super quo verbo abundanter scripsimus in primo commẽtario. Sensus est: Interdixerat Claudius ne patroni causarum ingererẽt numerosas, implicatásque postulationes apud Neronem: ne ille adhuc tyrunculus in iure dicendo vexaretur: habendam enim censebat rationem ætatis iuuenilis in actione causarum: tamen illi perseuerauerunt in proposito, vt maximas, plurimásq; postulationes pro viribus quisque ingererent. Octauiam.] Filiã Claudii principis. De Claudio.] Claudium scilicet occubuisse, & extinctum esse. Inter horam sextam processit.] In publicum egressus est. Agrippina expectabat, vt inquit Tacitus, tempus prosperum à Chaldæis prædictũ: tunc medio diei ante Idus Octobris foribus Palatii repentè diductis Nero egressus est in publicum. Ad excubitores.] Ad cohortem, quæ more militiæ excubiis aderat, progressus est Nero comitante Burro: ibi festis vocibus exceptus, lecticæ impositus fuit. Dubitauisse quosdam ferunt, respectantes, rogitantésque vbi Britannicus esset: mox nullo in diuersum authore, eũ qui offerebatur, secuti sunt. Itaq; illatus castris Nero Imperator consalutatur.

Diritatẽ.] Tanquam priora tépora portenderent, præsagiréntq; dira capessendi principatus initia. Pro Palatii gradibus.] Ante scalas Palatinas. Appellatis.] Nero milites alloquutus est, cõgruentia tempori præfatus, promisitque donatiuum, ad exemplum paternæ largitionis: Tacitus author. In curiam delatus.] Scribit Tacitus cõsulta patrum secuta esse sententiam militarem in consalutãdo Imperatore.

Proptee ætatẽ.] Cùm adhuc puer esset, nec illi ætati patris patriæ nomen conueniret. Orsus.] Incipiens.

Claudiũ laudauit.] Laudationẽ Claudij funebrem exorsus est Nero: in qua antiquitatẽ generis, Cõsulatus ac triomphos maiorũ enumerauit: sed vbi prouidẽtiã, sapientiámq; Claudii laudare cœpit, nemo risui temperauit. Autumat Tacitus orationẽ illam à Seneca fuisse compositam: annotauerúntq; seniores primũ Neronẽ ex principibus Romanis eguisse alienæ facundiæ.

Cõsecrauitq;.] Scilicet per apotheosin. Tacitus ait flaminem Claudialem simul Claudio, cẽsoriúmq; funus fuisse decretum: & mox consecrationem die funeris. Idem paulò antè, Cælestes, inquit, honores Claudio decernuntur, & funeris solenne, perinde ac diuo Augusto celebratur, æmulante Agrippina proauiæ Liuiæ magnificentiam. Domitii patris.] Ait Tacitus, effigiẽ Domitio patri petiisse Neronem à Senatu.

AVspicatus.] Ritè cœpit. Iurisdictionem.] Dicundi iuris munus. Præfecti vrbis.] Præfectus vrbis Latinarum feriis creatus. Celeberrimis patronis.] Eóq; cognitione magis difficili. Non translatitias.] Non aliunde acceptas, alióve deferẽdas. Postulationes.] Legitimas, debitásq; petitiones. Ingerentibus.] Cumulantibus, inferẽtibus. Interdictũ.] Ne illius adhuc tyronis iurisdictionẽ arduis, & laboriosis implicaretur negotiis. Octauiã.] Claudii, & Messalinæ filiã. De Claudio.] De Claudii obitu. M. AN.

Processit.] In apertũ venit. Excubitores.] Qui præsidii causa circa fores excubabant. Diritatẽ.] Diram extorum speciem, quibus litare non potuerat.

Auspic

Auspicandi.] Suscipiendi, inchoandíque Imperii. Consalutatus.] Ab iis, qui in statione erant. In castra.] quæ Appia via fuisse diximus. Appellatis.] Accersitis, in officio confirmatis. In curiâ.] Ad patres. Decessit.] E curia. Propter ætatẽ.] Quasi patris appellatione indignam.

Matri summam omnium rerum publicarum, priuatarúmque permisit. Primo etiam Imperii die signum excubanti Tribuno dedit, optimam matrẽ, ac deinceps eiusdem sæpe lectica per publicum simul vectus est. Antium coloniam deduxit, adscriptis veteranis è prætorio, additísque per domicilii translationem ditissimis primipilarium, vbi & portum operis sumptuosissimi fecit.

Ciuilia gesta eius. X.



ATque, vt certiorẽ adhuc indolem ostenderet, ex Augusti præscripto imperaturũ se professus, neq; liberalitatis, neq; clementiæ, nec comitatis quidẽ exhibendæ vllã occasionem omisit. Grauiora vectigalia aut aboleuit, aut minuit. Præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit, diuisis populo viritim quadringenis nummis. Senatorum nobilissimo cuiq;, sed à re familiari destituto, annua salaria, &

PHIL. MAtri summã.] Itidem Alexander Romanus Imperator, cùm puer ad Imperiũ peruenisset, fecit cuncta cum matre, vt & illa videretur pariter imperare. Heliogabalus quoque Symiamiræ matri adeò deditus fuit, vt sine illius voluntate nihil in Republica faceret. Et profectò materoa consilia non sunt filio repudiãda, quãdo mater pro captu mulierum circunspecta est, & solers: qualis est clarissima, atque prudentissima matronarũ parens tua, inclyte Annibal, nunquam à me sine honoris præfatione nominanda: quæ non solùm calet officia matronatus, sed mirabili prudentia prædita callenter intelligit, quo pacto negotia ad Rempublicam pertinentia debeant administrari: quãta, Deus bone, est in matre tua illustrissima dexteritas: quanta affabilitas ad adeuntes excipiẽdos: quanta in rebus omnibus obeundis circunspicientia: Quocirca facito, quod facis, vtere maternis consiliis, refer ad matrem, quæ tibi futura optima est, fidissimáque consiliatrix: cui pares paucissimas es inuenturus, nullã superiorem. Non Cornelia Gracchorum, non Aurelia Cæsaris, non Accia Augusti mater, Zeneueræ Bentinolæ sunt præferendæ: imò, vt dicam quod sentio, nec quidem æquiparãdæ: qua nec Tanaquil solertior fuit, nec Liuia circunspectior. Optimam matrem.] Tacitus: Propalàm omnes in Agrippinam matrem honores cumulabantur, signúmque more militiæ petẽti Tribuno dedit optimæ matris. Simul.] Cũ matre Agrippina.

Antium.] Quæ ciuitas fuit caput Volscorũ, vbi generatũ esse ipsum Neronẽ prodiderunt. Adscriptis.] Adscripti dicebãtur, qui in colonias nomina dedissent, vt essent coloni. Alio verbo transcribi dicuntur, vt docet Seruius: qui enarrans illud Maronianum,

Transcribunt vrbi matres.-

ait: Romani moris verbum est. transcripti enim in colonias deducuntur. E prætorio.] Ex militibus prætorianis. Per domicilii translationẽ.] Domicilii translatio fit, quando coloni ex vrbe Roma transferuntur ad coloniam habitandam, vbi illis domicilia, & agri assignantur. Portum fecit.] Cùm anteà Antium ciuitas fuisset portu carens: sicut indicat Strabo in v. Geographiæ. Sumptuosissimi.] Maximi sumptus, maximarúmque impensarum. Ex Augusti præscripto.] Traianus dicere solebat procul distare cunctos principes à primo quinquennio principatus Neronis. Illo enim tempore tam fuit optimus principum Nero, quàm posteà pessimus. Præscriptũ autem, vt inquit Porphyrio, pro præcepto dicitur, translatione sumpta à magistris ludi, qui præscripta pueris dant, præcipiúntq; imitari. Horatius: Non ita Romuli præscriptum. Apud rhetoras tractatio vberrima est, quo modo præscribamus à re, à persona, à tempore, & reliquis. Ait Fortunatianus præscriptionem differre à trãslatione, cùm præscriptio excludat actionem, translatio autem differat. Corn. Taciti in hanc sententiam verba sunt hæc: Tunc formam futuri principatus Nero præscripsit, ea maximè declinans: quorum recẽns inuidia flagrabat, nihil in penatibus suis venale, aut ambitioni peruium esse voluit. Comitatis.] Benignitatis, & facilitatis. Comes enim benigni, faciles, & suaues homines esse dicuntur: vnde & comiter pro benignè accipitur: author Cicero in oratione pro Corn. Balbo. Aboleuit.] Tradit Tacitus, vectigal quintæ, & vigesimæ venalium manciplorum remissum fuisse à Nerone. Idem induxit abolitionem quadragesimæ, quinquagesimæq; & quæ alia ex auctionibus illicitis nomina publicani inuenerant. Idem cogitauit de abolendis cunctis vectigalibus, tanquam id pulcherrimum donum generi mortalium daturus: sed eũ cohibuerunt Senatores, dissolutionem Imperii docendo, si fructus, quibus Respublica sustinetur, diminueret. Præmia delatorum.] Erant inter delatores criminum publicorum quidã quadruplatores nominati, qui quartam partem de proscriptorum bonis, quos detulerant, consequebantur: cùm autẽ lege Papia delatoribus præmia cõstitura fuissent, Nero ea minuens redegit ad quartas: verbi causa, vt delator, qui pro delatione accipere debebat quadraginta, acciperet decẽ. Videtur autẽ sensus ille esse congruentior, vt intelligas, Neronem ad quartas redegisse, minuisséq; præmia, quæ constituta erant his delatoribus, qui accusabant, deferebántq; nomina illorũ, qui agerent aduersus Papiam legẽ: de qua proximo Commentario copiosè disseruimus. Ita enim dicimus delatores Papiæ legis, sicut delatores Iuliæ, Põpeiæ, Corneliæ legis: intelligi volẽtes illos, qui accusant transgressores, præuaricatorésq; earum legũ. Ad quartas autem absolutè dixit: sicut est illud admodum scitũ Trachali oratoris contra Sparalem: Placet hoc ergo leges diligentissimæ pudoris custodes, decimas vxoribus dari, quartas meretricibus. Quadragenis.] Quadringentenis. Hoc idem Corn. Tacitus sic scribẽs: Plebeiis congiarium quadrigeni nummi viritim dati.

M. AN. PEr translationem domicilii.] Domicilio ex vrbe in Coloniam trãslato, aut certè ita in coloniam adscripti, vt eorum domicilia alibi essent: quod in Nouoco-

menſi quoque colonia euenit. Præſcripto.] Formula. Præmia delatorū.] Delatoribus decreta. Papiæ legis.] Quæ Papia lex eſſet, ſuo loco diximus. Fuit & alterum Papiæ legis caput, quo cauebatur, non qui peregrinus eſſet, ciuitatem fraude vſurparet.

fuit illa, quæ prima nos docuit ianitores apponere, ne flagitia noſtra vulgò nuſcitarētur. Sed bonus princeps nihil non agere poteſt in propatulo, cūm nihil agat reprehenſibile. Aureis literis.] Ob excellentiā, fauoremq; popularem. Scribit Plinius, tria Chilonis Lacedæmonii præcepta Delphis cōſecrata fuiſſe literis aureis.

quibuſdam quingena conſtituit. Item prætorianis cohortibus frumentum menſtruum gratuitum. Et quum de ſupplicio cuiuſdam capite damnati, vt ex more ſubſcriberet, admoneretur, Quàm vellem, inquit, neſcire literas. Omnes ordines ſubinde, ac memoriter ſalutauit. Agenti Senatui gratias, reſpondit, Quum meruero. Ad campeſtres exercitationes ſuas admiſit & plebem: declamauitque ſæpius publicé. Recitauit & carmina, non modò domi, ſed in theatro, tanta vniuerſorum lætitia, vt ob recitationem ſupplicatio decreta ſit, atque pars carminum aureis literis Ioui Capitolino dicata.

Spectacula per eum edita, & liberalitas eius in populum. XI.



SPectaculorū plurima, & varia genera edidit: Iuuenales, Circēſes, Scenicos ludos, gladiatoriū munus. Iuuenalibus ſenes quoque cōſulares, anúſq; matronas recepit ad luſū. Circēſibus loca equiti ſecreta à cæteris tribuit. Cōmi-

PHIL. QVibuſdā quingena.] Scribit Tacitus quingena ſeſtertia in ſingulos annos oblata fuiſſe à Nerone Valerio Meſſalæ, quibus inopiā innoxiam ſuſtentaret: Aurelio quoq; Cottæ, & Aterio Antonino annuam pecuniā ſtatuit princeps Nero, quāuis per luxum habitas opes diſſipaſſent. Menſtruum gratuitum.] Sine precio frumentū vnius menſis ex largitione Neroniana datum militibus cohortium prætorianarū ſignificat. Quidā exponunt menſtruum non tam vnius menſis, quàm in ſingulos menſes, datum frumentum ſine pretio prætorianis cohortibus, vtpote nobilioribus, & ad cuſtodiā principis excubantibus. Neſcire literas.] Seneca li. 11. de Clementia, ſe maximé cōpulium eſſe hac vna Neronis voce ait, vt de clementia ſcriberet: quam appellat vocem generoſam, dignámque, quam audirent omnes gentes, quæ Romanum Imperium colunt: quā vocem ait in concionē omniū mortalium eſſe mittendam: in cuius verba principes, regeſq; iuramentum faciant: quam vocē appellat publica generis humani innocentia dignam. Nam cūm Burrus præfectus cohortiū vir egregius, in latrones duos animaduerſurus eſſet, exigebat à Nerone, vt ſubſcriberet in quos, & ex qua cauſa animaduerti vellet: hoc ſæpe dilatum, vt aliquando fieret inſtabat: tandé Nero inuitus inuito cūm chartam protuliſſet, traderétq;, exclamauit: Vellem neſcire literas. Hoc autem ideo dixit, ne cogeretur ſubſcribere libellum pertinentem ad ſupplicium capite dānatorum. Memoriter ſalutauit.] In hoc laudanda Neronis memoria eſt non minùs, quàm Cyri, qui nominatim omnes in exercitu ſuo milites appellauit: nec minùs, quàm L. Piſonis, qui populū Romanū nominatim alloquebatur: nec minùs, quā Themiſtoclis, qui omniū ciuiū nomina memoriter tenuit. Sūbinde.] Frequenter. Cūm meruero.] Vox plena ſummiſſæ ciuilitatis: tanquā non mereretur, vt ſibi à Senatu gratiæ agerentur: cūm nullū adhuc beneficiū contuliſſet in Senatum. Cāpeſtres exercitatioēs.] Quando in campo Martio exercebatur. De exercitationibus campeſtribus diximus ſuprà ſatis ac ſuper. Admiſit & plebē.] Specimen, ſignūmq; eſt comitatis in principe, exhibere ſe in publico, & ab exercitationibus ſuis non excludere populū ſpectatorē. Conſcientia enim ſcelerū nimirum

Iuuenales.] A Iuuene Iuuenales ludos deriuari nomé oſtendit: nam, vt ait Priſcianus in quarto, à iuuene, Iuuenalis deducitur, & iuuenilis. Videntúrq; fuiſſe pro ſalute iuuenum inſtituti ludi Iuuenales: ſicut olim plebeii pro libertate plebis facti: vel quia à ſolis iuuenibus celebrabātur. Nero nō ſolùm iouenes, ſed ſenes, & vetulas contra ritū Iuuenaliū exhibuit ad luſū. De his ſcribit hæc Tacitus: Inſtituit Nero ludos Iuuenaliū vocabulo, in quos paſſim nomina data, nō nobilitas cuiquā, non ætas, aut acti honores impedimento, quò minùs Latini, Græcive hiſtriones artē exercerēt. Refert Iulius Capitolinus, Gordianū edidiſſe ludos ſcenicos, & Iuuenalia per quatriduū. de his Sidonius: Iam famæ Iuuenalibus peractis. Loca equiti ſecreta.] Lege Roſcia in ſpectaculis theatralibus ordo Equeſter ſpectabat ſeparatus à popularibus: cui quatuordecim gradus erant aſſignati. Nero voluit vt in ludis quoq; Circēſibus loca tribuerentur equitibus diuiſa, ſeparatáq; à cæteris. Cor. Tacitus: Eodé anno Cæſar Nero equitū Romanorū locos ſedilibus plebis anteposuit ante circum: nanque ad eam diem indiſcreti ibant: quia lex Roſcia nihil niſi de quatuordecim ordinibus ſanxit. Equiti.] Ordini Equeſtri. Commiſit.] Verbum eſt ſpectaculis exhibendis accommodatum: de quo ſuprà diximus.

M. AN. GRatuitum.] Vt quū ſingulis menſibus acciperent, vnius tantùm, gratuitum daret: aut frumentū gratis ab eo conſtitutū accipias, & vt magis gratificaretur, id ipſum menſtruum. Neſcire literas.] Ne ad huiuſmodi cogeret ſubſcriptionem. Seneca: Burrus præfectus tuus exigebat à te vt ſcriberes in quos animaduerti velles. Hoc ſæpe dilatum, vt alioqui fieret, inſtabat: inuitus inuito quum chartam protuliſſet, traderétq;, exclamaſti, vellé neſcire literas. O dignā vocē, quā audirent omnes gentes, quæ Romanū Imperiū colunt. Cāpeſtres.] Dū in campo, aut gymnaſio exercerētur. Iuuenalibus.] Quibus iuuenes tantùm oportebat intereſſe, ſed ſenes, & anus à Nerone nouo exemplo recepti. Secreta à cæteris.] Ordinibus ſcilicet, ſed in Circenſibus ludis id nunc datum accipias: anteà equites fuerant id conſecuti, vt ipſi ordini quatuordecim in theatro vocarent gradus.

Camel

ſitq; etiam camelorũ quadrigas. Ludis, quos pro æternitate Imperii ſuſceptos appellari maximos voluit, ex vtroque ordine, & ſexu pleriq; ludicras partes ſuſtinuerunt. Notiſſimus eques Romanus elephãto ſuperſedens per catadromũ decucurrit. Inducta eſt Afranii togata, quæ Incendiũ inſcribitur: conceſſúmque vt ſcenici ardentis domus ſupellectilem diriperent, ac ſibi haberent. Sparſa & populo miſſilia omnium rerum per omnes dies, ſingula quotidie millia auium cuiuſque generis, multiplex penus, teſſeræ frumentariæ, veſtis, aurũ, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, iumenta, atque etiam manſuetæ feræ, nouiſſimè naues, inſulæ, agri.

PHIL. Camelorum quadrigas.] Vt non ſolùm quadrigæ equorum in Circenſibus currerent, ſed etiã camelorum. Camelos inter armenta paſcit Oriens, qui equitatu funguntur in prælis, iumentorũ verò dorſo: quibus velocitas eſt inter equos.

Ludis.] Scenicos intelligit, & theatricos.

Appellari maximos.] Cùm ludi Romani alio nomine magni appellarétur, Nero ſuos ludos tanquam nobiliores, voluit maximos nuncupari. & ita videtur alluſiſſe ad nomen magnorum ludorum.

Ex vtroque ordine.] Senatorio, & Equeſtri.

Sexu.] Virili, & fœmineo.

Ludicras partes.] Scenicam, & hiſtrionicam diſciplinam peregerũt: quod probroſum erat, famoſiſſimque apud Romanos.

Catadromum.] Græci catadromum vocant, quod Latinè decurſoriũ dicere poſſumus: καταδρομέω enim decurro, & καταδρόμη decurſio ſignificat. Decurſionem autem per catadromum nõ ſine periculo fuiſſe, ſignat Iuriſconſultus in titulo De actionibus empti, vbi ait: Nam ſi periculoſam rem ante venditionem facere ſollitus eſt, culpa tua id factum eſſe videbitur: puta enim eum fuiſſe ſeruum, qui per catadromum deſcendere, aut in cloacam dimitti ſolitus eſſet, idem iuris erit.

Afranii togata.] Suprà explicauimus togatas dici fabulas, quæ ſcriptæ ſunt ſecũdum ritus, & habitus hominum togatorum, id eſt Romanorum: ſicut Græcas fabulas ab habitu palliatas priſci nominauerunt. In togatis autem ſcribendis excelluit Afranius poeta: qui tamen argumenta inquinauit puerorum fœdis amoribus, ita mores ſuos faſſus, author Quintilianus in x. Hinc ab Horatio decenter dictum eſt:

Dicitur Afrani toga conueniſſe Menandro. Et ab Auſonio: Quam toga facundi ſcenis agitauit Afrani. Inter Afranii togatas fabulas vna fuit nominata Incendium ab argumento: ſicut olim nonnulli Incendium Phaethontis ſcripſiſſe produntur: & Lucanus condidit Iliaconitim: quo poemate incendium Troiæ continebatur.

Domus ardentis.] Ita erat argumentum fabulæ, vt domus incendio flagrans induceretur. Nero permiſit vt ſcenici, hoc eſt hiſtriones ſupellectilem direptam ex incendio illo ſcenico ſibi haberent.

Sparſa miſſilia.] Solent principes & magiſtratus mittere in vulgus nummos, & alia, quæ miſſilia nominamus, quæ fiunt occupãtium, vt ſcribũt Iuriſconſulti. Suprà de ſparſione miſſilium diximus abundé.

Singula millia auium cuiuſque generis.] Videtur hîc facienda diſtinctio: vt ſic ſenſus, in ſingulos ludorũ dies ſparſa eſſe ſingula auium millia ex quocunq; genere auium. Mox ſubiungendum eſt, multiplex penus, ſcilicet ſparſum eſt. Multiplex penus.] Eſculenta, & poculenta nomine penoris intelligi notiſſimum eſt. Cicero: Penus eſſe omne, quo veſcũtur homines. Qui geſtant penus, penatores dicti ſunt à M. Catone. In notis Seruii non pauca à nobis ſuper penu ſcripta ſunt. Quidam codices habent multiplex genus, quod non conuenit. Teſſeræ frumentariæ.] Repete quæ annotauimus in Auguſto ſuper teſſeris frumentariis: ne eadem ſæpius dicantur.

Naues, inſulæ, agri.] Non intelligo hæc in populũ ſparſa fuiſſe: nec enim poſſibile eſt: ſed teſſeras, quas quicunque occupaſſet, illi mox dabantur naues, & agri, prout nota teſſeræ ſignificabat: ſicuti ſpargebantur teſſeræ frumentariæ, pro quibus ſumma frumẽti notata accipiebatur. Inſulæ autẽ in hoc loco ſignificantur domus, de quibus alibi ſatis ac ſuper.

Manſuetæ feræ.] Exarmatas feras Lampridius appellat, quæ ſint manſuefactæ per manſuetarios. Ita enim dicuntur magiſtri manſuefaciendi feras. Iul. Firmicus in VIII. Matheſeos: Oriente Septentrione nati erũt manſuetarii ferarum: id eſt, qui vrſos vel tauros depoſita feritate humanis cõuerſationibus ſocient. Cicurare dixit antiquitas mãſuefacere: & ideo dictum, Cicur ingenium obtineo, pro manſuetum. & Cicero cicures nominauit beſtias, quæ non ſint feræ.

M. AN. Camelorum quadrigas.] Vt cameli quadriiuges quadrigarum more currerent.

Ludicras partes.] Hiſtrionicas.

Catadromum.] Decurſionis ſtadium.

Afranii togata.] Fabula ſcilicet. Fabius Quintilianus: Togatis excellit Afranius, vtinámque non inquinaſſet argumẽta puerorũ fœdis amoribus, mores ſuos faſſus. Sunt togatæ Romanorum fabulæ, vt Græcorum palliatæ. Varro eſt author, vtrunque nomen à peculiari gentis habitu deductum. Súntque togatarum quatuor genera, Prætextatæ, Tabernariæ, Atellanæ, Planipedes: vnum, atq; alterũ genus à perſonarum qualitate factũ, tertium à loco, nouiſſimum ab habitu: plano enim pede, id eſt nudo proſcenium earũ actores intrabant, quũ qui tragœdias agerent, cothurnis ingrederentur.

Ardentis domus.] Ex fabulæ argumento ita repræſentatæ.

Miſſilia.] Munera, quæ à principibus vulgò ſpargebantur, velaria linea, odores, vnguenta, & alia his ſimilia, ac interdum maiora, quod ex iis, quæ ſequuntur poteſt intelligi.

Singula quotidie millia.] Ex ſingulis generibus ſingula millia.

Teſſeræ frumentariæ.] Inciſæ ſcilicet, aut certa ſumma notatæ. Quid teſſeræ eſſent, alio eſt loco ſignificatum.

Naues, inſulæ, agri.] Hæc vt alia quædã certè ſpargi non potuerunt, niſi notata nomina, aut tabellis figurata in populum ſparſa accipias, atq; illis ipſis, qui eas adepti eſſent, ex fide repræſentata. Poſſent & ſigilla earumrerum in vulgus miſſa videri, ſed ſuperior ſententia ſimilior eſt vero.

Spectacula unde spectauerit, & alia eius gesta. XII.

Os ludos spectauit è proscenii fastigio. Munere, quod in amphitheatro ligneo, in regione Martii Campi intra anni spatium fabricato dedit, neminem occidit, ne noxiū quidem. Exhibuit autem ad ferrum etiam quadringentos Senatores, sexcentósque equites Romanos, & quosdam fortunæ, atque existimationis integræ: ex iisdem ordinibus cōfectorésq; ferarū, & varia arenæ ministeria. Exhibuit & naumachiā marina aqua innantibus belluis. Item Pyrrhichas quasdam è numero epheborum, quibus post editam operam diplomata ciuitatis Romanæ singulis obtulit. Inter Pyrrhicharū argumēta taurus

PHIL. EX proscenii fastigio.] Proscenium, authore Diomede, dicimus locum, qui est ante scenam. Proscenium introibant actores tragœdiarum cum cothurnis, comœdi verò cum soccis: ibíque fabulas agebant. Maro in 11. Georgicorum:

-Veteres ineūt proscenia ludi.

Munere.] Spectaculo gladiatorio.

Amphitheatro ligneo.] Curio funebri patris munere fecit è ligno, nō amphitheatrum, vt Nero, sed theatra duo amplissima cardinum singulorum versatili suspēsa libramento, quæ cornibus inter se coeuntibus faciebant amphitheatrum: & pòst meridianis horis, gladiatoria spectacula illhic edebantur. Plinius Romani populi furorem demiratur, qui ausus sit sedere, ludósque spectare tam infida, instabilíque sede, periturus momento aliquo luxatis machinis. Hæc nimirum fuerunt illa Caii Curionis munera, de quibus loquitur Cicero in illa epistola: Nempe studium non defuit declarandorum munerum tuo nomine.

Ad ferrum.] Ad pugnam gladiatoriam.

Quadringentos Senatores.] Cor. Tacitus: Spectacula gladiatorum idem annus habuit pari magnificentia ac priora: sed fœminarum illustrium, Senatorúmq; plures fœdati sunt. Hinc exiit illud Satyrici poetæ:

-Quanti sua funera vendant

Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone.

Fortunæ, atque existimationis integræ.] Opulentos, & authoritate magna præditos, illibatæque existimationis.

Ex iisdem ordinibus.] Senatorio, & Equestri ordine.

Confectorésque ferarum.] Conficere interdum significat frangere, & trucidare. Inde confectores ferarum dicti, qui feras pugnando interimunt, atque confringunt. Hinc Lucilius confectores cardinum dixit effractores. Flauius Vopiscus vsurpat confectores pro infectores, tinctorésve colorum: qui alio nomine offectores nominantur. Sic enim scribit in Aureliano: Missis diligentissimis confectoribus requisiuerunt tale genus purpuræ. De multiplici significantia huius verbi conficio, scribit Nonius Marcellus. Tradit Iulius Firmicus, eos, qui in horoscopo habuerint Caniculæ sydus, depugnaturos esse cum feris publico spectaculo.

Arenæ ministeria.] Ministros seruientes in arena spectaculorum: à qua arenarii dicti, qui in arena depugnant: quos nasci autumat Iulius Firmicus sub sydere Caniculæ.

Naumachiam.] Naualem pugnam.

Marina aqua.] Quam scilicet induxerat ex mari proximo intra naumachiam.

Innatibus belluis.] Quales sunt crocodili, & hippopotami: quos olim Mar. Scaurus ostendit Euripo temporario ludis suæ ædilitatis. Martialis quoque laudans Cæsaris sui naumachiam scribit feras ignotas etiam ipsi Thetidi exhibitas fuisse.

Pyrrhichas.] Relege quæ non incuriose scripsimus in Iulio Cæsare super Pyrrhicha saltatione.

Epheborum.] Ephebia prima ætas adolescētiæ est. Adolescentia verò extrema pueritiæ: author Donatus. Phœbum ephebū veluti per annominationē appellat Sidonius. Cēsorinus ephebos separat ab exephebis: tanquam ephebi dicātur in sextodecimo ætatis anno: exephebi verò vltra illud tempus appellentur. Inde ephebeū dictū palæstræ membrum, in quo ephebi exercētur: de quo Vitruuius in v. sic inquit: in duplici porticu collocētur hæc membra, ephebeum in medio: hoc autem est exedra amplissima. In lib. 1. Machabæorum ephebia fœminino genere dicitur, vbi scriptum est: Gymnasium, & ephebiam sibi constituere.

Editam.] Exhibitam, nauatámque in Pyrrhichis saltationibus.

Diplomata.] Vulgus appellat priuilegia, & bullas.

M. A N. PRoscenii.] Vergilius:

-Et veteres ineunt proscenia ludi. Sunt, vt Seruius interpretatur, proscenia, pulpita ante scenam, in quibus ludicra exercebantur.

Hos ludos.] Maximos appellari voluit.

Ad ferrum.] Ad gladiaturam. Iuuenalis:

Ferrum est quod amant. Fortunæ, & existimationis integræ.] Quasi dicat: neque inopia compulsos, neque vlla ad id tempus ignominia notatos.

Ex iisdem ordinibus.] Senatorio, & Equestri. Iuuenalis: -Populi frons durior huius,

Qui sedet, & spectat triscurria patritiorum,

Planipedes audit Fabios ridere potest qui

Mamercorum alapas, quanti sua funera vendat,

Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone,

Nec dubitant Celsi prætoris vendere ludis. Vnde colligitur Nerone cogente patritios in arenam productos, quum Tranquillus præmio, & illecebris à Nerone allectos innuere videatur: cui eò libentiùs quàm Satyro accedo, quò ambitiosus Nero studium in omnium ordinum fauore sibi conciliando ab initio sui principatus fuit.

Marina aqua.] In Vaticano fuit naumachia illa, vt Cornelius docet, nec multò pòst magna pars eius montis naumachia dicta est.

Pyrrhichas.] Saltationes. Diplomata] Tabellas. Sunt enim diplomata pugillares, seu tabellæ, quibus literæ scribi cōsueuere, quod ipsa ratio nominis demonstrat. Græci diplon duplum dicunt.

Paſiphaen ligneo iuuencæ ſimulacro, abditam iniit, vt multi ſpectantium crediderunt. Icarus primo ſtatim conatu iuxta cubiculum eius decidit: ipſumq; cruore reſperſit: nam perrarò præſidere, cæterùm accubãs primùm paruis foraminibus, dẽinde toto podio adaperto ſpectare cõſueuerat. Inſtituit & quinquennale certamen primus omnium Romæ more Græco triplex, muſicũ, gymnicũ, equeſtre, quod appellauit Neronia. Dedicatiſq; thermis, atq; gymnaſio, Senatui quoq;, & equiti oleũ

PHIL. INit Paſiphaen.] Martialis id ſpectaculi genus à Cæſare ſuo exhibitum fuiſſe ſignificat his verſibus:

Iunctam Paſiphaeo Dictæo credite tauro,

Vidimus: accepit fabula priſca fidem. Paſiphaes aotem hiſtoria fabuloſa in triuialibus ludis qooridie memoratur, qoemadmodum ſcilicet incluſa ſimulacro vaccæ, qood Dædalus fabricauit, cum tauro adamato concubuit: ex quo coitu Minotaurũ fertur genuiſſe. Inire autem, eſt coire: vnde & initus, coitus. De quo in Auguſto ſatis diximus. Sẽtire videtur Trãquillus in repræſentanda fabola Paſiphaes, verum taurum coiſſe cum fœmina, quæ inſtar Paſiphaes incluſa intra ſimulacrũ vaccæ exceperit taurũ coeũtem. Io Deuteronomio præcipitur, ſi fœmina coioerit cũ iumẽto, vt morte moriatur. Ex quo colligimus, illis qnoq; ſanctis tẽporibus fuiſſe fœminas impudicitia obſcœna pollutas, appetentéſq; præ nimia libidinis vredine coitus belluini: vt verũ videri poſſit, matronã ſummatẽ ſtrictẽr appetiuiſſe concubitũ cum Apuleio in aſinũ deformato, ſicut ipſe feſtiuiter denarrat. Icarus decidit.] Nullus vel mediocriter literis triuialibus imbutus, ignorat hiſtoriã ſiue fabulã Icari Dædalei, quã ſcribit Ouid. in II. de arte, & io VII. Metamor. Diodorus in V. Bibliothecæ, refert Dædalum Minois irã formidãtem ex inſula Creta effugiſſe, auxilio Paſiphaes oauẽ ad effugiendũ accõmodãtis: poſt Dædalũ Icarus qnoq; filius fugiens cùm inſulam quãdam peteret, in mare decidẽs periit: à cuius oomine inſula dicta eſt Icaros, & mare Icariũ nuncupatũ. Fabulæ tradũt Dædalũ alas ſumma arte fabricaſſe, quas cera cõpactas ſibi filióq; annexuit: ſed Icarus dũ per imprudentiam altius iret adoleſcẽs peteret, Solis æſtu cera liqueſcente, laxatiſq; alarũ iuncturis in mare decidit, Dædalus ad Siciliã peruenit incolumis. Author eſt Plinius, vela nauiũ ab Icaro inuenta fuiſſe: malũ verò & antennam à Dædalo, qui fabricã quoq; materiariã primos inuenit: & in ea ſerrã, aſciã, glutinũ, terebrã, & perpendiculum. Igitur Icarus inductus in fabula ex argumento Pyrrhicæ decidit non tam ſimulato lapſu, quàm vero caſu. Ipſum.] Neronem. Eius.] Neronis.

Perrarò præſidete cõſueuerat.] Qui præfecti ſunt ſpectaculorũ, hi præſidere dicũtur: Nero rarò præſidẽdi officio fungebatur: ſicut etiã Auguſtus ſolebat ſubſtituere, qui ſuã vicẽ præſidẽdo in ſpectaculis fungerẽtur.

Toto podio.] Podiũ, pulpitũ eſſe ſignificat Vitruuius in VI. de architectura, cuios altitudinẽ perſcribit. Quòd autem ex podio ludi ſpectarentur, ſatis indicat vel ille Satyrici poetæ verſus:

Omnibus ad podiũ ſpectantibos.- Scribit Spartianus in Seuero, quòd die Circenſium victoriola gypſea vento icta de podio ſtans decidit, & humi conſtitit.

Quinquennale certamẽ.] Vt ſingulis quinquenniis certamẽ triplex, hoc eſt muſicorũ, gymnicorũ, & equeſtre exhiberetur: ſicut apud Græcos exhiberi qoinquẽnalia lodicra ſolebãt. Vnde ſcripſit Strabo in V. Geographiæ, Neapoli agona qoinqoennalẽ muſicũ, & gymnicũ, cõplures per dies celebrari ſolitũ: qui agon illis certaminibus ſacris erat æmulus, quæ per Græciã clariſſima celebritate gerũtur. Cor. Tacitus de hoc certamioe Neroneo inſtituto ſic ſcribit: Nerone quartũ, Cornel. Coſſo Cõſulibus, quinquẽnale lodicrũ inſtitutũ eſt ad morẽ Græci certaminis. Neronea.] A nomine ſoo Neronea certamina, quæ quinquẽnalia inſtitoerat, dici voluit. Thermis.] Euſebius Chronographus, Thermæ, inquit, à Nerone ædificatæ, quas Neronianas appellauit: de quibus Epigrammatarius poeta: Quid Nerone peius? quid thermis melius Neronianis? & Papinius in Syluis thermas Neronianas ſignificat, ſcribens Neronea: Nec ſi modò lotus in vnda Hic iterũ ſudare neget.-

Gymnaſio.] Cor. Tacitus: Gymnaſiũ eo anno dedicatũ à Nerone. Oleũ præbuit.] Oleũ à Nerone præbitũ equiti, ac Senatui Græca facilitate ſcribit Cor. Tacitus, apud quẽ mẽdoſa dictio eſt: nãq; pro oleũ, paſſim legitur oletom. Qoòd autẽ oleo vterẽtur in gymnaſio luctatores, & gymnaſticã exercẽtes, abũdè docet vel ille verſus Maronian. Exercẽt patrias oleo labẽte palæſtras Nudati ſocii.- & Plin. noſter eleganter de oleo ſcribẽs in XV. dixit: Vſum eius ad luxuriã vertere Græci, vitiorũ omnium genitores, io gymnaſiis publicãdo. Quint. palæſtricos dãnat, quibus pars vitæ in oleo, pars in vino cõſumitur, qui corporũ cura mentẽ obruerũt. Seneca quoq; in epiſtolis moralibus ait: Luctatores, & totã oleo, & luto cõſtantẽ ſcientiã expello. Cur autem oleo vterentur, cauſa eſſe videtur, quia oleo natura eſt tepefacere corpus, & contra algores munire. hioc dixit idem Pli. in XXIII. Omni oleo mollitur corpus, vigorẽ & robur accipit. Idem ait in XIIII. Duo ſunt liquores corporibus humanis gratiſſimi, intus vini, foris olei.

M. AN. PAſiphaẽ.] Tanquã Paſiphaẽ. Ver. Exultat Amazõ. Id tragici cõcubitus argumentũ ſub Domitiano repræſentatum videtur Martialis ſignificare,

Iunctam Paſiphaen Dictæo credite tauro,

Vidimus: accepit fabula priſca fidẽ. Fuit illa Minois vxor, captáq; Tauri amore cũ eo cõcubuit, vnde Minotaurus ortus. Verg. Et fortunatã, ſi ounquã armẽta fuiſſent, Paſiphaen niue ſolatur amore iuuẽci. & rurſus: -Veneris monumẽta nefandæ Minotaurus ineſt.- Philocorus virum fuiſſe ſcribit apud Minoen potentia, & viribus inſignẽ, quẽ Theſſalus certamine vicerit, eum rumor erat cum Phaſiphae concumbere.

Icarus.] De pennis, & caſu Icari notiſſima fabula. Ouid. pluribus carminibus eſt rem totã exequutus. Iuuena. Et mare percuſſom puero, fabrúmq; volantẽ.

Eius.] Neronis. Rarò præſidere.] Vt tũc quoq; haud præſediſſe intelligas. Accubãs.] Et idcirco iuxta cubiculum dixit. Toto podio.] Vnde ſpectabat.

Adaperto.] Patefacto. Dedicatis thermis.] Poſt thermarum dedicationem. Spartianus in ea parte vrbis Nerõis thermas fuiſſe ait, vbi poſteà Alexãdrinæ thermæ fuerũt, circa Euſtachii ædem, & Flaminium circũ, ſiue agonem. Oleum.] Et ad thermarum, in quibus erant balnea, & in palæſtræ vſum. In palæſtra quoque vngi ſolitos, Lucanus planè ſignificat:

-Perfundit membra liquore
Hoſpes Olympiacæ ſeruato more palæſtræ.

Sorte

præbuit. Magistros toti certamini præposuit cõsulares sorte, sede prætorum, deinde in orchestram, Senatúmq; descendit, & orationis quidem, carminísq; Latini coronã, de qua honestissimus quisque cõtenderat, ipsorũ cõsensu concessam sibi recepit. Citharæ autẽ à iudicibus ad se delatam adorauit, ferríq; ad Augusti statuam iussit. Gymnico, quod in septis edebat, inter buthysiæ apparatum, barbam primam posuit, conditam in aureã pyxidem,

PHIL. SOrte prætorum.] Sensus est: Certamini Neroneo præposuit Nero Consulares moderatores ea sortitione, qua prætores spectaculis præesse cõsueuerunt. In libro Annotationum docuimus, & alibi apud Tranquillum explicanimus, qoemadmodum ad officiũ prætorum pertinebat exhibitio spectaculorum. Quidam codices non sorte habẽt, sed sede: quod placet, vt sit sensus, præfectos ludi Neroniani sedisse in his sedibus, in quibus prætores, qui præsunt ludis, sedere coosueuerant.

* Qui sorte redemptorum legunt, in libros de corruptis exemplaribus factos inciderunt, neque ex tali lectione non solùm verus, sed nec quidẽ verisimilis sensus elicitur.

Orarionis, carminísque Larini.] Hoc satis ostendit musicum certamen, ooo minùs ad poetas, oratorésque esse referendum, quàm ad citharistas: io quo corona victoriæ Neroni ipsi périnde ac victori coocessa fuit consensu decertantium. de quo hæc Tacitus: Eloquentiæ nemo primas tulit, sed victorem esse Cæsarem pronunciatum.

Citharæ.] Extriosecus subintelligendum est, coronam: de qua sic scribit Eusebius: Nero Romæ in citharistarum agone contendens cunctos superat.

Gymnico.] Certamine: in quo nudari corpora exercebant.

In septis.] Septa in campo Martio fuisse suprà docuimus: quibus porticus addidit Agrippa: vnde Agrippina septa à doctis oominantur.

Buthysiæ apparatum.] Βουθυσία dictio Græca est, significátque magnum sacrificium, qualis est hecatombe, & immolatio maiorum hostiarum. Græci enim rebus magnis assueti sunt præponere hanc particulam bu, à magnitudine scilicet bouis, & maiestate: sicut Festus Pompeius, & Marcus Varro prodiderunt. Inde grandes pueros bupædas appellant: bulimon, magnam famem: busicon, ficum mariscam. Corrigenda est obiter dictio mendosa apud Festum Pompeium: nam marescam ficoo in omnibus pariter codicibus à doctis indoctísque périnde legitur: cùm legendum sit mariscam ficum: etenim per diuisionem dictionum perperam factam, quod erat primæ dictioni copulandum, id io seqoentem procliuiter translatum est, corrupto & verbo, & sensu. Vult enim significare Festus, busicon à Græcis dici mariscam ficum: quæ haud dubiè magna erat, & grandis. Vnde Senecio ille declamator, qui omnia grandia probabat, ficos non edebat nisi mariscas, quia scilicet grandes sunt. Sed vt ad buthysiam reuertamur, Græci θυσίαν dicunt sacrificium, & præponentes bu, significant magnum sacrificium. Et Plutarchos buthytas appellat sacerdotes, vbi ait in Apophthegmatis, quòd Agesilaus erat ἱερεὺς βουθύτων, hoc est præfectus buthytarum, id est sacrificantium. Autumat Porphyrius ille Christianæ sectæ oppugnator acerrimus, thysiam ideo dici sacrificium, quia ex herbis antiquitus sacrificabant: à quarũ exhalatione, qoam Græci θυμίασιν dicunt, thysiam quoque deriuari asserit, subiungitque non rectè thysiam capi pro illo cultu atque sacrificio, quod sanguine hostiarum celebratur.

Barbam primam posuit.] Mos fuit antiquorum, quum primum primam barbam deponebant, & crines tondebant, vt ea numini dicarent, sicut apud Papinium, & Martialem Earinus Domitiani libertus consecrat comam Aesculapio: Et ita Nero primam barbam conditam in pyxide aurea consecrauit Ioui Capitolino.

Pyxidem.] Pyxides, vt docet Quintilianus in octauo, cuiuscunque materiæ sunt, quarum vsus variis rebus est accommodatus: in his venena, in his medicamenta cõtinentur.

De pyxide veneni Cæliana differit Cicero in oratione pro Cælio. Apud Lactantium sententia est illa prouerbialis, Medicorum tituli remedia habent, pyxides venena. Diminutiuum pyxidis est pyxidicula. Cor. Celsus in sexto: Liquidum collyrium pyxidicula seruatur. A pyxide fit pyxidatus: significátque ad effigiem pyxidis in commissura formatum. Plinius in xxxi. Commissuris pyxidatis.

M. A N. SOrte redemptorum.] Vel redemptoribus ludorũ sortitionem habentibus, qui consularibus certamini præponi deberent: vel iidem consulares, qui ludorum redemptores essent inter se sortiti, quis eorum ludis præsideret.

In orchestram, Senatúmque descendit.] Id est in consessum patrum, qui ex orchestra spectabant. Quid in theatro orchestra esset, suprà significauimus: sed vide ne scenam sit potiùs legendum: vt sit ordo, & sensus, per orchestram in scenam eloquẽtia certaturus descendit. Quid fuerit Orchestra, docet Vitruuius inquiens: Proptereà thymelici à scenicis separantur. Erat enim in scena proscenium, vbi pulpitum excitatũ erat, quò actores fabularum prodirent, ita vt scena altior esset pulpito, pulpitũ autem altius orchestra: quæ ipsa locus erat saltantium, ob id orchestra dicta, quasi saltatorium.

Orationis Larinæ.] Ad Græcæ differentiam.

Larini certaminis.] Vt non pedestri tantùm, sed equestri qooque oratione certatum intelligas.

Coronam.] Auream: tali quidem se Papinius coronatum testatur,

Quum modò Germanas acies, modò Daca sonantẽ
Prædia Palladio tua me manus induit auro.

Citharæ.] Coronam, qoam Martialis quernã fuisse significare videtur:

O cui Tarpeios licuit contiogere quercus. Iuuenal.
An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, & fidibus promittere. Quibus verbis datur intelligi, victores citharœdos quercna corona donari solitos. & statim posteà: -Nec turpe putauit
Pro cithara velare caput.-

Buthysiæ apparatum.] Magni, puto, sacrificii: βου enim, in compositione vim augendi habet: θυσία sacrificium, hostiam, victimam significat.

Auream pyxidem.] Bene auream addidit: nam pyxis ab eo quod Græci τὸν πύξον buxum vocant, dicta est: ex qua materia plurimùm id vasis genus fieri consueuit.

Athlet

& pretiosissimis margaritis adornatam Capitolio consecrauit. Ad athletarum spectaculum inuitauit & virgines Vestales, quia Olympiæ quoque Cereris sacerdotibus spectare conceditur.

Magnificentia in excipiendo Tyridate Armenio. XIII.

NOn immeritò inter spectacula ab eo edita & Tyridatis in vrbem introitum retulerim. Quem Armeniæ regem magnis pollicitationibus solicitatum, quum destinato per edictum die ostensurus populo propter nubilum distulisset, produxit, quò opportunissimè potuit, dispositis circa fori templa armatis cohortibus, curuli residens apud Rostra triumphantis habitu, inter signa militaria, atque vexilla: & primò per deuexum pulpitum subeuntem

PHIL. ATHletarum spectaculum.] Hoc quoq; ad gymnicum certamen referendum est.

Olympiæ.] De Agone, qui in honorē Iouis Olympii celebrabatur singulis quinquenniis, alibi dictū est. Lege autem prohibitum erat, vt inquit Lactantius Statii interpres, Olympicū certamen spectare mulieres: excipiebantur Cereris antistitæ, quibus ob sacerdotis maiestatem concedebatur spectare ludos Olympicos. Cice. in Verrinis docet quemadmodum sacra Cereris per mulieres probatas ac virgines conficiebantur. Hinc illud Iuuenalis:

Paucæ adeò Cereris vittas contingere dignæ. Tradit Plinius: matronas in Thesmophoriis Atheniēsium castitatem custodiētes, foliis viticis, quem Græci ἄγνον vocāt, cubitus sibi sternere solitas. Sūt autē Thesmophoria, sacra Cereris, quæ Græcè dicitur Thesmophora, quasi legifera. Prima enim Ceres leges inuenisse proditur. Sacerdotes Olympiadæ memorātur à Probo Aemyllo, à quibus Alcibiades execrationibus deuotus est, iubente populo Atheniensi. Vna Cereris antistita deuouere Alcibiadē recusauit, dicēs ad se pertinere officia supplicationū, nō execrationū. Paulò pòst idē illi Olympiadæ sacerdotes rursus Alcibiadē resecrare coacti sūt, qui eū deuouerāt, pilæq; illæ, in quibus deuotiō fuerat scripta, in mare præcipitatæ. Tyridatis introitū.] Tyridates, vt refert Cor. Tacitus, frater fuit Vologesi Parthorum regis, qui pulsus victúsq; à Corbulone exercitus Romani præfecto, colloquio locum, diémq; poscit: quo impetrato placuit vt Tyridates deponeret apud effigiem Neronis diadema, quod regium insigne est, nec nisi manu Neronis resumeret, & colloquiū osculo finitū. Itaq; post paucos dies progressus Tyridates ad effigiem Neronis curuli sede collocatā, cæsis ex more victimis, sublatū capiti diadema imagini subiecit: acceptúsq; est comiter epulis à Corbulone: deinde, sicut pactus erat, Romā venit, laturus nouum de se Cæsari decus: quem introeuntem Romam Nero, vt honorificentiùs acciperet, iussit auro operiri theatrum Pompeianum: cuius rei author est Plinius in XXXIII. Meritò itaq; Trāquillus Tyridatis introitū, vtpote magnificenter excultū, refert inter spectacula exhibita populo à Nerone. Destinato.] Constituto, publicatóq;. Ostensurus populo.] Scribit Cor. Tacitus omnem ciuitatem Romanā fuisse effusam ad excipiendū principem, spectādúmq; regē Tyridatem, qui ad accipiendum Armeniæ regnū aduētabat: & hoc tēpus delectū fuit ad damnationē Peti Thraseæ, & Bareæ Sorani, qui erant viuæ virtutis simulacra: de quibus Iuuenalis:

Stoicus occidit Baream. &

Quale coronati Thrasea, Eluidiúsque bibebant.

Ideo antè illud potissimū tempus dānationi delectum fuit, vt occupatis circa externa, regísq; introitū, rumoribus intestinū scelus obscuraretur: siue vt magnitudinē Imperatoriā Nero cæde insigniū virorū, quasi regio facinore, ostentaret. Circa fori templa.] Vt est templum Castorū, templū Iouis Statoris, quæ erāt in foro. Curuli residens.] In sella curuli sedens. Refert Cor. Tacitus tantūmodo, quemadmodū Tyridates nō Romæ, sed in Armenia deposuit diadema ad imaginem Neronis, quam sedes curulis sustinebat.

Triūphantis habitu.] Suprà explicauimus qualis foret habitus triūphalis. Inter signa & vexilla.] Seiunctim, diuisimq; hęc duo posuit, perinde ac dissimilia. Sunt enim signa legionum, & principalia, vt aquilæ: vexilla, centuriarum. Nanque, vt scribit Vegetius, singulis centuriis singula vexilla cōstituerūnt, ita vt ex qua cohorte, vel quota esset centuria in illo vexillo literis esset adscriptū: quod legētes milites à contubernalibus aberrare nō possent. Liuius in VIII. author est, sub vno vexillo fuisse homines centūoctoginta. A vexillo vexillarius dictus. Idem Liuius: Ordo sexagenos milites, duos centuriones, vexillarium vnum habebat. Vexillariones antiqui nominauerūt alas equitum. Autumat Cicero in Oratore, è vexillo factū esse velū, fuga literæ vastioris: Sicut, inquit, è maxillis, & axillis, malæ, & alæ cōtrahuntur causa auriū. Nos vulgò vocitamus vexilliferū iustitiæ maximū magistratuum in nostra Republica. Quod an satis eleganter, significātérve dicatur, viderint eruditi: cùm vexillifer eo inclinatu dictus sit, quo signifer, & aquilifer: qui accipiuntur pro portitoribus, baiulísque vexillorum, signorum & aquilarum: quod munus est gregariorū, & viliorum. Per deuexum.] Inclinatum, atque procliue.

M. A N. CApitolio cōsecrauit.] Capillum, & barbā primò resectam veteres solenni quodā modo dedicabāt. Mart. Hos tibi Phœbe vouet totos à vertice crines

Encolpus domini centorionis amor. Papinius:

Accipe laudatos iuuenis phœbeie crines,

Quos tibi Cæsareus donat puer.- Olympiæ.] Olympia in Pisæo agro locus, in quo Olympiaci ludi celebrabātur. Strabo: Nec verò Pisæa tellus Augiæ regno subiecta fuit, in qua Olympia est. Cereris.] Eleusinæ scilicet, cuius sacerdotis vox illa fuit, siquidem iussa cum aliis Alcibiadē vt impium execrari, respondisse dicitur supplicationū ad se officia, non execrationū attinere: Plutar. est author. Tyridatis.] Accessus Tyridatis ad vrbem Cornelius, & Plinius meminerūt.

Produxit.] In conspectum dedit.

Dispositis circa fori tēpla.] Cornelius, Inde, inquit, eques cōpositus per turmas, & insignibus patriis, hinc agmina legionū cōstitere, fulgentibus aquilis, signísq;, & simulacris, &c. Curuli.] Sella. Idem author: Sedes effigiem Neronis sustinebat. Deuexum.] Accliue, & quasi pendens. Horatius: Me quoq; deuexi rapidus communes Orionis Illyricis notus obruit vndis. Vergilius: Conuexa polus dum sidera pascet.

Admisit

admisit ad genua, alleuatúmque dextra exosculatus est: dein precanti, tiara deducta, diadema imposuit: verba supplicis interpretata prætorio viro multitudini pronuntiante. Perductum inde in theatrum, ac rursus supplicantem iuxta se latere dextro collocauit. Ob quæ Imperator consalutatus, laurea in Capitolium lata.

Ianum geminum claudit. XIIII.



IAnum geminum clausit, tam nullo, quàm residuo bello. Consulatus quatuor gessit: primum bimestrem, secundum, & nouissimum semestres, tertium quadrimestrem, medios duos continuauit, reliquos inter annua spatia variauit.

Mos eius in iure dicendo, & cognoscendo. XV.



IN iurisdictione postulatoribus nisi sequenti die, ac per libellos nõ temere respõdit. In cognoscẽdo morẽ eũ tenuit, vt

PHIL. ADmisit ad genua.] Vtpote ad eas corporis partes, quas adorantes attingunt. Genua enim, vt inquit Plinius in XI. supplices tangũt, ad hæc manus tendunt, hæc vt aras adorant. Genua misericordiæ consecrata esse prodidit Seruius grammaticus: & nos alibi retulimus. Tiara deducta.] Nero remouit à capite Tyridatis tiaram, imposuitque diadema, vt ita significaret, se illum restitiuere in pristinam regiam potestatem. Est autem tiara, pileum, quod in capite gerit sacerdos, quo antiqui pro diademate vtebantur: vt indicat Lactantius enarrans illud ex VII. Thebaidos:

Sustentare manu, nec adhuc implere tiaram. Seruius quoque Maronianus interpres tiaram dicit esse pileum Phrygium. Hieronymus ad Fabiolam de veste sacerdotali scribẽs, luculentiùs, explicatiúsque qualis sit tiara demonstrat: cuius hæc sunt verba: Rotundum est pileolum, quasi sphæra media sit, & pars vna ponatur in capite, hoc Græci & nostri tiaram, nonnulli Galerum vocant, non habet acumen in summo, nec totum vsque ad comas caput tegit, sed tertiam partem à fronte inopertam relinquit. Tiara autem & sacerdotes, & pontifices apud Hebræos vti solitos docet. Vergilius masculino genere protulit, vbi ait:

Sceptrúmque sacérque tiaras. Olim Semiramis mentita virilem sexum tiara caput texit: sicut Historici prodiderunt. Tiara autem peculiariter gestabatur à Persis, quem lunatum à forma appellat Sidonius cùm ait in Panegyrico:

Flectit Achæmenius lunatum Persa tiaram.

Diadema.] Insigne regum: de quo copiose scripsimus in primo Commentario, vbi docuimus, nihil aliud esse diadema, quàm fasciam, qua capita regum circumligantur. De diademate ait Sidonius: Diademate crinem fatigatus eas.

Verba supplicis.] Quæ erant barbara, vtpote hominis Parthici. Parthorum autem sermo inter Scythicum Medúmque medius est, & vtrisque mistus: author Iustinus in XLI. Epitomatis.

In theatrum.] Scilicet Pompeianum, quod inaurari iusserat Nero ad Tyridatem magnificẽter suscipiendum. Supplicantem.] Ad genua Neronis manus porrigentem. Latere dextro.] Tanquam parte illa honoratiore. Econtrario scribit Xenophon, Cyrum solitum fuisse honoris causa conuiuas à latere sinistro iuxta se in mensa collocare, tanquam certiores, fideliorésque illos existimaret, qui à parte cordis sinistra consisterent. Laurea in Capitolium.] Tradit Plinius lauream in gremio Iouis Capitolini poni solitam, quoties lætitiam victoria nouam attulisset.

Ianum geminum.] Repete quæ scripsimus in Augusto de templo Iani, quod tempore belli patebat, tempore pacis claudebatur. Vnde Patulcius, & Clusius cognominabatur. Illud annotandum, ideo Ianum geminũ vocari, quòd præterita sciuerit, & futura præuiderit: vel quòd superiorum, & inferiorum ianitor extiterit: vnde & bifrontem fingebãt. Quidam Ianũ solem demonstrari volũt, & ideo geminum, quasi vtriusq; ianuæ cælestis potẽtem, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat. In sacris, vt inquit Macrobius, inuocabatur Ianus geminus. Plutarc. in Problematis Ianum ideo bifrontẽ & geminũ dici, fingiq; autumat propterea, quòd Græcus fuit: & cùm in Italiam traiecisset, linguam simul cum victu commutauit: vel potiùs Italos id temporis barbaros & agrestes ab incomi, incultóq; victu ad humanitatem traduxit, vitámque cultiorem. Scribit Iulius Capitolinus, Gordianum aperto Iano gemino, quod signũ erat indicti belli, profectũ esse cõtra Persas cũ exercitu ingenti. Continuauit.] Nullo interuallo, cùm ex præscripto legis annalis nemo capere possit eundem magistratum inter decem annos.

Tam nullo bello.] Sine respectu bellúmne esset, an pax. Reliquos.] Primum, & nouissimũ consulatum.

Postulatoribus.] Postulatores à variis petitionibus dicti. Olim Cicero in causa Verris postulauit tempus inquirendorum criminum in Siciliam. Postulatores quoque accipi possunt pro accusatoribus: cùm postulare, sit accusare, vt antè dictum est.

Per libellos.] Vt consultiùs circunspectiúsque responderet, rem agebat per libellos: quibus quod sentimus, planiùs explicamus, quàm ore pronuntiemus.

M. AN. TIara.] Seruius Phrygiũ pileũ tiarã interpretatur: eo capitis insigni reges, & sacerdotes vsi sunt.

Diadema.] Regium insigne: à Græcis διάδημα. διαδέω corono est, siue circunligo. Cornelius à Tranquillo diuersus aliter: Tyridates, inquit, cæsis ex more victimis, sublatum capiti diadema imagini subiecit. Hæc illum sub primum accessum fecisse Cornelius ait, quo apparet diadema tum in conspectum venisse.

Ianum geminũ.] Pacis, & belli argumento ita Romæ cultum Plinius ait. Plutarchus, Est, inquit, etiam templum Romæ duabus portis, quod belli ianuam vocãt. Ouidius bicipitem facit

Bina repentè oculis obtulit ora meis.

Tã nullo, quàm residuo.] Quasi dicat, indifferẽter, siue pax esset, siue bellũ. Medios duos.] Secundũ, & tertium. Continuauit.] Sine intermissione gessit.

Contin

continuis actionibus omiſſis, ſingulatim quæque per vices ageret. Quoties autem ad conſultandum ſederet, neque in commune quicquam, neque propalàm deliberabat: ſed & conſcriptas ab vnoquoque ſententias tacitus, ac ſecretò legens, quid ipſi libuiſſet, perinde atque pluribus idem videretur, pronuntiabat. In curiam libertinorum filios diu non admiſit, admiſſiſque à prioribus principibus honores denegauit. Candidatos, qui ſupra numerum eſſent, in ſolatium dilationis, ac moræ, legionibus præpoſuit. Conſulatum in ſenos plerunque menſes dedit. Defunctóque circa Calendas Ianuarii altero è Conſulibus, neminem ſubſtituit, improbans exemplum vetus Caninii Rebuli vno die Conſulis. Triumphalia ornamenta etiam Quæſtoriæ dignitatis, & nonnullis ex Equeſtri ordine tribuit, nec vtique de cauſa militari, ſed & de quibuſdam rebus. Orationes ad Senatum miſſas, præterito Quæſtoris officio, per Conſulem plerunque recitabat.

PHIL. Continuis actionibus.] Moris fuerat, vt agẽdi dies priori poſtulatori prior ordinaretur, & locus ad agendum daretur: ex quo fiebat vt altera cauſa agi nõ poſſet, niſi prima abſoluta. Hoc cognoſci licet ex Verrinis Ciceronis: etenim Cicero laborauit, ne Rupilius ſiue Oppius à Verre ſubornatus antè ſe cauſam agere inciperet: quia ſic per interpoſitam nouæ accuſationis de induſtria moram ad alios Conſules Verris accuſatio dilata fuiſſet. Nero continuas illas actiones omiſit, quæ priùs, donec abſoluerentur, agi continenter ſolebant: quibus accuſatori viginti dies ad accuſandum legitimi erant conſtituti, totidémque defenſori ad reſpõdendum.

Per vices.] Viciſſim modò hanc cauſam cognoſceret, modò illam.

Ad conſultandum ſedebat.] Moris eſt vt ſedentes conſultemus, non ſtantes. Vnde verus prouerbiũ eſt, Romanus ſedẽdo vincit: cui accommodari poteſt illud Plautinum: Nimio plus ſapio ſedens. Seruius enarrans illud Vergilianum: Turnus ſacrata valle ſedebat. inquit: Sedere, eſt conſilium capere. Senſus hic eſt: Nero, quum ſederet in concilio, ſententias ſingulorum Conſiliariorum, iudicúmque exquirens, non id palàm factitabat, ſed à ſingulis Conſiliariis ſententias conſcribi ſeorſum volebat, deinde id, quod ſibi placuiſſet, palàm pronuntiabat, tanquam ea foret ſententia plurimorum.

Perinde atque.] Tanquam.

Libertinorum filios non admiſit.] Quum maieſtas Senatus polluatur dehoneſtamento ſordidorum, noluit Nero vt libertinæ conditionis homines in ordinem Senatorium reciperentur.

A prioribus principibus.] Sicut à Claudio, qui allegit in Senatum filios libertinorum: vt antè dictum eſt.

Candidatos ſupra numerum.] Præſcriptus erat numerus magiſtratuum: exempli cauſa, vt duo Conſules crearentur, duo prætores, alter peregrinus, alter vrbanus: vnde fit vt in petitione Conſulatus ſi plures fuerint candidati, duo tantùm Conſules deſignentur, reliqui repulſam patiantur. Talibus Nero dabat præfecturas legionum, vt ita æquioribus animis ferrent ſe fuiſſe præteritos, & in aliud petendi tempus dilatos.

In ſenos menſes.] Quum legitimum tempus conſulatus annuum ſit.

Circa Calendas.] Quidam codices habent citra, quod ſignificat ante diem Calendarum.

Exemplum Caninii.] In Iulio Cæſare dictum eſt, quemadmodum Conſulatum dedit Caninio Rebilio in paucas horas: quum pridie Calendas Ianuarii repentina morte Conſul occubuiſſet: vnde innotuit iocus ille Ptholai in Caninium vnius diei Conſulem: Ante flamines, nũc conſules diales fiũt. Idem à Marco Tullio tali aſperſus eſt ſcommate: Conſulem habuimus tam ſeuerum, vt in eius magiſtratu nemo pranderit, nemo cœnauerit, nemo dormierit.

Quæſtoriæ dignitatis.] Ornamenta quæſtoria ſignificat, qualia olim Claudiano liberto Narciſſo decreta fuerunt.

Sed & de quibuſdam rebus.] Hîc diſtinguendũ, quum id à ſententia ſuperiore depẽdeat, ſitque ſenſus: Nero non ſolùm ob rem militarem egregiè adminiſtratam tribuit ornamenta triumphalia, atque quæſtoria, ſed etiam ob res alias minimè militares, tanquam priùs talia ornamẽta, maximéq; triumphalia tãtummodo tribuerentur ex cauſa militari his, qui in militia aliquod præclarum facinus edidiſſent.

Præterito quæſtoris officio.] Ex quæſtoribus quidam candidati principis dicebantur, qui libris principalibus in Senatu legendis vacabant: author Vlpianus in titulo De officio quæſtorum. Nero voluit recitari per Conſulem orationes miſſas ad Senatum, tãquam id foret ſplendidius, atq; magnificentius: omiſſo officio quæſtoris candidati, cuius hoc peculiare erat officium, orationes in Senatu recitare: quod in Titi vita demonſtrabitur: de quo intellexit Cor. Tacitus cùm ait: Ingreſſi curiã Senatores, & oratio principis per quæſtorem eius audita eſt.

M. AN. Continuis actionibus.] Ad vnam ſubintellige cauſam attinentibus.

Admiſſis.] In curiam.

Supra numerũ magiſtratuũ.] Qui creandi eſſent, ac per hoc dignitatem non adepti.

In ſolatium.] Vt repulſæ ſolamen eſſet.

Dilationis.] Dilati honoris.

Substituit.] In demortui locum ſuffecit.

Caninii.] A Cæſare Dictatore in aliquot horas ſubſtituti, in quem iocus ille Ciceronis extitit: Induſtrium Conſulem Rempublicã ſortitam dixit, qui in ſuo Conſulatu non dormiſſet.

Præterito quæſtoris officio.] Quæſtoris opera prætermiſſa, cuius erat, publicas in Senatu literas recitare. Quæſtores vrbani erant, qui ærarium curabant, eiúſque pecunias in tabulas publicas referebant.

Afflictio Christianorum. XVI.



Ormam ædificiorum vrbis nouam excogitauit:& vt ante insulas, ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur, eásque sumptu suo extruxit. Destinarat etiam Hostia tenus mœnia promouere, atque inde fossa mare veteri vrbi inducere. Multa sub eo & animaduersa seuerè, & coercita, nec minùs instituta. Adhibitus sumptibus modus, publicæ cœnæ ad sportulas redactæ. Interdictũ, ne quid in popinis cocti præter legumina, aut olera veniret, quũ anteà nullũ nõ obsonii genus proponeretur. Afflicti suppliciis Christiani, genus hominũ superstitio-

PHIL. ANte insulas.] Iam sæpe dictum est, domos ab aliis domibus seiunctas dici insulas. Nero ad arceoda incendia, quibus obooxia erat vrbs Roma, areas patefecit, porticus extruxit, quæ frontem iosularum, domorúmque protegerent, ex quarum solariis incendia repelli possent. Quæ sins solaria, & meniana, noo incuriose explicauimus proximo commensario. Cor. Tacitus in hanc sententiam sic scribit: Patefactis areis, additisq; porticibus, quæ frõtem insularum protegerent, Nero eas porticus sua pecunia extructurũ pollicitus est. Hostia tenus.] Vsque Hostiam ciuitatem ab Aoco rege conditam. Promouere.] Augere, propagare. Inde fossa.] Neroni Seuerus, & Celer machinatores promiserant à lacu Auerno vsq; ad Hostia Tyberina se depressuros fossam nauigabilem, sequenti litore, aut per mõtes aduersos. Nero, vt erat incredibiliũ cupitor, effodere proxima Auerno iuga connixus est: manéntq;, vt ait Tacitus, vestigia irritæ spei. Tranquillus verò dicit Neroně constituisse facere fossam, per quã mare induceret vrbi Romæ: quam veterem vocat ad differentiam illius quã Nero facere destinaoerat: mœnibus vsq; Hostiã productis. Coercita.] cohibita, compressa.

Adhibitus sumptibus modus.] Legem sumptuariã, quæ alio nomine cibaria nominatur, Neronem exercuisse significat: de qua in primo cõmenrario satis multa. Cœnæ ad sportulas redactæ.] Nero, vt cohiberet luxum gulæ efferuescentem, voluit vt loco cœnarũ sportulæ darentur. Nam cœnas dare principes solebãt clieotibus, quas rectas vocabant, qoæ erant opiparæ, & lautæ: de quibus scripsimus in Augusto. Sportula verò specimeo erat pusilli hominis, atq; deparci. Hinc illud Satyricum: -Sportula primo

Limine parua sedet, turbæ rapienda togatæ.

In popinis.] Scribit Iulius Firmicus, quòd Luna à Venere defluens, si feratur ad Mercurium, faciet popinarios. Venus quoq; si domina actus fuerit, in deiectis locis faciet popinarios & tabernarios. A popina fit verbum popinari, quod significat helluari, & Indulgere popinis, ac ganeæ. Iulius Capitolinus, Dum Gallienus, inquit, popinatur, & balneis, ac lenonibus reputat vitam. Popinationes quoque dicuntur helluationes. Popina optimo epithero nominatur vncta ab Horatio. De popinis, & popinonibus áffatim diximus in Tyberio.

Veniret.] Venderetur. Nullum non.] Quodcunque. Obsonii.] Antiqui obsonium nominauerunt manducũ: & ita in Atellanis vocatur à manducando: manducari autẽ à mandendo dici refert M. Varro. vnde & mãdones, & mãducones dicti edaces, & comœdones. Apuleius in vi. de Asino aureo: Qoid laudodũ decreueritis de isto asino, semper pigro quidẽ, sed manducone summo. Proponeretur.] Scilicet venale in popinis. Christiani.] Primam in Christianos persecutionem exercuit Nero, sicut Ecclesiastici scriptores prodiderũt: de qno Paulus Orosius scribit hæc: Nero primus Romæ Christianos morte & sopplicio affecit, ac per omnes prouincias pari persecutione excruciari imperauit: ipsúmq; nomen extirpare conatus, beatissimos Christi Apostolos Petrum Cruce, Paulum gladio occidit. Superstitionis nouæ.] Scriptores ethnici, & in primis duo, Soetonius, & Tacitus religionẽ Christianam, quæ vera religio est, & veri Dei cultura, tãquã soperstitionẽ execrabilem detestantur. Vndeà Corne. Tacito cum Tranquilli sententia cõgruente sic scriptũ est: Ergo abolendo rumori Nero subdidis reos, & exquisitissimis pœnis affecis, quos per flagitia inuisos vulgus Christianos appellabat: author nominis eius Christus, Tyberio Imperante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus fuerat. Repressa in præsens exitiabilis superstitio, rursum erumpebat ooo modò per Iudæam, origioem eius mali, sed per vrbem etiã, quò cũcta vndiq; atrocia, aus pudẽda cõfluunt, celebrãtúrq;. Hoc antem in primis supplicio affecti sunt à Nerone, vt ferarum sergis contecti, laniatu canũ interierint, aut crucibus affixi, aut flammis in vsu nocturni luminis vrerentur.

MAN. INsulas.] De vrbicis insulis in Aogusto diximus. Solariis.] Solaria, quæ eadem sunt, vt Festus ait, quæ & Babylonica ab eo dicuntur, quòd in his solia sternerentur: Babylonica credo ab ipsa structuræ ratione, qua Semiramis in Babylonis mœnibus struendis vsa est: vide Herodotum, & Diodorum. Cornelius, Patefactis, inquit, areis, additisq; porticibus, quæ frontem insularum protegerent, Nero eas porticus sua pecunia extructurum pollicitus est.

Promouere.] Ampliare. Veteri vrbi.] Veteri dixis, ad oouæ differeotiam, quæ Hostiam vsq; ex Neronis destinatione erat processura.

Animaduersa.] Punita. Coercita.] Compressa.

Publicæ cœnæ.] A se, & aliis Cæsaribus dari solitæ.

Ad sportulam.] Ad certam nũmariæ rei summam. Iuuenalis: -Nunc sportula primo

Limine parua sedet, turbæ rapienda togatæ. Et mox statim: Sportula deinde forum.- Eam centum quadrantibus cõstitisse, idem aothor perspicuè docet.

-Densissima centum Quadrantes lectica petit.- Martialis: Centum miselli iam valere quadrantes. Et rursus: Dat Baiana mihi qoadrãtes sportula centũ,

Inter delicias quid facit ista fames?

Veniret.] Venale proponeretur.

Christiani genus.] Iosephus anthor est, Neronem crudeliter Christianos insectatũ. Coroelius, Abolẽdo, inqoit, rumori Nero subdidit reos, & exquisitissimis pœnis affecit, quos per flagitia inuisos vulgus Christianos appellabat: author nominis eius Christus, Tyberio imperante per procuratorem Pontiũ Pilatũ supplicio affectus. Erat repressa in præsens exitiabilis superstitio. Hæc ille, & alia infanda de Christianis, certè dignus ipse, qui per eosdẽ cruciatus, quibus tum meritò Christianos ait affectos, perpetuò distraheretur: pietatem

flagit

flagitium appellat, veri Dei cultum ſuperſtitionem homo impius, dæmonúmque præſtigiis addictus: ſed iam pridem, credo, intelligit quid ipſe, quid ſui populares in Ioue, Iunone, cæteriſque dæmonibus colendis meriti ſint: quid contrà, Chriſtiani cum ſua innocentia, & pietate: de quibus hæc non magis impiè, quàm ineptè ſcribit.

nis nouæ ac maleficæ. Vetiti quadrigariorũ luſus, quibus inueterata licentia paſſim vagantibus, fallere, ac furari per iocum ius erat. Pãtomimorum factiones cum ipſis ſimul relegatæ.

Cautum in falſarios pro teſtamentis. XVII.



Duerſus falſarios tunc primùm repertũ, ne tabulæ niſi pertuſæ, ac ter lino per foramina traiecto obſignarentur. Cautum, vt in teſtamentis primæ duæ ceræ teſtatorum modò nomine inſcripto, vacuæ ſignaturis oſtenderẽtur, ac ne quis alieni teſtamenti ſcriptor

PHIL. QVadrigariorum.] Agitatores quadrigarum, ipſóſq; dominos equorum quadrigarios vocamus Refert Maternus, aurigas, & agitatores naſci ſub ſydere Alitis equi.

Ius erat.] Cùm ex talibus furtis minimè punirentur.

Pantomimorũ factiones.] Scribit Tacitus, hiſtriones pulſos Italia à Nerone: cùm factiones hiſtrionũ, quos pãtomimos Trãquillus vocat, fautores haberent adeò vehementes, vt ob id diſcordia in populo & tumultus exoriretur, militéſque ad compeſcendam fautorũ contentionem theatro aſſidere iuberentur. Olim pantomimi à Nerua reſtituti fuerunt, quos ſuſtulerat, vt Plinius inquit in Panegyrico, malus princeps: dein à Traiano ſublati fuerunt, vt ſuo loco annotauimus.

Pertuſæ.] Perforatæ. Ter lino traiecto.] Ita obuiam ibatur fraudi falſariorum, ne tabulas teſtamentarias, aliáque negotia continentes adulterare poſſent. Nanque linum non ſemel, ſed ter traiectum per foramina tabularum eas à fraude falſariorum muniebat. Linum autem adhiberi ſolitum ad tabellas obſignandas, Plautus quoque demonſtrat, qui ſic ait in Pſeudolo: Pheniciũ Calidoro amatori ſuo per ceram, & linum, literáſque interpretes ſalutem mittit. Idem in Bacchidibus: Effer citò ſtylum, ceras, & tabellas, & linũ. & mox paulò: Cedo tu ceram, ac linum actutum, age obliga, obſigna citò. De tabulis teſtamentariis ſignandis ſic refert Vlpianus titulo De teſtamentis: Signatas tabulas accipi oportet, & ſi linteo, quo tabulæ inuolutæ ſunt, ſigna impreſſa fuerint.

Primæ duæ ceræ.] Dixit Horatius in Sermonibus:

-Quid prima ſecundo
Cera velit verſu: ſolus, multíſne cohæres
Veloci percurre oculo.-

Quem locum exponens Porphyrio ait quòd in prima cera, hoc eſt tabula, primo loco teſtatoris nomen ponebatur: ſecũdo verò hæredis. Nero ad repellendas fraudes teſtamentarias cauit vt primæ duæ tabolæ ceratæ ſignatoribus, qui ſeptẽ ſunt, vacuæ oſtenderẽtur inſcripto ſolo nomine ipſius teſtatoris, vt ita teſtatori liberũ eſſet hæredem ſcribere quencunq; vellet. Nanque vbi in teſtamentariis tabulis ſolum teſtatoris nomen inſcriptum eſt coram ſignatoribus, liquidò declaratur teſtamentum illud legitimum, & ex teſtatoris ſentẽtia futurum: in quo nullus per fraudem hæres, legatariúſve ab ipſo ſcriptore ſupponi poſſit.

Signaturis.] His, qui erant futuri ſignatores. Si ſignator ab ipſo teſtatore acceperit annulum, & ſignauerit teſtamentum, valet, quaſi alieno ſignauerit. Si ſigna illa turbata ſunt, ab ipſo teſtatore nõ videtur ſignatũ. Signum autem verum annulo tantùm impreſſo adhibeatur: an & ſine annulo alio quodam impreſſo, cùm varie homines ſignent, quæritur. Sentit Vlpianus, annulo tantùm poſſe ſignari, dum tamen habeat charactera.

Teſtamenti ſcriptor.] Qui adhibitus eſt ad teſtamentum ſcribendom, in numero teſtium haberi poteſt, & tabulas ſignare, quas ſcripſit, quod adeò indubitatum videtur, vt quum Domitius Labeo quæſiuerit de Celſo an teſtis & ſignatoe habendus eſſet ſcriptoe teſtamenti, ille reſponderit: Aut nõ intelligo quid ſit, de quo me cõſulueris: aut valde ſtulta eſt interrogatio tua. Tabellionem vocant ſcriptoem teſtamenti.

MAleficæ.] Tibi, Tranquille, & tuis popularibus perſuaſum, verùm Deo Optimo Maximo aliter viſum. M. A N.

Luſus.] Deceptiones. Ludere, decipere eſt. Næuius: Tu me ludere auſus es Sycophanta. Vergil.

-Crudelis tu quoque falſis
Ludis imaginibus.-

Quibus.] Quadrigariis.

Factiones.] Quibus verbis percipi poteſt, vt aurigas in Circẽſibus, ſic ſcenicis ludis, & aliis theatralibus ſpectaculis pantomimos ſuas factiones habuiſſe.

Falſarios.] Falſarum tabularum authores.

Lino.] Filo: vt ſit hodie quoque in ſecretioribus literis obſignandis.

Obſignarentur.] Sub ſigno clauderentur. Contrà reſignare, deleto ſigno aperire eſt.

Duæ primæ ceratæ.] Tabulæ, quibus primi, ſecundíque hæredes conſcriberentur: nam tertiæ, haud tanti erant momenti: rarò enim vſu venit, vt qui in tertia cera relati ſint, hæreditatem adierint. Quòd ceratis tabulis teſtamenta, & alia priuata acta ſcriberentur, tam poetarum, quàm aliorum teſtimonia declarant. Iuuen.

Notum eſt cur ſoli tabulas impleuerit Iſter
Liberto.- & mox poſteà:
Signatæ tabulæ, dictum feliciter.- Idem:
Nónne libet medio ceras implere capaces?

& ad Herennium Cicero, ſi Ciceronis eſt id opus: Tabulas in carcerem afferunt, teſtamentum ipſo præſente conſcribunt. Sed ſuperuacuum eſt hæc colligere, quæ paſſim legentibus occurrunt.

Teſtatorum.] Qui teſtamentum conderent.

Vacuæ.] Scilicet ceræ, quibus videlicet nihil eſſet notatum prætee teſtatorum nomen: quo conſpecto apparebat ſatis exploratum habere ſignatores, quicquid in tabulis poſteà ſcriberetur, id ex teſtatoris ſententia ſcriptum iri.

Signaturis.] Iis, qui ad hoc ipſum vt ſignarent, accerſiti eſſent.

Alieni teſtamenti.] Non ſui. Non enim ſemper teſtator ſuum notare poteſt teſtamentum, aut dextra debilitatus, aut mancus, aut literarum ignoratione. Cautum igitur, ne qui ſcriberet alterius legata, quicquam quod ad ſe attineret, in tabulis notaret, ne ſibi præter teſtatoris mentem aliquid adſcriberet

legatū sibi adscriberet. Item vt litigatores pro patrociniis certā, iustámq; mercedem pro subselliis nullam omnino darent, præbente ærario gratuita: vtq́ue rerum actu ab ærario causæ ad forum, ac recuperatores transferrentur:& vt omnes appellationes à iudicibus ad Senatum fierent.

Imperium sub Nerone non auctum. XVIII.



AVgendi, propagandíque Imperii neque voluntate vlla, neq; spe motus vnquam, etiā ex Britānia deducere exercitū cogitauit: nec nisi verecūdia, ne obtrectare parētis glo

PHIL. LEgatū sibi adscriberet.] Regulus ille epistolis Plinii famosus, cū venisset ad signandū Aureliæ ornatæ fœminæ testamentū, coegit mulierem sibi tunicas, quas erat indura, legare: obseruauit scribētem, inspexit an scripsisset. Cum iniquū itaq; sit, signatores, scriptoresq; alieni testamēti sibi legata poscere, atq; adscribere, meritò laudandus est Nero, qui cauit, ne quis notarius in alieno testamēto sibi adscriberet legatū. Debes enim testatoris voluntas esse libera, vt possit legare cui velit, præterire quem nolit. Pro patrociniis mercedem.] In Decretis canonicis xj.q.iij. scriptū legimus, quòd licet aduocato vendere iustum patrocinium, & Iuriscōsulto rectū consiliū, sed nō licet iudici vendere iustum iudicium. Contrarium sanxit lex Cincia, qua cauebatur antiquitus, ne quis ob causam orandam pecuniam, donúmve accipiat. Aliæ quoque leges fuerunt & Senatuscōsulta, quæ vetabāt venire aduocatiōes. Atqui Nero voluit vt merces à litigatoribus daretur patronis causarū pro patrocinio, sed nullā dari voluit iudici pro iudicio: vt exponas pro subselliis, & hoc pro iudiciis. Sed magis places simpliciter accipere subsellia pro sedibus, in quibus litigātes, dū causa agebatur, sedere solebāt, pro quibus pēsio & merces certa soluebatur: vnde voluit Nero vt pro subselliis, quæ seruiūt litigatoribus nulla merces daretur, iubēs ab ærario subsellia sine mercede exhiberi in iudiciis. Subsellia autem conduci solita non solùm à litigatoribus, sed etiam à recitatoribus indicat Iuuenalis illo versu:

Et quæ conducto pendes anabatra tigillo. & Cor. Tacitus in dialogo de Oratoribus ait: Rogare vltro, & ambulare cogitur, vt sint qui dignentur audire: & ne id quidē gratis. nā & domū mutuatur, & auditoriū exstruit, & subsellia conducit. Rerū actu.] Ab agendis rebus, rerum actū appellat, veluti actionē, sicut in superioribus dictū est. Ab ærario.] In Augusto relatum est quemadmodū cura ærarii ad prætores, prætoriósq; viros trāslata fuit: vnde intelligimus Neronē instituisse, vt causæ à præfectis ærarii: hoc est prætoribus, qui iudiciis præesse solebāt, trāsferretur ad forenses actiones, iudiciáq; recuperatoria. Recuperatores.] Iudices dati edicto prætorio iniuriis æstimādis recuperatores dicūtur: quorū meminit Gellius lib. Noctium Atticarū nouissimo. Cicero in oratione pro Cecinna, quā habuit ad recuperatores, insinuat recuperatores dici ex eo, quòd per illos ius nostrū recuperemus. Idem in Verrinis legitimū recuperatorū numerū ex tribus cōstare significat, vbi ait tres à Verre recuperatores datos assectas ipsius Verris, homines scilicet improbissimos, quorū iudicio recuperatorio euersi sunt Siculi aratores. Liuius quoq; recuperatores tres ab Africano datos scribit, qui inter eos iudicarent, qui inter se contendebant de corona murali. Appellationes.] Titulus est apud Iuriscōsultos nouissimus de appellationibus, vbi scriptū est, quòd à minori iudice ad maiorem licet prouocare: vnde à iudice ad Senatū appellare fas erat: à Senatu verò ad principem appellari nō posse, oratione diui Adriani perscriptum est. Consimiliter Nero voluit vt appellationes, siue prouocationes, fieri possent à sententia iudicū ad ipsum Senatū, tanquam à minoribus ad maiores. Et ita ostendit Nero, se plurimi facere Senatorum authoritatem. De quo hæc Cor. Tacitus: Auxit patrū honorem, statuendo vt qui à priuatis iudicibus ad Senatum prouocassent, eiusdem pecuniæ periculū facerent, cuius hi, qui Imperatores appellauere. Nam anteà vacuū id, solutúmq; pœna fuerat. Literæ autē, per quas causa ad eum iudicem, qui appellatus est, dimittitur dimissoriæ dicuntur: vulgò nominātur apostoli: vt docet Iurisconsultus titulo De verborū significatione. Ex Britānia exercitū.] Cor. Tacitus in lib. quem scribit de vita Iulii Agricolæ soceri sui, tradit Britānos agitasse cōsilia excutiendi Romanum iugū, vniuersósq; sumpsisse bellū duce fœmina nomine Voadica: quod nisi Suetonius Paulinus properè subuenisset, amissa Britānia foret. Idem in libris historiarum multa facundissimè scribit de bellis in Britannia gestis per Romanos legatos Neronis principatu.

Parentis gloriæ.] Claudius Neronis pater per adoptionem, Britāniæ gentes domuit, trāsnectis illhuc legionibus, auxiliisq;, assumpto in partem rerū Vespasiano: tunc Britāniæ pars proxima redacta est in formam prouinciæ, addita insuper veteranorum colonia.

Ponti regnum.] Sex. Aurelius tradit, à Nerone Polemoniacum Pontū factū esse prouinciā vnà cum alpibus Cottiis, Cottio rege mortuo. Eusebius quoq; Chronographus in hanc sententiā sic scribit: Duæ tantùm prouinciæ sub Nerone factæ Pōtus Polemoniacus, & Alpes Cottiæ Cottio rege defuncto. Plinius meminit ciuitatum Cottianarū, quæ sitæ erāt in Cottiis Alpibus. Eiusdem historiæ sic meminit Eutropius: Duo regna sub Nerone prouinciæ factæ sunt, Pontus Polemoniacus, concedente rege Polemone, & Alpes Cottiæ, rege defuncto. Alpes autem Cottias aggeribus attolli ad Solis ortus, testis est Ammianus Marcellinus: atque extructas esse molibus magnis à Cottio rege, qui receptus fuit in amicitiam Octauii Cæsaris. In his Alpibus Cottiis, quarū initiū à Segusia oppido est præcelsum erigitur iugū, nulli ferè sine discrimine penetrabile. Mendosa dictio est apud Cor. Tacitum sic scribentem in xvi s. Fabius Valens allicere, vel, si abnuerint, vastare Gallias, & cotidianis Alpibus Italiam irrumpere. Tu pro cotidianis Alpibus legito Cottianis, & pro Cottiis Alpibus, quæ & Cottianæ dicuntur, accipito.

M. AN. PRo patrociniis.] Pro opera in causis, aliisve negotiis à patronis nauata.

Pro subselliis.] Ergo & pro subselliis, quæ iudicum, vt dixi, erant, certa à litigatoribus pecunia pendi solita est.

Gratuita.] Subsellia.

Rerum actu.] In transigendis rebus.

Ab ærario.] A iudicibus ærariis.

Recuperatores.] Fiscalium rerum assertores.

Parentis.] Claudii.

riæ videretur, deſtitit. Ponti modò regnum concedente Polemone, item Alpium defuncto Cottio in prouinciæ formam redegit.

Expeditiones Alexandriæ, & Achaiæ per eum ſuſceptæ. XIX.



PEregrinationes duas omnino ſuſcepit, Alexandrinam, & Achaicã: ſed Alexandrinam ipſo profectionis die deſtitit, turbatus ſimul religione, ac periculo. Nam cùm circuitis templis in æde Veſtæ reſediſſet, conſurgenti ei primùm lacinia obhæſit: deínde tanta caligo coorta eſt, vt diſpicere non poſſet. In Achaia Iſthmum perfodere aggreſſus prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus eſt, tubáque ſigno dato, primus raſtello humum effodit, & corbulæ congeſtam humeris extulit. Parabat & ad Caſpias portas expedi-

PHIL. ALexandrinam.] Prouincias Orientis, & maximè Aegyptum ſecretis imaginationibus Nero agitabat. Suſcepturus itaque Alexandrinam peregrinationem dicto teſtificatus eſt, non longam fore ſui abſentiam: ſupérque ea profectione adiit Capitolium, vbi veneratus deos Capitolinos, cùm Veſtæ quoq; templũ iniiſſet, repentè cũctos per artus tremere cœpit, ſeu numine exterrẽte, ſeu facinorum recordatione. Itaque nunquã amore vacuus deſeruit incœptũ, cunctas ſibi curas amore patriæ leuiores dictitãs. author Corn. Tacitus, qui ait, omiſſam quoq; anteà fuiſſe profectionem in Achaiam: cur autem omiſerit, cauſæ incertæ fuerunt.

Circuitis templis.] Vt ante profectionem deos omnes ſalutaret, deorúmque fauorem in peregrinatione ineunda promereretur. Lacinia obhæſit.] Veſtimenti pars illa, quæ cæſuratim confecta eſt, adhæſit ſellæ, ne poſſet exurgere: quod fuit ominoſum. Coorta caligo.] Hoc ad periculum referendum. Ait enim, tantas tenebras caliginibus oculis Neronis eſſe factas, vt nihil diſpicere, atq; internoſcere poſſet. Addit Tacitus, omnes per artus contremuiſſe. Achaia.] Achaiæ nomen prouinciæ ab Iſthmo incipit: antrà Aegialos vocabatur, propter vrbes in litore per ordinem poſitas. Græcè enim αἰγιαλὸς dicitur litus. Primus.] Nullum acrius hortamentum eſt, quàm quod fieri vult princeps, vt id ipſe primus aggrediatur: tunc animi excitantur ad æmulationem: tũc pudet ſubitos id laboris recuſare, quẽ princeps nõ recuſat. Ait apud Liuium Leuinus conſul: Si quid iniungere inferiori velis, id priùs in te, ac tuos, ſi ipſe iuris ſtatueris, faciliùs omnes obedientes habeas: &, vt inquit Lactantius in IIII. qui præcepta dat, præcepta faciat. Malunt enim homines exempla, quàm verba. In hanc ſententiam eſt illud à Lucano prolatum in Catonis laudationem: Monſtrat tolerare labores, non iubet. Sidonius quoque Apollinaris hoc præconio extollit Maiorianum in Panegyrico: -Sic agmina voce

Erigis, exemplóque leuas, primúſque labores

Aggrederis quoſcunque iubes.- Itidem Nero primus cœpit fodere, ne milites id opus veluti culpatum, dehoneſtúmque aggredi ſuperſederent.

Iſthmum perfodere.] Relege quæ in primo Commentario diligenter ſatis perſcripſimus ſuper Iſthmo Corinthiaco. Illud in præſentia addendum, quòd cùm Damis Philoſophus admiraretur incœptum Neronis de Iſthmo fodiendo, périnde ac opus animi ampliſſimi dignũ admiratione, dixit Apollonius Tyanæus: Mihi videtur eius operis imperfectio afferre illi ſummam calumniam, tanquam imperfectè conanti, & imperfectè fodienti. Neronem enim video nunquã per Iſthmum nauigaturum, nec ad fodiendi finem peruenturum.

Ad Inchoandum opus.] Iſthmi effoſſionem.

Raſtello.] Raſtri diminutiuum eſt: ſicut à roſtro roſtellum deriuatur. Palladius inter inſtrumenta ruſtica numerat raſtros. M. Varro raſtellos ab raſu dictos eſſe autumat, quoniã ſcilicet in pratis his feſtucas abradunt fœniſecæ: ita enim dicuntur qui fœnũ ſecant.

Corbolæ.] A corbe corbulam diminutiua forma deduci nullus ignorat. Varro in I. Latinæ linguæ: Corbes ab eo quod ſpicas, aliúdve quid eo corruebant. Hinc minores corbulæ dictæ. Iuriſconſultus inter inſtrumẽta fundi numerat corbes.

Extulit.] Exportauit.

Ad Caſpias portas.] Plinius in VI. ait corrigendũ eſſe errorem multorũ, qui Caſpias appellauere portas Iberiæ, quas Caucaſeas ipſe dicit vocari. Neronis principis cõminatio ad Caſpias portas tendere dicebatur, cùm peteret illas, quæ per Iberiam in Sarmatas tendunt, vocantúrque Caucaſiæ: ad quas vix vllus eſt aditus propter montes oppoſitos. Cauſa autem nominis portarũ Caſpiarum eſt, quòd interruptis anguſto tranſitu iugis vix ſingula meant plauſtra: anguſtiæque illæ impediuntur liquore è cautibus corriuato. Trãquillus ſequutus opinionem vulgatiorem dixit Caſpias portas, ad quas comminatio Neroniana tendebat.

M. A N. POnti.] Ponticæ regionis. Concedente Polemone.] Euſebius de Nerone, Pontum, inquit, Polemoniacum in prouinciam redegit. Ptolemæus, Ponti, inquit, Polemoniaci deſcriptio. & mox paulò, Polemoniacum Iaſonium oppida. Item Alpium.] Regnũ ſcilicet. Cottio.] Rege: ſic in Tyberio, à Cottii regno dixerat. Eſt indidem & Cottium oppidum à Strabone in relatione Alpium ſæpius repetitum.

Profectionis die.] Quo ex vrbe profecturus erat.

Religione.] Metu. Periculo.] Clade corporis, vel vitæ diſcrimine. Lacinia.] Extremæ togæ ſciſſura. Obhæſit.] Adhæſit, hærens remorata eſt: ſic obſedit, obiit, pro adſedit, & abiit veteres dixere.

Coorta caligo.] Illiúſne oculis oborta, an templo circunfuſa, vel denſa nebula conſpectum ademerit, non dicit, ſed quia periculo dixit, ad Neronem ipſum id potiùs referas.

Raſtello.] A raſtro diminutiuum nomen. Terẽtius, At hos roſtros intereà tantùm depone. Cato in re ruſtica, Raſtra quatuor, raſtros quadridentes ſex.

Corbulæ.] Corbula vas vimineum. Cato, Rotabulũ vnum, corbulas amerinas quatuor.

Extulit.] Humeris aſportauit. Nec id temere: honore enim, & gloria, vt eſt apud Xenophontem, leuior redditur labor principis, aut Imperatoris. Oportet ad hæc, vt apud eundem Cambyſes Cyro filio præcipit, Imperatorem in primis labores perpeti.

tionem, conſcripta ex Italicis ſenûm pedum tyronibus noua legione, quam Magni Alexandri phalangem appellabat. Hæc partim nulla reprehenſione, partim etiam non mediocri laude digna in vnum cõtuli, vt ſecernerẽ à probris, ac ſceleribus eius, de quibus dehinc dicam.

Studium eius in cantu, & muſica XX.

INter cæteras diſciplinas pueritiæ tempore imbutus & muſica, ſtatim vt Imperiũ

Caſpias portas.] Plinius, Corrigendus eſt, inquit, multorum error, & eorum etiam, qui in Armenia res proxime cum Corbulone geſſere: nanque hi Caſpias appellauere portas Iberiæ, quas Caucaſeas diximus vocari, ſitúſq; depicti, & inde miſſi hoc nomen inſcriptum habent: & Neronis Principis cõminatio ad Caſpias portas tendere dicebatur, quum peteret illas, quæ per Iberiam, & Sarmatas tendunt. Hæc, & alia Plinius, quibus apparet Tranquillum communem errorem ſequutum, Caſpias portas pro Ibericis dixiſſe: ſũt autem portæ ipſæ montium anguſtiæ repẽtè interruptorũ, vbi fores obditæ ferratis trabibus, Diridoro amne ſuperfluente.

PHIL. SEnûm pedum.] Proceritas corporis in tyronibus antiquitus exigebatur, tanquam ad victoriam accõmodatior, ita vt ſex pedum longitudinem corporatura boni tyronis impleret: author Vegetius in primo de re militari. Idem tamen cenſet non tam ſtaturæ rationẽ habendam eſſe, quàm virium: cui adſtipulatur Homerus, qui Tydeum minorẽ quidem corpore, ſed fortiorem armis fuiſſe ſignificat. Debet itaque tyro eligi vigilantibus oculis, erecta ceruice, lato pectore, humeris muſculoſis, longioribus brachiis, ventre modicus, exilior cruribus, ſuris nõ ſuperflua carne diſtentis, ſed neruorum duritia collectis. Cùm hæc in tyrone ſigna deprehendis, proceritatem magnopere nõ deſideres. Vtilius enim eſt, fortes eſſe milites, quàm grandes. Nero autem non tam robur, quàm proceritatem in tyronibus exiſtimans eſſe ſpectandam, fecit legionem ex tyronibus Italicis, qui corporis proceritate ſex pedes implebant: & profectò legio ex ſtaturoſis, & ampliſſima corporatura præditis, res digna ſpectaculo eſt, ac veluti maieſtatem addit Imperatori. Etenim longitudo ſex pedum legitima eſt amplitudo humanæ ſtaturæ: quum pes, authore Vitruuio, ſit ſexta pars altitudinis. De Hercule tamẽ dictum eſt, quòd ſeptem pedum menſuram impleuerit: vnde, vt inquit Solinus, plerique definiunt, nullum poſſe excedere hãc longitudinẽ. Gellius quoque in III. Noctium Atticarum, modum eſſe dicit ſummum adoleſcendi humani corporis ſeptem pedes. Non placet legas ſenûm millium peditum, ſicut nonnulli legendum aſſeuerant: cùm Tranquillus non tam de numero militum, qui in legione ſunt, intelligi velit, quàm de proceritate & corporatura tyronum: ex quibus legio à Nerone conſcripta eſt. Quot autem millia legione Romana continerentur, alibi docuimus. Non video cur Trãquillus fecerit operæpretium, ſi legimus ſenûm millium peditum: memorando legionem fuiſſe conſcriptam à Nerone conſtantem ex ſex millibus peditum: quũ legiones Romanæ fermè omnes hoc numero conſcribantur: quæ modò fuerunt trium milliũ, modò quattuor: vnde legio quadrata dicebatur, modò quinque millia continebat: ſed propriè legio Romana habet, vt inquit Vegetius, peditũ ſex millia, equites ſeptingentos triginta, nimirum voluit ſignificare rem memorabilem ob proceritatem corporũ: cùm omnes eſſent vel ſola corporatura monſtrabiles. In phalange verò, quam Macedones peculiariter habuerunt armatorum octo millia cenſebantur: quum in cæteris Gallorum, atque Celtiberorum ſena millia bellatorum cõtinerentur. De phalange Macedonica ſcripſi adoleſcentulus adhuc in quibuſdam Plinianis Annotationibus: à cuius nomine Phalangitæ appellantur: quorum meminit Liuius in trigeſimooctauo. Legimus apud Aeliũ Lampridiũ, quemadmodum Alexander Romanus Imperator & ipſe ad imitationem Alexãdri Magni fecit phalangẽ triginta millium hominũ, quos Phalangarios vocari iuſſerat.

Secernerem.] Seiungerem, ſepararémque: virtutes enim cũ vitiis malè coeunt: ideóque ſeparatim tractanda ſunt.

A probris.] Flagitiis, & dehoneſtamentis.

Imbutus muſica.] Non reprehendit in Nerone ſtudium muſicæ diſciplinæ, quæ, vt inquit Ariſtoteles in VIII. Politicorum, inter diſciplinas ingenuas collocatur, & à pueris in primis ediſcenda eſt, vt præcipit Plato in libris Legum: de cuius laude nõ pauca collegimus digna memoratu in libro Orationum: quas dicauimus Martino Crunnouienſi ſcholaſtico Boemo: ſed reprehendit Tranquillus Neronem, quòd iam princeps nimio muſices ſtudio teneretur, illíque tantam impenderet & operam, & diligentiam, quãtam vix citharœdus impenderet non ſine reprehenſione. Iupiter enim, vt inquit eleganter Ariſtoteles, non cantat, aut citharã pulſat: quo exemplo docet principes in primis nõ debere muſicam exercere, quibus ſatis eſt, ſi aliis vtentibus oblectentur. Vnde haud immeritò Philippus Macedonũ rex Alexandrũ filium iuſta caſtigatione inceſſuit, cùm accepiſſet illum quodam in loco ſuauiter ceciniſſe: Nónne te pudet, inquiens, quòd tam pulchrè canere ſcias? ſatis eſt enim regi canentibus aliis audiendi otiũ ſupereſſe. Scitum quoque eſt illud muſici: nam quum idem Philippus pſalteo quendam vellet inter canendũ corrigere, veluti muſica peccantem, & de pulſandis fidibus diſſerere: dixit oppido quàm ſcienter pſaltes: Id abs te mali, ô rex, dii prohibeant ἵνα ταῦτα ἐμοῦ βέλτιον εἰδῇς. id eſt, vt hæc melius me ipſo calleas. Et profectò permultum videtur princeps impartiri muſis, ſi vel ſpectatorem tantùm ſe exhibeat muſicis de muſica concinentibus. Aliæ nimirũ virtutes grauiores, nobilioréſq; in Imperatore requiruntur, qui non tam voluptatibus propriis inſeruire debet, quàm cõmodis ſubditorum.

SEnûm pedũ.] Sic habent omnia, quæ ad hunc diem vidimus, exemplaria, ex qua trunca, & mutilata lectione nil ſequitur: ſed tu ſenûm millium peditum legas: quod & verba, quæ ſequuntur, facilè declarant: quã Magni, inquit, Alexandri phalangem appellabat. De Alexandri phalange Plutarchus plura. Erit igitur is ordo, noua legione ſenûm millium peditum ex Italicis tyronibus conſcripta. M.AN.

Et muſica.] Præter cæteras ſubandi diſciplinas imbutus. Timagenes author eſt, omnium in literis ſtudiorum muſicen antiquiſſimam extitiſſe, cui clariſſimi poetæ adſtipulati ſunt, apud quos laudes heroum, ac deorum ad citharã canuntur: ſic ille Vergilianus Iopas apud Didonem, ſic Demodocus Homericus apud Alcinoum, Odyſſeæ VIII.

Nōn

adeptus est, Terpnum citharœdum vigentem tūc præter alios accersiit: diebúsq; cōtinuis post cœnā canenti in multam noctem assidens, paulatim & ipse meditari, exercerique cœpit. Nec eorum quicquam omittere, quæ generis eius artifices vel conseruandæ vocis causa, vel augendæ factitarent: sed & plumbeam chartam supinus pectore sustinere, & clystere, vomitúque purgari, & abstinere pomis, cibísque officientibus, donec blandiente profectu (quanquàm exiguæ vocis, & fuscæ) prodire in scenā concupiuit, subinde inter familiares Græcum prouerbiū iactans, Occultæ musicæ nullum esse respectum. Et prodiit Neapoli primùm, ac ne

Νῆκος ὀδυσσῆος καὶ πηλείδεω Ἀχιλλῆος. & alia quæ sequuntur, Ille errantem Lunam, & Solis labores canebat. Constat adhæc Pythagoricos ad hunc concentum quieti sese dedere, & rursus quasi ad nouā meditationem excitari solitos. Transeo quòd Socrates iam grandis natu lyra institui voluit, & quod Themistocles Atheniēsium longè alioqui princeps, quia lyræ imperitus esset, habitus est indoctior, vt Cicero, & Plutarchus scribunt. Sed quorsum hæc? vt non solùm non reprehensibile, sed necessarium etiam, maximéque probabile id studium in Nerone videri potuisset, si ea arte, quatenus antiquissimis heroibus, summísque philosophis placuit, cōtentus fuisset: verùm quia scenicam illam effœminatam, & impudicam plus sequutus est, atque vsus, detestabile odium, insignémque contumeliam inde reportauit.

PHIL. TErpnum.] Nomen propriū citharœdi. Τέρπνον Græci iucundum vocant, & τερπνότητα iucunditatem. Arcessit.] Euocauit.

Canenti.] Terpno citharœdo.

Meditari.] Nihil est tam difficile, quod non assidua meditatio facillimum reddat.

Artifices.] Cantores, musici, citharœdi.

Conseruandæ vocis.] Scribit Aristoteles in VII. de animalibus, cantores abstinere solitos esse à coitu, vt ita diutiùs vox sine mutatione seruetur suauis, & canora, quæ in virilem sonum maximè transit in his, qui rem Veneream agere incipiunt. Prætereà, vt inquit Fortunatianus, claram vocem efficit anaphonesis, hoc est exclamatio: firmam, & suauem obseruantia cibi, & potus, & ventris continentia. Alitur autem vox, si à lectulo statim corpus deambulando moueamus. Frigidis etiam potionibus abstinendum censent, quia his indurantur arteriæ, calidis autem aperiuntur. Quòd si vox vexata fuerit, vtendum erat cibis acrioribus: quibus si quid obstrepit voci, perrumpat. Nam medici dormituris etiam laser instillant. Cibus quoque lenissimus arteriæ prodest.

Plumbeam chartam.] Plinius in XXXIIII. Laminā plumbeam pectori impositam esse efficacem ad voces alendas: vnde & Nero, inquit, princeps lamina pectori imposita sub ea cantica exclamans alendis vocibus demonstrauit rationem: quinetiam laminæ plumbeæ lumbis adalligatæ inhibēt impetus Veneris: quibus Caluus orator vsus esse fertur ad cohibendas libidinum imaginationes in somno: & ita vires corporis studiorum labore custodiebat.

Cibis officientibus.] Voci nocentibus. Quemadmodum multa ciborum genera sunt voci nocentia, ita etiam cibaria produntur claritudini vocis accommodata: & in primis porrum sectiuum ad hoc efficax est, cui Nero authoritatem dedit vocis gratia ex oleo æstiuis omnibus diebus: nihilque aliud, ac ne pane quidem vescendo. Fici quoque siccæ gutturi & faucibus mirificè vtiles produntur. Ouorum quoque lutea prosunt faucium scabritiæ: quinetiam succus glycyrrhizæ voci vtilissimus est, linguæ subditus. Indocti medici liquiritiam appellant.

Blandiente profectu.] Inuitante musices progressu, in qua quotidie magis ac magis proficiebat.

Fuscæ vocis.] De qualitate vocis scribens Quintilianus, Est, inquit, plena, & candida, & fusca, & exilis, & aspera, & contracta, fusa, & dura, & flexibilis, & clara, & obtusa. In Antonio oratore vox fusca, & subrauca fuisse proditur.

Súbinde.] Frequenter.

Iactans.] Per gloriationem dictitans.

Occultæ musicæ.] Huius prouerbii meminit Gellius sic scribens in XII. Noctium, inquit, magister verbum illud scilicet vetus, Egregiam musicā, quæ sit abscondita, eam esse nulli rei.

Nullum respectum.] Nullam dignationem, existimationémque.

Prodiit Neapoli.] Non Romæ ausus incipere musicam profiteri, Neapolim, quasi Græcam vrbem, delegit, inde initium capturus, vt mox trāsgressus in Achaiam sacras in Græcis certaminibus coronas adeptus maiore fama studia ciuium eliceret.

TErpnum.] Proprium citharœdi nomen: atque inde fortasse, quòd τέρπνος iucundus dicitur. M. A N.

Eius generis.] Scenicæ artis.

Plumbeam chartā.] Tenuem plumbi laminam. Plinius: Nero, quoniam ita diis placuit, Princeps lamina pectori imposita sub ea cantica exclamans alendis vocibus monstrauit rationem.

Clystere.] Græcum est: illi enim κλυστῆρα dicunt.

Vomitu.] Vt non solùm imis partibus, sed ore etiā purgaretur.

Officientibus.] Nocentibus voci. quasi dicat, tanto curandæ vocis studio teneretur, vt quæcunque obesse putarentur, pertinaciter abstineret, vteretúrque profuturis. Plinius, Quam sectino porro nuper authoritatem dederit Nero, vocis gratia ex oleo æstatis mensium omnibus diebus.

Blandiente.] Blandè trahente. Blandior Græcè variis modis effertur, σαίνω, ἀρεσκεύομαι, καὶ κολακεύομαι, significátq; adulari, assentari: atq; ad omnes sensus, etiā ad animum pertinet. Quintilianus: Blandiar paulisper calamitatibus meis. Ex hoc componitur eblandior, quo vsus est Columella lib. IX. inquiens: Sed nec hæc tamen aliena est, agricolæ captantis vndique voluptates acquirere, quibus solicitudines ruris eblandiantur.

Exiguæ, & fuscæ vocis.] Quæ duo sunt canentibus contraria.

Occultæ musicæ.] Quæ in occulto esset vni, vel alteri nota.

Nullum esse respectum.] Nullam ipsius haberi rationem.

concusso quidem repętè motu terræ theatro, antè cantare destitit, quàm inchoatũ absolueret νόμον. Ibidem sæpius, & per complures cantauit dies, sumpto etiam ad reficiendam vocem breui tempore, impatiẽs secreti à balneis in theatrũ transiit, mediáque in orchestra frequente populo epulatus: si paulùm subbibisset, aliquid se * sufferri tinniturum Græco sermone promisit. Captus autem modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de nouo commeatu Neapolim confluxerant, plures Alexãdrta euocauit. Neq; eò segniùs adolescentes Equestris ordinis, & quinque amplius millia è plebe robustissimæ iuuentutis vndique elegit, qui diuisi in factiones, plausuum genera condiscerent,

* suffertim

PHIL. Concusso theatro.] Cùm Neapolitanorum theatrum compleuissent oppidani, & hi, quos e proximis coloniis, & municipils fama musicæ Neronis exciuerat, prodigium hoc accidit: nanque theatrum repentè collapsum est, egresso iam, qui affuerat, populo, vt sine vllius noxa moles tanta corruerit: & quum plerique id triste, & prodigiosum esse arbitrarẽtur, ipse Nero traxit ad felicitatẽ. Vnde per cõpositos cantus grates diis egit, ipsámque recentis casus fortunam celebrauit. Ait Tranquillus, eum non antè desisse cantare, quàm absolueret canticũ iam inchoatum, quod νόμον appellat, tanquam canendi legem. Νόμος enim Græcè lex interpretatur. Est autem genus cantilenæ, quod à Græcis dicitur νόμος, id est lex: in qoo, vt author est Aristoteles lib. XIII. Problematum, antistrophi non adhibentur: cùm cæteris chorearum canticis antistrophis vsus non deesset. Ibidem.] In ciuitate Neapolitana.

Ad reficiendam vocem.] Recreandam. Continuatio musici cantus vocem inprimis obtundit, sicut econtrario cessatio reficit. Itaq; Nero vsus est pausa, & quiete, breuis quidem temporis, causa vocis recreandæ.

A balneis.] Post balneares delicias. Tempus autem lauandi, vt docet Vitruuius in V. à meridiano ad vesperam est constitutum.

In theatrum.] Scilicet Neapolitanum, quod concussum, collapsúmque non totum, sed ex parte fuisse colligimus. Populo.] Neapolitano.

Subbibisset. Alibi docuimus, hanc particulam sub, significare temperamentum: vnde subbibere, est modicè, & cum temperamento bibere.

Se sufferri.] Sensus hic est: Promisit Nero in theatro Neapolitano se, si modicas potiones hausisset, cantaturum aliquid dignum celebratione & plausu: tanquam vinum suppeditet vocem cantanti, & eloquentiam diserto, iuxta illud Epigrãmatici poetæ: Possum nihil ego sobrius: bibenti succurrunt mihi quindecim poetæ. Verba autem ita ordinanda sunt: Promisit se tinniturum, hoc est more tinnientis cymbali resonaturum aliquid sufferri, quod scilicet sufferretur, id est extolleretur, laudaretur, celebraretur: périnde ac diceret, se cantaturum canticum dignum sublatione, hoc est laodatione & gloria. Quidam legunt aliquid sufferti, tanquam dictio sit ex Græco, Latinóque composita, significétq; tolerabile: tanquam Nero promitteret, se cantaturum aliquid sufferti, hoc est tolerabilis. Prima lectio verior est, & accommodatior.

Captus.] Delectatus, demulctúsque.

Modulatis.] Ex musica disciplina concinnatis ad ipsum Neronem laudandum, tanquam in musica, & cantu præstantissimum: nihil autem magis principes infatuat, & inflat, quàm adulatio.

De nouo commeatu.] Commeatum præter temporariam abeundi facultatem, prætérque rem annonariam accipitur etiam pro itu & reditu classis commeãtis: in quo significatu illud à Cæsare dictum in V. Commentario: Duobus commeatibus exercitum reportare constituit. & paulò pòst: Prioris, inquit, commeatus expositis militibus, & quas posteà Labienus faciendas curauerat numero sexaginta perpaucæ locum caperent. De hoc, vt ego sentio, commeatu intelligendum est in hoc Tranquilli loco. Moris enim erat vt Alexandrinæ naues ex Aegypto commearent in Italiam causa frumenti, merciũmque importãdarum: quas antecedere solebãt naui culæ, quasi præcursoriæ, quæ nunciarent venturæ classis aduentũ: & hæ, vt author est Seneca in XI. epistolarũ, tabellariæ vocabãtur, tanquam tabellariorum fungentes officio. Adolescentes Equestris ordinis.] Hoc de Romanis intelligendum, non autem de Neapolitanis, videturq; Tranquillus signare Augustanos, de quibus sic scribit Tacitus: Nunc primùm conscripti sunt equites Romani cognomento Augustanorum, ætate, ac robore conspicui: & pars ingenio procaces, alii spe potenniæ. Hi dies, ac noctes plausu personare formam principis, vocémq; deorum vocabulis appellãres, quasi per virtutem clari, honoratique agere.

In factiones.] Quemadmodum factiones aurigarum, atque histrionum suos habebãt, dispertitósq; fautores, ita Nero voluit sibi plaudi à plausoribus diuerso plaudendi genere: qui diuisi forent per partes ad factionum similitudinem.

M. AN. Motu terræ.] De hoc, credo, Eusebius sensit, qui Neronis principatu dixit terræmotum factum, & Solis defectum, & si id Romæ accidisse dicat, nõ foris.

Νόμον.] Legem. Ibidem.] Neapoli.

A balneis.] Pòst quàm lotus esset: nam priùs, quàm cibũ caperent veteres, lauabãtur. Satyrus Persicũ futurum conuiuã ita alloquitur: -Iam nũc in balnea salua

Fronte licet vadas, quanquàm solida hora supersit.

Aliquid sufferti.] Subtolerabile aliquid, vt sit ex Latino, credo, & Græco factum, quemadmodũ æstimo verbum ab ære τῆς τιμῆς pretio: φέρτον enim Græci tolerabile dicunt. Tinniturum.] Soniturum, canturum: quasi tinnitũ nisi fortè emissurũ. Tinnire, sonare est, vt Nonio placet: vnde & tintinnabula dicta. Afranius, Tintinnire ianitoris impedimenta audio. Iuuenalis:

-Tot tintinnabula dicas Pulsari.-

Modulatis laudationibus.] Laudibus pro se ab Alexandrinis suaui modulatione decantatis.

De nouo commeatu.] Ob nouum commeatum ab eo impetrandum. Plinius: Multis de causis hæc omnia accidunt. id est, ob multas causas.

Robustissimæ.] Et ob id firmioribus præditæ lateribus.

In factiones.] In diuersos cuneos.

Plausuum genera.] Vt quæqoe factio suo modo sibi canenti plauderet.

Bomb

(bombos,& imbrices,& testas vocabāt) operámq; nauarent cantanti sibi, insignes pinguissima coma, & excellentissimo cultu pueri, nec sine annulo læuis, quorum duces quadragena millia sestertia merebant.

De tragœdijs, & alijs per eum Romæ publicè decantatis. XXI.

Quum magni æstimaret cantare, etiam Romæ Neroneum agona ante præstitutam diem reuocauit. Flagitātibúsq; cūctis

PHIL. Bombos.] Hoc per parenthesim dictum est: vt sit sensus, plausus illos, prout varii erant, ita variis nominibus fuisse nuncupatos, vt scilicet alii bombi, alii imbrices, alii testæ vocarentur, à sonitus videlicet simili tudine. Nam bombus, vt notū est, sonitus est talis, qualis ab apibus murmurantibus exprimitur. Plinius in xi. Noctu quies apibus in matutinū, donec vna excitet omnes gemino, aut triplici bombo, vt buccino aliquo. Idē pòst paulùm: Quum aduesperascit, in alueo strepunt minus, ac minus, donec vna circunuolet eodem quo excitauit bōbo, ceu quietem capere imperans. Ennius sonum pedum, bombum pedum dixit.

Imbrices.] Tegulas esse ad tegenda culmina domorum nullus ignorat. Vnde à Plauto dictum est: Meas confregisti imbrices, & tegulas ibi, dum condignam te sectaris simiam. Dicitur autem imbrex & masculino, & fœminino genere, sicuti docet Seruius enarrans illud Vergilianum: -Angustique imbrice tecti Parietibus præmunt artis.- Ab imbrice imbricatū deriuatur. Vnde Plinius Cypriam laurum esse scribit folio breui, nigro, per margines imbricato crispam. Idem ait linguā esse felibus imbricatæ asperitatis. Vngue, teste eodem, sunt similæ imbricati. Imbricari, est non tam imbrices conficere, quàm imbricibus tegere. Sidonius: Tegulis imbricarentur.

Testas.] A similitudine crepitus, sonitúsque, quem efficiunt imbrices, testæque complosæ, genera plausuū sic vocabant. De crepitu testarum ait Iuuenalis sic scribens: Non capit has nugas humilis domus, audiat ille Testarum crepitus cum verbis.- Columella in x. de apibus scribens ait: Crepitaculis æreis, aut testarum plerunque vulgo iacentium terreatur fugiens iuuentus. Testæ etiam dicuntur calculi, quos Græci ὄστρακα vocant: vnde ostracismus, quod nomen est exilii. Testarū suffragiis exilio mulctati fuisse produntur Themistocles, & Cymon. Super quo affatim in libro Annotationum perscripsimus. A testa fit aduerbiū testatim, quod significat comminutim. De lagenis, quæ sunt vasa testacea, scriptum legimus in Instrumento veteri in lib. Iudicum, ex quo verba hæc exscripta sunt: Cœperūt buccinis clangere, & complodere inter se lagenas. Scabellorum quoq; crepitus inter hæc numerari posset, quæ concuti solita post finitam fabulam testatur M. Tullius in oratione pro Cælio, cùm ait: Deinde scabella cōcrepant, aulæum tollitur. Ex hoc in Caligula dictū est: Repentè magno tibiarum, & scabellorū crepitu, cum palla, tunicáque talari prosilnit.

Operam nauarent.] Ministrarent. Voluit enim Nero, vt sibi cantanti præsto essent, atque inseruirent ministri bene vnguentati, & eleganter culti, quò fieret spectabilior.

Pinguissima coma.] Propter densitatem capillorum, & vnguenti inspersionem.

Sine annulo læuis.] Vt omnes essent annulati, annulúmque in læua, hoc est sinistra manu gestarent. Cur autem læuis manibus honos annulorum dicatus fuerit potiùs, quàm dextris, diximus in primo Commentario. Duces.] Rectores puerorum.

Merebant quadragena millia.] Hoc propter equestres census dictum est, qui sestertia quadringenta continebant. Merere autem est quæstum capere, & eū quidem, vt exponit Nonius, sordidissimū. Marcus Varro: Aes militare merebat. Vnde mercenarii, & meretrices dicuntur. Super hoc verbo satis ac super in primo Commentario.

Neroneum agona.] Certamen, quod quinquēnale instituerat, appellauitq; à nomine suo Neroneum. Ἀγὼν enim Græcè certamen nominatur.

Ante præstitutam diem.] Nondum exacto quinquennali tempore, quod legitimū præscripserat inter duo certamina Neronea, vt superiùs demonstratū est.

M. AN. Bombos, imbrices, & testas vocabant.] Hæc omnia per parenthesim legenda. Bombos vox fictitia est, quæ vno modo propriè apium. Varro: Si intus aluum bombum faciunt. Plinius: Donec vna excitet omnes gemino, aut triplici bombo, vt buccino aliquo. Bombos ab ipso sonitu, quem plaudendo imitabantur, appellauit: sic imbrices, & testas, ab simili quodam imbricum, & collisarum testarum strepitu.

Operámque nauarent.] Nisi accuratè distinguas, non procedit quod sequitur, excellentissimo cultu pueri, quum superiùs iuuenes, & adolescentes appellarit. Erit igitur hic ordo, Elegit qui plausuum genera condiscerent, operámq; nauarent vario, intellige, plausu. Bombos, imbrices, & testas vocabant.] Et hæc, vt dixi, per parenthesim: canenti sibi pueri pinguissima coma operam nauarent: hoc est, ministrarent, vt bis idem verbum repetas. Pinguissimam autem comam, vnguento delibutam, vel certè densam accipe.

Nec sine annulo læuis.] id est læuis omniū manibus annulum habentibus. Cur læua potiùs ab initio annulo fuerit insignita, suo loco ex Plinii, & Gellii authoritate ostendimus. Illud adiiciam, quod priore loco non diximus, præter ea, quæ à Plinio, & Gellio traduntur, Macrobius ait idcirco annulum sinistræ manui ab initio datum, vt res admodum pretiosa, & in deliciis habita, non tam citò vsu attereretur. Quidam verò ac habent, non nec alii lenis, non læuis: sed is, vt diximus, verior est sensus, vt omnia ad illud referas, quod excellentissimo dixerat fuisse cultu præditos.

Quorum.] Puerorum.

Duces.] Præfecti.

Merebant.] Salarii, siue stipendii nomine capiebant. Quanta fuerit Neronis luxuria, cùm ex multis aliis, quæ posteà dicentur, tum ex hoc ipso intelligi potest, quòd tam turpis ordinis duces tam grandem in re inepta mererent pecuniam, apparet: & necesse fuisse ita euenire Eusebius ait, vt essent illi centies centena millia decreto patrum quotannis publicè subministrata.

Etiam Romæ.] Quum iam Neapoli in scenam prodiuisset. Neroneum agona.] Quinquennale certamen musicum, gymnicum, & equestre ab se institutum, quod Neroneum appellauit.

Ante præstitutam diem.] Ante quinquennium.

cælestem vocem, respondit quidem in hortis se copiam volentibus facturum: sed adiuuante vulgi preces etiam statione militum, quæ tunc excubabat, repræsentaturum se pollicitus est libens, ac sine mora nomen suum in albo profitentium citharœdorum iussit adscribi, sorticuláque in vrnam cum cæteris demissa intrauit ordine suo, simúlque præfecti prætorii citharam sustinentes, pòst tribuni militum iuxtáque amicorum intimi. Vtque constitit peracto principio, Nioben se cantaturum per Cliuium Rufum consularem pronunciauit, & in horam ferè decimam perseuerauit,

PHIL. Caelestem vocem.] Ob hoc dixit Tacitus, plausores Neronis vocem solitos appellare vocabulis deorum. Copiam.] Vocis suæ, quam illi cælestem appellabant.

In hortis.] Neronianis.

Quæ tunc excubabat.] Alius alia nocte excubabat, vicissímque in stationes militares excubituri succedebant. Quintus Curtius: Iam alii ex cohorte in statione successerant ante cubiculi fores excubituri. & Vergilius ait in IX.

Omnis per muros legio sortita periclum

Excubat, exercétque vices, quod cuiq; tuendum est. Idem pòst paulò:

-Vigiles simul excitat: illi Succedũt, seruántq; vices statione relicta.

Repræsentaturum.] Statim se in præsentia cunctorum exhibiturum.

In albo citharœdorum.] Quemadmodum album decurionũ album prætoris dicebatur, de quo áffatim iam diximus, ita album citharœdorum vocabatur, in quo nomina citharœdorum perscribebantur, quando certamen musicum profitebantur. Nero, vt ne digitum quidem transuersum à citharœdica lege discederet, voluit nomen suum, tanquam citharœdus, adscribi in albo citharœdorum. ab Apuleio decenter dictum est, Album musarum, translatione non inuenusta: apud quem sic ait Iupiter in VI. de Asino aureo: Dei conscripti musarum albo. Mendosi sunt codices Apuleiani, in quibus pro albo, perperam legitur aloo. Procliuis fuit lapsus, & error obuius ex literæ finitimæ inuectione.

Sorticula in vrnam.] Nulla prærogatiua voluit Nero præcellere: sed more reliquorum sortitus est: & vbi sors sua exiit ex vrna, quã sorticulam ὑποκορισμῶς vocat, tunc intrauit in musicum certamen.

Citharam sustinentes.] Pomparicus Neronis citharœdi introitus signatur, qui intrauit in certamen citharœdorum, cùm cithara, qua ipse erat vsurus, sustineretur à præfectis ipsum comitantibus vnà cum tribunis & interioribus amicis: sed profectò talia principem dedecent magis, quàm decent. Meritóque Apollonius interrogatus à Tigillino quid sentiret de Nerone, Melius, inquit, sentio quàm vos: cantare enim vos illum dignum putatis; ego autem dignum tacere.

Parato proscenio.] Pulpito præparato: de quo suprà diximus. Alii codices, & fideliores, habent peracto principio: vt sit sensus, Neronem pronuntiasse se cantaturum fabulam Niobes post peractum principium, quo citharœdi vti solent, emerendi fauoris gratia, antequam legitimum certamen inchoent: id προοίμιον Græci nominauerunt, Latinè principium dicimus: vnde procemia oratorũ translata sunt, author Quintilianus in quarto.

Per Cliuium Rufum.] Tanquam is præconis officio fungeretur, quo res esset magnificentior. De Marco Cliuio Rufo mentionem facit Cornel. Tacitus, qui ait, Cliuium Rufum fuisse apud Vitellium criminationibus petitum à liberto ipsius Vitellii, tanquam propriã potentiam, potestatémque tentasset: sed authoritas Cliuii præualuit, vt puniri vltro libertum suum Vitellius iuberet. De eodem sic alibi refert: Hispaniæ præerat Cliuius Rufus, vir facũdus, & pacis artibus & belli expertus. Ferunt Neronem cùm per hunc Cliuiũ Rufum pronunciasset se Nioben cantaturum, cantasse in theatro Pompeii, mox Lucanum poetam extempore Orpheũ recitauisse: quo audito iudices coronam Lucano dederunt: quod adeò ægrè tulit Nero, vt theatro interdixerit Lucano, prohibueritque carmina ostentare. Hæc potissimùm causa accendit posteà, extimulauitque poetam Cordubensem, vt in Pisoniana coniuratione conspiraret in Neronem.

Nioben.] Fabula Niobes à nobis copiose perscripta est in primo Propertii Commentario: illhuc te, si quid desideras, remitto, ne sæpius eadem, & maximè fabulosa dicantur.

Perseuerauit.] In fabula Niobes cantanda.

M.AN. Caelestem vocem.] Aperta populi assentatio, quũ exilem, & fuscam fuisse constet: nisi forte ad personæ dignitatem alluserint.

In hortis.] Neronianis, qui ea parte vrbis fuere, vbi hodie transtyberinæ Virginis templum est situm.

Stationariis militibus.] Vulgi preces iuuantibus: quippe qui studio efflagitabant, vt publicè cantare, nõ in hortis, qui haud omnibus patuissent.

Repræsentaturum.] In conspectum daturum.

In albo.] Quo citharœdorum certare volentium scribebantur nomina: sic Nero se in ordinem redegit.

Sorticula.] Diminutiuum à sorte.

Ordine suo.] Primo, alteróve loco, quo videlicet sors eius vna fuerat educta.

Citharam.] Qua ille vsurus erat.

Iuxtáque.] Post tribunos ipsos.

Constitit.] In conspectu sterit.

Peracto principio.] Procemio, quo ad conciliandum fauorem citharœdi vti cõsueuere. Quintilianus: Et citharœdi pauca illa, quæ antè quàm legitimum certamen inchoent, emerendi fauoris gratia canũt, procemium vocauerunt.

Cliuium Rufum.] Cornelius Tacitus, Præerat, inquit, Cliuius Rufus, vir facundus, & pacis, & artibus belli expertus.

Nioben se cantaturum.] Fuit hæc Amphionis Thebani coniunx: nota est fabula, quoniam Niobe Thebanas mulieres increpuisset, quòd Latonæ sacra facerẽt, non sibi, quæ tam numerosam prolem enixa esset: tota soboles ab Apolline, & Diana iratis extincta est. Iuuen.

Parce precor Pæan, & tu depone sagittas:
Nil pueri faciunt, ipsam configite matrem,
Amphion exclamat: sed Pæan.- Nota sunt reliqua.

De filiorum numero varia omnino traduntur: Gellius est author. Perseuerauit.] Canere.

Coron

coronámque eam, & reliquam certaminis partem in annum sequentem distulit, vt sæpius canendi occasio esset. Quod cùm tardum videretur, non cessauit identidem se publicare. Non dubitauit etiam in priuatis spectaculis operam inter scenicos dare, quodam Prætorum sestertiûm decies offerente. Tragœdias quoque cantauit personatus heroum, deorúmq;, item heroidum, ac dearum personis effictis ad similitudinẽ oris sui, & fœminæ, prout quanq; diligeret. Inter cætera cantauit Canacen parturientem, Orestem matricidam,

PHIL. Coronã.] Citharœdicã. Certaminis.] Musici: quod illo die peractũ nõ est. Distulit.] Protraxit. Identidẽ.] Frequenter. Publicare.] Suæ vocis, musicæq; in publico facere potestatẽ. In priuatis spectaculis.] Author est Philostratus in IIII. de vita Apollonii cantasse Neronẽ in taberna cauponaria nudũ, & femoralibus dũtaxat amictũ, nõ secus ac si esset sordidissimus cauponũ. Tacitus quoq; autor est, fœdũ fuisse in Nerõe studiũ citharæ, vt ludicrũ in modũ caneret: qui etiã clausus in valle Vaticana equos regebat haud promiscuos. Spectaculo mox vltro vocari cœptus est populus Romanus, qui videret aurigantẽ, sicut viderat citharizantẽ. Inter scenicos.] Histriones. Quodã prætorũ.] Alibi annotauimus, prætores & ædiles solitos exhibere ludos, & spectacula: itaq; & fabulas emebãt, & histrionũ greges pretio conducebãt ad scenicã artẽ agendã: igitur cũ vnus ex prætoribus offerret ingẽs pretiũ, Nero veluti cõductus histrio exercuit histrionicã. Tragœdias cãtauit personatus.] Persona tectus, more histrionũ, qui personati fabulas agebãt: hinc ab Horatio personatus pater, dictus senex de comœdia. Antiquitus galeris, nõ personis mimi vtebãtur. Persona vti primus cœpit Roscius Gallus præcipuus histrio, qui oculis subuersis erat, nec satis decorus. Hic in personis solos parasitos pronũtiabat. Illud obiter annotandũ, personatos propriè vocari histriones Atellanicos: quia ius est his nõ cogi in scena ponere personas, quod cæteris histrionibus pati necesse est. Personata quoq; fabula dicta est, quæ agitur à personatis histrionibus. Heroũ.] De heroibus abũde scripsimus in notis Seruii. Heroidũ.] Heroidas nũcupauit antiquitas fœminas clariores, quales sunt heroũ vxores, & filiæ. Papinius in III. Syluarũ: Quã veteres Latias, Graiásq; heroidas æquas. Sidonius quoq; ait in Panegyrico: Transcendũt hic heroas, heroidas illi. A Propertio nominãtur heroinæ: sicut in cõmentariis annotauimus. Personis effictis.] Figuratis, formatis, effigiatisq;. Vulgus semidoctũ laruas appellitat, quæ personæ dicuntur. Apud Latinos scriptores, quod quidẽ meminerim, vix vno Horatiano loco inuenies laruã vsurpari pro personæ significatu. Sic enim inquit Horatius in Sermonibus: Nil illi larua, aut tragicis opus esse cothurnis. Alioqui laruæ dicũtur vetere Latina lingua, animæ defunctorũ, vmbræq; nocturnę, quę propter aduersa vitæ merita errabũdæ, ceu quodã exilio, puniũtur: quæ inane sunt terriculamentũ bonis hominibus, noxiũ verò malis: de quibus luculenter scribunt Martianus, & Apuleius. Quinetiã Augustinus in IX. de ciuitate Dei animas inquit hominũ dici lemures, seu laruas, si mali meriti sunt. Inde laruati, furiosi dicti, & mente moti, quasi laruis exciti. Oris sui.] Hoc referendũ est ad personas heroum, & deorum. Et fœminæ.] Scilicet personis effictis ad similitudinem fœminæ adamatæ: & hoc referendũ ad heroidas, ac deas. Canacen parturientem.] Fabulam Canaces, de qua extat Nasonis epistola, de qua Plutarchus scribit hæc historico stylo: Aeolus rex Thuscorũ ex Amphitea filias sex, & mares totidem suscepit. Machareus omniũ ætate minimus sororis Canaces amore incensus eã violauit: quã ex re conceptus infans vagitu rem prodidit. Pater itaq; filiæ misit ensem: quo accepto illa rem flagitiosam intelligens, necem sibi consciuit. Idémq; paulò pòst Machareus fecit. Cõsimile exẽplum est Canuliæ adamatæ à fratre Romano: quam grauidã vbi pater Papyrius resciuit, filiæ misit ensem, quo se puella confodit: idẽ Romanus factitauit.

Orestem matricidam.] De Oreste, qui interfecit matrem Clytemnestram, vt vlcisceretur patrem Agamemnona, adeò multæ scriptæ sunt tragœdiæ, vt dixerit Maro in IIII. Aeneid.

Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes.

Apud rhetoras exemplũ est memoratissimum, & quo fere omnes vsi sunt, an iuste Orestes matrẽ occiderit. Scribit Probus, Orestem post matricidiũ ex responso didicisse, quod deponeret furorẽ, si ablueretur flumine, quod septẽ fluminibus confunderetur. Itaq; diu vexatus, tandem purgatus est matris nece in agro Rhegino apud flumen, cui septẽ fluuii miscentur. Cuius rei meminit Varro lib. X. rerũ humanarũ. Dicitur Orestes post necis maternæ expiationem, abiens reliquisse ensem in arbore, & templũ Apollinis ædificasse. Lampridius refert, Orestem se purificasse apud tria flumina circa Hebrum, & Orestam condidisse ciuitatem, quam sanguine humano cruentari necesse erat.

M. AN. Coronámque eam.] Quam ex eo certamine vt victor expectabat. Reliquam certaminis partem.] Quod residuum erat agonis: quam ad exitũ perduci nõ est passus. Tardũ.] Videretur expectare dũ annus circumageretur. Identidem.] Sæpius. Publicare.] Publicis spectaculis canere, seu publicè operam locare.

In priuatis.] Priuato nomine editis, quod potuit adhuc turpius existimari. Quodã prætorum.] Vno ex prætoribus: siquidẽ prætores publicè ludos instruebant, qui honorarii dicebantur. Iuuenalis:

Nec dubitant Celsi prætoris vendere ludis.

Personatus.] Persona velatus: participium sine verbo. Persona tegmen est, quo scenicorũ os tegitur: dicitúrque, vt C. Bassus, Gellio authore, existimauit, à personando: quare os persona tectum, quum vna sit via, qua vox manare possit, relicta, magis sonorè videatur enunciare. Significat alioqui persona qualitatem quandam, qua alius ab alio differt, tum animo, tum corpore, tum exteris. Heroum.] Heroes semidei, vt Suidas interpretatur, virique antiquitus geniti: ἥρωες, inquit, ἡμίθεοι, δυνατοὶ, γενναῖοι, οἱ πάλαι καὶ προλογοῦντες ἄνθρωποι.

Heroidum.] Illustrium fœminarum, quæ se cum heroibus ipsis iunxere. Effictis.] Deliniatis.

Ad similitudinem oris sui.] Quasi deorũ aliquis, aut heroũ videri, & dici vellet. Canacen.] Aeoli & Cleopatræ ex genere Læstrygonũ filiam, quæ cũ fratre concubuit. Orestem.] Agamẽnone & Clytæmnestra genitum. Matricidã.] Qui in vltionẽ patris Clytæmnestrã matrem occidit. Sophocles in quadã sua fabula rem omnem latè exequitur. Cicero sororicida quoq; visus est, Parricida, inquit, fratricida, sororicida.

Oedipodem excæcatum, Herculem insanum. In qua fabula fama est, tyrunculum militem positū ad custodiam aditus, quum eum ornari, ac vinciri catenis, sicut argumentum postulabat, videret, accurrisse ferendæ opis gratia.

Studium eius aurigandi, & citharizandi. XXII.

Quorū studio vel præcipuè ab ineūte ætate flagrauit, plurimúsq; illi sermo, quan quā vetaretur, de Circēsibus erat, & quondam tractum Prasinū agitatorem inter cōdiscipulos querens, obiurgante magistro, de Hectore

PHIL. Oedipodem excæcatum.] Tragœdia extat apud Senecam, cui titulus est Oedipus, in qua introducitur se ipsum excæcans, sibi ipsi oculos funditus euellēs, postquam facta, & infandum scelus deprændit. De Oedipo, siue Oedipode scribit Diodorus in quinto. Oedipus tertii ordinis est: facit enim genitiuum Oedipodis: & ita inflectitur sicut Melampus Melampodis: quanuis Plautus ablatiuo casu Oedipo dixit pro Oedipode. sic enim ait in Pœnulo: Nam isti quidē hercle orationi Oedipo opus est coniectore, qui Sphingi interpres fuit. De Nerone cantantse fabulas sic scribit Philostratus: Quid de homine dicam, qui Augusti, Iuliiq; habitu deposito, cantoris vestes assumit, & Creōtis, Oedipodisq; facta, dictáve examussim scite tanti æstimat, vt maximè reprehensionē timeat, si quid in schola, sceptróve deliquerit?

Herculem insanum.] Tragœdia scribitur à Seneca, cui ab argumento insaniæ titulus est Hercules furens: vbi inducitur furore extimulatus letho dare filios, & vxorem. & hoc est quod dixit Aristoteles in Problematis, Herculem per mentis excessum in liberos sæuisse.

Tyrunculum.] Nouum, primóq; tantùm tyrocinio militiæ imbutum. diminutiuum est tyronis. Hieronymus fœminino genere tyrunculas puellas appellat.

Aditus.] Introitus illius loci scenici, in quo Nero erat agens Herculem.

Vinciri catenis.] In Senecæ tragœdia argumentū hoc non est, vt Hercules catenis vinciatur. Inducitur quidem Theseus ad furibundum Herculis insani impetum cohibendum, sed sine vinculis.

Ferēdæ opis gratia.] Accurrit tyrūculus, vt opitularetur principi: tanquā Nero re vera vinciretur: qui ideo obligabatur, vt impleret argumentum fabulæ, cùm ageret Herculem insanum. Dixit Plato hominem esse ludibrium Dei: sed Nero factus est ludibrium hominū, contemptor famæ, incuriosus Imperatoriæ maiestatis, dum cantat in theatris, dum gladiaturam exercet inter gladiatores viuens, dum quadrigam regit velut auriga: quales, dii boni, eruditis sermones præbuit princeps tam sordidus, támque mancipatus omnibus probris, ac dehonestamentis.

Equorū studio.] Cùm equitandi peritia sit probabilis, non vituperatur Nero ex eo quòd esset equitandi scius, sed quòd aurigarum instar regeret equos quadrigarios, nimióque studio talium equorum teneretur.

Quanquàm vetaretur.] Sententia Horatiana est,

Naturam expellas furca, tamen vsque recurret.

Itidem Nero temperare non poterat, quò minùs sermocinaretur de equis currentibus in Circo: quāuis rectores eius pueritiæ, ac pædagogi vetarent eum habere sermunculos super cursoribus, equis, & aurigis. Apud Xenophontem equitandi studium adeò probatur, vt Persæ dicantur nihil non agere ex equis: quorum filii in primis discebant equitare, sagittare, & vera dicere. Iustinus quoque tradit, Parthos adeò equorum studio teneri, vt equis omni tempore vectentur: illis bella, illis conuiuia, illis publica ac priuata officia peragant: super equos ire, consistere, mercari, colloqui consueuerunt. Denique hoc discrimen inter seruos, liberósque est, quòd serui pedibus, liberi non nisi equis incedunt.

De Circensibus.] Scilicet ludis, qui equorum cursu celebrantur: in quibus bigæ, quadrigæque agitantur.

Querens.] Conquerens, dolens.

Tractum.] scilicet impetu, & vi equorum. Quadrigis agendis tracti, rotáve vulnerati, & quoquo modo sanguine contuso curabantur fimo caprino: author Plinius in XXVIII.

Prasinum agitatorem.] Aurigam Prasinæ factionis: de qua abundè diximus in Caligula.

De Hectore.] Hectorem circa mœnia Troiana tractum fuisse ab Achille in Patrocli vltionem, nemo mediocriter doctus ignorat, qui vel saltem legerit illud Maronianum:

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros.

Homerus verò in XXIIII. Iliados scribit, quòd Achilles, iunctis ad currum equis, Hectorem alligauit, & ter circum defuncti Patrocli sepulcrum traxit: inde ad tabernaculum reuersus, in puluere pronum dimisit. Nero cùm castigaretur à magistro, quòd immodice doleret de agitatore Prasino ab equis distracto, vt se purgaret dixit se loqui de Hectore: qui & ipse pariter fuerat tractus ab Achille. Quòd autē Nero fauerit Prasinæ factioni, indicat vel ille Epigrāmatarii poetæ versiculus:

Vicit nimirum non Nero, sed Prasinus.

Oedipodem.] Laii Thebarum regis, & Iocastæ filium, Papinii carmine satis notum, Sed Sophoclis fabula, quæ Οἰδίπους inscribitur, adhuc notiorem. M. AN.

Excæcatum.] Cognita enim priùs cæde, nefarióque cum matre incesto, se luminibus priuauit. Papinius:

Mox auidus pœnæ, digitis cedentibus vltro
Incubui, miseráque oculos in matre reliqui.

Herculem insanum.] Furentem. Annei Senecæ fabula Hercules furens inscribitur.

Tyrunculum.] Non multò antè inauctoratum, & idcirco eorum, quæ gerebantur, omnino rudem.

Aditus.] Eius loci, in quo Nero in Herculis persona inducebatur.

Argumentum.] Ratio, & materia fabulæ.

Accurrisse.] Impetum in eos, qui Neronem ornabant, fecisse.

Ferendæ opis gratia.] Vt velut ad supplicium vincto opem ferret.

Equorum studio.] Aurigandi cupiditate.

Flagrauit.] Incensus fuit, vehementi est studio prosecutus.

Vetaretur.] A præceptoribus, & pædagogis.

De Circensibus ludis.] Quibus inerant quadrigarum cursus.

Tractum.] Distractum ab equis.

Prasinum.] Prasinæ factionis agitatorem aurigam. Sic Spartianus, Amauit, inquit, & Aurigas: Prasino fauit. Est autem Prasinus color viridis, ad similitudinem porri, quo vtebatur ea factio.

De Hectore.] Nam & Hector ab Achille circũ Pergama, vt Homerus ait, est distractus. Vergilius:

Ter circũ Iliacos raptauerat Hectora muros. Ouid.:
Hic lacer admissos terruit Hector equos.

Quia igitur vterq; tractus, locus mendacio non defuit.

opulentiores, quantò plures erant Circenses missus, & ludi. Ex quo est illud Lampridii in vita Commodi: Circenses multos addidit ex libidine potiùs, quàm religione, & vt dominos factionum ditaret.

Aurigare.] Vice aurigæ agere quadrigas, & trigas.

se loqui ementitus est. Sed cùm inter initia Imperii eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet, ad omnes etiam minimos Circenses secessu commeabat, primò clàm, deinde propalàm, vt nemini dubium esset, eo die vtiq; affuturum. Neq; dissimulabat, velle se palmarũ numerũ ampliare: quare spectaculum multiplicatis missibus in serũ protrahebatur, *ne dominis quidẽ iã factionũ dignantibus, nisi ad totius diei cursum greges ducere. Mox & ipse aurigare, atq; etiã spectari sæpius voluit, positóq; in hortis inter seruitia, & sordidã plebem rudimento, vniuersorũ se oculis in circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam,

PHIL. EBurneis quadrigis.] Existimo hoc referendũ esse ad ludũ puerilem: mos enim puerorũ est, vt quadrigas ex ebore, aliáve materia conficiant, cum quibus lusitãt, atq; oblectantur. Penè simile est illud Horatianum: Aedificare casas, plostello adiungere mures. Nero vtpote puer in initio principatus cùm studio equorum immodico teneretur, quadrigas habebat eburneas, quibus super abacũ ludebat. Est autem abacus mensa vasis escariis, potoriisq; continendis accommodata: cuius multa mentio est apud scriptores. Non credo abacum accipi pro tabula lusoria: quia non memini legere me abacum vsurpari in hoc significato. Soleo autem ad authoritatem scriptorum, tanquã ad anchoram, confugere: quæ nullo authore subnixa sunt, ea, tanquam nutabantia, non procliuiter amplector. Aliàs abacus significat tabulam calculatoris, & geometræ: de quo Martianus in libro geometriæ. Abacus nuncupatur res depingendis, designandisq; opportuna formis. Sunt etiam abaci ornamenta columnarum. Præcipit Vitruuius in tertio de Architectura, abacum debere esse tam longum, & latum, quàm crassa columna est.

Minimos Circenses.] Etiam minùs celebrata spectacula. Secessu.] Vel quòd ipse ex secessibus repentè conuolaret in vrbem, causa Circensium spectandorũ veluti pluris faciens voluptatẽ ludicri Circensis, quàm amœnitatem secessuum: vel quòd sensim secedebat ad Circenses spectandos. Affuturũ.] Quotiescunque vel minimi Circenses Romæ fiebant, persuasissimũ erat omnibus, Neronẽ ludicro interfuturũ, quamuis id temporis foret absens, coleretq; secessus. Omnes enim nouerant quanto studio equorum, curuliúmq; ludorũ flagraret princeps auriga: qui non de equis, sed de hominibus regendis meditari debuisset, si quid in illo fuisset priscæ virilitatis. Neque dissimulabat.] Aperte fatebatur, demonstrabat. Palmarum numerum.] Alibi annotauimus ex Liuii authoritate, Romanos, translato è Græcia more, victoribus ludorum palmas dare solitos. Nero volebat ampliare, hoc est numerosiorem facere palmarum numerum, quæ victoribus dabantur: vt ita spectacula Circensia fierent prolixiora, diuturnioráq;. Multiplicatis missibus.] Vt scilicet missus plures currentium equorum exhiberentur, quàm priùs soliti essent exhiberi: de quibus scripsimus in Claudio.

In serum.] In serotinam diei partem, & vespertinam. Dominis factionũ.] Prasina & Veneta factio, reliquæque aurigarum factiones, suos habebant dominos: qui post multiplicatos à Nerone missus non dignabantur ducere greges equorum quadrigarios ad curule certamen, nisi currere deberẽt in omnibus missibus per totum diem: domini autem factionum tantò fiebãt

Scribit Plinius, Neronem trigario soli tum se approbare: qui si curru euersus, tractúsque ab equis fuisset, recreabatur, epoto cinere caprini fimi ex aqua. Posito rudimento.] Deposito tyrocinio aurigandi, exutáq; nouitate aurigationis.

Inter seruitia.] Inter seruos, & plebeios viliores.

Mittente mappam.] Signum currenti dante. In Circo sunt carceres, vnde emittuntur equi ad cursum, cùm magistratus signum misit, vt scribit Varro. Erat autem antiquitus mappa signum: qua missa equi cursum Circensem auspicabantur: de qua intelligendũ est illud ab Epigrammatario poeta dictum:

Cretatam prætor cùm vellet mittere mappam.

Hinc etiam Quintilianus dixit, mappã Circo vsitatum esse nomen: propterea quòd in Circẽsibus spectaculis pro signo mittebatur à magistratu. Cùm autem officiũ prætoris id foret, vt signum daret equis ad cursum emittendis, voluit Nero id ab aliquo suorũ libertorũ dari.

M. AN. IN abaco.] Tabula nunc lusoria, cùm & mensa sit, in qua potoria constituuntur vasa. Iuuenalis: Vrceoli sex ornamentum abaci. Mimos Circenses.] Minùs celebres. Secessu.] Hora secessus. quasi dicat, deambulandi hora, secessúmque petẽdi: vel, quod magis placet, ex suburbanis locis, aut oppidis litoralibus, in quæ secedere consueuerat, Circensium die Romã commeabat: vt nemo non intelligeret illum omnibus mimis, id est, omnibus Circensibus ludis affuturum. Posset & minimos legi, vt sit sensus, nõ modò nõ celebriores Circenses passus est se absente celebrari, sed & minimis etiã interfuit. Palmarũ numerũ ampliare.] Maiorẽ facere, vt quò plures essent palmæ, eò frequentiores equorũ missus. Sed missus ferarũ quoq; dicebantur, vt est suprà significatũ: nec missus tantùm, sed missio quoq; dicebatur. Spartianus: In munere publico tam magnanimus fuit, vt cẽtũ leones vna missione simul exhiberet. Dignantibus.] Cùm ne iungito, vt sit sensus, & ordo, dominis factionũ neutiquã dignãtibus quadrigarũ gregẽ producere, nisi ad totius diei cursũ palmæ proponerentur: sic quadrigarũ vim immodicã expressit: nã maiore opus erat numero, quò pluribus missionibus equi ad cursũ producerẽtur. Aurigare.] quadrigas agere. Seruitia, & sordidã plebẽ.] Quasi dicat, sordidissimis, humillimisq; quibusq; spectãtibus. Rudimento.] Noua aurigatione. Præbuit.] Dedit se aurigantẽ omnibus in Circo spectãdũ. Aliquo liberto.] Ex ipsis libertis vno.

Mittente mappam.] Quidam intelligunt veteri instituto mappam à prætore victori aurigæ mitti solitam. Martialis:

Cretatam prætor quum vellet mittere mappam,
Prætori mappam surripit Hermogenes.

Alii

Alii,in quibus est Cassiodorus,certū putat fuisse futurorum Circēsium signum,quū mappa à prætore ostenderetur:ad quod Iuuenalis allusisse videri potest,

Interea Megalesiacæ spectacula mappæ
Idæum solenne colunt.-

& præcones,qui in Olympiis etiam, tragœdos vicit:& tunc de Isthmo fodi eodē dicitur cogitasse,vt ipsum nauibus peruium redderet, atq; Adriaticū Aegæo miscéret:& ita naues,omisso illo sinuoso circuitu,per Isthmi scissionē veherentur. Cogi.] Congregari, & cōtrahi.

vnde magistratus solent. Nec contentus harum artium experimenta Romæ dedisse,Achaiam (vt diximus) petiit, hinc maximè motus: Instituerant ciuitates,apud quas musici agones edi solent, omnes citharœdorum coronas ad ipsum mittere. Eas adeò gratè recipiebat,vt legatos, qui pertulissent,non modò primos admitteret,sed etiam familiaribus epulis interponeret. A quibusdam ex his rogatus,vt cantaret super cœnam, exceptúsq; effusiùs,solos scire audire Græcos,solósq; se,& studiis suis dignos ait.Nec profectione dilata,vt primùm Cassiopen traiecit, statim ad arā Iouis Cassii cantare auspicatus est.

De *certaminibus*, *& exercitio eius in dictis disciplinis.* XXIII.



Certamina deinceps obiit omnia. Nam & quæ diuersissimorū temporum sunt, cogi in vnum annum quibusdam etiam iteratis iussit.Olympiæ quoque præter consuetudinem musicum agona commisit. Ac ne quid circa hæc occupatum auocaret , detinerétve, quum præsentia eius vrbicas res egere à liberto Helio admoneretur , rescripsit his verbis: Quanuis nunc tuum consilium sit,& votum, me celeriter reuerti,tamen suadere, & optare potius

PHIL. Vnde.] Ex carceribus. Magistratus.] Docet Liuius in VIII. ab vrbe cōdita,prætores solitos quadrigis mittendis signum dare. Vnde cùm olim Lucius Plautius prætor graui morbo esset implicitus, Dictatorem creauerunt,qui ludis Romanis signum daret quadrigis emittendis: qui eo ministerio functus, Dictatura se abdicauit. Nec mirum videri debet, ob rem leuiculam creatū esse Dictatorem, qui interdū creabatur causa figendi claui,qui erat annorum nota: aliquando dictus est Dictator causa feriarum constituendarum. Ciuitates.] Scilicet Græcorū. Musici agones.] Musica certamina. Ad ipsum mittere.] Tanquā in arte citharœdica ipse solus excelleret, essétq; omnibus citharœdorū coronis coronādus. A quibusdam ex his.] Scilicet legatis Græcorū,qui citharœdicas coronas ciuitatū nomine ad Neronē pertulerāt.

Exceptus effusiùs.] Immodica laudatione, & plausu assentatorio. Dixit enim Satyricus poeta, nō immeritò gentē Græcorū adulandi esse scientissimā. Et Cicero in epistola ad Quintū fratrē didascalica Græcos ait esse leues,& diuturna seruitute ad nimiā assentationē eruditos. Quintus Curtius non minùs verè,quàm eleganter ingenia Græcorū appellat temporaria,tanquam tempori seruientia,& pro tempore adulationem,assentationésque tractantia:& cùm adulatio sit perpetuum regum malum,infatuétque mentes principum,& penetret ad interiora ventris,meritò Nero adulatione Græcorū corruptus,solos dicebat Græcos dignos esse , qui ipsum cantantem audirent, & solos dignos sua musica disciplina:cùm Romana ciuilitas minimè docilis esset ad assentandum. Cassiopen traiecit.] Cassiope, oppidum est in insula Corcyra, quæ alio nomine dicta Phæacia,vbi fuit templū Cassii Iouis: sicut ostendit Plinius in IIII. Certamina omnia.] Nero adiit omnia musica certamina,quæ apud Græcos celebrantur. Scribit Philostratus in quarto de vita Apollonii,Neronem in Græciam venisse,subiicientem se præconi in Olympiis,Pythiísq;:atq;,eū vicisse in Isthmiis citharœdos,

In hanc sententiā ait Apollonius apud Philostratum, ludos Olympicos ex consuetudine solitos celebrari circa finem anni ab Elidensibus:quos Nero iussit in aduētū suum differre,ita vt sibi potiùs, quàm Ioui viderentur sacrificaturi. Iteratis.] Iterū celebratis. Olympiæ.] In ludis Olympiacis. Præter cōsuetudinem.] Innuit, in Olympiacis spectaculis musicum certamen celebrari solitū nō fuisse:quod indicat Apollonius apud Philostratū, cùm ait, Neronem in Olympiis proposuisse certamina tragœdorū,& citharœdorū , apud viros,quibus nec theatra sint, nec scenæ ad huiusmodi ludos peragēdos idoneæ:sed stadiū dūtaxat natiuum, nudúmq; patet. In Olympiis autem ter victorē fuisse Neronem testatur Philostratus, qui ait, missos fuisse cursores vsq; ad Gadiranos,qui iuberent supplicationes fieri ob victoriā Neronis in Olympiis. Multæ in Hispania ciuitates,cùm nescirent quid essent Olympia,opinabātur bellicā quandā victoriā significari, pro qua diis esset sacrificandū : tanquā Nero populos aliquos Olympios appellatos bello profligasset.

Auocaret.] Abduceret,remoueret. Vrbicas res.] Vrbana negotia,Romanámq; Rempublicam,cuius anima est bonus princeps,& illa principis corpus. Quanuis nunc.] Verba sunt Neronis ad Helium libertum.

M. AN. Achaiam.] Quæ circa Isthmum Peloponneso insinuatur,imò eius partē occupat. Legatos.] Ad hoc ipsum publicè à ciuitatibus missos. Primos.] Ante alios legatos audiret. Exceptus.] Nero tempestiua illa postulatione. Effusiùs.] Immoderatiùs.

Cassiopen.] Post Ceraunios Epiri montes Ambraciam versus,mille & ducentis à Brundosio stadiis.

Cassii Iouis.] In Cassiope templum fuit Cassii Iouis:author est Plinius. Auspicatus.] Canendi principium sumpsit. Cogi.] Colligi,indici. Iteratis.] Iterum annuo spatio celebratis. Præter consuetudinem.] Siquidem in Olympia musici certare non consueuerant. Circa hoc.] Musicum certamen.

Res vrbicas.] Vrbanarum rerum statum.

debes, vt Nerone dignus reuertar. Cantante eo, nec necessaria quidem causa excedere theatro licitum erat. Itaque & enixæ quædam in spectaculis dicuntur, & multi tædio audiendi, laudandiq;, clausis oppidorum portis, aut furtim desiluisse de muro, aut morte simulata funere elati. Quàm autem trepidè, anxiéque certauerit, quanta aduersariorum æmulatione, quo metu iudicum, vix credi potest. Aduersarios quasi planè conditionis eiusdem obseruare, captare, infamare secretò nonnunquam, ex occursu maledictis incessere: ac si qui arte præcellerent, corrumpere etiã solebat. Iudices autẽ priùs, quàm inciperet, reuerentissimè alloquebatur, omnia se facienda fecisse, sed euentum in manu esse fortunæ: illos vt

PHIL. VT Nerone dignus.] Vide Imperatoris ineptias, existimantis se Romam reuerti non posse dignũ semetipso, & Imperatoria maiestate, nisi musico certamine citharœdos superauerit: cũ id potiùs bono principi dedecorosum sit, atque probrosum. Nanque, vt suprà annotauimus, Philippus Alexandrum filium castigauit, quòd nimis bene cantaret: tanquã hæc studia nõ principibus conueniãt, sed grauiora, sanctioráque: sed Nero ab omni principis virtute penitus alienus, existimabat sibi esse gloriosum, si victoriã consequeretur ex his, quæ occulere magis deceret.

Enixæ.] Filios peperisse.

Tædio audiẽdi, laudandiq;.] Scribit Tacitus, quosdam, cantante Nerone, verberatos esse à militibus, dum aspectu illum tolerare, adularíq; recusant: quidam obtriti fuerunt, & alii, dũ diem, noctémq; sedibus continuant, morbi exitiabili correpti: quippe grauior erat metus si spectaculo defuissent: vnde tenuioribus tristitiã vultu demonstrantibus, statim irrogata supplicia. Aduersum illustres dissimulatum ad præsens, & mox odium redditũ est. Præterea, vt author est Philostratus, delatores his delationibus cũ primis criminabantur: Non venisti auditũ Neronẽ. aut Venisti quidem, sed negligenter, & parũ attentè audiebas. Risisti, non plausisti. Non pro Neronis voce sacrificasti, vt clarior esset, atque lucidior.

Funere elati.] Dum se mortuos simulãt, efferebantur, vt ita euaderẽt tædiũ audiendi histrionẽ principẽ.

Certauerit.] Scilicet cum citharœdis in musico certamine.

Quo metu iudicũ.] Quanta formidine. Et amphibolon videtur, tanquã incertũ sit, vtrúmne iudices Neronẽ metuerẽt, an à Nerone metuerentur. Metus enim, vt inquit Gellius, vtrôq; versum dici potest. nã metus hostiũ rectè dicitur, & cùm timẽt hostes, & cùm timentur. Itaq; Sallustius metũ Pompeii dixit, nõ quòd Pompeius metueret (quod est vsitatius) sed quòd metueretur. Attamen vt intelligamus metũ iudicum dici, quòd ipsi metuerentur, significat Cor. Tacitus, qui ait Neronem flexo genu cœtum theatralem manu veneratum sententias iudicum expectasse ficto pauore.

Aduersarios.] Citharœdos.

Conditionis eiusdem.] Citharœdicæ, musicæq; disciplinæ.

Obseruare.] Speculari. Lucilius: Si hæc obseruare volueris. Aliâs dicitur venerari. Vergilius:

Prætereà regem non sic Aegyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Obseruant.

Captare.] Capere. Plautus: Quid me captas carnifex? Inde captiones, sophisticæ cauillationes. Inde captatores dicti, qui vafritia, & astu captant alienas hæreditates. Martialis:

Scis te captari: scis hunc, qui captat, auarum.

Infamare.] Quintilianus: Deinde cùm se iactaret, eodem modo dicere Senecam infamabat. Cõmodus, authorẽ Lampridio, adolescens omne genus hominũ infamauit, & ab omnibus infamatus est.

Incessere.] Impetere conuiciis. Aul. Gel. Incessebat quempiã Taurus Philosophus seuera, & vehemẽti obiurgatione.

Corrũpere.] Sibi conciliare muneribus, vt scilicet id facerent, quod ab actoribus Græcis fieri solet: sæpe enim ille, vt inquit eleganter Cicero, qui est secundarũ, aut tertiarum partium, cùm possit aliquantò clariùs dicere, quàm ipse primarum, multùm summittere solet, minùsq; contendere, quàm potest, vt ille princeps quàm maximè excellat.

Reuerẽtissimè.] Cũ maxima reuerẽtia, & veneratione.

In manu fortunæ.] Fortuna cùm in rebus aliis, tum in certaminibus omnibus maximè dominatur: adeò vt euentus vel ludicri certaminis sit collocatus in fortunæ arbitrio: quæ sola, vt inquit Plinius, vtranq; paginam, & accepti facit, & expensi. In hanc sententiã Apuleius in Floridis luculenter, Omnibus, inquit, bonis in rebus conatus in laude, effectus in casu est. Quãquã hoc plerunque facimus, vt consilia euentis ponderemus: & cui bene quid processerit, multum illũ prouidisse: cui secus, nihil sensisse dicamus: vt refert M. Tullius in oratione pro Rabirio Posthumo.

M. AN. NEronedignus.] Dignus eo, qui musica professione semper videri volui. Necessaria causa.] Ne curandi quidem corporis, alteriúsve vrgentis negotiĩ gratia, cuius molestia spectator premeretur.

Enixæ.] Partu solutæ.

Funere elati.] Velut vita defuncti extra oppidum deportati. Trepidè.] Tumultuoso, & inconstanti motu. Anxiè.] Solicitè, & laboriose, vt hoc ad animum, illud ad corpus referatur. Quo metu iudicũ.] Cornelius: Sententias iudicum opperiebatur ficto pauore. Aduersariorum.] Quibus cantu congressus decertabat. Iudicum.] Eorum, qui de summa certaminis iudicaturi erant.

Obseruare.] Explorare quæ facerent. Terentius: Obserua Dauum. Captare.] Capere si quid offensum esset. Liuius: Inde consilium ex re natũ, insidiis ferocem hostem captandi. Infamare.] Infamẽ reddere, aliqua ei inuecta calumnia: vel potiùs damnare, reprobaréq;. Fabius: Clitarchi probatur ingeniũ, fides infamatur. Ex occursu.] Si quis eorum occurrisset.

Maledictis.] Obtrectationibus: quasi necessaria laboraret simultate: quam solo nutu discutere potuisset.

Præcellerent.] Præstarent, anteirent.

Corrumpere.] Muneribus efficere, vt ex arte aliquid remitterent.

Reuerentissimè.] Maximè reuerenter.

sapientes, & doctos viros fortuita debere excludere. Atque vt auderet, hortantibus æquiore animo recedebat: ac ne sic quidem sine solicitudine taciturnitatem, pudorémque quorundam pro tristitia, ac malignitate arguens, suspectósque sibi dicens.

Obedientia eius in dictis certaminibus. XXIIII.

IN certando verò ita legi obediebat, vt nunquàm excreare ausus, sudorem quoque frontis brachio detergeret, atq; etiã in quodã tragico actu, quum elapsum baculũ citò resumpsisset, pauidus, & metuẽs, ne ob delictũ certamine summoueretur, non aliter confirmatus est, quàm adiurãte hypocrita, non animaduersum id inter exultationes, succlamationésque populi. Victoré autem se ipse pronuntiabat. Qua de causa &

PHIL. FOrtuita.] Casos fortuitos, qui sæpenumero efficiunt, vt melior superetur à deteriore.

Hortantibus.] Scilicet iudicibus.

Vt auderet.] Cum alacritate & audacia musicũ certamen capesseret.

Taciturnitatem, pudorémq;.] Si qui ex iudicibus musici certaminis, quibus inerat aliquid priscæ seueritatis, pudore suffusi tacuissent, ob dedecus principis cantantis, id crimini dabat Nero. Ferunt Vespasianũ tanquã somno conniueret in spectaculis, à Phœbo Neronis liberto increpitum, ægréque imminentem perniciem effugisse. Multi præterea per cuneos dispositi erant, qui alacritatem, tristitiámque spectatorum perscrutarentur.

Pro tristitia.] Cùm sit quædã vitiis, virtutibúsq; vicinitas, vtebatur Nero proxima deriuatione verborum, vt pro taciturnitate iudicum, tristitiam: pro pudore malignitatem argueret: sicut pro forti, temerarium: pro liberali, prodigum: pro parco, auarum plerunque vocitamus.

Legi.] Scilicet citharœdicæ. Corn. Tacitus in hanc sententiam scribit hæc: Nero ingreditur theatrum cunctis citharæ legibus obtemperans: ne fessus resideret, ne sudorem nisi ea, quam indutui gerebat, veste detergeret: vt nulla oris, aut narium excrementa viserentur.

Sudorem frontis.] Quærit Aristoteles in Problematis encycliis, Cur facie, & maximè fronte sudemus: Causam refert, quia expeditiùs illa sudare possunt, quæ humida, laxáque sunt: caput autem tale est. Continet enim suam plurimam humiditatem. Distillationes quoque è capite oriuntur: & cerebrum humidum est: foramina permulta in capite habentur: igitur sudor de capite prorumpit potiùs, quàm de imis partibus: & primùm fronte sudamus, quæ prima cerebro subdita est.

Brachio detergeret.] Frontis sudorẽ sudario siccare solemus: & ita iubet Plinius ab oratore siccari frontem sudantem in actione, ne comæ turbentur: sed cùm lex citharæ præscribat sudorem detergeri ea tantùm veste, quam induit citharœdus: Nero ne à præscripto legis recederet, brachio sudorem frontis detergebat, manica videlicet vestis, quam indutui gerebat.

Tragico actu.] Quinque actus esse in comœdia, tragœdiáque, satis notum: & nos suo loco declarauimus. Hic actus tragicus accipitur pro cantu tragœdiæ, quam Nero canens agebat.

Baculum.] Ita erat fabulæ argumentum, vt cum baculo prodiret in proscenium.

Ob delictum.] Quo baculus elapsus erat è manibus.

Summoueretur.] Repelleretur.

Certamine.] A musica contentione.

Hypocrita.] Græci ὑποκριτὴν vocant simulatorem, ὑπόκρισιν simulationem: vnde & mimus hypocrita dictus, quia imitator est, & simulator. Quintilianus in secundo memorat Aeschinem hypocriten fuisse oratorem. Theatricorum artificum partim gymnici, partim scenici fuerunt: nã gladiaturã, & agitatoriam alibi satis monstrauimus. Scenici sunt, qui scenicos agonas exercẽt, qui & musici agones, & Dionysiaci dicuntur, quasi Libero Patri dicati. Quare & homines ipsi scenici vno verbo à Græcis Dionysiaci artifices dicuntur, authore Aristotele, & Gellio lib. x. In his sunt comœdi, & tragœdi, id est, fabularum actores, mimi, pantomimi, archimimi, ethologi, ethopœi: omnes vno nomine hypocritæ, id est, alienæ personæ simulatores dicti: & eorum actio hypocrisis, id est alienæ personæ simulatio. Latinè histriones, ludionésque, aut etiam ludii dicuntur.

Se pronuntiabat.] Contra morem, ritúmq; sacrorũ certaminum Nero semet sua voce victorem pronuntiabat: cùm hoc præconis officium sit, qui pronuntiat magna voce nomina victorum: sicut docet Cicero in epistola ad Lucium Luceium. Hinc à Marone dictum:

Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat.

M. AN. FOrtuita.] Quæ casu, & fortuna euenirent. Quintilianus lib. vi. cap. vi. Insidiarum inuidiam in Clodiũ vertit, quanquàm re vera fuerat pugna fortuita. Idem lib. x. cap. v s i. Nec tumultuarii, nec fortuiti sermonis contextum mirabor. Et fortuitò, aduerbiũ est. Plaut. in Aulul. Si eam senex anum prægnãtem fecerit fortuitó.

Excludere.] Pro iis, quæ ad iudicium attinerent, non habere.

Aequiore.] Sedatiore, minùs trepido, & æstuanti.

Taciturnitaté.] Si qui non ita impudẽter, vt ipse voluisset, se adhortarentur, iuberéntq; bono esse animo.

Pro tristitia, & malignitate.] Vt tristes, malignos, & seueros, ac in se parum æquos iudicaret.

Elapsum.] Manibus excussum.

Ob delictum.] Quòd in eo deliquisset.

Submoueretur.] Scena abire lege cogeretur.

Hypocrita.] Ex iis, credo, vno, qui ministerii gratia illi assistebant: quum ὑποκριτὴς, mimus alioqui Græcè, simulatórque dicatur.

Præconio.] Præconii peritia. Eusebius est author, præcones ab eo & Olympiæ, & in Isthmiis certamine victos. Nero, inquit, Olympiade coronatur, cerycas, citharistas, tragœdos, & aurigas vario certamine superãs. Cerycas Græca voce præcones dixit. Κῆρυξ enim caduceator, & præco dicitur. & rursus: Nero Isthmia, Pythia, Actia celebrans inter cerycas, tragœdos, & citharistas coronatur. Se ipse pronuntiabat.] Sua, non alterius voce: vt ad præconum æmulationem referatur.

præconio vbiq; contẽdit. Ac ne cuius alterius hieronicarum memoria, aut vestigium extaret vsquã subuerti, & vnco trahi, abiicíq; in latrinas omnium statuas, & imagines imperauit. Aurigauit

PHIL. Præconio contẽdit.] Hoc est, cũ præconibus decertauit de præconii peritia, & vocis magnitudine, & de nomine victoris pronunciando. Vnde factum est, vt Nero coronas acciperet non solùm citharœdorum, sed etiam præconum. Soliti enim erant præcones ludorum gymnicorũ coronas imponere victoribus, eorúmq; nomina magna voce pronunciare: déinde ipsi ante ludorum missionem corona donabantur, quæ imponebatur illis ab alio præcone, ne sua voce ipsi præcones se victores prædicarent. Præcones à præ, id est valde, & canendo dici autumat Priscianus. Qui facit præconium, vetatur esse in decurionibus: cùm qui iam fecerit, non vetetur: author Cicero in epistola ad Lepram. Aelius Stilo vocabatur Præconius, propterea quòd pater eius fecerat præconium. Quòd autẽ Nero contenderit cũ præconibus, eósq; præconio superauerit, testatur Philostratus, & docet Eusebius Chronographus, qui ait, à Nerone cerycas fuisse certamine superatos. Κῆρυξ enim Græcè dicitur Latinè præco, & caduceator. Corrigenda est obiter mendosa dictio apud Orosium de Nerone scribentem. sic enim in Codicibus impressis legitur: Assumpto varii vestitus dedecore, ceritos, citharistas, tragœdos, & aurigas sæpe sibi superasse visus. Tu dictionem illam ceritos obelo ingula: & cerycas substitue, & præcones intellige. Seneca ad Serenum inquit: Non vis nisi consul, aut prytanis, aut ceryx, aut suffes administrare Rempublicã: vbi ceryx non pro præcone accipi videtur, sed pro caduceatore & magistratu ad Rempublicã administrandã pertinente: qualis est Consul apud Romanos: qualis prytanis apud Athenienses: qualis suffes apud Carthaginiẽses. Quæ dictiones, vt in transcursu explicentur, scito prytanea dici præfectum, & Reipublicæ administratorem, à verbo Græco πρυτανεύω, quod significat guberno, & exerceo magistratum. Inde Prytaneũ, locus Athenis magistratuũ, & iudicũ: cuius meminit Cice. in 1. de Oratore, & Dionysius prytanea vocat curias, in quibus sacra fiebãt ab his, qui maximã in vrbibus habẽt potestatẽ. Suffes verò significat Cõsulem lingua Pœnorũ. Liuius: Senatũ itaq; suffetes, quod velut cõsulare Imperiũ apud Carthaginiẽses erat, vocauerunt. De cerycis & prytanis, prytaneíq; significatu, copiosè, multipliciterq; perscribit Suidas in etymologico. Adrianus, authore Spartiano, Tiburtinã villã mirè exædificauit, ita vt in ea locorũ celeberrima nomina inscriberet: veluti Prytaneũ, Lyciũ, Academiã, Picilen vocaret. De prytaneo iã dictũ est. Lyciũ autẽ, vt in transcursu explicemos verba quoq; Spartiani, fuit Athenis schola Aristotelis, sicut Academia Platonis, in qua περιπατῶν, id est deambulans philosophabatur: vnde Peripateticorũ nomen effulsit. Lyciũ media syllaba producta enunciauit M. Tullius illo versu:

Inque Academia vmbrifera, nitidóque Lycio
Fuderunt claras fœcundi pectoris artes.

Picilen verò emenda, & lege pœcilen: fuit enim Athenis porticus nominata Pœcile, ex varietate picturæ. Græci enim ποικίλον varium dicunt: & ποικιλίαν varietatẽ. vnde & lapis similes vocatus est pyrrho pœcilos, à varietate rubentium macularũ. In hac autẽ porticu Zeno philosophus discipulos docebat: vnde & secta Stoica nomen accepit: & philosophi Stoici nuncupati, qui anteà Zenonii ab ipso doctore appellabantur. Στοὰ enim Græcè porticus vocatur. Hæc est illa porticus Stoicorũ memoratissima, quam Chrysippus dictus est fulcire, quam pinxit Polygnotus gratuitò, cùm partem eius Mycon mercede pingeret: de qua Plin. in XXXV. Hic & Athenis pinxit porticum, quæ Pœcile vocatur, gratuitó. Menda est apud Pliniũ quoq; vnius literæ immutatione: nam pro pœcile legitur poetile: sicut etiam in illo Apuleiano: Et tamen Athenis proximo, & antẽ porticũ poetilen. ibi enim pro poetilen legendũ est pœcilen. De hac porticu intellexit Persius, cùm ait,

-Braccatis illita Medis Porticus.-

Illic enim depicta erat pugna Marathonia, qua duce Miltiade pugnata est aduersus Persas: quos Braccatos Medos Persius appellauit. De hac sic ait Probus Aemylius: Miltiadi talis honos tributus est in porticu, quæ Pœcile vocatur, cùm pugna depingeretur Marathonia, vt in decem prætorũ numero prima eius imago poneretur. Igitur Adrianus, vt ad enarrationem Spartiani verborũ reuertamur, in Tiburtina villa extruxerat loca, quæ appellabat Lycium ab exemplo scholæ Aristotelicæ: Academiam, ab honore Platonis: Prytaneũ à nomine Prytani Atheniensis: & Pœcilen, ab æmulatione porticus Pœciles, in qua philosophabatur Zeno princeps Stoicorum. Hieronicarũ.] Ἱερονίκας Græco vocabulo vocamus victores sacrorũ certaminũ. Sacra autẽ certamina Græcorum, sunt Olympia, Pythia, Isthmia, & Nemeæa. Quæ fierent in sacris certaminibus, docet apertè Quintilianus in 11. cùm ait: Quomodo Palæstricus ille cursorẽ faciat, aut pugilẽ, aut luctatorẽ, aliúdve quid ex his, quæ sunt sacrorum certaminũ, scribit Iulius Firmicus in VI. Si Luna & Mars in septimo ab horoscopo loco fuerint, & Iupiter in medio cæli, & sol trigonica radiatione iungatur, athletẽ faciet ista genitura, qui sacris certaminibus victor famosa reportet insignia coronarũ. In latrinas.] Ignominiæ & dehonestamẽti causã. Latrinas enim receptacula dici stercorũ, & sordiũ nullus ignorat. Iul. Firmicus tradit eos, qui horoscopũ habuerint in XXVIII. parte Arietis, & in II. parte Tauri, purgaturos sẽper, mũdaturósq; latrinas. Author est M. Varro in libris de Analogia, antiquos appellare cõsueuisse lauatrinã, quod posteritas balneũ nũcupauit. Idẽ alibi ait: Truæ, quæ in lauatrinã aquã fundunt. Heliogabalus in latrina occisus fuit, tractus deinde per publicũ, addita iniuria cadaueri est, vt in cloaculã milites mitterent. Latrinas esse priuatas, cũ cloacæ publicæ sint, indicat Columel. illo versu: Immũdis quæcũq; vomit latrina cloacis. Statuas, & imagines.] Quòd statuæ antiquitus dicarentur hieronicis, hoc est victoribus sacrorum certaminũ, docet Plin. qui scribit in XXXIIII. quòd mos erat dicari statuas in Olympia omnium, qui vicissent.

M. AN. Hieronicarũ.] In sacris certaminibus victorũ, ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ, id est, sacro, καὶ νικῶ vinco fit nomen. Extaret.] Appareret. Vestigiũ.] Signũ. Existeret.] Appareret. In latrinas.] In cloacas, & loca olida. Statuas, & imagines.] Plin. est author, statuas sacrorũ certaminũ victoribus poni solitas. Effigies hominũ nõ solebat exprimi, nisi aliqua illustri causa perpetuitatẽ merẽtium, & primò sacrorũ certaminũ victoria, maximeque Olympiæ, vbi omniũ, qui vicissent, statuas dicari mos erat. Imagines.] Tabulas, nisi potius ad iconas id referri oporteat: nam iis, qui ter Olympiæ victores fuissent, vt idẽ author scribit, ex membris ipsorũ similitudine iconas posuere. Quòd verò Olympionicę tabulis figurarẽtur, eiusdẽ Plinii verba demonstrant. Est, inquit, Eupompi victor certamine Gymnico palmam tenens.

Plurif

quoque plurifariàm, Olympiis verò etiam deceiugem, quanuis id ipsum in rege Mithridate carmine quodam suo reprehendisset. Sed excussus curru, ac rursus repositus quum perdurare nō posset, destitit ante decursum, nec eo secius coronatus est. Decedens deinde, prouinciam vniuersam libertate donauit, simulque iudices ciuitate Romana, & pecunia grandi. Quæ beneficia è medio stadio Isthmiorum die sua ipse voce pronuntiauit.

Reditus eius è Græcia, ac eiusdem triumphi. XXV.

REuersus è Græcia Neapolim, quòd in ea primū artē protulerat, albis equis introiit, disiecta parte muri, vt mos hieronicarū est. Simili

PHIL. PLurifariàm.] Pluribus in locis. Scribit Tacitus clausum fuisse in valle Vaticana spatium, in quo equos regeret Nero in promiscuo spectaculo: mox vltro vocari populus Romanus cœpit, qui laudibus extollebat principis aurigationem. Hinc Plinius Vaticanum appellat Neronis Circū, propterea quòd Nero illhic aurigabat perinde, ac in Circensibus ludis.

Olympiis.] Scilicet ludis, & spectaculis. Fuit Olympiæ porticus, quam oppidani ἑπτάφωνον vocant, quoniā septies eadē vox redditur: vt author est Plinius in XXXVI. Talium locorū meminit Lucretius sic scribens in IIII.

Sex etiam, aut septem loca vidi reddere voces
Vnā cùm iaceres: ita colles collibus ipsi
Verba repulsantes iterabant dicta referri.

Decemiugem.] Currum, quem decem equi iuncti traherent, decemiugem vocat: sicut seiuges dicti à sex equis iūctis. Plinius in XXXIIII. Serum hoc, & in his non nisi à diuo Augusto seiuges. Apuleius quoq; in Floridis ait: Vir, cui omnes prouinciæ quadriiuges, & seiuges currus vbique gentium ponere gratulantur.

Id ipsum.] Quod currus decemiuges Mithridates Ponti rex agitasset. Legimus apud Historicos, Mithridatem regem illum Ponti maximum seiuges equos rexisse, & seiugem currum agitasse. Excussus.] Eiectus. Sicut apud Statium excutitur curru in curuli spectaculo Polynices. Ante decursum.] Ante decursionem legitimā absolutam. Nec eo secius.] Nec ideo minus seciúsve. A sero enim secius videtur dictum: secus verò significat aliter. Prouinciam libertate donauit.] Imitatus exemplum Titi Flaminii, qui olim Philippo Macedonum rege profligato, omnes Græciæ vrbes liberas, atq; immunes esse iussit: idque publico, frequentissimóq; Isthmiorum spectaculo per præconis vocem factitatum: quæ res tanto gaudio cunctos Græcos affecit, vt Titum Flaminium σωτῆρα, hoc est seruatorē appellitarēt. Iterū, inquit Plutarchus, nostra ætate Græcia per celebritatem Isthmiorū pristina libertate donata est, suisq; legibus restituta à Nerone, dum is in foro Corinthi ex pulpito concionē habuisset ad populum. Iudices.] A quibus victor fuerat renuntiatus.

Ciuitate Romana.] Scilicet donauit. E stadio medio.] Ex curriculo stadii. Stadiū centū & vigintiquinque nostros efficit passus, hoc est pedes sexcentos vigintiquinq;: quæ mensura octies efficit mille passus: authores Plinius, & Columella. Stadia verò, in quibus curulia certamina exigebantur in terris Græciæ, pedū erāt numero ducentorum. Olympicum verò stadium, quod Hercules suis pedibus metatus fertur, tantò longius erat quàm cætera stadia, quantò mensura Herculanei pedis procerior erat, quàm aliorum. Isthmiorū.] Isthmia, ludi fuerunt quinquennales, ab Isthmo Corinthiaco, vbi fiebant, nuncupata: quæ à Theseo primùm instituta fuisse in honorem Neptuni autumat Plutarchus, ad Herculis æmulationem, qui Ioui Olympia dicauerat. Alii tradunt in Scyronis honorē Isthmia fuisse reperta: vt ita se Theseus à cæde Scyronis, quem necauerat, ob propinquitatem expiaret. Quidam in Melicertæ honorem, qui alio nomine dicitur Palæmon, ludicrū id Isthmiorum constitutum esse prodiderunt. Ex pacto vetustissimo ad Isthmia Corinthii accedentes, in sedendo cæteris præferebātur. Plinius Isthmiorum meminit, cùm ait in IIII. Isthmi pars altera cum delubro Neptuni quinquennalibus inclyto ludis. Curtius quoq; memorat ludicrū Isthmiorum. Sua voce.] Sine præconis ministerio: cū ipse præconis vice fungeretur. Primùm artem protulerat.] Suprà dictū est, quemadmodū Nero Neapolim elegit, vtpote Græcam vrbem, in qua auspicaretur musicam artem. Albis equis.] Ritu triumphantiū, qui curru albis equis iuncto vrbem inuehebātur. Ita triumphasse Camillū refert Liuius. Vt mos hieronicarum.] Plutarchus in Symposiacis: Victoribus, inquit, curru vehentibus permissum est partē muri deiicere: quod significat non magnopere ciuitati muro opus esse viros habenti, qui pugnare possint, & vincere. Præterea author est Vitruuius in IX. de Architectura, victoribus sacrorū certaminū magnos honores à Græcia fuisse constitutos: admiratúrq; quòd non scriptoribus iidem honores, & etiā maiores sint tributi, qui infinitas voluptates æuo perpetuo omnibus gentibus præstant. In sacris certaminibus periodo vicisse dicebatur, qui Pythia, Isthmia, Nemea, Olympia vicisset, à circuitu eorum spectaculorū. Qui verò in Olympia tantùm victores fuissent, hi ob id Olympionices nominabantur. M. Tullius in prima Tusculanarum: Cùm Rhodius Diagoras Olympionices nobilis vno die duos suos filios victores Olympiæ vidisset, accessit ad senem. Refert Fortunatianus, Olympionicas, & cæteros victores certaminum, nominari paradoxos, magis ex cōsuetudine vulgi, quàm ex ratione. Parum enim diligenter Græcè loquentes paradoxon, pro eo quod est bonæ opinionis, accipiebant. Nā, vt opinor, inquit, paradoxon est, quod est παρὰ τὴν δόξαν, hoc est contra opinionē bonam. Vnde figurarum controuersiarū vna est dicta paradoxos, quod opinionis malæ possumus dicere. Tamē paradoxi eleganter, & sciēter videri possunt dici victores sacrorū certaminū: tanquā sint admirabiles, & præter opinionē hominū præstātes. Paradoxa enim, vt docent Cicero, & Seneca, cùm sint admirabilia, & præter omnium opinionem, meritò ita appellantur. Olympica oratio est, vt inquit Apollonius apud Philostratū, qua ad athletas vtuntur Elei, qui certaturis dicunt, Si diligēter elaborastis, vt in Olympiis certare possitis, stadia audenter intrate: qui verò non ita paratus est, quocunque vult abeat.

DEcemiugē.] Laboriosum, ac penè incredibile, decem equos vno tempore agitare. In Mithridate.] M. AN.

Qui

Qui ita aurigasse dicitur. Reprehendisset.] Vt periculosum, aut certè superuacuum aurigandi genus.

Destitit.] Ab instituta agitatione.

Ante decursum.] Priùs, quàm stadium totum decurreretur.

dis, quemadmodum & in Nemeæis, cùm pinea corona nondum in vsum venisset. Ex hoc toto Neronis studio dedecoroso circa ludicra Græcorum, exiit illa Satyrica subsannatio:

Hæc opera, atque hæ sunt generosi principis artes,
Gaudētis fœdo peregrina ad pulpita saltu
Prostitui, Graiæq; apium meruisse coronæ.

modo Antium, inde Albanum, inde Romam. Sed & Romā eo curru, quo Augustus olim triūphauerat, & in veste purpurea, distinctáq; stellis aureis chlamyde, coronámq; capite gerens Olympicā, dextra manu Pythiam, præeunte pompa cæterarum cum titulis, vbi, & quos, quo cantionum, quóve fabularum argumento vicisset, sequentibus currum ouantium ritu plausoribus, Augustanos militésque se triumphi eius clamantibus. Dehinc diruto circi maximi arcu, per Velabrum, forúmque, Palatium, & Apollinem petiit. Incedenti passim victimæ cæsæ, sparso per vias

Prouinciā.] Achaiam. Iudices.] Sub quibus certarat. Isthmiorū.] Isthmii ludi ab Isthmo Corinthiaco dicti. Plinius: Isthmi pars altera cū delubro Neptuni quinquennalibus inclyto ludis. Quatuor erant Græciæ celeberrima certamina, Olympica in Olympii Iouis honorem, in quo victores corona oleagina coronabantur. Pythia Apollini sacra, quorum victor poma præmium ferebat. Nemeæa, quæ Archemori erant: de eorum institutione Papinius plura, cuius certaminis victores pinu coronabantur. Erant & Isthmia Palæmoni dicata, vbi qui vicissent, apio coronabantur. Iuuenalis de eodem Nerone, -Graiæq́ue apium meruisse coronæ.

Sua ipse voce.] Sic suprà se ipsum victorem Nero pronuntiauit. Vt mos hieronicarū.] Vt diruta murorum parte in vrbem reciperetur: quoniam, vt Plutarchus ait, per id significabatur non oportere eam vrbem esse mœnibus munitam, quæ eos tulisset viros, qui reliquos mortales virtute præstarent, id est, certare possent, & vincere.

PHIL. INde Albanum.] Scilicet secessum. Est simplex elocutio. Tale est illud Plinianum ex epistolis: Quantum copiarum in Otriculano, in Narniensi, in Carseolano, in Perusino tuo. Simili modo.] Vt pars murorū deiiceretur. In veste purpurea.] Habitu videlicet triumphali. Nam suprà annotauimus, triumphantē toga prætexta, tonica palmata, & toga picta, deniq; Iouis Optimi Maximi ornatu decoratū per vrbem vehi in Capitolium solitum. Distincta.] Variegata. Coronā Olympicam.] Hæc erat ex oleastro. Vnde ait Plinius: Græci Olympiæ victores oleastro coronant. Hinc ab Aristophane dictū est in Pluto, Iouē victores athletas coronare κοτίνῳ στεφάνῳ, hoc est oleastri corona.

Pythiā.] Pythia fiebant in honorē Apollinis, cuius ludicri victores lauro coronantur, vt inquit Lactantius interpres Papinii: & innuit Ouidius in I. Metamorphoseos: qui testatur Pythia dici à nomine perdomitæ serpentis. Ante inuentā laurum corona æsculea coronabantur. Spectatissima laurus, vt inquit Plinius in XV. est in mōte Parnasso, vbi fiebāt Pythia: ideóq; Apollini grata. Victores Delphis in Pythiis certaminibus coronabātur peculiariter ea lauro, quæ Delphica nominatur, qua & triumphantes Romæ: quæ viridior est, maximis baccis, atq; e viridi rubentibus. Pompa cæterarū coronarum.] Qualis est Isthmica, quæ erat ex pinu. Plinius: Pinea corona victores apud Isthmum coronātur: qualis & Nemeæa, quæ erat ex apio, sicut Plinius indicat in decimonono his verbis: Honos apio in Achaia coronare victores sacri certaminis Nemeææ. Plutarchus verò in Timoleone, author est, corona ex apio coronari solitos victores apud Corinthios in Isthmiis ludis, quemadmodum & in Nemeæis, cùm pinea corona nondum in vsum venisset.

Cantionū.] Cantilenarum.

Ouātium ritu.] Ouantes sequi solebant nō milites, sed vniuersi Senatores: author Sabinus Masurius. Augustanos milites.] Superiùs scripsimus, equites Romanos à Nerone cōscriptos fuisse cognomento Augustanorū: qui plausores erāt principis, dies, noctésq; plausibus personantes. Diruto arcu.] Ex ritu hieronicarum, qui muri partem deiiciebant in introitu ciuitatum, vt dudum diximus. Per Velabrū.] Relege quæ in Iulio Cæsare, & quæ in quarto Propertii commentario super Velabro vico Romano annotauimus. Apollinem.] Scilicet Palatinum: cuius templum Augustus excitauerat in ea parte Palatinæ domus, quæ fulmine icta fuerat. De hoc in Augusto pluribus. Sparso croco.] Moris est apud nos, vt sabulum in festiuitatibus per vias dispergatur: at in honorē reuertentis Neronis crocum sparsum est, vt ita honorificentiùs exciperetur. Crocum antiquitus spargebatur in theatris, vino dulci tritum: vt docet Plinius in XXI. Ex quo est illud Lucretii:

Et cùm scena croco Cilici perfusa recēns est.

Ad hanc croci sparsionem est referendum illud quoq; Epigrammatarii poetæ:

Et Cilicis nimbis hic maduere suis. & illud:
-Rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuso permaduisse croco.

Sed de hac re copiosè scripsimus in quarto Propertii commentario in enarrationem illius versiculi:

Pulpita solennes non oluere crocos.

In funeribus quoque nobilioribus rogum croco respergi solitum, testis est Papinius, cùm ait:

Ver Arabum, Cilicúmque fluit, floréśque Sabæi,
Coriciæq́ue comæ.-

Nam comæ Coriciæ significāt crocum, quod in Corico Ciliciæ monte erat laudatissimum: cuius herba folio angusto est, penè in capillamenti modum.

ANtium.] Murorum scilicet parte diruta, oppidū est ingressus: sic Albæ, sic Romæ factum intellige, vt murorū parte disiecta sit ingressus. Chlamyde.] Purpurea, & stellis distincta. Olympicam.] Oleaginam. M. AN.

Pythiam.] Poma, quæ eius certaminis victores ferebant. Cæterarum.] Coronarū. Vbi.] Quo certamine. Quos.] Citharœdos, aurigas, cerycas vicisset. Plausoribus.] Quorum, vt dixi, numerum sibi ingentem ab initio delegarat.

Augustanos.] Cæsarianos.

Apollinem.] Palatini Apollinis ædem, quā Augustus ea parte Palatinæ domus erexerat, quæ fuerat de cælo tacta.

identidem croco, ingestæque aues, ac lemnisci, & bellaria. Sacras coronas in cubili circũ lectos posuit. Item statuas suas citharœdico habitu: qua nota etiam nummum percussit. Ac post hæc tantum abfuit à remittendo, laxandóque studio, vt conseruandæ vocis gratia, neque milites vnquam, nisi absens, aut alio verba pronuntiante appellaret: nec quicquam serio iocóve egerit, nisi astante phonasco, qui moneret, parceret arteriis,

PHIL. Identidé.] Frequenter, & súbinde. Ingestæ aues.] Transeunti Neroni ingerebantur à spectatoribus aues varii generis volitantes: vt ita victorem ex ludicris spectaculis redeuntem acciperent magnificentiùs, & hilariùs prosequerentur. Lemnisci.] Fasciolæ coloriæ dependentes ex coronis lẽnisci dicuntur: vt docet Festus. Inde lemniscatæ coronæ dictæ, quæ lemniscis erant ornatæ. Seruius enarrans illud Vergilianum: Puniceis ibant euincti tempora tænis: significat, inquit, lemniscatas coronas, quæ sunt de frondibus, & discoloribus fasciis. Et sicut Varro dicit, magni honoris sunt. Plinius noster in xxi. prodidit, lẽniscos adiici solitos coronis aureos, qui diu fuere puri, quos cælare primus instituit Publius Claudius Pulcher. Bellaria.] Quæ Græci τραγήματα, & τρίμματα dixerunt, ea veteres nostri bellaria appellauerunt. Sunt autem omnia genera ciborũ, quæ mensis secundis inferuntur. Vina quoq; dulciora est inuenire in comœdiis antiquioribus hoc nomine appellata, dictáq; esse ea Liberi bellaria. M. Varro, Bellaria, inquit, ea maximè sunt mellita, quæ mellita non sunt. Quibus verbis significat bellaria illa esse iucundiora, & digestioni accommodatiora, quæ melle condita non sint: cùm dulcia infidam habeant societatẽ cum ipsa concoctione, quam Macrobius, & Gellius verbo Græco pepsin nominauerunt. Inde à Catone, vt obiter id quoque enodemus, dispepsia nominatur, accipitúrq; pro mala, difficiliq; perfectione ciborum. Scire autem debes, veteres illos Romanos nõ habuisse bellaria ex saccaro cõcinnata, caruisséq; tanta voluptate, quanta est in eduliis ex saccaro cõfectis, quæ nostris temporibus multifaria, scitissimóq; sapore condita componuntur. Quod ita esse, vt credas, audi Plinium sic scribentẽ in xii. Saccaron & Arabia fert, sed laudatius India. Est autẽ mel in arundinibus collectum gummium modo candidũ, dentibus fragile, amplissimũ nucis auellanæ magnitudine, ad medicinæ tantũ vsum. Itaq; nostri sapientiores iudicandi, qui saccari bonitatẽ nouere non solùm in vsu medicinæ, sed in gustu, gulæq; voluptate palmam illi mensarum meritò dederunt.

Sacras coronas.] Olympicam, Pythiam, Isthmiam, & Nemeæam notat, quæ in sacris certaminibus dabantur victori. In cubili.] Coronas ex pulegio in cubiculis ponebant veteres Romani, propterea quòd pollet ad recreandos defectos animo, & vertigini capitis prodest: quinetiam imposita capiti corona pulegii dicitur leuare capitis dolores: olfactu quoque capita tueri cõtra frigorũ, æstúsq; iniuriam traditur: author Plinius in xx. Citharœdico habitu.] Quo citharœdi peculiariter vtũtur. Est enim illis suus proprius habitus. Olim Alexander Romanus in animo habuit omnibus officiis genus vestium propriũ dare, vt à vestitu dignoscerentur. Nero cùm magis citharœdus esset, quàm princeps, statuas sibi erexit habitu citharœdico, qui citharã colosso suspendit, vt innuit Satyrographus illo versu:

Et de marmoreo citharam suspende colosso.

Idẽ Neronẽ appellat mordaciter principẽ citharœdũ, cũ ait: Res haud mira tamẽ citharœdo principe natus.

Nota.] Effigie citharœdici habitus. Tantũ abfuit.] Alienus fuit. Studio.] Musicæ professionis.

Neq; milites appellaret.] Qui ad milites concionaturus est, pronunciatione sublatiore, atq; sonantiore vti cogitur: quæ res haud dubie obtundit vocem. Ideóq; Nero milites alloqui supersedebat, nisi adhibito alio, qui verba ipsius enuntiaret. Phonasco.] Vocis magistro: de quo diximus in Augusto: de quo ait Sidonius: Psalmorũ hic modulator, & phonascus. Parceret arteriis.] Erasistratus medicus duas esse quasi canaliculas, vel fistulas tradit, quæ à faucibus deorsum proficiscuntur: per alteram in stomachũ delabuntur omnia esculenta & poculenta: per alteram spiritus ab ore in pulmonẽ atq; rursum in os, & in nares cõmeat: pérq; eadẽ meatus vocis fit: & Græcè nominatur τραχεῖα ἀρτηρία, id est, aspera arteria. Lactãtius hanc arteriam appellat fistulam spiritalẽ: alio nomine curgulio nuncupatur. De his arteriis sentit Plin. in xxviii. arterias exulceratas leuari lacte bubulo, aut caprino. Arterias autem voce nonnunquam lædi, testis est Lucretius, qui neutro genere protulit arteria. Versus Lucretii hi sunt:

Præterradit enim vox fauces sæpe, facitque
Asperiora foras gradiens arteria clamor.

Lib. iii. Rhetoricorum ad Herennium ait M. Tullius, siue is Cornificius fuit: nam incertus est author: Arterias lædi, si antè quàm vox permulsa est, acri clamore cõpleantur. & pòst paulò: Vulnerantur, inquit, arteriæ acuta, atque extenuata nimis acclamatione. Fortunatianus quoque in iii. Rhetoricorũ scribens de voce custodienda, præcipit arterias esse oportere nõ humidas, sed lubricas, quibus prodest lenissimus cibus. In alio significatu arteriæ sunt spiritus semitæ: sicut venæ, riui sanguinis: author Plinius in xi.

M. AN. Incedenti.] Neroni. Ingestæ.] In eum coniectæ, ac certatim sparsæ. Lemnisci.] Fasciolæ, quæ coronis adhibebantur. Plinius: Accesserunt quoq; lemnisci, quos adiici ipsarum quoq; coronarũ honos erat. Sunt qui lemniscos dictos, quasi laniscos putent: quod Festus apertè demonstrat: Lemnisci, inquit, fasciolæ coloriæ depẽdentes ex coronis propterea dicũtur, quia antiquissimum fuit genus coronarũ lanearum. Capitolinus luxuriosissimis cœnis coronas cũ lẽniscis aureis ab Imperatore datas tradidit. Bellaria.] Quæcunq; secũda mensa apponuntur, veteres bellaria dixere: quæ ferè mellita esse consueuerunt: dicta vel quasi bona: à bono enim bellus est: vel quia vt sagittas, & alia belli instrumenta, bellaria olim, Festo authore, dixere: ita dulciora hæc tanquã mensarii instrumenta, bellaria. Græci τραγήματα appellant. Sacras coronas.] Sacris certaminibus quæsitas. Citharœdico habitu.] Iuuenalis:

Et de marmoreo citharam suspende colosso.

Id verò & si in alium sensum accipimus, ad illius tamen statuas allusum videri potest. Phonasco.] Moderandæ vocis magistro. Quintilianus: Sed cura non eadem oratoribus, quæ & phonascis conuenit: tamẽ multa sunt vtrisq; cõmunia. Arteriis.] Arteriæ superiore parte sunt stomacho annexæ. Plinius: Summũ gulæ fauces vocantur, postremum stomachus: hoc nomine est sub arteria iam carnosa inanitas, ad longitudinẽ, & latitudinem lagenæ. & rursus: Postea arteria, & stomachus denticulatus

ac ſudarium ad os applicaret, multíſq; vel amicitiam ſuam obtulerit, vel ſimultatẽ indixerit, prout quiſque ſe magis, parciúſve laudaſſet.

Rapinæ, & alia ſcelera clàm per eum, & publicè commiſſa. XXVI.



Etulantiã, libidinem, luxuriã, auaritiam, crudelitatem ſenſim quidẽ primò, & occultè velut iuuenili errore exercuit: ſed vt tunc quoq; dubium nemini foret, naturæ illa vitia, nõ ætatis eſſe. Poſt crepuſculum ſtatim arrepto pileo, vel galero, popinas inibat, circúmque vicos vagabatur ludibundus, nec ſine pernicie tamen. Siquidem redeuntes à cœna verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacíſque demergere

larus. Ex quibus apparet intra fauces, & ſtomachũ eſſe arterias. Eraſiſtratus, Gellio authore, oſtendit arteriam dici canaliculam quandã ſeu fiſtulam, per quã ſpiritus à ſummo ore in pulmonẽ, ac rurſus inde ad os, & nares cõmeet: & quæ à Græcis τραχῶα ἀρτηρία, id eſt, aſpera arteria dicatur: de qua nunc apertè Tranquillus. Eſt alioqui arteria alia quædam, venæ annexa: eo diſtat à vena, quòd hæc plus ſanguinis, minus ſpiritus habeat: illa plus ſpiritus, minus ſanguinis.

PHIL. SVdarium.] Ex Setabi ciuitate Hiſpaniæ laudatiſſima mitti linteola, quæ ſudaria dicuntur, docent Catullus, & Silius. Diminutiuum ſudarii eſt ſudariolum: quo vtitur Apuleius in Apologia, vbi eleganter innuit, à ſudore ſudariũ inclinari. Verba Apuleii hæc ſunt: Quãti ſudores innocentibus hoc vno ſudariolo afferantur, poſſum equidem pluribus diſputare. Sudario frontem ſiccandã eſſe ab oratore dixit Plinius. Simultatem indixerit.] Odiũ denuntiauerit. Naturæ vitia, nõ ætatis.] Naturalia vitia, vt inquit Seneca, leniri quidẽ arte poſſunt, ſed vinci, & extirpari non poſſunt. Vitia verò ætatis cum ætate deponuntur: verbi cauſa, puerile vitium exacta pueritia deponitur: iuuenile, vbi aduenerit maturior ætas. Hinc illud à poeta Satyrico dictum:

-Fecimus & nos
Hæc iuuenes: eſto, deſiſti nempe, nec vltra
Fouiſti errorem: breue ſit quod turpiter audes.

M. Tullius quoq; in oratione pro Cælio multos ſua, patrúmq; memoria clariſſimos viros fuiſſe teſtatur: quorum cùm adoleſcentiæ cupiditates deferbuiſſent, eximiæ virtutis firmata iam ætate extiterunt. Eſt enim illa ætas iuuenilis obnoxia libidini, & magis appetitui obtẽperat, quàm rationi. Vnde in illo adoleſcentiæ lubrico, vt inquit Pacatus Panegyriſta, qui non cadit, ſaltẽ titubat. Exacto autem illo ætatis feruentioris curriculo, conſueuit ratio partes ſuas iam tutari ſuccumbente appetitu, & paulatim ſeneſcentibus vitiis, virtutes adoleſcere. Sed Nero cùm flagitia nullo tempore intermiſerit, planè declarauit innata eſſe ſibi illa, & ingenita.

Poſt crepuſculũ.] Tempus diei, quod eſt poſt occaſum Solis, crepuſculũ dixerunt, à crepero, quod ſignificat dubium: tunc enim multis dubium eſt dies ſit, an iam nox. Ab hoc res dubiæ dictæ creperæ: & crepuſci nominati apud Sabinos, qui eo tẽpore erant nati. Hinc Lucretius creperũ bellum appellat anceps & dubium. Martianus: Creperum vidẽs ocellis. A Sidonio hora veſpertina eleganter dicta eſt crepuſculaſcẽs. Popinas inibat.] Tacitus in hanc ſententiam, Notum, inquit, foris, fœda domi laſciuia, qua Nero itinera vrbis, & lupanaria, & diuerticula veſte ſeruili in diſſimulationẽ compoſitus pererrabat. Pileo vel galero.] De pileo, cuius diminutiuum eſt pileolum, alibi plura. Galerus verò, cuius diminutiuũ galericulus eſt, accipi videtur interdum pro coma aliena, quam ad galeri effigiem reformatã capiti noſtro ita aptare ſolemus, vt internoſci nõ queat: quod infra ſuo loco planiùs demõſtrabitur. Hoc in Caligula capillamentũ nominauit. A galero galeritã dici auiculã, quæ alio nomine appellatur alauda, docet Plinius in XI. A Varrone dicitur galericus, propterea quòd in capite habent plumã elatam. Iul. Capitolinus cucullionẽ appellat pilei genus viatoriũ, quo capite obtecto vagari nocte ſolitũ tradit per tabernas, ac lupanaria Verũ Imperatorẽ, vtpote æmulum vitiorum Neronianorum.

Ludibũdus.] Nõ ſimilis ludenti, ſed exuperantet per ludos laſciuiens, & petulãtiæ plenus. hæc enim omnia ad petulantiam ſunt referenda: quæ laſciuia quædam immodica eſt, & proterua procacitas: à petẽdo dicta petulantia. Maro petulcos hœdos dixit, veluti laſciuos, & exultantes.

Verberare.] Monet Solomon in Parabolis, quoſdã eſſe defugiendos, qui non dormiũt, niſi malè fecerint, & niſi alios ſupplantauerint. Vnde & illud Satyricum:

Ebrius ac petulans, qui nullum fortè cecidit
Dat pœnas.- & mox: Ergo quibuſdã ſomnũ rixa facit.-

Cloacis demergere.] Heliogabalus fuit occiſus in latrina, & tractus in cloaculã ludibrii cauſa. Cloacas Romæ publicas manibus plebis fecit Tarquinius Priſcus: quarũ cauis eam amplitudinẽ feciſſe proditur, vt vehem fœni largè onuſtam trãſmitteret. Refert Plinius, Agrippã in ædilitate feciſſe cloacas operũ omniũ dictu maximũ, vrbe penſili, ſubterq; nauigata. Immunditia cloacarũ gignit peſtilentiã, vt ait Iuriſconſultus titulo De cloacis. Non prætereunda eſt in hoc loco ſententia illa Sidonii Apollinaris ex I. Epiſtolarũ in flagitioſum: Fæculentiæ par cloacali: quæ quò plus cõmota, plus fœtida eſt. Cloacas à cloacãdo dictas eſſe autumat Feſtus. Cloacare autem ſignificat inquinare.

M. AN. SVdariũ.] Breue linteolũ, ac tenue, à ſudo, id eſt, ſemiudo, ſiue ſudore dictũ. Quintil. Quò magis miror hãc quoq; ſuccurriſſe Plinio curã, vt itẽ ſudario frontem ſiccari iuberet. Ad os.] Neronis. Indixerit.] More maiorũ denuntiarit. Quo apparet ita muſicæ fuiſſe addictũ, vt ſi qui de ſe in eo ſtudio malè ſentirent, indignos ſua amicitia exiſtimaret. Petulantia.] Trãſitio ab inepto canendi ſtudio ad cætera illius vitia, quæ eò atrociora habenda, quò publicè, & priuatim magis fuere calamitoſa. Senſim.] Remiſſè, ac modicè. Poſt crepuſculũ.] Primis ſe tenebris intendentibus. Crepuſculũ dubia lux dicitur. Creperum veteres, vt Nonius ait, dubiũ dixere: vnde res crepera, dubia dicta eſt: & bellũ creperũ, dubiũ. Arrepto pileo, vel galero.] Galerus pilei genus, teſte Seruio. Fronto neutro genere declinauit, Vergilius maſculino. -Pars ſpicula geſtat
Bina manu, fuluóſq; lupi de pelle galeros. Iuuen.
Porrigit, & longo iactetur ſpira galero. Iul. Capitolinus de Vero principe, Atq; in tãtũ, ait, vitiorũ Caianorum, & Neronianorũ fuiſſe æmulũ conſtat, vt vagaretur noctu per tabernas, & lupanaria obtecto capite cu-

assueuerat: tabernulas etiã effringere, & expilare quintana domi cõstituta, vbi partæ, & ad licitationem diuidendæ prædæ pretiũ assumeretur. Ac sæpe in eiusmodi rixis, oculorũ, & vitæ periculũ adiit, à quodã laticlauio, cuius vxorẽ attrectauerat, propè ad necẽ cæsus. Quare nunquã posteà publico se illud horæ sine tribunis cõmisit, procul, & occultè subsequẽtibus. Interdiu quoq; clàm gestatoria sella delatus in theatrũ, seditionibus pãtomimorum ex parte proscenii superiori signifer, simul ac spectator aderat. Et quum ad manus ventũ esset, lapidibúsque, & subselliorum fragminibus decerneretur, multa & ipse iecit in populum, atq; etiam prætoris caput consauciauit.

culllone vulgari viatorio, cõmiteret rixas dissimulans quis esset, sæpéq; afflictũ liuida facie rediisse. Ludibundus.] Lusu, petulantia, lasciuia plenus. Sine pernicie.] Sine clade, & incommodo eorũ, quos forte obuios habuisset. Verberare.] Pulsare. Iuuenalis de eius modi grassationis genere,

Ebrius, & petulans si nullum fortè cecidit. & mox idẽ:

Si rixa est, vbi tu pulsas: ego vapulo tantúm.

Cloacas.] Cloacæ sunt loca caua, per quæ colluuies, & sordes fluunt: vnde cloacare, coinquinare. Cloacæ tamen appellatione Vlpianus tubos, & fistulas contineri credidit.

PHIL. TAbernolas effringere.] Tabernas effringi solitas à petulantibus, indicat ille versus Iuuenalis:

Quæque catenatæ fixa est compago tabernæ.

Expilare.] Diripere, populari. Cor. Tacitus: Comitabantur, inquit, Neronẽ, qui raperent venditioni exposita. Quintana cõstituta.] Scribit Festus Põpeius quintanam in castris portam appellari post prætorium, vbi rerum vtensilium erat forum. Quidã quintana parte legunt: tanquã Nero ex mercibus expilatis, diuenditisq; quintã sibi partem exciperet. Ego existimo verba Tranquilli sic esse ordinanda: Quintana domi constituta, vbi partæ, & ad licitationẽ diuendendæ prædæ pretiũ assumeretur. Et ita dictio illa partæ, erit participiũ, casúsq; genitiui, iũgetúrq; cũ prædæ: vt ita legas, Neronẽ constituisse domi quintanã illam portã, hoc est, forũ rerũ venaliũ, in quo assumeretur pretiũ prædæ per expilationes nocturnas partæ, hoc est, acquisitæ: quæ diuideretur, ac distraheretur ad licitationẽ. Dicitur autem merx ad licitationẽ vendi, quãdo illi addicitur, qui pretiũ maius obtulerit. De licitatione vectigaliũ alibi diximus ex authoritate Iurisconsultorũ. Oculorũ, & vitæ periculũ.] Cor. Tacitus tradit, Neronẽ in rixis nocturnis excepisse ictus, & ore prætulisse. Addit Plinius Neronẽ solitũ sibi illinire faciẽ cõuerberatã nocturnis grassationibus quodam medicamẽto ex thapsia adeò efficaci, vt sequẽti die cõtra famã cutẽ syncerã circũferret. A quodã laticlauio.] Senatore. Scribit Corn. Tacitus, Iuliũ Montanũ Senatorii ordinis cõgressum fortè per tenebras cũ Nerone illũ acriter repulisse: qui mox mori adactus est. Vnde Nero metuentior in posterum, milites sibi & plerosq; gladiatores circũdedit, qui rixarũ initia modica, & quasi priuata sinerent: si à læsis validiùs vrgeretur, arma inferebant. A latoclauo veste Senatoria Senator dictus laticlauius. Baleares, authore Strabone, primi mortaliũ produntur induisse latũ clauum. Silius testatur, sacerdotes quoq; induisse latũ clauũ, cùm de sacerdotibus Herculis loquẽs in tertio Punicorũ sic inquit: Discinctis mos tura dare, atq; è lege parentũ Sacrificã lato vestem distinguere clauo. Prætextã vocant partẽ vestis, quæ texitur ante clauũ. Attrectauerat.] Contrectauerat per petulantiam, & manibus subagitauerat: quod fieri nec debet nec li-

cet. Illud horæ.] Illo tẽpore nocturno. Elocutio vetus, & frequens, vt dicamus id ætatis, id temporis, id horæ. Gestatoria.] A gestãdo dicta. Id alio nomine dicitur gestatoriũ, sicut suprà dictũ est. Hinc legimus in libris Machabæorũ: In gestatorio torquebatur Antiochus. Gestatio autẽ in primis laudatur à clarissimis conditoribus: inter quos est Asclepiades, qui quinq; res maximè cõmuniũ auxiliorũ in medicina professus est: abstinentiam cibi, aliàs vini, fricationẽ corporis, ambulationẽ, gestationẽque. Plinius quoq; in XXVI. s. s. In primis prodest, inquit, ambulatio, gestatio: & ea pluribus modis. Corn. Celsus in s. s. sic refert: Gestatio longis etiam, & inclinatis morbis aptissima est. Genera autem gestationis plura sunt: leuissima est naui in portu vel flumine: mollis est gestatio in lectica, eáq; peculiariter vtebantur Romani, tam fœminæ, quàm viri, qui à lecticariis, aut in hexaphoro, aut in octophoro gestabantur. Seditionibus pantomimorũ.] Cor. Tacitus sic refert: Ludicrã licentiam, & fauores histrionũ velut in prælia Nero conuertit impunitate, & præmiis: ipse verò occultus, & plerunque coràm prospectabat, donec discordi populo, & grauioris motus terrore non aliud remedium repertũ est, quàm vt histriones Italia pellerentur. Proscenii.] Suprà annotauimus, prosceniũ dici pulpitũ ante scenã collocatũ, in quo scenici agebant histrioniã. Signifer.] Veluti signũ ferret, darétq; fautoribus histrionũ, quo in prælia conuerterentur. Ad manus.] Liuius: Pugna iã ad manus, iam ad gladios venerat. Subselliorum.] Seditio Gracchana citra ferrũ acta esse proditur lapidibus, & fragminibus subselliorũ. Gracchus ipse à Nasica oppressus fuit in Capitolio fustibus, fragmentisque sediliũ. Decerneretur.] Depugnaretur inter fautores pantomimorũ, & populorum discordẽ. Multa.] Scilicet fragmina subselliorum, & id genus tela missilia.

Prætoris.] Qui præerat ludis exhibendis.

M. AN. EXpilare.] Diripere. Quintana.] Ex castrensi vsu sumptum: erat enim quintana porta, vt Festus ait, post prætorium in castris, vbi rerum vtensilium erat forum: quare vide ne sit porta potiùs, quàm parte legendum.

Assumeretur.] A nocturnæ grassationis sociis.

Laticlauio.] A patritio, siue Senatore quodam: vtriusq; enim ordinis latus clauus erat insigne.

Attrectauerat.] Petulanter in eam manum iniecerat. Cæsus.] Nero.

Sine tribunis.] Nisi tribunis militum comitãtibus.

Interdiu.] Luce.

Pantomimorum.] De pantomimorum factionibus abundè alibi. Proscenii.] Pulpiti ante scenam ad ludicra exercenda locati.

Signifer.] Non signi dator potiùs, quàm signa ferens. Ad manus ventum esset.] Contractum certamen. Multa.] Tela temerè occurrentia.

Comessationes, & epulæ eius. XXVII.

PAulatim verò inualescentibus vitiis, iocularia, & latebras omisit, nulláq; dissimulãdi cura ad maiora palàm erupit. Epulas è medio die ad mediã noctem protrahebat, refotus sæpius calidis piscinis, ac tẽpore æstiuo niuatis. Cœnitabátq; nonnunquam & in publica naumachia præclusa, vel Martio campo, vel circo maximo; inter scortorum totius vrbis, Ambubaiarúmque ministeria. Quoties Hostiam Tyberi defflueret, aut ad Baianum sinum præternauigaret, dispositæ per litora, & ripas diuersoriæ tabernæ parabantur, insignes ganeæ, & matronarum institorias operas imitantium, atque hinc inde orantium, vt

PHIL. LAtebras omisit.] Hactenus Nero sceleribus, & flagitiis velamenta quæsierat, mox palàm, & in propatulo cœpit erumpere in omne genus flagitiorum, adeò vt in vno homine omnia vitia conspicerentur, possétq; vnus videri compactus, & conglutinatus ex omnibus impuritatibus.

Epulas è medio die.] Talem epularum luxuriam taxat Silius in Campano populo his versibus:

- Medióq; dierũ
Regales epulæ, atque ortu conuiuia solis
Deprænsa, & nulla macula non illita vita.

Heliogabalus olim tale conuiuium celebrauit, vt vix toto die finitum sit.

Refotus.] Sæpe madefactus, & recreatus.

Calidis piscinis.] Orosius luxuriæ tam effrænatæ Neronem fuisse prodit, vt frigidis, & calidis lauaretur vnguentis. Addit Eutropios, hoc eum factitasse exemplo Caligulæ auunculi, cui simillimus fuit. Piscinæ verò præter notam significationem, in balneis quoque dicuntur, videntúrque à piscibus dici, vt inquit Fortunatianus, quamuis in his nihil piscium sit, de quibus hîc intelligitur: sicut apud Martialem: Piscinam peto, non licet natare. Romæ fuit publica piscina, ad quã & natatum, & exercitationis causa veniebat populus. Vnde à Lucilio dictus est pugil piscinensis, qui in piscina exercebatur. Lampridius author est, Heliogabalum natasse piscinis infectis vnguento nobili, aut croco. Quod si quis dicat, homines piscibus similes natando fieri, & inde piscinæ nomen esse natum: non est repugnandum, cùm ab re minimè abhorreat talis originatio.

Niuatis.] Niue refrigeratis, quam luxuriæ causa æstiuis mensibus seruabant. Hinc illa Pliniana, & planè censoria castigatio: Seruatur algor æstibus, excogitatúrque vt alienis mensibus nix algeat. Scribit Lampridius Heliogabalũ fecisse montem niuium in viridario domus æstate aduectis niuibus. Curiosus lector fortassis quæret, quo modo niuẽ æstiuo tẽpore custodirent, cùm calore in primis resoluatur. Sciat, in palea optimè niuem seruari posse: de qua Augustinus in xxi. de ciui. Dei sic scribit: Quis paleæ dedit vel tam frigidam vim, vt obrutas niues seruet? vel tam feruidam, vt poma immatura maturet? Prætereà luxuria cõmenta est, officinas niuis reponendæ. Quod conqueritur grauiter, simul & luculenter Seneca in Quæstionibus, vbi taxat gulam illorum, qui non solùm sorbere niuem volunt, sed etiam esse, & frusta eius in scyphos deiicere inter ipsam bibendi moram.

Naumachia.] Superiùs annotauimus, naumachiam dici & locum, in quo pugna naualis fit, & ipsam pugnã: hîc locus significatur.

Ambubaiarum.] Ambubaiæ, authore Porphyrione, sunt mulieres vagæ, ac viles, quibus nomen ab ebrietate balbutientium verborum videtur esse inditum. Nonnulli ambubaias tibicinas Syriaca lingua putant dici. Notissimus est versus ille Horatianus:

Ambubaiarum collegia pharmacopolæ.

Hostiam Tyberi.] Qui ex vrbe Roma Hostiam vsq; per Tyberim nauigat, secundo flumine decurrit: sicut & nos hoc anno decurrimus voluptatis causa, peruenimúsque secundo Tyberi ad ostium ipsum: ibique prospeximus mare id temporis vndabundum, & procellosum. Per litora & ripas.] Litora, sunt maris: ripæ, fluminis. Vnde ab Ouidio elegãter dictũ,

-Pro ripis litora pulsant.

Diuersoriæ.] Ad quas ex itinere diuertere solemus: sicut & diuersoria dicta. Ganeæ.] Loca libidini, & gulæ accõmodata: super qua dictione abunde scripsimus in Tyberio. Institorias operas.] Institor, vt inquit Vlpianus, appellatus est ex eo, quòd negotio gerendo instat: nec multum facit, tabernæ sit præpositus, aut cuilibet alii negotiationi. Nam cuicunque negotio præpositus, institor rectè appellabatur. Ab institore institoria actio, & institoriæ operæ dictæ. Non solùm autẽ viri, sed etiam fœminæ institoriæ actioni præponuntur. Sensus est, dispositas fuisse tabernas, in quibus matronæ institoriam exercitationem imitabãtur. Quidam codices pro institorias operas, habent instituta loca: & tunc legendum erit inuitantium: vt sensus apertus, loca fuisse in ripis, litoribúsq; instituta, in quibus matronæ tanquam tabernariæ inuitarẽt, rogarentque Neronem, vt ad ipsarum tabernas potiùs appellere vellet, quàm aliarum: more cauponum, & stabulariorum, qui viatores inuitare subinde consueuerunt, vt ad sua hospitia diuertantur.

M. AN. INualescentibus.] Fortius, validiúsq; emergentibus. Iocularia.] Quæ per speciem ioci fiebant.

Latebras.] Pileum, galerum, & tenebras aspernatus.

Ad mediam noctem.] Iuuenalis:

Luxuriam Imperii vererem, noctesque Neronis
Iã medias, aliámq; famẽ.-

Refotus.] Immersus. Piscinis.] Domesticis lacubus in id vsus cõparatis: etenim quanquã piscina à pisce est, nõ tamẽ pisces semper habere dicitur. Tempore æstiuo niuatis.] Niuali aqua refrigeratis. Eusebius calidis, & frigidis vnguentis lauari solitum scribit. Naumachia.] Nauali stagno, quod in Vaticano fuit. Ambubaiarum.] Tibicinarum mulierum. Syriaca enim lingua ambubaia tibia dicitur. Horatius: Ambubaiarũ collegia pharmacopolæ. Deffueret.] Secundo fluuio nauigaret.

Diuersoriæ.] Ad earum differentiam, quæ venales habent merces. Cauponulas intellexit, & loca ad diuersandum comparata.

Ganeæ.] Vinolenta, vt Marcelli vtar verbo, loca, ac libidini apta, ganeatas dapes habentia. Vnde ganeones dicti: vt popinones, à popinis. Cicero: Quis ganeo, quis adulter, quæ mulier infamis? Festus ganeum ait à veteribus locum abditum dictũ, ac velut subterraneũ: Donatus meretricum tabernam. Institorias operas.] Quales institores præstare solent. Sunt institores, vt

appelleret. Indicebat & familiaribus cœnas, quorum vni mellita quadragies sestertiûm constiterunt, alteri pluris aliquantò rosaria.

Libido eiusdẽ, ac cũ matre nefarius cõcubitus. XXVIII.

SVper ingeniorũ proagogia, & nuptarũ cõcubinatus, Vestali virgini Rubriæ vim intulit. Acten libertã paulũ abfuit, quin iusto matrimonio sibi cõiungeret, summissis cõsularibus viris, qui regio genere ortã peierarẽt. Puerũ Sporũ exectis testibus, etiã in muliebrẽ naturam transfigurare conatus est, cum dote, & flammeo persolenni nuptiarũ celeberrimo officio, deductũ ad se pro vxore habuit. Extátque cuiusdam

Vlpianus ait, tabernæ, locóve ad emendum, vendendúmque præpositi. Hincinde.] Ex vtraque ripa.

PHIL. APpelleret.] Nauem, qua vehebatur, subduceret ad ipsarum tabernam. Appellere proprie dicitur, cùm ex pelago, aut flumio quis ad litus, aut ripam accesserit. Vergilius:

Hinc me digressum vestris deus appulit oris.

Indicebat.] Denuntiabat. Familiaribus.] Celeberrimæ luxu, famáque epulæ fuere, quas Neroni parauit Tigillinus, qui in stagno Agrippæ fabricatus est ratem, cui superpositum conuiuium, aliarum tractu nauium mouebatur: naues ex auro, & ebore distinctæ erant, remiges exoleti, volucres, & feræ diuersis terris petitæ, pisces vsque ab Oceano deportati: crepidinibus stagni lupanaria stabant illustribus fœminis completa: vbi noctescere cœpit, omnia cantu, & luminibus consonabant.

Mellita.] Cibaria dulciora, quæ melle condita sunt, mellita vocamus, quibus frequenter vsi sunt antiqui, cùm luxuria nondum saccaron materiam ganeæ fecisset: illo enim tempore ad medicinæ tantùm vsum saccaron adhibebatur, cuius hac tempestate tam frequens vsus est ad gulæ condimenta, vt nulla conuiuia lautiora fiant sine saccari mistura. Dulciarios appellamus artifices, concinnatorésque mellitorom cibariorum. Scribit Iolius Firmicus, dulciarios nasci sub sydere Spicæ, quæ in parte Virginis decima exoritur. Dixit Varro, & repetitum est ab Aul. Gellio, atque Macrobio, bellaria ea maximè mellita esse, quæ mellita non sint.

Rosaria.] Non tam coronamenta intelligimus nomine rosariorum significari, quàm vnguenta, & condimenta. Vsus enim rosæ in coronis, vt inquit eleganter Plinius, prope minimus est: mensarum verò deliciis inungendis rosarum vsus preciosus. Vnde & vnguentum rhodinum, dictum à rosæ mistura, quam Græci ῥόδιον appellant. In alio significatu, qui apertior est, rosaria dicuntur loca rosis consita, quæ, vt Palladius ait, mense Februario sunt conserenda. Apud eundem legimus, rhodomel confici ex succo rosæ, & melle commisto. Præterea quod ad hunc sensum pertinet, scribit Lampridius, Heliogabalum strauisse triclinia de rosa, & lectos, & porticus, ac sic per ea deambulasse: eúdem rosarum pinearum attritione moderatius reddidisse: quod potionis genus fuisse videtur, quo idem Heliogabalus olim vulgum ad bibendum inuitauit.

Pædagogia.] Obseruauimus apud Iurisconsultos titu. De fundo instructo, pædagogia dici seruitia, atque mancipia. Verba Vlpiani Iurisconsulti hæc sunt: Si instructum fundum legasset, ea pædagogia, quæ ibi habebat, vt cùm illhuc venisset, præsto essent, in triclinio legato contineantur. Dictio est apud Latinos infrequens, & rara inuentu. Tranquillus verò pædagogia accipit pro concubitu puerorom: quod nescio an alibi in hoc significatu reperiatur. Apud Ammianum Marcellinum pueri pædagogiani fit mentio, cuius significatio posset trahi in hanc sententiam. Ego verò, vt dicam quod sentio, subdititiam dictionem hanc esse existimo, legendúmque non pædagogia, sed pæderastiam: quod & in vetusto, synceræque fidei codice scriptum deprehendimus. Est autem παιδεραστία, vt Græci dicũt, amor obscœnus in pueros: & παιδεραστὴς amator puerorum significatur: παιδαγωγεῖον verò significat locũ in domicilio, in quo pueri, seruiq; commorantur, qui παῖδες vocantur. Plinius in VI s. epistolarum: Puer in pædagogio mistus pluribus, dormiebat.

Super.] Vltra.

Rubriæ.] Nomen est virginis Vestalis. Neronẽ imitatus in hoc Heliogabalus, qui & ipse in virginem Vestalem incestum admisisse proditur.

Acten libertã.] Refert Corn. Tacitus, infractam fuisse potentiam matris apud filium Neronem delapsum in amorem libertæ, cui vocabulum Actæ fuit, quæ penitus irrepserat in animum principis, ne senioribus quidem principis amicis aduersantibus, muliercula nulla cuiusquam iniuria libidinem Neronis explente, qui vi amoris subactus se Actæ permisit. Idem tradit, Acten libertam à Seneca immissam esse, vt Neroni deferret peruulgatum esse incestum principis cum matre Agrippina, nec toleraturos milites profani principis imperium.

Summissis.] Clanculùm, & furtim immissis, subornatísque.

Deierarent.] Valde iurarent. De enim in compositione interdum auget: vnde & deiurium dictum iusiurandum. Si legimus peierarent, significat falso iureiurando affirmarent. Dicimus periuro, & peiero. Plautus: Vbi verbis conceptis sciens libenter periuraris.

Puerum Sporum.] Sex. Aurelius: Spadone Sporo, quem quondam Nero exectum formare in mulierem tentauerat.

Exectis testibus.] Amputata virilitate.

Flammeo.] Velamento nuptiali. Flammea autem lutei coloris fuisse docet Plinius in XXI.

VT appelleret.] Suo nauim diuersorio applicaret.

M. AN. Rosaria.] Nunc rosarum coronamenta, quum loca sint alioqui rosis consita. Vergilius:

- Biferique rosaria Pesti.

Pædagogia.] Parum vsitatè puerorom affectationet, concubitúsque nefarios pædagogia dixit: nam pædagogium sine dubio à pædagogo est, is ἀπὸ τῶν παίδων dicitur καὶ ἄγειν, quod puerorum ductor sit, & institutor.

Et nuptarum concubitus.] Super repete: vt sit sensus, præter puerorum stupra, & matronarum adulteria, quæ sectatus dicitur.

Acten libertam.] Acten legendum, non Accem, vt quidam mendosi codices habent. Cornelius ait immissam Acten libertam, quæ simul suo periculo, & fama Neronis anxia deferret.

Summissis.] Subornatis, instructis.

Peierarent.] Peierando affirmarent.

Transfigurare.] Per omnia mulierem affingere.

Celeberrimo officio.] Ingenti hominum conuentu nuptias celebrante.

Non

non inſcitus iocus, bene agi potuiſſe cũ rebus humanis, ſi Domitius pater talẽ habuiſſet vxorem. Hunc Sporũ Auguſtarũ ornamentis excultũ, lecticáq; vectũ, & circa cõuentus, mercatúſq; Græciæ, ac mox Romæ circa Sigillaria comitatus eſt, identidẽ exoſculans. Nam matris concubitũ appetiſſe, & ab obtrectatoribus eius, ne ferox, atq; impotens mulier & hoc genere gratiæ prævaleret, deterritũ nemo dubitauit, vtiq; poſtquàm meretricem, quam fama erat Agrippinæ ſimillimã, inter concubinas recepit. Olim etiã quoties lectica cum matre veheretur, libidinatum inceſtè, ac maculis veſtis proditum affirmant.

PHIL. NOn inſcitus.] Non inelegans, non inuenuſtus. Talem vxorẽ.] Si Domitius Neronis pater habuiſſet talẽ vxorem, qualis fuit Sporus, nunquã profectò genuiſſet Neronẽ, quem Plinius facem humani generis appellat. Auguſtarũ ornamẽtis.] Auguſtæ dicebantur cõiuges, ſorores, filiæ Imperatorũ. Liuia, poſtquàm nupſit Auguſto, decorata eſt Auguſtæ cognomẽto: Agrippina, vt ait Tacitus, aucta eſt cognomento Auguſtæ. Refert Plinius in Panegyrico, Senatum obtuliſſe cognomen Auguſtarum vxori, ſororique Traiani: quod certatim deprecatæ ſunt, iudicantes plus eſſe in eo ſi vxor, & ſoror Traiani Imperatoris, quàm ſi Auguſtæ dicerentur. Scribit Iulius Capitolinus, eadem die, qua Pertinax Imperator appellatus eſt Auguſtus, & Flauiam Titianam vxorem eius Auguſtam eſſe appellatã. Spartianus quoque author eſt, vxorem, & filiam Iuliani Imperatoris auguſtas eſſe appellatas ex Senatuſconſulto.

Conuentus.] In primo commentario diximus affatim de conuentibus iuridicis prouinciarum. Tales conuentus Græciæ nunc ſignificantur.

Et mercatus Græciæ.] Mercatum haberi ſolitũ maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate, teſtis eſt Cicero in quinta quæſtione Tuſculana. Præterea mercatus in inſula Delo, Cycladum clariſſima, fuit celeberrimus, vt docet Plinius in IIII.

Sigillaria.] Vicum ſignificat Romanum, in quo librariam fuiſſe Gellius indicat his verbis, quæ ſunt ex libro quinto Noctium Atticarum: Apud Sigillaria fortè in libraria ego & Lucius Paulus poeta, vir memoria noſtra doctiſſimus, ſederamus. De feſtiuitate Sigillariorũ, ſigillaritiíſque muneribus, affatim ſuo loco retulimus.

Identidem.] Frequenter.

Matris concubitum.] Author eſt Corn. Tacitus, Agrippinã amore retinendæ potentiæ eò vſq; prouectã, vt medio diei, cùm id tẽporis Nero per vinũ & epulas incaleſceret, offerret ſe ſæpius temulento comptam, & inceſto paratã. Sed Seneca contra muliebres illecebras ſubſidium à fœmina petiuit, immiſitq; Acten libertam, cuius aſtu cõcubitus nefandus inter matrẽ, filiũmq; diſſectus fuit. Sext. Aurelius aſſerit, Neronẽ ſtupro matrẽ contaminaſſe. Obtrectatoribus.] Seneca in primis ſignificatur, à quo immiſſam libertam diximus ad inceſtum propulſandum.

Impotens.] Immodica, & nimiùm potens. Ita fortuna impotens, & tyrãnus impotens dici ſolent. A Liuio dicta eſt impotens dominatio Philippi, veluti imperioſa, & intoleranda.

Prævaleret.] Burrus, & Seneca rectores erant Imperatoriæ iuuentæ: vtrique vnum certamen erat contra ferociam Agrippinæ, quæ cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrans, regere, quàm regi, malebat, nimia ſuper filio coercendo, quẽ vt per blandimenta aggrederetur, ſuum cubiculum, ſuũ ſinum, ſuum (quod dictu quoque nefas eſt) concubitum offerebat. Sed proximi amicorum orabant Neronem cauere inſidias matris mulieris ſemper atrocis, tum etiam falſæ.

Libidinatum inceſtè.] Fœdè, & turpiter. aduerbiũ eſt. Subobſcurè autẽ, & συμβολικῶς intelligit Neronem fuiſſe maſturbatum ex deſiderio materni concubitus, cùm ſimul in lectica veherentur. Maſturbare autem, eſt manu tractando virilia peragere rem Veneream. Inde maſturbatores dicti: quo verbo identidem vtitur poeta Epigrammatarius.

Maculis veſtis.] Quas ſcilicet fecerat effuſa genitura ſuper ipſius veſtimento. Plinius conſimiliter: Ferunt, inquit, amore Praxitelicæ Veneris captum quendã, cùm delituiſſet noctu ſimulacro cohæſiſſe, eiúſque cupiditatis eſſe indicem maculam.

M. AN. NOn inſcitus.] Ergo elegãs. Terẽtius: Aedepol ſcitus hodie puer è Pãphilo eſt natus. Bene agi.] Feliciter contingere, atque euenire. Pater.] Neronis. Talem vxorem.] Qualem Nero duxiſſet: quæ vtique Natura parere non poterat. Iuuenalis:

Interea tormentum ingens nubentibus hæret:
Quòd nequeunt parere, & partu retinere maritos:
Sed melius quòd nil animis in corpore iuris
Natura indulget.-

Auguſtarũ ornamẽtis.] Quibus Agrippina mater, & aliæ, quæ Cæſaribus nupſerant, ornari conſueuerant. Mercatúſq; Græciæ.] Tum intellige, cùm in Achaiã cantandi ſtudio profectus eſt. Circa Sigillaria.] Sigillarias tabernas. Gellius: Cũ in Sigillariis ſederemus. De ratione nominis plura ſuo loco diximus. Nefariam huiuſmodi affectationem Satyrus accuſat:

-Puer, inquit, Automedon: nam Flora tenebat,
Ipſe lacernatæ dum ſe iactaret amicæ.

Matris.] Agrippinæ. Ab obtrectatoribus.] Ab iis, quibus Agrippinæ potentia ſuſpecta erat: ob idq; illam filio inuiſam omni criminationis genere reddere contendebant. Ne ferox.] Reddit cauſam, qua obtrectatores à matris concubitu illum deterruerint per Acten. Cornelius ſcribit Neroni ſignificatũ, fore vt ſi cum matre concumberet, milites velut profani principis imperiũ eſſe non detrectaturi. Hoc genere gratiæ.] Nefario filii concubitu. Deterritum.] Neronem. Senſus, & ordo eſt, Nam nemo dubitauit, Neronem appetiuiſſe cõcubitum matris, ſed deterritum ab eo ab obtrectatoribus ipſius Agrippinæ, veritos, ne illa ferox alioqui, & valde potens, ſi filio etiam concubitu miſceretur, nimis ſuperbiret, ſæuirétq; in ſe, quos vtique ſuſpectos habebat: vtpote filium à ſe omni criminatione alienantes. Inter concubinas.] Vt Agrippinæ liniamenta in ea ſecutus pro matre abuteretur. Olim.] Quom videlicet eius concubitum appeteret. Libidinatum inceſtè.] Inceſtantium more matri inhærendo Venerem peregiſſe. Maculis.] Rugis patratam libidinem indicantibus. Iuuenalis:

- Bilem tibi contrahat vxor
Humida ſuſpectos referens multitia rugis,

Vexatásque comas. - Cornelius author est, Agrippinam ipsam se meridianis horis filio offerri solitam, atque lasciuis osculis, aliisq; illecebris ad incestum inuitare ausam: sed ab eo scelere à suis per Acten, vt suprà ostendimus, uisse deterritum.

Pudicitia eius passim prostrata. XXIX.



SVam quidem pudicitiã vsqueadeò prostituit, vt cõtaminatis penè omnibus membris, nouissimè quasi genus lusus excogitaret, quo feræ pelle contectus emitteretur è cauea, virorúmque, ac fœminarum ad stipitem deligatorum inguina inuaderet: & quum áffatim desæuisset, conficeretur à Doryphoro liberto, cui etiã, sicut ipsi Sporus, ita ipse denupsit, voces quoque, & eiulatus vim patientium virginum imitatus. Ex nonnullis comperi, persuasissimum habuisse eum, neminem hominem pudicum, aut vlla corporis parte purũ esse: verùm plerosq; dissimulare vitiũ, & *calliditate obtegere. Ideóq; professis apud se obscœnitatẽ, cætera quoque concessisse delicta.

* callidè

PHIL. PVdicitiam prostituit.] Sex. Aurelius in hanc sententiam sic scribit: Eò progressus est Nero, vt neque suæ, neq; aliorũ pudicitiæ parceus, ad extremum amictus nubentiumvirginũ specie, palàm conuocato Senatu, dote dicta, cunctis festa ex more frequẽtantibus nuberet. Prostituere autem pudicitiam, est vulgo sui corporis potestatem facere. Inde meretrices prostitutæ dicuntur. Omnibus membris.] Superioribus, & inferioribus. Lampridius de Heliogabalo scribens ait, eum per cuncta caua corporis libidinem recepisse. Feræ pelle coutectus.] Sex. Aurelius: Pelle tectus feræ Nero vtrique sexui genitalia vultu contrectabat. E cauea.] Instar ferarum, quæ è cauea emitti solent iu spectaculum. Tradit Plinius Augustum tigrim Romæ ostendisse in cauea mansuefactam. Et Apuleius Trasileonem vrsæ pelle contectum scribit in cauea oblatum fuisse Demochari munerario. Ad stipitem.] Ad palum. Inguina.] Genitalia tam fœminarum, quàm virorum inguina dici, notum est. Et Martialis docet illo versu: Accesi quoties ad opus mistisque mouemur Inguinibus. - Inuaderet.] scilicet ore, tanquam fellator, & cunnilingus: vt conueniat eum Sexto Aurelio, qui dixit, Neronem genitalia vtriusque sexus vultu contrectasse. Affatim.] Intemperanter, & immodicè. Seruius enarrãs illud Verg. - Rimisque fatiscunt. ait, abundanter aperiũtur. Fatim autem abundanter dicimus: vnde & áffatim. Ammianus poeta, & Probus grammaticus, áffatim prima acuta, non media pronuntiabant: quod & Gellius probat in quarto Noctiũ Atticarum. Conficeretur.] Iniretur, subigeretur more pathicorũ. Sed Tranquillus per translationem dixit conficeretur, quod verbum est rei accommodatum. Nam confectores ferarum dicuntur, qui aduersus feras in spectaculo congrediũtur. Cùm autem Nero ferina pelle tectus emissus è cauea périnde ac fera desæuiret contra deligatos, meritò confici dictus est à Doryphoro subactore, cùm tamẽ intelligi velit, eum fuisse subagitatum. A Doryphoro liberto.] Hunc Cor. Tacitus Pythagoram appellat, cuius verba hæc sunt: Nero per licita, atque illicita fœdatus nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret: nisi paucos post dies vni ex illo contaminatorum grege (nomen Pythagoræ fuit) lu modum solenninm collegiorum denupsisset: inditum Imperatori flammeũ, visi auspices, dos, & genialis torus, & faces nuptiales, cũcta deniq; spectata, quæ etiam in fœmina noxa parit. Huius quoq; Pythagoræ meminit Martialis illo hendecasyllabo: Quales Pythagoras dabat Neroni. Fortassis à Tranquillo Doryphorus ideò nũcupatur, qui Pythagoras proprio nomine dicebatur, quòd esset principis satelles. Nam Græci δορυφόρον dicunt satellitem, ab hasta ferenda, quæ δόρυ dictione Græca nominatur. Celebratus est Doryphorus ille, quem viriliter puerum fecit Polycletus. Ipsi.] Neroni. Deuupsit.] Nubere, vt inquit Priscianus iu XI. ad fœminas pertinet solùm, sicut futuere ad solos mares. Sed vituperationis causa maribus hoc quoq; verbum aptari potest: sicut Satyrico more sũ dictũ est à Iuuenale: Quid quæris? nubit amicus. Et à Martiale: - Nubit Cherestratus Afro. Viri enim périnde ac fœminæ viris denubebant: quod est portẽtosũ. Hinc Lampridius impuros & impudicos mores Heliogabali taxans ait: Nupsit, & coit, vt & pronubã haberet. Nero ita denupsit huic Doryphoro, siue Pythagoræ, sicut ipsi Neroni denupserat Sporus spado, de quo superius dictũ est. Fuit itaq; Doryphorus sic maritus Neronis, vt Zoticus Heliogabali. Et profectò talia legeus non principes, imò uon homines illos fuisse censeo, sed portenta in vltimas terras deportanda. Vlla corporis parte.] Arcesilaus philosophus de effœminato dixit: Nihil interest quibus membris cinędi sitis, prioribus an posterioribus. Scitum quoq; est illud Catonis: Et aduersus & auersus impudicus es. Vitium.] Impudicitiã, & obscœnitatem. Professus obscœnitatem.] Sensus est: Qui simpliciter apud Neronem profitebatur suam obscœnam, impurámq; naturã, illi condonabat reliqua delicta. Obscœnum autem ab obs & cœno componi autumat Priscianus lib. IX. Varro autem ab scena obscœnũ dici tradit. Non desunt, qui ab Oscis obscœnũ, obscœnitatémq. deriuent: cùm illis fuerit frequentissimus vsus libidinũ spurcarum. Vnde à Vatinio dictum est, Oscè fabulantur: pro obscœnè & impudenter.

M. AN. SVam pudicitiam.] Sui corporis. Prostituit.] Vulgauit. Contaminatis omnibus mẽbris.] id est nulla corporis parte non polluta, vt non solùm pathicus esset, sed fellaret etiã, vtróq; irrumaretur. E cauea.] Tanquàm è cauea, aut certe ex ipsa cauea ferarum, vt maiorem adhuc terrorẽ incuteret iis, in quos erat grassaturus. Stipitem.] Palum. Inguina.] Obscœnas partes: vt ferarum ritu subito incursu viri, fœminæ've stipiti alligatæ inguina ore inuaderet. Affatim.] Abundè, nunc linctu, nunc suctu, nunc morsu lacessisset. Couficeretur.] Pædicaretur. Liberto suo.] Cui ipse nupserat. Hunc detestabilem nubendi morẽ, & impium Naturæ abusum, Satyrus haud vno loco acerbissimè accusat: Quid quæris? nubit amicus. & rursus: - Iacuit gremio noua nupta marito. Vim.] Primos, inuitósq; concubitus. Imitatus.] Nero. Pudicũ.] Incorruptũ. Aut vlla parte corporis purũ.] quasi dicat, qui non pathicus, idem & fellator esset: sed quàm turpiter, & flagitiosè se his sceleribus addixerat, tam stultè hæc

sibi per

Prodigalitas eius, ac diuitiarum effuſio. XXX.



Diuitiarum,& pecuniæ fructum non alium putabat,quàm profuſionem:ſordidos, ac deparcos eſſe, quibus ratio impenſarum conſtaret:prælautos,vereque magnificos,qui abuterentur,ac perderẽt.Laudabat,mirabaturq; auunculum Caiũ nullo magis nomine, quàm quòd ingentes à Tyberio relictas opes in breui ſpatio prodegiſſet.Quare nec largiendi,nec abſumendi modum tenuit.In Tyridatem,quod vix credibile videatur,octingẽta nũmûm millia diurna erogauit, abeuntíque ſuper ſeſtertiûm millies contulit. Menecratem citharœdum, & * Specillum Mirmillonem triumphalium virorum patrimoniis, ædibúſque donauit. Cercopithecum Paneroten fœneratorem,& vrbanis ruſticíſque prædiis locupletatum,propè regio extulit funere. Nullam veſtem bis induit.Quadragenis in punctum ſeſtertiis

* Specillium

ſibi perſuaſerat:ſiquidẽ abominatus ille ſpiritus ex ſuo ingenio cæteros mortales iudicabat. Diſſimulare.] Celare. Obſcœnitatem.] Obſcœniſſimam fellationem.

PHIL. DEprauatos.] Corrige deparcos: ſicut habet vetuſtus codex. Dicuntur enim deparci eleganti vocabulo tenaces, & nimiùm parci: quibus profuſi,magnificíque opponuntur. Apuleius: At non contraria accuſaſtis: vnum ſeruum vt deparci: treis libertos, vt profuſi.

Sordidos.] Horatius in II. Sermonum, ſordidos eos dici oſtendit,qui in victu nimiũ parci, nimiúmque auari ſunt:quibus cõtrarii ſunt lauti, & nitidi. Sic enim inquit: Sordidus à tenui victu diſtabit Ofello Iudice.

Ratio impenſarum.] Qui ratiocinia expenſæ pecuniæ aſſumunt,& curioſe penſiculãtur: quod à liberali viro, nedũ principe, alienum eſt.

Magnificos.] Ariſtoteles in IIII. Ethicorum, magnificum inquit illũ dici, qui in magnis pro dignitate ſumptus facit. Magnificus quidem liberalis eſt: liberalis autẽ nihilò magis magnificus. Prætereà non in ſe ipſum ſumptuoſus eſt dicendus magnificus,ſed in publica. Cicero verò in ſecundo Rhetoricorum, magnificentiam partem eſſe tradit fortitudinis,eámque ita definit: Magnificentia, eſt rerũ magnarum,& excelſarum cum animi ampla quadam,& ſplendida propoſitione cogitatio,atque adminiſtratio.

Abuterentur.] Abutimur, vt inquit ſcienter Boethius,his rebus,quæ nobis vtẽtibus pereũt:vtimur his, quæ nobis vtentibus permanẽt.Ex quo vſus & abuſus videntur contraria. Itaque qui legauit vſumfructũ bonorum, nõ potuit legare contrarium,quod eſt abuſus.

Auunculum Caium.] Caligulam principem intelligit,qui frater fuit Agrippinæ Neronis matris.

Prodegiſſet.] Conſumpſiſſet, profudiſſet: inde prodigi dicti. Veteres prodigitatem dixerunt profuſionem,& prodigentiam:quæ vulgò prodigalitas appellatur. Corn. Tacitus, Cuius abditis adhuc vitiis per auaritiam,ac prodigentiam mirè congruebat.

Modum.] Menſuram.

In Tyridatem.] De hoc ſuprà facta eſt mentio, quemadmodum Romam venit, exceptúſque fuit honorificentiſſimè à Nerone,à quo diximus theatrũ fuiſſe deauratum in Tyridatis aduentum.

Nummûm.] Antiqui mille nummûm dicere malebant,quàm nummorum,ſicut mille denariûm,non mille denariorum. Diurna.] Per ſingulos dies.

Erogauit.] Erogare, & accipere opponuntur: ex quo erogatorius, & acceptorius moduli dicuntur in aqua eroganda,& accipienda. Frontinus in primo de aquæductibus, Cùm in erogatorio modulo minus inuenitur,in acceptorio plus, apparet non errorem eſſe, ſed fraudem. Super.] Inſuper.

Mirmillonem.] Gladiatorem:de quo ſuprá.

Triumphalium.] Eorum, qui olim triumphaſſent, & ob id nobiliſſimorum.

Cercopithecum.] Nomen eſt fœneratoris: aliâs cercopithecus,vt nomẽ indicat, caudatam ſimiam ſignificat. Martialis: Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

Vrbanis, ruſticíſque prædiis.] Apud Iuriſcõſultos tituli ſunt de ſeruitutibus vrbanorũ, & ruſticorum prædiorum, quod & ſuprà latius explicauimus, in primis certi ſunt reditus vrbanorum prædiorum.

Regio funere.] Contra præſcriptũ legis: docent enim Iuriſconſulti ſumptum funeris faciẽdum eſſe pro facultatibus,vel dignitate defuncti: funeris autem cauſa ſumptus factus videtur is demum, qui ideo fit, vt funus ducatur, ſine quo funus duci non poſſit: vt puta ſi quid impenſum eſt in latione mortui.

Extulit.] Verbo vſus eſt accommodo: efferri enim dicũtur cadauera. à Terentio dictum eſt: Intereà dum effertur funus.

Bis induit.] De Heliogabalo legimus quòd neque calceamentum,neque annulos iterauit: hoc idem faciebat Nero in veſtibus,vt nullam bis indueret,iteraretq;.

In punctum.] Vno iactu talario.

M.A N. DIuitiarum.] Vbi de portentoſis Neronis libidinibus dixit,proprius hic erat ex propoſitione locus, vt de eius luxuria, & auaritia diceret, quod breui vſus tranſitione Tranquillus facit.

Fructum.] Vſum,voluptatem.

Profuſionem.] Eas profundere,ac prodigere.

Deprauatos.] Auaritiæ ſordibus immerſos. Quidã parcos legunt,quod non ita probo.

Ratio impenſarum.] Modus,& menſura eorũ, quæ impenderentur.

Conſtaret.] inoffenſa maneret, aut ratio, vel ſumma ipſa, expenſarúmque pecuniarum calculatio nota eſſet. Prælautos.] Valde ſplendidos.

Auunculum.] Caligulam Agrippinæ fratrem.

Prodegiſſet.] temere conſumpſiſſet.

Tyridatem.] Armeniæ regem Romã acceſſitum.

Diurna.] In ſingulos dies.

Seſtertiûm millies.] Decies centena millia nũmûm viatici nomine datum accipias:quia abeunti dixit.

Triumphalium virorum.] Vt iniquius factum appareat,quòd ſplendidiſſimorum ciuium patrimonia ſordidæ conditionis hominibus habenda dederit.

Extulit.] Funerauit.

Bis induit.] Vt ſemel indutã, nec amplius in vſum receptam accipias.

In punctum.] Vel in vnius aleæ caſum,vel in ſingula teſſerarum puncta.

Rete

aleam lusit. Piscatus est rete aurato, purpura, coccóque funibus nexis. Nunquàm carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata, & phalerata * hamaxicorum turba, atque cursorum.

Opera publica per eum facta ac disposita. XXXI.



On in alia re dānosior, quàm in ædificando. Domū à Palatio Exquilias vsq; fecit.

PHIL. Rete aurato.] Paulus Orosius: Luxuriæ tam effrenatæ Nero fuit, vt retibus aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebantur.

Purpurea, coccóque.] De purpura sæpe mentio facta est. Coccum autem rubens est gramen, in maxima laude inter oobilia pigmeota celebratum: vulgus granū appellat. Anniculo cocco languidus est succus, idē post quadriennium eua nidus: ita nec recen- * Mazacum ti vires, nec senescenti. Laudatissimum nascitur circa Emeritam Lusitaniæ ciuitatem: author Plinius in IX. Hinc coccinea, & coccina vestimenta dicuntur: & coccinari, induri coccineis: quæ coccea quoque dici posse, testis est Lampridius, qui air, Diadumenum indumenta coccea primùm accepisse. Carrucis.] Vehiculis. A carruca mulæ carrucariæ dictæ sunt: & carrucarius, auriga ipse, moderatórque carrucæ. Muliones quoq; carrucarii nominantur. Heliogabalus sexcentis vehiculis dicitur Iter facere solitus, asserens regem Persarū decem millibus camelorum iter facere: & Neronem quingentis carrucis iter inisse: author Lāpridius. Plinius ait, carrucas cælari ex argento, Innentum esse Romanæ luxuriæ, quæ ad aurea, & argentea vehicula peruenit.

Soleis.] Calceamentis: quibus ex ferro passim nūc omnes vtuntur. Catullus: Ferratam vt soleam tenaci in voragine mula. Conquadrat huic luxui Neroniano luxuria coniugis Poppeæ, quæ hac insania veriùs, quàm magnificentia, maritum superabat, calceando iumenta soleis aureis: ex quo est illud Plinianum ex XXXIII. Nostra ætate Poppea coniunx Neronis principis delicatioribus iumētis suis soleas ex auro induere solebat.

Canusinatis.] Canusinatum dicimus, indutum veste ex lana Canusina cōfecta, cuius color est, vt Græci dicunt, ἐρυθρὸν, vt Latini interpretantur, rutilus. Canusina lana, teste Plinio, laudarissima fuit circa Canusium Apuliæ. Martialis: Vt canusinatus nostro Syrus assere sudet. Flauius Vopiscus memorat birros Canusinos scenicis donatos fuisse, significans vestimenta ex lana Canusina. Cymazacum.] Multi interpretamenta parum consistentia comminiscuntur. Quidam cymazaces accipiunt pro stipatoribus: quod bene quidem congruit, sed nullo idoneo authore fulcitur. Tu verò legito hamaxicorum, sicut legitur in codice emaculatiore. Dicuntur autem hamaxici, aurigæ, rectoresque vehiculorum. Dictio est à Græco vocabulo inclioara: nanque illi ἅμαξαν currum appellant: quod nos Septentriones in cælo vocamus, Græci ἅμαξαν vocāt, quia simile plaustri hoc sidus vocatur. Hanc dictionem oostri Latinitate donauerunt, & in primis Iulius Capltolinus scribens quòd Maximinus hamaxas manibus attraheret, rhedā onustam solus moueret. Plinius Hamaxoblos populos appellat, quorum vita degitur in plaustris. Ita ab hamaxa, hoc est plaustro, hamaxei, & hamaxici deriuantur, significánsque plaustrarios aurigas. Hos Nero habere voluit armillis, phalerísque cultissimos. Armillata.] armillis ornata. Sunt autē armillæ, ornamenta brachiorum, quæ, vt ait Priscianus, alio oomine brachialia nominantur. Cursorum.] Græci cursores vocant ἡμεροδρόμους, ab vnius diei cursu, quē cōtinenter peragūt: quorū Liuius, & Prob. Aemyllus meminerūt. Ex hoc genere fuit Philippides cursor, quē cucurrisse mille cētū quinquaginta stadia ab Athenis Lacedæmonem bidui spatio scriptores prodiderūt. Celebratur Philonides quoq; Alexādri Magni cursor, qui à Sicyone ad Helin vno die mille & ducenta stadia cucurrit. Aurelianus cursores eo habitu, quo ipse habebat, vt ioquit Flaui. Vopiscus, Senatoribus cōcessit. Nero voluit suos cursores cultu, ornatúq; præcellere. In ædificādo.] Martialis opræ diuitias causa duatū serū, vt scilicet donet, & ædificet. Regia profectò res est, & principalis, ædificare. Ornanda est enim dignitas domo: i quā cùm à claro, & opulento domino hospites mulò recipiēdi sint, & admittēda cuiusq; generis hominū multitudo, adhibēda est cura laxitatis. Aliter ampla domus, vt inqūit verissime M. Tull. dedecori domioo sæpe fit, si est in ea solitudo. In quo illustrissimus pater tuus, clarissime Annibal, quodā veluti peculiari præconio est extollēdus, qui vnus omniū maximè propēius est ad ædificādū: qui villas, & prætoria in agris cōplura magnificēter extruxit: inter quæ prætoriū Bētiuolū, quod vocāt, laxitate, pulchritudine, magnificētia cōtēdit cū villis Lucullianis. Domus verò, quā Bonooiæ habitatis, quàm pulchra, qoàm culta, quàm ex symmetriis omnibus extructa est: quā aduenæ omnes cùm admiratione cōtemplātur. Enimuerò, vt dicā qnod sentio, nō minùs domus domino, quàm dominus domo honestatur. In hac nūquā solitudo est, sed semper hospitibus illustrissimis referta cōspicitur: principes omnes Italici, legationes omnes honoratiores hospitio Bentiuolorū hospitaliter accipiūtur. Nemo hâc transit ex viris summatibus, qui nō inuitetur, accipiatúrq; comiter intra Bentiuolas ædes, adeò vt nō minus pateāt alienigenis, quā ipsi hero, & filiis hæredibus. Sed quātū clarissimus pater tuus ex ædibus ornatissimis gloriatioois meretur, tantum Nero vituperatiōis ex ea domo, quā Romæ fecit, vel, vt verius loquar, qua Romā inclusit, cōsecutus est. Nanq; necesse fuit exturbare vicinos, & complurimas ædes demoliri, gemētibus dominis, & mussantibus: præterea luxuriæ vnius principis domus illa seruiebat, qui solus, quod debebat esse totius populi, possidebat.

A Palatio Exquilias vsque.] A mōte Palatioo vsq; ad montem Exquilinum.

Aleā lusit.] Sic curro cursum, viuo vitā dixere: sed & ludo pila dicimus, ludo trocho. Martia. Folle decet iuuenes ludere, folle senes. Ceterū luditur passiuè dixit: Si luditur alea pernox. M. A N.

Rete aurato.] Eusebius, Nero tātæ, ioquit, luxuriæ fuit, vt frigidis, & calidis vnguentis lauaretur, retibúsq; aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebātur. Purpura & cocco.] Duobus pretiosissimis coloribus. Est enim coccū veluti granū, quod vel ex arbuscula ilici simili, vel ex rubenti gramine nascitur: olim in Galatia, Africa, & Lusitania legebatur: mox & in Gallia transalpina, & Peloponneso.

Purpura.] Piscis ex cōcharū genere: intra annū suā, vt idem author ait, implet magnitudinē. Tyrii maioribus purpuris detracta cōcha auferūt: succum minores frangunt. Nexis.] Tortis nunc potiùs, quàm ligaris.

Carrucis.] Vehiculis. A carro carruca est. Pōpo. Plerasq; mulas carrucarias tales esse, vt trāsigi nō possint.

Soleis

Quam primò tranſitoriã, mox incẽdio abſumptã, reſtitutámq; aureã nominauit. De cuius ſpatio, atq; cultu ſuffecerit hoc retuliſſe: Veſtibulũ eius fuit, in quo Coloſſus centũviginti pedũ ſtaret ipſius effigie: tanta laxitas, vt porticus triplices milliarias haberet. Item ſtagnum maris inſtar, circunſeptum ædificiis ad vrbiũ ſpeciem. Rura inſuper aruis, atque vinetis, & paſcuis, ſyluíſque varia cum multitudine omnis generis pecudum, ac ferarum. In cæteris partibus cuncta auro lita, diſtincta gemmis, vnionúmq; cõchis erant, cœnationes

Soleis.] Cùm ferreæ ab aliis induci ſoleãt. A ſolea, vt Feſto placet, quæ ſolo pedibus ſubiicitur: quo fit, vt pro calceamento quoque accipiatur. Iuuenalis: Et ſolea pulſare nates. Perſius. Et ſolea puer obiurgabere rubra. Canuſinatis.] Canuſina veſte cultis, facta de loco Canuſino vellere, quod rutilum eſt: vt Plin. ait. Martialis: Hæc turbato canuſina ſimillima mulſo. Fuit ea lana in ſummo pretio, ob ídq; apud Iuuenalẽ ouẽ ſibi Canuſinã emi à marito flagitat ſũptuoſa mulier.

Cũ Mazacum.] Turba ſubintellige, & multitudine. Mazaca vrbs Cappadociæ eſt, vnde ſeruitia olim Romã deportabãtur: vide ne inde ſit nomen factũ. Quidã cymagaiũ habẽt, cuius nominis ratio parum, vt ingenuè fatear, mihi cõſtat. Curſorũ.] Ad aliquid celeriter nunciãdum curſorũ opera Alexandrũ quoq; Macedonẽ vſum Plinii verba demonſtrant. Alexandri, inquit, curſor Philonides ex Sicyone ad Elim mille & ducenta ſtadia nouem diei confecit horis.

PHIL. TRanſitoriam.] Ab ipſo videlicet tranſitu, qui per eam domum facilis erat ab vno colle ad alterũ collem. Forum quoque Neruæ, tranſitorium dictum eſt.

Auream.] Plinius inuectus in luxuriã ædificiorum, Bis vidimus, inquit, vrbẽ totã cingi domibus principũ Caii, & Neronis: & huius quidẽ, ne quid deeſſet, aurea. Coloſſus.] Plinius in XXXIIII. cap. VII. coloſſum hũc Neronianũ à Zenodoro ſtatuario factũ tradit: qui poſteà dicatus fuit Solis venerationi. Spartianus quoq; author eſt, hoc ſimulacrũ coloſſicum ab Adriano Soli cõſecratũ fuiſſe, qui aliud tale Apollodoro architecto facere molitus eſt. Ipſius effigiei.] Teſtãtur Hiſtorici, coloſſũ habuiſſe expreſſum Neronis vultũ: qui ſublatus dein fuit damnatis illius principis ſceleribus. Alibi docuimus, moris fuiſſe vt capita ſtatuarũ permutarentur ſurdo figurarũ diſcrimine. Cõmodus Imperator, authore Lãpridio, dempſit caput coloſſi, quod Neronis erat, & ſuũ impoſuit. Tãta laxitas.] Cicero in I. Officiorũ, domũ hominis honorati & principis ita ædificãdã eſſe monet, vt dignitas viri domo honeſtetur: in primisq; ait adhibẽdã eſſe curã laxitatis. Triplices.] Porticus duplices, tripliceſq; appellauerũt, quæ ſunt laxiores, & in quibus ordines columnarũ duplicati, triplicatíq; cõficiũtur. Vitruuius in V. ſcribit in duplici palæſtrarũ porticu collocãda eſſe cõplura mẽbra. Græco vocabulo tetraſticæ porticus, & pentaſticæ dicũtur à quatuor & quinq; ordinibus columnarũ. Gallienus Rom. Imperator, authore Iul. Capitolino, talem porticũ fieri iuſſerat. Milliarias.] Videtur Trãquillus porticus milliarias appellaſſe à mille paſſuũ lõgitudinẽ, & prolixitate milliaria. Quidã exiſtimãt milliarias dici porticus, quæ alio nomine milliariẽſes à Flauio Vopiſco nũcupãtur, qui ſcribit, Aurelianũ ornaſſe in hortis Salluſtianis porticũ milliarẽſem, in qua quotidie, & ſe, & equos fatigabat. Aeſtimatur milliaria porticus, ſiue milliarẽſis fuiſſe cõſtructa ex lapide tophaceo. Mox ſuo loco docebimus quid fuerit in foro Romano milliarium. In quibuſdã codicibus omiſſa eſt hęc dictio, veluti ſubdititia: tanquã loquẽs Trãquillus de laxitate domus, eam demõſtrauerit per porticus triplices, quæ haud dubiè laxitatẽ maximã deſignãt: milliarias verò magis ad lõgitudinem indicandam pertinet, quàm ad laxitatem.

Stagnũ.] De hoc Martial. Stagna Neronis erant. Inſuper aruis.] Subintellige extrinſecus, circunſepta: vt intelligas rura fuiſſe in domo Neronis vndique ſepta aruis & vinetis. Sũt autem arua ab arãdo dicta: quæ rura appellãtur ab eo, quod rurſum in agris faciẽda quotannis ſunt, vt rurſus capias fructus. Omnis autẽ ager, vt inquit Vergilianus interpres, aut aratus eſt, id eſt ſationalis: aut conſitus, id eſt aptus arboribus: aut paſcuus, qui herbis tantùm & animalibus vacat: aut floreus, in quo ſunt horti apibus cõgruẽtes, & floribus. Igitur manifeſtariũ eſt, rura ab aruis differre: cùm illud ſit generalius, hoc ſpecialius. Refert Corn. Tacitus, Neronẽ vſum patriæ ruinis extruxiſſe domũ, in qua nõ tam gemmæ & aurũ miraculo eſſent, quàm arua, & ſtagna: & in modũ ſolitudinũ, hinc ſyluæ, inde aperta ſpatia, & proſpectus: magiſtris, & machinatoribus Seuero, & Celere: quibus ingeniũ erat pertentare etiam ea, quæ Natura negauiſſet, & viribus principis illudere. Pecudũ, ac ferarũ.] Pecudũ numero habẽtur quadrupedes, quæ gregatim paſcũtur, veluti, oues, capræ, boues, equi, muli, aſini. Quinetiã Iuriſc. placet, ſues pecudũ appellatione contineri. Canis inter pecudes non eſt: neq; beſtiæ in eo numero ſunt, veluti vrſi, leones, & pantheræ, quæ ferarũ appellatione continentur. Auro lita.] Diſtincta, bracteatáq;. Verbũ eſt lino, à quo litus, ta, tum deriuatur: ſicut à delino delitũ, ab interlino interlitũ deduci teſtãtur grãmatici. Poeta de apibus loquẽs in Georgicis ait: Et paribus lita corpora guttis: hoc eſt diſtincta, vt exponit Seruius. Marc. Tullius ait, Lucretii poemata eſſe lita multis luminibus ingenii. Vnionúmque conchis.] Alibi docuimus, vniones, quæ margaritæ alio nomine dicuntur, partus eſſe concharum, à gemmiſque differre.

TRanſitoriam.] Quia, credo, ex Palatio in Exquilias eius tranſiret vaſtitas. Auream nominauit.]

M. A N. Plinius: Et in ſellariis aureæ domus diſpoſita Neronis.

Coloſſus.] Plinius, Is, inquit, quum de Zenodoro interim loqueretur, pòſt quàm ſatis ibi artẽ approbauerat, Romam accitus eſt à Nerone, vbi deſtinatũ illius principis ſimulacrũ Coloſſum fecit centum decem pedum longitudine. Centumdecem dixit Plinius, quum Tranquillus centumviginti dicat: quo apparet alterutrum mendoſe legi. Tãta laxitas.] ædificiorũ, vel ruinæ domus. Milliarias.] Mille paſſuũ longitudine protentas. Stagnũ maris inſtar.] Mart. Hîc vbi cõſpicui venerabilis amphitheatri Erigitur moles, ſtagna Neronis erant. Cornel. Extruxitq; domum, quæ haud proinde gẽmæ, & aurũ tã miraculo eſſent, in qua proinde & vſu vulgata, quàm arua, & ſtagna, in modúmq; ſolitudinũ &c. ſed apud Corn. arma mẽdoſè, pro arua legitur, quod Tranquilli verba ſane demonſtrant, qui rura inſuper, inquit, aruis, atque vinetis. Auro lita.] Auro protectorio illita.

Diſtincta gemmis.] Cornelius: Haud próinde gemmæ, & aurum tam miraculo eſſent.

Vnion

Vnionum conchis.] Quibus vniones reperiūtur: si quidem conchæ ipsæ aliqua ex parte margaritarū imitātur cādorem. Cœnationes.] Ad decliuis cæli declinationē, Solis & auræ exceptionē, porticus veteres, vt Acron ait, cōstituebāt. Iuuen. Et algentē rapiat cœnatio Solem.

Quasi hominem.] Ex quotidiano sermone deductum verbū est, vt dicamus nos tādem vt homines habitare cœpisse, cùm magnificenter excultas ædes habere cœpimus. Piscinam.] Vocamus piscinas, loca, in quibus pisces aluntur, notissimo vocabulo Græcè dicūtur ἰχθυοτροφία. Columella interpretatur aquatilium animaliū receptacula: tales piscinæ, vt ait M. Varro, aluntur magno, & marsupium exenterant. Piscinarii homines dicuntur, qui piscinis oblectantur. Ita Cicero L. Philippum, & Hortensiū piscinarios appellat, qui piscinas refertas habuerūt piscibus pretiosissimis. In alia significatione piscina locus est natationis sine piscibus: de qua ait Martial. Piscinā peto, non licet natare. de qua in superioribus facta est mentio. Sidonius hoc genus piscinā Græco vocabulo dici mōstrat βαπτιστήριον, quasi lauacrū, cùm ait: Piscina, seu, si Græcari mauis, baptisteriū. A Miseno ad Auernum.] Misenum promontorium esse in Campania Cumis proximum à Miseno Troiano nuncupatū nemo non nouit: iuxtà sunt Baiæ, & lacus duo, scilicet Lucrinus, & Auernus, qui cōprænsam vsque Misenum tellurem efficit Cherronesum. Baiis calidarum.] Baiæ calidas habent aquas, & ad voluptatem, & ad sanandos morbos accōmodatas: de quibus Plinius in xxxi. cap. ii. scribit hæc: Nusquam largius aquæ, quàm in Baiano sinu, nec pluribus auxiliandi generibus, aliæ sulphuris, aliæ aluminis, aliæ salis, aliæ nitri, aliæ bituminis, nonnullæ etiam acida, salsave mistura. Vapore quoq; ipso aliquæ prosunt. Tantáque eis est vis, vt balneas calefaciant, obsonia quoque percoquūt. Iam generatim neruis prosunt, pedibúsve, aut coxendicibus: aliæ luxatis, fractisve. Inaniūt aluos, sanant vlcera, capiti, auribúsq; priuatim medentur.

Fossam ab Auerno Hostiam.] Hæc est illa fossa, de qua opinor Pliniū intellexisse, sic scribentem in xiiii. Magis tamen fossa Neronis, quam à Baiano lacu Hostiam vsque nauigabilem inchoauerat. Eiusdem meminit Tacitus referens à Nerone machinatores adhibitos, qui ab lacu Auerno nauigabilem fossam, vsque ad ostia Tyberina depressuros promiserant. Itaq; Nero, vt erat incredibilium cupitor, effodere proxima Auerno iuga connixus est: manéntq; vestigia irritæ spei.

laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, vt flores ex fistulis, & vnguēta desuper spargerētur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò diebus, ac noctibus vice Mundi circumageretur. Balineæ marinis, & Albulis fluentes aquis. Eiusmodi domum cùm absolutam dedicaret, hactenus comprobauit, vt diceret quasi hominem tandem habitare cœpisse. Præterea inchoabat piscinam à Miseno ad Auernum lacum, contectam, porticibus cōclusam, quò quicquid totis Baiis calidarū esset, cōmitteretur. Fossam ab Auerno Hostiā

PHIL. Laqueatæ.] Laquearibus exornatæ. Dicimus autem laquearia, & lacunaria, cameras cœnationum. Lacus quoque dici posse docet Seruius, & indicat versus Lucilianus: -Resultāt ædésq; lacúsq;. Versatilibus.] Luxus priscorum excogitauit triclinia versatilia: vt scilicet ita circūagerētur discum bētibus cōuiuis, sicut horologia cōspicimus versatilia: quorum meminit Vitruuius in ix. Hinc legimus Helingabalū oppressisse in tricliniis versatilibus parasitos suos violis & floribus. Tales erāt Neronis cœnatiōes, tabulis scilicet versatilibus cōpactæ, vt in versatione flores dispergerētur, & per fistulas vnguēta fistulatim expressa effunderētur in sublectos cōuictores. Minimè prætereūdū est, quod tradit Seneca de versatilibus laquearibus, cuius verba subscripsi ex li. xiiii. Epist. ad hāc rem in primis cōducentia, quæ sunt hæc: Hodie vtrū tādem sapientiorē putas qui inuenit quēadmodū in immēsam altitudinē hortū latēribus fistulis exprimat, qui euripos subito aquarū impetu implet, aut siccat, aut versatilia cœnationū laquearia ita coagmentat, vt subinde alia facies, atq; alia succedat, & toties tecta, quoties fercula mutētur: an eū qui & aliis, & sibi hoc mōstrat, quàm nihil nobis Natura durū ac difficile imperauerit. Hactenus Seneca. Cuius verbis duæ res diligēter explicantur, versatilia s. laquearia, & euripus: vt iā lucidius fiat illud in Iu. Cæsare In gyrū euripo addito. Tales enim Euripi subito aquarum impetu implebantur: iidem repentè siccabantur. Vice mūdi.] Vt quēadmodū Mūdus æterna vertigine circūagitur, ita cœnatio versatilis cōtinēter versabatur. Balineæ.] M. Varro balneas fœminino genere publicas significari designat, balnea verò priuata. Hinc Gellius, Apud balneas, inquit, Sitias ambulabamus. Et Apule. Balneas facilè percōtabimur. Sed hæc non semper ad amussim. Balneis autē inde inditū est, quia Græci βαλανεῖον dixerunt, quòd anxietatē pellat ex animo, vt interpretatur Augusti. li. ix. Cōfessionū. Instrumēto balneatorio legato, vt inquit Martianus Iuriscō. balneatores cōtinētur: quoniā sine his balneæ vsum suū præbere nō possunt. Albulis.] Alibi tradidimus, Albulas aquas iuxta Romā fuisse, vulneribus medētes, quæ erāt prægelidæ: de quibus ait Epigrāmatarius poeta: Crudarū nebulæ quod Albularū. Strabo Albularū sic meminit in v. In hac planitie Anio fluit: & quas nūcupāt Albulas aquas frigidas multis fontibus edentes varios ad morbos salutares. Marinis.] Marinas aquas medicatas esse, & sanandis morbis accōmodatas, testātur eruditi, & in primis Plin. qui ait in xxxi. marinas aquas calefieri ad neruorū dolores, & fracturas, ossáq; cōtusa. Aquā maris per sese efficaciorē discutiēdis tumoribus putāt medici: bibitur quoq; in quartanis. Prętereà maciē corporis corrigunt piscinæ maris, & balneæ ex marinis.

M. A N. Laqueatæ.] Conuexæ.

Versatilibus.] Versatu facilibus.

Fistulatis.] Paruas fistulas habentibus.

Præcipua cœnationum.] Omnium pulcherrima, aut capacissima.

Vice Mundi.] Cælesti motu. Plinius: Mundum, & hoc quod nomine alio cælum appellari libuit.

Albulis fluentes aquis.] De Albulis aquis in Augusto diximus.

Fossam ab Auerno Hostiam.] Seuero, inquit Tacitus, & Celere machinatoribus, quibus ingenium erat, & audacia etiam, quæ Natura negasset, pertentare, & viribus principis illudere: nanque ab lacu Auerno nauigabilem fossam vsque ad ostia Tyberina depressuri promiserant sequenti litore.

Contr

vsque,vt nauibus,nec tamen mari iretur,longitudinis per centumsexaginta milliaria, latitudinis, qua contrariæ quinqueremes cõmearent. Quorũ operum perficiendorum gratia,quod vbiq; essent custodiæ,in Italiã deportari, etiã scelere cõuictos nõ nisi ad opus dãnari præceperat. Ad hũc impendiorũ furorẽ super fiduciã Imperii,etiã spe quadã repentina immensarũ,& recõditarum opũ impulsus est,ex indicio equitis Romani,pro coperto pollicentis thesauros antiquissimæ gazæ, quos Dido regina fugiens Tyro secum extulisset,esse in Africa vastissimis specubus abditos,ac posse erui paruula molientium opera.

Rapinæ eius, extorsiones, & sacrilegia. XXXII.



VErùm vt spes fefellit, destitutus, atque ita iam exhaustus, & egens,vt stipendia quoq; militum,& commoda veteranorũ protrahi,ac differri necesse esset,calumniis, rapinisq; intẽdit animũ. Ante omnia instituit,vt è libertorũ defunctorũ bonis pro semisse dodrãs cogere-

PHIL. COntrariæ quinqueremes.] Quinqueremem,quæ quinque ordinum nauis est, instituit primus Nesicton Salaminius. Ex hoc latitudinẽ fossæ amplã fuisse colligimus,cùm per eam sine offensatione transcurrerent quinqueremes duæ contrario cursu commeantes. Quod vbiq; custodiæ.] Id est,omnes custodias, & carcerarios solui iussit è vinculis carceris, & deportari ad hæc opera perficienda. Suprà docuimus, appellatione custodiarum significari dãnatos, qui custodia carceris custodiũtur. Cõsimile fecit olim rex Aethiopum Sabacus in Aegyptios: nã quoties ex his quisquã deliquisset, neminem morte afficiebat,sed pro sui quẽque delicti magnitudine dãnabat ad agendã certã mensurã aggerũ ad vrbem, vnde quisque incolériũ erat: atq; ita vrbes sunt sublimiores effectæ: author Herodotus in secunda historia. Ad opus.] Scilicet fossæ ducendæ ab Auerno Hostiã vsque. Impendiorum furorem.] Impensas sine modo,& prodigaliter factas, eleganter appellat furorem impendiorum, Plinius insaniam. Impendia autem, quo nomine impensas significamus,ab ære impẽdendo dici, Plin. & Varro prodiderunt. Super.] Vltra,præter. Spe reconditarum opum.] Cæsellius Bassus origine Pœnus,mente turbida Romã vectus,expromit Neroni se in agro suo specũ reperisse,quo vis magna auri cõtineretur, asserebàtq, Didonẽ Phœnissam Tyro profugam, condita Carthagine illas opes abdidisse,ne nouus populus nimia pecunia lasciuiret. Igitur Nero misit, qui velut partã prædã aduehertent. Interim cõsumebantur veteres opes,quasi oblatis opibus,quas multos per annos prodigeret:& ita diuitiarum expectatio causa erat prodigalitatis. Bassus tandẽ posita vecordia, cùm se delusum esse cognouisset, mortẽ sibi consciuit: & ita Neroniani milites exhausti sunt labore irrito, & vano: Corn. Tacitus author in xvi. Annalium. Equitis Romani.] Bassum signat,qui origine Pœnus erat. Gazæ.] Gazam Persæ vocant pecuniam regiam: vt inquit Q. Curtius. Mela ait, Persas vocare gazam ærarium: vnde & nomen inditũ est Gazæ ciuitati Syriæ,cùm Cambyses & belli opes,& pecuniã eò contulisset. Sed de gaza,& gazophylacio copiosius suo loco memorauimus. Est autẽ gazophylaciũ,gazæ,& pecuniæ repositorium. Quos Dido.] Notissima sunt, quæ de Didone & Poetæ, & Historici prodiderunt. Hoc obiter memorandũ,quòd Dido,vbi resciuit maritum Sychæũ à Pygmalione fratre occisum esse, naues opibus & auro onustas prouexit in pelagus:& vt ministros Pygmalionis falleret, arenam inuolucris quibusdam inuolutam in mare deiecit,tanquã illi thesauri forent: atq; ita asportatis opibus in Africã delata est: vbi mercata solum,quod corio bouis tegi posset, Carthaginem cõdidit. Autumat Donatus,quod memoratu dignum est,ideo hoc proditũ esse,quia tũc pecunia erat ex corio bubulo: eãq; fuisse in pretio loci,quantũ bouis vnius coriũ cõficere potuisset. Extulisset.] Exportasset. Abditos.] Occultatos. Erui.] Extrahi, educi. Molientium.] Effodientiũ. Exhaustus.] Exinanitus, euacuatúsque pecunia. Protrahi.] Prolatari,& in longiora tempora trahi, cùm pecunia non suppeteret ad stipendia exoluenda. Pro semisse dodrans.] Sententia implicatior est,quę ita explicari potest: Cùm moris esset, vt dimidiatus assis, hoc est dimidium bonorum defũcti liberti perueniret ad patronũ, instituit Nero vt pro semisse, hoc est pro dimidio hæreditatis,dodrans,id est nouẽ partes totius assis illi conficerentur: qui eo nomine appellaretur, quo familiæ illæ nominabantur,quibus ipse Nero esset affinitate proximus. Post hoc autem instituit vt talia testamenta pertinerent ad fiscũ principis: tãquam illi testatores ingrati fuissent in principem,nusquã nominando inter cohæredes ipsum Neronem. E libertorum.] Generaliter loquitur de libertis omnibus.

M.AN. CVstodiæ.] Quicquid vbiq; dãnatorũ in vinculis esset,aut custodia teneretur. In Italiam.] Vt omnẽ multitudinẽ illã ad id opus dãnaret. Impẽdiorum furorẽ.] Furiosum impendiũ. Equitis Romani.] Cæsellios Bassos origine Pœnus,vt Cornelius tradidit,mẽte verò turbida,in agro suo specũ à se repertã ingẽti altitudine thesauris plenã Neroni nũtiauit: ob idq; naues,vt inde aurũ asportarẽt,in Libyã misit: verùm post multos moliẽtiũ labores frustrà haustos, quũ vana omnia apparerẽt,Bassus vltro mortem oppetiit. Alii eũ à Nerone dimissũ tradiderũt, sed bonis omnibus thesauri loco prius mulctatũ. Antiquissimæ gazæ.] Thesauri vetustissimi. Seruius gazã vocabulum ait esse Persicũ, diuitiásq, significare, Strabo thesaurũ, vnde & Gazã vrbẽ in Syria dictã, quòd Cãbyses in Aegyptios bellaturus omnem regiũ thesaurum cõtulisset. Tyro extulisset.] Vergilius:

-Portantur auri
Pygmalionis opes pelago, dux fœmina facti.

Moliẽtiũ.] Aedificiorũ moles euertentiũ. Destitutus.] Spe Libyci thesauri potiũdi. Militũ.] Qui sub signis erãt. Veteranorũ.] Qui iã emeriti erãt. Calũniis.] Falsis criminibus: à caluo, i. decipio, vt Priscia. placet. Libertorũ defunctorũ.] Obscurus ordo,sed sensus

tur ei, qui sine probabili causa eo nomine essent, quo fuissent illæ familiæ, quas ipse contingeret: deinde vt ingratorum in principem testamēta ad fiscum pertinerent: ac ne impune esset studiosis viris, qui scripsissent, vel dictassent ea: tum vt lege maiestatis facta, dictáque omnia, quibus modò delator non deesset, tenerentur. Reuocauit & præmia coronarum, quæ vnquā sibi in certaminibus ciuitates detulissent. Et quum interdixisset vsum amethystini, ac Tyrii coloris, summisissétq; qui nundinarum die pauculas vncias venderet,

sus aliqnantò nbscurior: verùm vtrunq; sic habet: Instituit Nero vt ex bonis libertorum defunctorum pro se misse, quæ plus cogi cōsueuerat, id est bonorum dimidio, dodrans cogeretur, id est tres tertiæ bonorū partes illi exprimerentur.

PHIL. Sine probabili causa.] Nam si probabilis vlla causa extitisset, propter quā eo nomine ille appellaretur, nnn potuissent talia testamenta ad fiscū principis deuolui, tāquā ingrata & fofficiosa. Sed vt res magis colliquescat, exēplo instruēda est: Si quis nnminabatur Domitios, aut claudius aut Iulius, nulla causa probabili, tāquā minime gentilis, ac necessarius, Instituit Nero, qoi tales familias proximitatis gradu cōtingebat, vt huic ex boois libertorum dodrās, hoc est IX. partes assis cogerētur, id est cōficerētur, cumularētúrve: deinde talia testamēta rescindebat, volebátq; vt ad fiscū suū pertinerēt, tanquā illi liberti ingrati fuissent in illū principē, qui instituissent vt hæreditates illorū gētilibus suis cōpararētur. Libertus enim seruitute liberatus ac manumissus, statim, vt ait Lactantius in IIII. patroni nnmē accipit, tanquā filius. Si qnis ergo libertus fuisset alicuius, qui Domitius, vel Claudius, vel Iulius diceretur, & ipse nomē illud accipiebat: ex quo videbatur debere in testamenro memor esse principis, nb nomen. Ne impune esset studiosis.] Voluit Nero vt scriptor talium testamentorū pœnæ obnoxius esset. Tum vt lege maiestatis.] Sēsus est: Voluit Nero, vt omnia indifferēter dicta, factáq; vocarentur ad crimē læsæ maiestatis, si modò delatores non defuissent, qui talia dicta, ac facta pro capitalibus deferrēt. Quàm iniqoū, iniuriúmq; hoc foret, vel cæco apparet: cùm nō omnia, etiā in principem dicta, nec facta, sint trahēda ad crimē læsæ maiestatis. Etenim lubricum linguæ, vt inquit sapiēter Modestinus Iuriscō nō facilè ad pœnā trahendū est: nec si quis lapide iactatu incerto fortuitò statuā Cæsaris attigerit, crimen maiestatis cōmisit. Hæc autē sententia à superiore seiūgēda est, nec ad scriptores testamentorū referēda. Hæc enim res alia est. Illud autē, dicta, factáq; omnibos: legendū planè est, dicta, factáq; omnia: vt sit sensus, omnia, vel minima dicta, & facta in principem, tracta esse ad crimē læsæ maiestatis: vt ita ex omni re per fas & nefas prædaretur.

Præmia coronarū.] In sacris certaminibus non solùm coronæ victoribus dabātur, sed etiā præmia victoriæ deferebātur, quæ Nero priùs omiserat, vtpote princeps contentus solis coronis, solóq; honore victoriarū: nunc verò pecunia exhaustus præmia sibi olim victori à ciuitatibus delata cœpit reuocare, atqoe repetere.

Interdixisset vsum.] Frequens elocutio est, vt per ablatiuū dicamus, Interdico tibi aqua & igni: & hac, & illa re: tamē Trāquil. per accusatiuū protulit, sicut & Seneca, qoi scribit li. III. de Ira: Si iubes, Cæsar, statim illi domū meā interdicā. Interdicere autē vsum amethystini coloris, nihil aliud est, quàm vetare, ne qois vestimento vtatur purpurei coloris. Est enim amethystinus color purpuræ eximius buccino, pelagióq; permistis. Luxuria inuenit amethystū inebriare Tyrin colore, vnde fieret cōposito vocabolo tyriamethystus. Plinius in IX. Nō est satis abstulisse gemmæ nomē amethystū, rursum absolotus inebriatur Tyrin, vt sit ex vtroq; nomē improbū tyriamethystus. Idē i VIII. amethystos gēmas esse docet perlucētes vinlaceo colore. Causam autē nominis amethysti afferūt, quòd vsq; ad vini colorē accedēs priùs, quā eū degustet, in violam desinit, fulgórque quidam in illa purpuræ nō ex toto igneus, sed in colorē vini deficiens. Est enim α, priuatiua particula, & μέθη ebrietas: tanquā amethystinus color sit sobrius, minúsq; inebriatus vini colore. Ad hoc allosit Martialis, sic scribens in Apophoretis de lanis amethystinis:

Ebria Sidoniæ cùm sim de sanguine conchæ,
Non video quare sobria lana vocer.

Magi amethystos gemmas inde appellatas existimāt, quòd ebrietati resistāt. Tyrii coloris.] De Tyria purpura, Tyrióq; colore, qui pretiosissimus erat, alibi plura iā diximus. Ex Tyrio, & Ianthino hoc est vinlaceo colore, fit cōpositū nomen pretiosæ infecturæ tyriāthinus: vnde palliū tyrianthinū dictū est ex Tyrio vinlaceóq; colore cōmistum. Flauius Vopiscus: Inscriptum est adhuc in pallio thyriantino, quo ille velut spolio nobilitatis exultat. Summisisset.] Clanculum, furtimque immisisset. Nundinarum die.] Quo scilicet emporium, mercatúsque rerum venalium celebratur.

Pauculas vncias.] Amethystini, ac Tyrii coloris. Libram autē violaceæ purpuræ venditā esse denariis centū, testis est Cor. Nepos. Tyria verò dibapha in libras denariis mille non poterat emi. Est autem dibapha pretiosior, quasi lota, succóque inebriata.

M. A N. Qvi esset aliqua probabili causa eo nomine prædirus.] Quo familiæ illæ vsæ essent, quas ipse Nero arcto vinculo affinitatis, seu agnationis cōtingeret: quo apparet omnes Claudios, Domitios, Iulios, Passienos, legi fuisse obnoxios. His enim & pluribus, si plures familiæ, quæ illū quoquo modo necessitudine contingerent, vsi sunt nominibus. Nomina erant, quæ post prænomē veteres vsurpāt. Quòd libertorū bona gentilium essent, Cicero ad Quintum fratrem demonstrat.

Ingratorū in principē.] Qui testādo inter hæredes Neronē ipsum nō nominassēt: qoū ab eo ipsi quoquo modo ornati fuissent, aut in familiarissimis habiti.

Studiosis viris.] Vtpore ingratitudinis cōsciis: qoare iuris, & æquitatis non ignaris. Lege maiestatis.] Læsæ intellige. Tenerentur.] Legi obnoxia essent.

Præmia coronarū.] Quæcūqoe præmia victori sibi in certaminibus vltra coronas proposita essent.

Detulissent.] Ad se deferenda censuissent.

Amethystini.] Amethysti lapidis colore infectæ Est autē amethystus gēma violacei coloris: vt Plinius demōstrat, ad ebrietatē domādā efficax: vnde rei nomen datum. Pauculas vncias.] Purpurei coloris, atque amethystini. Nundinarū die.] Ipsis nundinis: qoem diem, vt Festi vtar verbis, esse feriatum voluerūt: qoo mercandi causa rustici in vrbem venirēt. Sed de rei & nominis ratione plura Macrobius.

præcluſit cunctos negotiatores. Quin etiam inter canendum animaduerſam matronam è ſpectaculis, vetita purpura cultam demonſtraſſe procuratoribus ſuis creditur, detractámq; illico, non veſte modò, ſed & bonis exuit. Nulli delegauit officiū, vt non adiiceret: Scis quid mihi opus ſit: &, Hoc agamus, ne quis quicquam habeat. Vltimò templis compluribus dona detraxit, ſimulacráque ex auro, vel argento fabricata, conflauit, in his penatium deorum, quæ mox Galba reſtituit.

Parricidiū eius in Claudiū, & Britannicū. XXXIII.

PArricidia, & cædes à Claudio exorſus eſt. Cuius necis, etſi non author, at conſcius fuit: neque diſſimulanter, vt qui boletos, in quo cibi genere venenum is acceperat, quaſi deorum cibum, poſthac prouerbio Græco collaudare ſit ſolitus. Certè omnibus rerum, verborúmq; contumeliis mortuum inſectatus eſt, modò ſtultitiæ, modò ſæuitiæ arguens. Nam & morari eū inter homines deſiiſſe, producta prima ſyllaba iocabatur: multáq; decreta, & conſtituta, vt inſipientis, atque deliri, pro irritis habuit. Dénique buſtum eius cōſepiri, niſi humili, leuíſque materia, neglexit.

PHIL. PRæcluſit.] Clauſtris coercuit, ſublata abeundi facultate. Negotiatores.] Tanquam ſontes, pœnæq; obnoxios, quòd contra vetitum mercati eſſent purpuram Tyriam, ac amethyſtinam.

Vetita purpura.] Amethyſtina purpura, vel Tyria, cuius vſum interdicto vetuerat.

Detractā.] Scilicet è ſpectaculis, in quibus ſpectabat canentem Neronē.

Bonis exuit.] Patrimonio ſpoliauit. Scis quid mihi opus ſit.] Tanquā ſignare vellet ſibi dandā eſſe pecuniam, qua indigebat: & ita venditor erat officiorum, & magiſtratuū: quod à bono principe minimè fieri debet. laude dignus eſt Alexāder Romanus Imperator, qui honores nunquā vendi paſſus eſt, dicens verbum hoc dignū memoratu, Neceſſe eſt vt qui emit, vendat: ego non patior mercatores poteſtatum.

Dona.] Donaria, quæ in templis dicata fuerant.

Conflauit.] Redegit in maſſam.

Penatium.] Penates dii ſunt proprii Romanorum: de quibus multa Macrobius in III. & nos plura aliâs: hoc ſolūm interim addendum eſt, penates dici ſiue à penu (eſt enim penus omne, quo veſcuntur homines) ſiue ab eo, quòd penitus inſident: ex quo etiam penetrales à poetis vocātur: Cicero author in II. de natura deorū. Alii penates autumāt dici ab eo, quòd per illos penitus ſpiramus, rationemque animi poſſidemus.

Galba.] Qui Neroni ſucceſſit in Imperio.

Parricidia.] Notiſſima eſt pœna parricidarū ex lege Pōpeia, & veteri Romanorū inſtituto: de qua in ſecūdo Cōmentario ſatis multa. Illud adde apud Aegyptios, pœnā hāc in parricidas fuiſſe conſtitutā, Articulatim, mēbratimq; acutis calamis cæſos iubebant viuos ſuper ſpinarum aceruum comburi: maximum iudicantes ſcelus ei mortem inferre, à quo vitam accepiſſent.

A Claudio.] Anteceſſore, eodemq; per adoptionē patre. Quaſi deorū cibum.] Ita iocabatur Nero in Claudiū defunctū, dū boletos cibū deorū vocat: tāquā Claudius per boletos extinctus, dein relatus ſit in numerū deorū. Mortuū.] Claudiū. Modò ſtultitiæ.] Tanquā Claudius & ſtultus fuiſſet, & crudelis. Morari.] Græci μωρὸν ſtultū vocāt, & fatuū, qui à noſtris ſannio nuncupatur. Inde Plaut. in Trinūmo facetè dixit: Amor mores hominū moros, & moroſos efficit. Hinc verbū moror deducitur, quod ſignificat fatuum eſſe, & inſanire. Verùm inter verbū illud notiſſimæ ſignificationis, & hoc Græcanicū, illa eſt differentia, quòd illud primā ſyllabā corripit, hoc producit: cùm μωρὸς apud Græcos ſcribatur per ω, quod nimirū ſyllabā facit productā. Igitur Nero, cùm diceret, Claudiū deſiiſſe morari inter homines, dicere videbatur, quod ceſſaſſet manere, & viuere inter homines: cùm tamen intelligi vellet, eum deſiiſſe per mortē delirare, & deſipere, qui viuus delirauerat.

Buſtum.] Cicero buſtum putat appellari tūbā, vbi in Legibus ait: Pœna eſt, ſi quis buſtū (nā id puto appellari tūbā, aut monumētū, aut colūnā) violarit, deiecerit. aliâs buſtū, ſi Seruio credimus, dicitur, cùm rogus iam eſt exuſtus: quod & Vergilius innuit ſcribēs,

-Semiuſtáq; ſeruāt buſta. Et in hoc ſignificatu accipi videtur à Trāquillo. De buſtuariis gladiatoribus, & meretricibus ſuo loco iā diximus. Conſepiri.] Tanquā ſepimēto quodā circūuallari. Lex incendiū vetita, rogū, buſtumve nouū vetat erigi propius ſexaginta pedes iuxta ædes alienas inuito domino.

M. AN. PRæcluſit.] In carcerem coniecit: vt ob eā calumniā aliquā ei pecuniā exprimeret.

Inter canendū.] Quū publicè caneret. Ex ſpectaculis.] Ex ſpectandi loco. Veteres enim nūc ſpectationem ipſam, nūc locū, nūc rem, quā ſpectarēt, ſpectaculū dixere. Quid opus ſit.] Pecunias ſcilicet, aut multorū expilationē. Et hoc.] Adiiceret. Tēpliis dona detraxit.] Cornelius: Spoliatis in vrbe templis, egeſtóq; auro, quod triumphis, quod votis omnis populi Romani proſperè, aut in metu ſacrauerat. Simulacra ex auro.] Idē author, Per Aſiā, inquit, & Achaiā nō dona tātùm, ſed ſimulacra numinū obripiebātur, miſſis ſcilicet in eas prouincias Acto, & Secundo: ille libertus cuiuis flagitio promptus, hic Græca diſciplina ore tenus exercitus. Penatiū deorū.] Nigidius & Labeo Apollinem, & Neptunū penates deos eſſe crediderunt. Alii Iouē, Iunonē, & Mineruā. Caſſius Hemina eoſdē penates eſſe credidit, quos θεοὺς μεγάλους dixere, id eſt magnos deos. Nigidius eoſdē, quos & θεοὺς πατρῴους, id eſt deos patrios: quorum vtrūq; Maro vſurpauit, nūc magnos deos, nūc patrios appellās. Quid autē Alicar. Dionyſius de his ſenſerit, ſuprà ſignificauimus. Galba.] Is ei ſucceſſit. A Claudio.] Qui veneno ſublatus creditur.] Cōſcius.] Eius cōſilii particeps. Deorū cibū.] Ad Claudii cōſecrationē alludēs. Morari.] Fatuè, & ſtultè agere. μωρὸς fatuus dicitur: vnde moror verbū affinxit. Producta prima.] Ad differētiā alterius verbi moror, quod eſt ſ mora ſū. In factitio autē ω, eſt i prima.

Britan

Britannicum non minùs æmulatione vocis, quæ illi iucundior suppetebat, quàm metu, ne quando apud hominum gratiam paterna memoria præualeret, veneno aggressus est. Quod acceptum à quadam Locusta venenariorum indice, quum opinione tardius cederet, ventre modò Britannici moto, accersitam mulierem sua manu verberauit, arguens pro veneno remediũ dedisse, excusantique minus datum ad occultandam facinoris inuidiã: sanè, inquit, legem Iuliam timeo: coegitque se coràm in cubiculo, quàm posset velocissimum ac præsentaneum coquere. Déinde in hœdo expertus, postquam is quinque horas protraxit, iterum, ac sæpius recoctũ porcello obiecit. Quo statim exanimato, inferri in tricliniũ,

PHIL. Britannicum veneno aggressus.] Festis Saturno dicatis inter alia ludicra Britannicus iussus à Nerone cantum aliquem incipere, progressus in medium exorsus est carmen, quo euolutum se sede patria, rebúsque summis significabat: vnde orta miseratio est. Itaque Nero parari venenum occulté iubet ministro Iulio Polliõe. Venenum veneficæ Locustæ opera paratũ accepit primũ Britãnicus ab ipsis educatoribus, trãsmisitque aluo parum exoluta. Vnde iterum venenum rapidum, præsentariúmque decoquitur, qood in aqua frigida Britannico datum ita cunctos artus inuasit, vt vox pariter, & spiritus raperentur: author Cor. Tacitus.

Illi iocundior.] Superius dictũ est, vocem Neroois fuisse fuscam.

Paterna memoria.] Agrippina iam Neroni filio infensa proclamabat, adultum iam esse Britannicum, veram, dignámque stirpem suscipiẽdo patris Imperio, quòd insitus, & adoptiuus per iniuriam matris exerceret. A Locusta.] Fœminam nomine Locustam venefici nominis damnatã multa scelerum fama, testis est Corn. Tacitus. Ab hac venefica venenum præparatum est, quo Britãnicus extinctus est. Eiusdem mulieris ingenio paratum fuit venenum illud, qoo Claudius est peremptus, vt suprà explicatum. Propter hanc Locustam dictum est illud notissimum à poeta Satyrico:

Instituitque rudes melior Locusta propinquas.

Britannicum autem veneno latenter occidisse, Iosephus quoque scribit libro nouissimo Antiquitatum.

Venenariorum.] Venenarii sunt, qui venena conficiunt, dantve hominis necandi causa: qui pœna tenentur legis Corneliæ de sicariis, & veneficis. Apuleius: Qui venenarium accusat, scrupulosius cibatur: qui furem arguit, sua custodit. Mercurius, authore Firmico Materno, constitutus in duodecimo ab horoscopo loco facit maleficos venenarios, si Mars eum aut de diametro, aut de quadrato respexerit.

Indice.] Index est, qui facinoris, cuius ipse est conscius, latebras indicat, immunitate proposita, aothor Pedian. Asconius. Locusta cùm venefica esset, veneficiiq; damnata, venenarios quoque indicauerat.

Opinione tardius.] Quàm Nero opinatus esset: qui lenti sceleris impatiens, illico extingui Britannicũ volebat, dato præsentissimo veneno.

Mulierem.] Locustam: euius suppliciũ iussit quòd dum timorem respicit, securitate desiderium suum moraretur. Excusanti.] Scilicet Locustæ.

Legem Iuliam timeo.] Capite legis Iuliæ quodã pœna præscripta erat in veneficos: vnde alludens Nero Locustæ se excusanti dixit: Ego legem Iuliam timeo: tanquam significare vellet, nõ opus esse sceleris occultatione: cùm ipse princeps legibus solutus sit, nec pœnam à lege præscriptã reformidet. Principis enim est, leges dare, non accipere: sicut olim Iulia nouerca priuigno dixit Antonino Caracallo. Et mali principes, qualis erat Nero, regere leges nõ regi à legibus per impotẽtiã volũt. Leges, vt dicebat Anacharsis, sunt similes telis aranearum: nam sicut illæ infirma animalia retinent, valentiora transmittunt, ita legibus humiles, & pauperes constringuntur, diuites, & præpotentes non alligantur.

Præsentaneum.] Dicimus venenum præsentaneũ, quod repentinum est, & præsentem, subitariámque mortem affert: sicut econtrario remedium præsentarium appellatur, quod statim prodest. A. Gellius Regulum Attilium in Senatu dixisse refert, venenũ sibi Carthaginienses dedisse non præsentaneum, sed eiusmodi, quod mortem in diem proferret. Plinius remedia præsentanea, & præsentissima frequẽter appellat, quæ sine contatione auxiliantur.

Coquere.] Corn. Tacitus: Iuxta cubiculum percoquitur virus, cognitis antè venenis, rapidum. Liuius matronas tradit accusatas damnatásque, quòd venena coquerent, quibus maritos absumebant.

In hœdo.] Antiqui œdos, & ircos sine aspiratione scribebãt, parcissimè ea vsi, vt docet Quintilianus. A Sabinis, vt author est M. Varro, dicebatur fœdus, qui à Romanis hœdos. Hœdilia appellat Horatius stabula hœdorum. Is.] Hœdus.

Protraxisset.] Viuendo durasset.

Porcello.] Tertius gradus diminutionis. Nam à porco, porculus, & inde porcellus dictus. Flauius Vopiscus: Vt vno die veruecem, & porcellũ comederet. Nutricatũ porculorũ prisci porculationẽ vocauerũt.

Exanimato.] Extincto: aliàs perturbato.

M. A N. AEmulatione vocis.] Id magis fuit detestabile, quasi Imperii æmulatione, quod plerique factitarunt, parricidium patrasset. Cornelius author est, Saturnalibus quum per luxum Nero sortitus esset inter æquales Imperium, iussissétq; Britannicum in mediũ procedere, atq; canere carmen, atq; id ipsum in derisum, constanter illũ exorsum miserabile carmen, significare se patria sede, rebúsque summis euolutũ: vnde orta commiseratio manifestior, quia dissimulationem vox, & lasciuia exemerat. Ad id certè Tranquillus allusit: sed Nero tum fortè magis rem attendit, quàm vocem.

Paterna memoria.] Claudii patris.

Locusta.] Hoc quoque nomine Satyri carmine Locusta nota est:

Instituitque rudes melior Locusta propinquas,
Per famam, & populum nigros efferre maritos.

Cornelius, & Plin. authores sunt, Locustæ ministerio paratum venenum, quo Britannicus sublatus est.

Ventre moto.] Soluta aluo vi veneni.

Sua manu verberauit.] Cornelius suppliciũ tantùm interminatum ait per Iulium Pollionem prætoriæ cohortis tribunũ, quem eius consilii participem fecerat.

Excusanti.] Locustæ. Minus.] Parcius.

Legem Iuliam timeo.] Lex Iulia nõ ſolùm in adulteros lata, ſed & munera ab hoſpite accipi prohibebat: eadem & io veneficos & ſicarios pœnam ſtatuebat. Cornelius quoq; author eſt, Locuſtam veneficii damnatã.

PHIL. DAri Britannico.] Cibus, potúſq; Britannici à miniſtris guſtu explorabatur: vnde oe vtriuſq; morte ſcelus proderetur, talis dolus repertus eſt, Innoxia adhuc, & prӕcalida, prӕguſtatáq; potio datur Britannico: deinde poſtquã feruore eã aſpernabatur, frigida in aqua effunditur venenũ: quod ita cunctos eius artus inuaſit, vt vox, pariter & ſpiritus raperétur. Epulabatur aotem runc Britannicus cũ cӕteris eius ӕtatis nobilibus, ioter quos erat Titus Veſpaſiaous, quem ex ea potione guſtaſſe creditũ eſt, grauiq; diu morbo conflictatum.

Ementitus.] Scilicet Nero.

fringi potentiam imperioſӕ Agrippinӕ.

Idenridem.] Frequenter.

Abducta ſtatiooe Germaoorum.] Scribit Cornel. Tacitus, excubias militares, quӕ Agrippinӕ, vt matri Imperatoris, aſſeruabantur, à Nerone iuſſas eſſe digredi, ſimúlque Germanos, qui cuſtodes additi erant Agrippinӕ honoris cauſa: & ne cœtu frequeotantium frequentaretur, ſeparat domũ, matrémque transfert in eã domum, quӕ Aotoniӕ fuerat: tunc ſtatim relictum eſt Agrippinӕ limen: nemo illam ſolabatur, nemo adibat, prӕter paucas fœminas.

Cootubernio.] Ne ſecũ iotra eoſdem peoates degeret, & contubernalitate ſociaretur.

Palatio.] Palatinis ӕdibus, & domo Imperatoria.

In diuexanda.] Exagitanda, affligenda.

daríque cœnanti ſecum Britannico imperauit. Et quum ille ad primum guſtum cõcidiſſet, comitiali morbo ex conſuetudine correptum apud conuiuas emẽtitus, poſtero die raptim inter maximos imbres tranſlatitio extulit funere. Locuſtӕ pro nauata opera impunitatem, prӕdiáque ampla, ſed & diſcipulos dedit.

Parricidium eius in matrem, & amitam. XXXIIII.



MAtrem dicta, factáque ſua exquirentem acerbiùs, & corrigentem, hactenus primò grauabatur, vt inuidia identidem oneraret, quaſi ceſſurus Imperio, Rhodúmque abiturus: mox & honore omni, & poteſtate priuauit, abductáque militum, & Germanorum ſtatione, contubernio quoque, ac Palatio expulit. Neque in diuexanda quicquam penſi habuit, ſubmiſſis & qui Romӕ morantem litibus,

Comitiali morbo.] Nero; vt erat recliois, & neſcio ſimilis, ſolutum ita dixit Britannicum per comitialem morbum, quo primùm ab infaotia afflictaretur, & redituros paulatim viſus, ſeoſúſqoe.

Extulit.] Efferri propriè dicuntur cadaoera mortuorum.

Tranſlatitio funere.] Vilibus exequiis, & modico apparatu funebri, qui nõ eſſet Imperatorius, legitimúſve, ſed aliunde translatus: ſicut edicta translatitia dicta: ſuper qua dictione ſuperiùs ſatis multa. Cor. Tacitus: Nox eadem necem Britannici, & rogum cõiunxit: prouiſo ante funebri apparatu, qui modicus fuit.

Inter maximos imbres.] Corn. Tacitus: In campo Martio ſepultus eſt Britannicus adeò turbidis imbribus, vt vulgus iram Dei porteodi crediderit. Tradunt plerique ſcriptores, illuſum eſſe pueritiӕ Britannici Neronem, ſopremúmque illum Claudiorum ſanguinẽ ſtupro priùs, quàm veneno pollutum. Nero exequiis Britannici noo interfuit, à maioribus inſtitutum referens, ſubtrahere oculis acerba funera, oeque laudaoonibus retioere.

Impunitatem.] Erat enim veneficil damnata.

Diſcipulos.] Tanquam magiſtra veoeficiorum artem veneficam doceret.

Matrem corrigentem.] Scribit Tacitus, libidines Neronis tardatas fuiſſe matris reuerentia: in quas ſeſe totum effudit poſt illius obitum.

Grauabatur.] Grauiter, & ӕgrè tolerabat.

Factáque exquirentem.] In vrbe ſermonum auida erant, qui dicerent, nullum ſubſidium eſſe in principe, qui à fœmina regeretur, quӕ dominaoóois cupidinibus flagrabat, & ferocia prӕpollens non tam in principatum Imperii cum filio vocari cupiebat, quàm ipſa imperare: cuius imporentiӕ obuiam iuere Seneca, & Burrus rectores Neronis iouentӕ, cunctis cupientibus in-

Quicquam penſi habuit.] Salluſtius: Neqoe dum pararet ſibi regnom, quicquam penſi habuit.

Submiſſis.] Clanculùm immiſſis, & ſubornatis hominibus.

Litibus inqoietarent.] Narrat Cor. Tacitus, accuſatores paratos fuiſſe à Iulia Syllana, qoi Agrippinã accuſarent, tanquam deſtinaſſet Rubelium Plancum ad res nouas extollere. quod crimen propere, atrociterq; delatum eſt Neroni per Paridem hiſtrionem.

M. AN. COenanti ſecum.] In eodem triclinio, ſed noo eodem toro: quin parciore meoſa cum principum liberis ӕqualibus ſois, vt Cornelius ſcribit: addiditq;, veoeoum illi in frigida aqua datum.

Comitiali morbo.] Quo, vt Cornelius ait, ab infantia conflictari eſſet ſolitus.

Translatitio.] Subito, & tumultuario, quale aliunde ſumptum, alióve transferendum eſſe ſolet. Idem autem modico apparatu in campo Martio eodem die, quo periit, ſcribit ſepultum: ac per ſpeciem veteris ioſtituti acerbom funus oculis populi ſubitò ſubtractum, ne laudatiooe quidem vlla adhibita: adeóque turbidis imbribus, vt vulgus Deorum iram portendi crediderit.

Et diſcipulos.] Ad eam fortè inſtitutionem Iuuenalis alluſit eo carmine,

Inſtituitque rudes melior Locuſta propioquas.

Grauabatur.] Grauatè ferebat.

Ceſſurus Imperio.] Imperii adminiſtratione abiturus. Abducta.] Adempta.

Sratione.] Militum ſcilicet, qui ad id tempus prӕſidii cauſa circa illam excubuerant.

Contubernio.] Commooi domicilio.

Palatio.] Palatii regiooe: quod adhuc inhumanius fuit.

Submiſſis.] Subornatis, inſtructis.

Litibus.] Forenſibus.

& in secessu quiescentem per conuicia, & iocos, terra, mariq; præteruehentes inquietarent. Verùm minis eius, ac violentia territus, perdere statuit. Et cùm veneno tentasset, sentirétque antidotis præmunitam, lacunaria, quæ noctu super dormientem* laxata machina deciderēt, parauit. Hoc consilio per conscios parum celato, solutilem nauem, cuius vel naufragio, vel cameræ ruina periret, cōmentus est. Atque ita reconciliatione simulata, iucūdissimis literis Baias euocauit ad solennia quinquatrium simul celebranda, datóq; negotio trierarchis, qui liburnicā, qua aduecta erat, velut fortuito cōcursu cōfringerēt, protraxit conuiuiū. Repetētiq; Baulos in locū corrupti nauigii machino-

* luxata

PHIL. [IN secessu.] Cùm Nero vitaret secretos matris congressus, illa abscedebat in hortos, aut in Tusculanū, vel Antiatem in agrum, laudabatúrque à filio quòd otium lacesseret.

Perdere statuit.] Interimere. Tacitus: Postremò vbicunque haberetur, prægrauem matrem ratus, interficere statuit.

Minis eius.] Trux erat, vt inquit Tacitus, & minax Agrippina, quæ filio dare imperiū, tolerare imperitantem nequibat. Idē alibi: Præceps posthàc Agrippina ruere ad terrorem, & minas.

Antidotis præmunitam.] Consultauit Nero an veneno, an ferro, vel qua alia vi matrem interficeret: placuit primò venenum: sed illa præsumendo remedia munierat corpus. Remedia autem huiusmodi antidota nominamus.

Lacunaria.] Cameram, contignationémq; cubiculi.

Solutilem.] Solutilis dicitur nauis, quæ eo artificio compacta est, vt per se dissolui facile possit. Huius nauis solutilis sic meminit Tacitus: Ergo nauem posse componi docet, cuius pars ipso in mari per artem soluta effunderet ignarā. Sutilis verò cymba dicitur à Marone intexta, & ob id fragilis illo versu,

-Gemuit sub pondere cymba
Sutilis.-

Cameræ.] Quæ in ipso nauigio erat extructa: & significatur pars superior cubiculi, & tectum. Camuris cornibus dixit Vergilius pro curuis, & in se redeuntibus: vnde cameras dici autumant Seruius & Macrobius. Est enim propriè camera non totum cubiculum, sed lacunar, pársque superior cubiculi, quæ ferme semper deformatione curua fieri solet. Plinius in xxxvi. cameras accipit in hac significatione, quum ait: Pulsa deinde ex humo pauimenta in cameras transiere, vt pronum vitium. A camera tectum concameratum appellatur, quod est fornicatum, & ad similitudinem cameræ fabricatum.

Commentus est.] Excogitauit, inuenit.

Baias euocauit.] Nero quum quinquatrium festos dies apud Baias frequentaret, illhuc matrem elicit, ferendas matrum iracundias, & placandum animum dictitans: vt ita reconciliationis rumore vulgato, acciperet matrem Agrippinam facili credulitate fœminarum ad gaudia venientem: cui obuius in litore factus, eam excepit manu, ac complexu.

Quinquatribus.] Quinquatria festiuitatem fuisse solenniter dicatam Mineruæ suo loco demōstrauimus. Celebratur autem per quinque dies mensis Martii.

Trierarchis.] Trierarchus significat præpositū nauis triremis, quæ Græco vocabulo τριήρης dicitur. In Daniele scriptū est: Venient super eum trieres, & Romani. Solita autem erat Agrippina vehi in trireme, classiariorúmque remigio.

Liburnicam.] Nauigium, de quo in Augusto abundè diximus.

Protraxit conuiuium.] Cor. Tacitus: Tūc inuitata ad epulas erat, vt occultando facinori nox adhiberetur. Idem ait tractū in longum à Nerone de industria fuisse conuictum.

Baulos.] Cornelius Tacitus: Ducit Baulos: id villæ nomen est, quæ inter promōtorium Misenum, Baiarúmque lacum flexo mari alluitur. Martialis:

Dum petit à Baulis mater Cerelia Baias.

Plinius quoque in tertio huius villæ Baulorum meminit his verbis: Misenum, portus Baiarum, Bauli, lacus Lucrinus, & Auernus. Seruius causam nominis inde factam memorat, quòd olim Hercules iuxta Baias fecit caulam bobus, & eam sepsit: qui locus primò Baulia dictus, mox dici cœpit Bauli.

Machinosum.] Solutilem nauem: quā ob id ipsum commentus fuerat.

M A N. [IN secessu.] Cornelius author est, Agrippinam in hortos, aut in Tusculanum agrum, Antiatémve sedere solitam.

Quiescentem.] Quiescere cupientem.

Per conuicia, & iocos.] Vt quasi conuiciis inter se certantes, miniúsque verbis per iocum incessentibus illam per noctem inquietarent.

Antidotis præmunitam.] Validis aduersus venena remediis.

Lacunaria.] Lacunar, & lacunarium veteres dixere, atque vtrunque à plana trabe, quæ lacus dicitur.

Parum celato.] Ab iis, qui eius consilii participes essent, prodito.

Solutilem nauem.] Quæ per se solueretur: vt quando domestica ruina nō potuit, matrem naufragio perdere instituit. Cameræ.] Quam solutilem in naui struxerat. Camera, fornix est: vnde camerata vehicula, quæ Græci camarota vocant, qualia sunt pensilia, quibus matronæ gestantur.

Commentus est.] Excogitauit. Cornelius ait, ab Aniceto Neronis educatore, sed tum præfecto classis, id consilium monstratum.

Ad solennia quinquatrium.] Vt diem Mineruæ sacrum secum Baiis celebraret.

Trierarchis.] Triremium præfectis. τριήρης enim triremis dicitur, ἄρχος princeps.

Liburnicam.] Celerem nauim, qua Agrippina Baias deuecta fuerat.

Fortuito concursu.] Tanquam violento cursu, quem ex alto tenuissent in eam delati fortuito impulsu frangerent.

Repetenti Baulos.] Bauli, villa. Cornelius ait, inter Misenum, & Baias, vbi matrem Agrippinam à se accersitam excepit Nero: sed eam ex Antio vocatam intelligas, non ex Baulis, quod idem author perspicuè demonstrat.

sum illud obtulit hilarè prosequutus, atque in digressu papillas quoq; exosculatus, reliquum temporis cum magna trepidatione vigilauit, opperiēs cœptorum exitum. Sed vt* diuersa omnia, nādóq; euasisse eam comperit, inops consilii L. Agerinum libertum eius saluam, & incolumem cum gaudio nuntiantem, *abiecto clàm iuxtà pugione, vt percussorem sibi subornatum arripi, cōstringíq; iussit, matrémque occîdi, quasi deprehensum crimen voluntaria morte vitasset. Adduntur his atrociora, nec incertis authoribus, ad visendum interfectæ cadauer accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitíque interim oborta bibisse. Neq; tamen sceleris conscientiam, quāquàm & militum, & Senatus, populíque gratulationibus cōfirmaretur, aut statim, aut vnquam posteà ferre potuit, sæpe cōfessus exagitari se materna specie,

aduersa

obiecto

PHIL. Hilarè.] Hilariter, cum hilaritate.

Papillis exosculatis.] Cor. Tacitus: Prosequitur Nero abeūtem arctius oculis, & pectori inhærens: siue explenda simulatione, siue perituræ matris supremus aspectus, quanuis ferum animum retinebat.

Operiens.] Expectans.

Vt diuersa omnia.] Cor. Tacitus: At Neroni nūtios patrati facinoris opperienti, offertur euasisse ictu leui sauciatam.

L. Agerinum.] Separatim legendum L. Agerinum. Erat enim Agerinus prænomine Lucius Agrippinæ libertus: quem illa vt naufragio euasit, rē dissimulans, misit vt nunciaret filio benignitate deûm, & fortuna eius euasisse grauē casum: nanq; tectum, & camera solutilis nauigii multo plumbo grauis corruit: cuius ruina pressus, & statim exanimatus est Crepereius Gallus, Agrippina, & Acceronia protectæ sunt: sed cùm dissolutio nauigii non sequeretur, in mare iactæ sunt. Acceronia per imprudentiam dum se Agrippinam esse clamitat, vt matri principis suboeniretur, nauaiibus telis, remisque conficitur. Agrippina vnum vulnus humero accepit nando, déinde occursu nauicularum vecta in Lucrinum lacum villæ suæ fuit importata.

Abiecto pugione.] Corneiii Taciti verba hæc sunt cum verbis Tranquilli congruentia: Ipse audito venisse missu Agrippinæ nuntium Agerinum parat vltro scenam criminis, gladiúmque dum mandata perferret, abiicit inter pedes eius: tunc quasi deprehenso vincula iniici iubet, vt exitum principis moliitam matrem, & pudore deprehensi sceleris sponte mortem sumpsisse confingeret.

Matrémque occidi.] Scilicet iussit. Anicetus Neronis libertus summam interimendæ Agrippinæ sibi depoposcit, villámque, in qua illa inerat, militari statione circundat: refractáque ianua, cubiculi fores irrumpit, trierarcho Herculeo, & centurione comitatus: circunsistunt lectum percussores, & prior trierarchus, hoc est præfectus triremis, fuste caput percussit: multisq; vulneribus confecta est.

Alia laudasse.] Aspexerítne matrē exanimem Nero, & formam corporis eius laudauerit, sunt qui tradiderint, sunt qui abnuant.

Neque sceleris conscientiam.] Vetus verbum est, Cōscientia mille testes. &, vt inquit verissimè Pacatus, Ipsa sibi carnifex conscientia est: hæc lācinat mentes sceleratorum, & intrinsecus dicit: Ego feci. hac indice nemo nocens absoluitur.

Exagitari materna specie.] Idem Nero post matricidium patiebatur, quod Orestes tragicus perpessus esse proditur: qui armatam facibus matrem videbat, cuius mens imaginibus fallebatur, vt poetarum fabulæ ferunt: quod insaniæ genus scribit esse Celsus.

Statim ferre.] Post perfectum parricidium Nero per reliquam noctem sceleris magnitudine quiescere non poterat: modò per silentium defixus, sæpius pauore exurgens, & mentis inops lucem opperiebatur tanquam exitum allaturam.

Militum gratulationibus.] Prima fuit centurionum, tribunorúmque adulatio Neroni gratulantium, quòd discrimen improuisum, & matris facinus euasisset: amici deinde victimis & legationibus lætitiam apud principem testabantur.

Senatus.] Decretæ sunt supplicationes à Senatu ob mortem Agrippinæ: cuius dies natalis inter nefastos relatus est.

M. A N. L. Agerinum.] Apud Cornelium semper Agerinus pro L. Agerino legitur.

Abiecto.] A Nerone scilicet, aut certè Neronis iussu.

Percussorem.] Interfectorem.

Sibi.] Aduersus se.

Subornatum.] A matre instructum. Subornare aliquando idem est quod aliquantulum ornare, honorare, siue laudare. Ait enim Plancus in epistola ad Ciceronem: Tu Cicero quod adhuc fecisti, idem præsta, vt vigilanter, neruoséque nos, qui stamus in acie, subornes. Quandoque significat latenter seducere. Aul. Gellius: In caput meum subornauit.

Matrémque occidi.] Mandauit subaudi. Fuerat Agrippina naufragio seruata in villam suam, quæ ad Lucrinum erat lacum, delata, humero media trepidatione consauciato: ibi filii iussu ab Aniceto trierarcho, Herculeo, & Obarito centurione lecto cubans multis est vulneribus confossa.

Voluntaria morte vitasset.] Vltro sibi mortem consciuisset.

Incertis authoribus.] Cornelius quoque id variè traditū affirmat. Alia membra vituperasse.] Vt parum pulchra spreuisse.

Sitique interim oborta.] Vanam hîc quidam argutuli interpretes confingunt fabulam, omnia in peius trahentes: volúntque ad Neronis libidinem id referri oportere, quasi atrocissimorum id spectaculum eius oculis blanditum ad libidinem inuitarit, quum ne viua quidem illa omnibus illecebris ad id scelus trahere potuisset: nec Tranquillus, qui portentosas eius libidines tam diligenter insectatur, rem tam atrocem obscurissimo inuoluisset ænigmate, nec cum alia tum coiisse, quod aliquis ineptè suspicabitur, contenderim, sed eius intemperantia notatur, quòd in tam diro casu, ac circa mediam noctem potu non abstinuisset, quòd noctu ad eam videndum Nero accesserit, Cornelius est author.

verberibúsq; furiarum, ac tædis ardentibus. Quin & facto per Magos sacro, euocare manes, & exorare tentauit. Peregrinatione quidem Græciæ Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii, & scelerati voce præconis summouerentur, interesse nõ ausus est, luxítq; parricidio matris, amitæ necem. Quam

PHIL. Verberibus furiarum.] De Oreste matricida proditum est à Pacuuio, quòd à furiis agitatus, propter illas vitandas ingressus est Apollinis templum: & cùm iam vellet exire, denuò inuadebatur à furiis. Sed operæpretium est cognoscere quemadmodum M. Tullius furias impiorum tragicas, ac furiarum faces ardentes interpretetur: cuius verba ex oratione in Pisonem sunt hæc: Nolite enim putare, vt in scena videris homines consceleratos impulsu deorũ terreri furiarum tędis ardentibus: sua quenque fraus, suum facinus, suũ scelus, sua audacia de sanitate, ac méte deturbat. Hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces. Idem in oratione pro Roscio Amerino sic scribit: Nolite enim putare quemadmodum in fabulis sæpe videtis eos, qui impiè, sceleratéque commiserint, agitari, & perterreri furiarum tædis ardentibus: sua quenq; fraus, & suus terror maximè vexat, suum quenque scelus agitat, amentiáq; afficit, suæ malæ cogitationes, amentiæq; animi terrẽt: hæ sunt impiis assiduæ, domesticæque furiæ, quæ dies, noctésque parentum pœnas à consceleratissimis filiis repetant. Tullianæ sententiæ adstipulatur Satyricum carmen:

-Diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Pacatus quoque Panegyrista, Habet, inquit, nescio quos internos mens scelerata carnifices. Non incommodè hoc in loco referri potest id, quod tradit maximus ecclesiasticorum scriptorum Origenes, qui in secundo Periarchon, supplicia inferorũ, & cruciatus nihil aliud sentit esse, quàm ipsam mortalium conscientiam, quæ propriis stimulis agitatur, atque compungitur, & sui ipsa efficitur accusatrix, & testis, cùm per diuinam virtutem videt ante oculos expositam, veluti historiam quandam scelerum suorum, quæ in hac vita commisit, & singula, quæ fœdè, ac turpiter fecit, in memoriam reuocat. Poetæ tres furias esse dixerũt, propterea quòd tres sunt affectus, qui mentes hominum exagitant, qui mortales in omnia facinora præcipites agunt, videlicet ira, cupiditas, libido. Ira vltionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates: sicuti eleganter docet Lactantius lib. VI. Institutionum. Igitur Neroni furiis domesticis inquieto obseruabatur maris illius, & litorum grauis aspectus: & erant qui crederent planctus exaudiri ex tumulo Agrippinæ, quæ leuibus exequiis cremata fuit: mox domesticorum cura leuem tumulum accepit iuxta viam Miseni, & villam Cæsaris Dictatoris.

Facto per Magos sacro.] Plinius in XXX. magicas vanitates coarguens, Neronem magicæ disciplinæ cupientissimum fuisse prodidit, adeò vt nemo vnquam vlli artium validius fauerit. Magus ad eum Mithridates venerat, & magos secum adduxerat: magicis etiam cœnis eum inuitauerat: non tamen cùm ei regnum daret, hanc ab eo accipere artem valuit.

Euocare manes.] Euocatio manium est, quam per artem magicam facit Vlysses apud Homerum in XI. Odysseæ. Consimiliter apud Silium Scipio euocat manes, hoc est vmbras defunctorum, magico sacrificio. Appion quoque grammaticus prodidit, se euocasse vmbras ad percontandum, Homerus qua patria, quibúsve parentibus genitus esset. De hac manium euocatione intellexit Tibullus sic scribẽs de saga fœmina:

Hæc cantu finditque solum, manésque sepulcris
Elicit.-

Fiebat autem peculiariter inferorum euocatio sanguine in fossam victimarum, melle, vino, lacte, commistis. Hinc ab Horatio dictum:

-Cruor in fossam confusus, vt inde
Manes elicerent animas responsa daturas.

Nero sacro magico tentauit euocare manes, hoc est animam maternam, eámq; complacare: sed non potuit.

Scelerati voce præconis.] Scribit Aelius Lampridius, in Eleusiniis sacris proclamari solitũ vt nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem nouit. Hinc translatum est illud poeticum:

-Procul, ô procul este profani
Conclamat vates.-

Præterea nullus, qui initiatus non foret, ingrediebatur apud Athenienses templũ Cereris. Vnde cùm olim duo iuuenes Acarnanes per initiorum dies non initiati templum Cereris imprudentes religionis ingressi essent, deducti sunt ad antistites, & tãquam ob infandum scelus interfecti. De Eleusiniis sacris, quæ initia peculiariter nominantur, abundè diximus suprà. Nero ex consciẽtia sceleratissima nõ ausus est interesse sacris Cereris: quum è contrario Marc. Antoninus Imperator, vt se innocentem probaret, Cereris templum adiit: &, vt refert Iulius Capitolinus, sacrariũ solus ingressus est.

Amitæ necem.] Scribit Tacitus, Neronis amitam Lepidam olim certamen acerrimum aduersus Agrippinam exercuisse, vtrum amita, an mater apud Neronem præualeret: tandem illi mors fuit indicta, quamuis multum Narcissus aduersaretur. Sed hæc, de qua loquitur Tranquillus, nimirum altera est, quæ Domitia vocabatur: inter quam, & Agrippinam infensa quoque æmulatio exercebatur: cuius libertus fuit Paris histrio.

M. A N. Verberibus furiarum.] Furialibus curis: quod & Oresti post matris cædem Euripides accidisse ait. Orestis sunt hæc apud illum:

ὦ μῆτερ, ἱκετεύω σε μὴ 'πίσειέ μοι
Τὰς αἱματωποὺς καὶ δρακοντώδεις κόρας
Αὗται γὰρ αὗται πλησίον θρώσκουσί μου.

Vergilius:

Aut Agamemnonius furiis agitatus Orestes:
Armatam facibus matrem, & serpentibus atris
Cùm fugit vltricésque sedent in limine diræ.

Per magos sacro.] Quòd ille hæc tentauerit, Plinii verba declarant. Præterea, vt inquit, vmbrarum, inferiorúmque colloquia, quæ omnia ætate nostra princeps Nero vana, falsáque comperit. Lucanus author est ita maioribus persuasum, posse vmbras Erebi vi magica euocari. Ex eius Pharsalide est id carmen:

Fata peremptorum pendent iam multa virorum,
Quem superis reuocasse velit, si tollere totas
Tentasset campis acies, & reddere bello
Cessissent leges Erebi.-

Apuleii authoritas haud vno loco Lucano adstipulatur.

Exorare.] Precibus flectere, ac placare.

Peregrinatione Græciæ.] Quum peregrè in Græciam est profectus.

Eleusiniis sacris.] Eleusinæ Cereris, Græci δημήτρια vocant.

Amitæ necem.] Domitiæ, Domitii patris sorori. Tacitus: Hæc Turius, & Caluisius Atimeto Domitiæ Neronis amitæ liberto aperiunt.

quum ex duritia alui cubantem viſitaret, & illa tractans lanuginem eius, vt aſſolet, iam grandis natu, per blanditias fortè dixiſſet, Simul hác excepero, mori volo: conuerſus ad proximos, confeſtim ſe poſiturum velut irridens ait, præcepítque medicis vt largiùs purgarent ægram. Nam necdum defunctæ bona inuaſit, ſuppreſſo teſtamento ne quid abſcederet.

Parricidium eius in uxores, affines, ac ſibi coniunctiſſimos. XXXV.



Xores, præter Octauiam, duas poſteà duxit, Poppeam Sabinam quæſtorio patre natam, & equiti Romano antè nuptam: déinde Statiliam Meſſalinam, Tauri bis Conſulis, ac triumphalis abneptem. Qua vt potiretur, virum eius Atticum Veſtinum Conſulem in honore ipſo trucidauit. Octauiæ conſuetudinem citò aſpernatus, corripientibus amicis, ſufficere illi debere reſpondit vxoria ornamenta. Eandem mox ſæpe fruſtrà ſtrangulare meditatus dimiſit vt ſterilem: ſed improbante diuortium populo,

PHIL. EX duritia alui.] Alios, inquit Ceiſus, adſtricta, alios reſoluta aluus exercet. Igitur aluum ſoiuere is debet, cui adſtricta eſt: ſicut aluum firmare is, cui fuſa. Succurrendum eſt enim parti maximè iaboranti. Contrahitur autem aiuus plerunque ex ſenectute, vt author eſt Hippocrates in Aphoriſmis. Memoratu digna ſunt, quæ ſcribit Plinius in vigeſimoſexto, cuius verba ſubſcripſi: Plurimũ negotii humano generi aluus exhibet, cuius cauſa maior pars mortaiium viuit: aiiâs enim cibos nõ tranſmittit, aiiâs nõ cõtinet, aliâs non capit, aiiâs nõ cõficit: eóq; mores venêre, vt homo maximè cibo pereat. Cubãtem.] Aegrotantem. Horatius:

-Cubat hic in colle Quirini. vbi expoſuit Porphyrio, ægrotat.

Lanuginẽ eius.] Barbam pubeſcentis Neronis. Scribit Macrobius, poſt annos ter ſeptenos veſtiri à iuuene genas flore primo ianuginis. Martialis:

Iam mihi prima latet iongis lanugo capillis. Eſt lanugo quædã quaſi iana, qua in primis cotonea mala cõuelãtur. A lanugine inclinatur lanuginoſus. Plinius lanuginoſum vocat araneum. Simoi hanc excepero.] Verba amitæ in morbo blandientis Neroni, tanquã tunc iibenter moriturę, cùm vidiſſet Neronem depoſita prima lanugine iam maturũ Imperio ad virilitatem perueniſſe. Talia autem verba ex vſu ſunt qnotidiano, & affectionibus domeſticis. Hanc.] Lanugioem barbæ. Se poſiturũ.] Tanquã ſignificare vellet, nullam in ſe mortis differendæ cauſam futuram.

Largius.] Vſque ad animæ effuſionem.

Suppreſſo.] Occultato. Abſcederet.] Vt omnia amitæ bona ad ipſum pertinerent.

Octauiam.] Quæ filia fuit Claudii, quam pater deſpõdit Domitio Neroni poſt matrimoniũ Agrippinæ.

Poppeam Sabinam.] Erat Romæ Sabioa Poppea, quæ nomẽ aui paterni ſumpſerat illuſtri memoria Põpeii Sabini conſuiaris, & triomphali decore præfulgentis. Huic omnia aiia fuere præter honeſtum animũ: ſermo comis, nec abſurdum ingenium, modeſtiam præferebat, & iaſciuia tamen vtebatur, famæ nũqoam pepercit, maritos, & adulteros non diſtinguens: rarò in pubiicum progrediebatur, idque velata parte oris, ne ſatiaret aſpectum: vei quia ſic decebar.

Patre quæſtorio.] Hic dictus eſt Titus Oiius.

Equiti Romano.] Rufo Criſpino, ex quo filium genuerat. Statiiiam Meſſaiinã.] Aitera hæc eſt Meſſalina ab illa impudica Claudii principis coniuge.

Tauri bis Conſulis.] Ab hoc Statilio Tauro temporibus Auguſti amphitheatrum Romæ extructum eſt. Fuit & alius Statilius Taurus huius Meſſalinæ frater, vt opinor, qui ob opes, & hortos egregios, quibus Agrippina inhiabat, accuſatus vim vitæ ſuæ attulit. Habemus, inquit Marcus Varro, multa nomina à pecore, ex qno Statiiii Tauri, Annii Capræ, Pomponii Vituli cognominati.

Abneptem.] Qoarto cognationis grado ſunt ſuprà abauus abauia: infrà abnepos abneptis.

Atticum Veſtinum.] Neroni odium adoerſus Veſtinum ex nimia ſodalitate cœperat, dum hic ignauiã principis penitus cognitam deſpicit, ille ferociam amici metuit. Acceſſerat altera odii cauſa, quòd Veſtinus Statiiiam Meſſalinam ſibi matrimonio iũxerat, haud neſcius inter adulteros eius & Cæſarẽ eſſe: vnde Nero nõ crimine, non accuſatore exiſtente, tribunum cum cohorte miiitum immittit ad Veſtioum trucidandum, qui eo die munia Cõſuiis impleuerat, conuiuiúmque celebrabat: qui vbi audiuit ſe à tribuno euocari, ſtatim exurgens clauditur cubicuio, præſto eſt medicus, abſcinduntur venæ, vigens adhuc balneo infertur, calida aqua merſatur, nulla edita voce, qoa ſemet miſeraretur.

In ipſo honore.] Conſulari.

Dimiſit vt ſteriiem.] Nero fato quodã abhorrebat ab Octauia, eámqoe exturbat, ſterilem dictitans. Exin Poppeæ coniunctus eſt. Cauſa autem ſterilitatis, vt ſuprà reiatum eſt, dioortium fieri licebat: quod primus inſtituit ſpurios Carbiiius Ruga, cùm liberi ex vxore ſterilitatis vitio non gignerentur.

LAnuginem eius.] Barbam tum primùm pubeſcentem, quam Nero nondum depoſuerat. M. A N.

Grandis natu.] Iam anus.

Hanc.] Barbam, ſiue ianuginem.

Mori voio.] Qoaſi dicat, ſimul ac videro te factum virum, libens moriar.

Largiùs.] Ad interitum vſq; eius aluũ exinanirent.

Inuaſit.] Occupauit.

Abſcederet.] Ad aiios deueniret.

Tauri Statilii.] De qno ſoprà: is enim ex iegato amphitheatrum Romæ Auguſti principatu erexit.

Atticum Veſtinom.] Acceſſerat repens cauſa, qnòd Veſtinos Statiiiam Meſſaiinam ſibi iunxerat, haud neſcius inter adulteros eius & Cæſarem eſſe. De Veſtini morte eodem loco Tacitus.

Octauiæ.] Quam Claudius princeps ex Meſſallina tulerat.

nec parcente conuiciis, etiam relegauit. Denique occîdit sub crimine adulteriorum adeò impudenti, falsóq; , vt in quæstione pernegantibus cunctis, Anicetum pædagogum suum indicem subiecerit, qui dolo stupratam à se fateretur. Poppeam duodecimo die post diuortium Octauiæ in matrimonium acceptã, dilexit vnicè: & tamen ipsam quoque ictu calcis occîdit, quòd se ex aurigatione serò reuersum grauida, & ægra conuiciis incesserat. Ex hac filiam tulit Claudiam Augustam, amisitq; admodum infantem. Nullum adeò necessitudinis genus est, quòd non scelere perculerit. Antoniam filiam Claudii recusantem post Poppeæ mortem nuptias suas, quasi molitricem nouarum rerum interemit. Similiter* item cæteros, aut

*interemit

PHIL. Relegauit.] In Campaniam pulsa fuit Octauia, addita militari custodia: cùm crebri questus, nec occulti per vulgum fierent, à Nerone reuocata, mox in insulam Pandatariam relegata: &, vt inquit elegaoter Tacitus, non alia exul fœmina viseotium oculos maiore misericordia affecit. Paucis dehinc interiectis diebus mori iussa est. Itaq; infelix Octauia restringitur vinculis, venæque eiua per omnes artus exoluũtur: & quia pressus pauore sanguis tardiùs labebatur, præferuidi balnei vapore enecatur. Propter hanc Octauiam scripta est à Seneca Tragœdia, quæ inscribitur Octauia.

Sub crimine adulteriorũ.] Poppea Neronis mariti potens quendam ex ministris Octauiæ impulit seruilẽ ei amorem obiicecere: destioatúsque reus est Encherus Alexandrious tibicen: actæ ob id de ancillis quæstiones: quædam vi tormentorum victæ adulterium annuerunt: plures persistere vt sanctitatem dominæ tueri.

In quæstione.] Scilicet tormentorum.

Anicetum pædagogum.] Ad hunc alludens dixit Iunenalis: - Præmordet Anicetus ipse. Suprà diximus, hunc Anicetum patratorem fuisse necis Agrippinæ: hunc igitur Nero pollicitationibns onerat, vt fateri velit se adulterium cum Octauia commisisse: qui insita vecordia plura etiam, quàm iussus erat, fingit: fatetúrque adulterium Octauiæ apud amicos, quos velut consilio adhibuerat Nero. Mox in Sardiniam pellitur, vbi non inops exilium tolerauit, & fato obiit, author Tacitus. Indicem.] Qui velut conscius facinoris, indicaret adulterium cum Octauia commissum, impunitate proposita. Tales enim sunt indices, vt tradit Asconius. Senatoria persona nõ potest indicium profiteri, saluis legibus.

Poppeam.] Hæc est illa Poppea, quæ baloeatum solium asinino lacte temperabat, quo cutem erugari, & tenerescere, & candorem custodiri putant: ob hoc greges asinarum Poppeam comitabantur, vt illo lacte corpus totum maceraret, cutemq; extenderet, author Plinius in XI. & XXVIII. Hæc soleis ex auro induebat pedes iumentorum delicatiorum. Autumant eruditi ab huius Poppeæ nomine Poppeana medicamenta dici, quorum meminit poeta Satyricus.

Ictu calcis.] Tradit Tacitus, Poppeam obiisse mortem fortuita mariti iracundia, à quo grauida calcis ictu afflicta est. Quidam scriptores prodiderunt, veneno extinctam esse. Corpus Poppeæ oon igne crematum est ex Romano more, sed regum externorum consuetudioe repletum odoribus, tumulo Iuliorum illarũ est: exequiæ publicæ ductæ snnt: laudauit ipsemet Nero defunctam pro Rostris. Qui mulierem prægnãtem calce percusserit, moriente fœmina ex eo ictu, & ipse percussor moriatur. Animam enim pro anima censet lex Iudaica esse rependendam. Quod etiam eefertur à Iosepho io IIII. Antiquitatum.

Conuiciis incesserat.] Iurgiis, & maledictis fuerat insectata. Conuicium à vicis dictum existimat Festus: vel mutata l, litera quasi conuocium. Cui adstipulatur Vlpianus scribens, conuicium dici vel à concitatione, vel à conuentu, hoc est à collatione vocũ, cùm in vnũ voces complures cõferuntur. Cõoiciũ enim appellatur, quasi conuocium. Labeo ait, coonicium esse iniuriã, & propriè accipitur pro maledicto contumelioso. Laurentius Vallensis ab hoc verbo conuito cõuitium deriuari opinatur: quasi vitandum, & vituperationis causa factum sit.

Augustam.] Nero, vt author est Tacitus, natam sibi ex Poppea filiam vocauis Augustam. Nata autem est apud Antium coloniam: & Senatus vota publicè susceperat pro vtero Poppeæ, quæ exoluta sunt, & additæ supplicationes, templúmque fœcunditati.

Admodum infantem.] Quartum intra mensem defuncta est infans Augusta: rursúsque exortæ adulationes censentium honorem vt diuæ, & puluinar, ædémq;, & sacerdotem. Nero vt lætitiæ, ita mœroris immodicus egit. Perculerit.] Subuerterit, vexaoerit, afflixerit: aliás percusserit. Liuins: Genu femur perculit.

Antoniam.] Suprà dictum est, Claudium ex Petina vxore suscepisse filiam nomine Antoniam, quæ à Nerone interẽpta est, cùm illi nubere recusasset: fuit hæc Antonia vxor Corn. Sullæ, cuius nomine olim delati sunt apud Neronem Pallas & Borrus, tanquam consensissent vocare illum ad Imperium.

Cæteros.] Scilicet interemit.

IMpudenti.] Torpiter assimulando. Anicetum.] M. A N.
Hic ille est, cuius consilio vsus est Nero In Agrippina matre solutili nauigio perdenda. Tacitus non Anicetum, sed Eucherum natione Alexandrinũ, canere per tibias doctum, adulterii reum ait destinatum.

Poppeam.] Sic enim legendum, & non Pompeiam, vt habent omnes ferè Tranquilliani codices, quos dũtaxat vidimus. Tacitus: Cur, inquit, Nero deposito metu nuptias Poppeæ ob eius terrores dilatas non maturare parat? Octauiámq; coniugẽ amoliri? & rursus: Exturbat Octauiam, sterilem dictitans: exin Poppeæ cõiungitur. Plioius: Poppea certè Domitii Neronis cõiunx, quingentas per omnia secum fœtas trahens, quũ de asinarũ natura interim loqueretur. Ictu calcis.] Tacitus: Post finem ludicri Poppea mortem obiit fortuitam mariti iracundia, à quo grauida ictu calcis afflicta est. Neq; enim venenum crediderim, quod quidam scriptores magis odio, quàm ex fide tradiderunt.

Claudiam Augustam.] Tacitus Poppeã, non Claudiam Augustã infaotem nominatã scribit. Antoniã.] Claudii, qui princeps fuit, & Petinæ filia, quæ Põpeio, & Fausto Syllæ nobilissimis iuuenibos nupserat. De Antoniæ conspiratione, & morte plura Tacitus.

Affin

affinitate aliqua sibi, aut propinquitate coniunctos. In quibus Aulum* Plancium iuuenem: quem cùm ante mortem per vim* cōspurcasset: Eat nūc, inquit, mater mea, & successorem meum osculetur: iactās dilectu ab ea, & ad spem Imperii impulsum. Priuignum * Rufum Crispinum Poppea natum impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus, & imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, seruis ipsius demandauit. Thuscum nutricis filiū relegauit, quòd in procuratione Aegypti balneis in aduētum suum extructis, lauisset. Senecam præceptorem ad necem compulit: quanuis sæpe

Plancū. Plautiū.
constuprasset
Rufriū. Rufinū

PHIL. Affinitate.] Affioitarem, viri, & vxoris cognationem, sicut affines vtriusque, cognatos dici scribit Iurisconsultus: ab eo quòd duæ cognationes, quæ diuersæ inter se sunt, cognatione per nuptias copulantur, & altera ad alterius finem accedit.

Propinquitate.] Cōsanguinitate, & necessitudine: quā Iurisconsulti vocāt proximitatem.

Constuprasset.] Veluti stuprator. Alii codices habēt cōspurcasset, quod significat spurca libidine polluisset: spurcare enim est fœdare, atque vitiare. Plautus: Spurcatur nasum odore illutibili. Idem spurcas noctes, impuras & impudicas vocat. Antiqui spurcum vinum dicebant cum aqua admistum, tanquam non amplius purum foret. Celsus Iurisc͞osultus oculo Ad legem Aquiliam, cum eo agi posse Aquilia ait, qui vinum spurcault, vel effudit, vel acetum fecit, vel alio modo vitiauit.

Successorem meum.] Agrippina olim apud Neronem accusata est, quòd destinasset Rubelium Plancum ad res nouas extollere, coniugióque eius etiam Imperiū rursus Inuadere. Erat enim, vt author est Tacitus, per maternam originem Plancus ex familia Iulia pari ac Nero gradu à diuo Augusto. Agrippina impetrato filii colloquio, vltiooem in delatores obtinuit. Plancus ipse ad præsens silentio transmissus est: qui paulò pòst admonitus literis Neronis, cum vxore & paucis familiarium concessit in Asiam, ibique fuit ioteremptus à centurione per medium diei nudus exercendo corpori. Caput interfecti relatum est ad Neronem: qui capite coospecto dixisse fertur: Cur Nero deposito metu nuptias Poppeæ ob eiusmodi terrores dilatas non maturare parat, Octauiámque coniugem amoliri?

Priuignum Crispinum.] Diximus dudum, Poppeā Rufi Crispi vxorem fuisse, ex quo filium hunc Crispinum genuerat, quem priuignum Neronis fuisse dicit Tranquillus, & ab ipso vitrico interemptum. Vitricus eoim & priuignus nomina sunt relatiua: priuignos enim & priuignas vocamus filios, filiásve vxoris nostræ ex alio viro, vt docet Modestinus Iurisconsultus.

Ludere ducatus.] Ludus puerorū, vt fingant per ludibria potestates, & ludant præpositutas, quas ducatus appellat. Scribit Capitolinus In Gallieno, pueros fingere per ludibria potestates. A duce, siue à ducendo, ducatus dicitur principatus. Iulius Capitolinus: Quid tantū laboras, cùm eius loci iam sis, vt ducatum possis accipere? Flauius Vopiscus in Aureliano: Habuit multos ducatus, multos tribunatus.

Ludere.] Ludo, & alea puerili: quasi ob hæc videretur velle imperare.

Nutricis.] Ipsius Neronis.

In procuratione Aegypti.] Augustus decreta procuratorum Aegypti perinde haberi iusserat, ac si magistratus Romani constituissent.

In aduentum suum.] Cùm Nero suscepisset peregrinationem Alexandrinam, vulgassétque se in Aegyptum iturum, Aegyptii extruxerant nouas balneas, quibus Neronem suo aduentu honorificenter acciperent: quibus cùm filius nutricis ausus esset lauare, fuit interemptus, tanquam nullam habuisset rationem Imperatoriæ maiestatis, cuius vtensilia à reliquorum vsu seiuncta esse solent. Vnde legimus apud Historicos, capitale fuisse, si quis consedisset in sella Persarum regis.

Senecam ad necem.] Seneca claritudine studiorum memorabilis, pueritiæ Neronis educator indignam eruditionis mercedem à discipulo recepit: qui doctori suo, perinde ac conscio coniurationis Pisonianæ, per tribunū prætoriæ cohortis Syluanum iudici mortē iussit. Erat id temporis Seneca in suburbano rure ad quartū lapidem ab vrbe subsistens: qui accepto hoc nuntio, impauidus secuit venas brachiorum, & poplitū, & nouissimo momento suppeditante eloquentia aduocatis scriptoribus pleraque tradidit, quæ ad posteros non peruenerunt. Cæterùm cùm lentitudine mortis diu cruciaretur, venenum hausit, sed frustrà: cùm iam artus frigescerent, & clausi forent corporis meatus aduersus vim veneni. Postremò illatus balneo, & vapore eius exanimatus, sine vllo funeris solenni crematus est. Ita enim codicillis ipse præscripserat. Fama fuit destinasse principes coniurationis Pisonianæ, vt post occisum Neronem Piso quoque interficeretur, traderetúrque Imperium Senecæ claritudine virtutū ad summum fastigium delecto. Hinc videtur illud dictum à Iuuenale:

Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni?

Corrigendus est error hoc in loco multorum, cùm pleriq; omnes existiment, hunc Senecam fuisse conditorem Tragœdiarum: quod ne credas, & ratio, & authoritas euideoter ostendunt. Nanq; in tragœdia, cui titulus est Octauia, inducitur mater Neronis Agrippina, quam filius iusserat occidi, prædicens futuram filii deserti, & cunctis egentis necem: non potuit autem Seneca magister Neronis talia scribere, cùm ante Neronē ipse perierit. Præterea Sidonii Apollinaris authoritas liberat nos ab opinione hac falsa, & iouererata, qui in hendeca syllabis apertissimè docet ex duobus Senecis alterum fuisse philosophum, ac Neroois præceptorem; alterū poetam Tragœdiarum conditorem. Versus Sidonii sunt hi:

Non quod Corduba præpotens alumnis,
Facundum ciet hic putes legendum:
Quorum vnus colit hispidum Platona,
Incassúmq; suum monet Neronē: Orchestrā quatit alter Euripidis, Pictum fœtibus Aeschylon sequutus.

M. A N. Constuprasset.] Irrumationi adhibuisset: quod flagitium vt patratum suspicemur, verba, quæ sequuntur, efficiunt: Eat, inquit, mater mea, & successorē meum osculetur. quasi dicat, nūc maximè, cùm eius os est irrumatione coinquinatum. Rufinum Crispinū.] Ex Rufo Crispo equite Romano, & Sabina Poppea genitum. Ludere.] Se modò ducem, modò Imperatorem per lusum assimulare, quasi ad successionem Imperii alluderet, quia Cæsaris priuignus.

commeatum petenti, boniſque cedenti perſanctè iuraſſet, ſuſpectum ſe fruſtrà, periturúmque potiùs quàm nociturum ei. Burro præfecto remedium ad fauces pollicitus, toxicum miſit. Libertos diuites, & ſenes olim adoptionis, mox dominationis ſuæ fautores, atque rectores, veneno partim cibis, partim potionibus indito, intercepit.

Sæuitia eius in exteros, & cædes illuſtrium uirorum. XXXVI.



Ec minore ſæuitia foris, & in exteros graſſatus eſt. Stella crinita, quæ ſummis poteſtatibus exitiū portēdere vulgò pu-

In procuratione.] Quum Aegyptum procuraret, latuiſſet Tuſcus, quaſi nullam rationem Neronis affuturi habuiſſet. Senecam.] Anneum Senecam Stoicæ diſciplinæ philoſophū, ſua ætate ſummum. Varia de eius ſcriptis iudicia, cæterùm ingenium probant omnes: Gellius, & Fabius ſunt authores. Is reſectis venis, hauſtóque veneno, vt Tacitus ait, calidæ aquę balneo illatus periit. De calumnia, & mortis ratione idem author plura. Illud non prætereundū puto, percrebuiſſe famam, Subriū Flauium cum cēturionibus occulto conſilio agitaſſe, ſi Piſo & ſocii Neronem obtruncaſſent, Imperium Senecæ demandare.

PHIL. Commeatum.] Abeundi facultatem, & in otium literarū ſecedēdi.

Boniſque cedenti.] Apud Corn. Tacitum Seneca cùm variis criminibus premeretur, in colloquio Neronis ait hæc: Cùm opes vltra ſuſtiuere non poſſim, præſidium peto: iube eas per procuratores tuos adminiſtrari, in tuam fortunā recipi: nec me in paupertatem ipſe detrudam, ſed traditis quorum fulgore præſtringor, quod temporis hortorum, aut villarum curæ ſeponitur, in animum reuocabo.

Burro præfecto.] Burrus præfectus cohortiū prætoriarum militaribus curis, Seneca verò præceptis eloquentię lubricā Neronis ætatem moderabantur. Olim Nero deſtinauerat amouere Burrum à præfectura, tanquam Agrippinæ gratia prouectum: ſed ope Senecæ dignatio Burro retenta eſt, cuius mors infregit Senecæ potentiam. Periit autem veneno fraude Neronis dato. Nam cùm tumeſcentibus faucibus ægrotaret Burrus, à Nerone quaſi remedium adhibituro miſſum eſt medicamen noxium, quo illitum fuit illius palatū: Burrus intellecto ſcelere, cùm ad viſendum eum princeps veniſſet, aſpectum eius auerſatus: ſciſcitanti hactenus reſpondiſſe fertur, Ego me bene habeo. Burrum antiqui dixerunt rufum. Vnde burrata potio appellatur lac miſtum ſapa, à burro, hoc eſt rufo colore: hic rubens cibo ac potione ex prādio Burrus nominatur: hinc cognomina fuerunt Burrorum apud Romanos. Et hoc eſt quod intelligi voluit Quintilianus in 1. quum ait, præceptorem ſubtilem ſcrutaturum mille origines nominum ſecretiorum. Vnde, inquit, ſint Burri, Galbæ, Planci, Panſæ, Scauri, & ſimilia. Ennius, vt teſtatus eſt Cicero in Oratore, Burrum dicebat, cùm Pyrrhum ſignare vellet. Quidam codices Tulliani non Burrum habent, ſed purum.

Libertos diuites.] Corn. Tacitus: Eodem anno libertorum potiſſimos veneno interfeciſſe creditus eſt: Doryphorum quaſi aduerſatum nuptiis Poppeæ: Pallantem, quòd immenſam pecuniam longa ſenecta teneret. Adoptionis fautores.] Pallantem libertum in primis authoritate ſuaſionéque obtinuiſſe, vt Nero adoptaretur à Claudio: author eſt Cor. Tacitus.

Partim potionibus.] M. Tullius in oratione pro Cluentio, oſtendit venenum celerius poſſe in potione epotum, quàm in cibo comeſum permanare in venas, atq; in omnes partes corporis, & faciliùs fallere in poculo, quàm in cibo. Indito.] Immiſſo, impoſito.

Intercepit.] E medio ſuſtulit, interemitque.

Foris.] Non ſolùm in domeſticos, & neceſſarios graſſatus eſt Nero, ſed etiam foris, hoc eſt in eos, qui nulla proximitate illum contingebāt, & erant exteri, & extrarii.

Stella crinita.] Cometes: de quo hæc Tacitus: Sydus cometes effulſit, de quo vulgi opinio eſt, tanquam mutationē portendat. Idē alibi: Fine anni vulgātur prodigia imminentiū malorum nuntia: vis fulgurum non aliàs crebrior: & ſydus cometes ſanguine illuſtri ſemper Neroni expiatum. De hac ſtella crinita ſic ſcribit Plinius in 11. Terrificū magna ex parte ſydus in noſtro æuo circa veneficium, quo Claudius Cæſar Imperium reliquit Domitio Neroni, ac déinde principatu eius aſſiduum, ac ſæuum. Seneca quoq; lib. vltimo Quæſtionum tradit hæc: Sex menſibus hic cometes, quem nos Neronis principatu lætiſſimo vidimus, ſpectandum ſe præbuit in diuerſum illi Claudiano circūactum. Idem pòſt paulùm: Nam intra ſextum menſem dimidiam cæli partem tranſcurrit hic proximus cometes, qui Septētrione motus ſui initium fecit, & per Occidentem in Meridiana peruenit, erigens curſu obliquo. De cometis, quos noſtri crinitas ſtellas appellant, affatim diximus in primo Cōmentario. Sydus eſt terrificū, & portēdens regnorum euerſiones. Cuius rei cauſa traditur ab Alberto Magno lib. 1. Meteororū: qui ait quærendum eſſe quare dicitur cometes ſignificare mortem principum, & bella futura: vbi dicendum quòd ſignificat & pauperis, & diuitis deſtructionē: ſed tamen circa mortem regis propter famā & illuſtre nomen plus obſeruatur. Præterea cauſa cometæ prima ſignificat Martis fortitudinem, qui decernit præcipuè mortem violentam: quam Iul. Firmicus eleganti vocabulo ſubinde vocat biothanatam: à quo & biothanati dicti, qui violenta morte extinguuntur.

M. A N. Præfecto.] Prætorii. Toxicum miſit.] Tacitus: Conceſſit vita Burrus, incertū valetudine, an veneno: valetudo coniectabatur, quòd in ſe tumeſcentibus paulatim faucibus, & impedito meatu ſpiritū finiebat, impulſu Neronis, quaſi remedium adhiberetur, illitum palatum eius noxio medicamine aſſeuerabant.

Libertos.] Idem author, Pallantem Claudii libertum, quòd immenſam pecuniam longa ſenecta teneret, ab eo occiſum ſcribit. De Pallantis diuitiis Plinius, vt alio loco diximus. & Iuuenalis: - Ego poſſideo plus Pallante & Licinis. - Adoptionis.] Vt Nero à Claudio adoptaretur: Pallas enim Agrippinæ nuptiis fauerat, quū Calliſtus poſt Meſſalinæ mortem Loliam Paulinam Claudio ducendā cenſeret. Foris.] Extra neceſſitudines. Stella crinita.] Plinius, Noſtro, inquit, æuo circa veneficiū, quo Claudius Cæſar Imperium reliquit Domitio Neroni, ac déinde principatu eius aſſiduum propè, ac ſæuum. Niſi cometam hunc ab eo, de quo alio loco diximus, diuerſum fuiſſe dixit.

tatur per continuas noctes oriri cœperat. Anxius ea re, vt ex Babilo aſtrologo didicit, ſolere reges talia oſtenta cæde aliqua illuſtri expiare, atque à ſemet in capita procerum depellere, nobiliſſimo cuique exitium deſtinauit. Enimuero multò magis, & quaſi per iuſtam cauſam duabus coniurationibus prouulgatis: quarum prior, maiórque Piſoniana Romæ, poſterior Vinciana Beneuenti conflata, atque detecta eſt. Coniurati è vinculis triplicium catenarum dixere cauſam, quum quidam crimen vltra faterentur, nonnulli etiã imputarent, tanquã aliter illi non poſſent, niſi morte, ſuccurrere dedecorato flagitiis omnibus. Damnatorum liberi vrbe pulſi, enectíque veneno, aut fame. Conſtat, quoſdam cum pædagogis, & capſariis

PHIL. EX Babilo aſtrologo.] Apud Tacitum mentio fit cuiuſdam Babili, cui Aegypti præfectura à Nerone permiſſa eſt. Expiare.] Tanquam infortunium imminens poſſit in alterũ transferri per expiationem, & diis ſatisfieri poſſit alieno ſanguine.

Promulgatis.] Patefactis, inuulgatis, editis. Terẽtius: Via patrũ promulgata. Piſoniana.] Cõiuratio Piſoniana à Caio Piſone nomen accepit, qui à Calfurnio genere ortus, ac multas, inſignéſque familias paterna nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat per virtutẽ, aut ſpecies virtutibus ſimiles. Facundiam tuendis ciuibus exercebat, largitionẽ erga amicos, apud ignotos comis erat. Illi corpus procerum, decora facies: idem magnificentia clarus, & aliquando luxui indulgebat. Coniurauit hic cum multis nobilibus contra Neronẽ, qui deſtinauerãt vt poſt occiſum principem Piſo imperaret: ſed dum res prolatatur, detecta eſt cõiuratio per Milichum Seuioi libertũ: qui poſteà à Nerone præmiis ditatus, conſeruatoris ſibi nomen aſſumpſit Græco eius rei vocabulo, vt inquit Tacitus: nam Soter dictus eſt, qui Latinè dici poteſt ſeruator. Cicero tamen in Verrinis ſotera inquit Latinè vno verbo exprimi non poſſe: is eſt nimirum ſoter, qui ſalutem dedit. Piſo obiit, abruptis brachiorũ venis. De hoc Piſone locutum eſſe Iuuenalem arbitror ſic ſcribentem:

Nemo petit modicis, quæ mittebantur amicis
A Seneca, quæ Piſo bonus, quæ Cotta ſolebat
Largiri.

Vinciana.] Hæc coniuratio à Vincio authore nomen ſortita eſt. Vincii Rufini equitis Romani meminit Cornelius Tacitus, qui lege Cornelia de falſis à Nerone damnatus eſt.

Beneuenti.] Beneuentum in ſecunda regione Italiæ eſt, quæ ciuitas quondam appellata eſt Maleuẽtum: authores Plinius, & Liuius.

Triplicium catenarũ.] Ad firmiorem obligationẽ: cùm ſimplicibus, ſingulariſq; catenis vincire coniuratos non ſufficere exiſtimaret.

Vltro faterentur.] Subrius Flauius tribunus in coniuratione Piſoniana nominatus, poſtquam vrgebatur, confeſſionis gloriam complexus, interrogatúſque à Nerone, quibus cauſis ad obliuionem ſacramenti acceſſiſſet, dixiſſe proditur hæc verba digna memoratu: Amaueram te, inquit, dum amari meruiſti: odiſſe cœpi poſtquam parricida matris, & vxoris, auriga, & hiſtrio, & incendiarius extitiſti.

Nonnulli etiam imputarent.] Exprobrarent, obiicerentque beneficii loco. Et hoc in primis referendum eſt ad Sulpitium Aſperum centurionem, qui percontanti Neroni cur in cædem ſuam conſpiraſſet, breuiter reſpondit, Non aliter tot flagitiis eius ſubueniri poſſe.

Damnatorum liberi.] Contra legem & ciuilem, & diuinam hoc factitatum. Nanque, vt ſcribit Calliſtratus Iuriſconſultus, crimen paternum nullam maculam filio infligere poteſt, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur: idque etiam diui fratres reſcripſerunt. Eccleſiaſtica quoque ſententia eſt, quòd filius nõ portabit iniquitatem patris. Inter exempla Syllanæ crudelitatis hoc cum primis memoratur, quòd à Republica liberos proſcriptorum ſubmouit, cùm, teſte Seneca, nihil iniquius ſit, quàm aliquem hæredem paterni odii fieri.

Enecti.] Neco participium præteriti facit à necaui necatus, à necui nectus. Horatius:

Spem mentita ſeges, bos eſt enectus arando.

Cicero in prima Tuſculana: Enectus ſiti Tantalus. Propriè autem necatus ferro, enectus verò alia vi peremptus dicitur: vt tradit Priſcianus in nono.

Cum capſariis.] Pædagogos & capſarios fuiſſe inter ſeruos, docet Vlpianus titulo De manumiſſis vindicta: vbi capſarium interpretatur eum eſſe, qui portat libros. Verba Vlpiani hæc ſunt: Si collectaneus vel educator, ſi pædagogus ipſius, vel nutrix, vel filius, filiáve eius, eorum vel alumnus, vel capſarius, id eſt, qui portat libros: ſi in hoc manumittatur, vt procurator ſit, dummodo non minor annis decem & ſeptem ſit. De capſario ſeruo intelligi voluit Iuuenalis illo verſu,

Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.

Aliâs capſarii ſignificant illos, qui mercede ſeruanda in balneis veſtimenta ſuſcipiunt: quorum meminit Paulus Iuriſconſultus lib. 1. Digeſtorũ, tit. De offic. præfecti vigilũ: vulgò capſarios vocitamus, qui præpoſiti ſunt capſæ nummariæ argentariorum, & nummulariorum.

PEr continuas noctes.] Ob id Plinius aſſiduum dixit. M. AN.

Cæde illuſtri.] Illuſtrium virorum morte.

Piſoniana.] Ab authore coniurationem ipſam Piſonianã appellauit: quũ multi alioqui viri clari cũ eo cõiuraſſent, & in his militaris ordinis centuriones quidã, & Fennius Rufus prætorianarũ cohortium præfectus.

Vinciana.] Hæc quoque à conſpirationis principe nuncupata.

Vltro.] Sponte, non quæſtione coacti.

Imputarent.] Beneficii loco obiicerent.

Illi.] Perditæ illius vitæ.

Succurrere.] Opem ferre, quando morbus animi alia ratione, quàm morte, curari non poſſet.

Capſariis.] Vlpianus capſarios dictos ait eos, qui mercedis gratia ſeruanda in balneis veſtimenta ſuſcipiebant, ſed hîc pro iis, qui capſarum cuſtodes, totiúſque ſupellectilis nobilium adoleſcentium eſſent, accipias oportet. Iuuenalis:

Cuſtos anguſtæ vernula capſæ.

vno prandio pariter necatos, alios diurnum victum prohibitos quærere.

Cædes multorum paßim facta, & alia eius gesta. XXXVII.


NVllus posthac adhibitus delectus, aut modus interimendi quoscunque libuisset quacunque de causa. Sed ne de pluribus referam, Saluidieno Orphito obiectum est, quòd tabernas tres de domo sua circa forum ciuitanibus ad stationem locasset: Cassio Longino Iurisconsulto, ac luminibus orbato, quòd in vetere gentili stemmate Caii Cassii percussoris Cæsaris imagines * retinuisset: Pæto Thraseæ tristior, & pædagogi vultus.

restituisset

PHIL. VNo prandio.] Similiter Plinius scribit, vno conuiuio interemptos esse cunctos conuiuas,& tribunos,& cẽturiones suillis fungis: quod genus venenis est accommodatissimum.

Diurnum.] Diaria dicimus victum diurnum. Diogenes apud Græcos cognominatus est ἡμερέβιος à diurno victu. Diaria appellauerunt cibaria in singulos dies data, quorum meminit Horatius illo versu

-Vrbana diaria rodere mauis.

Et Iurisconsultus titulo De alimentis legatis, vbi ait Vlpianus, diariis relictis, neque habitationem, neq; vestiarium, neq; calceariũ deberi: cùm de cibo tantùm testator senserit.

Ad stationem.] Stationes præter alia significata appellamus loca publica, in quibus otiosi stare,& sermocinari,& docere consueuerunt: de quibus intelligit poeta Satyricus, vbi ait:

-Conuentus, stationes, omne theatrum
De Rotilo.-

Et A.Gellius lib.XIII. Quæsitũ esse memini in plerisq; Romæ stationibus ius publicè dicentium, aut respondentiũ. Nero obiecit tanquã capitale crimen Orphito, quòd domũ suam conuertisset in vsum triũ tabernarũ, quæ erant circa forũ, eásq; locabat in vsum stationum.

Ciuitatis.] Quidam codices habẽt ciuitatibus, vt sit sensus, locatas fuisse tabernas ad vsum stationũ ciuitatibus, hoc est, peregrinis, & aliarũ ciuitatum hominibus Romam venientibus. Quod si legas ciuitatis, referes ad ciues Romanos.

Cassio Longino.] De hoc Iuuenalis:

Longinum,& magnos Senecæ prædiuitis hortos.

Hunc Cassium Longinum olim Nero prohibuit ab officio exequiarum coniugis Poppeæ: quod primum indicium mali fuit: & cùm nullũ crimen Cassio obiectari posset, obiectatũ hoc est, quòd inter imagines maiorũ, etiam imaginẽ C.Cassii coluisset ita inscriptã, Duci partium. De quo satis ac super in primo Commentario. Itaque Senatusconsulto dãnatus in exilium est Cassius, deportatúsq; in insulam Sardiniã. Fuit & alter Cassius Longinus,& ipse Iurisconsultus, pronepos Seruii Sulpitii, qui Consul fuit cum Quartino tẽporibus Tyberii, diemq; suũ obiit principe Vespasiano Imperatore.

Luminibus orbato.] Si sol in horoscopo fuerit, & Saturnus in imo cæli cõstitutus, periculum cæcitatis infligit, vt ait Firmicus Maternus in VII. Matheseos. Scito, maximos viros iam senescentes captos esse luminibus, inter quos numeratur Pedianus Asconius historicus clarus, & orationum Tullianarum doctissimus interpres, qui septuagesimotertio ætatis anno oculos amisit. Timoleon quoque Corinthius, cùm ætate iam prouectus esset, sine vllo morbo amisit lumina oculorum.

Gentili stemmate.] Stemmata cognationum directo limite in duas lineas separantur, quarum altera superior, altera inferior est, vt docet Iurisconsultus, &, vt author est Donatus, multi gradus sunt, & velut rami propinquitatis in affinitate & cognatione dispositi.

Peto Thraseæ.] Petus Thrasea Patauinus, libertatis propugnator, Brutorũ æmulus, Neroni ob virtutem inuisus fuit. accesserunt & aliæ simultatis causæ inter Neronẽ & Thraseam, quòd Senatu egressus est, cùm de Agrippina tractaretur, quódq; Iuuenali ludicro parũ expectabilem operã præbuerat: quòd dum Poppeæ honores decernuntur, sponte absens funeri non interfuerat. Eidem præterea à delatore Capitone Cossutiano obiectum est, quòd nunquã pro salute principis immolauisset. Itaq; Thraseæ dãnato datũ est mortis arbitriũ: qui flentes suos facessere properè iubens, Arriam vxorem monuit retinere vitam: tum intra cubiculũ abruptis vtriusque brachii venis, postquam cruorem fudit humum superspargens, Libamus, inquit, Ioui liberatori: & ita vir maximus extinctus est. Cuius gener fuit Heluidius, de quo mox suo loco dicemus. De quibus dixit poeta Satyricus: Quale coronati Thrasea, Heluidiúsq; bibebãt. Tanta fuit virtute præcellens Petus Thrasea, vt Cornelius Tacitus eius mortem scripturus nõ timuerit sic præfari: Trucidatis tot insignibus viris ad postremum Nero virtutem ipsam excindere cõcupiuit, interfecto Thrasea Peto,& Barea Sorano.

Pædagogi vultus.] Scilicet obiectus est pro crimine capitali, tanquam repræsentaret vultum seueriorẽ, tristioremq; pædagogi sui: quem existimo fuisse Demetrium Cynicæ sectæ professorem, qui doctor fuit ipsius Thraseæ: qui paulò antè quàm moreretur, de natura animæ,& dissociatione spiritus, corporísque disputauit. Aurelianus à populo Romano dictus est pædagogus Senatorum.

M. AN. VNo prandio.] Ad illud est referendũ, quòd multos veneno sublatos dixit, diurnum verò cibum ad famem.

Orphito.] Orphiti Tacitus nõ vno loco meminit.

Ad stationem.] Ad vsum standi, commorandive, nõ vendendi, vt priùs quũ tabernæ fuerant, vnde orta est reo calumnia. Est præter significatũ iam dictũ statio locus, in quo, vt Vlpianus ait, tutò naues stare possunt. Quidã ita distinguũt, vt sit statio, in qua naues ad tempus consistunt, portus vbi tutò hyemare possunt.

Ciuitatis.] Ad ciuium stationem, vel ciuitatibus, vt quidam habent, id est, peregrinis.

Cassio Longino.] Tacitus, Obiectatum, inquit, Cassio est, quòd inter imagines maiorum C. Cassii effigiem coluisset inscriptam, Duci partium.

Peto Thraseæ.] Idẽ Cornelius, Alias, inquit, causas subtexit interfecto Thrasea Peto, & Barea Sorano, olim vtrique infensus,& accedentibus causis in Thraseam, quòd Senatu egressus est, quum de Agrippina referretur, quódque Iuuenali ludicro parum expectabilem operam præbuerat.

Horat

Mori iuſsis non ampliùs, quàm horarium ſpatium dabat. At ne quid moræ interueniret, medicos admonebat, qui cunctantes continuò curarent (ita enim vocabat) venas mortis gratia incidere. Credi tur etiam Polyphago cuidam Aegyptii generis crudā carnē, & quicquid daretur mādere aſſueto, concupiſſe viuos homines laniandos, abſumēdóſque obiicere. Elatus, inflatúſque tātis velut ſucceſſibus, negauit quenquam principum ſciſſe quid ſibi liceret. Multáſq;, nec dubias ſignificationes ſæpe iecit, ne reliquis quidē ſe parſurū Senatoribus, eúmq; ordinem ſublaturū quandoq; è Republica, ac prouincias, & exercitus equiti Romano, ac libertis permiſſurū. Certè neq; adueniens, neque proficiſcens quenquā oſculo impertiuit, ac ne reſalutatione quidem. Et in auſpicando opere Iſthmi

PHIL. Horarium ſpatium.] Legimus, Senecam poſt denunciatam vltimam mortis neceſſitatē, popoſciſſe teſtamenti tabulas, ſed à centurione, quē miſerat Nero, denegatum eſt tempus condendi teſtamēti. De hoc horario, breuíq; ſpatio mortis meminit Corn. Tacitus his verbis: Proximam necem Plautii Laterani Conſulis deſignati Nero adiungit adeò properè, vt non complecti liberos, nō illud breue mortis arbitrium permitteret.

Cūctantes.] Mortem prolatantes, differentéſve.

Continuò.] Statim.

Curarent.] Verbum eſt medicorū. Dicere ſolebat Aſclepiades, officium medici eſſe, vt citò, vt tutò, vt iucundè curet. Sed hoc verbo intelligi volebat Nero venas ſecatēs, tanquam hæc foret optima curatio.

Venas incidere.] Mors, quæ fit inciſione venarum, exiſtimatur habere minus cruciatus, minúſq; tormētorū, quàm reliquæ mortes: cùm paulatim labente ſanguine vita deficiat. Hinc legimus, ſolitos ſecare venas, quibus dabatur eligendæ mortis arbitrium: multíq; in coniuratione Piſoniana nominati ſecuerunt venas. Polyphago.] Polyphagi vocabulo Græco dicuntur, qui multum comedunt. Latinè dici poſſunt manducones, gulones, comedones: & ſunt multi cibi capaciſſimi: ſicut pamphagi dicti populi cuncta comedentes. Phagonem id genus hominum appellat eleganter Flauius Vopiſcus, qui ait, Aurelianum Imperatorē vehementiſſimè delectatum eſſe phagone, qui vſque eò multum comedit, vt vno die ante menſam eius aprū integrum, centum panes, veruecem, & porcellum comederet. Crudam carnem.] Diogenes Cynicus carnes crudas eſitaſſe fertur: qui cùm olim bouis pedem crudū ediſſet, bile correptus, atq; inde defunctus eſt, vt quidam prodiderunt: quod etiā memorat Laertius. Apud Ariſtotelem in vii. Ethicorū ſcriptū legimus, immanes eſſe, & efferatas gentes circa Pontum, quæ crudis carnibus delectantur ὠμοφάγος, καὶ ὠμοβόρος dicitur à Græcis cruda comedens. Mandere.] Dicimur propriè mandere ea, quæ ſunt duriora, & dentibus reluctantur. A mando manſus deriuatur. Quintilianus cibos māſos appellat, dentibus comminutos, commāducatóſque, ac propè liquefactos, qui faciliùs digerūtur. Homines laniandos.] Tanquam hic eſſet anthropophagus: Ita enim nominantur humana carne veſcentes, quorū plura genera fuiſſe apud Scythas author eſt Plinius. In Sicilia verò & Italia fuerunt gentes, quæ humanis corporibus veſcerentur, videlicet Cyclopes, & Læſtrygones.

Succeſſibus.] Proſperitatibus. Lucanus:

Succeſſus vrgere ſuos.

Quid ſibi liceret.] Tanquam principi omnia, etiam infanda, liceant. Olim regii iudices Cābyſæ regi Perſarum dixerunt, quandam inueniri legem, qua liceret regi facere quicquid libeat. Iulia quoque nouerca Autonini Caracalli priuigno dicenti, vellē te vxorem, ſi liceret; reſpōdiſſe fertur, Si libet, licet: an neſcis te Imperatorem eſſe? & leges dare, non accipere? Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus eſt, nuptiáſq; cum nouerca celebrauit: quaſi ſciret ſe leges dare: cùm vere id infandum matrimoniū ſolus prohibuere debuiſſet. In hāc ſententiam à Liuio ſcienter, & verè dictum eſt: Reges domini terū, temporúmque trahūt cuncta, non ſequuntur. Attamen quæ iuſta ſunt, & honeſta, ea licent principi verè principanti. Ex quo haud immeritò laudatur Antigonus, qui dicere quodam, omnia regibus eſſe honeſta, & iuſta: Ita per Iouē, inquit, barbarorū regibus: nobis autem ea duntaxat honeſta ſunt, quæ honeſta: & ea ſula iuſta, quæ iuſta.

Sæpe iecit.] Emiſit in medium.

Ordinem.] Senatorium. Sublaturum.] Ablaturum de medio, atque necaturum. Equiti Romano.] Equitibus Romanis, ordiníque Equeſtri.

Libertis.] Libertinorum potentiam olim in primis mirati ſunt Britanni, cùm vidiſſent duces exercituum obedire Polycleto Neronis liberto, quē princeps miſerāt ad ſpectandum Britanniæ ſtatum.

Quenquam.] Senatorum ſcilicet. Ne reſalutatione quidem.] Inſolentiæ immodicæ ſignū eſt, quando quis nō dignatur reſalutare ſalutatores. Ex quo Martialis taxat quēdā, qui nec quidē reſalutare dignabatur.

Auſpicando opere Iſthmi.] Inchoando felicibus auſpiciis. Suprà dictum eſt, Neronē Iſthmū Corinthiacū perfodere tentauiſſe: quod opus dum auſpicatò incipit, clara voce optauit, vt id ſibi, ac Romano populo fauſtum foret, & fortunatum: nulla facta ordinis Senatorii mentione: quod haud dubiè ſignū fuit, principis malè animati in Senatū. Deſtitit autē Nero à fodiendo Iſthmo: quia Aegyptii philoſophi dixerūt fore, vt commiſſa maria Aeginam inſulam delerent. Quidam aiunt ideo deſtitiſſe ab incœptis, quòd innouationes aliquas circa Imperium timuerit. Idcirco celebratur dictum Apollonii Tyanæi, tanquam veriſſimum, qui de Iſthmi foſſione prædixit fore vt ſcinderetur, vel forſan nō ſcinderetur. Cœpit enim Nero ſcindere, ſed non perſcidit: fodere, ſed non perfodit.

M. AN. Polyphago cuidā.] Haud propriū id nomē eſſe dixeris, ſed appellatiuū, atq; à re ipſa factum. πολὺ multùm, φάγω, comedo. Plinius pamphagos, id eſt, omnia mandētes, & anthropophagos, id eſt, humana carne veſcentes in Africa ad meridiem ſupra Syrtes poſuit.

Crudam carnē.] Ob id ὠμοφάγος non ineptè dixiſſet. Quid ſibi liceret.] Quaſi dicat, neque ius, neque fas oportere ab eo reſpici: quo Anaxarchus ſophiſmate Alexandri animum Clyti cæde proſtratū, vt Plutarchus ait, erexit. Iecit.] In apertum dedit.

magna frequentia clarè, vt sibi ac populo Romano bene res verteret, optauit, dissimulata Senatus mentione.

Vrbis incendium per eum factum. XXXVIII.

SEd nec populo, aut mœnibus patriæ pepercit, dicente quodam in sermone communi, ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί: imò, inquit, ἐμοῦ ζῶντος. Planéq; ita fecit: Nā quasi offensus deformitate veterū ædificiorū, & angustiis, flexurísq; vicorū, incendit vrbem tam palàm, vt pleriq; consulares cubicularios eius cū stupa, tædáq; in prædiis suis deprehensos non attigerint, & quædam horrea circā domum aureā, quorum spatiū maximè desiderabat, vi bellicis machinis labefacta, atque inflammata sint, quòd saxeo muro constructa erant. Per sex dies, septémque noctes ea clade sæuitum est, ad monumentorum,

Libertis.] Suis.

Queuquam.] Senatorum.

Resalutatione.] Mutuo salutationis officio. Impartio te hac re, & hanc tibi rem dicimus. Auspicando.] Ritè inchoando. Opere Isthmi Corinthiaci.] Isthmi effossione. Ἐμοῦ θανόντος, &c.] Id est, Me moriente terra crematur igni.

PHIL. BEne res verteret.] Prosperè, ac feliciter proueniret. Prouerbialis eloquutio. A contrario dixit Maro:

Quod nec bene vertat, mittimus hœdos.

Id autem dictum ab Hectore & Aiace tractū autumat Seruius: nam Hector dedit Aiaci gladiū, quo se postea Aiax interemit: Hector verò balteū accepit ab Aiace, quo circa muros patriæ tractus est. Posteà & illud Comicum natū est: Dii bene vertāt quod agas. Sæpe enim res eueniunt aliter, quàm volumus: & ideo, teste Donato, Vertunus colebatur, qui præest rebus vertentibus. Super quo deo copiose prodidimus in Commentariis Propertii.

Ἐμοῦ θανόντος.] Hæc sic ad verbum interpretantur, Me moriente terra misceatur igni. Huius autem versus Græci meminit Seneca libro secundo de Clementia, vbi ait, multas voces magnas, sed detestabiles in vitam humanam peruenisse, celebrésque vulgò fieri: vt illam, Oderint, dum metuant. Cui, inquit, Græcus versus similis est, qui se mortuo terrā misceri ignibus iubet. Haud absimile est votum illud execrabile Rufini apud Claudianum:

Euerso iuuat orbe mori: solatia letho
Exitium commune dabit.

Nerò verò cupiens videre Romam incendio flagrantem, Imò, inquit, ἐμοῦ ζῶντος. id est, me viuēte, scilicet terra misceatur igni.

Angustiis, flexurísq; vicorū.] Cor. Tacitus: Obnoxia vrbe arctis itineribus, huc, & illhuc flexis, atq; enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. Scribit Liuius, Romā, posteà quàm à Gallis incensa fuerat, promiscuè, ac properanter iterum ædificatam: quæ festinatio exemit curam dirigendi vicos, dum omisso sui alienique discrimine in vacuo ædificant: ea fuit causa, vt forma vrbis esset occupatæ magis, quàm diuisæ similis.

Incendit vrbem.] Nero vrbis Romæ incendium voluptatis suæ spectaculum fecit: & ob id incendiarius dictus fuit à Subrio Flauio tribuno. Initium autem incendii ab ea parte Circi ortum est, quæ Palatino, Cælióque montibus contigua erat, vbi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, discurrere cœpit ignis: qui statim validus, & vento adiutus, longitudinem Circi corripuit. Incendiū autē hoc ad xiiij. Calendas Sextiles cœpit, quo die Senones Galli vrbem antiquitus inflammauerunt.

Stupa, & tæda.] Hæc sunt instrumenta, & nutrimenta incendiorum. Stupam à stipando inclinari autumat Seruius. De stupa hæc Plinius: Quod proximum cortici fuit, stupa vocatur, deterioris lini, lucernarum ferè luminibus aptior: & ipsa tamē pectitur ferreis ahenis, donec omnis membrana decorticetur. A stupa stuparius malleus dictus. Tæda autem ex genere arborū est resinā ferentium, abundantior succo, quàm reliqua: flammis, ac lumini sacrorū etiam grata: inde faces tædæ nuncupantur. Scribit Tacitus, alios palàm faces iecisse, atq; sibi esse authorem vociferasse, siue vt rapinas licentiùs exercerent, siue id iussum fuerit.

In prædiis suis.] In hoc loco vrbana prædia haud dubiè significantur.

Horrea.] Alibi docuimus, horrea dici nō solùm granaria, sed & receptacula rerum aliarū. Huius rei meminit Orosius sic: Horrea quadro structa lapide, magnæque illæ veterum insulæ, quas discurrens adire flamma non potuit, magnis machinis labefactatæ, atque inflammatæ sunt.

Bellicis machinis.] Bellicæ machinæ sunt multiiugæ, inter quas balistæ, catapultæ, arietes, testudines arietariæ, & onagri numerantur.

Labefacta.] Disiecta, concussa.

Sex dies.] Coucordat cum Tranquillo Tacitus, qui ait: Sexto demum die finem incendio factum.

Clade.] Incendio.

Ad monumentorum diuersoria.] Solatium populo exturbato, ac profugo fuit, campus Martius, ac monumenta Agrippæ.

EMοῦ ζῶντος.] Me viuo. M. AN.

Incendit vrbem tam palàm.] Tacitus de incendio dicturus, Sequitur, inquit, clades, forte, an dolo principis incertum: nam vtrunque authores prodiderunt.

Stupa, tædáque.] Instrumentis ad id scelus perpetrandum aptissimis.

In prædiis suis.] Domibus, siue locis, quæ in vrbe possiderent. Et vrbanum prædium, & agreste dicitur.

Attigerint.] Mulctare sint ausi.

Bellicis machiuis.] Instrumentis ad muros, & ædificia discutienda exquisitis.

Labefacta.] Concussa. Saxeo muro.] Non lateritia materia. Sex dies.] Sexto demū, scribit Tacitus, die apud imas Exquilias finis incendio factus, quū initium, eodē authore, sumpsisset in ea parte Circi maximi, quæ Palatino Cælióq; mōti cōtigua est. Ignis interim ita longè, latéq; grassatus videtur, vt ex quatuordecim regionibus, in quas diuisa fuit Roma, quatuor intactis, tres solo tenus deiectæ sint: reliquis septē pauca tectorum vestigia superfuerint. Monumentorum, bustorúmq;.] Idem author solarium ait populo exturbato, ac profugo, campum Martis, & monumenta, Agrippinæ hortos, quinetiam & suos patefecit Nero.

Bustor

buſtorúmque diuerſoria plebe compulſa. Tunc præter immenſum numerum inſularum, domus priſcorum ducum arſerunt, hoſtilibus adhuc ſpoliis adornatæ, deorúmque ædes ab regibus, ac deinde Punicis, & Gallicis bellis votæ, dedicatæque, & quicquid viſendum, atque memorabile ex antiquitate durauerat. Hoc incendium è turri Mecœnatiana proſpectans, lætúſque flammæ (vt aiebat) pulchritudine, ἁλωσιν Ilii decantauit in illo ſuo ſcenico habitu. Ac ne non hinc quoque quantum poſſet prædæ, & manubiarum inuaderet, pollicitus cadauerũ & ruderũ gratuitam egeſtionem, nemini ad reliquias rerũ ſuarũ

PHIL. BVſtorum.] Generaliter ad ſepulcra confugiſſe plebeios ſignificatur. Poteſt & priuatim referri ad buſta Gallica. Fuit enim Romæ locus iuxta Aequimeliũ dictus Buſta Gallica, ab eo quòd Gallorum oſſa ibi coaceruata, ac conſepta fuerunt poſt vrbem recuperatam: itaque aceruati cumuli Gallorum fecere locum inſignem nomine buſtorum Gallicorum: authores Liuius, & Varro. Inſularum.] Earum domorum, quæ ab aliis ſeiunctæ ſunt: de quibus ſuprà. Corn. Tacitus: Domorũ, ac inſularum, & templorũ, quæ amiſſa ſunt, numerũ inire haud promptum fuerit.

Hoſtilibus ſpoliis adornatæ.] In foribus ducum illuſtrium Romanorũ, & eorũ, qui hoſtes profligaſſent, ſpolia hoſtilia affigi ſolita ſcribit Plinius in xxxv. quæ nec emptori refringere licebat: quæ etiam dominis mutatis domus ornamenta erant. Liuius in x. Quorum domos affixis hoſtiũ ſpoliis inſignes inter alias feceritis. Hinc ait Tibullus:

Et domus hoſtiles præferat exuuias.

Deorũ ædes.] Cor. Tacitus: Delubra deûm, & porticus amœnitati dicatæ latiùs procidere: templũ Lunæ, quod Seruius Tullius, & magna ara, fanúmq;, quæ præſenti Herculi Arcas Euander, ſacrauerat, ædeſque Statoris Iouis vota Romulo, Numæq; regia, & delubrum Veſtæ cum penatibus populi Romani exhauſti.

Turre Mecœnatiana.] Diſſentire videtur à Tranquillo Cor. Tacitus, qui ait, eo tempore Neronẽ fuiſſe Antii: qui non anteà in vrbẽ regreſſus eſt, quàm domui eius, qua Palatiũ, & Mecœnatis hortos continuauerat, ignis propinquaret. Fuerũt autem horti Mecœnatis, & turris in Exquiliis: quem locũ ex peſtilẽte ſaluberrimũ repurgando feciſſe Mecœnatem, teſtis eſt Horatius in Sermonibus. Finis autem incendio factus eſt apud imas Exquilias ſexto die, cùm ex quatuordecim regionibus quatuor ſolæ ab incẽdio integræ manſiſſent. Attamen Oroſius idem memorat quod Suetonius, videlicet Neronem proſpectaſſe incendium ex altiſſima illa Mecœnatiana turre. Ἅλωσιν.] Græci ἅλωσιν appellant captiuitatẽ. Vnde haloſis Ilii ſignificatur captiuitas Troiæ. Incendiũ autẽ Troianũ ceciniſſe tunc Neronẽ teſtatur quoq; Cor. Tacitus ſcribens, quòd rumor peruaſerat ipſo tẽpore flagrãtis vrbis Neronẽ iniiſſe domeſticã ſcenã, & ceciniſſe Troianũ incendiũ, præſentia mala vetuſtis cladibus aſſimilantẽ. Quod Tranquillus haloſin Ilii vocat, id Oroſius Iliadem appellauit, ſic ſcribens: Incendiũ ex altiſſima turre Mecœnatiana proſpectãs, lætúſque flammæ, vt aiebat, pulchritudine, tragico habitu Iliadem decantauit. Eutropius, & Euſebius tradunt, Neronẽ incẽdiſſe vrbẽ Romam, vt ſpectaculi eius imaginem cerneret, qualis olim Troia capta arſerat. Indicat Seruius quod huic loco conuenit, Neronem compoſuiſſe Troica, vbi ait in quinto Commentario: Paris ſecundum Troica Neronis fortiſſimus fuit. Nimirum ob id dixit Iuuenalis:

In ſcena nunquam cantauit Oreſtes:
Troica non ſcripſit.

Scenico.] Tragico, quo in ſcena agens hiſtrioniã vti peculiariter cõſueuerat. Ne non.] Id eſt, vt. Hinc.] Ex hoc incendio. Cadauerũ.] Multi interiere: quanuis patente effugio ob ſuorũ charitate, quos eripere, liberareq; nequiuerãt. Poſſumus etiã nõ indoctè cadauera referre ad domicilia proſtrata: cùm nõ ſolùm hominũ, ſed etiã oppidorũ cadauera, per ſimilitudinem dici poſſe demonſtret Seruius Sulpitius, cuius hęc ſunt verba ex epiſtola ad Ciceronem cõſolatoria: En nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrûm interiit, aut occiſus eſt, quorũ vita breuior eſſe debet: cùm vno loco tot oppidorũ cadauera proiecta iacẽt.

Ruderum.] Rudera appellamus cõminuta fragmenta dirutorũ ædificiorũ: quod & rudus dicitur ſingulatiuo numero. Cor. Tacitus: Ruderi accipiẽdo Hoſtienſes paludes deſtinabat, vtque naues, quæ frumentũ Tyberi ſubuectaſſent, onuſtæ rudere decurrerent. A rudere fit verbũ eruderare, quod ſignificat repurgare, & rudus auferre. Sidonius Apollinaris decẽter, & metaphoricôs dixit: Aures viroſa ſuſurronum fæce completas eruderat. Relege quæ vberiùs de rudere annotaui in ſecundo Commentario.

Egeſtionem.] Exportationem, repurgationémque.

Rerum ſuarum.] Vſtarum illo incendio.

M. AN. PRiſcorũ ducũ.] Regũ, & Imperatorũ, an potiùs illuſtriũ Romanorũ, qui magnos quãdoq; duxiſſent exercitus. Deorum ædes plurimæ.] In quibus Lunæ ædes, Herculis ara cum fano ab Euandro ſacrata, Statoris Iouis, Numæ regia, Delubrũ Veſtæ, cũ penatibus populi Romani. Illud adiiciam quod ad tantæ cladis memoriam attinet, decimoquarto Calendas ſextileis id incendium ortum, quo die Senones Galli vrbem à ſe captam concremarũt.

Votæ.] Aedes.

E turre Mecœnatica.] Quæ in Exquiliarum parte eſt. Hodie corrupto nomine meſa pro Mecœnatia dicitur. De ea Horatius,

Molem propinquam nubibus arduis
Omitte mirari beate.

Flammæ pulchritudinẽ.] Id eſt, pulchro flammarũ aſpectu. Sed hæc ad ſæuũ Neronis animum referenda.

Haloſim Ilii.] Ilii captionem, ſiue expugnationem. Verg. Tũ verò omne mihi viſum cõſidere in ignes
Ilium, & ex imo verti Neptunia Troia.

Iuuenalis ſcripſiſſe Neronẽ id incendium ſignificare videtur. In ſcena, inquit, nunquam cantauit Oreſtes:
Troica non ſcripſit.

Illo ſuo ſcenico.] Quo ſcilicet in ſcena vti erat ſolitus. Hinc.] Ex quo incendio. Cadauerum.] Corporum ruinis obrutorum. Ruderum.] Diſiectæ materiæ, qua domorum erant veſtigia oppleta.

Gratuitam.] Gratis exhibitam.

Egeſtionẽ.] Arearum purgationẽ. Ad reliquias.] Ad ea, quæ incendio ſupereſſent, recipienda.

Coll

adire permisit, collationibúsque non receptis modò, verùm & efflagitatis, prouincias, priuatorúmque census propè exhausit.

Clades, & probra in eum. XXXIX.

Accesserunt tantis ex principe malis, probrísq; quædã & fortuita, pestilentia vnius autumni, qua triginta funerũ millia in rationem Libitinæ venerunt. Clades Britãnica, qua duo præcipua oppida, magna ciuium, sociorúmque cæde direpta sunt: ignominia ad Orientem legionibus in Armenia sub iugum missis, ægréque

PHIL. Collationibus, vt vnusquisqoe pro facultaribus cõferret: vnde & collariooes dictæ. Vulgus ientacula vocat collationes, ab eo quòd vnusquisq; coepulonum confert pecuniam ad cibaria coemenda: quæ & symbola dicuntur. Inde elegãti vocabulo asymbolos dicitur ab Au. Gellio is, qui symbolum non dedit, & sine collatione accessit ad comessarionem. In canonicis Decretis dist. xliiij. proditũ est, nõ oportere clericos celebrare conuiuia ex symbolis, quæ vulgus comessalia appellat. Efflagitatis.] Cẽties centena millia sestertiũ ad annuã impẽsam à Senatu sibi cõferri imperauit. Census exhaosit.] Omniũ in primis negotiatorũ sub vna die, tormẽtis quoq; adhibitis, omnẽ penitus censum absterfit. Prætereà conferendis pecuniis (vt author est Tacitus) vastata Italia est, prouinciæ euersæ, sociiq; populi, & liberæ ciuitates: spoliata etiam sunt io vrbe templa, egestúmque aurum, quod triũphis quod votis omnis ætas Romani populi sacrauerat.

Probris.] Flagitiis, & dehonestamentis.

Pestilennia vnius autumni.] Iisdẽ penè verbis hoc idem memorat Paulus Orosius sic scribens: Subsequente autumno tanta vrbi pestilentia incubuit, vt triginta millia funerum in rationem Libitinæ venerint.

In rationem Libionæ.] Libitina, dea est, in cuius æde, quæ ad funus, sepulturámque pertinent, vendere, & locare consueuerunt: quod Numæ Pompilii regis institutum fertur. Libitinam à libeodo dici interpretatur M. Varro, eámque Venerem esse significat. Nanque, vt Plutarchus in Problematis refert, vna eadémque dea Venus principium, ac finem vitæ io potestate habet, vtpote quæ ingredientibus vitam, & decedentibus præsideat. Græci ἐπιτυμβίαν cognominauerunt, quasi tumbæ præsidem. Hinc Libitinarii dicti, qui Libitinæ præsunt, & actionem Libitinariam exercent, quæstui inseruientes: quos institorum loco esse sennit Vlpianos titulo De institoria actione. Ii tantò maius lucrum faciunt, quantò maior est numerus morientium. Vnde de libitinariis Seneca libro de Beneficiis sexto sic refert: An tu Aruncium, & Aterium, & cæteros, qoi captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere, quæ designatores, & libitinarios vota? illi, quorum mortes optent, nesciunt: hi familiarissimũ quenq; mori cupiunt. Valerius quoq; Libitinariorũ officii expressiùs meminit lib. v. dictorũ, factorúmq; memorabiliũ, cuius verba subiecit: M. Cornoto prætore funus Hirtii, & Pansæ locante, qui tunc Libitinã exercebant, tum rerum suarum vsum, tum ministeriũ suum gratuitum polliciti sont, quæstúmq; contempserunt, nulli alii rei, quàm quæstui viuẽtes. Cæterùm cùm in æde Libitinæ pararentur necessaria ad funebrem apparatum, hinc factũ est vt Libitina pro feretro accipiatur, hoc est lecto, quo mortui efferuntur: sicut exposuerunt ioterpretes Horatiani enarrantes versum illum:

Non omnis moriar, magnáque pars mei vitabit Libitinam.

& alterum:

Miratúrque nihil, nisi quod Libitina sacrauit.

In hoc significatu est illud Sidonii: Sed cùm Libitinam ipsam flentes exoscularentur, prænsitarent, remorarentur. Consimiliter dictum videri potest illud ab Epigrammatario poeta:

Iam grauis arsuro struitur Libitina papyro.

Sensus autẽ Tranquilli est, Libitinarios retulisse in rationariũ Libitinæ, qno numerus defunctorum perscribebatur, se locauisse apparatum exequiarum ad triginta millia funerum vno autumno efferenda. Io hanc sententiam haud dissimile est illud Liuianum ex libro quadragesimo: Pestilentia in agris, forisque & conciliabulis, & io vrbe tanta erat, vt Libitina vix tunc sufficeret. De hoc vectigali intellexit symbolicòs, & apertè poeta Satyricus illo versu dimidiato:

-Portandum ad busta cadauer.

Ab hac Libitina, quod dignum relatu est, & cognitu, dicta fuit Romæ porta Libitioensis, per quã efferebantur, cùm ex præscripto legis extra vrbem cadauera sepelirentur. Portæ Libitinensis meminit Lampridius in Commodi vita. Apuleius per decoram translationem Libitinas appellat iooisores, & malignos, veluti exitiales, pestiferósq; instar Libitinæ. Sic enim ait in Floridis: Si qui igitur ex illis Libitinis splendidissimo huic auditorio, velut quædam macula, se immiscuit.

Clades Britannica.] Eutropius: Britanniam penè amisit: nam duo sub Nerone nobilissima oppida capta illîc, atque euersa sunt. Narrat Cornelius Tacitus quemadmodum grauis clades in Britannia accepta est temporibus Neronis, cùm Voadica fœmina duce vniuersi sumpsere bellum, sparsos per castella milites Romanos consectari, expugnatis præsidiis coloniã ipsam inuasere, tanquam sedem seruirutis: nec vllũ sæuitiæ genus per iram & victoriã omiserunt: quod nisi Paulinus Suetonius properè subuenisset, amissa Britãnia foret.

Ignominia.] Scilicet accessit.

Legiooibus sub iugum missis.] Sextus Rufus in Epitomate tradit, Neronẽ amisisse duas Armenias, cùm Romanæ legiones duæ sub iugum à Persis missæ extremo dedecore Romani exercitus sacra fœdauerunt. Historia copiose, & luculenter scribitur à Cor. Taciro referente, quemadmodum Cæsenius Petus dux copiarũ Romanarum cum duabus legionibus in Armenia obsessus fuit à Vologese rege Parthorum: tandem reper internontios composita liberati sunt obsidione Romani, recesserúntqoe finibus Armeniorum, castellis, & cõmeatibus Vologesi traditis. Rnmor quoqoe diuulgauit, sub iugum missas legiones. Interea Romæ, quod ridiculum fuit, trophæa de Parthis, arcúsque in Capitolino monte figebantur à Nerone.

M. AN. Collationibus.] Pecuniis hincinde collatis.

In rationẽ Libitinæ.] In Libitinæ templo ad funus necessaria vendi consueuerunt: vt Plutarchus ait.

Doo præcipua oppida.] Camelondinum, & Londinium coloniæ, & cum his Verulanium municipiũ: quibus locis ad septuaginta ciuium, & sociorum millia cecidisse dicuntur: Cornelius est author.

Legionibus ſub iugum miſſis.] Duæ legiones Cæſenii Peti ductu in Armenia ad Arſauie &en amnem à Vologeſe Parthorũ rege aliquádiu obſidione preſſæ, nouiſſimè ignominioſis conditionibus ſunt dimiſſæ. Addidit Tacitus rumorem percrebuiſſe, eas ſub iugũ etiam miſſas.

Syria retenta. Mirum, & vel præcipuè notabile inter hæc fuit, nihil eum patientiùs, quàm maledicta, & conuicia hominum tuliſſe: neque in vllos leniorem, quàm qui ſe dictis, aut carminibus laceſſiſſent, extitiſſe. Multa Græcè, Latinéq; proſcripta, aut vulgata ſunt, ſicut illa:

Νέρων, ὀρέστης, ἀλκμαίων, μητροκτόνοι.
Νεόνυμφον Νέρων ἰδίαν μητέρα ἀπέκτεινεν.

Quis negat Aeneæ magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.
Dum tendit citharã noſter, dum cornua Parthus,
Noſter erit Pæan, ille Hecatebeletes.

PHIL. Syria.] Virtute Corbulonis nõ ſolùm Syria retenta eſt, ſed & Armenia domita: cui eadẽ poteſtas conceſſa eſt, quam populus Romanus olim Cn. Pompeio bellũ aduerſus prædones geſturo dederat.

Dictis.] Dicteriis, ſcommatibus. Græci λοιδορίας vocant. Macrobius: Dictũ volo hoſtis referre, ſed victi.

Proſcripta.] Per ſcripturam publicata. Proſcribi domus dicuntur, quando appoſita inſcriptione venales, vel locandæ ſignificãtur. Cicero in tertio de Officiis: Claudius proſcripſit inſulam, vendidit. Idem alibi: Ille quod non placebat, proſcripſit: tu, quod placebat, emiſti.

Νέρων, Ὀρέστης.] Interpretamentũ verborũ Græcorum hoc eſt, Nero, Oreſtes, Alcmæon, matricida, nouus ſponſus propriã matrẽ interfecit. Dictus eſt autẽ Nero per conuiciũ Oreſtes, & Alcmæon, quoniã matrẽ occidit, ſicut & illi occidiſſe produntur. Notiſſimũ enim eſt, Oreſtem matrẽ Clytæmneſtrã, diis authoribus, occidiſſe: ex quo furiis agitatus eſt. Alcmæõ quoq; Amphiarai vatis filius, matrẽ Eryphilem necauit: & eſt, vt Oreſtes, furore correptus. Vnde à Propertio dicuntur Alcmæoniæ furiæ. Tradit Diodorus, eum conſuluiſſe Apollinẽ, an matrem Eryphilẽ occidere deberet: qui reſpõdit, vt faceret, non ſolùm quia monile aureũ mater acceperat in necem paternã, ſed & peplũ quoq; cauſa filii interimẽdi. Νεόνυμφον.] Hoc eſt, nouus ſponſus, per probroſum ſcomma nominanis, propter puerũ Sporũ, quẽ loco vxoris habuit: vel quòd ipſe veluti ſponſa Pythagoræ denupſerat. Quis negat Aeneæ.] His verſiculis taxatur Nero tanquã matricida: omnis autem lepos & ſales ducuntur ex eo verbo ſuſtulit, quod modò ſignificat ſurſum tulit, & erexit: modò abſtulit, & necauit. Nota autẽ hiſtoria eſt ex Vergiliano carmine, & Senecæ teſtimooio, quemadmodũ Aeneas patrem Anchiſen humeris baiulans liberauit ex incendio Troiano. Ab Aenea autem oriundi ſunt Cæſares, quod nullus ignorat. Igitur ſcriptor huius carminis feſtiuiter, ſimul & mordaciter in Nerouem luſit, dicens eum non degenerare ab Aenea progenitore: cùm ille ſuſtulerit patrẽ, hoc eſt humeris baiulauerit: hic verò ſuſtulerit matrem, hoc eſt abſtulerit, necaoerit, & letho dederit. Dum tendit citharam noſter.] Diſtichon alterum eſt à ſuperiori ſeiunctum: cuius hic eſt ſenſus: Qoi operam impendit citharæ, citharã tendit: qui ſagittas ab arcu mittit, cornua ipſius ſcilicet arcus tẽdit. Nero vtpote citharœdus tendebat citharam: Parthus, vtpote ſagittarius, tendebat cornua, ſcilicet arcus. Hæc autẽ differentia eſt inter Neronem, & Parthum diſſimilia tendentes, quòd Nero erit Pæan, id eſt, inſtar Apollinis citharœdus: ille verò Parthus erit ãlonge iaculator ſagittarum. Ex quo ſignificatur, Neronem, dum indulget citharæ, profligari, & vinci à Parthis ſagittariis. Etenim, vt modò diximus, Vologeſes rex Parthorum Romanas legiones cũ duce Peto non ſolùm obſederat, ſed per dedecus, & ignominiam ſub iugum miſerat. Pæan autẽ dicitur Apollo: vnde virgines Veſtales ita indigitabant, Apollo medice, Apollo Pæan. Dicitur autẽ Pæan ἀπὸ τοῦ παίειν, id eſt, à feriẽdu. Sagittis enim ferire fertur, itaquã deus ſagittarius. Quod ideo fictum eſt, quia, vt inquit eleganter Macrobius, iactu radiorũ nonnunquam peſtiferũ immittit virus: per ſagittas autem radii intelliguntur. Latona, cùm Apollinem hortaretur, impetũ Pythonia ſerpentis inceſſere ſagittis: Græcè dixit βάλλε παιάν, id eſt, immitte feriendo. De Pæane Apolline Feſtus Pompeius hæc: Pæana Apollinem vocauerunt, quòd ſagittarũ ictu nocere putabant. Eſt enim παίειν ferire. Alii, quòd remediãs morbis, finem faceret talis grauitatis. Hoc amplius Pæanes dicuntur laudes deorum, peculiariter verò Apollinis: ſicut grãmatici duo Seruius, Lactantiúſq; prodiderunt: nam παιανίζειν Græci vocant voce lætari, quod Latini veteres vitulari dixerunt. ἑκατηβελέτης verò ſignificat ãlonge iaculantem: & Apollo inter cætera cognomenta ἑκηβόλος, καὶ ἑκατηβέλος nũcupatur, eò quòd radios tanquã ſagittas e longiſſimo, altiſſimóq; in terram vſq; demittat. Parthus meritò hecatebeletes dicitur, cùm à tergo per fugæ ſimulationem ſagittas longè iaculetur, & plus fugiens noceat, quàm reſiſtens.

M. AN. Syria.] In qua tum res gerebantur. Syrus Apollinis filius, vt Appianus ſcribit, terræ nomen dedit.

Νέρων ὀρέστης.] Nero Oreſtes, id eſt alter Oreſtes matricida: nouus ſponſus. Nero propriã matrem occidit.

Quis negat Aeneæ.] Gens Iulia eſt ab Iulo Aeneæ filio, longa gentis ſerie in Nerouẽ vſque per adoptionem propagata. Suſtulit hic.] Nero ſcilicet.

Matrem.] Agrippinam. Ille.] Aeneas.

Patrem.] Anchiſen. Vergilius:

Illum ego per flammas, & mille ſequentia tela
Eripui his humeris.

Tota vis, & acumẽ diſtichi in ambiguo verbi ſenſu eſt: tollo enim, vnde ſuſtuli, nunc perdo, ſiue è medio tollo ſignificat: nunc in altum tollo, nũc educo, capio, ſiue habeo. Fabius:

Vxorem duxi, natum ſuſtuli.

In quo ſignificatu Tranquillus ſæpe tulit pro ſuſtulit vtitur. In priore igitur parte carminis ſuſtulit pro abſtulit, ſiue perdidit accipi oportet: altero loco pro eo quod eſt in altum tulit. Conſtat nanq; Anchiſen excidio primo ab Aenea humeris delatum. Rufus Auienus ſuſtollit dixit præſenti tempore, Illa aotem Libycas, quæ ſe ſuſtollit ad auras. & rurſus in primo Phænomenou:

Iam placet in ſuperum viſus ſuſtollere cælum.

Idem paſſiua voce ſuſtollitur dixit ſæpius. Dũ tẽdit citharam.] Dum Nero citharæ ſtudet. Fallitur, ſi quis credat hæc carmina vno comprehendi epigrammate, quum ſingula diſticha diuerſum ſint ſortita argumentum: quo apparet diuerſo fuiſſe tempore edita.

Dum

Roma domus fiet, Veios migrate Quirites,
Si non & Veios occupat ista domus.

Sed neque authores requisiuit, & quosdam per indicem delatos ad Senatum, affici grauiore pœna prohibuit. Transeuntem eum Isidorus Cynicus in publico clara voce corripuerat, quòd Nauplii mala bene cantitaret, sua bona malè disponeret. Et Datus Atellanarum histrio in cantico quodam, ὑγιαίνε πάτερ, ὑγιαίνε μήτερ, ita demonstrauerat, vt bibentem, natantémq; faceret, exitum Claudii, Agrippinæque significans: & in nouissima clausu-

PHIL. Dum cornua Parthus.] Parthus hostis corneo arcu vtitur. Noster erit Pæan.] Quanquàm simpliciter ad Apollinem oblyram id referendum videatur, quia tamen Pæan dixit, percussorem accipias. παίω ferio, vnde Pæan. Iuuenalis: Parce precor Pæan, & tu depone sagittas. & mox posteà: -Sed Pæan contrahit arcum. Ille.] Parthus hostis. Hecatebeletes.] A longe feriens: Græcè ἑκατηβελέτης dicitur, & ἑκατηβέλος.

Roma domus fiet.] Hoc tertium distichon dictum est ad taxandã luxuriosam Neronis domum de cuius magnitudine suprà memorauimus: qua, vt inquit Tacitus, Palatiũ, & Mecœnatis hortus Nero continuauerat. Igitur propter magnitudinẽ, & laxitatem hæc domus Neroniana non esse in vrbe Roma, sed ipsam Romam capere videbatur.

Veios migrare.] Post vrbem Romam à Gallis euersam tribuni plebis assiduis concionibus agitabant, vt populus Romanus, relictis patriæ ruinis, Veios Hetruscam ciuitatem, & id temporis opulentam, integrámq; transmigraret: quod ne fieret, authoritate Camilli Dictatoris effectum est: qui persuasit populo, vt omissa in Veios transmigratione, ruinas patriæ repararent, & solum genitale habitarent. Historia luculenter scribitur à Liuio lib. v. ad quã alludunt hi versiculi. fuerãt enim Veientes Hetrusci populi adeò florentes, pollentésq;, vt decennale bellum aduersus Romanos firmiter, constanterq; tolerauerint: & tũc primum Romani milites sub pellibus hyemare coacti sunt. Quidam neotericorum autumant, Veios esse oppidum illud, quod hodie vulgò dicitur ciuitas Castellana.

Neque authores.] Versiculorum.

Delatos.] Denuntiatos, accusatos.

Cynicus.] Cynici philosophi à canibus nuncupati sunt, quorum vitam, vt inquit Lactantius, imitantur. Quidam à gymnasio Cynosarge dici autumant. Cynicæ sectæ cõditor fuit Antisthenes, Diogenes illustrator: hi nullam verecundiæ rationem habentes in propatulo coibant: quod olim Diogenem gloriabundum fecisse tradit Augustinus in XIIII. de ciuitate Dei. Peculiare Cynicorum est, liberè carpere, & conuiciari, nec minus principes, quàm priuatos. Interrogatus aliquando Diogenes cur canis vocaretur? quòd eis, inquit, blandior, qui dant: in eos verò, qui non dant, oblatro: malos autem mordeo. Corripuerat.] Castigauerat, reprehẽderat, mulctauerat palàm ex instituto sectæ Cynicæ.

Nauplii mala.] Nauplius Palamedis pater dolens filium suum factione Græcorum interemptum, cùm videret classem illorum tempestate laborare, Caphareũ Eubœæ montem ascendit, & eleuata facula signum dedit vicini portus: qua re decepti Græci inter asperrimos scopulos naufragium pertulerunt. Hinc à Propertio dictum est:

Nauplius vltores sub noctem porrigit ignes:
Et natat exuuiis Græcia pressa suis.

Omnis autem de Nauplio historia, & calamitas tragœdiis perscribebatur. Vnde Nero, vtpote tragœdiarum actor, illa solebat scenico habitu subinde cantare. quod principi probrosum est. Consimili castigatione incessebat Diogenes Cynicus grãmaticos, quòd cùm Vlyssis mala requirerent, sua ignorarẽt. Itidem musicos carpebat, quòd cùm lyræ chordas congruè aptarent, animi mores inconcinnos haberent. Datus.] Nomen est histrionis Atellanarũ fabularum, de quibus suprà memorauimus. In cantico.] Cantica comœdiarum mẽbra sunt, in quibus, vt author est Diomedes, vna tantùm debet esse persona: aut si duæ fuerint, ita debẽt esse, vt ex occulto vna audiat, nec loquatur: sed secũ, si opus fuerit, verba faciat: vbi verò personæ plures versantur, illæ comœdiarum partes nominantur diuerbia, à personarum diuersitate. Hoc obiter dictum sit, vt intelligas illud Liuianum: Inde ad manum cantari histrionibus cœptum, diuerbiáque tantùm ipsorũ voci relicta. ὑγιαίνε.] Latine interpretatur, vale pater, vale mater. Erant autem hæc verba in cantico fabulæ Græcæ, quæ cùm ab histrione recitarẽtur, repræsentauit more actoris bibentem, & natantem: vt ita significaret Claudium bibendo, Agrippinã natando periisse. Nam Claudio venenum in potione datum, non in boleto, quidam prodiderant: quod & suprà Tranquillus ostendit, dicens traditũ esse à quibusdam datum fuisse venenum Claudio per prægustatorem.

Clausula.] Scilicet cantici Atellanici.

Roma domus.] Neronis scilicet, quæ totã vrbem occupabat. Plinius: Et quota pars ea apparatus fuit aureæ domus ambientis vrbem. vt primo disticho illi materna cædes exprobrabatur, atq; ei proximo ineptum citharizandi studium, ita hoc tertio ædificandi luxuria. Veios migrate Quitites.] Ad vererẽ allusit historiã. Liuius est author, post Senonas vrbe eiectos, eáq; incendio, & ruinis deformata consultatum inter patres an ad Veios populariter migrare deberent: sed vt vehementi Camilli oratione, quã super ea re habuit, tempestiuóque omine confirmati, perseuerarũt ciues Romam incolere. Est Veiorum oppidum in Hetruria, nec multùm ab vrbe distans, quippe vnde nihil intermisso cursu Romam vsque equos cucurrisse constat. Plinius: Maius augurium circa priscos plebeiis Circensibus excusso auriga: ita vt si staret, cucurrisse in Capitolium equos, sedémque ter lustrasse: maximum verò eodem peruenisse à Veiis cum palma, & corona effuso Rutumena, qui ibi vicerat: quanquàm non eo inficias intermisso etiam cursu hoc accidere potuisse. M. AN.

Si non & Veios.] Inuidiosè dictum est, quasi tanta esset domus vastitas, vt periculum esset, ne Veios quoque occuparet. Cynicus.] Cynici dogmatis sectator.

Clara voce.] Cynicorum fuit aperta allatratione vitia corripere. Nauplii.] Fuit is Palamedis, qui ad Troiam periit, pater, qui quidem immeritã filii mortem in Græcos vltus est. Valer. Flaccus: -Et face sæua
In tua mox Danaos acturus saxa Caphareu.

Nauplii mala.] In tragœdiis relata.

ὑγιαίνε πάτερ, ὑγιαίνε μᾶτερ.] Id est, salue pater, salue mater: sic enim inscripta erat Atellanica fabula.

Demon

la, Orcus vobis ducit pedes, Senatum gestu notaret: histrionem, & philosophũ Nero nihil amplius quàm in vrbe, Italiáque summouit, vel contemptu omnis infamiæ, vel ne fatendo dolorem iritaret ingenia.

Defectio Galliarum contra eum. XL.

TAlem principẽ paulò minùs per quatuordecim annos perpessus terrarũ orbis, tandem destituit, initiũ faciẽtibus Gallis, duce Iunio Vindice, qui tum eam prouinciã Proprætore obtinebat. Prædictũ à mathematicis Neroni olim erat, fore vt quandoq; destitueretur: vnde illa vox eius celeberrima, Τὸ τεχνίον πᾶσα γαῖα τρέφει: quo maiore venia meditaretur citharœdi-

Demonstraoerat.] Histrio.

Bibentem.] Patrem, ad Claudium alludens, qui veneno sublatus: quanquam enim boleto inditum credatur, fuerunt tameo qui aliter datum opinarentur, quasi poculo Infusum.

Natantẽ.] Hoc ad Agrippinã, quæ quantum in Nerone fuit, naufragio periit.

Nouissima clausula.] Fabulæ.

PHIL. ORcus vobis.] Verba sunt fabulæ Atellanicæ, in qua ex argumento dicebatur Orcus, id est, Pluto, vobis ducit pedes: vt significaretur, illos ad mortem duci. Prouerbialis enim locutio est, Orcus tibi ducit pedes: pro eo, quod est, Pluto trudit, trahitqoe te ad ioferos. id est, tu à morte, cuios præses est Pluto, duceris. Igitur cùm histrio hanc clausulam referret, vbi pronunciauit dictiouem illam, vobis, per gesticulationem histrionicam notauit Senatum: tanquam Nero Orcus significaretur, qui Senatoribus ducebat pedes, cùm Senatoribus foret infestissimus, eúmq; ordinem sublaturum se quandoque è Republica minitaretur. Itidem Verres à Cicerone ob similitudinem dictus est alter Orcus. Orcum autem Plutonem dici nullus ignorat, qui vel saltẽ legerit illud Maronianum:

-Pallidus Orcus
Eumenidésque satæ.-

Ab vrgendo Orcum inclinari autumat Festus. Veteres Sumanum dixerunt, quasi summum manium: vt interpretatur Martiaous de nuptiis Philologiæ. Idem Vedius nuncupatus, quem & Plutonem, & Ditem, Veiouémque dixerunt. Ab antiquis dictus est Quietalis, credo quia mors quies est ærumnarum. Quidam legunt Orchis, accipiuntque pro saltatioue: quod parum quadrat, parúmque habet acuminis.

IIistrionem.] Scilicet datum: qoi egerat fabulam Atellanam.

Philosophum.] Isidorum Cynicum, qui Neroοem in publico corripuerat.

Summouit.] Eiecit.

Contemptu iufamiæ.] Infamiam facilè contemnũt probrosi homines, & dedecorosi. Vnde & à Iuuenale dictum io fœminam impudicam:

-Famam contempserat olim,
Cuius apud molles minima est iactura cathedras.

Iritaret.] Si demonstrasset se dolenter affici ex talibus obiurgatlonibus, haud dubiè iritasset, prouocasśetque ingenia erudltorum ad probra hoc genus comminiscenda in ipsum Neronem: sed dum simulat hæc súsque déque facere, vel re vera floccipendit, nimirum relentescunt ingeniosi ab talibus excogitandis, qulbus princeps non mouetur.

Destituit.] Deseruit. Eutropius: Romanæ vrbi execrabilis Nero ab omnibus simul destitutus.

Iunio Vindice.] Historia hæc est: Iunius Vindex Galliæ prætor insurrexit in Neronẽ, bellúmq; apertè suscepit, scriptis ad Galbam literis, qui id tẽporis erat in Hispania: quem hortabatur ad accipiendũ Imperiũ. Rufus verò Virginius, qui legionibus potentissimis præerat, cùm Imperator à suis appellaretur, dicebat se oeq; accepturum Imperium, neq; permissurũ vt aliũ daretur, qui à Senatu electus non foret: hinc Virginii, Vindicisque exercitus simul cõflixerunt: quo conflictu Vindex se Ipsum interemit: vnde rumor vulgatus est, Imperium Virginio omnes dare velle: tunc demom Galba sibi metuens, ad Virginium scripsit, eúmque inultauit ad Romanũ Imperiũ, libertatémq; tuiandã: qoi vbi cognouit Neronẽ occisum esse, Galbæ périnde ac Imperatori oboiàm profectus est. Hos treis tanquam assertores Romanl Imperiĩ, extinctorésque Neronis iunctim locauit Iuuenalis, vbi ait:

-Quid enim Virginius armis
Debuit vlcisci magis, aut cum Vindice Galba?

Τὸ τεχνίον.] Latinè significat, articulam omnis terra nutrit. Nero autem vsurpabat hanc Græcam sententiam, vt significaret, sibi necessariũ esse aliquã vel minimam artium ediscere, vt destitutus, deiectúsq; Imperiò ab illa outriri, aliq, posset. Artes enim, & disciplinæ vbique gentiũ, vbiq; locorũ parãt artificibus alimẽta. Hæc enim sunt prædia, & viatica, quæ nobis à fortuna adimi nõ possunt, quæ etiã è naufragio possunt enatare, qoæ nos nusquam destituunt. Talia dicebat Aristippus viatica liberis oportere parari, in quæ fortuna non habet imperium. Theophrastus verò ait, doctũ ex omnibus solum neque in alienis locis peregrinum, neq; ioopem futurum. Quidam codices habent versum Homeri dimidiatum, quo poeta eximius cecinit, nihil alere terram miserius homine: tanquam Nero identidem vsurparet hanc Homericam sententiam, quòd nihil terra nutrit miserius ἀνθρωπαρίῳ, id est, homunculo.

Meditaretur.] Exerceret.] Inde meditationes dictæ exercitationes: &, vt Inquit Vegetius, nihil est tam difficile, quod non assidua meditatio facillimum reddat.

ORchis.] Saltatio. Sic enim legerim potiùs, quàm Orcus, vt omnes codices, qoos vidimus, habent: vt latenter taxatam Intelligamus turpem Senatus assentationẽ, qui canenti Neroni plauderet: nisi Orcus pro Nerone accipiatur, quasi alter in absumẽdo Senatu Orcus. M. AN.

Gestu.] Indecoro plausu. Histriooem.] Qui fabulam egit. Et philosophum.] Isidorum Cynicum.

Contẽptu.] Quia verè cõtemneret, paruifaceretq; eiusmodi obtrectationes. Iritaret.] Concitaret.

Ingeniosos.] Ad plura in se scribenda. Destituit orbis.] Id est, hominum consensus, fauor, studium.

Iunio Vindice.] De Vindicis, & Galbæ defectione Tacitus abundè multa. Τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει, filiolum tota terra nutrit. Alii legunt τεχνίον, alii τεχνύδριον, quod significat artem paruam, vel, vt sic loquar, articulã.

Maiore venia.] Id est, minore accusatione.

Meditaretur.] Exerceret.

O

cam artē principi sibi gratam, priuato necessariā. Spoponderunt tamen quidam destituto ei ordinationem Orientis: nonnulli nominatim regnū Ierosolymorū: plures omnis pristinæ fortunæ restitutionē. Cui spei pronior, Britannia, Armeniáq; amissa, ac rursus vtraq; recepta, defunctū se fatalibus malis existimabat. Vt verò consulto Delphis Apolline, septuagesimum ac tertium annum cauendum sibi audiuit, quasi eo demum obiturus, ac nihil coniectans de ætate Galbæ, tanta fiducia non modò senectam, sed etiam perpetuā, singularémq; cōcepit felicitatē, vt amissis naufragio pretiosissimis rebus nō dubitauerit inter suos dicere, pisces eas sibi relaturos. Neapoli de motu Galliarū cognouit die ipso, quo matrem occiderat: adeóq; lentè, ac securè tulit, vt gaudentis etiam suspicionē

PHIL. PRiuato necessariam.] Tanquā si vnquā priuatus esset futurus, vellet citharœdicā artem profiteri, cuius quæstu aleretur. Sunt enim disciplinæ, & in primis literæ in rebus secundis ornamēto, in aduersis præsidio. Dionysius tyrannus cùm Syracusis esset expulsus, dicitur Corinthi aperuisse ludū literariū, pueròsque docuisse. Artē quoque citharœdicā fuisse quæstuosam, testatur Martialis cùm ait: Artes discere vult pecuniosas, fac discat citharœdus, aut choraules. Arion quoq; musica, citharœdicáque arte præstātissimus, grandem pecuniam & vberes quæstus factitauit, eiúsq; artis gratia Periādro regi Corinthiorum fuit dilectissimus.

Quidam.] Mathematici.

Nominatim.] Qui spondebant Neroni ordinationē Orientis, hi generaliter loquebantur, vt non hanc magis, quàm illam regionem Orientalem significarent: quidam verò nominatim, speciatimque dixerunt, Neronē habiturum in Oriente post defectionem omnium, regnum Ierosolymorum. Ierosolyma autem ecclesiastici scriptores Ierusalem vocant. Dicuntur autem Ierosolyma, vt prodit Egesippus, quæ primò Solyma dicebantur: sed cùm rex Cananæus cognomēto Iustus, qui fuit conditor Solymorū, templum addidisset, inde Ierosolyma nuncupauit. Græci enim ἱερὸν templū vocant. Autumat Eusebius in 1 x. Euangelicæ præparationis, Ierosolyma appellari, quasi hieron Solomonis, hoc est ædem Solomonis: à templo, quod Solomon Ierosolymis pulcherrimum, magnificentissimúmque construxit.

Cui spei.] Quam faciebant plures ex mathematicis, vt scilicet sibi pristina fortuna omnis restitueretur. Natura enim comparatum est, vt id libenter credamus, speremúsque futurum, quod volumus, ac optamus.

Vtraque recepta.] Suprà memorauimus, Neronem accepisse clades, alteram in Britannia, alterā in Armenia: qui mox Britanniam recepit virtute Suetonii Paulini, & Armeniam virtute Corbulonis: ex quo interpretabatur se restitutū esse in pristinā fortunā, & ita liberatum esse à periculis, malísque, quæ fata portendebant.

Defunctum.] Liberatum. Vergilius:

-Nequicquam magnis defuncte periclis.

Liuius defuncta morbis corpora dixit, pro liberata. Defunctum exposuit Donatus Terentianus interpres pro finitum. inde mortui defuncti, qui finierunt, peregerúntque vitæ munia.

Septuagesimum & tertium annum.] Oracula sæpe flexiloqua, & obscura sunt, vt inquit Cicero in 11. de Diuinatione: quod & plurimorum exempla notificāt. Tale fuit hoc Apollinis oraculum Neroni datum: nam cùm dixisset Neroni cauendum esse annum septuagesimumtertium, existimauit Nero id significari, quod ipse eo ætatis suæ anno esset moriturus: sed oraculum, vt mox paruit, significare volebat Neroni metuendum esse Galbam, qui agebat septuagesimum & tertium ætatis annum, quando exturbato Nerone factus est Imperator.

Quasi eo demum obiturus.] Veluti moriturus esset anno ætatis suæ septuagesimo tertio: quæ ætas fuisset haud dubiè polychronia.

Pisces relaturos.] Exemplo Polycratis Samiorum tyranni, quem felicem fuisse tradunt, eò quòd nihil acciderat ei, quod nollet: qui ex cōsilio Amasis regis Aegyptiorum annulum preciosissimū, quo delectabatur, in mare abiecit, vt ita aliquid molestiæ experiretur in vita: verum rursus factus est felix, cùm is ipse annulus in præcordiis piscis inuentus esset, quem piscator captum pro munere obtulit. Historia scribitur luculenter ab Herodoto in tertio: cuius & Cicero in quinto de Finibus, & Plinius in tricesimotertio, & in vltimo meminerunt.

Die ipso.] Nero matrem interfecit per festos quinquatrium dies, qui sunt mensis Martii Mineruæ dicati. Idem post multos annos eodem ipso die nuntium accepit de rebellione Galliarum, & Iunii Vindicis defectione: tanquam ita fata disponerent, vt quo die commiserat matricidium, eo euersionem subiret Imperii.

Lentè, ac securè tulit.] Scribit Plutarchus in Galba, Neronem audita defectione Vindicis simulasse se illum contemnere, ac nihili ducere res Gallorum: quinetiam veluti per iocum ad amicos dixisse fertur, non malam sibi pecuniis egēti rebellionem Galliarum incidisse, quarum opes, cùm in seruitutem venissent, sibi prædæ futuras asseuerauit. Galliæ enim inter prouincias sunt opulentissimæ, & ob id accommodæ ad Imperatorem diuitiis saturandum.

M. AN. QVidam.] Mathematicorum.

Cui spei.] Pristinæ scilicet fortunæ in integrū restituendæ.

Britannia, & Armenia.] De quarum alienatione in transcursu author: nam quum Romanæ legiones à Parthis subiugatæ sunt, ob Armeniam est bellatum.

Defunctum.] Ad exitum peruenisse.

Aetate Galbæ.] qui eum vitæ annum tunc agebat, quom in Hispania Imperator consalutatus est.

Singularem concepit felicitatem.] Vnicam, & nullo modo variabilem: aut tam longam, vt nulli principū longior contigisset.

Pisces eas sibi relaturos.] Quod Polycrati Samio omnium principum, qui sua ætate fuerunt, fortunatissimo contigisse Herodotus, & Plinius tradūt, vt annulū in mare proiectū eximii valoris, Sardonychem ait Plinius fuisse, piscis à piscatore oblatus restituerit.

Die, quo matrem occiderat.] Non illo tempore, sed eo anni die, quo mater ab illo occisa fuerat.

In

præberet,tanquam occaſione nata ſpoliandarum iure belli opulentiſſimarum prouinciarum. Statímq; in Gymnaſium progreſſus, certantes athletas effuſiſſimo ſtudio ſpectauit.Cœnæ quoq; tempore interpellatus tumultuoſioribus literis, hactenus excanduit,vt malum iis,qui deſciſſent, minaretur.Denique per octo continuos dies non reſcribere cuiquam,non mandare quid, aut præcipere conatus,rem ſilentio obliterauit.

Reditus eius in urbem,& contumeliæ in eum dictæ. XLI.

Dictis tandem Vindicis contumelioſis,& frequentibus permotus Senatum epiſtola in vltionem ſui, Reiq; publicæ adhortatus eſt,excuſato languore faucium,propter quē non adeſſet.Nihil autem æquè doluit, quàm vt citharœdum malum ſe increpitum,ac pro Nerone Aenobarbum appellatum.Et nomen quidem gentile, quod ſibi per contumeliam exprobraretur, reſumpturum ſe profeſſus eſt,depoſito adoptiuo. Cætera conuicia vt falſa,non alio argumento refellebat,quàm quòd etiam inſcitia tantopere laboratæ, perfectæq; à ſe artis obiiceretur,ſingulos ſúbinde rogitans,noſſéntne quenquā præſtantiorem. Sed vrgētibus aliis ſuper alios nuntiis,Romā prætrepidus rediit. Leuitérq; modò in itinere friuolo auſpicio mēte recreata, quū annotaſſet inſculptū monumēto militē Gallum ab equite Romano oppreſſum trahi crinibus, ad eam ſpeciem exiluit gaudio,cælúmque adorauit. Ac ne tunc quidem

PHIL. In gymnaſium.] Scilicet Neapolitanorū,apud quos athletica certamina,& agoo gymnicus ritu Græcanico edobantur.

Interpellatus.] Interruptus.

Tumultuoſioribus.] Cum tumultu,præcipitātiáq; deportatis, vel tumultuoſa nuntiantibus.

Hactenus.] Eò vſque,eatenus.

Excanduit.] Iratus eſt. Eſt enim excandeſcentia, ira naſcēs,& modò deſiſtens, quæ θύμωσις Græcè dicitur.

Malum minaretur.] Sic vulgò quoq; dici ſolet. Liuius io 1111.Malum quidem militibus meis, inquit, niſi quieuerint.

Deſiiſſent.] Elegantius leges deſciſſēt,pro eo quod eſt, defeciſſent, rebellaſſentque.

Non mandare quid.] Nulli mandata dedit, nulli præcepit,vt ita hæc tota de rebellione Galliarum fama ſilentio mandaretur.

Edictis Viodicis.] Cùm Vindex prætor eſſet Galliæ, meritò edicta appellat:cùm propriè edicta ſint leges prætoriæ.Cicero: Qui plurimum tribuunt edicto prætoris,edictum legem annuā dicunt eſſe.

Cōtumelioſis.] Probrorum,contumeliarúmq; refertis.

Epiſtola.] Quā ex Neapoli miſit Romā ad Senatū. Excuſato lāguore fauciū.] Morbus fauciū eſt angina,& tonſillæ. Imperitū medicorū vulgus ſquinantiā vocat:cùm Hippocrates,& Galenus ſynāchen appellitauerint.Plinius tonſillas ſeiungit,diſcrimináтq; ab angina. Se increpitū.] Obiurgatum,caſtigatúmq; à Vindice.Scribit Philoſtratus,Vindicem,vocato ad concionem exercitu,orationē habuiſſe virulentam contra Nerone,qui inter alia dicebat,illum magis eſſe omnia,quàm citharœdū: citharœdum verò multò magis,quàm regem. Eundē quoq; infamia,furore,auaritia,laſciuia,omniq; crudelitate corruptū criminabatur:quòd verò matrē interfeciſſet,id nequaquā illi crimini dandū eſſe dicebat,tanquā iure interfecta eſſet illa,quæ tale portentū peperiſſet. Aenobarbū.] Similiter aliâs doluit Nero,ſe Domitium à Britannico ſalutatū fuiſſe.Sunt enim hæc nomina familiæ,quæ Nero faſtidiebat,poſteaquā in gentem Claudiā per adoptionē fuerat adſcitus. Nomen gentile.] ſcilicet Aenobarbi. Inſcitia.] Inſcientia,& imperitia.

Exprobraretur.] Probro daretur à Vindice. Depoſito adoptiuo.] Nomine ſcilicet Neronis,quod per adoptionem vſurpauerat,trāſiuerátq; in Claudiā familiā. Refellebat.] Refutabat,redarguebat. Refellit enim is,qui negat, vt loquit Donatus.

Inſcitia artis.] Scilicet citharœdicæ. Senſus autē hic eſt: Cùm Nero increpitus fuiſſet à Vindice,tanquā citharœdus malus,ex hoc argumētabatur maledicta omnia Vindicis ſibi obiecta eſſe falſa, etiam ſibi citharœdica obiiceretur, in qua ſeſe perfectiſſimū, abſolutiſſimúmq; & credi, & dici volebat. Súbinde.] Frequenter. Rogitās.] Interrogās.

Præſtantiorem.] Ipſo ſcilicet Nerone in arte citharœdica. Prætrepidus.] Valde trepidans. Rediit.] Scilicet Romā. Friuolo.] Leui,& nugatorio.Sunt enim friuola, vaſa fictilia quaſſa. Auſpiciū.] Hîc auſpiciū intellige dictū pro præſagio, & prognoſtico, ſine vlla auium ſpectione: cū aliâs auſpiciū ab aue ſpecienda dictum accipiatur. Monumento.] Sepulcro. Militem Gallum.] Ex hoc Nero cepit felix omen, tanquam ipſe Romanus eum Romanis ita oppreſſurus eſſet Gallos cū Vindice rebellātes,quēadmodū Gallus ille ſculptus oppreſſus trahebatur ab equite Romano. Militē Gallum.] Apud Gallos ad militandū omnis ætas aptiſſima eſt,& pari pectoris robore ſenex ad procinctū ducitur,& adultus,gelu duratis artubus,& labore aſſiduo multa contēpturus, & formidanda: author Ammianus Marcellinus io xv.qui ait Gallos vini auidos eſſe adeò,vt quidā ebrietate continua obtundant ſenſus. Ad eam ſpeciem.] Figurā ſculpturæ.

Cælum adorauit.] Ait Aeneas Vergilianus,

-Tendóq; ſupinas Ad cælum cum voce manus.-

M. AN. Hactenus.] Vt in apertas minas erupit. Contumelioſis.] Contumeliarum plenis, eiúſq; famam proſcindentibus. Citharœdū malum.] Ita turpia illa citharæ deliramenta animo inſederāt, vt ne in aperto quidē diſcrimine ineptire deſierit. Aenobarbū.] De cognominis ratione vide ſuprà. Adoptiuo.] Neronis appellatione, quod nomen eſſet ex Claudii ado-

ptione sortitus. Inscitia.] Quòd inscius esset operæ, & studii à se circa musicen nauari. Militem Gallum à Romano oppressum.] Quasi certū futuræ in Gallos victoriæ auguriū, rem ad se traxit. Ne tum quidem.] Quum maxime ordinum fauore opus erat.

pòst expirauit. De inanimatis quoq; intermortuū dici posse, testis est Cicero, qui ait in oratione pro Murena, memoriā propè intermortuā generis sui virtute renouare. Resipiuit.] Ad se rediit, respirauit, refocillatus est. Veste discissa.] Hoc in dolore fieri consueuit. Vnde legimus subinde in scripturis canonicis, multos discidisse vestimenta ob mœrorem.

aut Senatu, aut populo coràm appellato, quosdā è primoribus viris domum euocauit, transactáque raptim consultatione, reliquam diei partem per organa hydraulica noui & ignoti generis circunduxit. Ostendénsque singula de ratione, ac difficultate cuiusque disserens, iámque etiam prolaturum omnia in theatrū affirmauit, si per Vindicē liceat.

Defectio Hispaniarum, & Galbæ contra eum. XLII.

POstquā deinde etiā Galbam, & Hispanias desciuisse cognouit, collapsus, animóque malè fracto diu, & sine voce, & propè intermortuus iacuit: Vtq; resipiuit, veste discissa, capite cōuerberato, actū de se pronūtiauit. Cōsolantiq; nutriculæ, & aliis quoq; iam principibus similia accidisse memorāti, se verò præter cæteros inaudita, & incognita pati respondit, qui suū Imperiū viuus amitteret. Nec eò seciùs quicquā ex cōsuetudine luxus, atq; desidiæ omisit, vel imminuit. Quinimo quū prosperi quiddā ex prouinciis nunciatū esset, super abundantissimā cœnā iocularia in defectionis duces carmina, lasciuéque modulata, quæ vulgo innotuerunt, etiam gesticulatus est:

PHIL. AVt Senatu appellato.] Neque allocutus est Senatum, neq; verba fecit ad populum: quod promerendi fauoris gratia in re ancipiti fuerat faciendum. Euocauit.] E cœtu separatos vocauit, vt cū his consultaret.

Organa hydraulica.] Sunt quædā machinæ ad hauriendam aquam inuentæ, quæ organa hydraulica vocantur: quorum meminit Vitruuius Architectus in IX. & X. Sunt & organa hydraulica musica instrumenta, quæ per aquam sonātes excitant voces, vnde & nomen acceperunt. Græci enim τὸ ὕδωρ aquam vocant, & αὐλὸν tibiā. Ctesibius tonsoris filius hydraulicas machinas primus instruxit: cuius rei Plinius quoq; meminit in VII. his verbis: Laudatus Ctesibius est pneumatica ratione, & hydraulicis orgaois repertis. Idem in IX. Delphinū mulceri prodidit musica arte, & præcipuè hydrauli sono. De his musicis iostrumētis censoria est illa, & digna memoratu apud Ammianū peroratio: Denique pro philosopho cantor, & in locum oratoris doctor artiū ludicrarum accitur, & bibliothecis sepulcrorū ritu in perpetuum clausis organa fabricātur hydraulica. Difficultate cuiusq;.] Haud dubie difficulter, miráq; arte mechanica conficiuntur organa hydraulica: vnde nō immeritò laudatur Ctesibius inuentor machinarum hydraulicarum. Differens.] Disputans, differtans.

Prolaturum.] Producturum, ostensurum.

Per Vindicem.] A quo id temporis admonebatur, si quid prudentiæ habuisset, omittere debere citharœdicam artem, & musica instrumenta, & arma esse tractanda, non organa. Hispanias.] Galba per octo annos rexit Hispaniā Taraconensem: vbi Imperator ab exercitu consalutatus est. Nero autem, anthore Plutarcho, lotus prādebat, vbi audiuit, Galbā cum Hispania defecisse, quod adeò dolenter tulit, vt mensam subuerterit.

Malè fracto.] Penitus infracto, debilitatoque.

Intermortuus.] Intermortuū Latini dicūt eū, qui inter mortē, vitámq; ex dolore procūbit similis expirāti. Plinius in XXXII. Vituli, inquit, marini adeps instillatur naribus intermortuarū vuluæ vitio. Attalus cùm Bœotios ad societatē Romanā hortaretur, vt apud Liuiū ait Eumenes, in ipsa cōcione intermortuus haud multò

Similia accidisse.] Ab exemplo nutrix alumnum consolabatur, tanquam ea fortiori animo ferenda sint, quæ aliis quoq; cognoscimus accidisse.

Viuus.] Tanquā alii principes non in vita amitiāt summum Imperiū, sed cum morte. Attamē legimus, multos adhuc viuentes Imperio spoliatos fuisse, sicut Tarquinios & Dionysium Syracusanum.

Nec eò seciùs.] Nec ideò minus.

Luxus.] Luxuriosi, prodigiq; victus.

Prosperi quiddā.] Quædā res prospera. Abundantissimā.] Ex consuetudine luxus. In defectionis duces.] Vindicē, & Galbā.

Innotuerunt.] Celebrata, inuulgatáque sunt.

Gesticulatus.] More histrionum, qui non solùm carmina ore depromunt, sed gesticulante vultu, & motu corporis accommodato, prosequuntur.

M. AN. PEr organa hydraulica.] Musicum instrumentum, à similitudine naualis machinæ dictum. Plinius authore est, pneumatica ratione Ctesibium hydraulica organa in Atheniensium nauali reperisse: & rursus delphinas hydraulicorum organorum cōcentu demulceri.

Prolaturum.] Repræsentaturum.

Si per Vindicem.] Quasi per hunc dicere voluisset publicæ felicitatis interpellatorem.

Et Hispanias.] Quibus Galba præsidebat.

Malè.] Id est, valde. Cicero: Idque ad rem pertinere credebant scriptores illos malè mulctatos.

Nutriculæ.] Eglogæ, siue certè Alexandriæ: vtraque enim eius nutrix fuit.

Aliis principibus.] Qui ipsius tēpora præcesserant.

Similia accidisse.] Prouinciarum, & exercituum defectiones.

Præter cæteros.] Principes intellige.

Super abundantissimam cœnam.] Vel luxuriosè pararam, aut, quod magis placet, frequentissimo conuiuio initam.

In defectionis duces.] Vindicem, & Galbam.

Innotuerunt.] In vulgus exiere.

Gesticulatus.] Gestu quodam imitatus.

Clām

ac ſpectaculis theatri clàm illatus cuidã ſcenico placenti nũtiũ miſit, abuti eũ occupationibus ſuis.

Malum eius propoſitum, Conſulum priuatio, & Conſulatus aſſumptio. XLIII.



INitio ſtatim tumultus multa, & immania, verùm nõ abhorrentia à ſua natura creditur deſtinaſſe: ſucceſſores, percuſſoréſque ſummittere exercitus, & prouincias regentibus quaſi conſpiratis, idémq; & vnũ ſentientibus, quicquid vbiq; exulũ, quicquid in vrbe hominũ Gallicanorũ eſſet, contrucidare: illos, ne deſciſcentibus aggregarentur: hos, vt conſcios popularium ſuorum, atque fautores. Gallias exercitibus diripiendas permittere, Senatum vniuerſum veneno per conuiuia necare, vrbem incendere, feris in populum immiſſis, quò difficiliùs defenderetur. Sed abſterritus, non tam pœnitentia, quàm perficiendi deſperatione, credénſque expeditionem neceſſariam, Conſules ante tẽpus priuauit honore, atq; in vtriuſq; locũ ſolus iniit Conſulatũ: quaſi fatale eſſet, non poſſe Gallias debellari, niſi à Cõſule, ac ſuſceptis faſcibus. Quũ poſt epulas triclinio digrederetur, innixus humeris familiariũ affirmauit, ſimul ac primùm prouinciam attigiſſet, inermem ſe in

PHIL. CLàm illatus.] Furtim, & ignorantibus ſpectatoribus.

Scenico.] Sæpe dictum eſt, ſcenicos, abſoluto vocabulo, hiſtriones nuncupari. Auguſtinus ait in 11. de ciuitate Dei, quo modo abiicitur ſcenicus, per quem colitur Deus?

Placenti.] Mirè oblectanti.

Abuti.] Vtimur cum honore, abutimur cum iniuria: ſicuti docet Donatus Terentianus interpres. In alio ſignificatu abuti dicimur his rebus, quæ nobis vtẽtibus pereunt. Vnde cui legatus eſt vſusfructus bonorũ, illi nõ poteſt videri legatus vſus penoris, neque vini, neq; olei, & id genus rerum aliarum, quæ vtẽdo conſumuntur. Vnde ait elegãter Boethius: Cùm vſus, & abuſus cõtraria ſint, cui rerum vſusfructus legatus eſt, nõ poteſt videri legatus abuſus.

Occupationibus ſuis.] Hiſtrionia ſcilicet, & ſcenica arte: quæ haud dubiè erant occupationes Neronis, cũ in his totos dies frequenter impenderet.

Tumultus.] Qui exortus eſt ob defectionem Vindicis in Gallia, & Galbæ in Hiſpania.

Immania.] Crudelia, & ſanguinaria.

Summittere.] Furtim, & clàm immittere.

Quicquid exulum.] Omnes exules.

Hominum Gallicanorum.] Propter Initium rebellionis factum à Gallis authore Vindice. Scribit Lampridius, Gallicanas mentes duras, ac retrogradas eſſe, & ſæpe Imperatoribus graues. Olim à Gallicanis hominibus occiſus fuit Alexander Romanus Imperator vnà cum matre. Illos.] Exules.

Deſciſcentibus.] Rebellantibus. Deſciſcere enim eſt rebellare, & diſcedere à fide prima.

Hos.] Gallicanos homines.

Popularium.] Popularis dicitur homo, eiuſdẽ conditionis, generiſq;. Popularis populo amans eſt: & popularis, ciuis: popularis, humilis eſt: popularis, vilis. Hîc intelligimus populares, eiuſdẽ cõditionis, & generis: vt ſit ſenſus, Neronem deſtinaſſe contrucidare Gallicanos homines, qui erãt Romæ, veluti fautores Gallorũ trãſalpinorum rebellantium. Apud Salluſtium populares dicuntur participes, & conſcii coniurationis.

Permittere.] Zeugma eſt à ſuperiori. Repetendum enim eſt verbum illud, creditur deſtinaſſe. Per conuiuia necare.] Sicut olim ſoillis fungis tota conuiuia interempta fuerunt vnà cum Anneo Sereno præfecto Neronis vigilum, & tribunis, & centurionibus.

Vrbem incendere.] Exemplo Catilinæ, qui deſtinauerat cum coniuratis duodecim ſimul opportuna loca vrbis incendere, vt eo tumultu facilior aditus fieret ad Conſulem Ciceronem, cæteróſque, quibus inſidiæ parabantur, opprimendos.

Difficiliùs.] Dũ omnes forent occupati circa feras vicatim diſcurſantes.

Expeditionẽ neceſſariã.] Vt comparatis copiis militaribus expeditionem bellicam ſuſciperet aduerſus Gallos deſciſcentes.

Ante tẽpus.] Ante exactũ legitimũ Conſulatus ſpatiũ, quod erat annuũ.

Honore.] Conſulatu. Vtriuſq;.] Conſulis.

Fatale.] Decretum, conſtitutúmq; à fatis: quæ, vt inquit Cleanthes, & interpretatur Seneca, ducunt volentẽ, trahunt nolentem. Fatorũ neceſſitas, vt eleganter ait Apuleius, ineffugibilis eſt. Vnde à bono poeta dictũ eſt, ineluctabile fatum.

Niſi à Conſule.] More magni Pompeii, qui olim ſolus Conſul ſine collega creatus eſt. Ideo autem voluit Nero inire ſolus Conſulatũ, vt Gallias debellaret: veluti prouinciæ Galliarũ ab vnico tantùm Conſule, non autẽ à duobus Conſulibus, debellari, ſubigíque poſſent: ſicut fatali decreto contineri affirmabatur. Faſcibus.] Scilicet Conſolaribus. Relege quæ in primo Commentario annotaui ſuper faſcibus, virgíſque Conſularibus.

Innixus.] Firmatus, ſtabilitus, ſuſtentatus. A Liuio dictum eſt, rem Romanam ſtetiſſe innixã Papyrio Curſore. Prouinciam.] Galliam, quæ erat prouincia populi Romani. Plinius ſcribẽs de Narbonenſi Gallia inquit, Italia veriùs, quàm prouincia.

CLàm.] Occultè ob temporum nouitatem perſona diſſimulata. M. AN.

Scenico.] Hiſtrioni in ſcena canenti.

Abuti eum.] Otioſè ſibi placere, quia ſine æmulo certaret: quaſi denunciatum vellet, niſi præſentibus eſſet curis diſtrictus, fuiſſe ſe cum illo certaturum, iniecturúmque ſolicitudinem ingentem.

Deſciſcentibus.] Defectionum ducibus.

Hos.] Gallos. Conſcios.] Participes.

Popularium.] Id eſt, conſiliorum, quæ ab hominibus ſuæ gentis fuiſſent in ſe inita. Defenderetur.] Vrbs ſcilicet ab incendio. Non tam pœnitentia.] Quia ſceleris pœniteret. Quaſi fatale eſſet.] Iſque inuadendi Conſulatus prætextus fuit.

conspectum exercituum proditurum, nec quicquam aliud, quàm fleturum. Reuocatísque ad pœnitentiam defectoribus, sequenti die lætum inter lætos cantaturum epinicia, quæ iam nunc sibi componi oporteret.

Apparatus expeditionis in Gallos. XLIIII.



IN præparãda expeditiõe primã curã habuit deligẽdi vehicula, portãdis scenicis organis, cõcubinásq; quas secũ educeret, tondendi ad virilem modum, & securibus, peltísque Amazonicis instruendi. Mox tribus vrbanas ad sacramentũ citauit, ac nullo idoneo respondente, certum dominis seruorum numerum indixit:

PHIL. EXercituum.] Qui duce Iunio Vindice primi defecerant.

Proditurum.] Progressurum.

Quàm fleturum.] Tanquam lacrymis solis posset reuocare ad officium copias militares, & principes defectionis. Verùm nesciebat quod ab Apollonio rhetore dictũ fuerat nõ minùs verè, quàm pulchrè, Lacryma nihil citiùs arescere: cũ flagitiorũ immanitas vincat fletũ, & cõplorationem.

Cantaturũ epinicia.] Græci vocant epinicia, præmiũ, & celebritates pro parta victoria. ἐπινίκιος dicitur victorialis. Tranquillus epinicia intelligi vult carmina, laudationésque cõpositas ex victoria. Hác dictionem vsurpat Hieronymus in interpretatione libri secundi Machabæorum, vbi sic scriptum est: Et cùm epinicia agerent in Ierosolymis: vbi exposuit non ineptè Nicolaus de Lyra, epinicia intelligi solennitates de victoriis.

Deligẽdi vehicula.] Ex hoc diiudicare potes, quàm ineptus, quàm mollis, quàm delicatus fuerit Imperator, qui cùm primam curam habere deberet rerũ militariũ, cum primis curiosus erat deliciarum, & libidinũ. Iam, quod nefas dictu quoq; est, organa, & musica instrumenta facta erant sarcinæ militares: &, vt inquit Seneca in primo Quæstionum, quicquid mundus muliebris vocabatur, iam sarcinæ viriles sunt, minus dico, etiam militares. Iam speculum quoq; adhibetur. Ex hac obiurgatione est vulgarissimũ illud, Speculum ciuilis sarcina belli. Cicero taxat Verrẽ, quòd dum esset Imperator populi Romani, introducebat intra tẽtoria solas ferme mulieres, & libidinum ministros.

Scenicis organis.] Organa in hoc loco intelligimus musica instrumenta generali vocabulo, inter quæ erant & hydraulica, de quibus suprà memorauimus. Aliâs organa significant machinas, de quibus Vitruuius Architectus in x. scribit hæc: Inter machinas, & organa id videtur esse discrimen, quòd machinæ pluribus operibus in maiores coguntur effectus, vt ballistæ, torculariũmq; præla: organa autem vnius operæ propositum, vti scorpionis. Organorum fabricatores organarii nuncupantur. Iulius Firmicus in tertio Matheseos ait, Mercuriũ cum Venere in septimo ab horoscopo loco facere organarios, & myropolas. Myropolæ autem sunt pigmentarii, venditorésque vnguentorum delicatiorum.

Tondendi ad virilem modum.] Hoc olim factitauit Ipsicratea Mithridatis coniunx, quæ totondit capillos in virilem modum, & equo se, armísque assuefecit, quò faciliùs laboribus, & periculis eius interesset: quæ victum maritum à Pompeio Magno per efferatas gentes fugientem, animo, & corpore infatigabili, quasi virago quædam, insequuta est in habitum virilem reformata. Nero dum debet curare quo modo vincat hostes, curat quo modo concubinas secum educat detonsas more virili.

Securibus.] Vt ad imitationem Amazonum ita concubinæ armatæ viderentur: illæ enim armatæ securibus bella inibant: vnde securigeræ à poetis dictæ: & ab Horatio securis optimo epitheto Amazonia nuncupata, cuius inuentrix fuit, authore Plinio, Penthesilea Amazon.

Peltis.] Pelta, scutum breue est in modũ Lunæ figuratum, quo vsæ sunt peculiariter Amazões in bello. Hinc illud Maronianum:

Ducit Amazonidum lunaris agmina peltis.

Iphicrates Atheniensis, cùm militaria arma immutasset, instituit vt peltam pro parma ferrẽt: à quo posteà peltastæ pedites sunt appellati, qui ad motum, cõcursúmque erant leniores.

Tribus vrbanas.] Quatuor solas vrbanas tribus fuisse autumat Plinius, appellatas à partibus vrbis, in quibus habitabant. Nam Suburrana, Palatina, Collina, Exquilina dicebantur: in quas transferri ignominiosum erat desidiæ probro: rusticæ verò tribus laudatissimæ existimabantur. Sed hîc Tranquillus per tribus vrbanas significare videtur omnes Romanas tribus, quæ erant numero trigintaquinque.

Ad sacramentũ.] Scilicet militare: milites enim iurare solebant in nomen Imperatoris, omniáq; se strenue facturos, quæcunq; iussisset Imperator, & militiam nunquam deserturos: ideóque sacramenta dicebantur. Iuuenalis: Cõmoda nunc alia, atq; emolumẽta notemus Sacramentorum.

Citauit.] Cõsules itidẽ citabant iuniores, vt nomina darent in militiã: de quo apud Liuiũ multa est mentio.

Seruorum numerũ.] Cùm legitimi milites deerãt, ad seruos confugere solebant: sicut in secundo Punico bello factitatum est, quando, vt inquit Liuius, honesta vtilibus cesserunt. Quem exercitũ, vtpote ex seruis institutũ, Augustinus in iii. de ciuit. Dei elegãter pudendum vocat. Præterea lege militari serui ab omni militia prohibentur: alioqui capite puniuntur, vt scribunt Iuriscõsulti. Quod etiam grãmaticus Seruius prodidit in enarratione illius versus,

Veritísque ad Troiam miserat armis.

Indixit.] Imperauit, denuntiauit. Indicere enim, denuntiare est. Vnde imperatiuæ feriæ dictæ, quas consules vel prætores pro arbitrio potestatis indicunt: & funera indictiua à priscis nũcupata, ad quæ per præconem euocabantur. De funere indictiuo intellexit Tranquillus, cùm scripsit in Iulio Cæsare: Funere indicto rogus extructus est.

M. AN. EPinicia.] Carmina nunc, & laudationes ad victoriam attinentia. Est ἐπινίκιον alioqui præmium, seu celebritas pro habita victoria, ab νίκη victoria.

Scenicis organis.] Instrumentis, quibus in scena vtebantur.

Peltis.] Scutis. Vergilius:

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

Martialis Peltatam Amazona appellat.

Nullo idoneo.] Ad militare munus obeundũ apto.

Dominis seruorum.] Iis, qui seruos haberent.

Caiusque

nec nisi ex tota cuiusque familia probatissimos, ne dispensatoribus quidem, aut amanuensibus exceptis, recepit. Partē etiam census omnes ordines conferre iussit, & insuper inquilinos priuatarum ædium, atque insularum, pensionem annuam repræsentare fisco. Exegítque ingenti fastidio, & acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum obryzum, vt plerique omnem collationem palàm recusarent, consensu flagitantes à delatoribus potiùs reuocanda præmia quæcunq; cepissent.

Probra in eum scripta. XLV.



X annonæ quoq; caritate *lucrantiū accreuit inuidia. Nam & fortè accidit, vt in

*luctantium

PHIL. CViusq; domini familia.] Appellatione familiæ seruos, & mancipia intelligi, notissimum est.

Dispensatoribus.] Dispensatores fuisse in seruorū numero, familiáq; notum est: & indicat Plinius scribens in XXXIII. Seruus Claudii Drusillanus nomine Rotundus dispensator Hispaniæ citerioris quinquagenariam lancem habuit. Dicti autem sunt dispensatores ab ære impendendo. Nanque apud veteres Romanos, cùm asses librales essent, appendebantur: vnde expensa, cōpendia, impendia, & dispensatores appellantur: quinetiam stipis pōderandæ pensatores, libripendes dicti: authores M. Varro, & Plinius.

Amanuēsibus.] Vocabulū est Tranquilli peculiare, tanquam à manu formatum. Sunt enim amanuenses serui, qui & à manu dicuntur, quorū opera, & manu in scribēdo perinde ac scribarū vtimur. Super qua dictione annotauimus plura nō indigna memoratu superioribus cōmentariis. Sensus est: Cùm dispensatores, & amanuenses sint inter cæteros seruos dominis in primis conducibiles, & maximè necessarii, ne hos quidem excipi voluit Nero, quin ex his quoq; reciperet in militiam, quos iudicaret idoneos.

Partem census.] Voluit Nero, vt vnusquisq; tam ex ordine Senatorio, quàm Equestri, atq; plebeio per collationem conferret portionem sui census, atque diuitiarum ad expeditionem bellicam capessendam.

Inquilinos ædium.] Inquilini sunt, qui alienas domos incolunt: quibus cœnacula locare solebant hi, qui faciebant cœnaculariam, vt ait Iurisconsultus.

Insularum.] Domorū, de quibus iā sæpe dictum est.

Repræsentare.] Statim annumerare.

Fisco.] Ipsius scilicet principis. Aliâs obseruauimus fiscum propriè dici principis, ærarium verò populi.

Exegit.] Vel vi extorsit, vel vt debitū repetiit: vnde & exactores dicti. Apud Cæcilium nouè dictū esse annotauit Gellius sic scribentem: Ego illud minùs nihilò exigor portorium. id est, nihilò minùs exigitur de me portoriū. Aliâs exigere, est eiicere, & excludere. Vnde exacti reges dicti, pro eiecti: & Publicola regū exactor, pro exclusore, & eiectore.

Fastidio.] Insolentia.

Asperum.] Persius: -Quid asper Vtile nummus habet.- Videtur autem nummus asper dici ab eo, quòd in asperitatem cusus, figuratúsque est.

Pustulatum.] Argentū excoctū, purgatúmq; ad summam bonitatē pustulatū vocari interpretatur Martialis: Argenti tibi libra pustulati. Ego existimo, pustulatū dici à pustulis, quæ in argēto cælato in asperdinē quandam excisæ visuntur: sicut pustulæ in corpore oriuntur cum aspredine, similes illis pustulis, quæ ex vrtica, vel sudore nascuntur: de quibus luculentum caput est apud Celsum in V. de medicina.

Aurum obryzum.] Scribit Plinius in XXXIII. aurū vocari obryzum, quod excoctū, purúmq; est: & quò sæpiùs arsit, eò magis proficit ad bonitatem, rubétq; simili colore ignis. In scripturis canonicis, libro Danielis, scriptum legimus: Et ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obryzo: vbi exposuit interpres, obryzum aurum dici mundissimū. Legimus apud Fortunatū interpretē ecclesiasticarum dictiunum, aurum Ophir dici Hebraicè, quod est valde pretiosum, quod obryzum apud Latinos appelletur.

Collationē.] Census, & patrimonii. De collatione iam diximus.

•A delatoribus reuocanda præmia.] Delatoribus ob delationem criminum præmia erant constituta: ex quibus quidam quadruplatores dicti, qui quartam partē de proscriptorum bonis, quos detulerant, consequebantur. Sensus est: Romani, à quibus Nero exigebat acerbā collationem, flagitare cœperunt, vt præmia illa, quæcunque acceperant delatores, ab illis reuocarentur, trāsferrentúrque ad expeditionem Neronianam: tanquam illa essent abunde suffectura: cùm multi, quos fouebat Nero, ex delationibus fierent opulenti, & fortunati.

Lucrantium.] Solent auari locupletiores annonam onerare, penuriámq; inducere, dum fructus suos æquis pretiis vendere supersedent, dum minùs vberes prouentus expectant. In hos, vt ait Vlpianus titulo De extraordinariis criminibus, pœna varia statuitur: hi dardani à Iurisconsultis vocantur, qui annonā cariorē facere solent. Plinius dixit elegāter: Manceps annonā flagellat. Sensus autem Tranquilli hic est, Inuidiā illorū creuisse, qui lucrari solent ex annonæ penuria, ex eo quòd dū expectatur in publica fame nauis ex Alexandria deportans frumentum, nuntiatum est non frumentum illa naue aduectum esse, sicut ab esuriente populo expectabatur, sed puluerē, quo vterentur in lucta luctatores Neroniani. Quidā legunt luctantiū, tanquam luctarentur, exerceréntq; palæstrā ex caritate publicæ annonæ, dum arena Nilotica vice frumenti illis deportatur.

M. AN. FAmilia.] Seruorum numero. Ne dispensatoribus, aut amanuensibus exceptis.] Sed illis etiā ademptis, quorū opera ciues maxime indigerent. Erāt Amanuenses serui, quorū manu in scribendis epistolis, & aliis id genus libellis domini vtebantur: dicūtur & serui à manu, quo verbo idem Tranquillus alibi est vsus.

Census.] Suarum fortunarum. Conferre.] In vsum belli exhibere. Inquilinos.] Alienas domos incolentes. Priuatarum.] Ad earum differētiam, quæ publicè locabantur. Annuam.] Ergo integram.

Repræsentare.] Fisco adscribere, aut certè numerare. Fastidio.] Morositate. Nummum asperum.] Recenter, credo, percussum. Argentum pustulatū.] Purissimū. Martialis: Argēti tibi libra pustulati. Quanquàm scio ego non deesse, qui postulati legāt. Obryzum.] Plinius: Aurīq; experimento ignis est, vt simili colore rubeat ignis, atque ipsum obryzum vocant.

Omnē collationē.] Ab eo quod suprà cōferre dixit.

publica fame Alexandrina nauis nuntiaretur puluerem luctatoribus aulicis aduexisse. Quare omnium in se odio concitato, nihil contumeliarum defuit, quin subiret. Statuæ eius à vertice currus appositus est cũ inscriptione Græca, Nunc demum agona esse, & traheret tãdem. Alterius collo & * ascopera deligata, simúlque titulus, Ego quid potui? sed tu culeum meruisti. Adscriptum & columnis, iam gallos eum cantando excitasse.

* scopa

Præmia reuocanda.] Adimẽda potiùs delatoribus, quæ sua delatione diu consecuti essent. Et hoc in Neronis inuidiam, qui delatores multos damnatis omniũ ordinum ciuibus, eorúmq; fortunis confiscatis ditarat.

Lucrannium.] Sic omnes codices, quos vidimus, habent: sed neque sensus, neque ordo vllus ex ea lectione elicitur, quare luctantium legendũ contenderim: id est Neronis, & aulicorum, qui palæstram exercebant. Tenebatur Nero palæstræ studio: vt nõ multò pòst dicetur.

PHIL. Alexãdrina nauis.] Ex Alexãdria & Aegypto, tanquã ex horreo frumentario, vrbi Romæ frumenta suppeditabãtur: quod suprà retulimus, & Plinius docet in Panegyrico.

Puluerem.] Palæstritæ, luctatorésque in palæstrico certamine corpora respergebant arena. Hinc ait Ouidius describens luctam Herculis & Acheloi:

Inque vicem fuluæ tactu flauescit arenæ.

Martialis Græco vocabulo à tactu aphen dixit. sic enim ait:

Et flauescit aphe.-

Lucanus quoque in palæstra Herculis & Antei arenam vsurpatam esse testatur. Arena autem è Nilo, vt docet Plinius in xxxv. palæstræ studiis existimabatur accommodatissima. Inde Patrobio principis Neronis liberto aduehebatur: quin & Leonacto, & Cratero, ac Meleagro Alexandri Magni ducibus sabulum hoc palæstræ causa deportabatur. Plutarchus in Alexandro, refert complures Leonacto camelos transferre solitos puluerem ad gymnasia ex Aegypto vsque.

Aulicis.] Ab aula Imperatoria aulici dicti. Spartianus famulicium aulicũ appellat famulos Imperatorios.

Currus appositus.] In contumeliam, taxationémq; aurigationis hoc factum est, cùm Nero studio immodico agendi currus, vt suprà dictum est, teneretur.

Agona.] Certamen.

Traderet.] Corrige traheret: currus enim trahi dicitur.

Alterius.] Statuæ Neronis.

Scopa deligata.] Supplicium non tam acerbũ, quàm ignominiosum est, quando sontes ob noxam scoparũ fasciculo manuali cæduntur circunducti per fora, vt vibices tubéres existant in tergo. Hoc vulgò dicitur scopare: quo verbo vsus est Hieronymus in Isaiæ interpretamẽto. Verba ex sacro codice hæc sunt: Scopabo Babylonem in scopa terens, dicit Dominus exercituum. Vbi annotauimus, scopam dici ἑνικῶς, hoc est singulariter, sicut & in hoc loco Tranquilli: quamuis vsus, & authoritas eruditorũ velit, vt scopæ pluraliter efferantur. Præterea Columella scopulam, tanquã à scopa diminutiuo vocabulo singulariter protulit: cuius verba hæc sunt ex XII. Deinde peniculo detergitur, & feruentissima pice infusa nouo alio rutabulo, & scopula picatur. Sensus autem Tranquilli hic erit, deligatã fuisse scopã statuæ Neronis, ad significandum illum dignum esse contumeliose scoparum supplicio. Quod tamen cùm leue sit, dicit scopa: Ego quid potui? quasi dicere velit: Scopæ non sunt idoneæ ad Neronem puniendum, qui ob parricidia meretur insui culeo cũ gallo, simia, & serpente: quæ pœna est parricidarum, & supplicii genus atrox, congruénsque Neroni matricidæ, patricidæ, fratricidæ. Politianus verò vir doctissimus pro scopa legendum asserit ascopera. Est autem ascopera Græcum vocabulum, significátque, vt ait Suidas, marsupium, siue crumenam. Fuit igitur ascopera, id est, sacculus pelliceus alligatus collo statuæ Neronianæ, velut symbolũ culei, cùm ipse fiat è corio: tanquã per ascoperã significaretur, Neronem, vt pote matricidam, culei suppliciũ mereri: de quo diximus abunde in Augusto: de quo sic ait Quintilianus in VII. Qui patrem occidit, culeo insuatur: matrem occidit, ex quo significatur & matricidã culeo insuendũ: cùm ex scripto ducatur quod scriptũ non est. Obiter annotandum, scoparios dici ministros, quorum ministerium est, vt scopis deuerrant pauimenta sordentia.

Gallos excitasse.] Gallus nomen est ὁμώνυμον, significat enim gentem, auem, & castratum: & nomen est hominis propriũ. Nunc allusio est ad nomen auis, & gentem Gallicanam. Nam cùm dicere videatur gallos gallinaceos fuisse excitatos à Nerone cantante, cùm ipsi soleant cantu ad opera excitare mortales: intelligit Gallos, hoc est, gentem Gallicanam fuisse excitatam ad defectionem, quæ principem cantorem ferre non poterat, dedignabatúrque seruire principi cantori, citharœdo, quadrigario.

M. AN. PVluere.] Plinius: Non multùm à puluere Puteolano distat arena tenuissima, non ad sustinenda maria, fluctúsque frangendos, sed ad debellanda corpora palæstræ studiis: inde certe Patrobio Neronis principis liberto aduehebatur.

Currus.] Quid per currum, præter aurigandi studium intelligere possumus, nõ video: nam Nero in publicis quoque spectaculis, vt est suprà demonstratum, aurigandi peritiam ostentauit.

Agona.] Certamen. Ad bellum vndique illi conflatum allusit.

Scopa.] Sic Tranquilliani omnes, quos dúntaxat vidimus, habent codices, sed nil ad culeum, quem Nero meritus erat, scopa. Addo quod, Fabio authore, vt scalas, sic scopas numero multitudinis dicimus: sed ascoperam legendum, vt ex Politiani viri clarissimi obseruationibus didicimus: ille vetustissimi codicis lectione fretus, in quo minùs mutilatam esse dictionem scribit: cæterùm Suidæ authoritatem secutus, qui ἀσκοπήρα μαρσίππιον, id est, marsippium esse ait, nos facile in sententiã adduxit, vt pro scopa mẽdosa dictione, ac ne Latina quidem, ascoperã legamus: vt sit sensus, Ego quod potui pelliceum, siue minimum follem tibi induxi: sed tu quia matrem peremisti, culeum es meritus, capaciorem, dico, follem, quo insutus in profluentem deiiciare. Cicero ad Herennium, si Ciceronis id opus est. Est lex: qui parentem necasse iudicatus erit, vt is obligatus, & obuolutus corio deuehatur in fluentem. Dionysius bubulum ait corium ipsi supplicio adhibitum. Valerius illi adstipulatur.

Gallos.] Ad Galliarum defectionem allusit, illius desidia, inertique cantandi studio ortam.

Vind

Iam noctibus iurgia cum ſeruis plerique ſimulantes, crebrò Vindicem poſcebant.

Portentis ſomniorum territus. XLVI.

TErrebatur adhæc euidentibus portentis ſomniorum, & auſpiciorum, & ominum tum veteribus, tum nouis, nunquàm anteà ſomniare ſolitus. Occiſa demum matre, vidit per quietem nauem, ſibi regenti extortum gubernaculum, trahíque ſe ab Octauia vxore in arctiſſimás tenebras. Et modò pennatarum formicarum multitudine oppleri, modò à ſimulacris gentium ad Pompeii theatrum dedicatarum circumiri, arcerique progreſſu. Aſturconem, quo maximè lætabatur, poſteriore corporis parte in ſimiæ ſpeciem transfiguratum, ac tantùm capite integro hinnitus edere canoros. De Mauſoleo ſponte foribus patefactis exaudita vox eſt, nomine eum ciens. Calendis Ianuarii exornati Lares in

PHIL. VIndicem poſcebât.] Mordacitas falſa eſt io oomine Vindicis: nam cùm videretur poſcere viodicé, hoc eſt vltorem, atque lorarium, qui vindicaret, id eſt, puniret ſeruos, & plecteret: ſymbolicôs petebant Iuoium Vindicem defectionis ducem ad Rempublicam à tyrannide Neronis vindicádam, aſſerendámque.

Et ominum.] Omina propriè ad verba referuntur. Priſci oſmen dixerunt, nos omen extrito ſ. De ominibus ſic ſcribit Cicero: Noo ſolùm deorum voces Pythagoræi obſeruanerunt, ſed etiã hominum, quæ vocãt omina: quæ maiores noſtri, quia valere cenſebant, Idcirco omnibus rebus agẽdis, Quod bonom, fauſtum, felix, fortunatúmq; eſſet, præfabantur.

Nuoquã ſomniare ſolitus.] Scribit Plin. In x. quoſdã nonquam ſomniare, quibus mortiferum fuit ſignũ coontra cõſuetudinem ſomniaſſe. Quæſtio eſt magna apod eruditos, vtrũ ſint aliqua præſcita animi quieſcentis, & an ſomniis credendum ſit. Extortum gubernaculum.] Nauigii rector gubernaculum moderatur, & clauum tenens, quanuis ſedeat in puppi quietus, maiora tamen, & meliora facit quàm iuoenes faciant. Nero tanquam gubernator regebat nauem, ſed cùm ſomniaſſet gubernaculum ſibi per vim extortum eſſe, atq; detractũ, ſignificabatur quòd Romani Imperii, quod tanquam gubernator diu rexerat, gubernacula ſibi per vim extorquereotur.

Ab Octauia.] Quam occiderat.

In arctiſſimas tenebras.] Quaſi dicat, infernas.

Pennatarum.] Hoc formicarum ſomnium portendebat vim multitudiuis eſſe cauendam, cùm formicæ gregatim degant. Apud Indos formicæ pennatæ ſunt canum magnitudine mioores, vulpium verò maiores: quæ ex caoernis terræ egerunt aurum, quod Iodi furantur præuelocibus camelis vtentes: quorum odore ſolicitatæ prouolãt, crebróq; lacerant illos fugientes: Plinios In xi. & Herodotus in iii. authores. In Sicilia oõ ſunt pennatæ formicæ. Eſt & formicarum genus veneoatarum: ſolifugas Cicero appellat, ſalpygas Bætica: & ita apoellantur à Lucano, vtpote Hiſpano poeta: qui ſic ſcribit in x. Pharſaliæ,

Quis calcare tuas metuat ſalpyga latebras?

A ſimulacris gentiom.] Somniauit Nero quòd ſimolacra, & effigies earum gentiom, quæ dedicatæ ad ornatum theatri Pompeiani viſebantur, ſe ipſum circuirent, prohiberéntq; ingredi theatrum: qood fuit ominoſum. Pompeius autem Magnus In ornamentis theatri mirabiles fama poſuit effigies, ob id diligentiùs magnorum artificum ingeniis elaboratas: inter quas legitur, vt inquit Plinius in vii. cap. iii. Euryche à viginti liberis rogo illata Trallibus, enixa triginta partus.

Aſturconem.] In Hiſpania Aſturia gens inclyta eſt genere equorum, quos Aſturcooes appellant: qoibus forma minori præditis mollis eſt alterno crurum explicatu glomeratio: hi tollutim gradiuntur, hoc eſt volubiliter: vnde & tollutarii dicti à Seoeca.

Hinnitus.] Hinnire dicũtur equi: vnde hinnitus equina vox. Equus Nerooi viſus in ſõniis emittere hinnitum ſonaotiorem, portendit exitiũ. Contrà Diooyſio factũ eſt omen futuri regni, quom exaudiſſet equum hinnientem, qui ſobmerſus voraginibus extrahi noo potuerat.

Mauſoleo.] Sepulcrum intelligit, quod Auguſtus Cæſar extruxit in campo Martio: de quo ſatis multa ſuo loco memorauimus.

Ciens.] Vocãs. Aliàs ciens dicitur mouẽs. Cit, & ciet, verbum eſt apod Plinium frequentiſſimum, pro eo, quod eſt mouet. Simile penè omen factum eſt Didoni, quæ nominatim ſe citari ſenſit à ſimulacro mariti Sychæi. vnde ait Ouidius:

Ipſe ſono teoui dixit, Eliſſa veni.

Et Maro canit in iiii.

Hinc exaudiri voces, & verba vocantis
Viſa viri.-

Exornati Lares.] De Laribos ſtatim diximus in Auguſto: quorum ſimulacra cùm Nero principio anni ex conſuetudine exornaſſet, ſua ſponte corruerunt: quod fuit portentoſum. Feriæ Laribus dedicatæ fuerunt xi. Calendas Ianoarii: quibus ædem Aemylius prætor in Campo Martio curandam vooit. Indicat Plinius in xxi. coronis ornari ſolitos Lares publicos, & priuatos.

CRebrò Vindicem.] Ciues quàm plurimi ſimulata In ſeruos ira, quum tortorem appellarent, viodicem adeſſe Iubebant: ad ipſum Gallicanæ defectionis authorem omen referentes. M.A N.

Tum veteribus.] Superiore tempore aut per quietem, aut aliter viſis.

Noois.] Poſt defectionem oblatis.

Ab Octauia.] Coniuge: qoam falſo adulterii crimine occiderat.

Oppleri.] Cooperiri.

Arcerique progreſſu.] Vt vnum ad principatus amiſſionem inſomnium pertioeret, alterum ad ipſios interitum, tertiũ tam ad Imperii, qoàm ad vitæ exitũ.

Aſturconem.] Aſturcones ab Aſturia Hiſpaniæ parte, vnde optimi veniũt eqoi parui, qui molliter alterna crura glomerando explicant. Martialis:

Hic breuis ad numerũ rapidos qui colligit vngues
Venit ab auriferis gentibos Aſtur equus.

Maoſoleo.] Quod in Martio campo fuiſſe oſtendimus.

ipso sacrificii apparatu conciderunt. Auspicanti Sporus annulum muneri obtulit, cuius gemmæ sculptura erat Proserpinæ raptus. Votorum nuncupatione magna iam ordinum frequentia vix repertæ Capitolii claues. Quum ex oratione eius, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in Senatu, daturos pœnas sceleratos, ac breui dignum exitum facturos, conclamatum est ab vniuersis: Tu facies, Auguste. Obseruatum etiam fuerat, nouissimam fabulam cantasse eum publicè Oedipodem exulem: atque in hoc decidisse versu,

Θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος, μητὴρ, πατήρ.

Deseritur ab omnibus. XLVII.



Vntiata etiam interim cæterorum exercituum defectione, literas prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subuertit, duos scyphos gratissimi vsus, quos Homericos à cælatura carminum Homerici vocabat,

PHIL. Auspicanti.] Aospicia obseruanti. Suprà diximus, nihil publice sine auspiciis, nec domi, nec militiæ geri solitū. Sporus.] Significat illū, qui Neroni ritu fœmineo denupsit. Proserpinæ raptus.] Talis sculptura præsagiū fuit Neroni, quod & ipse ab Orco raperetur, sicut rapta fuerat Proserpina, quæ fabula notissima est carminibus poetarum, & Ciceronis testimonio, qui scribit in Verrinis, raptam esse Proserpinam ex nemore Ennensium: qui locus in media Sicilia situs est: & id circo vmbilicus Siciliæ nominatur. Proserpinam Lunam significare docet Mar. Varro, & à proserpendo dictā, quòd vt serpens modò in dextram, modò in sinistrā cæli partē late moueatur. Serpere, & proserpere idem dicebát: vt Plautus, qui scribit in Asinaria: Fac me proserpērē bestiā. Votorum nūcupatione.] Moris erat, vt Calendis Ianuarii solennis votorum nuncupatio fieret à principe, Consulibus ineuntibus magistratum: qoi ibant, vt ait Liuius, in Capitolium ad vota nuncupanda. Huius quoqoe rei sic meminit Cor. Tacitus: Quin & illa obiectabat, principio anni vitare Thraseam solenne iusiurandum, nuncupationibus votorum non adesse. Vota nuncupata dicuntur, quæ Consules, prætorésve cùm in prouinciam proficiscuntur, faciunt: ea in tabulas præsentibus multis referuntur. Et pecunia nuncupata dicebatur promissa, nominata, & quasi testificata in nexo faciendo. Nero cùm vellet ex ritu ire in Capitoliū ad vota nuncupanda, habuit hoc dirum præsagium, quòd claues vix repertæ sunt: tanquam dii recusarent votorum nuncupationem fieri à Nerone, qui illa non esset soluturus. Recitaretur.] Per quæstorem.

Daturos pœnas.] Hæc particula erat Neronianæ orationis scriptæ in Iunium Vindicem authorem defectionis. Tu facies Auguste.] Hæc diasyrtica acclamatio est: nam cùm viderentur dicere hoc, ô Auguste, hoc est, ô Nero Cæsar, tu facies, scilicet quòd scelerati dabunt pœnas: intelligi volebant, qoòd Nero faceret, scilicet exitum dignum suis sceleribus: & ita relatio facta est ad illud verbum, facturos exitum, ex oratione Neroniana recitatum.

Nouissimam.] Vltimam: post quam nullā ampliùs egit. Oedipodem exulem.] Tragœdiæ scribebantur de Oedipode excæcato, & Oedipode exule: quemadmodum post parricidium eiectus fuit in exilium, ex quo in regnum incidit: vnde ait ipse apud Senecam in tragœdia, cui titulus est Oedipos: Exul, intrepidus, vagans, cælum, deósqoe testor, In regnum incidi. Et olim Epaminundas Thebanus, quum à Callistrato oratore Atheniensi obiiceretur Thebanis Oedipus patroctonos, id est patricida, festiuiter dixit, Nos fatemur Oedipoden fuisse patricidam: verùm ob id scelus illum nos quidem eiecimus, Athenienses verò susceperunt. Sæpenumero auguria, præsagiáque ducta sunt in principes ex huiuscemodi fabulis. Olim Philippo Alexādri Magni patri factum est omen luscationis, dum Cyclopum fabulam audiret recitari.

θανεῖν.] Interpretatio hæc est: Mori me iussit vxor, mater, pater. Hanc sententiam dicebat de seipso Oedipus in fabula: tāquam mori iuberetur propter vxorem, quæ erat mater Iocasta, & per patrem Laium, quem interemerat. Idem versus Neroni commodissimè aptari potest, qui mori iubetur propter vxorem Octauiam, matrem Agrippinam, patrē Claudium, quos omnes interemerat.

Cæterorum exercituum.] Germaniciani, & Hispaniensis.

Cōcerpsit.] Discidit, dilacerauit. Aulus Gellius: Librum statim coràm discidit suis manibus, & cōcerpsit.

Duos scyphos.] Scyphus poculum est ita Herculis, vt Liberi Patris cantharus. Plinius calices appellat, atque crystallinos fuisse, sic scribens lib. vltimo Natu. hist. Nero amissarum rerum nuntio accepto duos calices crystallinos in suprema ira fregit illisos. Hæc fuit ratio seculum suum puniennis, ne quis alius ex his biberet. A cælatura carminum.] Homerus in vndecima Iliados rhapsodia calicem Nestoreū describit, qui aureis clauis interpunctus erat, duplici fundo, quatuor velut auribus redimitus, ad quarum singulas binæ colūbæ aureæ pasci videbantur: qui tam grauis erat, vt repletū vix ex mensa alius mouere posset: quem Nestor poturus facilè tollebat. Nestorida id vasis genus appellauerunt: de cuius forma, atque cælatura Eustathius multa digna cognitu prodidit. Ad hoc poculi Nestorei genus allusit Martialis:

Hi duo longæuo censetur Nestore fundi
Pollice de Pylio trita columba nitet.

Nero scyphos crystallinos appellabat Homericos ab hac cælatura, quæ de Nestorio calice Homericis versibus luculentè describitur.

M. A N. Auspicanti.] Auspicia captanti. Sporus.] Qui Neroni nupsit. Vix repertæ claues.] Quasi dii nulla essent illius vota excepturi.

Tum facies.] Quod sic interpretandum apparet, quasi acclamatum esse vt dicerent, qui circunfusi steterant, Ita facies Nero: hoc est, hūc exitum tuis sceleribus dignum assequêre. *θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ.*] Mori me iusserunt vxor, mater, pater.

Concerpsit.] Lacerauit.

Duos scyphos.] Calices crystallinos. Plinius. Nero, inqoit amissarum rerum nuntio accepto, duos calices crystallinos in suprema ira fregit.

ſolo illiſit,ac ſumpto à Locuſta veneno , & in auream pyxidem condito , tranſiit in hortos Seruilianos. Vbi præmiſſis libertorum fidiſſimis Hoſtiã . ad claſſem præparandam,tribunos,centurionéſq; prætorii de fugæ ſocietate tentauit. Sed partim tergiuerſantibus , partim apertè detrectantibus, vno verò etiam proclamante, Vſqueadeóne mori miſerum eſt? varia agitauit , Parthóſne , an Galbam ſupplex peteret , an atratus prodiret in publicum, próque Roſtris quanta poſſet maxima miſeratione veniam præteritorum precaretur. Ac ni flexiſſet animos,vel Aegypti præfecturam concedi ſibi oraret.Inuentus eſt poſteà in ſcrinio eius hac de re ſermo formatus. Sed deterritum putant , ne priùs , quàm in forum perueniret, diſcerperetur. Sic cogitatione in poſterum diem dilata, ad mediam ferè noctem excitatus , vt comperit ſtationem militum receſſiſſe , proſiluit è lecto,

PHIL. Solo illiſit.] Terræ applosit,infregítque.

Pyxidem.] Pyxides cuioſcunque materiæ ſunt, vt ait Fabius. Pyxidas,quæ per diminutionem pyxidiculæ dicuntur,accõmodatas eſſe veneno declarat ſententia illa apud Lactantium celeberrima : Medicorum tituli remedia habent,pyxides venena. Et Cicero in oratione pro Cælio ait,eôdem Liciniũ eſſe venturum , atq; his veneni pyxidẽ traditurũ. Et eiuſdem pyxidis ibidẽ ſæpe commeminit: vnde à Quintiliano Cæliana pyxis dicta.

In hortos Seruilianos.] In Seruiliorum familia illuſtri,vnde Seruiliani horti dicti.fuit hoc dignum cognitu,& memoratu : Habebat trientem æreũ ſacrũ, quem paſcebat auro, argẽtóq; conſumentem verũ que: cui ſumma cũ cura , magnificentiáque quotannis ſacra faciebat , quẽ ferunt aliâs creuiſſe , aliâs decreuiſſe videri: ex eo aut dimiontionem , aut honorem familiæ ſignificari. In Seruilianis autem hortis ſolitum Neronẽ commorari docet Corn. Tacitus , qui ait , Milichum,à quo detecta eſt coniuratio, veniſſe in hortos Seruilianos ,ibique conuentum Neronem edocuiſſe quæ audierat de coniuratis.

Centuriones prætorii.] Cohortium prætorianarũ, quæ erant honoratiores,& ad cuſtodiam principis viciſſim excubabant.

Tergiuerſantibus.] Diſſimulanter abnuentibus. Eſt enim tergiuerſari, quaſi tergum vertere. Lucilius tergioerſatorem nouo vocabulo dixit bouinatorem. Lucilii verſus hic eſt:

Hic ſtrigoſus,bouinatórque ore improbus duro.

Vno proclamante.] Ex centurionibus , ſiue tribunis prætorii.

Vſqoeadeóne mori?] Hemiſtichion eſt Vergilianum,quod dicit Turnus ad ſororem Iuturnam in XII. Aeneidos, vbi oſtendit potiùs moriendum eſſe,quàm fugiendum. Verſus Maronis hi ſunt:

Vſqueadeóne mori miſerum eſt? vos ô mihi manes
Eſte boni,quoniam ſuperis auerſa voluntas.

Parthóſne.] Itidem Pompeius in extrema ſua fortuna deliberauit, Parthos, an Africam , an Aegyptum peteret: ex quo triplices fieri ſuaſorias poſſe Quintilianus oſtendit in III. Inſtitutionũ. Scribit Plutarchus in Galba,nemini dubium fuiſſe , Neronem ex rerũ deſperatione in Aegyptum fuga conceſſurum.

Atratus.] Indutus atris,hoc eſt nigris veſtibus : qui color funebris eſt , conuenitque lugentibus,& ad miſericordiam mouendam eſt accommodatus. Neſas erat apud priſcos in epulo publico accumbere atratos conuiuas. Hinc Cicero taxat Vatinium, quòd in epulo Q. Arii cœnauit atratus. Græci ἀνθράκινον vocãt nigrum, atrúmque colorem,ab anthrace,qui Græcè dicitur carbo : & veſtis anthracina erat lugentium , ſicut noſtro quoque tempore in luctu vſurpatur. Varro amiculum nigellum appellauit veſtitũ nigri coloris , quo vtimur in luctu. Verba Varronis hæc ſunt : Propinquæ adoleſcentulæ , & adoleſcentuli proximi, amiculo nigello, capillo demiſſo ſequerentur luctum.

Præteritorum.] Vt ſibi præterita delicta , factáque cõdonarẽtur : cùm præterita magis reprehendi poſſint, quàm corrigi : & quod factum eſt,fieri infectum non poſſit : &, vt dicebat Plato , & repetit Seneca , nemo punit quia peccatum eſt, ſed ne peccetur.

Præfecturã Aegypti.] Equites Romani ex inſtituto diui Auguſti Aegypti præfecturam obtinebant loco regum,copiáſq; , quibus Aegyptii coercerentur: ita viſum expedire eſt, vt author eſt Tacitus,retinere prouinciam aditu difficilem, annonæ fœcũdam,ſuperſtitione diſcordem. Prætereà Aegyptus diuiditur in præfecturas oppidorum , quas nomos vocant: ſicut eſt Lycopolites , Aphrodipolites, & Bubaſtites. Eſt autem Bubaſtitis præfectura , vt hoc in tranſcurſu declaremus , dicta à ciuitate Bubaſti , vbi conuentus quotannis agebatur in honorem Dianæ, quam Bubaſtin vocant: author Herodotus in II. Hinc ab Ouidio dictum:

Sanctáqoe Bubaſtis,variiſque coloribus apis.

Vel Aegypti.] Hæc particula hoc in loco accipi videtur pro ſaltem: vt ſit ſenſus, Neronem , ſi flectere nequiuiſſet animos Romanorum infeſtiſſimos , agitaſſe vt ſaltem ſibi præfectura Aegypti concederetur : quæ res comparatione regni, eſt oppidò quàm puſilla.

Scrinio.] In quo ſcilicet epiſtolæ repoountur. Seneca in vltimo Controuerſiarum : Et ſcrinium, in quo erãt miſſæ ab hoſtibus epiſtolæ,ſuſtulit. Hinc magiſter ſcrinii dictus. Diſcerperetur.] Laceraretur.

Stationem militom receſſiſſe.] Ex more cohors prætoria ſtationem per vices agere ſolebat in Palatio. Scribit Cornelius Tacitus , militem vrbanum , ad deſtituendum Neronem arte magis,& impulſu,quàm ſuo ingenio traductum.

Tergiuerſantibus.] Neq; pollicentibus,neq; apertè recuſantibus. M. A N.

Detrectantibus.] Abnuentibus.

Atratus.] Mœſto,& lugubri habitu,& qualis reum, ſupplicémq; deceret. Quidam attractus legunt , quaſi verò expectandum cenſuiſſet tantiſper , dum iniectis catenis in medium traheretur: quod tam ridiculum eſt dicere,quàm ſtultum fuiſſet agere.

Flexiſſet.] Flectere potuiſſet,vt in priſtina dignitate,Imperióque retineretur.

Nihil

misitque circum amicos. Et quia nihil à quoquam renuntiabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. Verùm clausis omnium foribus, respondente nullo in cubiculum rediit, vnde iam & custodes diffugerant, direptis etiam stragulis, amota & pyxide veneni. Ac statim Spicillum Mirmillonem, vel quemlibet alium percussorem, cuius manu periret, requisiuit. Et nemine reperto, Ergo ego, inquit, nec amicum habeo, nec inimicum: procurritque quasi præcipitaturus se in Tyberim.

De fuga eius ab urbe. XLVIII.

SEd reuocato rursus impetu, aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum desiderauit: & offerente Phaonte liberto suburbanum suum inter Salariam & Nomentanã viam circa quartum milliariũ, vt erat nudo pede, atq; tunicatus, penulam obsoleti coloris superinduit, adopertóq; capite, & ante faciẽ obtenso sudario, equum inscendit, quatuor solis comitantibus, inter quos & Sporus erat. Statímque tremore terræ, & fulgure aduerso pauefactus; audiit

PHIL. Nihil à quoquam.] Hoc vsu subinde compertum est, quod amici cum fortuna mutant fidem, qui in rebus aduersis nulli reperiuntur, cùm in florentibus cateruatim coouoleot. Hinc Ambrosius in III. Hexameri: Alius auis, atauisque nobilis, insignibus amicis abundans, stipatus clientibus, repẽte aliqua accidentis periculi mole turbatus destituitur ab omnibus, derelinquitur, impugnatur à proximis. Amicus certus, vt inquit Ennius, in re incerta cernitur. Parantur autem amici beneficẽtia, comitate, dextesitate: quorum nulli vnquã fuit satis. Esto ergo, mi Annibal, sicut profectò es, propensus ad amicitias conciliandas. Singulorũ.] Amicorum.

Vnde.] A quo cubiculo.

Direptis stragulis.] In tumultu & rerum perturbatione hoc fieri solet, vt non solùm stragula, sed tota supellex diripiatur, asporteturque.

Pyxide veneni.] Suprà diximus, Neronem habuisse venenũ in aurea pyxide recõditum, quæ à custodibus inter diripiendum stragula fuerat amota ex cubiculo.

Spicillum.] Nomen est gladiatoris, vt iunctim legas Spicillum mirmillonem: tanquam vnus tantummodo significetur: de quo sic scribit Plutarchus in Galba: Quare Spicillum gladiatorem Neronis statuis dum traherentur subiectum in foro perdiderunt?

Percussorem.] Cuius manu, ferróque percussus occumberet. Multi enim traduntur in extrema desperatione quæsiuisse percussorem: sicut libro primo Regum scriptum est, Saulem dixisse ad armigerum suum, Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè veniãt incircuncisi isti, & interficiant me, illudentes mihi. Brutus quoque Dictatoris Cæsaris interfector Stratonem adhibuit, qui ensem subiecit, cui moribũdus incubuit.

Nec amicum.] Scilicet cuius manu perire possim. Addit Sextus Aurelius, Neronem post istud verbum subdidisse: Dedecorose vixi, turpiùs peream. Chilo Lacedæmonius amicitias, inimicitiásque ex necessitate inuicem consequi arbitrabatur: vnde cùm audiuisset quendam dicentem, nullum se Inimicũ habere, interrogauit an nullum etiam amicum haberet: tanquam alterum sine altero esse non possit.

Ad colligendum animum.] Confirmandum, reficiendúmque. Colligere enim interdum est reficere, & recreare. Cicero: Manifesto furto perturbatus, vbi se collegit.

Salariam viam.] Salaria via Romæ est, quæ à sale nomen accepit: nanque per illam sal in Sabinos portari consueuerat: author Plinius in XXXI.

Nomentanam.] Via Romana est, qua itur Nomentum. De Nomento ait Martialis:

Si vicina tibi Nomento rura colũtur. Est autẽ oppidũ in Latio nõ procul ab vrbe Roma. In agro Noménano balnea fuerunt, quæ Strabo appellat Labana. Palæmon grammaticus in agro Nomentano vineas mercatus est fœcunditate præcellentes. De hoc suburbano liberti Neroniani sic scribit Eusebius in chronicis: Nero cùm à Senatu quæreretur ad pœnam, è Palatio fugiens ad quartum vrbis milliarium, in suburbano liberti sui inter Salariam & Nomẽtanam viam semet interfecit.

Tunicatus.] Indutus sola tunica, quam vulgò camisiam vocant: quæ & interula vocitatur.

Penulam.] Vestis est, quæ tunicæ superinduitur: de qua alio loco plura. Penulis intra vrbem frigoris causa, vt senes vterentur permisit Alexãder Romanus Imperator: quum id vestimẽti genus itinerarium, aut pluuiæ fuisset. Matronas intra vrbem penulis vti vetuit, in itinere permisit. Commodus Imperator contra cõsuetudinem penulatos iussit spectatores, nõ togatos ad munus gladiatorum conuenire.

Obsoleti.] Sordidi, & squallidi. Horatius:

Caret obsoleti sordibus tecti. Inde obsoletissimus vestitus ab Apuleio dictus in Floridis, pro sordidissimo, & lugentibus accõmodo. Obtenso.] Prætento, antepositóq;. Fulgure aduerso.] Tranquillus omisit id, quod alii de Nerone prodiderũt, videlicet quòd olim discũbenti Neroni dapes fulmine ictæ fuerũt, mẽsáq; disiecta: &, vt inquit Philostratus, calix manu Neronis excussus est, cùm is ori propiùs admouisset. Ex quo Apollinii Tyanæi existimatio eũ admiratione maxima facta est, qui triduo antè suspiciens in cælum propter id prædixerat: Erit magnum aliquid, & non erit.

M. AN. STragulis.] Cubiculari apparatu. Pyxide amota.] vt ne mori quidem liceret. Percussorem.] Qui se ferro conficeret. Nec amicum habeo, nec inimicum.] Vocem verè miserabilem: miser sit necesse est, qui neutrum habeat. Quod vox illa apud Lælium Ciceronis declarat: quũ quidam stultè gloriaretur se inimicum nullum habere, responsum est, ergo nec amicũ: necesse est enim hominis vitã vtrunq; sortiri. Salariã & Nomentanã viam.] Salaria via, qua in Sabinã itur: dictáq;, vt Festo placet, quia per eam Sabini salem deferebant. Est Salaria quoq; porta, quæ olim Quirinalis, mox Collina, vt Varro innuere videtur, dicta est.

Nomentana via.] Quia Nomentum ducat.

Sudario.] Tenui velo.

Nihil

ex proximis castris clamorem militum, & sibi aduersa, & Galbæ prospera ominantium: etiam ex obuiis viatoribus quẽdam dicentem, hi Neronem persequuntur: alium suscitantem, ecquid in vrbe noui de Nerone? Equo autem odore abiecti in via cadaueris consternato, detecta facie agnitus est à quodam Missitio prætoriano, & salutatus. Vt ad diuerticulum ventum est, dimissis equis inter frutice ta, ac vepres, per arundineti semitam ægrè, nec nisi strata sub pedibus veste, ad aduersum villæ parietem euasit. Ibi hortante eodem Phaonte, vt interim in specum egestæ arenæ * conderetur, negauit se viuũ sub terram iturum: ac parumper commoratus, dum clandestinus ad villam introitus pararetur, aquã ex subiecta lacuna potaturus manu hausit. Et hæc est, inquit, Neronis decocta. Dẽinde diuulsa sentibus penula, traiectos surculos rasit: atque ita quadrupes per angustias effossæ cauernæ receptus, in proximã cellam decubuit super lectũ *modicella culcitra, vetere pallio strato instructũ. Faméq; & iterũ siti interpellãte, panẽ quidẽ sordidũ

* concederet

modica

PHIL. EX proximis castris.] Prætoria castra intelligit, quæ erant ad extrema vrbis tecta collocata.

Ominantium.] Præsagientium, atq; augurantium.

Quendam dicentem.] Scilicet audiuit.

Ecquid.] Nunquid noui? ex vsu quotidianæ interrogationis dictum.

Equo.] Quo Nero vehebatur.

Consternato.] Conterrito, pauefacto, conturbato.

Detecta.] Reuelata: quam sudario conuelauerat.

Missitio.] Nomen prætoriani militis. Mentio quoq; fit à Martiale Missitii cuiusdã Rauennatis.

Ad diuerticulum.] Diuerticulũ est, vbi iter de via flectitur. Et proprie diuerticula, authore Donato, dicuntur in via domicilia, ad quæ de itinere diuertendum fit. Seruius enarrãs illud Vergilianum,

Obiiciunt equites sese ad diuortia nota. exposuit diuortia esse diuerticula. Diuerticula autẽ dixit esse semitas transuersas, quę sunt à latere viæ militaris. Fruticeta.] Loca plena fruticibus: sicut senticetum vocamus locum sentibus, spinisque refertum. Fruticare vetus verbum est, & significat pullulare, atque succrescere. Iuuenalis: Et fruticante pilo.

Vepres.] Spinas. Vergilius:

Et hirsuti secuerũt corpora vepres. Inde diminutiuum fit vepr ecula, quo vsus est Cicero in oratione pro Sestio scribens, vepreculis extracta nitedula, vbi nitedula significat exiguum murem.

Arundineti.] Locum arundinibus consitum dicimus arundinetum. Cato præcipit in arundineto asparagos maximè serendos esse. Semitam.] Semita, vt ait Varro, via angusta est, quasi semi iter dicta.

Ad aduersum.] Ex opposito, & è regione collocatũ.

Egestæ.] Extractæ.

Clandestinus.] Furtiuus, & occultus. Hæc dictio penultimam producit contra vsum perperam pronuntiãtium. Silius in VII. Punicorum:

Ceu clandestino traheretur fœdere bellum. Manlius in primo Astronomicon:

Et clandestinis surgentia fraudibus arma.

Lacuna.] Fouea. Lacunæ, vt ait Seruius, sunt fossæ, in quibus collecta aqua stare consueuit. Inde lacunosum deriuatur. Per similitudinem decentissimam dixit Cicero: Vide, quæso, ne lacuna sit in auro. Idẽ in Verrinis: Lacunam rei familiaris expellerent.

Manu hausit.] Poculum Naturæ manus sunt. Diogenes cùm vidisset puerum aquas manibus haurientem, abiecit poculum, quod habebat ex ligno, dicens: Nesciebam quòd Natura haberet poculum. De hoc manuali poculo decenter dictum est illud à Calphurnio in Bucolicis:

Concauat ille manus, palmásque in pocula vertit.

Hęc est Neronis decocta.] Neronis principis inuentum fuit decoquere aquam, vitróque demissam in niues refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit sine vitiis niuis: autho Plinius in XXXI. Igitur Nero memor huiusce aquæ delicatissimę, cuius ipse fuerat inuẽtor, cùm bibiturus foret aquam lutosam cœnosámque, dolenter dixit, & miseranter: Hæc est decocta Neronis. tanquã dicere vellet: Heu me miserũ qualem aquã bibo! non est hæc illa decocta, qua ego per delicias vti solebam, niuibus refrigerata. Et hoc pathetica oratione pronuntiandũ est.

Diuulsa.] Discissa, lacerata.

Sentibus.] Spinis, vepribus. Inde senticosum, spinosum dicimus.

Quadrupes.] Instar quadrupedis pedibus, manibúsque gradiens, introiuit per angustias.

Decubuit.] Iacuit.

Modica.] Alii codices habent modicella, tanquam diminutiuum sit à modico formatum.

Instructum.] Ornatum: sicut dicimus fundum instructum, & domum instructam.

Interpellante.] Extimulante, lacessente.

Panem sordidum aspernatus.] Fame panis omnis solet esse suauis & bonus. In quam sententiam est illud à Seneca prolatum libro vltimo Epistolarum: Non habet panem meus pistor, sed habet villicus, sed habet atriensis, sed habet colonus: malum panem inquis, expecta, bonus fiet: & iam illum tenerum tibi, & siligineum fames reddet: ideo nõ est antè edendum, quàm illa imperet. Profectò optimum obsoniũ est fames: sicut suauissima potio est sitis. Darius, vt inquit Cicero in quinta Tusculana, quum aquam turbidam ex cadaueribus inquinatam in fuga bibisset, negauit vnquam se bibisse iucundius: nunquàm videlicet sitiens biberat. Ptolemæo quoque peragranti Aegyptum, comitibus non consecutis, cùm cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane iocundius: nunquàm videlicet esuriens ederat. Socrates dicebat ambulando se obsonare famem. Nero tamen in fame panem cibarium aspernatus est, nec in siti aquam suauiter bibit: cùm iam morte appetente, & fatis super caput instantibus, nec mulsum, nec panis siligineus potuissent palatum oblectare.

M. AN. AD aduersum.] Ex aduerso stantes.

Euasit.] Per arundineti semitam, & vepres peruenit.

Prætor

Prætoriano.] Milite. Egestæ arenæ.] Vnde arena erat egesta. Introitus pararetur.] Nam ad villæ murum progressus non continuò est villam ingressus. Decocta.] Id est, decoctæ loco cupidissimè epota. Surculos abrasit.] Surculos, qui traiecta penula inhæserãt, detersit. Quadrupes.] Pedibus, & manibus obrepens. Strato.] Superiniecto.

cui numerus quotidie seruorum veluti Imperatori exercitus referebatur: quem puduit locupletiorem esse patrono. Non igitur mirum, si à Phaontis liberti Neroniani cursore ait prolatos fuisse codicillos, hoc est pugillares, & tabellas. Cursores autem erant in numero famulorum. Aelius Verus Romanus Imperator cursores suos ventorum nominibus vocitauit, alium Boream, alium Notum, item Aquilonẽ, aut Circium, cæterisq; nominibus appellans.

oblatum aspernatus est, aquæ autem tepidæ aliquantum bibit.

Mors eius, & gesta in ea. XLIX.

TVnc vnoquoque hincinde instante, vt quàm primùm se impendentibus contumeliis eriperet, scrobem coràm fieri imperauit, dimensus ad corporis sui modulum, componíque simul, si qua inuenirentur frusta marmoris, & aquam, simul ac ligna conferri curãdo mox cadaueri, flens ad singula, atque identidem dictitans: Qualis artifex pereo! Inter moras perlatos à cursore Phaontis codicillos præripuit, legítque, se hostem à Senatu iudicatum, & quæri, vt puniatur more maiorũ. Interrogauítq; quale esset id genus pœnæ. Et quum comperisset nudi hominis ceruicẽ inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi: cõterritus duos pugiones, quos secum tulerat, arripuit, tentatáque vtriusque acie, rursus condidit, causatus nondum adesse fatalem horam. Ac modò Sporum hortabatur, vt lamẽtari, ac plãgere inciperet: modò orabat, vt se aliquis ad mortem capessendam exemplo iuuaret: interdum segnitiem suam his verbis increpabat: Viuo deformiter ac turpiter, οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει. νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις. ἄγε ἔγειρε σεαυτόν. Iámque equites appropinquabant, quibus præceptum erat,

PHIL. OBlatum.] A ministro.

Eriperet.] Scilicet per mortẽ. Hortabantur enim Neronem, vt sibi mortem consciscerei, & ita euaderet contumelias imminẽtes, quibus viuens erat futurus obnoxius ad libidinem inimicorum.

Scrobem.] Foueam. Scrobs, masculini est generis, vnde scrobiculus diminutiua forma deducitur. Columella: Scrobs clibano similis est: imus, quàm summus, patentior. Idẽ, Scrobiculo facto ad imũ solum præciditur. Quidam fœminino genere dicere maluerunt: vt Gracchus, qui ait: Exigua posuit scrobe.

Dimẽsus.] Metitus, mẽsuratúsq;.

Modulũ.] Mensuram. Horatius:

-Ab imo ad summum

Totus moduli bipedalis.-

Quæri.] Inquiri, vestigari ad pœnam.

Vt puniatur more maiorum.] De morte Neronis hæc Eutropius: Ab omnibus Nero simul destitutus, & à Senatu hostis iudicatus, cùm quæreretur ad pœnam, quæ pœna erat talis, vt nudus per publicum ductus, furca eius capiti inserta, virgis vsque ad mortem cæderetur, atque ita præcipitaretur ex saxo, è Palatio fugit, & in suburbano liberti sui, quod est inter Salariam, & Nomentanam viam, ad quartum vrbis milliarium se interfecit. Hactenus Eutropius. Tentata acie.] Explorato mucrone, vt penetrabilis foret.

Condidit.] Reposuit. Fatalem horam.] Qua sibi foret fataliter pereundum.

Frusta.] Crustas, & particulas. Diminutiuum frusti est frustulum: hinc aduerbium frustatim, & frustulatim inclinãtur, quæ significãt per frusta, & minutatim. Plautus: Iam ego te faciam, vt hinc formicæ frustulatim differant. Aquam.] Calida aqua lauabantur cadauera ex ritu priscorum: quem expressit Maro in VI. Aeneid.

Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis

Expediunt, corpúsque lauant frigentis, & vngunt.

Ennius quoque sic cecinit:

Tarquinii corpus bona fœmina lauit, & vnxit.

Ligna.] Vel ad rogum extruendum, vel ad aquam calfactandam.

Identidem.] Frequenter, & súbinde.

Qualis artifex.] Cum miseratione pronuntiandũ, sicut à Nerone flente dictum est suas fortunas miserante, quòd ex Imperatore maximo factus esset sui funeris curator miserabilis.

Cursore Phaontis.] Tanta fuit libertinorũ id temporis potentia, vt illis essent plures interdum serui, quàm patronis: sicut Demetrio Pompeiano liberto,

Exemplo iuuaret.] Vt aliquis se confodiens ipsi exemplo foret mortis intrepide subeundæ.

Οὐ πρέπει.] Interpretamentum hoc est: Non decet Neronem, non decet. sobrium esse oportet in eiusmodi rebus: agè. excita te ipsum.

Præceptum erat.] Scilicet à Senatu.

M. AN. IMpendentibus.] Imminentibus, instantibus.

Eriperet.] Subtraheret.

Scrobem.] Fossam.

Curando.] Lauando.

Qualis artifex.] Id est, quàm miserabilis, qui viuus adhuc meum curo funus.

Et quæri.] Ad supplicium requiri.

Acie.] Mucronum acumine, & fastigio.

Exemplo.] Vt eorum aliquis priùs sibi mortẽ consisceret: cuius exemplum secutus itidem ipse faceret.

Οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει. νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις. ἄγε ἔγειρε σεαυτόν.] Non decet Neronem, non decet. sobrium esse oportet in his. agè, excita te ipsum.

ἔγειρ

vt viuum eum attraherent. Quod vt sensit, trepidanter effatus,

Ἵππων ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει

ferrum iugulo adegit iuuante Epaphrodito à libellis. Semianimísque adhuc irrumpenti centurioni, & penula ad vulnus apposita, in auxilium se venisse simulanti, non aliud respondit, quàm Sero: &, Hæc est fides. Atque in ea voce defecit, extantibus, rigentibúsque oculis vsque ad horrorem, formidinémque visentium. Nihil prius, ac magis à comitibus exegerat, quàm ne potestas cuiquam capitis sui fieret, sed vt quoquo modo totus cremaretur. Permisítque hoc Icelus Galbæ libertus, non multò antè vinculis exolutus, in quæ primo tumultu coniectus fuerat.

Funus eius. L.



Funeratus est impensa ducentorum millium, stragulis albis auro intextis, quibus vsus Calendis Ianuarii fuerat. Reliquias Aegloge, & Alexandria nutrices cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod prospicitur è campo Martio impositum * collo hortorum. In eo monumento

*colle

PHIL. Ἵππων.] id est, equorum velocium vndique strepitus aures ferit.

Iugulo.] Qui locus maximè mortiferus est. Vni homini sunt iuguli, vt ait Plinius. Duos autem esse iugulos, dextrum, & sinistrum, docent eruditi. Hinc ait Apuleius: Per iugulum sinistrum capulo tenus gladium ei demergit. Iuuante Epaphrodito.] Consimiliter Brutus, adiuuante Stratone, incubuit ferro, & ita occubuit. Dissentit à Tranquillo Sextus Aurelius, qui ait, Nero nem semet ictu gladii transegisse, adiuuante trepidantem manum, non Epaphrodito, sed impuro illo eunucho Sporo, qui Neroni instar fœminę * denupserat. Ab hoc Epaphrodito dicti sunt horti Epaphroditani, quorũ meminit Frontinus libro secundo de aquæ ductibus.

* Promissis

A libellis.] Qui præsunt libellis supplicibus Imperatoriis, hi dicuntur à libellis: super qua loquutione satis multa in proximo Commẽtario dicta sunt. Scribit Lampridius, Alexandrum Imperatorem post meridianas horas subscriptioni, & lectioni epistolarum dedisse operam: ita vt ab epistolis, à libellis, & à memoria semper assisterent. Ad vulnus.] Quod iugulo inflixerat. Sero.] scilicet venisse. Et hoc verbo significare voluit Nero centurionis auxiliũ esse serotinum, & superuacaneum, cùm iamiam esset moribundus, nec vitæ spes vlla superesset.

Et hæc est fides.] Centuriones, militésque in sacramento militari iurare solent, se nũquàm Imperatorem deserturos: ideóq; Nero destitutus etiam à militibus, hoc verbum nouissimum dixit, Hæc est fides: nimirum significare volens centurionem fidei datæ fuisse præuaricatorem. Tale est notum illud, Heus vbi pacta fides.

Defecit.] Extinctus est.

Extantibus.] Prominentibus: quos oculos hebetiores esse Aristoteles, & Plinius prodiderunt: & Neroni hebetes fuerunt ad propè admota, nisi cùm conniueret. Rigentibus.] Duris. Plinius ait, Caio principi fuisse oculos rigentes. Totus.] Iuuenalis mortem Catilinæ, atque Cethegi anteponit Pompeii neci propterea, quòd integri, totóque cadauere ceciderũt, cùm Pompeio abscissum caput fuerit manibus Septimii. In quæ.] scilicet vincula. Primo tumultu.] Qui exortus est nuntiata defectione Galliarum, & Hispaniarum. Stragulis albis.] Ex lino consutis. Apud Indos inuenitur linum, quod ignibus non absumitur: ex quo asbestinum vocatur à Græcis, nostri viuum id appellant. Inde fiunt tunicæ regum funebres, quæ corporis fauillam ab reliquo separant cinere. Pretiosissimum est adeò, vt æquet pretia excellentium margaritarum. Calendis Ianuarii.] Principio anni noui vestitu cultiore, nitidioreque vti solemus: quod & prisci obseruauerunt. Vnde Ouidius in primo Fastorum sic ait:

Vestibus intactis Tarpeias itur in arces: Et populus festo concolor ipse suo est.

Cum Acte concubina.] Suprà annotauimus, Acten libertam fuisse in concubinatu Neronis, quam paulum abfuit, quin iusto matrimonio sibi coniungeret.

Gentili monumento.] Iurisconsulti sepulcra gentilia vocant familiaria. Sunt autẽ, quæ quis sibi, familiæq; suæ constituit: sicut hæreditaria, quæ quis sibi, hæredibúsque suis constituit. In talibus sepulcris soli hæredes, atque successores licet sepelire: liberti nec sepeliri, nec alios inferre poterunt, nisi hęredes extiterint patrono.

Domitiorum.] Maiorum suorum. Natus enim erat Nero ex gente Domitia, quamuis per adoptionem insertus fuisset familiæ Claudiorum & Iuliorum. Collo.] Loco eminentiore: quemadmodum & vertex, & caput, & supercilia locis inanimatis per similitudinem assignantur, ita & collum attribuitur. Alii codices habent colle: vt intelligamus hortulos collinos fuisse potiùs, quàm campestres.

Ἵππων ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει.] Equorum velocium strepitus pulsat aures meas. M. A N.

Epaphrodito à libellis.] Vt à pedibus, vt à manibus, sic à libellis veteres dixere: túque seruum, aut ministrum subaudi.

Penula.] Veste.

Serò.] Tarde venisse, quasi dicat, se iam perempto.

Et hæc est fides.] Quòd serò venisset, quia animam efflaret: vel certè centurionem mutatæ fidei arguere voluit. Extantibus.] Eminentibus.

Rigentibus.] Terrifico rigore contentis.

Primo tumultu.] Statim nũtiata Galliæ defectiõe.

Calendis Ianuarii.] Quo die nitidiore cultu sacrorum causa Capitolium Romani ascendebant. Ouidius:

Vestibus intactis Tarpeias itur ad aras.

Cum Acte.] Sic legendũ, vt alio loco admonui, non Accia. Tacitus Acten libertã à Nerone amatam sæpius celebrat, Acciam nunquam. Domitiorum.] Qua familia Nero erat ortus. Colle.] Eminentiore hortorum parte. Quidam collo habent, quod non probo.

Solium

solium Porphyretici marmoris superstāti Lunensi ara circunseptum est lapide Thasio.

Statura, & cultus corporis eius. LI.


Tatura fuit penè iusta, corpore maculoso, &*fœtido, sufflauo capillo, vultu pulchro magis, quàm venusto, oculis cæsiis, & hebetioribus, ceruice obesa, ventre proiecto, gracillimis cruribus, valetudine prospera. Nam qui luxuriæ immoderatissimæ esset, ter omnino per quatuordecim annos languit: atq; ita, vt neq; vino, neque consuetudine reliqua abstineret. Circa cultum, habitúmq; adeò pudendus, vt comā semper

*fœdo

PHIL. SOlium.] In sepulcro solium accipitur pro loculo, in quo conditum est cadauer. Quintus Curtius scribens, sepulcrum Cyri fuisse apertum ab Alexandro Magno, sic ait: Ipse solium, in quo corpus iacebat, velauit. Idem alio loco: Septimus dies erat, ex quo corpus regis iacebat in solio. De solii significatu mulriplici diximus suo loco.

Porphyretici marmoris.] Porphyrites marmor est rubens: vocatur leucostictos, candidis interuenientibus punctis. Luoensi ara.] Ex marmore Lunensi cōstructa: quod, vt aothor est Strabo, candidum erat, & lucidum, ex quo columnæ, & insignia Romanæ ciuitatis opera conficiebantur. Nanque cùm mari vicina incumbat effossio, facilè lapides Lunenses euehebantur, quos è pelago subuehendos Tyberis excipiebat. Hinc Luna metallifera à Papinio dicta, cùm ait in Syluis:

An'ne metalliferæ repetit iam mœnia Lunæ?

Mamurra præfectus fabrorū Cæsaris Dictatoris in Gallia, quem Catullus carminibus probrosis proscidit, in ædibus suis nullam habuit columnam, nisi ex marmore Caristio, aut Lunensi.

Circuoseptum.] Circunuallatum.

Lapide Thasio.] Thasos insularū Cycladū vna est marmore nobilis: quod, vt inquit Plinius, erat maculosum. De hoc marmore Thasio intelligit Papinius illo versu: Noo huc admissæ Thasos, aut vndosa Caristos. Celebratur ioter vina generosa & vinum Thasium, cujos meminit Apuleius in Apologia.

Iusta.] Neque procera nimis, oeque pusilla.

Maculoso.] Maculis pleno, & lentiginoso. Magi habent hæc perfugia, vt dicant lentiginem habentibus numina magicæ artis non obsequi. Fortè fuit hoc in Nerone, inquit Plinius in xxx. qui ait nihil membris Neronis defuisse, quò minùs arti magicæ posset initiari.

Fœtido.] Scribit Iulius Firmicus in viii. Matheseos, illos exudare miserum virus hircini fœtoris, quicunque habuerint horoscopum in xiiii. parte Tauri. Alii codices habent fœdo: vt exponas pro corpore deformi. Sufflauo.] Modicè flauo. Verus Antoninus Imperator Romanus dicitur habuisse tantam curam flauentium capillorum, vt capiti auri ramenta respergeret, quò magis coma illuminata flauesceret.

Quàm venusto.] Venustatem propriè mulierum esse, sicut dignitatem virorum, docet Cicero in primo de Officiis. Cæsiis.] Cæsios oculos vocamus glaucos, viridisque coloris. Scribit Aristoteles in primo de Animalibus, aliis oigros, aliis cæsios, aliis caprinos oculos esse: quod morum optimorum indicium est. Quibusdam eqoorum oculi cæsii, hoc est glauci sunt. Est autem color cæsius dictus, quasi cælius, de colore cæli vnde à Latiois veteribus Cælia dicta est Minerua, quæ à Græcis γλαυκῶπις dicitur: sicut sæpissime ab Homero dicta est γλαυκῶπις ἀθήνη: hoc est, Minerua oculos glaucos habens: de qua in Priapeiis: Minerua flauo lumine.

Hebetioribus.] Plinius in xi. Neroni oculi fuerunt, nisi cùm conniueret, ad propè admota hebetes.

Obesa.] Pingui. Aliàs obesus, vt aonotauit Gellius in carmine Næuiano, sigoificat macilentum, & gracilem.

Proiecto.] Prominente. Talis à Plauto dicitur ventricosus: Græcè προγάστωρ. Pertinax Imperator fuisse fertur ventre prominulo.

Luxuriæ.] Prodigi victus, & mensæ opulentioris.

Languit.] Aegrotauit.

Neque consuetudine aliqua abstineret.] Consuetudo magna res est: &, vt prouerbio Greco testatum est, altera natura. Vnde quærit Aristoteles in Problematis encycliis, id est in quæstionibus circularibus, Cur aliqui ægrotant, vbi vitam luxuriosam viuere assueti, agere luxuriosè cessarunt? vt Dionysius tyrannus, quòd in vrbis suæ obsessione aliquantum temporis à potu solito destitit, tabe protinus laborauit. An quia, ioquit, consuetudo res magna cuique sit: ita qui morem mutant solitum, ægrè, atque molestè ex consuetis discedunt: & eòdem rediisse, sibi saluberrimum habent, pèrinde quasi ad suæ naturæ statum redierint. Sententiæ Aristotelicæ adstipulatur maximus Hippocratis interpres Galenus, qui ait, omnem permutationem, omissa cōsuetudine, noxiam esse corporibus maximo nocumento. Ob vim coosoetudinis dixit Hippocrates scribens de regimine acutorum, cibos solitos, etiam illaudabiles, esse innocentiores, quàm insolitos, etsi laudabiles fuerint, & boni succi. Idem in Aphorismis præcipit, dandum esse aliquid consuetudini. Cùm igitur consuetudo sit potentissima, &, vt ait Q. Curtius, interdum natura ipsa potentior, non videtur mirandum, si Nero cùm langueret, nō abstinuit à victu luxurioso, cuius consuetudo versa erat in naturam: cùm alioqui ægrotantes restituantur ad sanitatem diæta, hoc est victu tenui, & frugalissimo. Hinc legimus in Decretis canonicis, distinctione vltima, de consecratione, quosdam morbo articulari, & podagræ morbo laborantes, ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos, conualuisse. Epularum enim largitas, vt inquit Hieronymus, & corpus frangit, & animum.

M. AN. SOlium.] Sepulcri superficies.

Porphyretici.] Lapidis. De Porphyrite Plinius lib. xxxvi. cap. vii. Ruber Porphyrites in Aegypto, ex eo candidis interuenientibus punctis, leucostictos vocatur. Statuas ex eo Cl. Cæsari aduexit Asinius Pollio.

Circunseptum.] Clausum.

Maculoso.] Maculis resperso.

Sufflauo.] Semiflauo.

Pulchro magis, quàm venusto.] Magis forma, quàm liniamentis prædito.

Cæsiis.] Cæruleis, glaucis. A veteribus Latinis cæsia, quæ à Græcis Glaucopis: &, vt Nigidius credidit, à colore cæli dicta est à maioribus, quasi Cælia.

Hebetioribus.] Debilioris visus, aut certè nullum vigorem habentibus.

Obesa.] Præpingui.

In grad

in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem summiserit: ac plerunq; synthesim indutus, ligato circũ collum sudario, prodierit in publicum sine cinctu, & discalceatus.

Studium eius circa liberales disciplinas. LII.



Liberales disciplinas omnes ferè puer attigit. Sed à Philosophia eum mater auertit, monens, imperaturo contrariam esse: à cognitione veterum oratorũ Seneca præceptor, quò diutius in admiratione sui detineret. Itaq; ad poeticen pronus carmina libenter, ac sine labore

PHIL. IN gradus formatam.] Qui nascuntur orientibus Pleiadibus, hi crines inflectunt, & cincinnatuli sunt, atque comatuli, quorum coma gradatim formata descendit, vt venustior sit, & elegantior. Talem comam Martialis vocat epaphæresim. E contrario Silius laudat in Aphricano comam nullis cincinnis, annulísque distinctam, nec gradibus porrectam, sed ex omni parte æquabilẽ, qualis decet virum. Versus Silii hic est:

Martia frõs, faciésque comæ, nec pone, retróque
Cæsaries breuior.

Ponè verticẽ.] Post verticem. Cæsar à vertice capillũ reuocabat: Nero post verticem summittebat, deprimebátque.

Synthesin.] Synthesis vestis est, qua Romani peculiariter in Saturnalibus vtebantur: illis enim diebus omnes exuebant togam, & synthesin induebant. Hinc ait Seneca: Voluptatis causa, ac Festorum dierum vestem mutauimus. Apud Epigrammaticum poetam distichon est, quod indicat synthesin vestem fuisse Saturnalitiam: cui titulus est Synthesis:

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere iure tuo.

Idem alibi ait:

Synthesibus dũ gaudet eques, dominúsq; Senatus.

Fortasse dicta synthesis videri potest ab eo, quòd cõsuta, cõtextáq; esset cõpositione quadã versicolori. Scæuola titulo De vestibus legatis, sic ait: Quæro an ex vniuersa veste, an ex synthesi tunicas singulas, & palliola Sempronia eligere possit. Est etiam synthesis, genus vasis fictilis: ad quod allusit Papinius in quarto Syluarum: Vnam mittere synthesin quid horres

Alborum calicum, atque cacaborum. Eiusdem meminit Martialis illo hendecasyllabo: Septenaria synthesis Sagunti. Præterea generali vocabulo Græco σύνθεσις compositio significatur: qua dictione vsus est Quintus Serenus sic scribens:

-Vilem deprehendit in illis
Synthesin, & vulgata satis medicamina risit.

Idem: Synthesis hæc prodest vnda molita calenti. Plinius crystalla appellat asynthetα, quæ pura sunt, & sine vitio. Qui indutus est synthesi veste, synthesinatus nuncupatur.

Sine cinctu.] Varro cinctum à cingulo differre tradit, tanquam cinctus viris, cingulum mulieribus attribuatur. Afrorum peculiaris mos fuit, vt essent sine cinctu. Hinc illud est Plautinum in Pœnulo: Tu qui zonam non habes, quid in hanc venisti vrbem? Idem discinctum Afrum significare volens, festiuiter ait: Sanè genus hoc mulierosum est tunicis demissitiis. Mendũ est manifestarium in codicibus Plautinis: nam pro tunicis demissitiis, passim legitur, demissitus: cùm Plautus demissitias tunicas appellet, quæ longæ sunt, & demissæ ad talos, tanquã talares, & nulla zona succinctæ.

Imperaturo contrariam.] Scribit Iul. Capitolinus, aliud ab Imperatore quæri, quàm literas. Præterea philosophia suadet animi quietẽ, & trãquillitatẽ, remouétque penitus ab administratione Reip. quæ omnia cõtraria sunt illi, qui sit imperaturus. Dicere solebat Auidius Cassius de M. Antonino: M. Antoninus philosophatur, nec sentit pro Repub. &, vt inquit M. Tullius in 3. Rhetoricorum, multi nihil prodesse philosophiam, pleriq; etiam obesse arbitrãtur. Et in opinione positũ est hoc probabile, eos, qui philosophiæ dant operam, non arbitrari deos esse. Ait Apuleius obiectari philosophis, quòd irreligiosi putentur, & quòd deos abnuãt: quæ ab Imperatore longè esse debent. Sed contrà idem M. Tullius, philosophiam dixit esse vitæ ducẽ, virtutum indagatricem, vitiorũ expultricem: sine qua vita hominum inculta fuisset, & belluina, cùm sit Philosophia magistra morum, & norma viuendi. Plato quoq; dixit, beatas fore ciuitates, in quibus aut philosophi imperarent, aut principes philosopharentur. Nero tamen post epulas impartiebat tempus doctoribus sapientiæ.

A cognitione veterũ oratorũ.] Seneca nolebat vt Nero veteribus oratoribus legendis operam daret, quò ipse apud discipulum foret in maiori veneratione. Scribit Cor. Tacitus, solitũ fuisse Senecam iactare ingenium crebris orationibus, quas voce principis Neronis vulgabat.

Ad poeticen pronus.] In hanc sententiam ait Tacitus, quòd Nero aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinæ ostendebat. Idem alibi refert, Neronem affectasse carminum studium, cõtractis quibus aliqua pãgendi carmina facultas foret: qui versus à poeta inchoatos supplere solitus erat, & dimidiatos connectere: quod species ipsa carminum docet, nõ impetu, & instinctu, nec ore vno fluens.

IN gradus.] In plures ordines, seu orbes concinnatos. M. A N.

Submiserit.] Contra patrium morem crescere passus sit. Synthesin.] Vestem breuem, & expeditam, ex diuersis lanarum coloribus, quod nomen ipsum arguit. Græci compositionem vocant. Eo vestis genere Saturnalibus Romani vti consueuere. Martial.

Synthesibus dũ gaudet eques, dominúsq; Senatus.

A philosophia.] A philosophiæ studiis.

Contrariam esse.] Non propter præcepta, credo, sed quia tam animi, quàm corporis vigor, rerúmque gerendarum industria philosophica contemplatione cõtrahatur: sunt alioqui, quis non videt, non modò non inutilia, sed necessaria etiam philosophiæ præcepta huic, qui vel Reipublicæ, vel magno præsit Imperio.

A cognitione veterũ oratorum.] Auertit, subaudi.

In admiratione sui.] Vt sua miraretur scripta, quæ in elocutione, Gellii, & Fabii testimonio, longe veteribus fuere inferiora. Fabius: Nam & orationes eius, inquit, & poemata, & epistolæ, & dialogi efferuntur, & in philosophia parum diligens. & mox paulò: Sed in eloquendo corrupta pleraque. & aliquantò superiús: Quod accidit mihi, dum corruptũ, & omnibus vitiis fractum dicendi genus reuocare ad seueriora iudicia contendo: quum ferè solus hic in manibus adolescentium fuit, quem non omnino conabar excutere, sed potioribus præferri non sinebam.

composuit: nec (vt quidā putant) aliena pro suis edidit. Venêre in manus meas pugillares, libelliq; cū quibusdam notissimis versibus ipsius chirographo scriptis, vt facilè appareret non translatos, aut dictante aliquo exceptos, sed planè quasi à cogitante, atque generante exaratos, ita multa & delata, & inducta, & superscripta inerant.

Studium eius in pingendo, & fingendo. LIII.

HAbuit & pingendi, fingendíque non mediocre studium. Maxima autem popularitate efferebatur, omnium æmulus, qui quoquo modo animum vulgi mouerēt. Exiit post scenicas coronas opinio, proximo lustro descensurum eum ad Olympia inter athletas. Nam luctabatur assiduè: nec aliter certamina gymnica Græcia tota spectauerat, quàm Brabeutarum more in stadio humi assidens, ac si qua paria longiùs recessissent, in mediū manibus suis protrahens. Destinauerat etiā, quî Apollinem cātu, Solem aurigando

PHIL. ALiena pro suis.] Sicut in orationibus factitauit, quas à Seneca compositas ipse pro suis recitabat: qualis fuit illa, quam habuit in funere Claudii: & altera qua in Senatu flagitia materna collegerat. Pugillares.] De pugillaribus vberrimè scriptū est in superioribus. In hoc loco annotandum videtur, pugillares, & pugillaria pluraliter tantùm dici ex grāmaticorum regula: cui reclamat authoritas eruditorum, & in primis Ausonii, qui ait: Biparēs pugillar expedi. Chirographo.] Manu propria. Non trāslatos.] Translati dicūtur versus, quos ex alieno exēplari transferimus, transcribimúsq;. Dictāte.] A multis hoc vsurpatur, vt dictāte viro erudito ipsi exscribāt, excipiántq; aliena, siue poemata sint, siue orationes, & mox pro suis edant. Quintilianus in x. subaccusat delicias dictādi: ex quo fieri putat, vt dū dictamus, nō rudia tātùm, & fortuita, sed etiā impropria effluāt. Quasi à cogitante.] Qui pāgit versus, totus in cogitatione defixus est: solet & facere illud quod inquit Horat. Sæpe caput scaberet, viuos & roderet vngues. Exaratos.] Cōscriptos. Ita Cicero ad Cornificium: Hæc, cum essem in Senatu, exaraui. Superscripta.] Mos est eius, qui vel pangit poema, vel cōponit orationem, vt multa deleat, multa superscribat. Pingendi.] Cor. Tacitus: Puerilibus statim annis Nero viuidū animum in alia detorsit, cælare, pingere, cantus, aut regimē equorū exercere. Pictura apud veteres in tāta fuit æstimatione, vt inter ingenuas artes numeraretur, vtq; ingenui pueri antigraphicen, hoc est, picturā, in ludo docerentur: vt docet Plinius in xxxv. Aristoteles quoq; in viii. Politicorū ait, iuuenes discere cōsueuisse literas, gymnasticā, musicā, & picturā. Fingendi.] Fingere, ad plasticē, statuariámq; refertur. Nāq;, vt inquit Plinius in xxxv. plastices opus est fingere ex argilla similitudines. Praxiteles plasticē matrē esse dixit statuariæ sculpturæ, & cælaturæ: & cùm esset in his omnibus summus, nihil vnquā fecit ante, quàm finxit. Alexāder Magnus à solo Lysippo fingi volebat. Popularitate.] Fauore, & aura populari. Papinius: Et Graiū popularitate magnū. Aemulus.] Imitator. Mouerēt.] Delectarent, iuuarent, amœnarēt. Inter athletas.] Hoc est, ludis Olympiacis athletica depugnaturū cum athletis: de quibus āffatim diximus in primis Commētariis. Illud adde, solitos athletas ponderibus plūbeis assuefacere manus, quibus vacuis, & nudis in certamine mox vtebantur. Difficiliora enim, vt inquit Quintilianus, debent esse quæ exercent. Gymnica.] In quibus corpora denudantur. Brabeutarum more.] Βραβευταὶ Græci dicunt iudices spectaculorum, quíque victoribus in certamina exhibent præmium & coronas: qui verò præfectus est certaminis, dicitur ἀγωνοθέτης. Græci, authore Philostrato, ludis Olympicis decē iudices præficere solebant. Sensus est, Neronem in spectaculis vicem, partésque vsurpasse brabeutarum, hoc est iudicum, & eorum, qui dant præmia victoribus. Si qua paria.] Luctatorū atq; depugnantiū. Dicimus enim paria gladiatorum, & athletarū. In medium.] Scilicet stadium. Destinauerat.] Constituerat, deliberauerátque. Apollinem cantu.] Nemo nō nouit, Apollinem citharœdum dici, & cantorem præstātissimum, qui in certamine musico victum Marsyam detracta pelle nudum dereliquit. Solē aurigando.] Sol aurigatiōis peritissimus à poetis proditur. Fabula nota apud Ouid. in ii. Metamorphoseos, vbi inducitur Sol monens filiū Phaethontem, quo modo currum, & equos moderari debeat.

M. AN. PVgillares.] Quid pugillares essent, diximus.
Libelli.] Ex papyro, aut membrana.
Chirographo.] Propria manu notatis.
Translatos.] Aliunde sumptos.
Generante.] Per se meditante.
Fingendi.] Alterius formam deliniandi.
Popularitate.] Studio, & cura omnibus placendi: vnde & popularis, qui eiusdem est populi. Terentius: Popularis meus Geta. Nonnunquam pro vili, & ignobili accipitur. Plautus: Præstat diuitem esse, ac popularem, quàm nobilem, & mendicū. Laberius: Deū popularia agimus nugatoria, scilicet vilia. Mouerēt.] Oblectarent. Descensurū.] Elegāter dixit, quasi in certaminis discrimen iturum: sic descendo in campum, in pugnam dicimus, nō tam ex superiore loco in inferiorem, quàm ex tuto in locum discriminis: quanquàm & ad situm vrbis, & castrorum munitiones, & loca spectantiū, quæ superiora sunt, tota vsurpatio referri possit, sed elegantiarum accuratissimi exactores quod priùs diximus tenent.
Babrentarum.] Sic habent omnia, quæ vidimus, exemplaria: sed Brabeutarum legendum contenderim Suidæ authoritate ductus. ille enim βραβεῖον λέγεται δὲ καὶ τὸ βασιλικὸν σκῆπτρον ἐξ οὗ καὶ βραβευταί, οἱ τὰς βασιλικὰς βαστάζοντες ῥάβδον, καὶ τοῖς νικῶσι τὸν στέφανον ἐπιτιθέντες. hoc est: Dicitur & brauiū regale sceptrū: vnde sunt & brabeutæ regales virgas gestantes, & præmia victoribus dantes. Quòd Nero eo habitu sederit in stadio, ipsa Tranquilli verba, quæ sequuntur, pene demonstrant. Paria.] Pugnantium athletarum
Destinauerat etiam.] Animo proposuerat, iam cōmentus erat. Quî.] Quo modo.

æquiparare æstimaretur, imitari & Herculis facta. Præparatúmque leonem aiunt, quem claua, vel brachiorum nexibus in amphitheatri arena spectante populo nudus elideret.

Votum eius si uinceret. LIIII.

SVb exitu quidem vitæ palàm vouerat, si sibi incolumis status permansisset, proditurum se parta victoria ludis, etiam hydraulam, & choraulam, & vtricularium, ac nouissimo die histrionem saltaturum Vergilii Turnū: & sunt, qui tradant, Paridem histrionem occisum ab eo, quasi grauem aduersarium.

Cupido famæ æternitatis eius. LV.

ERat illi æternitatis, perpetuæq; famæ cupido, sed inconsulta. Ideóque multis rebus, ac locis vetere appellatione detracta, nouam induxit ex suo nomine. Mensem quoq; Aprilem Neroneum appellauit. Destinauerat & Romam Neropolin nuncupare.

Religionum contemptor. LVI.

REligionum vsquequaque contemptor, præter vnius deæ Syriæ. Hanc mox ita spreuit, vt vrina contaminaret, alia superstitione captus, in qua sola pertinacissimè hæsit. Siquidem *imagunculam puellarem, cùm quasi remedium insidiarū à plebeio quodam, & ignoto

PHIL. PRæparatum leonem.] Nota est fabula de leone Nemeæo, quem Hercules interemit: cuius déinde pelle vestitus confecit memoranda certamina. Illud adde, Herculem adhuc iuuenem aduersus alterum leonē depugnasse, qui dictus est Theumesius, à monte Bœotiæ: de quo intellexit Papinius in primo Thebaidos, his versibus: Illius in speciem, quē per Theomesia tempe,

Amphitryoniades fractum iuuenilibus annis,

Antè Cleonæi vestitur prælia monstri. Nudus elideret.] Suffocaret, strangularétque: sicut Hercules leonem Nemeæū manibus strangulasse fertur. Claua.] Vulcanus clauā, ac thoracem Herculi dono dedisse proditur, quando diis suis quisque muneribus Herculē donauerunt. A poetis duo dii clauigeri dicūtur, Hercules, & Ianus, alter à claua, alter propter clauem. Brachiorū nexibus.] Hæc sūt Herculis arma, qui aut claua, aut nexu brachiorū, quū esset lacertosus, depugnabat. Proditurum ludis.] Exhibiturū, & repræsentaturum. Prodire dicuntur histriones, dum in proscenium progrediuntur. Hydraulam.] Qui sciens, peritúsq; est organorū hydraulicorū, is hydraula nuncupatur. De his organis suprà abundè mentio facta est.

acūculā, icūculā

Choraulam.] Tibicinem inflātem tibias in choro vocamus choraulam: sicut & nomē indicat. χορὸς enim Græcè, chorus, & tripudium significat: αὐλὸς verò tibiā, fistulámq; significat. Apuleius: Erat quidem iuuenis satis corpulentus, choraula doctissimus. Martialis existimat id esse optimū conuiuium, ad quod choraules nō venit. Vtricularium.] Fistulicen, qui inflat ex vtre fistulā, à Latinis vtricularius dictus, à Græcis ἀσκαύλης: qua dictione vsi sunt & Latini poetæ. Martialis:

Et concupiscat esse canus ascaules. Nouissimo die.] Scilicet ludorum. Saltaturum.] Histriones agentes fabulam saltare dicuntur. Iuuenalis:

Chironomon Ledā molli saltante bathyllo. & apud Macrobiū: Tunc eū populus coegit idem saltare canticum. Idem: Saltabat Hylas Oedipoden. Ausonius:

Saltauit qui Capanea ruit. Vergilii Turnū.] Vouerat Nero se instar histrionis repræsentaturū poema Vergilianū, quo congressus Turni, & Aeneæ describitur: quæ res notissima est, & in scholis triuialibus quotidie cōmemoratur. Paridem histrionē.] Hic libertus fuit Domitiæ Neronis amitæ, vt memorat Tacitus, qui solitus erat luxus Neronis intēdere tēpore cœnæ, & Neronis animū demulcere. De hoc ait Iuuenalis:

Esurit intactam Paridi nisi vendat Agauen,

Quod non dant proceres, dabit histrio.

Neroneū.] Cor. Tacitus refert decretū fuisse, vt mēsis Aprilis Neronis cognomentū acciperet, quoniam eo retecta esset cōiuratio Pisoniana. Neropolin.] Quasi Neronis ciuitatem. Neronem in hoc æmulatus videtur Cōmodus Imperator, qui Romā coloniā Cōmodianā vocari voluit, qui Romanus Hercules est appellatus, quòd feras in amphitheatro occidisset. Deę Syriæ.] De dea Syria scripsimus affatim in libro Annotationū, ex quo poteris mutuari, si quid desiderabitur. Ab Apuleio in VIII. de Asino aureo, omnipotēs, & omniparens dea Syria nuncupatur: quā per plateas, & oppida effœminatī sacerdotes cymbalis & crotalis personantes circunferebant, nō modicásq; summulas pecuniarum corradebant. Hæsit.] Perseuerauit. Vrina cōtaminaret.] Specimen maximū, ex quo nullum fermè maius esse potest, ad significandū cōtemptionē religionis, cùm illa pro contemptissimis, despectissimísq; habeātur, quæ vrina polluūtur. Ex quo est notū illud,

Cuius ad effigiem non tantùm meiere fas est.

Acunculā puellarē.] In vsu puellarū sunt acus, quæ diminutiuo vocabulo acunculæ dicūtur, quibus ornatrices vtuntur: quale est discerniculū, quod capillis discriminādis est accommodatū. In alio significatu acus dicitur purgamentum, siue palea, quæ secernitur à frumēto, quando in area ventilabris subiactatur. M. Varro: Ita fit, vt quod leuissimum est in eo, atque appellatur acus, euannatur foras. Idem alio loco ait: Acus substernendum gallinis parturientibus. Quidam nō acunculam legendum esse opinātur, sed imagunculam: tanquā pusilla imago puellæ pro numine coleretur à Nerone: quales puppas prisci vocauerunt: & memorat Persius: quæ lectio satis bene, & condecenter quadrat.

M. AN. ELideret.] Arctissimo complexu necaret.

Proditurum.] In medium prolaturum.

Hydraulam.] Ad illud respexit, quod sacrificio facto placasse numen. sub primū tumultū dixerat, se hydraulica organa in theatro repræsentaturū, si per Vin-

muneri accepisset, detecta cōfestim coniuratione, pro summo numine, triníſq; in die ſacrificiis colere perſeuerauit, volebátq; credi monitione eius futura prænoſcere. Ante paucos, quàm periret, menſes, attendit & extiſpicio, nec vnquam litauit.

Actas eius, & geſta poſt obitum ipſius. LVII.

OBiit trigeſimo & ſecundo ætatis anno, die quo quondam Octauiam interemerat. Tantúmq; gaudium publicè præbuit, vt plebs pileata tota vrbe diſcurreret. Et tamen non defuerunt, qui per lōgum tempus vernis, æſtiuiſq; floribus tumulum eius ornarent, ac modò imagines prætextatas in Roſtris proferrēt, modò edicta quaſi viuentis, & breui magno inimicornm malo reuerſuri. Quinetiam Vologeſes Pathorum rex, miſſis ad Senatū legatis de inſtauranda ſocietate, hoc etiā magnopere orauit, vt Neronis memoria coleretur. Déniq; cùm poſt viginti annos, adoleſcēte me, extitiſſet cōditionis incertæ, qui ſe Neronē eſſe iactaret, tā fauorabile nomē eius apud Parthos fuit, vt vehementer adiutus, & vix redditus ſit.

dicē licuiſſet. De hydraulicis organis Vitruuius plura. Choraulam, & vtricularium.] Simplicem ſe tibiam, vtricularémque inflaturum. Vergilii Turnū.] Vergiliano carmine cōplexum. Inconſulta.] Temeraria. Neropolin.] Neronis vrbem. Syriæ Deæ.] Syria dea, vt Lucianus credidit, Iuno eſt: Apuleius Iſidē eſſe oſtendit.

Acunculā.] Paruam acū. Dicimus & aciculā: cæterùm ſuſpicari libet, deprauatum eſſe verbum, & pro imagūcula, acunculā eſſe ſcriptum.

Puellarem.] Si ad acum id referas, qua puellæ ſe cōmūt: ſi ad imaginē, vt puellam nō puerum imago imitaretur.

PHIL. DEtecta.] Per ſeruum nomine Milichum detecta fuit coniuratio Piſoniana: qui ob hoc, vt ſuprà docuimus, conſeruatoris ſibi nomen aſſumpſit.

Moniti ōe eius.] Ex hoc vero ſimilius videtur imagūculā potiùs, quàm acunculā ſignificari, cùm ad imaginem magis, quàm ad acum monitio referri poſſit. Attendit.] Operam dedit.

Extiſpicio.] Extiſpicium vocamus diſciplinam inſpectionémq; extorum, quod alio nomine dicitur aruſpicium: quod, authore Plinio, primus Delphus inuenit. Hinc aruſpicina, de qua ſuo loco non pauca retulimus. Dicimus extiſpicium ea forma, qua igniſpicium, auſpicium, ab extis ſpeciēdis. Nam quod nos cum præpoſitione dicimus aſpicio, apud veteres ſpecio dicebatur: vnde & auſpiciū inclinatur. Nec vnquā litauit,] Facto extorum ſacro, nunquam deos placauit. Litare enim ſignificat ſacrificio facto placaſſe numen.

Pileata.] Induta pileis: tanquam ſignificaret, ſe libertate donatam: cùm viuente Nerone ſeruitutis iugo preſſa ancillaretur. Sext. Aurelius: Omnis Roma adeò interitu Neronis exultauit, vt plebs induta pileis manumiſſionum, tanquam ſæuo exempta domino, triumpharet. Pileum enim, libertatis partæ ſignum eſt: vnde & manumiſſi pileum induebant: de quo alibi diximus abundanter. Martialis:

Permittis puto pileata Roma.

In Saturnalibus ad libertatem declarandam pileata erat Romana turba: vt docet Seneca in 18. Epiſtolarum moralium. Vnde & à Martiale dictum eſt:

Dúmque decent noſtrum pilea ſumpta Iouem.

Vernis, æſtiuiſque floribus.] Verni flores ſunt violæ albæ, heliochryſos, hyacinthus, & alii, quos numerat Plinius in XXI. Aeſtiui verò flores ſunt lichnis, & Iouis flos, & amaracus, quem Phrygium nominant.

Prætextatas.] Indutas prætexta: quæ veſtis eſt magiſtratuum, & puerorum ingenuorum, vt alibi declaratum. Vologeſes Pathorum rex.] De hoc Vologeſe multa ſcribit Cor. Tacitus, qui elephātorum equitare ſolebat: cum quo Nero pacem fecit, quando Tyridatem fratrem Romam miſit ad Neronem adoraodū. Scribit Sextus Aurelius, quod huic loco conuenit, Perſas in tantum dilexiſſe Neronem, vt legatos mitterent orantes copiā conſtruendi monumenti.

Poſt viginti annos.] Ab obitu ipſius Neronis.

Adoleſcēte me.] Ex hoc loco admonemur, Suetonium Tranquillum per ea ferme tempora natum eſſe, quibus periit Nero.

Qui ſe Nerone eſſe iactaret.] Scribit Corn. Tacitus Aſiam, atque Achaiam falſo rumore exterritas fuiſſe, velut Nero aduentaret, quem plures viuere fingebant, credebántque: tūc ſeruus ex Ponto, ſiue libertinus ex Italia cithara, & cantu peritus, oris liniamentis Neroni ſimillimus, Neronē eſſe ſeſe aſſerebat, adiūctiſque plurimis, quos promiſſis corruperat, famam excitauit in dies gliſcentem, tanquam verus Nero reuerteretur. Sed hic Pſeudonero à Calphurnio Aſprenate, cui Galatiam, ac Pamphyliam prouincias regendas Galba permiſerat, detecta fraude interfectus eſt: cuius corpus inſigne oculis, comáque, & toruitate vultus in Aſiam, atque inde Romam peruectum eſt. Scribit Auguſtinus in XX. de ciui. Dei, quod huic loco cōquadrat, quoſdam putaſſe, Neronem minimè occiſum fuiſſe, ſed ſubtractum, vt putaretur occiſus, & viuum occultari in vigore ipſius ætatis, in qua fuit, cùm crederetur extinctus, donec ſuo tempore reueletur, & reſtituatur in regnum. Vnde nōnulli Neronem futurum antichriſtum ſuſpicati ſunt.

Faoorabile.] Faooris, & gratiæ plenum.

Redditus.] Scilicet Calphurnio Aſprenati ad ſuppliciom.

M.AN. EXtiſpicio.] Extorum inſpectione.

Nec vnquam litauit.] Nunquàm placata exta, ſed dira ſemper obſeruauit.

Octauiam iotetemerat.] Ad quem planè exitum illud de Octania inſomnium pertinuit.

Plebs pileata.] Pileis operta: quod libertatis erat Inſigne. Pileati tamen ſerui erant, qui pileo tecti venales proſtabant, quorum nomine venditor nihil præſtabat. Prætextatas.] Puerili habitu.

Edicta proferrent.] In publicū ederent, quaſi eius nomine propoſita.

Poſt viginti annos.] Quàm Nero perierat.

Et vix redditus.] Quum ob mendacium ad pœnā repoſceretur.

PROG

C. SVETONII TRANQVILLI

LIBER VII.

Sergius Galba Imperator.

De progenie Cæsarum, quæ in Nerone defecit, & prodigijs hoc præcedentibus. I.



ROGENIES Cæsarum in Nerone defecit: quod futurum compluribus quidem signis, sed euidentissimis duobus apparuit. Liuiæ olim post Augusti statim nu-

PHIL. ROGENIES Cæsarum.] Hactenus Imperatoria Cæsarū familia habenas Romani Imperii moderata est. Subsequuntur principes, Romani quidem, sed nullo tamē gradu gentē Cæsarum cōtingentes, Galba, Otho, & Vitellios, qui meritò possūt appellari Tragici Imperatores, cū instar Tragicorū tyrānorum ob celrrē mutabilitatē alius induceretur, tanquam prr scenam, alius educeretur. Vnde & Apollonius ille Tyanæus Galbā, Othonem, atque Vitelliū Imperatores Thebanos appellabat, quòd sicut Thebani breni admodum tempore Græciæ tenuerāt principatū, ita isti paucis mensibus Romæ imperauērūt: tanquam tragœdiarum tyranni personam mutātes, qui se inuicem eliserūt, sicut claui clauos qui se inuicem excutiūt. Tranquillus scripturus de Sergio Galba primò memorat qnemadmodum iam defecerat in Nerone Cęsarū progenies: qnod quibusdā etiā ostentis demonstratū est. Nos enarraturi vitā Galbæ videmur facturi operæ pretium, si elogiū ex Cor. Tacito exceptū adscripserimus, quo mores Galbæ cōtinentur. Verba Taciti hæc sunt: Vetus in familia nobilitas, magnæ opes, ipsi Galbæ mediū ingenium magis extra vitia, quàm cum virtutibus, famæ nec Incuriolus, nec vendicator, pecuniæ alienæ nō appetēs, suæ parcus, publicæ auarus: amicorum, libertorúmq;, vbi In bonos incidisset, sine reprehensione patiēs: si mali forent, vsq; ad culpā ignorās: sed claritas natalium, & metus temporū obtinuit, vt quod segnitia erat, sapiētia vocaretur: dum vigebat ætas, militari laude apud Germanias floruit: procōsul Africā moderatė, iam senior citeriorem Hispaniā pari iustitia cōtinuit: maior priuato visus, dū priuatus fuit: & omniū cōsensu capax Imperii nisi imperasset. Liniæ olim.] Hanc historiā tradit Plinius li. xv. cap. vltimo: cuius verba subieci, quæ snnt hæc: Nanq; Lioiæ Drusillæ, quæ posteà Augusta matrimonii nomen accepit, cùm pacta esset illa Cæsari, gallinam cōspicui cādoris sedenti aquila ex alto abiecit in gremiū illæsam: intrepidéq; miranti accessit miraculū, quoniā teneret rostro laureū ramū onustū suis baccis. Cōseruari alitem, & sobolē iussere aruspices, ramúmq; eum seri, ac ritė custodiri. Quod factū est in villa Cæsarum, fluuio Tyberi imposita iuxta nonū lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur ad Gallinas: mireq; sylua prouenit. Ex ea triūphans posteà Cæsar, laurum in manu tenuit, coronámq; in capite gessit, ac deinde Imperatores Cæsares cūcti. Traditúsq; mos est, ramos, quos tenuerunt, serendi. Hacteous Plinios.

MARCI Antonii Sabellici ad Augustinum Barbadicum, Serenissimum Venetiarum principem, Paraphraseos in Galbam parænesis septima.

M.A N. ROGENIES Cæsarum in Nerone defecit.] Fuerūt, Augustine princeps Serenissime, qui Galbā, Othonē, & Vitelliū, hi enim certa serie post Neronē tumultuose Imperiū innasere, siue quòd paucissimis mēsibus singuli principatum tenuissent, seu, quod magis credo, quia semel occupatum sibi stabilire nequiuerint, inter Cæsares minime reponēdos curarint. verum quia Trāquillus reposuit, operæ pretium est & mores Galbæ, & reliqua vitia ex tumultuaria illa administratione cognoscere: de qua vt breuiter dicā quod sentio, si quis illius moderationē cū libertorū auaritia, quorū nutu omnia gerebātur, diligenter cōferat, haud facilė expediat Inter bonos sit priceps Galba reponendus, an malos: satis constat magnos illi honores post mortē decretos, sed lōgė maiores decerni potuisse, si principatū non sordidæ fortunæ viros, per quos, vt Diocletianus identidē prædicare solebat, sæpe optimus venditur princeps, sed ingenuos potiùs, multáq; rerū experiētia claros administrasset. At illa regiminis forma valde execrabilis, omninóq; celatn Indigna: cōtrà optabilis hæc, quæ æquitatis, & clemētiæ plena, vt à maioribus tradita est, ita à te princeps iucundissime, & aliis, qui Reipublicæ gubernaculo admouerentur, sanctissimė custoditur, qua velut vnum omnibus sit propositū certamen, quis in summa administratione maximė de Republica meritus quādoq; videri possit, ísq; præcipuā ex ea dignitate laudē reportasse creditur, qui eā administrationis formā aut instituerit, aut seruarit, quā optimus quisq; princeps, modò publicis cōsultū velit rebus, studio cupiat imitari. Nūc ad Cæsarū progeniem redeo, quæ in Neroue, vt Tranquil. ait, esse desiit: sed qualis fuerit ipsa propagationis ratio, paucis expediam. C. Cæsar Dictator, à quo vetus Reip. forma sublata est, sororē Iuliā habuit: ex ea & M. Accio Balbo Accia nata, ex ea & Octauio Octauius, qui posteà rerū potitus Augustus est apprllatus: is à maiore aoūculo, à Cæsare dico Dictatore in nomen familiæ adscitus, proximus ab illo imperauit. Tradit Augustus per manū Tyberio priuigno Imperiū, Liuiæ Drusillæ, quā vxorē duxit, & Tyberii Neroois filio. Destinauerat ab initio Augustus sibi ex testamento successores Caiūm & Luciū ex Iulia filia, & M. Agrippa genitos: sed illis vtroq; post alterū extinctis, Agrippā eorū fratrem & Tyberiū priuignū in familiæ & rerū successorē adoptauit. Agrippa verò ob sordidū ingeniū abdicato, solus Tyberius post Augusti exitū familiæ, & Imperio successit. Is Germanicū ex Druso fratre, & minore Antonia genitū primò Augusti iusso adoptauit, mox eo defuncto Drusum, & Neronē eius filios: quibus sublatis, tertiū fratrē, ac minimū natu Caiū, qui Caligula cognominatus est, rerū, & Imperii hæredē adscripsit. Post Caligulam, Claudius ex Druso Tyberii fratre natus, & Antonia M. Antonii Triūuiri, & Octaniæ filia sortitus est Imperiū. Sed hīc dubitari potest, qua ratione in gentis successionē venerit. Siquidem pater eius Drusus in adoptionem nō venit, Ipse à Tyberio inter tertios tantùm hæredes relatus est, à Caligula neq; eū, neq; alium adoptatū legere est: verùm quia inter tertios hæredes

ptias Veientanū ſuū reuiſenti, præteruolās aquila gallinā albam ramulū lauri roſtro tenetem, ita vt rapuerat, demiſit in gremiū: quúmq; nutriri alitē, pāgíq; ramulū placuiſſet, tanta pullorum ſoboles prouenit, vt hodie quoq; ea villa ad Gallinas vocetur: tale verò lauretū, vt triūphaturi Cæſares inde laureas decerperent: fuitq; mos triūphantibus, alias cōfeſtim eodē loco pangere: & obſeruatū eſt ſub cuiuſque obitū, arborem ab ipſo inſtitutā, elāguiſſe. Ergo nouiſſimo Neronis anno, & ſylua omnis exaruit radicitus, & quicquid ibi gallinarum erat, interiit. Ac ſúbinde tacta de cælo Cæſarum æde capita omnibus ſtatuis ſimul deciderunt: Auguſtíque ſceptrum è manibus excuſſum eſt.

Proſapia, & uetus origo Galbæ. II.



NEroni Galba ſucceſſit, nullo gradu contingens Cæſarum domum: ſed haud dubiè nobiliſſimus, magnáque, & vetere proſapia, vt qui ſtatuarum titulis pronepotem ſe Quinti Catuli Capitolini ſemper adſcripſerit: Imperator verò etiam ſtemma, in

nominatarum conſtat, idcirco familiæ inſertum crediderim. Claudius ipſe Neronē Agrippinæ Germanici fratris ſui filiæ, quā ipſe vxorem duxit, & Domitii Aenobarbi filium in gentis, & Imperii ſucceſſionem teſtamēto adduxit: qui nouiſſimus eorū, qui per adoptionem in Cæſarū familiā venerunt, imperauit: nam Galba, de quo proximè dicturi ſumus, militari ſuffragio, abſq; vllo ſucceſſionis prætextu, ad Imperii faſtigiū eſt euectus.

PHIL. VEientanū.] Sicut Tuſculanum, Formianū, & Pompeianum dicimus villas à locis, ita Veientanū, prætorium, villámq; ſignificat in Veientano territorio. Alitē.] Gallinā. Ex iuſſu.] Scilicet aruſpicū. Pangi.] Seri, plātariq;. Eſt enim pangere, defigere: vnde paginæ dictæ, quòd in illis verſus panguntur, id eſt figuntur. Pullorum.] Gallinaceorum. A pullo pullicinus, ὑποκοριςικῶς, hoc eſt, diminutiuè dictus. Lampridius: Seruos habuit vectigales, qui eos ex ouis, atque pullicinis, ac pipionibus alerent. M. Varro iuuēcas gallinas appellat pullaſtras, ſicut à nobis quoque lingua vernacula nuncupantur. Ea villa.] Verba Plinii indicāt villā hāc Cæſarū fuiſſe iuxta Tyberim in via Flamiuia ad nonum lapidem. Lauretum.] Græci δαφνῶνα vocant lauretū, hoc eſt locū lauro cōſitū: qua dictione vſus eſt Martialis, vbi ait: Daphnonas, platanos. Romæ in Auentino lauretū vocabatur, vbi ſylua lauri fuit. Laureas.] Coronas ſcilicet ex lauro, quæ propriè triūphis dicata eſt. Autumat Plinius laureā vocari ipſa folia. Vnius arborū nomen in Latina lingua imponitur viris. Nā laurea nomē propriū. M. Cicero libertū habuit nomine Tulliū Lauream: cuius epigrāma clariſſimū memoratur à Plinio in XXXI. Alias.] Pli. ſentit morē fuiſſe, vt rami illi ſererētur, quos in manu tenuiſſent Cæſares triūphātes. Nō enim ſolùm coronā in capite gerebāt, ſed ramū quoq; laureū manu tenebāt. Sub cuiuſq.] Cæſarū. Inſtitutam.] Satā, plātatámq;. Elāguiſſe.] Mortuis ramalibus, & areſcēte trūco emarcuiſſe. Exaruit.] Hoc ſignū fuit, cū Nerone pariter exaruiſſe, defeciſſéq; proſapiam Cæſarū. Tacta æde.] Fulmine percuſſa. Priſci fulminiū dixerunt id, quod eſt fulmine ictū. Arbores quoq; fanaticæ appellatæ, quæ erāt fulmine percuſſæ. Auguſti ſceptrū.] Quod Auguſti ſtatua manu tenebat. Eſt enim ſceptrū inſigne dominātis. Haud dubiè.] Sine dubio. Vetere proſapia.] Quintilianus proſapiā eſſe ait verbū vetuſtū nimis, & obliteratum, quo minimè vtendū eſſe ſentit. Statuarū titulis.] Plinius in XXXIIII. refert, inſtitutū fuiſſe, vt in baſibus ſtatuarū honores hominū, & tituli inſcriberentur, ne in ſepulcris tātùm legerētur. Pronepotē.] Tertio cognationis gradu infrà eſt pronepos, & proneptis ſicut ſuprà proauus, & proauia. Capitolini.] Q. Catulus Capitolini nomē accepit ex eo, quòd curator fuit reſtituendi Capitolii, illúdq; dedicauit: quod ſolum felicitati ſuæ defuiſſe Sylla cōfeſſus eſt. Huius hiſtoriæ mētio facta eſt in vita Cæſaris Dictatoris. Galbā autem fuiſſe neceſſitudine Catulo cōiunctū, Plutarchus quoq; teſtatur, qui ait Galbam animo admodū clarum fuiſſe propter Catuli cognationē: & apud Cor. Tacitum ait ipſe Galba ad Piſonē, quē mox adoptauit: Et tibi inſigne Sulpitiæ, ac Lutatiæ gētis decora nobilitati tuæ adieciſſe. Lutatia enim gens dicta eſt Catulorū: ex quo memoratiſſimus eſt ille Lutatius Catulus, qui Pœnos vicit primo Punico bello, nauali pugna apud Egatis inſulas: de quo ait Silius in VI. Punicorū: Poſſeſſor pelagi, pronáq; Lutatius aura Captiuas puppes ad littora victor agebat. Stemma.] Propriè ſtemma ſignificat ſeriē, gradúſq; cognationū: &, vt inquit Paulus Iuriſcon. in duas lineas ſeparatur, quarum altera ſuperior, altera inferior: ex ſuperiore verò, & ſecundo gradu trāſuerſæ lineæ pendēt. Hinc illud à Plinio elegāter dictum in XXXV. Stēmata verò lineis diſcurrebant ad imagines pictas. Aliàs ſtemmata, coronæ ſunt: ſicuti apud Græcos, & in primis apud Homerū, & Ariſtophanem ſúbinde reperies. Iulius quoque Firmicus ſtemmata vſurpat pro coronis: ſic enim ſcribit in III. Matheſeos: Magnos viros faciet Mercurius, qui ſacris, & glorioſis ſtemmatibus coronentur.

M. AN. VEientanum ſuum.] Villam in Veientano agro. Pangi.] Solo deſigi: vnde carmina quoq; pāgi ſunt dicta, quia cereis tabulis figerētur. Pango nūc cano eſt, nūc ſcribo: ea quoq; ratione conſiſtit laurum ramo ſeri, de quo Democritus, & Theophraſtus dubitauere. Alias confeſtim eodem loco pāgere.] Plinius ramos, quos triumphantes Cæſares manu tenuiſſent, ſeri ſolitos ſcribit. Pronepotem.] Nepotis filium. Qu. Catuli.] Quem Dictator in petitione pontificatus maximi cōpetitorem habuit, quem etiam primo præturæ die ad diſquiſitionē populi ob Capitolii refectionem vocauit. Capitolini.] Is enim Capitolium refecit, ac dedicauit: Tranquillus & Martianus ſunt authores. Sunt qui ſcribāt, Capitoliū à Sylla, nō Catulo, inſtauratū. Stemma.] Maiorū imagines, ſiue imaginum ſeriē. Erant ſiquidem maiorū imagines nō ſolùm decori, & ornamēto, ſed ad deprecandū ſupplicium, & ignominiam facere videbātur. Cicero: Si quid, ait, deliquero, mille ſūt imagines, quæ me à vobis deprecētur.

Erat

atrio proposuerit, quo paternam originem ad Iouem, maternam ad Pasiphaen Minois vxorem referret.

Progenitores, & cognomina Galbæ. III.

IMagines, & elogia vniuersi generis exequi longum est, familiæ breuiter attingã. Qui primus Sulpitiorum cognomẽ Galbæ tulit, cur, aut vnde traxerit, ambigitur. Quidã putant quòd oppidum Hispaniæ frustrà diu oppugnatum, illitis demum galbano facibus succẽderit: Alii quòd in diuturna valetudine galbeo, id est, remediis lana inuolutis assiduè vteretur: nonnulli quòd præpinguis fuerit visus, quem Galbam Galli vocant: vel econtrà, quòd tam exilis, quàm sunt animalia, quæ in æsculis nascuntur, appellantúrq; galbæ. Familiã illustrauit Sergius Galba Cõsularis, temporũ suorũ eloquẽtissimus: quẽ tradunt Hispaniam ex prætura obtinentem, triginta Lusitanorum millibus perfidia trucidatis,

Erat autem stemma imaginum ordo, velut quibusdam ramis lineis intercurrentibus distinctus. Persius:

Stemmate quòd Thusco ramum millesime ducis.

Iuuenalis: Stemmata quid faciunt. Martialis:

Atria Pisonũ stabant cum stemmate toto. Dicitur stemma & coronamentũ, quasi στεφάνωμα. στέφανος corona est. στεφανόω corono.

PHIL. IN atrio.] Apud maiores in atriis erant stemmata, & imagines ceræ, quæ singulis disponebantur armariis, comitabantúrque funera gentilitia. Ex quo est illud notissimum:

Tota licet veteres exornent vndique ceræ Atria.

Ad Pasiphaen.] Notissima est historia fabolosa, quæ de Pasiphae Solis filia circunfertur, quã adamasse taurum vsq; ad coitũ tradunt. Obiter ao notandom, dictionem hanc esse quatuor syllabarum: quod euidenter ostendit vel ille versiculus apud Ausonium:

Non sum ego Minoæ machina Pasiphaes. Quòd autem genus Galbarum esse à Minoe, Pasiphaeque oriondum, testatur & Silius Italicus, cùm in VIII. Punicorum sic scribit de quodam Galba huiusce familiæ:

Rectorem magno spectabat oomine Galbam,
Huic genus orditur Minos, inuisáque tauro
Pasiphae.

Elogia.] Laudationes, testificationes. Repete quæ superiùs de elogio memorauimus. In hãc sententiam est illud Catonianum: Decorauere monumentis, signis, statuis, elogiis, historiis.

Sulpitiorum.] Plutarchus Galbam Sulpitiũ appellat, atque transiuisse in Cæsarum familiam, cùm priuatus adhuc omniũ ditissimus foret. Sex. Aurelius sic ait: Galba nobili Sulpitiorũ genere progenitus imperauit mẽses septẽ, diésq; totidem. Ambigitur.] Dubitatur.

Galbano.] Galbanum in Syria gigni, testis est Plin. lo XII. qood syocerum si vratur, fugat nidore serpẽtes: idem medicinæ quoque adhibetor. In alio significatu galbana vestimẽta sunt delicatorum, quæ à viris gestari mordaciter taxat Iuuenalis illo versu:

Cærulea indunis scutulata, & galbana rasa. Inde galbanatus à Martiale dictus homo mollis, & effœminatus, tanquam galbano indutus. Tunica quoq. galbina à colore dicta. Flauius Vopiscus in Aureliano: Inter hæc fuit Terrìcus chlamyde coccea, tunica galbinã.

Illitis.] Inspersis, veluti quodã fomite, ac nutrimento. Ab illino illitus inclinatur. Galbeo.] Quid sit galbeum, interpretatur ipsemet Tranquillus: tamen alii tradunt galbeum esse genus ornamenti.

Lana inuolutis.] Lanæ, & in primis succidæ, vt ait Plinius, plurima præstant remedia: per se imponontur, & aliis inuoluũtur medicamentis. Galbam Galli vocant.] Vocabula multa peregrina ex variis gentibus venerũt in Latinã linguã: & plurima, vt ait Quintilia. Gallica valuerũt: vt rheda, ac petorritum, quæ sunt nomina vehicolorũ: vt bracca, vnde Braccata Gallia nominata: vt etiã galba, qua dictione in Gallica lingua significatur præpinguis. Galli quoque facũdos vocãt pro facetis, vt docet Fortunatianus. Ambactus Gallica lingua seruus appellatur.

Præpinguis.] Valde pinguis.

Exilis.] Gracilis, & macer. Aesculis.] Glandifera arbor est æsculus, cuius meminit Plin. in XVI. quam non vbiq; nasci tradit: glande æscolea fungosa fit porci caro.

Animalia.] Forassis intelligit culices, quos gigni in glandiferis arboribus indicat Plin.

Sergius eloquẽtissimus.] Cicero in primo de Oratore, sic meminit de hoc Sergio Galba: Equidẽ Sergiũ Galbã memoria teneo diuinum hominem in dicendo. Idem in Bruto ait: Sergiũ Galbam eloquentia præstitisse: cuius tamẽ orationes exiles fuerũt, & redolentes antiquitatem, quæ ob id exaruerunt.

Lusitanorum.] Lusitania Hispaniæ vlterioris prouincia est, cui nomẽ dedisse lusum Liberi Patris, ac Lysam cũ eo bacchãtem, Plinius, Martianúsq; tradiderũt.

Perfidia trocidatis.] M. Tullius in Bruto tradit, Lositanos à Sergio Galba prætore contra interpositã, vt existimabatur, fidẽ interfectos: ex quo Titus Libo tribunus plebis populum Romanũ incitauit in Galbam, & in eum rogationẽ tulit similem priuilegii. M. quoq; Cato Censorius in Galbã luculenta oratione iouectus est: tum quanta eloquentiæ vis in Galba foret, cognitũ est: qui liberos soos paruulos in cõcione prodocẽs, filiúmque etiã Sulpitii Galbæ suis ipse manibus circumferens, fletu, ac miseratione commouit popolum Romanom ad misericordiam: & ita eripuit se flamma, atq; euasit damnationem. Cuius rei mentio qooq; fit à Fabio Quintiliano in II. Institutionũ. Orosius autem in III. scribit, Sergium Galbam prætorem à Lusitanis magno prælio victum fuisse, vniuersóqoe exercitu amisso ipsum cum paucis vix elapsum euasisse.

M. AN. ELogia.] Nunc laudationes: alioqui elogiõ mediũ est verbũ: tam enim honoris, quàm vituperationis testificatio. Galbano facibus.] Vergilius:

Galbaneóq; agitare graui nidore chelidros. Seruius galbanũ arboris speciem esse ait, multis aptã medicaminibus. Plinius ferulã arborem, & in Amano Syriæ monte nasci ad ammoniaci similitudinem, eiúsq; nidore serpentes fugari ait. Sergius Galba.] Cicero: Et Sergio Galbæ, & C. Lælio socero tuo, quos constat dicendi gloria præstitisse. Tacitus. Quod ad Sergiũ, inquit, Galbã, & Lælium attinet, & si qoos alios antiqnorũ

Viriatini belli causam extitisse. Eius nepos ob repulsam Consulatus infensus Iulio Cæsari, cuius legatus in Gallia fuerat, conspirauit cum Cassio, & Bruto, propter quod Pedia lege damnatus est. Ab hoc sunt Imperatoris Galbæ auus, & pater. Auus clarior studiis, quàm dignitate. Non enim egressus præturæ gradum, multiplicem, nec incuriosam historiam edidit. Pater Consulatu functus, quãquàm breui corpore, atque etiam gibber, modicæque in dicendo facultatis, causas industriè actitauit. Vxores habuit Mummiam Achaiam neptem Catuli, proneptémque L. Mummii, qui Corinthum excîdit. Item Liuiam Ocellinam ditem admodum, & pulchram. A qua tamen nobilitatis causa appetitus vltro existimatur, & aliquantò enixiùs, postquã súbinde instanti vitiũ corporis secretò posita veste detexit, ne quasi ignarã fallere videretur. Ex Achaia liberos, Caiũ, & Sergiũ procreauit. Quorũ ma-

agitare non destitit. Apud Liuium, & Corneliũ Seruius pro Sergio legitur. Perfidia trucidatis.] Et ad Lusitanos, & ad Galbam referri potest. Liotos author est, confessum io iudicio Galbã idcirco Lusitanos propter se castra habentes soo iussu cæsos, quòd compertũ habuisset equo & homine immolatis per speciem pacis, illos suum exercitum adoriri in animo habuisse.

PHIL. Viriatini belli.] Quod, duce Viriato, Lusitani aduersus Romanos gesserunt. Fuit autem Viriatus vir calliditatis acerrimæ, qui ex venatore latro, ex latrone subitò dux, atque Imperator Lusitanorum per aooos quatuordecim Romanos duces, exercitúsqoe contriuit: trabeas fasces, cæteráque insignia Romana in moonibus suis trophæa præfixit: tandem iosidiis suorum interfectus est, cùm domestici percussores pecunia corrupti à Seruilio Cepione fuissent, qoi Viriatum vino depositũ peremerunt: qui à suis defletus nobilissimè tumulatus fuit. Romani hanc victoriam, quia pretio empta fuerat, improbarunt, percussorésque indignos præmio iudicauerunt. Ad hunc Viriatum alludens Silius sic cecinit in III. Punicorum: -Primò Viriatus in æuo
Nomen Romanis factum mox nobile damnis.

Cuius legatus in Gallia.] Cæsar in Commentariis crebrò meminit de hoc legato suo Galba: cuius virtutem inprimis extollit in tertio Commentario belli Gallici. Ob repulsam Consulatus.] Hirrius in Commẽtario belli Gallici mentionem fecit huius repulsæ, quã passus est Galba in Consulatu. Scribit enim, aduersarios Cæsaris insolenter gloriatos, ereptum esse Sergio Galbæ Coosulatum: quum is multò plus gratia suffragiisque valuisset, quòd Cæsari cõiunctus & familiaritate, & necessitudine legationis esset.

Pedia lege damnatus.] Augustus, sicut in Augusti vita latiùs explicatum est, conspiratores Iulii Cæsaris aggressus est legibus, & in primis lege à Q. Pedio lata reos cædis detulit.

Nec incuriosam.] Non iocuriosè, neqoe negligenter compositam.

Gibber.] Gibbo deformatus. Gibber, & gibberus dicitur, qui gibbum habet. Plinius gallinarum genus gibberum vocat, quòd gibbosæ sint. Ipse quoq; gibbus nominatur gibber. Iuuenalis:

-Attritus gibbere nasus. Iulius Firmicus tradit in VIII. Matheseos, nasci gibberosos, qoi in septima parte Arietis habuerint horoscopum.

Industriè.] Naoiter, solerter. adoerbium est.

Actitauit.] Frequenter egit. Agere enim dicuntur causidici, & oratores: vnde actio dicta.

Mummii proneptem.] L. Mummius, cui cognomen Achaici victoria dedit, Corinthum diruit, quod oppidum Achaiæ caput, Græciæ decus, & lumẽ maximi scriptores appellant. Causa belli fuit Critolaus, qui legatos Romanos contra ius gentium violare aosus est: & cùm ob hoc mandatum fuisset Metello bellum Achaicum, ad alienã victoriam Mũmius venit, qui sub ipsis Isthmi faucibus fudit Achæos: mox Corinthus ab incolis deserta, & solo æquata est, signis, tabulisq; spoliata: quibus cùm totam replesset Italiam, in domũ suam nihil intulit. Nãq;, vt author est Strabo, tabulas pictas rogantibus amicis facilè largiebatur. Addit Plinius, tũc æra Corinthia, quæ pretiosissima fuerunt, ab eodem dispersa fuisse cõpluribus Achaiæ oppidis. Idem alio loco arbitratur, picturã externã Romæ primùm publicatam fuisse ab hoc L. Mũmio, qoi Aristidis tabulam Liberum Patrem cond nentem in Cereris delubro posuit. Cùm itaque L. Mũmius Achaicus cognominaretur, meritò Mũmia illius pronepôs Achaia nuncupata est. Ditem.] Opulentam. Appetitus.] Desideratus.

Enixiùs.] Vehementiùs, cupidiúsque.

Súbinde.] Frequenter. Instanti.] Liuiæ.

Vitium corporis.] Gibbum. Detexit.] Retexit, denudauit, ostendit. Olim Crates Thebanus quiddam coosimile fecisse proditur, qui cũm Hipparche eũ maritũ optaret, interscapilium retexit, quod erat gibberosum: perámque cum baculo, & pallium humi posuit, professus puellæ eam sibi esse supellectilem, eámq; formam, quam videret: próinde, inquit, sedulò consule, ne pòst pœnitudo te capiat. Enimuero Hipparche conditionem accepit, respõdens iandudũ sibi prouisum satis esse, & satis cõsoltũ, neq; ditiorẽ maritũ, neq; formosiorem vspiã gentiõ posse inuenire: próinde doceret quò libeat: & ita Crati Cynico philosopho nupsit Hipparche. Ex Achaia.] Mummia pronepte L. Mummii.

Viriatini.] Ab authoris nomine nuncupati. M. AN.

Cassio, & Bruto.] Principibus coniurationis, qua Cæsar Dictator est oppressus.

Pedia lege.] A Quinto Pedio Consule lata: de ea alibi.

Gibber.] Gibbo insignis.

Qui Corinthum excîdit.] Cicero: Quid si L. Mummius aliquem istorum videret Matellionem Corinthium cupidissimè tractantem, qoum ipse totam Corinthum contempsisset?

Appetitus.] Qoanqoàm gibber.

Enixiùs.] Studiosiús.

Súbinde.] Sæpius.

Instanti.] Ocellinæ.

Vitium corporis.] Gibbi deformitatem.

Attrit

ior Caius attritis facultatibus vrbe cessit, prohibitúsque à Tyberio sortiri anno suo proconsulatum, voluntaria morte obiit.

Ortus Galbæ, & præsagia principatus eius. IIII.



Ergius Galba Imperator, M. Valerio Messala, Cn. Lentulo Consulibus natus est IX. Calē. Ianuarii, in villa colli supposita, prope Terracinā sinistrorsum Fundos petentibus. Adoptatus à nouerca sua, Liuii nomē, & Ocellare cognomen assumpsit, mutato prænomine. Nam Liuium mox pro Sergio vsque ad tempus Imperii vsurpauit. Constat, Augustum puero adhuc salutanti se inter æquales, apprehensa buccula dixisse: ϗ, σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ. Sed & Tyberius quum comperisset eum imperaturum, verùm in senecta, Viuat sanè, ait, quando id ad nos nihil pertinet. Auo quoque eius fulgur

PHIL. Attritis facultatibus.] Consumpto patrimonio. Sortiri procōsularū.] Moris erat apud Romanos, vt Consules prouincias proconsulares sortirentur. Hinc frequenter leges apud Historicos, Cōsulibus sorte obuenisse prouincias. Tyberius verò prohibuit C. Galbam ne sortiretur proconsulatū, propter facultates attritas: quo dolore perculsus Caius adtit mortem voluntariam.

Suo anno.] Legitimo: quo scilicet per leges poterat fieri Cōsul. De procōsulatu autem, officióque proconsulis alibi scripsimus abūdanter. Cicero gloriatur suo quidem anno se honores adeptū esse cunctorum suffragiis: quod contigit paucis nobilibus. Procōsul primus apud Romanos videtur fuisse P. Philo, cui primo Imperium prorogatum est: vt docet Liuius in VIII. qui appellat proconsules, quibus finito consulatu Imperium prorogatur. Colli supposita.] Præceptum Varronianum est, vt potissimùm sub radicibus mōtis villa ædificetur. Columella quoq; optimam esse villæ positionem arbitratur in mediis collibus, vbi aer calore, & frigore temperatus est. Sinistrorsum.] ad sinistram partem. Horatius: Ille sinistrorsum, hic dextrorsum: vnus vtriq; Error.- Fūdos.] Nomē est oppidi, de quo Horat. Fundos Aufidio Lusco prætore libenter Linquimus.- Liuii nomen.] A nouercæ nomine nominatus est Liuius Galba, & Ocellaris cognominatus: cùm illa Liuia Ocellina nominaretur. Lucium.] Existimo legendum esse Liuium, vt congruat cum suprà dicta sententia, quòd scilicet Liuii nomen assumpserit. Inter æquales.] Inter pueros eiusdē ætatis, & coæuos: quos Græci συνχρόνους appellant, quasi cōtemporaneos. Scribit Hieronymus Oseen prophetā fuisse synchronon Isaiæ. Buccula.] Sermo est polysemus, id est multa significās: nanque pars cassidis est, de qua Iuuenalis: Et fracta de casside buccula pēdens. Significat & vaccam. Vergilius in primo Georgicorū: -Aut buccula cælum Suspiciens patulis captauit naribus auras. Columella masculino vsus est: nam bucculos dixit pro iuuēcis bobus. Sic enim ait in VI. agricolationis: Cū deinde bucculos comprehenderis, perducito ad stabulum. Præterea buccula accipitur pro pusilla bucca, quæ oris pars est. De buccis Plinius in XI. sic refert: Infra malas sunt hilaritates, risúmque indicantes buccæ. Ex quibus verbis discimus, buccas propriè intelligi partes illas, quæ inflari solent, quæ duæ sunt in homine. Hinc ait Horatius: Quid causæ, meritò quin illis Iuppiter ambas Iratus buccas inflet.- Interdum buccam intelligimus ipsum os: sicut illud prouerbialiter dictum, Quicquid in buccā venerit. Hinc buccula deducitur, accipiturq; pro pusilla bucca: siue osculum ipsum, id est paruū os: siue partem genarum, quæ inflatur, intelligere velimus. In hoc significatu capit nūc Tranquillus. Nam mos est, cum puerum osculari volumus, vt illius bucculam manu apprehendamus, quod & ad os, & ad genam referri potest. In hanc sententiam Apuleius in VI. de Asino aureo sic scribit: Tūc Iupiter perpressa Cupidinis buccula, manúq; ad os suum relata cōsuauiat. Καὶ σὺ τέκνον.] Græca verba sunt, quæ sic interpretantur: Et tu fili Imperio nostro adhære. Ad nos nihil pertinet.] Quia nos iā defuncti erimus, si senecta ætate imperaturus est Galba. Fulgur procuranti.] Expianti, propitiantique per procurationes. Nā fulminum quædam sunt læta, quædam sunt aduersa, quædam mista: quæ aduersa sunt, vt inquit Seneca, mala portēdunt, & ideò expiationibus, procurationibúsque propitiari solent ad auertenda mala, quæ minitantur: & de his procurationibus fulminum intelligit idem Seneca sic scribens in secundo Quæstionum naturalium: Quid ergo expiationes, procurationesque? quò pertinent, si immutabilia sunt fata? Apud Lucanum in primo Pharsaliæ describitur procuratio fulminis facta ab aruspice. Pronorsum fulgur appellauerunt, quod ignoratur noctu, an interdiu sit factum. Ideóque Ioui & Summano res diuina fiebat: quia diurna Iouis, nocturna Summani fulgura habebantur. Est autem Summanus deus, quasi summus manium dictus, vt interpretatur Martianus: quem modò Ditem patrem, modò Plutonem appellant.

M. AN. Attritis.] Consumptis. Sortiri.] Quod ob id negatum apparet, quia consumptis fortunis omnibus solum vertisset.

Anno suo.] Et ad designationem ipsam referri potest, quòd in plures annos prouinciæ ordinarētur: aut quòd ex consulatu, quū proconsul veteri instituto esset prouinciam administraturus, à Tyberio principe sit prohibitus. Liuii nomē, & Ocellare cognomē.] Liuia enim Ocellina eius nouerca est dicta, à qua fuit adoptatus. Lucium.] Vt Lucius Liuius Ocellaris, siue Ocellinus diceretur. Puero.] Galbæ. Salutanti.] Inter officia salutantium assistēti. Inter æquales.] Inter eiusdē ætatis pueros. Buccula.] Ore: nam oris concauitas, bucca dicitur. Cicero: Quicquid in buccam venerit. Iuuenalis:

-Notæque per oppida buccæ. Horatius:
-Iuppiter ambas Iratus buccas.-

Est & buccula, parua bos. Plinius: Eidem morbo bucculæ iecur prodest. Vergilius:

-Aut buccula cælum Suspiciens.-

Est & pars cassidis, per quā emittitur spiritus. Iuuen.

Lorica & fracta de casside buccula pendens.

Καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ.] Et tu fili principatum nostrum iuxta sedens.

PHIL. FRugiferam qoercum.] Frugiferas arbores Plinius, Apuleius,& Tacitus vocant,quæ fructū ferunt. Fruges autem arborum antiquitus fueruot glandes, vt alibi docuimus: vnde meritò quercus frugifera est dicta. Vlpianus rameo negat poma dici fruges: cùm Iulianus scribat, fruges omnes esse, quibus homo vescatur.

Summum.] Maximum.

Portendi.] Significari.

Familiæ.] Sulpitiorum.

Responsum est.] Ab aruspicibus, procuratoribúsq; fulminis.

Ille.] Auus Galbæ,

Cùm mula prpererit.] Hoc dixit perinde ac intelligi volens, nunquā Imperium in familia sua futurum: tanquā mulæ nunquā pariant. Aristoteles enim mulorum genus sterile esse,& in totum non parere prodidit: causásque strrilitatis elegāter complexus est lib. 11. de geoeratione animalium, vbi air, mulam concepisse quidem aliquando, sed ad finem nequiuisse perducere qood conceperit. Plinius verò noster in octauo, mulas dixit idcirco non parere, quòd ea, quæ duobus diuersis generibos nascātur, tertii generis fiant, & neutri parentum sint similia, eáque ipsa, quæ ita nata sunt, non gignere in omni animalium genere. Est tamen in Annalibus, Historiisque Romanis, mulas peperisse sæpe: verùm prodigii loco id habitum est. Idem Aristoteles in sexto de animalibus, in Syria tradit mulas esse, quæ coeant, & pariant omnes; sed id genus diuersum est à genere mularum nostratium. Apud Herodotum in Thalia luculenta est historia graphicè perscripta de Babylone obsessa à rege Dario: in qua vnus Babyloniorum probra ingerens Dario, atque eius exercitui, Quid, inquit, isthic desideris Persæ? quin potiùs absceditis? tūc expugnaturi oos cùm mulæ pepererint. Hoc ille dicebat, credens nunquam parere mulam. Srd paulò pòst contigit, vt quædā mula pareret Zopyro: qoo ostento in spem venit capiendæ Babylonis, & cepit, cùm Babylonios vaframetis circunuenisset: propter qood beneficium Darius tanti fecit Zopyrum, vt olim aperto malo Punico optauerit se malle tot Zopyros, quot erant mali Punici grana.

Obscœoum.] Dirum, execrabile, ominosum. Vergilius:

Obscœnique caoes, importunæque volucres
Signa dabant.-

Pro lætissimo accepit.] Fecit idem Galba quod Zopyrus: qui pro felici ostento accepit mulam peperisse, animo reputans verba illius Babylonii, qoi Inter initia obsidionis dixisset, tunc fore vt Babylon expugnare-tur, cùm mulæ parerent.

Ante fores.] Ipsius Galbæ.

Ocyus.] Citò, celeriter.

Aeneum.] Ex ære fabrefactum.

Deæ.] Fortunæ.

procurāti, quum exta de manibus aquila rapuisset, & in frugiferam quercum contulisset, summum, sed serum Imperium portendi familiæ, responsum est. Et ille irridens, Sanè, inquit, quum mula pepererit. Nihil æquè posteà Galbam tentantem res nouas confirmauit, quàm mulæ partus, cæterísque, vt obscœnum ostentum, abhorrentibus, solus pro lætissimo accepit, memor sacrificii, dictíque aui. Sumpta virili toga, somniauit Fortunam dicentem, stare se ante fores defessam, & nisi ocyus reciperetur, cuicunque obuio prædæ futuram. Vtq́ue euigilauit, aperto atrio, simulacrū æneum deæ cubitali maius iuxta limen inuenit, ídque gremio suo Tusculum, vbi æstiuare consueuerat, auexit, & in parte ædium consecratum menstruis deinceps supplicationibus, & peruigilio anniuersario coluit. Quanquàm ætate nondum constanti, veterē ciuitatis, exoletúmq; morē, ac tantùm in domo sua hærentem obstinatissimè retinuit, vt liberti, seruíque bis die frequentes

Cubitali.] Cubitus constat ex vigintiquatuor digitis, vt inquit Vitruuius, hoc est ex sex palmis. Est prætereà cubitus geometricus, qui Origene & Augustino authoribos, sex nostra cubita continet.

Tusculum.] In ciuitatem Tusculanam: de qua alibi pluribus. M. Cato fuit Tusculanus. Interdum tusculum diminutiuū est turis: vt apud Plautū in Aulularia: Hunc tuscolū emi, & hasce coronas floreas.

Aestiuare.] Aestiuo tempore commorari: sicut hybernare ad hyberoum tēpus refertur. Varro: Mihi greges in Apulia hybernabant, qui in Arretinis montibus æstiuabant.

Aedium.] Domus.

Menstruis supplicatiooibus.] Per singulos menses. A mense enim meostruus deriuatur: vnde Luna à Marone menstrua dicta. Et sumptus menstruus à Columella. Hinc etiam fœminarum profluuia, mēstrua nuncupantur, quia singulis mensibus concitantur: vode Plinius sæpissime menses vocat.

Peruigilio anniuersario.] Sacra, quæ quo tannis semel fiunt, anniuersaria dicuntur. Anniuersariū peruigilium appellat sacrificium, quod iugi vigilia per totā oo ctem celebrabatur, sicut eraot peruigilia Cereris. Corn. Tacitus ait: Lectisternia, ac peruigilia celebrauere fœminæ, quibus mariti erant.

Constanti.] Firma, & robusta.

Exoletum.] Abolitum, & qui iam per desuetudinem euanuerat.

M. AN. PRocuranti.] Sacrificio expianti.

Quum mula pepererit.] Quòd sint tertiū genus mulæ, idcirco non pariuot, Plinius est author. Sed Annalium monumentis constat nonnunquam peperisse: rémque in portentum versam. Theophrastus in Arcadia mulas parere tradidit. Herodotus sub id tempus, quo Babylonem Cyrus expugnauit, enixam fuisse mulam scribit.

Deæ.] Fortunæ. Iuoenalis:

Sed nos te facimus Fortuna deam, cælóque locamus.

Aestiuare.] Aestiuis mensibus secedere.

Annioersario.] Annuo sacro.

Peruigili.] Diligenti, ac nihil intermisso: vel certè solenni peruigilio.

Exoletum.] Abolitum.

Hærentem.] Retentum.

Manè

adessent, ac manè saluere, vesperi valere sibi singuli dicerent.

Studium eius in liberalibus disciplinis, & Iure, & de uxoribus, ac filijs. V.



INter liberales disciplinas attẽdit & Iuri: dedit & matrimonio operã. Verùm amissa vxore Lepida, duobúsque ex ea filiis, remansit in cælibatu, neque solicitari vlla conditione amplius potuit, ne Agrippinæ quidẽ viduatæ morte Domitii, quæ maritũ quoq; adhuc necdum cælibem Galbam, adeò omnibus solicitauerat modis, vt in conuentu matronarum correpta iurgio, atque etiam manu pulsata sit à matre Lepidæ. Obseruauit ante omnes Liuiam Augustam: cuius & viuæ gratia plurimũ valuit, & mortuæ testamento penè ditatus est. Sestertiûm nanq; quingenties cùm præcipuum inter legatarios habuisset, quia verò notata, nõ perscripta erat summa, hærede Tyberio legatũ ad quinquaginta reuocante, ne hæc quidem accepit.

Honores per eum gesti, & disciplina in re militari. VI.



HOnoribus ante legitimum tempus initis, Prætor commissione ludorum

PHIL. MAnè saluere.] Vt hora matutina accedentes salutarent: vespertina abeuntes dicerẽt vale: quod est verbum recedentium.

Attendit iuri.] Operam dedit iuri ciuili.

Matrimonio operam.] Qui ducit vxorem, operam dat matrimonio: sicut qui coit cũ vxore, operã dare dicitur liberis.

In cælibatu.] Sine vxore. Suprà satis ac super de cælibe, & cælibatu memorauimus. Est autem propriè cælebs is, qui vxorem habuit, nec habet. Quod curiosus lector cognoscet ex obseruatione scriptorũ, si classici fuerint, non proletarii. Interdũ pro eo accipitur cælebs, qui sine vxore est, vt ego sum: nec me pœnitet viuere in cælibatu, nec ad hoc æui expertũ esse molestias vxorias.

Morte Domitii.] Hic fuit Neronis pater.

Maritum.] Habentem vxorẽ. Est enim maritus, nomen ad aliquid.

Cælibem.] Sine vxore.

Correpta.] Obiurgata matronali conuicio.

A matre Lepidæ.] Quæ fuerat vxor Galbæ.

Obseruauit.] Modò coluit, & veneratus est. Aliàs obseruare significat speculari, & diligenter attendere. Plautus: Ne me obseruare possis quid rerum geram.

Plurimùm valuit.] Scribit Plutarchus, Galbã genere coniunctum fuisse Liuiæ vxori Cæsaris, cuius opera ex Palatio processerit ad Consulatum.

Penè.] Meritò addidit hanc particulam, penè: quia haud dubiè fuisset locupleratus, & factus opulentus si legatum sibi Liuianũ accepisset: sed id interceptum fuit Tyberii fraude.

Inter legatarios.] Legatarii sunt, quibus legata à testatore siue legatore relinquuntur: sicut mãdatarii, quibus mandata dantur.

Notata, non perscripta summa.] Aliud est notare summam pecuniarũ, aliud perscribere. Notatur summa per notas, sicut calculatores, ratiocinatoresve notare cõsueuerunt: vt, exẽpli gratia, L. apud Romanos antiquos nota erat quinquaginta, sicut quingenta per D. literam notabantur. Perscribere verò est ipsis literis, integrisq; dictione summã explicare. Igitur cùm in testamẽto Liuiæ summa illa pecuniæ, quã nomine legati Galbæ relinquebat, notata esset, non perscripta, facilè potuit Tyberius legatum illud à quingentis reuocare ad quinquaginta: vt scilicet loco D. supponeret L. sine magna immutatione. Diximus enim, quòd antiqui quingenta notabãt per literam D. quinquaginta verò per literam L. inter D. autem & L. haud magna distantia est.

Honoribus.] Magistratibus.

Commissione ludorum.] Officium peculiare erat prætoris, vt ludos exhiberet priuata impensa. Hinc Cicero laudat Murenæ magnificentiam, qui in prætura ludos fecit magnificentissimos, qui illi mox in petitione Consulatus admodũ profuerunt apud populũ ludis magnoperè lætantẽ. Hinc Symmachus in Epistolis ait: In prætura filii mei equorum mihi curulium nobilitas præparanda est, vt expectationi populi Romani mea pecunia, tua cura respondeat. Item: Designatum tibi ad vrbanam præturam filium meum nũtio: intelligis quid sibi hoc indicium velit: quadrigarum curulium nobilitas præparanda est. Igitur Galba cùm esset prætor creatus, antè, quàm per leges liceret, edidit ludos, quorum sciret magnificentiam à populo Romano probari, vt magnificentiores forent, eos exornauit noua elephantorum funambulorum editione.

M. ANT. MAnè saluere.] Quod ominis loco duci potuit, quasi futurum esset vt Imperator quandoq; manè publicè salutaretur.

Iuri.] Iuris scientiæ cognitioni.

In cælibatu.] Vita coniugii experte: quanquã propriè cælebs is est, qui caret, caruitque semper coniuge: quandoque tamen simpliciter, vt nunc, pro quocunque vxorem nõ habente accipitur. Fabius: Liber, an seruus, maritus an cælebs. Cælebs dicitur, quòd cælo dignam vitam agat, qui coitu careat. Cicero de Legibus: Cælibes esse prohibento.

Agrippinæ.] Quæ ex Domitio Aenobarbo Neronem principem genuit.

Necdum cælibem.] Id est, adhuc maritum, viua Lepida, quæ repudiata opus erat vt Galbæ coniugio poriretur.

Correpta.] Increpita, iurgio excepta.

A matre Lepidæ.] Galbæ socru, quæ filiæ repudium timebat.

Legatarios.] Qui Liuiæ legata sortiti sunt.

Notata.] Numerorum figuris, nõ syllabis, & plenis dictionibus expressa, L. vna videlicet calcularia figura in calce adempta.

Floralium, nouum spectaculi genus, elephantos funambulos edidit: exinde prouinciæ Aquitaniæ anno ferè præfuit: mox consulatum per sex menses ordinariũ gessit. Euenitq; vt in eo ipse L. Domitio patri Neronis, ipsi Syluius Otho pater Othonis succederet, velut præsagiũ insequẽtis casus, quo medius inter vtriusq; filios extitit Imperator. A C. Cæsare ludis substitutus, postridie quàm ad legiones venit solenni fortè spectaculo plaudẽtes

PHIL. LVdorum Floralium.] Flora cùm magnas opes ex arte meretricia acquisiuisset, populum Romanum scripsit hæredem, certámque pecuniam reliquit, cuius ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorũ, quos appellat Floralia. Hi ludi celebrabãtur cum omni lasciuia, conuenientes memoriæ meretricis. Nam præter verborum licentiam, quibus obscœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam vestibus, populo flagitante, meretrices, quæ tunc mimorũ funguntur officio, etiam in conspectu populi, vsque ad satietatem impudicorum luminum, cùm pudendis motibus continentur: author Lactãtius in primo diuinarum Institutionum. Hinc illud Epigrammatarii poetæ:

Nosses iocosæ dulce cùm sacrum Floræ,
Festósque lusus, & licentiam vulgi.

Idem in alio loco Floralitias feras vocat, quæ in spectaculo Floralium ludorum exhibebantur. Mythici, id est fabulatores, finxerunt Floram esse deam, quæ floribus præsit: eámque oportere placari, vt fruges cum arboribus, & viribus bene, prosperéque florescerent. Vnde Floralia ad quartum Calendas Maii instituerunt diem festũ, vt omnia bene deflorescerent: sicut docet Plinius in XVIII. & M. Varro in primo de re rustica inuocat deam Floram, vt illa propiria frumenta, atque arbores tempestiue floreant. Itaque, inquit, Floræ ludi Floralia instituti. Ouidius in V. Fastorum cecinit, Floram nympham fuisse, quæ Gloris sit vocitata, eámque Zephyro nubentem, à marito id muneris accepisse, vt haberet omnium florum potestatem. Olim Cato cùm ludos Florales spectaret, populus Romanus Catoniana maiestate commotus erubuit postulare, vt mimæ nudarentur: quo cognito discessit e theatro Cato, ne præsentia sua spectaculi consuetudinem impediret: quem abeuntem ingenti plausu, vt inquit Valerius capite de maiestate, populus Romanus prosequutus, priscum morem iocorum in scenam reuocauit.

Elephantos funambulos.] Funambulus dicitur is, qui per funes ambulat: vnde & nomẽ compositum est. Græci σχοινοβάτην vocant: sicut νευροβάτην, qui per neruos currit: qua dictione vsus est Flauius Vopiscus scribens neurobaten exhibitum esse in spectaculis à Carino Imperatore. Primus Messala Coruinus funambuliũ dixisse proditur, ne schœnobaten Græcam dictionem Latinis verbis immisceret: post Messalam Terentius funambuli nomen vsurpauit, qui sic ait in Hecyra: Ita populus stupidus in funambulo animum occuparat. In libro Annotationũ obseruauimus funambulum eleganti vocabulo dici funipedum ab Apuleio in libris Floridorum. Nati sub sydere Ingeniculi, quem Græco vocabulo ἐγγόνασιν vocant, erunt funambuli, & neurobatæ: vt docet Iulius Firmicus in octauo Matheseos. Quod autem elephanti docilitate tanta sint prædití, vt per funes incedant, docet Plinius in octauo, qui ait, elephantos aduersis funibus subisse: quod quidem mirum fuit: sed mirabilius existimatum, cùm retrograderentur funibus vtique pronis. Seneca quoque libro Epistolarum vndecimo sic inquit: Elephantem minimus Aethiops iubet subsidere in genua, & ambulare per funem.

Aquitaniæ.] Pars est Galliarum transalpinarum, prout Historici, Geographique tradiderunt: de qua Ammianus Marcellinus sic refert: Hæ prouinciæ vrbes, quæ sunt splendidæ Galliarum: Aquitania, quæ Pyrenæos montes, & eã partem spectat Oceani, quæ pertinet ad Hispanos, prima prouincia est Aquitania, amplitudine ciuitatum admodũ culta.

Ordinarium.] Legitimo ordine datum. Ostendit Lampridius differre ordinarios cõsules à suffectis, tanquam ordinarii sint illi, qui ex ordine creati ineunt magistratum anni principio: suffecti verò, qui in locum demortui ordinarii substituuntur. Iupiter in V. ab horoscopo loco faciet Consules ordinarios: vt docet Firmicus Maternus in III. Matheseos.

Ipsi.] Galbæ.

Succederet.] In Consulatu.

Inter vtriusque filios.] Neronẽ filium Domitii, & Othonẽ filium Syluii Othonis, Inter quos ita medius fuit Imperator Galba, sicut medius fuerat Consul inter patres eorum.

A Caio.] Caligula.

Substitutus.] Vt loco ipsius Caligulæ ipse Galba præesset ludis.

Plaudentes.] Plausum, qui fit manuum complosione, dantes. Manus enim, vt inquit Seneca, inter se clausæ plausum edunt, auersæ verò si inter se collisæ sint, non plaudunt.

M. AN. LVdorum Floralium.] Floræ sacrorum, qui pridie Calendas Maias celebrabantur. Eam Floram fuisse quidam aiunt nobile scortum, quæ populum Romanũ sub conditione hæredem reliquit, vt natali ipsius die annui sibi ludi fierent: patres flagitium auersari, deam, quæ floribus præesset, placandam censuere, vt fruges cum arboribus, & vitibus bene, & pro tempore florerent. Hi ludi à nudis celebrabantur magna quidẽ licentia. Mart. Quis Floralia vestit, & stolarum permittit meretricibus pudorem? Iuuenalis:

-Dignissima prorsus
Florali matrona tuba.-

Elephantos funambulos.] Per funes gradientes: Græci σχοινοβάτην appellant, quem Latini funambulum, Apuleius funipedum dixit.

Ordinarium.] Haud in demortui locum datum. Lampridius: Consules ordinarii, vel suffecti.

Ipse Lucio Domitio patri Neronis.] Succederet subaudi.

Ipsi Syluius Otho.] Vtrunque ad successionis ordinem attinuit. Sic enim euenit, vt Neroni Galba successerit, Galbæ Otho.

Præsagium.] Prædiuinatio: est enim, vt Festo placet, præsagire, prædiuinare.

A Caio Cæsare.] Caligula scilicet.

Ludis.] Vt sit ordo, Postridie quàm ad legiones venit, ludis à Caio Cæsare substitutus.

Plaudentes.] Milites Galbæ: alii non dicit. Plaudere, manibus pulsare est. Seneca: Vnam rem adiiciam, & fauere, & plaudere te iuuabit.

Penul

inhibuit, data tessera, vt manus penulis continerẽt, statim per castra iactatum est:

Disce miles militare, Galba est, non Getulicus.

Pari seueritate interdixit commeatus peti. Veteranum, ac tyronem militem opere assiduo corroborauit, maturéque barbaris, qui iam in Galliã vsque proruperant, coercitis, præsenti quoq; Caio talem & se, & exercitum approbauit, vt inter innumeras, contractásq; ex omnibus prouinciis copias, neq; testimoniũ, neq; præmia ampliora vlli perciperent. Ipse maximè insignis, quòd campestrem decursionem scuto moderatus, etiã ad essedũ Imperatoris per viginti passuũ millia cucurrit.

Iustitia, & æquitas eiusdem. VII.



Aede Caii nuntiata, multis ad occasionem stimulantibus, quietem prætulit.

PHIL Penulis continerent.] Qui plaudunt, manus exerũt extra vestimenta. Vnde Galba, vt plausum militaré inhiberet, tanquam indecorum, dedit signũ, manus intra penulas esse continendas: quibus adstricti, & veluti inclusi esse solemus. Ex quo dixit Cor. Tacitus in dialogo de oratoribus, penulas attulisse multum militaris eloquentiæ: quæ velut nobilis equus liberum cãpum, spatiúmq; probat, quo libera, & soluta feratur: orator verò penulatus, quodãmodo inclusus videtur, nec exerto brachio ferè mutilus, & mancus.

Tessera data.] Præcepto ducis, & signo ex more militari. De tessera iam diximus copiosé. A tessera tesserarii dicti, qui tesseram, id est, præceptum ducis per contubernia militum nuntiant. Est etiam tessera, figura geometrica, quæ cubus vocatur. cuius meminit Macrobius in primo in somnium Scipionis. Est & in arithmetica numerus octonarius: de qua Martianus in arithmetica: Si tessera tesseram metitur.

Iactatum.] Vulgata vox est.

Disce miles militare.] Sextus Aurelius in hanc sententiam sic scribit: Militem seuerissimè tractans Galba, ita vt ingresso eo castra vulgaretur statim, Disce miles militare, Galba est, non Getulicus.

Galba est.] Vis est in nomine: tãquam intelligi vellent, Galbam seuerum esse, & rigidum nimis in administratione rei militaris.

Non Getulicus.] Non mollis, & indulgens: sicut Getulicum fuisse videtur significare. De quo autem Getulico intelligat, ambigitur: attamen videtur designare ipsius Galbæ antecessorem: qui cùm fuisset mitis, & conniuens in exigenda militari disciplina, meritò milites in Galbam successorem Getulici, vtpote rigidum nimis & asperum, dixerunt, illum minime esse Getulicũ. Fuit autem Cossus Augusti tẽporibus dux inclytus, qui Getulos compescuit: vnde illi Getulici cognomen inditũ fuit: vt author est Florus in quarto. Ab hoc nomen opinor Getulicorum propagatum. Iuuenalis:

Salue Getulice, seu tu Syllanus.

Interdixit.] Vetuit, prohibuit.

Commeatus.] Abscessum temporarium: qui, vt ait Vegetius, apud antiquos difficile militibus dabatur, nisi causis iustissimis approbaris.

Opere assiduo.] Ex disciplina militari, quæ præcipit milites iugiter exercendos esse militaribus exercitationibus: vnde & ex re ipsa exercitus nomen accepit, quoniam exercendo fit melior. Exercitatio militaris vetus hæc fuit, vt quot mensibus tam equites, quàm pedites educerentur ambulatum, hoc est decem millia passuum armati, instructiq; omnibus telis: pedites militari gradu ire, & redire iuberentur in castra. Equites quoq; diuisi per turmas, armatique similiter tantundem itineris peragerent. Videtur autem Galba imitatus vestigia maiorum, apud quos Scipio exercitum disciplinæ regula custodita omni opere, fossisque faciendis ita diligenter exercuit, vt diceret, fodientes luto inquinari debere, qui sanguine hostium madere voluissent. Metellus quoq;, & Põpeius, milites non solùm exercebant, sed exemplis inuitabant ad meditationes militares.

Coercitis.] Cohibitis, inhibitis.

Caio.] Caligulæ.

Copias.] Scilicet militares.

Testimonium.] Vt nullis militibus exhibita sint ampliora, vberioráque testimonia virtutis, quàm ipsi Galbæ, & eius exercitui.

Campestrem decursionem.] Genus est exercitationis, vt milites in patenti campo decurrãt: quæ campestris decursio nominatur: quã in superioribus non negligenter memoraui. Galba, vt officium non solùm boni ducis impleret, sed strenui militis obiret, decurrentibus militibus scutum ipse præferebat, & ita militarem in campo decursionem moderabatur. Eiusdem rei mentio facta est in Nerone.

Ad essedum.] Ad currum. Alibi docuimus, esseda proprie Gallorum esse, & Britannorum. Gestatoria vocabula sunt, carruca, cisium, essedum, rheda, petorritum, & staticulum. Cicero in II. Philipp. Vehebatur in essedo Tribunus plebis. Plinius libro tricesimoquarto: Argentum incoquere simili modo cœpere, equorum maximè ornamentis, iumentorúmque iugis. Cœpere inde esseda, & vehicula, & petorrita exornari, similiq; modo ad aurea quoq; & argentea stadicula &c.

Imperatoris.] Caligulæ.

Cucurrit.] Consimile est id, quod de Philippo fertur, qui currere solebat ad equum Alexandri Magni: & olim ex immodica cursura expirauit. Caligula, vt in superioribus explicatum est, quosdam summis honoribus functos ad essedum sibi currere per aliquot passuum millia passus est.

Quietem.] Archidamus Lacedæmonius olim scripsit epistolam ad Eleos his verbis: Καλὸν ἡσυχία: id est, pulchrum est quiescere.

M. AN. Data tessera.] Dato militari signo.

Manus penulis continerent.] Ne cuiquã plaudendo manus iactarent, quasi parum id militi decorum esset. Penula, vestis quæ supra tunicam accipi consueuit: quæ si è pellibus constitisset, scortea dicebatur. Lampridius: Penula, inquit, vestimentum semper itinerarium, aut pluuiæ.

Non Getulicus.] Ex ipsa militaris vocis vsurpatione apparet, molli, & corrupta Getulici administratione, ante Galbæ accessum, multa præter militarem disciplinam licentiosè à militibus vsurpata. Nescio an fuerit hic Getulicus ille, cuius Tranquillus in Caligula meminit.

VIII.] Quàm qui sub Galba militarât. Scuto moderatus.] Sic in Nerone indicta decursione prætorianis, scutū sua manu prætulit. Ad essedū.] Vehiculi genus est essedū in Gallia, apud Belgas, vt quidam existimant, repertū. Quietem prætulit.] Reipublicæ otiū nouandarum rerū studio.

vehementem. De proprietate iumenti.] Ad quem proprietas, & possessio pertineret. Vnde proprietarius à Iurisconsultis dictus, ad quē pertinet rei proprietas. Iumentum, præter notam ipsius pecoris significationem, aliquando etiam significat vectabulū, quod à iunctis pecoribus trahebatur: vt docet Gellius in vltimo.

PHIL. EI.] Galbæ. Expeditionis Britannicæ.] Claudius distulit expeditionem, quam ad Britannos parauerat, ob valetudinē, qua implicitus erat Galba: quod haud dubie specimen est amplissimū beneuolētiæ. Africā.] Tacitus: Proconsul Galba Africā moderate cōtinuit. Plutarch. quoq; tradit, Galbā Africæ proconsulē inter paucos laudatum fuisse. Extra sortem.] Non sortitus ex more Romano prouinciam, sed per electionem cōsecutus: quod est honoratius, cū sors in manu sit fortunæ, electio verò ex iudicio proueniat. Ad ordinandam prouinciam.] Scilicet Africā. Est enim Africa prouincia populi Romani procōsularis in Africa tertia parte orbis terrarū: hæc, vt ait Sallustius, vicina erat Numidiæ.

Per hoc grauissimus Claudio, receptúsq; in cohortem amicorū tantæ dignationis est habitus, vt quū subita ei valetudo, nec adeò grauis incidisset, dilatus sit expeditionis Britānicæ dies. Africā *proconsul biennio obtinuit, extra sortē electus ad ordinandam prouinciam, & intestina dissensione, & barbarorum tumultu inquietam: ordinauítq; magnæ seueritatis, ac iustitiæ cura, etiam in paruulis rebus. Militi, qui per expeditionē annona arctissima residuum cibariorū tritici modium, centum denariis vendidisse arguebatur, vetuit, simul atq; indigere cibo cœpisset, à quoquā opem ferri. & is fame extabuit. At in iure dicendo, quū de proprietate iumenti quæreretur, leuibus vtrinq; argumentis, & testibus, ideóq; difficili coniectura veritatis, ita decreuit, vt ad lacum, vbi adaquari solebat, duceretur capite inuoluto, atque ibidem reuelato, eius esset, ad quem sponte se à potu recepisset.

*pro Cōsule

Honores ei collati, & signa futuri eius Imperij. VIII.



OBres & tūc in Africa, & olim in Germania gestas ornamēta triūphalia accepit, & sacerdotiū triplex inter Quindecimuiros,

Lex Iudaica mulctat in quadruplū, qui rapuerit iumentum. Vtrinq;.] Ex parte vtriusque, qui iumenti proprietatem sibi vēdicabat. Difficili cōiectura.] Cùm argumenta leuia sunt, & testimonia fluxa, cogitur quasi diuinare iudex in causa: cùm per coniecturā difficilē vix veritas possit elucescere. Inde status coniecturalis in causis forensibus frequētissimus, cū de facto non cōstat: adeò vt quibusdam placuerit, vnum omnino statum esse coniecturalē. Coniectura autē dicta est à coniectu, id est, directione quadam rationis ad veritatē: vnde etiā somniorum interpretes cōiectores vocantur, vt docet Quintilianus in 51.

Annona arctissima.] In maxima rei frumētariæ penuria. Centum denariis vendidisse.] Legimus apud Historicos, in obsidione Casilini adeò famē intus inualuisse, vt modius frumenti drachmis cētum venundaretur: sed hoc accidit, vt venditor quidē moreretur, fame tabescēs, emptor autem incolumis euaderet. Plinius verò non frumentum, sed murē venditū fuisse memorat: sic enim scribit in VIII. Venisse murem ducentis nummis Casilinum obsidente Annibale, eúmq;, qui vendiderat, fame interiisse, emptorem vixisse Annales tradunt. Olim in Samaria fames facta est tam magna, vt caput asini venundaretur octoginta argenteis: sicuti scriptū est in IIII. Regū. Vendidisse.] In hanc sententiā est illud à Lucano depromptū in IIII. Pharsaliæ: -Pro lucri pallida tabes Non deest prolato ieiunus venditor auro. Arguebatur.] Accusabatur, culpabatúrque.

Cœpisset.] Scilicet is qui vendiderat residuum cibariorum. Simul atq;.] Postquam. Fame extabuit.] Per famem, & esuritionē consumptus est, & ad tabem quandā quasi redactus: sicut in obsidione Ierosolymorum exhausti fame, & tabe luridi Iudæi conspiciebātur: vt inquit Egesippus lib. v. historiarum. Teterrimū autē genus mortis est fames: ex quo illud apud Græcos celebratur, λιμῷ οἴκτιστον θανεῖν. id est, mori fame miserrimū est. Inedia non ante diem septimū lethalis existimatur: durasse quosdam vltra vndecimum diem tradit Plinius in XI. Egesippus in quinto famem appellat carnificem

Capite inuoluto.] Cooperto, & tecto.
Reuelato.] Detecto, & aperto.
Sponte.] Sine alieno ductu.
A potu.] Post potū. Fuit nimirū hæc noua calliditas ad veritatē reperiendā: veluti iumentorū ad verū possessorem esset sese ex instinctu naturali recepturum.
Sacerdotium triplex.] Declarat ipse Tranquillus quæ fuerint ista tria sacerdotia, cùm ait, eum fuisse vnum ex quindecimuiris, vnum ex sodalibus Titiis, vnū ex Augustalibus. Quindecimuiros autem significat Sibyllinos, qui ad libros Sibyllæ, quasi ad oraculū adeunt, cùm dii immortales publicè consulendi sunt. Horum numerum varium fuisse suprà memorauimus.

CLaudio.] Qui Caio successit. Britannicæ expeditionis.] Dignationis demonstratio, quippe quæ tanta fuit, vt Imperatoris profectionem sit remorata. M. AN.
Arctissima.] Vrgentissima annonæ caritate.
Residuum.] Quod præsenti vsui supererat.
Arguebatur.] Flagitii conuincebatur.
Et is fame extabuit.] Extinctus est. Casilinēsi quoq; obsidione constat eū, qui soricem captū ducentis nummis vendidisset, fame consumptum, emptore ea alimonia seruato: Plinius est author. Lucanus:

-Pro lucri pallida tabes
Non deest prolato ieiunus venditor auro.

Reuelato capite.] Id est, velamento sublato.
Quindecimuiros.] Qui Sibyllinis præerant libris.

sodalésq; Titios, item Augustales cooptatus, atq; ex eo tempore propè ad Neronis medium principatum in secessu plurimùm vixit, ne ad gestandum quidem vnquam iter ingressus: quàm vt secum vehiculo proximo decies sestertiûm in auro efferret, donec in oppido Fundis morāti Hispania Tarraconensis oblata est. Acciditq;, vt cùm prouinciam ingressus sacrificaret intra ædem publicam, puero è ministris acerram tenenti, capillus repente toto capite canesceret. Nec defuerunt qui interpretarentur, significari rerum mutationē, successurúmque iuueni senem, hoc est, ipsum Neroni. Nec multò pòst in Cantabriæ lacum fulmen decidit, repertæque sunt duodecim secures, haud ambiguum summi Imperii signum.

Varietas eius in prouincia. IX.

Per octo annos variè, & inæquabiliter prouinciam rexit. Primò acer, & vehemens, & in coercendis quidem delictis vel immodicus. Nam & nūmulario non ex fide versanti pecunias, manus amputauit, mensæq; eius affixit.

PHIL. Sodales Titios.] Sacerdotiū erat sodalium, qui Titii dicti sunt ab Titiis auibus, quas in auguriis certis obseruare solent: M. Varro author in 5. de lingua Latina. De his ait Lucanus in 5. Pharsaliæ: Septemuirq; epulis festus, Titiiqoe sodales. Aogustales.] In Claudio scriptū est abundanter de sodalibus Augustalibus, qui ita Augusto defūcto decreti sunt, & ab Augusto Aogustales dicti: sicut sodales Antoniniani Antōino Pio, & aliis Imperatoribus in eorū honorem decreti memorantur. De sacerdotio Augustalium scribit hoc scitu dignū Corn. Tacitus: Faces Augustales subdidere: quod sacerdotiū vt Romulus Tatio regi, ita Cæsar Tyberius Iuliæ genti sacrauit. In alio significatu Augustales dicūtur sacerdotes larium, qoi ex libertinis ab Augusto constituti sunt, vt meminit Porphyrio enarrās illud Horatianū ex 11. Serm. Libertinus erat, qui circū compita siccus. Prætereà Augustales in militia appellantur milites principales: qui, vt ait Vegetius in 11. ab Augusto ordinariis iuncti sunt: Flauiales verò tanquam secondi Augustales à diuo Vespasiano sunt legionibus additi. Cooptatus.] Allectus: super qua dictione alibi plura. In secessu.] Extra vrbem, in locis remotioribus, & amœnis. De secessu iam satis ac super. Ad gestandū.] Quādo gestabatur. De vehiculi gestatione, & gestatorio dictum est suprà.

Vehiculo proximo.] Quo ipse gestabatur. Decies sestertiûm.] Dena millia sestertiorū: vt ad omnes casus paratū sibi foret hoc veluti viaticū. Fūdis.] Diximus antè Fundos oppidū fuisse, vnde Fundani dicti.

Tarraconensis.] Hispania citerior Tarracōēsis appellata est à Tarracone oppido: quod Plinius Scipionū opus esse prodidit. Prouinciam.] Tarraconensem.

Acerram.] Turibulum, quo vtimur in sacris. Canesceret.] Albesceret, & canos fieret. Scribit Plinius, equos tantùm, & homines canescere. Hoc verbum ad alia quoque metaphoricôs transfertur. Cicero ait, orationē suam cœpisse canescere. Ouid. Pabula canescūt.

Senē.] Capillus in puero canescens portendit senē Galbam (senes enim canescere solent) successurū Neroni iuueni. Cantabriæ.] Cantabri, populi sont Hispaniæ, olim ab Augusto domiti, vt Strabo, Flurúsq; testantur. Horatius: Cantaber sera domitus catena.

Fulmen decidit.] Summa est vis fulminum, &, vt inquit Seneca in Quæstionibus: & quicquid fulmine portenditur, id fixum est: nec alterius ostenti significatione minuitur. Secunda manubia dicitur fulmen, quod prodest, & rem bonam futuram enuntiat. Tale fuit hoc fulmen, quod Galbæ portendit Imperium, cùm in eo lacu, quod cælo tactū est, sint repertæ duodecim secures, insignia haud dubia Imperii Romani. Summi Imperii.] Modò regni: aliâs Cōsulatus. Nā & Consul, & rex duodecim lictores habuerunt, gestantes secures virgarū fascibus alligatas. Liuius de Romulo Romano rege scribens ait: Cùm cætero habitu se augustiorem, tum maximè lictoribus duodecim sumptis fecit. Inæquabiliter.] Non seruata æquabilitate in iure dicendo: quam in omni vita seruandā Cicero præcepit.

Prouinciā.] Hispaniam Tarraconensem. Vel immodicus.] Nimius vehemens, non seruato modo: qui cū in rebus omnibus optimus sit, præcipuè in puniendis sontibus adhibendus est. Nam, vt ait Martianus Iurisconsultus, debent iudicēs seueritatem legum in grauioribus pœnis cum aliquo temperamento benignitaris subsequi. Venuleius quoque pœnas molliendas esse ait potiùs, quàm exasperandas. Non ex fide versanti pecunias.] Dicitur nūmularius versare pecunias citra fidem, quando nūmos minimè probos, miniméq; legitimi pōderis versat, & expēdit. Nō placet vt intelligas hoc dictū esse de faciēda versura: illud enim nō magis ad nūmularios pertinet, quàm ad omnes debitores. Versuram enim facere dicitur, qui æs alienum ex ære alieno soluit. Dicitur etiam, vt ait Donatus, versurā facere, cùm minore fœnore acceptam pecuniam maiore occupat. Mensæ.] Nummularii: vnde & mensarii dicti. Græco vocabolo τράπεζα nominatur mensa nūmularii: vnde trapezitarum nomen.

M. AN. Sodales Titios.] Apollinis hos fuisse Varro innuere videtur, atq; à Titiis auibus, quas in auguriis obseruarūt, dictos. Sunt qui à Tito Tatio malint, à quo Titiensis tribus, & Titia curia dicta est. Inter Augustales.] Sacerdotes adscitus. In Claudio Augustales sodales dixit: vnde apparet & sacerdotes, & sodales Augusto decretos. Capitolinus in Antonino: Dati sacerdotes Antoniniani, sodales, & flamines, & omnia, quæ de sacratis decreuit antiquitas. Posses nō inepte & sodales Titios ad ceremonias Augusto decretas referre, vt ipsos quoque Augustales intelligas. In secessu.] Loco ab oculis ciuium remoriore. Gestandum.] Vt gestaretur.

Canesceret.] Canus fieret. Cantabriæ.] Quæ Tarraconensis Hispaniæ prouincia est, ad ortum exposita.

Inæquabiliter.] Haud eodem instituto. Versanti.] Et ad numerum, & ad pondus, & ad adulterationē ipsam referri potest: vel, qood magis placet, versuram facienti. Quid sit versuram facere, Festus docet.

Et tutorem, quòd pupillum, cui substitutus hæres erat, veneno necasset, cruce affecit. Implorantique leges, & ciuem Romanum se testificanti, quasi solatio, & honore aliquo pœnam leuaturus, mutari, multóque præter cæteras altiorem, & dealbatā statui crucem iussit. Paulatim in desidiā, segnitiémq; cōuersus est, ne quid materiæ præberet Neroni, &, vt dicere solebat, quòd nemo rationem otii sui reddere cogeretur. Carthagine noua

PHIL Tutorem quòd pupillum.] Diuus Seoerus Vlpio Rufino scripsit, omnem se rationem adhibere sub neniendi pupillis. Constat eoim ex moribus Romani populi primum iuxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei, tutelæque nostræ creditos. Quis ergo non videt flagitiosum facinus esse, pupillos à tutoribus circunscribi: loogè verò omniū flagitiosissimū necari? Nam cùm tutores dicti sint quasi tuitores, atq; defensores, vt docent Iuriscōsulti, qui pupillos circūscribūt, qui spoliant, qui, quod peius est, necant, hi nō sunt appellandi tutores, sed parricidæ, & omnium nequissimi. Multa mentio est apud Iotisconsultos de tutoribus & contutoribus: quorū alii legitimi nuncupantur, alii honorarii, alii fiduciarii, alii testamentarii, alii suspecti tutores. Nō indigna laude est hæc Galbæ seueritas in tutorem, qui pupillū ideo veneno necauit, vt eius opes inuaderet, cùm in testamento illi fuisset hæres substitutus à testatore. Præclarè statuit Solon Nomothetes, id est, conditor legum, ne is fieret curator, tutórve pupilli, ad quem post obitum pupilli bona, & hæreditas pertinerent.

Imploranti leges.] Portias scilicet, & Sempronias: nam Portia lex pro tergo ciuiū lata videtur: cùm graui pœna sanxerit afficiendum, si quis verberasset, necasséique ciuem Romanum. Cuius meminit Liuius in x. ab vrbe condita. & Sallustius dixit in Catilina, legē Porciam vetare, ne verberibus in ciues Romanos animaduerteretur. Idem lege Sempronia continebatur, lata à Sempronio Graccho. Hinc illa est Ciceronis comploratio in Verrinis: O nomen dulce libertatis! O ius eximium nostræ ciuitatis! O lex Portia, legésque Semproniæ! O grauiter desiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ tribunitia potestas! Idē in oratione pro Caio Rabirio, Portia, inquit, lex virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit: hic misericors flagella retulit. Portia lex libertatem ciuium lictori eripuit, Laberius homo popularis carnifici tradidit. C. Gracchus legem tulit, ne de capite ciuium Romanorum iniussu vestro iudicaretur.

Et ciuem Romanum se testificanti.] Scribit Cicero in hanc sententiam, Cùm virgis cæderetur à Verre in medio foro Messanæ ciuis Romanus, nullam vocem aliam illius miseri inter dolorem, crepitúmque plagarū auditam esse, nisi hoc, Ciuis Romanus sum. Hac ille cōmemoratione ciuitatis se omnia verbera depulsurum, cruciatúmq; à corpore deiecturum arbitrabatur. Idem mox paulò inquit: Facinus est, vinciri ciuem Romanū, scelus verberari, parricidium necari: quid dicam in crucem tolli?

Multò præter cæteras altiorem.] Marcus Tullius vniuersæ eloquentiæ suæ verbis, ac viribus, velut affusis totius ingenii fontibus, prosecutus est crucem Ganianam, proclamans indignum facinus esse, ciuem Romanum contra omnes leges in crucē esse sublatum à Caio Verre: insectatúrque ardenter, & inflammanter Caiū Verrem, quòd ausus sit in crucem tollere eum, qui ciuē Romanum se esse testificabatur. Fecit autem Verres rē haud dissimilem ab hoc Galbæ facinore. Nam crucem altam figi iussit in ea parte Siciliæ, quæ ad Italiam spectabat: vt Ganius, qui se ciuem Romanum esse dicebat, ex cruce illa Italiam cernere, ac domum suam prospicere posset. De hac cruce nimirum intellexit Lactantius, cùm ait in IIII. Diuinarum Institutionum: Non enim Ganianam crucem describimus. Mendosi codices nō Ganianam crucem habent, sed Gabianiā: sed vltima Verrina euidenter ostendit, legendum esse crucem Ganianā, cùm de Ganio scribat in crucem sublato: à cuius nomina Gaoiana crux dicta. Consimilitee de cruce Reguli ait Gestar apud Silium in secundo Punicorum:

Vidi cum robore pendens
Hesperiam cruce sublimis spectabat ab alta.

Mutari.] Pro minori cruce altiorem reponi.

Dealbatam.] Ob candorem futuram conspicabiliorem. Paulatim in desidiam.] Ecce quemadmodum Galba varius, & inæqualis foit in regenda prouincia: nam ex vehemente, & immodico factus est desidiosus, & segnis.

Nemo rationem otii sui.] Ob hoc dixisse videtur Cor. Tacitus, quòd segnitia in Galba vocabatur sapientia: tanquam minùs suspecti sint principibus desidiosi, & segnes. In hanc sententiam ait Egesippus: Apud mortales minùs suspecta est ignauia hebetiorum, quàm gratia bonorum. Nero autem Galbæ regendam commisit Hispaniam opinione modestiæ incitatus: cùm nondum edoctus esset metuere magnos ciues in dignitate positos, vt inquit Plutarchus. Quod autem dicebat Galba, neminem reddere otii sui rationem: dissentiens est à sententia maiorum nostrorum, qui censuerunt, vt ait Columella in II. tam otii, quàm negotii rationem reddi oportere. M. quoque Portius Cato scripsit in Originibus suis, clarorum virorum, atque magnorum noo minus otii, quàm negotii rationem extare oportere. Quod dictum Catonianum Cicero magnificum, præclarúmque esse arbitratur.

Carthagine noua.] Ciuitas est Hispaniæ citerioris, opus Pœnorum: quæ non solùm noua cognominatur, sed etiam Spartaria appellatur à Plinio in XXXI. à sparti vbertate: quod iunci genus peculiariter in agro Carthaginis nouæ reperiebatur. Scribit Polybius in II. Carthaginem conditam fuisse ab Asdrubale: quæ ciuitas non solùm ad res Hispaniæ, verùm etiam Africæ ob loci opportunitatem commodissima est.

Imploranti que legem.] Portiam scilicet, quæ, vt Cicero scribit, virgas ab omnium ciuium Romanorū corpore amouit, libertatémq; lictori in ciuem ademit. Gracchus quoq;, vt idem author scribit, legem tulit, vt de capite ciuium Romanorum iniussu populi nemo iudicaret. Hinc eiusdē verba illa, Carnifex verò, & obductio capitis, & nomē ipsum crucis absit non modò à corpore ciuium, sed etiam à cogitatione, oculis, & auribus. M. AN.

Ciuem Romanum.] Quasi ciues non ita, vt serui, & peregrini solerent, cruci, aut verberibus admouerētur. Hinc illa Marcelli Consulis præfatio, quom Nouocomensem decurionem virgis pulsari iussisset, id se facere pronuntiauit, vt ille intelligeret se non esse ciuem Romanum: Plutarchus est præfationis illius aothor.

Mutari.] Crucē. Dealbatā.] ideóq; magis insignē.

PHIL. COouentum agens.] Inter septem conuentus iuridicos, in quos diuiditur Hispania citerior, vnus est Carthaginiēsis cōuētus. Tumultuari.] Tumultū facere Superuenerunt Vindicis literæ.] Scribit Plutarchus Iunium Vindicem prætorem Galliarū, qui primus fuit au shor defectionis à Nerone, literas scripsisse ad Galbam post bellum à se palàm declaratū, quibus eum hortabatur ad accipiendū Imperium: suadebátque vt se ipsum corpori valido caput quæreoti Gallis præberet, qui millia virorum armatorum numero centū habere diceban tur. Nero, ne hoc indictum omittamus, sacrauit apud Capitolium eū pugionem, quem Seuinus præparauerat ad ipsum in coniuratione Pisoniana occidendum: inscripsitque Ioui Vindici. quod fuit præsagium futuræ vltionis, quam Iooius Viodex moliebatur.

eius manumitti posse, Paulus Iurisconsultus prodiderit: &, vt ait Caius, non solùm pro tribunali manumitti possunt serui, sed etiam plerunque in transitu, eùm aut lauandi, aut gestandi, aut ludorum gratia prodierit prætor, aut proconsul, legatúsve Cæsaris.

conuentum agens, tumultuari Gallias comperit. Legato Aquitaniæ auxilia implorante, superuenerunt Vindicis literæ, hortantis, vt humano generi assertorem, ducémq; se accommodaret. Nec diu cunctatus conditionem partim metu, partim spe recepit. Nam & mandata Neronis de nece sua ad procuratores clàm missa deprehenderat, & confirmabatur cùm secundissimis auspiciis, & ominibus, tum virginis honestæ vaticinatione, tantò magis, quòd eadem illa carmina sacerdos Iouis Cluniæ ex penetrali somnio monitus eruerat, ante ducentos annos similiter à fatidica puella pronuntiata. Quorum carminū sententia erat, Oriturum quandoq; ex Hispania principem, dominúmque rerū.

Initium principatus, & alia eius gesta. X.



IGitur quum quasi manumissioni vacaturus cōscendisset tribunal, propositis ante se damnatorum, occisorúmq; à Nerone quàm plurimis imaginibus, & astāte nobili puero, quem exulantem ex proxima Baleari insula ob id

Propositis aote se damnatorū imaginibus.] Galba, vt refert Plutarchus, pro tribunali palàm accusauit Neronē, & illos, quos damnauerat, viros clarissimos defleuit: pollicitúsq; est patriæ se suā prouidentiam dediturū.

Ex proxima Baleari insula.] Baleares duæ sunt insulæ in Hispania, fuoda bellicosæ: à teli, fundæque iactu, quod Græcè βάλλειν dicimus, appellatæ: vel à Baleo Herculis comite ibi relicto: Græci Gymnesias dixerunt. Maior oppida habet Palmā, & Polentiā: minor ciuitates habet Labonem, & Magonē. Arma Baleariū fundæ sunt ternæ: vna caput cingunt, altera ventrem, tertiam manibus gestant. Id vnum è Balearibus ab infantia studiom: Cibum puer à matre non accipit, nisi quem ipsa mōstrante percussit, lapide è funda destinato. De his Strabo in III. Diodorus in VI. Florus in III. Vegetius in primo, non pauca prodiderunt. Igitur Galba euocauit poerum nobilē ad inuidiam Neroni faciendam, ex iosula Baleari, In quā à Nerone missus fuerat in exilium, ea pœna mulctatus, quam eleganter insularem Marcellinus appellat.

Asſertorem.] Vltorem, vindicem, liberatorémque. Partim metu.] Propter mandatam à Nerooe necē suam procuratoribus. Partim spe.] Propter auspicia, & vaticinationem fœminæ fatidicæ. Ad procurasores.] Scilicet Cæsaris: quos Nero habebat io Hispania. Meminerunt Iurisconsulti de officio procuratoris Cæsaris. Cùm.] Partim. Secundissimis.] Felicissimis. Ominibus.] Auguriis: de quibus iam dictum est. Ae virginis.] Legendum videtur, tum virginis: vt istud tum, ad illud cùm, referatur: &, vt satis notū est, tum plus significat io posteriore loco positum, quàm faciat cùm, in anteriore. Sacerdos Iouis Cluniæ.] Clunia oppidum est in Hispaoia citeriore Celtiberiæ fiois: à qua Cluniensis conuentus dictus. Illhic erat templum Iouis, cuius sacerdos deprompserat quædā carmina ex penitiore sacrario, qoæ ducentis annis ante Galbā fuerant pronuntiata per quandam puellam fatidicam, hoc est fata futura vaticinantem: qoibus maximè ad Imperiom confirmatus est Galba, cùm eadem carmina enunsiari ipse præsens audisset à virgine vaticinante, cuius mores, & conditio honestare censebatur. Galbam autē moratum esse in oppido Cluniæ, testatur Plutarchus: cuius codex mendosus est emendandus: nanque vulgò sic legitur: In Coloniam Iberiæ vrbem Galba secessit. Tu pro Coloniā corrige Cluniam. Oriturum ex Hispania principem.] Hoc vaticinioū Galba ad se ipsum transtulit: tanquam ipse ex Hispania, quam id temporis regebat, iturus esset ad Imperium Romanum capessendum. Manumissioni vacaturus.] Ad cognitionē præsidis prouinciæ in primis pertinet manumissio, adeò vt non solùm apud proconsulē, sed & apud legatum

M. AN. COnuentum agens.] Ius dicens. Ioridici cōuentus Tarraconensis Hispaniæ, authore Plinio, septem numero fuere, Carthaginiensisque omnium primus.

Tumultuari Gallias.] Galliæ enim prouinciarum primæ à Nerone defecerunt.

Aquitaniæ.] Quæ & si Galliarum pars vna est, non tamen subitò defecerat: adiacet regio Pyrenæis montibus, & ob id Hispaniæ affinis.

Vindicis.] De coosilio, & conatu Vindicis, Tacitus plura. Asſertorem.] Vindicem, vltórem.

De nece sua.] Et ob id metu dixit.

Dioinæ.] Sic enim habēt codices quidā fama emendatissimi: alii Cliuiæ habent: sed neutrum, meo iodicio, conuenit: at Cluniæ libentiùs legerim. Est enim Clunia Tarraconēsis Hispaniæ oppidū. Plinius & Ptolemæus sunt authores, vt sacerdos Iouis, qui Cluniæ colebatur, ex penetrali somnio monitus fatidicū eruerit carmen.

Ante ducētos annos.] Quàm videlicet ea io Hispania mooerentur. Oriturum.] Initium habiturum.

Principem.] Priocipis declaratione: sed tu ad Galbam intelligas oraculom attinere.

Manumissioni vacaturus.] Manumittendis operam daturus.

Ex proxima Baleari insula.] Græci Baleares Gymnesias dixere. Duæ sunt nomero, magnitudine dispari: vna quadringentorumoctoginta milliom passuũ longitudine, altera peoè quadruplo minor, triginta millibus passuum ab ea distans.

nouem Musæ cũm suis singulæ insignibus, & Apollo citharam teneos spectarentur. Subinde.] Mox, inibi, ex interuallo. Detorta.] Deflexa à legitimo scilicet cursu, quo destinata peragebat. Quidã codices habent decursu: nanque & naues decurrere dicuntur per vndas, vnde & decursus nuncupatus. Maro:

Prona petit maria, & pelago decurrit aperto.

Plinius: Geminę autẽ salutares, & prosperi cursus prænũtiæ. Cursus dixit pro nauigationis.

Appulit.] Appellere proprie dicitur, authore Donato, cùm ex pelago quis ad litus accesserit: quod etiã de pecore dicitur accedente ad aquã. Trebatius Iurisconsultus titulo De aqua quotidiana: Cùm amplior numerus pecoris ad aquam appelletur, quàm debet appelli, posse vniuersum pecus impunè prohiberi. Hinc appulsus dictus pro accessu pecoris ad aquã. Iurisconsultus: Totũ corrumpat pecoris ad aquã appulsum. Est autẽ appulsus, nomen quarti ordinis. Ac vectore vllo.] Vectorẽ dici & qui vehit, & qui vehitur, annotauerunt grammatici. Proprie vector significat eum, qui vehitor: quod ostendit Lucanus illo versu, -Causa est hæc sola timoris

Vectorem non nosse suum.-

Et Iurisconsulti titulo Nautæ, caupones, sic tradũt: Nauta mercedem accipit, vt traiiciat vectores: caupo, vt viatores manere in caupona patiatur. Sine nauta.] Nautam, vt inquit Vlpianus, accipere debemus eum, qui nauim exercet: quanuis nautæ appellentur omnes, qui nauis nauigandæ causa in naui sunt. Sed de exercitore solummodo prætor seotit.

Iustum bellũ suscipi.] Cùm nauis onusta armis suapte sponte ad Galbã peruenerit, meritò cuncti crediderunt id esse omen, & inuitamentum belli capessendi à Galba contra Neronem. Nam, vt inquit Augustinus, bellum sine dubio iustum quod Deus imperat. Et, vt proditum est in canonicis Decretis, XXIII. q. secunda, bella iusta solent definiri, quæ iniurias vlciscuntur.

ipsum acciuerat, deplorauit temporũ statum: consalutatusq; Imperator, legatũ se Senatus, ac populi Romani professus est. Deinde iustitio indicto, è plebe quidem prouinciæ legiones, & auxilia conscripsit super exercitum veterem legionis vnius, duarúmque alarum, & cohortium trium. At è primoribus prudentia, atq; ætate præstantibus, velut instar Senatus, ad quos de maiore re, quoties opus esset, referretur, instituit. Delegit & Equestris ordinis iuuenes, qui manente annulorum aureorum vsu, euocati appellarentur, excubiásque circa cubiculum suum vice militum agerent. Etiam per prouincias edicta dimisit, author singulis, vniuersísque conspirandi, simul & vt qua posset quisque opera, cõmunem causam iuuarent. Per idem ferè tempus in munitione oppidi, quod sedem bello delegerat, repertus est annulus opere antiquo, scalptura gemmæ victoriam cum trophæo exprimente. Ac súbinde Alexandrina nauis *detorta appulit armis onusta, sine gubernatore, sine nauta, ac vectore vllo, vt nemini dubium esset, iustum, piúmque, & fauentibus diis bellum suscipi.

*detorsa, decursa

PHIL. Deplorauit temporũ statum.] Tanquam seculum Neronianum omni foret colluuione fœdatum, & status illorũ temporũ deterrimus, tenebricosissimúsque sub principe impurissimo, flagitiosissimo, nequissimo. Itidem Cicero olim in iudicio Caii Antonii deplorauit temporum statum.

Cõsulatus.] Corrige consalutatus.

Legatum se professus.] Scribit Plutarchus, Galbã concorditer ab omnibus Imperatorem salutatũ fuisse: quã ille appellationem respuit, tanquã neque Cæsar, neq; Imperator esset, sed legatus Romani Senatus nominandus.

E plebe prouinciæ.] E plebeiis prouincialibus Hispanis.

Super.] Vltra, præter.

Duarum alarum.] De alis alariisq; equitibus, suprà satis multa.

Velut instar Senatus.] Galba, vt ostenderet Senatorias partes sequi, & Senatoriã tutari maiestatẽ, quosdã elegit ex primoribus, qui apud illũ essent loco Senatus.

Referretur.] Relationes fierent, consultationésq;.

Annulorum aureorum vsu.] Alibi tradidimus, annulos aoreos insignia fuisse equitum: cuius rei luculenta narratio est apud Plinium in XXXIII.

Euocati.] Generale nomen est euocatorũ: interdũ speciali significato euocatos dicimos in re militari, quando fiebat euocatio, de qua sic scribit Seruius in VIII. cõmentario: Duo sunt genera militiæ, cõiuratio, & euocatio. Nã ad diuersa loca diuersi propter cogendos mittebantur exercitus. Hinc legimus apud Historicos id nomeñ esse dignitatis. Cæsar, Erat, inquit, Crastinus euocatus in exercitu Cæsaris. Vice militũ.] Loco excubitorum, qui excubias, stationésq; circa Imperatoris tabernaculum ex disciplina militari agere solent. Communem causam.] Pertinentẽ ad salutem cunctorũ mortalium: tanquã asserere Imperiũ ex manibus tyranni sanguinarii pertineat ad cõmune commodũ totius orbis terrarum. Victoriã cum trophæo.] Simulacrum deæ Victoriæ vnà cum trophæo continebatur in scalptura gemmæ annularis: quod omen fuit Galbæ tanquã victori futuro aduersus Neronem. Nec mirũ videri debet, si vna gemma, & trophæum, & victoria expressa continebãtur: cùm achaten gemmã habuerit Pyrrhus, in qua

M. AN. Annulorum vsu.] Equestris dignitatis insigni.

Euocati.] Qui non iusti milites erãt, sed repentina aliqua necessitate ex agris, aut aliũde ad bellũ pro militibus vocati: qood ipse author perspicuè declarauit: Qui vice militum, inquit, agerẽt. Crispus Sallustius: Neu quis miles, neu pro milite. & alibi, Ab his omnes euocatos. Communem causam.] Id est publicã causam. Exprimente.] Ex impressione repræsentante.

Decursu.] Vi ventorum acta.

App

Quum repentè ex inopinato propè cuncta turbata sunt, alarum altera castris appropinquātem, pœnitentia mutati sacramenti destituere conata est, ægréque retenta in officio: & serui, quos à liberto Neronis ad fraudem præparatos muneri acceperat, per angiportum in balnea transeuntem penè interemerunt, nisi cohortantibus inuicem, ne occasionem amitterent, interrogatísque de qua occasione loquerentur, expressa cruciatu confessio esset.

Consternatio eius propter mortem Vindicis. XI.

Accessit ad tantā discrimina mors Vindicis, qua maximè consternatus, destitutóque similis, non multum àbfuit, quin vitæ renuntiaret. Sed superuenientibus ab vrbe nuntiis, vt occisum Neronem, cunctósq; in verba sua iurasse cognouit, deposita legati, suscepit Cæsaris appellationem. Itérque ingressus est paludatus, ac dependente à ceruicibus pugione ante pectus: nec priùs vsum togæ recuperauit, quàm oppressis, qui nouas res moliebantur, præfecto Prætorii Nymphidio Sabino Romæ, in

PHIL. Appropinquantem.] Galbam.

Alarum altera.] In legione duæ sunt alæ: vnde alares, & alarii equites dicti: de quibus suprà satis ac super. Hîc ala significatur vna ex his, quas dudum dixit duas habuisse.

Destituere.] Deserere.

Aegre.] Difficulter.

Per angiportū.] Alii dicunt, angiportum esse viam sine exitu: alii vicum angustum, & flexuosum in modum anguis. M. Varro in primo de lingua Latina: Quod exitum non habet, ac peruium non est, angiportum, & id angustum, ab angendo, & portu. Donatus enarrās illud Terentii ex Adelphis, Id quidem angiportū non est peruium, inquit, id est, angusta, & curua via, quasi anguiportus: vt angitia, quasi anguitia. Alii, quòd inter portus sit locus angustus, hoc est inter domos, quas vel portus, vel insulas veteres dixere. Horatius dixit angiportu, tanquam esset nomen quarti ordinis, cum sic ait: Flebis in solo leuis angiportu.

Penè.] Quasi.

Confessio.] Confessi sunt adhibitis tormentis, se præparatos fuisse ad Galbam interimendum.

Mors Vindicis.] Exercitus Vindicis, & Virginii simul conflixerunt, vi quodam modo ipsos duces ad pugnam impellentes, velut aurigas, qui frænis equos moderari non possunt. In eo cōflictu Vindex, vt suprà dictum est, semet ipsum interemit. Ex hac Virginii victoria rumor vulgatus est, cunctos velle, vt Virginius imperaret. Vnde Galba pauefactus scripsit literas ad Virginium, rogans vt secum simul Romanū Imperium, libertatémque tutaretur: affectúsque pœnitudine rerum cœptarum, secessit Cluniam cum desiderio pristini otii, & quietis: author Plutarchus.

Consternatus.] Perturbatus, pauefactus, cōterritus.

Destituto.] Deserto, desolato, derelicto.

Superuenientibus nuntiis.] Iam æstas erat, cùm paulò ante crepusculum Roma venit Icellus libertus die se primo: qui cognito Galbam solum quiescere, cōfestim ad eius cubiculum perrexit: quod vi patefactum, quanuis reluctantibus cubiculariis, introgressus, nuntiauit quemadmodum nūdum defuncto Nerone fuerat à Senatu, & exercitu Imperator appellatus. Paulò pòst, Cùm nuntiaretur, inquit, necatum esse Neronem, nuntiis illis credere nolui, sed ipsemet ad cadauer accessi, contemplatúsque sum Neronem iacētem. Biduo pòst venit Titus cum aliis multis, qui singularem cu[illegible] denarrauit.

Deposita legati.] Scilicet appellatione. Nam, vt suprà demonstratum est, consalutatus Imperator, se legatum Senatus, ac populi Romani professus est: nunc cognita Neronis morte, Cæsarem appellari se non renuit: cùm priùs neq; Cæsar, neq; Imperator salutari voluisset.

Paludatus.] Ornamentis militaribus indutos.

A ceruicibus.] More priscorum locutus est, qui ceruices pluraliter tantùm dicebant. Hortensius singulatiuo numero primus ceruicem dixit.

Vsum togæ.] Qua in pace domi in foro vti solemus. Hinc illud: Cedant arma togæ. Iure togæ, vt inquit Plinius in quarto Epistolarum, carent illi, quibus aqua, & igni interdictū sit.

Nymphidio Sabino Romæ.] Nymphidius Sabinus Caligulæ filius dictus est, cū ille eius matrē nouisset nomine Nymphidiā in tabernis medicinariis. Hic post obitū Neronis Sporū, de quo iā multa dicta sunt, dum cadauer Neronianum adhuc cremaretur, continuò accersitum loco nuptæ habebat, Pompeiúmque appellabat. Idem Romæ clàm per amicos res nouas moliebatur: necnon per mulieres quasdā, virósq; Senatores, qui ei occultè adiutorio essent: &, vt author est Plutarchus, decreuerunt multi, Nymphidium Imperatorem declarare: qui sibi dum molitur Imperium, in ipso conatu oppressus à militibus iugulatur: eiúsque cadauer in medium tractum fuit, vt esset spectaculo per totum diem videre volentibus.

M. AN. Appropinquantem.] Galba iam castris propinquo.

Destituere.] Galbam relinquere.

Ad fraudem.] Ad cædem.

Per angiportum.] Angustam viam inter domos veteres angiportum dixere: domos enim partim portus, partim insulas appellauere: vnde etiam porticus dictæ.

Morte Vindicis.] Is cum Virginio conflixit, ac inter viginti cæsorum millia sibi mortem consciuit: Plutarchus & Tacitus authores.

Ab vrbe nuntiis.] Plutarchus scribit septimo die Sicellum, seu, vt quidā scribunt, Icellum ab vrbe in Hispaniam venisse, Neronis mortem, & ipsius declarationem nuntiaturum.

Vsum togæ.] Nam vt paludamentum belli insigne erat, & eorum, qui in armis versarentur, ita toga erat pacis.

Nymphidio Sabino. Is, vt Tacitus ait, milites ad defectionem cōcitando sibi viam ad Imperiū moliebatur.

Germania Fonteio Capitone, in Africa Clodio Macro legatis.

Sæuitia & auaritia eius. XII.

PRæcesserat de eo fama sæuitiæ, simul atque auaritiæ, quòd ciuitates Hispaniarũ Galliarúmque, quæ cunctantiùs sibi accesserant, grauioribus tributis, quasdam etiam murorum destructione punisset, & præpositos, procuratorésque supplicio capitis affecisset cum coniugibus, ac liberis, quódque oblatam à Tarraconensibus è vetere templo Iouis coronam aureã librarũ quindecim cõflasset, ac tres vncias, quæ põderi deerãt, iussisset exigi. Ea fama & cõfirmata, & aucta est, vt primũ vrbẽ introiit. Nã quũ classiarios, quos Nero ex remigibus iustos milites fecerat, redire ad pristinũ statũ cogeret recusantes, atque insuper aquilã, & signa pertinaciùs flagitantes, non modò immisso equite disiecit, sed decimauit etiã.

PHIL. IN Germania Fonteio Capitone.] Capito Fonteius in Germania per Valentem Fabium, & Corneliũ Aquinum legatos legionum interfectus est, cùm familiã compararet. Corn. Tacitus ait, Capitonem fuisse auaritia, & libidine fœdũ, ac maculosum: quem occisum fuisse qui queri nõ poterant, tamen indignabantur.

In Africa Clodio Macro.] Clodium Macrum in Africa haud dubiè turbantẽ Atrabonius procurator iussu Galbæ interfecit.

Præcesserat fama sæuitiæ, & auaritiæ.] Male sperandum est haud dubie de eo principe, qui sit crudelis, & auarus: cùm dos prima, & regũ insigne sit clementia: ideóq; rex in apibus aut aculeũ nõ habet, aut si habet, illo non vtitur, vt principes admoneantur, aculeũ non esse exerendũ, sed recondendum: & liberalitas cum primis decet principes, eósque apud cũctos mortales facit fauorabiles, cùm nullum vitium sit terrius auaritia, maximéq; in principibus, & Rempublicã gubernantibus: & è contrario nihil liberalitate amabilius. Esto ergo, mi Annibal, & clemens, & liberalis: sit tibi beneficentia in primis cordi: facito tibi liberalitate cliẽtes ex deuotis deuotissimos, ex fidis fidissimos. Persuasio magnorum virorum est donatio. Non ineptè dixit M. Antonius apud Rabirium poetam:

Hoc habeo quodcunque dedi.

Iam pridem noui te animo magno præditum, & generositate præstantem, tuos comiter, liberalitérque tractantem, non deparcum, sed benignum, & benignitatis munia callentem. Perge quò cœpisti: facito vt opibus gliscentibus liberalitas quoq; propagetur: cuius nomẽ adeò amabile est, atque iucundum, vt princeps munificus laudetur, foueatur, ametur, colatur ab omnibus. Sordidus verò apud cunctos sit odibilis. Itaque haud immeritò auaritia, auaritiæque fama prænuntia nocuit maximoperè Galbæ apud populum Romanum osorẽ principis auarioris: cùm vel saltem veniẽs ad capessendum Imperium debuisset esse indulgentissimus, munificentissimúsque ad colligendam beneuolentiam popularem. Scito, alumne mi clarissime, principem nunquàm magis nomina, nunquàm magis debitores facere, quàm cùm donat.

Cunctantiùs.] Longiori cunctatione, & mora.

Sibi accesserant.] Suas partes secutæ fuerant.

Oblatam coronam auream.] Hoc ad auaritiã Galbæ indicandam pertinet, qui coronam sibi dono datam à Tarraconensibus Hispaniæ populis conflauit, redegitq; in massam: & cùm tres vnciæ in conflatura defuissent, forassis diminutæ per intertrimentum, ad explendum legitimum pondus librarũ quindecim (tot enim corona constare dicebatur) iussit exigi illud pusillum trium vnciarum pondusculum, quod defuerat ab ipso artifice, qui coronam in massam proflauerat. Quòd autem conflatores, aurificesque soleant furtim ex auro surripere, declarat exemplum illud pulcherrimũ, quod de Archimede memorant Vitruuius, & Priscianus, qui ingenii excellentia quadam deprændit quomodo aurũ furatus fuisset opifex coronarius de corona.

Ea fama.] Scilicet sæuitiæ, atq; auaritiæ.

Classiarios.] Milites, qui in classibus depugnant, classiarii dicuntur. Corn. Tacitus centurionem classiariũ vocat, ad differentiam eorum, qui erant in legionibus. A Liuio classici milites dicuntur. Sensus est: Nero olim ex remigibus legitimos milites classiarios fecerat: quos Galba ad officium remigandi redire coegit.

Ad pristinum statum.] Officium remigandi.

Aquilã, & signa.] Vt legitimi milites viderentur, deposcebant aquilam, & signa militaria, quæ milites sequi solẽt: quod alibi explicatum est.

Immisso equite.] Immissis equitibus.

Disiecit.] Dissipauit.

Decimauit.] Decimare, est decimũ quenque capitali supplicio afficere. Super quo verbo plura diximus in secundo Commentario. Ait C. Cassius apud Tacitũ: Ex fuso exercitu cùm decimus quisque fusti feriretur, etiam strenui sortiuntur.

M. AN. FOnteio Capitone.] Aquinus, & Fabius Valens legati legionum Capitonem in Germania, vt Tacitus scribit, obtruncarunt: verùm quo crimine, parum constitit. Fuerunt qui crederent ideò occisum, quia familiã captaret: alii, quia legatis bellum suadentibus non facilè esset assensus.

Clodio Macro.] Is haud dubiè turbare prouinciæ statum aggressus ab Harebonio Gutiano procuratore Galbæ iussu, vt Tacitus prodidit, est oppressus.

Sibi accesserant.] Suo Imperio acquieuerant.

Oblatam.] Dono datam.

Exigi.] A conflatore reposci.

Classiarios.] Pro assiduis, & diligentibus ciuibus classiarii accipiuntur: quia ii, qui in classibus essent, ordinibus, dico, à Seruio Tullo institutis, parati essent ad omnem Reipublicæ necessitatem: sed nunc pro iis accipe, qui nauali negotio operã Reipublicæ exhibuerãt, quos vtique Nero ex remigibus iustos milites fecerat.

Ad pristinum statum.] Remi vsum.

Aquilam flagitantes.] Vt velut legitimi milites sub signis essent.

Immisso equite.] Immissis equitibus dissecti sunt miserabili occisione: Plutarchus est author.

Decimauit.] Decimum quenque supplicio affecit.

Germ

PHIL. Germanorum cohortem à Cæſaribus inſtitutam.] Suprà dictum eſt in Auguſto,& Caligula,quemadmodũ Germani fuerunt cuſtodes corporis ipſius principis, habebantúrque inter armigeros.

In patriam.] Germaniam.

rii dicti, quòd denos æris valebant. Senuit Plotarchus, non argenteos denarios, ſed aureos nummos fuiſſe, quos Galba dedit Cano tibicini.

Loculis.] capſulis nummariis. De loculo, locello,& loculamento plura alibi.

Item Germanorum cohortem à Cæſaribus olim ad cuſtodiam corporis inſtitutam, multíſque experimentis fideliſſimam diſſoluit, ac ſine vllo commodo remiſit in patriam, quaſi Cn. Dolabellæ, iuxta cuius hortos tendebat, proniorem. Illa quoque veréne, an falſò per ludibrium iactabantur, appoſita lautiore cœna ingemuiſſe eũ. Et ordinario quidem diſpenſatori breuiarium rationum offerenti, paropſidem leguminis pro ſedulitate, ac diligentia porrexiſſe. Cano autem choraulæ, mirè placenti, denarios quinq; donaſſe, prolatos manu ſua è peculiaribus loculis ſuis.

Aduentus eius ad urbem. XIII.



Quare aduentus eius non périnde gratus fuit, ídque proximo ſpectaculo apparuit, ſiquidẽ Atellanis notiſſimũ canticũ exorſis, *Venitio ſimus à villa, cuncti ſimul ſpecta

*Venit io

Cn. Dolabellæ. Hic eſſe videtur ille Dolabella, qui à multis fouebatur, vt à Galba adoptaretur: ſed, vt ait Plutarchus, Dolabellã Galba non probabat. Dolabella verò diminutiuum eſt dolabræ. Columella in v. Dolabella cõueniet expurgare quicquid emortuum eſt. Item: Semper circa crus dolabella demouenda terra eſt.

Tendebat.] tẽtoria habebat. Vergilius:

Hîc Dolopũ manus, hîc ſęuus tendebat Achilles.

Ingemuiſſe eũ.] Maximum auaritię indicium hoc eſt, quòd princeps ingemiſcat,& dolẽter ferat, ſi lautior cœna appoſita fuerit à diſpẽſatore. Debet enim principis menſa nitidior eſſe,& opulentior, quàm priuatorum, non quidem luxuria diffluens, ſed affluens cibis lautioribus. Meritóque dixit Auguſtinus, & in canonicis Decretis, diſtinct. xlj. repetitum eſt, Non cogantur diuites pauperum cibis veſci: vtantur conſuetudine ſua, vtantur pretioſis, dent pauperibus vilia.

Ordinario diſpenſatori.] Quemadmodum ordinarii Conſules dicuntur, ita & ordinarius diſpenſator appellatus, tanquam legitimus,& primarius. A contrario ordinarium hominem veteres appellauerunt ſcurram, & improbum qui minimè ordine viuat.

Breuiarium rationum.] Summariũ acceptę expenſæque pecuniæ.

Paropſidem leguminis.] Solent veri principes luculentis muneribus remunerari diſpenſatorũ ſuorum diligentiam. Galba verò porrexit diſpenſatori pro exhibita diſpenſationis ſedulitate vaſculum leguminis, quam paropſidem vocant: cuius mentio fit in Euangelio: & à Iuuenale dictum eſt:

Quàm multa, magnáque paropſide cœnat.

Legumina.] à legendo dicta, quoniam vellendo leguntur, non ſubſecantur: quidam, vt Gallicani, legaria appellant: author Varro in primo de re ruſtica.

Cano choraulæ.] Canos tibicen, vt inquit Plutarchus, inter cœnandum tibia vtebatur, erátque auditu pergratus Galbæ: qui vbi tibicinem laudaſſet, eſſétque ipſo delectatus, iuſſit afferri ſibi arcam ligneam, vnde denarios quoſdam acceptos Cano in manibus dedit: dicẽs ex priuatis, non ex publicis pecuniis illos donare. Videtur hic eſſe ille Canus, de quo Martialis:

Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro.

Choraulam autem tibicinẽ dici ſuprà memorauimus.

Denarios.] Denarius erat argenteus, &, vt ait Plinius in xxiii. valebat pro denis libris æris, ſicut quinarius pro quinque. M. Varro: In argento nummi dena-

Non périnde.] non multum. Corn. Tacitus introitum Galbæ in vrbem infauſtum fuiſſe prodidit, atque formidoloſum.

Exorſus.] Videtur legendũ, exorſis, vt iunctim legas, Atellanis exorſis.

Venitione.] Verba cantici hæc ſunt, Quod illo tempore erat notiſſimum, nunc penitus ignotũ: & ſi ſolerter introſpicere velimus, non ſolùm mendoſa hæc verba eſſe diiudicabimus, ſed etiam pene barbarica: quid enim eſt venitione? quam habet coagmentationem? quem ſenſum accommodarũ? In vetuſto codice ita ſcriptum legi, Venit Ioneſius à villa: tanquam in cantico Atellanico fieret mentio cuiuſdam nomine Ioneſii hominis ruſticani, & périnde auari, ſordidique. Vnde cùm recitaretur in ſpectaculo, velut de Galba dictum ſpectatores acceperunt. Ego, vt dicam quod ſentio, ſic opinor legendum: Venitio ſimus à villa. vt nomen proprium ſit Venitio, dictus ſimus à preſſis naribus: ſicut à poeta capellæ ſimæ cognominantur. In cantico enim inducebatur quidam nomine Venitio ſimus, qui à villa in vrbem ex argumento fabulæ repedabat, homo ſordidus,& deparcus: cuius nomen cùm à verbo veneo, videatur poſſe inclinari, meritò ſpectatores traxerunt id in contumeliam principis auariſſimi, ſordidiſſimique: tanquam ipſe alter Venitio ſimus à villa veniſſet in vrbem ad Imperium capeſſendum. Galba tamen fuit naſo adunco, vt infrà apparebit.

M. AN. Commodo.] Munere, præmio, immunitate.

Cn. Dolabellæ.] Sepoſitus, inquit, Tacitus, per hos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem, neq; arcta cuſtodia, neq; obſcura, nullum ob crimen, ſed vetuſto nomine,& propinquitatem Galbæ monſtratus.

Tendebant.] Tabernacula habebant.

Proniorem.] Propenſiorem.

Ingemuiſſe.] Dolorem ex ſumptuoſiore apparatu conceptum gemitu prodidiſſe.

Porrexiſſe.] Dono obtuliſſe.

Cano.] Nomen proprium.

Choraulæ.] In choro tibia canenti.

Manu ſua.] Quod non ſolùm auari principis fuit ob tenuitatẽ muneris, ſed etiam ſordidi. Plutarchus quinque aureos denarios fuiſſe ait ex arca, quam ſibi iuſſerat afferri, depromptos: dixiſſéque, ſe non de publicis, ſed priuatis pecuniis eos dare.

Non périnde.] Non multùm.

Venitione ſimus à villa.] Quia à veneo videri

poterat nomen factum, idcirco in Galbæ contumeliã acceptum, qui ob auaritiam omnia venalia haberet.

PHIL. Reliquam partem.] Cantici Atellanici.

Versu repetito.] Scilicet Venitio simus à villa.

Nequaquam tamen grata.] Sensus est: Illa egregii principis laudabiliter facta non tã placebant Romanis, quàm displicebant, quæ fiebant turpiter, & reprehensibiliter, non tam ab ipso Galba, quàm ab his, quorũ arbitrio non tam regebat, quàm regebatur.

Regebatur triũ arbitrio.] Quæritur ab eruditis, quæ res malos principes faciat. In primis, vt inquit Vopiscus, licentia impune peccandi, amici præterea improbi, satellites detestandi, eunuchi auarissimi, aulici, vel stulti, vel detestabiles, & rerũ publicarum ignorantia. Vnde Diocletianum dixisse ferunt, nihil esse difficilius, quàm bene imperare, cùm se quatuor, vel quinque colligunt, atq; vnum consilium ad decipiẽdum Imperatorem capiunt: & ita sæpe bonus venditur Imperator, dum regitur arbitrio improborum amicorum. Notum est illud, quod idonei scriptores prodiderunt, meliorẽ esse Rempublicam, in qua princeps malus est, ea, in qua sunt amici principis mali: siquidem vnus malus potest à multis bonis corrigi: multi autem mali nõ possunt ab vno, quanuis bono, vlla ratione superari. Igitur Galba probus quidem, & moderatus erat suapte natura, vt dixit Nymphidius, sed cùm minimè suis cogitatibus vteretur, deprauatus est improbitate Titi Iunii, & Laconis, à quibus non regebatur, sed destruebatur: vnde censuit Nymphidius, mitti oportere legatos ab exercitu ad Galbam, qui edocerent, si ex amicis hos solos duos amouisset, iucundiorem se omnibus, desideratioréinque venturum. Hoc exemplo disce agendũ, mi Annibal, ita degere, ita formare actiones tuas, vt regas tuos, non sequaris: vt tibi pareant, non imperẽt. Debet enim rector regere, non regi debet: ductor ducere, non duci debet: dominus dominari, non seruire. Nolo repudies consilia tuorum, nolo monitiones asperneris: sed minimè par est, summatem virũ mãcipatũ esse his, qui cuncta per fumos vendunt, qui penes se volunt esse regimen rerum omniũ, in quorũ manu cũcta stibi ludevi suntur, quibus præter nomẽ dominantis nihil aliud deest, quò minùs re ipsa dominentur. Ita fit, vt principes cùm aliorum sint domini, fiant serui ministrorum: qui sub quodam veluti prætextu moderationis furtim grassantur, imò sæpissimè palàm rapiunt, spoliant, vexant, principe vel ignorante, vel mussitante: qui segnis, & dissolutus si extiterit, contemnitur, éstque ludibrio.

Necvnquam non.] Iugiter, & semper.

Pædagogos.] Quemadmodum pædagogos dicimus educatores, ductorésque puerorũ, quibus continenter adhærent: ita pædagogi vulgò vocitati sunt hi, qui instar pædagogorum regebant Galbam, & illi, tanquam discipulo, semper adhærebãt. Huius rei meminit Sex. Aurelius his verbis: Galba trium amicorũ consilio, id est Iunii, Cornelii, & Itelli cuncta disponens, adeò vt intra Palatinas ædes pariter, & vulgò pædagogi dicerentur.

tores consentiẽte voce reliquam partem retulerunt, ac sæpius versu repetito egerunt.

Gesta per eum in initio principatus eius. XIIII.

MAiore adeò & fauore, & authoritate adeptus est, quàm gessit imperium: quanquã multa documenta egregii principis daret, sed nequaquam tam grata erant, quàm inuisa quæ secus fierent. Regebatur trium arbitrio, quos vnà & intra palatium habitantes, nec vnquam nõ adhærentes, pædagogos vulgò vocabant. Hi erant T. Iunius legatus eius in Hispania cupiditatis immensæ: Cornelius Laco ex assessore præfectus prætorii, arrogãtia, socordiaq; intolerabilis: libertus *Itellus paulò antè ãnulis aureis, & Martiani cognomine ornatus, ac iã summæ equestris gradus

*Icellus

Hi erant Titus Iunius, & Cornelius Laco.] De his sic scribit Tacitus: Inualidum senem Galbam Titus Iunius, & Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignauissimus, odio flagitiorum oneratum contẽptu inertiæ destruebãt. Apud Plutarchum pro T. Iunio legitur Ouinius.

Ex assessore.] Apud Iurisconsultos titulus est De officio assessoris, vbi ait Paulus, omne officium assessorum in his ferè causis constare, in cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistolis. Assessores ab assidendo dicti, & loco consiliariorum sunt: vnde ait Iurisconsultus, consiliariis eo tempore, quo assidẽt, negotia tractare in suum quidem adiutorium nullo modo concessum esse, in alienũ autem non prohiberi. Alexander Romanus Imperator assessoribus salaria instituit, quanuis sæpe dixerit, eos esse promouẽdos qui per se Rempublicã gerere possent, non per assessores. Ab assessore fœmininũ est assestrix. Afranius: Dimittit iã assestricẽ, me ad se vocat.

Præfectus prætorii.] Cor. Tacitus: Potentia principatus diuisa in Titũ Iunium Consulem, & Cornelium Laconẽ prætorio præfectum.

Socordia.] Ignauia. Cato socordiã pro stultitia posuit.

Libertus Itellus.] Cor. Tacitus: Nec minor gratia Itello Galbæ liberto, quem annulis donatum equestri nomine Martianũ vocitabant. Plutarchus quoque memorat, liberto Itello annulos aureos à Galba datos: atque Martianum vocatum habuisse primam in libertis potestatem.

Ac iam summæ equestris gradus.] Suprà docuimus candidatos dici non solum petitores magistratuum, sed aliarum quoque rerum: sicut candidatus fidei à Hieronymo, candidatus eloquentiæ à Quintiliano dictus. Itidẽ nunc Tranquillus libertum Itellũ candidatum vocat summæ equestris gradus, petentẽ, adeuntémque summam census equestris, quæ erat sestertiorum quadringentorum. Non placet vt candidatus referatur ad petitionem magistratus. Simpliciter ordinanda constructio est, candidatus summæ equestris gradus. Scribit Seneca vigesimo tertio epistolarum hominẽ esse multarũ rerum candidatum.

M. AN. NEcvnquam non.] semper.

Assessore.] Huius erat præsidii assidere, ac cõsulere ferè in iis, quæ constant cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistolis: fœmininũ assestrix. Afranius: Dimittit assestricem.

Itellus.] Is vnus erat ex tribus, quorum nutu omnia administrabantur. Potẽtia principatus, inquit Tacitus, diuisa in T. Iunium consulem, Cornelium Laconem Prætorii præfectum: nec minor gratia Itello Galbæ liberto, quem annulis donatum, equestri nomine Martianum vocitabant.

Iam

candidatus. His diuerso vitiorum genere grassantibus adeò se abutendum permisit, & tradidit, vt vix sibi ipsi constaret: modò acerbior, parciórque: modò remissior, ac negligentior, quàm côueniret principi electo, atque illius ætatis. Quosdam claros ex vtroq; ordine viros suspicione minima, inauditos condemnauit. Ciuitatem Romanam rarò dedit. Iura trium liberorum vix vni atque alteri, ac ne his quidem nisi ad certum, præfinitúmque tempus. Iudicibus sextam decuriam adiici precantibus non modò negauit, sed etiam concessum à Claudio beneficium, ne hyeme, initióque anni ad iudicandum euocarentur, eripuit.

Gesta, & liberalitas eius. X V.

Xistimabatur etiam Senatoria, & Equestria officia biennii spatio determinaturus, nec daturus nisi inuitis, ac recusantibus. Liberalitates Neronis non plus decimis concessis, per quinquaginta equites Romanos ea conditione reuocandas curauit, exigendásque, vt &

Iam summæ Equestris.] Tam diues, vt Equestrem possideret censum.

PHIL. GRassantibus.] Sæuientibus, circũuenientibúsque.

Vt vix ipsi constaret.] Dicitur homo sibi ipsi constare, qui suæ mentis compos seruat in agenda vita constantiam: quã Cicero in primis tenendã esse præscribit. Et sicut id maximè decet, ita maximè dedecet esse inconstantẽ, sicut erat Galba, cuius morũ, institutorúmq; mutatio fiebat ex arbitrio trium improbissimorum.

Quàm conueniret principi electo.] Nullum principem decet negligentia, atque socordia in rebus agendis: tantò minùs illũ, qui sit & electus, & senex: cùm vtraque res acerrimus sit stimulus in principe ad omnia vigilanter, & prudenter obeunda. Nam quicunque eligitur, is planè existimatur circũspectior. Seni verò in primis prudentia assignatur. Vnde ait Plautus in Trinummo: Sapientiæ ætas condimentum est: sapiens ætati cibus est. Et, vt inquit eleganter Plato in Symposio, tunc mentis oculus acutè incipit cernere, cùm primùm corporis oculus deflorescit.

Ex vtroque ordine.] Senatorio, & Equestri.

Inauditos.] Contra legem, & maiorum consuetudinem: qui neminem, indicta causa, inauditúmque condemnabant. Egesippus in 1. ait: Lex inauditos vetat exitio dari.

Rarò dedit.] Rarenter ciuem Romanum aliquem externum faciebat.

Iura trium liberorum.] Quemadmodũ Bononiæ, qui decem liberos habet, immunis est à publicis oneribus: ita apud Romanos numerus triũ liberorũ immunes faciebat: quod ius sæpe ab Imperatoribus muneris amplissimi loco impetrabatur. Vnde gloriatur Martialis, sibi à Domitiano tributum esse ius trium natorum. Galba verò difficulter hanc indulgentiam Imperatoriã tribuebat. In primo Commentario annotauimus non pauca super hac re: quæ repetere poteris, cùm voles.

Præfinitúmque tempus.] Cùm alii in perpetuum hoc munus consequerentur, Galba dabat ad tẽpus. Verbi gratia, vt hic ius trium natorum haberet per triennium, ille per sexennium.

Sextam decuriam.] Iam diximus quemadmodum iudicum decuriæ quatuor fuerunt primò, quibus Caius princeps decuriam quintam adiecit: nunc cùm iudices Galbam precarentur, vt sexta decuria adiiceretur, quo minori tædio, laboréque in iudicando afficerentur, non solùm non concessit, sed etiam voluit, vt ad iudicandũ venirent euocati genialibus hyemis diebus, & Calẽdis Ianuarii: cuius tẽporis vacationẽ iudicandi olim impetrauerant à Claudio: sed Galba irritum fecit Claudii beneficium.

Senatoria.] Quæ per Senatores fieri solẽt.

Equestria.] Quæ ab equitibus obeuntur.

Nisi inuitis, ac recusantibus.] Cum opinione Galbæ sentiebat Alexander Romanus Imperator, qui dicere solebat, inuitos, nõ ambientes in Rempublicam esse collocandos. Ita apud Liuium Fabio recusanti Consulem fieri datur à populo Consulatus.

Liberalitates Neronis reuocandas.] Nero bis & vicies mille sestertiũm donationibus effuderat. Galba à singulis eorum, quibus donauerat Nero, iussit donationes repeti, decima tantùm parte liberalitatis apud quenque eorum relicta. Exempli gratia, vt qui ex liberalitate Neronis acceperat centũ sestertia, is restitueret nonaginta, & decem tantummodo retineret. Verùm, vt inquit eleganter Cor. Tacitus, vix illis decimæ portiones supererant iisdem erga aliena sumptibus, quibus sua prodegerant: cùm rapacissimo cuiq; ac perditissimo nõ ager, aut fœnus, sed sola instrumenta vitiorum manent.

Per quinquaginta equites.] Cor. Tacitus ait, triginta equites Romanos fuisse præpositos huic exactioni: quod nouum officii genus fuit, & ambitu, ac numero onerosum.

CAndidatus.] Candida toga ad magistratum petendum progredi ausus. M. AN.

Electo.] Qui electione, non hæreditario iure ad Imperii fastigium peruenisset.

Illius ætatis.] Quæ quò grauior erat, eò salubriora in illo requirebantur consilia.

Inauditos.] Indicta causa.

Iura trium liberorum.] Ius trium natorum dabatur sæpe filios non habentibus. Hoc qui fuisset assecutus, quum aliquid populo viritim diuidebatur, pro tribus quasi liberis accipiebat alimenta: id ab initio institutũ in laudem Horatiorum, qui trigemini in Curiatios Albanos pro Romano Imperio pugnarunt. Martialis:

Quod Natura vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar vt esse trium.

Adiici precantibus.] Vt aucto decuriarum numero, iudicandi onere leuarentur.

Non euocarentur.] Sed vacationẽ muneris haberẽt.

Senatoria, & Equestria.] Quæ à Senatoribus, & Equestris ordinis hominibus obiri solerent.

Non plus decimis.] Plutarchus ait, præter decimã partẽ omnes Neronis liberalitates repetitas: sed quòd populo decimæ ab Imperatoribus darentur, aperte in Caligula Tranquillus demonstrat.

si quid scenici, aut xystici donatum olim vendidissent, auferretur emptoribus, quando illi absumpto pretio soluere nequirent. At contrà, nihil non per comites, atque libertos pretio addici, aut donari gratia, passus est, vectigalia, immunitates, pœnas innocentum, impunitatem noxiorum. Quinetiam populo Romano deposcente suppliciũ Haloti, & Tigillini, solos ex omnibus Neronis emissariis vel maleficentissimos, incolumes præstitit: atq; insuper Halotum procuratione amplissima ornauit. Pro Tigillino etiam sæuitiæ populum edicto increpuit.

Inuidia, & rebellio exercitus Germaniæ in eum. XVI.



PEr hæc propè vniuersis ordinibus offensus, vel præcipua flagrauit inuidia apud milites. Nam quum in verba eius absentis

PHIL. SCenici, aut xystici.] Histriones, & athletæ. De xysticis affatim scripsimus in libro Annotationum, vbi hic locus à nobis explicatur: & in Augusto super xysto, & xysticis satis, ac super memorauimus. Auferretur emptoribus.] Plutarchus hanc historiam referens sic inquit: Quas largitiones Nero dederat scenam, & palæstram agentibus, eas Galba vehementiùs repeti iussit, præter decimã partem: deinde paruã, tenuiáque accipiẽs (Nam qui receperãt eas largitiones, plurimi consompserant, homines in diẽ viuentes) illos, qui ab his emerant, inquirebat, & quod habuissent, exigebat: quæ res cùm vltra modum progrederetur, Galbæ infamiam, Tito Iunio inuidiam, atq; odiũ conciliauit.

Quando illi.] Scilicet scenici, & xystici.

Soluere nequirent.] In hanc sententiã Tacitus: Attamen grande gaudium, quòd tam pauperes forent, quibus donasset Nero, quàm quibus abstulisset.

Nihil non.] Omnia.

Pretio adipisci.] Corrige addici: vt sit sensus, Galbã permisisse cuncta addici, id est, venditari pretio, aut gratia donari per libertos, & eos, à quibus regebatur. Super hoc verbo addico, vnde & addicti, suo loco plura retulimus.

Pœnas innocentium.] Contraria sunt hæc, pœnæ innocentium, impunitas noxiorum: & cùm innocentibus impunitas debeatur, noxiis verò suppliciũ, Galba dum gratificatur libertis præpotentibus, permittit vt pretio, vel gratia innocentes puniantur, nocentes absoluantur. Vectigalia.] Scilicet passus est addici. Ait Plutarchus, Ouinium, qui Titus Iunius à Tranquillo, Tacitóque nominatur, pretio vendidisse remissiones tributorum: eidem cuncta fuisse venalia: qui videns senẽ Galbam, fortuna implebatur, tãquam ea simul & oriente, & occidente. Emissariis.] Emissarii vocantur conciliatores furtorum, quæ à magistratibus committuntur, atque internuntii: author Pedianus Asconius. Vnde & M. Tullius emissarios Verris appellat conciliatores furtorum Verris, internuntiósq; stuprorum: sic enim ait in quinta in Verrem: Dubitaturum quẽquam existimas, quin illis emissariis hæc tibi omnis pecunia quæsita sit? Idem alio loco: Magni sua putabant interesse publicè potiùs, quamuis magno emi, quàm in aliquẽ istius emissarium incidere. In libro I. Regum mentio fit emissariorum, vbi sic scriptũ est: Ait rex emissariis, qui circunstabant eum. Plinius emissarium appellat palmitem, qui emissus ex deputatione infertur imis scamnis, ac per singulos annos ad superiora scandat: de quo sic ait in XVII. Relicto semper duramento in singulis tabulatis, & emissario vno, qui subeat vsquequo placuerit. Vt autẽ verba hæc Pliniana percipias, scito scãna dici in arboribus ramos & brachia, per quæ vites ascendont. Scamnum quoque in alio significatu agricolæ vocant, vt docet Columella in II. crudum solum, & immotum, minimèq; aratro proscissum. Duramentũ autẽ significat brachium vitis. Idem Columella in V. Quaternísque brachiis, quæ duramenta quidam vocant, diuidatur in totidem partes. Alio nomine duramina nuncupantur. Tabulata verò in arboribus sunt rami, truncique sobolẽ promittentes: quod docet idẽ Columella in VI. cùm ait: Falce formãdæ sunt, & tabulata instituẽda. Hoc enim nomine vsurpãt agricolæ ramos, truncósq; promittẽtes. De his tabularis intellexit Vergilius in II. Georgicorum scribens:

Assuescant summásque sequi tabulata per vlmos.

Vbi exposuit Seruius Maronianus interpretes, tabulata esse ramos effusiores, & in plana tendentes, non ad altiora crescentes. Non inuitus interdũ digredior ad id genus diuerticula, quæ recreare solent non minùs lectorem, quàm scriptorem lassescentẽ. De emissariis, vt domũ repedemus, Ammianus Marcellinus sic inquit: Per emissarios quosdam fallendi, perstringendique gnarus, Persarum sciscitabatur consilia.

Halotum.] Fortassis hic ille est Halotus spado, quo prægustatore quidam tradiderunt datum esse venenum Claudio in arce epulanti.

Pro Tigillino.] Populus Romanus deposcebat Tigillinum ad mortem, quem vocabat magistrum, ac pædagogum tyrannidis: &, vt author est Plutarchus, nullius spectaculi cupiditate tam tenebatur, quàm vt Tigillinum videret indicio circunuentum: quinetiã in theatro & stadio assiduè petebat Tigillinũ damnari: vnde increpitus est edicto Galbæ, dicentis non diu victurum Tigillinum tabido morbo iam tabescentem, deprecantísque ne exacerbarent, facerẽntque tyrannidẽ ex Imperio. Sed de Tigillini moribus, & morte, mox dicetur in Othone.

Apud milites.] In primis vrbanos, prætorianósque.

M. AN. AVferretur emptoribus.] Et hæc conditio, qua Neronis liberalitates reuocari iussit. Impunitatem noxiorum.] & si perinde hoc erat, atque illud, quod proximè dixit, leges violare, minùs tamen hoc inuidiosum, in quo clementiæ quædam repræsentabatur imago, vt in altero sæuitiæ.

Emissariis.] Pedianus emissarium interpretatur eum, qui conciliator furtorum, & rapinarũ esset, quæ à principe, siue domino patrarentur. In hunc ferme sensum Lampridius, Romæ, inquit, nil aliud egit, nisi vt emissarios haberet, qui sibi bene nasatos perquirerent. Martialis quod ad eius verbi rationẽ attinet, nasutum, non nasatum, pronuntiauit: Nasutus sis vsq; licet. Maleficentissimis.] Pessimè de omnibus meritis. Pro Tigillino.] Tigillini Tacitus, & Plutarchus meminerunt. Iuuenalis, Pone Tigillinum.

iurantibus donatiuum grandius solitò præpositi pronuntiassent, neque rem ratam habuit, & subinde iactauit, se legere militem, non emere consuesse. Atque eo quidem nomine omnes, qui vbique erant, exacerbauit. Cæterùm prætorianos etiam metu, & indignitate commouit, remouens subinde plerosque vt suspectos, & Nymphidii socios. Sed maximè fremebat superioris Germaniæ exercitus fraudari se præmiis nauatæ aduersus Gallos, & Vindicem operæ. Ergo primi obsequium rupere, ac se Calendis Ianuarii* adigi sacramento, nisi in nomen Senatus, recusarunt: statímque legationem ad prætorianos cum mandatis destinauerunt, displicere Imperatorem in Hispania factum, eligerent ipsi, quem cuncti exercitus comprobarent.

Adoptatio Pisonis per eum facta. XVII.

QVod vt nuntiatum est, despectui esse nõ tam senectã suam, quàm orbitatem ratus,

PHIL. IVrantibus.] Militibus.

Absentis.] Ante, quàm ex Hispania Romam venisset ad Imperium ingens capessendum.

Præpositi.] Præfecti huic negotio, & veluti procuratores Galbiani.

Donatiuũ pronuntiasset.] Scribit Corn. Tacitus, milites vrbanos ad res nouas pronos agitatos esse, postquàm non dari donatiuum sub nomine Galbæ promissum intellexerunt.

Se legere militem.] Corn. Tacitus: Accessit Galbæ vox pro Republica honesta, ipsi anceps, legi à se militem, non emi. Significabat autem hac voce Galba milites per virtutem eligẽdos, non autem per largitionem conciliandos. De hac voce sic Plutarchus: Emisit Galba vocẽ dignam Imperatore, quippe qui diceret, morem fuisse deligere, non emere milites. Vbi hoc illi audiuerunt, graui in eum odio sunt accensi: videbatur enim nõ ipse solos eos priuare, sed legem ferre, & docere reliquos Imperatores. Centum prætorianos.] Lege potius cæterùm, quàm centum.

*addici

Súbinde mouens.] A militia. Et Nymphidii socios.] Cùm Nymphidiũ interemptũ Galba audisset, interfici iussit eos quoq;, qui cum illo coniurauerant: vnde omnes penè Nymphidii socii perierũt: in quibus etiã Cingonius fuit, qui orationem composuerat, qua Nymphidius vteretur ad milites in sententiam suam traducendos. Fremebat superioris Germaniæ exercitus.] Milites, qui prius sub Virginio fuerãt, tunc sub Flacco erant in Germania, dignos se existimabant maxima remuneratione, ac præmiis ob eam pugnam, qua aduersus Vindicem, Gallósque pugnarant. Itaq; nihil ex liberalitate Galbæ consequuti, nullam consolationẽ, nullã exhortationem admittebãt, Flaccum ipsum pro nihilo reputantes, vtpote rerum imperitum, & dolore pedum conflictatum. Superioris autem Germaniæ dixit, ad differentiam inferioris Germaniæ. Marcellinus in descriptione Galliarum collocat primam & secundam Germaniam, veluti prouincias Gallicanas. Ptolemæus quoq; in Cosmographia bifariàm partitur Germaniam, in magnam, & paruam: nomine magnæ significatur vera Germania, quæ in superiorem diuiditur, & inferiorem: nomine autem paruæ Germaniæ designat partem Galliæ Narbonensis, in qua Massilia.

Præmiis nauatæ operæ.] Iam dictum est, quemadmodum Iunius Vindex Gallos concitauit primus ad rebellionem aduersus Neronem: tunc Virginius, qui legionibus potentissimis in Germania præerat, conflixit contra Vindicem: quo certamine circiter viginti millia Gallorum occiderunt. Vindex verò sibi mortem cõsciuit. Hinc in sepulcro Virginii Rufi scriptum legebatur: Hîc situs est Rufus, cæso qui Vindice quondã, Imperium asseruit non sibi, sed patriæ.

Obsequium rupere.] Primi cœperunt esse inobedientes, & ab officio decessere. M. Tullius putat à Terentio primò dictum esse obsequium. Vnde in libro de amicitia verbũ id Terentianum vocatur: sed Donatus falsitatis Ciceronẽ arguit, quũ & Plautus, & Næuius ante Terẽtium dixerint obsequium.

Calendis Ianuarii addici sacramento recusarũt.] Cor. Tacitus: Paucis post Calendas Ianuarias diebus Põpeii Propinqui procuratoris è Belgica literæ afferuntur, superioris Germaniæ legiones rupta sacramenti reuerentia alium Imperatorem flagitare, & Senatui, ac populo Romano arbitriũ eligendi permittere, quo seditio molliùs acciperetur. Cùm igitur Calendis Ianuarii à Flacco ad iusiurãdum cogerentur, quod per Imperatorem iurare mos erat, illi accedentes Galbæ imagines euerterunt, demolitíque sunt. Iurati autem, vt inquit Plutarchus, iusiurãdum per Senatum, populúmque Romanũ soluti sunt.

Prætorianos.] Milites vrbanos. Flaccus, authore Plutarcho, detulit ad prætorianos, metuere se inobedientiam exercitus Germaniciani, vt defectionem.

Imperatorem in Hispania factum.] Nimirũ Galba significatur, qui à legionibus in Hispania factus fuerat Imperator. Germaniæ milites à Galba deficientes, Vitelliúmque eligere Imperatorem destinantes, dixerũt: Ostendamus cunctis hominibus, nos Iberis esse Lusitanisq; potiores, qui Imperatorem eligamus. Subsequentibus temporibus Imperatores non pauci imperarunt militari prærogatiua electi, euocatique ad Imperium.

Despectui.] Contemptui, despicatui.

Non tam senectam suam.] Cor. Tacitus ait ætatem Galbæ irrisui fuisse, ac fastidio. Quàm orbitatem.] Quòd filiis esset orbatus. Papinius: Orbitas omni fugienda nixu. Plutarchus: Perterritus Galba, quòd non modò ob senium, verùm etiã quia careret filiis, cõtemptui foret, cõsultabat sibi adoptare adolescentẽ aliquẽ ex illustribus, eúmque declarare Imperii successorem.

M. AN. DOnatiuum.] Donum, quod à principe, siue Imperatore militi dabatur. Præpositi.] Qui res Galbæ tum Romæ procurabant. Subinde.] Sæpius.

Aduersus Gallos.] Florentissimæ Virginii legiones, ipsis, vt Plutarchus ait, ducibus inuitis aduersus Vindicis copias conflixere, quibus deletis, Vindex sibi mortem consciuit.

Obsequium.] Officium, parendi facilitatem.

Ad prætorianos.] Qui Romæ erant.

In Hispania.] Apertè Galbam demonstrabant.

Orbitatem.] Quia liberis careret.

Pisonem Frugi Licinianum, nobilē, egregiúmq; iuuenem, ac sibi olim probatissimum, testamentóque semper in bona, & nomen adscitum, repentè è media salutantium turba apprehendit: filiúmq; appellans perduxit in castra, ac pro concione adoptauit, ne tunc quidem donatiui vlla mentione facta: quò faciliorem occasionem M. Saluio Othoni præbuit perficiendi conata, intra sextum adoptionis diem.

Præsagia infelicem eius exitum præcedentia. XVIII.

Magna, & assidua mõstra iam inde à principio exitum ei, qualis euenit, portenderant. Quum per omne iter dextra, sinistráque oppidatim victimæ cæderentur, taurus securis ictu cõsternatus, rupto vinculo, essedum eius inuasit, elatísque pedibus totum cruore perfudit, ac descendentem spiculator impulsu turbæ lancea propè vulnerauit. Vrbem quoque, & déinde Palatium ingressum, excepit* terra tremore, &

* terræ tremor

PHIL. Pisonem Frugi Licinianū.] Galba, cognito tumultu exercitus Germaniciani, non amplius distulit adoptionem: & cùm quidam amicorum pro Dolabella, Iunius pro Marco Othone contenderent, Pisonem Licinianum accersiri iussit, seu propria electione, siue, vt quidam tradiderunt, Lacone instante. Erat autem hic Piso Marco Crasso, & Scribonia genitus, nobilis vtrinque, vultu, habitúque moris antiqui, & existimatione recti seuerus, ingenio ad virtutē omnem accommodato. Hunc Galba adoptauit in castris tanquam sibi Imperio successurum. Ferūt, Pisonem ex adoptione nullum exultantis animi motum prodidisse. Apparuerunt prodigia, quæ significabant, adoptionem hanc infaustam futuram: nanque dies ille fœdus imbribus fuit: tonitrua, & fulgura, & cælestes minæ vltra solitum portendere videbantur eam adoptionē diis immortalibus non probari. Frugi.] Alibi memorauimus, Pisones cognominatos esse Frugi, ab eo Lucio Pisone, cuius meminit Cicero in tertia quæstione Tusculana.

Et nomen adscitum.] Assumptum. Qui adoptatur, in nomen adoptantis adsciscitur. Hinc ait Galba apud Tacitum: Mihi egregium erat, si te adoptarem, Cn. Põpei, M. Crassi sobolem in penates meos adsciscere.

Ac pro concione adoptauit.] Galba apud frequentem militum concionem Imperatoria breuitate adoptari à se Pisonem pronuntiauit, more diui Augusti, & exemplo militari, quo vir virum legeret.

Nec donatiui mentione facta.] Nocet nimia seueritas interdum principibus, auaritia verò semper. Nam constat, vt ait Tacitus, potuisse conciliari animos militum quantulacunque parci senis liberalitate. Vnde animi militares in Galbam per indignationem irritati sunt, quòd nullo donatiuo, nulláq; largitione eos adoptionis causa prosecutus foret.

Perficiendi conata.] De occupãdo Imperio, & Galba trucidando: de quo paulò pòst pluribus.

Portenderant.] Significauerant. Vnde portenta dicta: sicut à monstrando monstra. Omnia autem portenta contra Naturam dicimus esse, sed non sunt. Nam, vt inquit eleganter Augustinus in XXI. de ciuitate Dei, portentū non fit contra Naturam, sed contra quàm est nota Natura. Per omne iter.] Quod scilicet fecit ex Hispania Romā pergens ad nomē ingens capessendū.

Oppidatim.] Per singula oppida.

Securis ictu consternatus.] Notādum est, vt inquit Plinius in VIII. deos non placari hostia trahente se ab aris. Lucanus inter præsagia Pharsalicæ cladis memorat fugam victimarum ab immolatione. Igitur taurus quum ex ictu victimarii consternatus, hoc est perterritus, pauefactúsq; inuasisset vehiculum Galbæ, totúmq; cruore perfudisset, omen illi fecit futuræ cædis. De tauro consternato ex ictu securis extat illud Maronianū:

Qualis mugitus fugit, cùm saucius aram Taurus, & incertam excussit ceruice securim.

Olim Flaminio Consuli immolanti vitulus iam ictus ex manibus sacrificantium se proripuit, multósque circunstantes cruore respersit. Id à plerisq; in omen magnæ calamitatis acceptum: qua paulò pòst affecti fuere Romani ad lacum Trasimenum, vbi Flaminius occubuit.

Rupto vinculo.] Piaculum est, vt inquit Seruius, in sacrificiis aliquid esse religatum, solutásque fuisse hostias prodidit. Cur ergo, ait Tranquillus, taurum rupisse vinculum? Hoc plane refertur ad id temporis momentum, quod sacrificiū antecedit, ante quod hostiæ ligabantur, vt Iuuenalis indicat:

Sed procul extēsum petulans quatit hostia funem.

Essedum.] Carrucam Galbæ, siue vehiculum.

Elatis.] Sublimatis, eleuatísque.

Descendentem.] Scilicet Galbam è vehiculo.

Spiculator.] Satelles, quos antiquitas laterones vocitabat. A spiculo autem telo Romanico spiculatores dici notum est, & nos suprà memorauimus.

Lancea.] M. Varro lanceam vocabulum Hispanicū esse refert. A lancea dicti lancearii, qui lanceam gestāt: cùm lanceati dicātur lāceæ ictu percussi. Iul. Firmicus ait, quòd lanceati moriētur habētes horoscopū in XX. parte Tauri. Idem alio loco ait: Lanceatus morietur, quicūq; habuerit horoscopū in decimaseptima parte Aquarii. Tremore.] Terræmotu. Ver. Vnde tremor terræ. Seneca in 1111. Quæstionū natur. Nō sine causa tremorē terræ dixerūt maiores nostri, qui eōcussioni, & inclinationi dissimilis est. Quædā terræ nunquā tremuerūt: sicut Aegyptū nō tremuisse, maximi authores prodiderūt. Nūquā vrbs Roma tremuit, vt non futuri euētus alicuius id prænuntiū esset: vt ait Plinius. Igitur cùm terra tremuerit Galba ingresso vrbem Romam, fuit id planè præsagium futuræ calamitatis.

M. AN. Pisonem Frugi Licinianū.] Fuit hic Crassi filius, vt Tacitus scribit, eius, credo, quē in Claudio Crassū Frugi appellauit, vt appareat Frugi cognomen esse: siquidē Crassi in Licinia gente fuerūt. Quo.] Qua donatiui fraudatione. Cõsternatus.] Perterritus, pauore actus. Essedum.] Vehiculū, quo Galba vehebatur. Elatis pedibus.] In currum proiectis.

Spiculator.] Qui præsidii causa circa illū steterat.

Tremore.] Horrendo motu.

Assimil

aſſimilis quidam mugitui ſonus. Secuta ſunt aliquantò maiora, & triſtiora. Monile margaritis, gemmiſque conſertum ad ornandum Fortunam ſuam Tuſculanam, ex omni gaza ſecreuerat. Id repente, quaſi auguſtiore dignius loco, Capitolinæ Veneri dedicauit: ac proxima nocte ſomniauit ſpeciem Fortunæ querentis fraudatam ſe dono deſtinato, minantiſque erepturam & ipſam quæ dediſſet. Quúmque exterritus luce prima ad expiandũ ſomniũ, præmiſſis qui rem diuinam appararẽt, Tuſculũ excucurriſſet, nihil inuenit præter tepidam in ara fauillam, atratúmque iuxtà ſenem in catino vitreo tus tenentem, & in

PHIL. Aſſimilis mugitui ſonus.] Antequã terra moueatur, ſolet, vt Seneca loquit in vi. Quæſtionum, mugitus audiri, ventis in abdito tumultuantibus. Vnde eſt illud à Vergilio ſcienter, ſimul & eleganter dictum:

Sub pedibus mugire ſolum. Plinius quoque noſter in ii. Præcedit, inquit, comitatúrque terribilis ſonus, aliâs murmur ſimilius mugitibus, aut clamori humano, armorúmve pulſantiũ fragori. Adſtipulatur Plinio, Senecæq; Ammianus, qui ait: Neceſſe eſt velut tauriols reboare mugitibus fragores, fremitúſque terrenos. Tale oſtentũ factum eſt Gallieni principatu: auditũ enim tonitruũ eſt, vt inquit Iulius Capitolinus, terra mugiente.

Margaritis, gemmiſque.] In Commentariis Propertii retulimus quẽadmodum margaritæ à gemmis ſeparantur. Quod & Plinius & Iuriſconſulti prodiderunt.

Monile.] Muliebri mundo legato, Scæuola reſpondit, monilia non contineri, in quibus gemmæ, & margaritæ inſunt. Monilia contexta gemmis non ineleganter gemmoſa dicuntur ab Apuleio in quinto de Aſino aureo.

Fortunam Tuſculanam.] Suprà dictum eſt, quemadmodum Galba ſimulacrum Fortunæ, de qua ſomniauerat, inuentum ante fores, deportauit Tuſculum, coluitque menſtruis ſupplicationibus: vnde à Tuſculo dicta Tuſculana. Obiter annotandum, Fortunam auream in cubiculo principum coli ſolitam, quam olim Antoninus Pius Imperator, quum grauari ſe videret, transferri ad M. Antoninum iuſſit: quod haud dubiè ſignum fuit tranſlati Imperii ad illum, veluti ſucceſſorẽ ita deſtinatũ: author Aelius Spartianus: qui alio quoq; loco ſcribit, Seuerum Imperatorem ſtatuiſſe geminare hanc Fortunam regiam, quæ comitari principes, & in cubiculis poni ſolebat, vt ſacratiſſimum ſimulacrum vtriq; relinqueret filiorum: ſed cùm videret ſe perurgeri morbo, ſub hora mortis iuſſiſſe vt alternis diebus apud filios Imperatores in cubiculis Fortuna poneretur.

Gaza.] Perſæ, vt ait Pomponius Mela, gazam ærarium vocant: & inde nomen eſt Gazæ, oppido Palæſtinæ, cùm Cambyſes illuc belli & opes, & pecuniam intuliſſet. Seruius ait nomine gazæ diuitias ſignificari. Vergilius dixit in v. Aeneidos:

-Et gaza lætus agreſti
Excipit.-

vbi expoſuit Seruius, opibus ruſticanis. Nam gaza omnis fructus eſt. De gaza, & gazophylacio iam ſatis ac ſuper.

Id.] Scilicet monile.

Auguſtiore.] Venerabiliore, & ſanctiore.

Capitolinæ Veneri.] Quæ in Capitolio colebatur.

Speciem.] Effigiem, imaginem.

Querentis.] Lamentantis.

Dono deſtinato.] Monili margaritis, gemmiſque confecto.

Quæ dediſſet.] Fortuna nimirum Galbæ dederat Imperium: ergo minabatur, ſe Imperium, & Imperatorias opes erepturã, cùm & ipſa fuiſſet à Galba monili fraudata: & ita par pari repenſuram.

Ad expiandum ſomnium.] Moris fuit apud veteres Romanos, vt ſomnia, quæ videbantur portendere diritatem, factu ſacrificio piaculari expiarent: quæ verò erant obſcura, ſolebant ea deferre ad cõiectores, hoc eſt interpretes ſomniorum explicanda, atque interpretanda. Cicero: Deferret ad cõiectorem quidam, ſomniaſſe ſe ouum pendere ex faſcia lecti ſui cubicularis. Tales alio nomine ſomniatores dicuntur: de quibus in Deutero nomio legimus: Non audies verba ſomniatoris.

Atratum.] Veſtimento nigro, atrique coloris indutum: qui color eſt lugubris, vt iam dictum eſt. Senex itaque atratus viſus portendebat exitium ſeni Galbæ.

In catino vitreo.] Catinum vitreum, & calix fictilis malum omen fecerunt principi Galbæ: cùm vaſa tam vilia non conueniant ſacrificiis Imperatoriæ maieſtatis, & quia erant præpoſtera. Solent enim catina eſſe fictilia, calices verò vitrei. Legimus tamen apud Pliniũ in xxxv. cap. xii. quòd in ſacris non murrhinis cryſtallinisve, ſed fictilibus ſympulis prolibabatur innocentiùs. Sunt autem ſympola calices fictiles, & vaſcula, quibus vtebantur in ſacrificiis, vt ait Varro: à ſumendo ſympula dicta, quòd his vinum ſumebant minutatim. De ſympulo ait Iuuenalis:

Sympulum ridete Numæ.- quanuis nõ pauci perperam legant ſimpuuium. Apuleius catinum, & ſympulum ſacrificiis adhiberi ſolita oſtendit in Apologetico ſic ſcribens: Paupertas populo Romano Imperium à primordio fundauit: próque eo in hodiernum diis immortalibus ſympulo, & catino fictili ſacrificat. Symplator verò, vt id in tranſcurſu annotemus, dicitur amicus ſponſi, qui cum eo per conuiuia ambulat. Symplooes dicebantur conuiuæ.

M. AN. Aſſimilis mugitui.] Neq; id prodigioſum. Plinius de motu terræ, Præcedit, inquit, comitatúrque terribilis ſonus, aliâs murmur ſimilius mugitibus, aut clamori humano, armorúmve pulſantiũ clamori pro qualitate materiæ excipientis, formáque vel cauernarum, vel cuniculi, per quem meat. Trebellius tonitruum ait auditum terra mugiente, non Ioue tonante.

Tuſculanam.] Quam Tuſculi colebant.

Quæ dediſſet.] Imperium ſcilicet, & reliquos ſucceſſus.

Expiandum.] Sacrificio purgandum.

Atratum.] Pulchris veſtibus amictum, quod ad infelicem Galbæ exitum pertinuit.

Tus, & merum.] His duobus veteres ſacrificare ſolitos cõſtat, & in primis Iano, vt Ouid. videtur innuere:

Mox ego cur quamuis aliorum nomina placem,
Iane tibi primùm tura, merúmque fero.

Callice

calice fictili merum. Obseruatum etiam est Calendis Ianuariis, sacrificanti coronam de capite excidisse: auspicanti pullos euolasse: adoptionis die, neq; milites allocuturo castrensem sellam de more positam pro tribunali oblitis ministris, & in Senatu curulem peruersè collocatam.

Cædes eius, atque mors. XIX.

PRiùs verò, quàm occideretur, sacrificantem manè aruspex identidem monuit, caueret periculum, non longè percussores abesse. Haud multò pòst cognoscit teneri castra ab Othone, ac plerisque, vt eôdem quàm primùm pergeret, suadentibus, posse enim authoritate, & præsentia præualere, nihil amplius, quàm continere se statuit, & legionariorum firmare præsidiis, qui multifariàm, diuersèque tendebant.

PHIL. CAlice.] Diminutiuum calicis est caliculus. Seneca perquam eleganter appellat caliculos vascula illa, quibus præstigiatores quibusdam præstigiis imponūt oculis spectatorum, & veluti præstringunt aciem contuentium. Merum autem, & tus adhiberi solita sacrificiis, nemo est, qui ignoret: & à nobis in superioribus satis multa mentio facta est turis, & meri sacrificalis. Romulus lacte, non vino libabat. Numæ Pompilii lex ex imputata vite libari vina diis nefas esse statuit. L. Papyrius dimicaturus aduersus Samnites votū fecit, si vicisset, Ioui pocillum vini. Tus verò, quod in sacris adoletur, duplici vindemia colligitur: quarum prior est circa canis ortū: secunda est verno tempore. Inciditur enim cortex arboris turiferæ, quà maxime videatur esse prægnans, tenuissimusq;: laxatur hinc plaga, inde prosilit spuma pinguis. Mammoso, vt inquit Plinius in duodecimo, præcipua gratia est: cui à similitudine mammarum nomen est. Masculū vocauit Vergilius, quod ex rotūditate guttæ pependit. Aliqui putant masculum à specie testium dictum. Plautus diminutiuo vocabulo vsus, tusculum dixit in Aulularia.

Coronam de capite excidisse.] Hoc portendebat ita apicem Imperatorium de ipsius capite casurum.

Auspicanti.] Galbæ auspicia captanti.

Pullos euolasse.] Suprà annotauimus, signū fuisse infortunitatis, quotiescunque pulli gallinacei è cauea liberati in auspiciis non pascebantur, & pariter euolabant. Olim Hostilio Mancino Consuli in Hispaniam ituro accidit hoc prodigium: quum sacrificium facere vellet, pulli cauea emissi in proximam syluam deuolauerunt: summáque diligentia quæsiti reperiri nequiuerunt. Auspicia hæc tristia fuisse, exitu probatum est: victus enim Hostilius Mancinus à Numantinis, & castris exutus: cùm spes nulla seruandi exercitus esset, pacem cum his fecit ignominiosam, quam ratam esse Senatus vetuit: authores Valerius lib. s. Liuius x l v. ab vrbe condita.

Adoptionis die. Hunc fœdum fuisse imbribus, & ominosum signat Tacitus.

Neque castrensem sellam de more positam.] Præsagium calamitatis fuit, quòd sella castrensis per obliuionem ministrorum non fuit apposita Galbæ ante tribunal, cùm milites alioqui vellet eo die, quo Pisonem adoptabat.

Curulem peruersè collocatam.] Sella curulis ob eā causam appellata est, quòd in curru ponebatur, quo in curiam soliti erāt vehi honoris gratia, qui curulem magistratum gessissent: vt Caius Bassus in commentariis scriptum reliquit, & ab Aulo Gellio repetitum est in tertio Noctium Atticarum. Sella curulis præposterè in Senatu collocata, omen fecit Galbæ imminentis infortunii, immutatæque Fortunæ.

Aruspex identidem monuit.] Vmbricius significatur, qui sacrificanti Galbæ pro æde Apollinis tristia exta, & instantes insidias, ac domesticum hostem prædixit, audiente Othone, qui proximus astabat, idque vt læsum, & suis cogitationibus prosperū interpretante: author Cor. Tacitus. Videtur hic esse ille Vmbricius, quem Plinius in x. aruspicum in suo æuo peritissimum fuisse prodidit: de quo fortassis sensit poeta Satyricus inducens Vmbricium in Satyra sermocinantem.

Identidem.] Frequenter.

Teneri castra.] Otho digressus à Galba sacrificante, à tribus & viginti speculatoribus consalutatus Imperator, sellæque festinanter impositus, aggregatis in itinere totidem militibus, perrexit in castra prætoriana, in quibus stationem agebat iulios Martialis tribunus: isque habitus animorum fuit, vt pessimum facinus auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur. Eôdem.] In castra prætoriana. Plerisq; suadētibus.] Marius Celsus, & Lacon vehementiùs incitabant Galbam vt in castra pergeret, contrà dissuadebat T. Iunius: & ita Galbam duæ sententiæ distinebant, cùm Titus Iunius intra domū manendum esse censeret, opponenda seruitia, firmandos aditus, neque eundum ad iratos: è contrario festinandum videbatur cæteris, antè, quàm cresceret et inualida adhuc coniuratio paucorum trepidantium.

Multifariàm.] Multis, diuersisq; locis.

Tendebant.] Tentoria habebant.

M. AN. PVllos euolasse.] Quod & C. Hostilio Mancino sacrificanti accidisse Valerius prodidit, quippe cui auspicanti cùm pulli cauea emissi in proximam syluā effugissent, nec requisiti vspiam extitissent, futura per id clades denuntiata est.

Adoptionis die.] Quo Pisonem adoptauit.

Neque milites.] Ordo est, Obseruatū etiam oblitis ministris, neque sellam de more pro tribunali appositam illi milites allocuturo.

Peruersè.] Auersa fronte.

Aruspex.] Vmbritium aruspicem eum fuisse Plutarchus ait: cuius Iuuenalis, credo, & Plinius meminere: is manè Galbæ in Palatio sacrificanti, conspectis extis magnæ perturbationis signa, periculúmque ex dolo, eius capiti imminere dixit.

Teneri castra.] Ab Othone occupata: prætoriánaq; castra intellige, in quæ sella muliebri Otho euectus Imperator fuerat salutatus. Firmare.] Corpus suum munire, quod Titus Iunius vt faceret persuasit.

Legionarii milites.] Illyrici exercitus, quod Tacitus docet, tendebant hi in Vipsana porticu: aut certè militibus classicæ legionis, quod non probo. constat enim continuò Othonis studiis accessisse.

Loric

Loricam tamen induit linteam, quanquàm haud dissimulans parum aduersus tot mucrones profuturam. Sed extractus rumoribus falsis, quos conspirati, vt eum in publicum elicerent, de industria dissiparant, paucis temere affirmantibus, transactum negotium, oppressos qui tumultuarentur, aduenire frequentes cæteros gratulabundos, & in omne obsequium paratos: his vt occurreret, prodiit tanta fiducia, vt militi cuidam occisum à se Othonem glorianti, quo authore responderit, atq; in forum vsque processit. Ibi equites, quibus mandata cædes erat, quum per publicum dimota paganorum turba, equos adegissent, viso procul eo, parumper restiterunt: deinde rursum incitati, desertum à suis contrucidarunt.

PHIL. Loricam linteam.] Cor. Tacitus: Sumpto thorace Galba irruenti turbæ, neq; ætate corpore insistens sella leuatur. Lineis autem thoracibus pugnasse priscos, Homerus, Pliniúsque testantur. Celebratur ab Historicis thorax ille lineus, quem habuit Amasis rex Aegyptius, cuius singula fila trecentis sexagintaquinque filis constare prodit Plinius in xix. Natur. historiæ. Liuius in IIII. mentionem facit thoracis lintei, qui dicatus erat in templo Iouis Feretril. Legimus apud Aemyliũ Probum, loricas linteas pro loricis æneis datas esse Atheniensibus militibus ab Iphicrate, qui multa in re militari commutauit. Erant etiam libri apud antiquos lintei, quos authores identidem citãt Historici, qui in æde monetæ repositi fuerunt. Plinius quoq; In XIII. testis est, publica monumenta plũbeis voluminibus, priuata verò linteis cõfici cœpta, aut ceris. Linteata legio Samnitium celebratur à Liuio in x. dicta non ab eo quòd linteis thoracibus fuerint armati, sed quòd intra locum linteis contectum adigebantur iurare diro quodam carmine in execrationem capitis, familiæque, & stirpis composito, nisi issent in prælium, quò Imperatores sui duxissent: aut si ex acie fugissent. Ea legio ab integumento concepti, quo sacrata Samnitium nobilitas erat, appellata est: linteones vocant textores linteorum. Alexander Romanus, authore Lampridio, instituit vectigal linteonum. Scribit Iulius Firmicus, Venerem in diurna genitura facere linteones. Item Luna à Mercurio defluens ad Martem facit linteones, pellarios, & coriarios. Heliogabalus luxu diffluens linteamen lotum nunquàm attigit, mendicos dicens, qui linteis lotis vterentur.

Extractus.] Euocatus, elicitúsque, vt è Palatio prodiret.

Rumoribus.] Rumor, vt Plutarchus ait, tumultuarius multis persuasit, Othonem in castris occisum: mox vt in magnis mendaciis fieri solet, interfuisse se quidam, & vidisse affirmabant: credula fama inter gaudentes, & curiosos. Multi arbitrabantur, vt refert Tacitus, compositum, auctúmque rumorem fuisse ab Othonianis, qui ad euocandum Galbam læta falsò vulgauerant.

Transactum negotium.] Finitam esse seditionem, occiso Othone.

Aduenire.] Repete, paucis affirmantibus. Ait Tacitus, nemo scire, & omnes affirmare.

Gratulabundos.] Tum verò nõ populus tantùm, & imperita plebs in plausus, & immodica studia ruebat, sed equitum plerique, & Senatorum posito metu incauti refractis Palatii foribus accurrerunt, & se Galbæ ostentarunt, præreptam sibi vltionem quærentes: cùm tales, vt ait Tacitus, forent ignauissimi, in periculo nihil ausuri, lingua tantùm feroces.

Prodiit.] Egressus est è foribus Palatii.

Militi cuidam glorianti.] Iulium Atticum speculatorem significat, qui Galbæ obuius in Palatio factus, cruentum gladium ostentans, occisum à se Othonem exclamauit: ad quem intuens Galba, ô commilito, inquit, quis iussit? insigni animo ad coercendam militarẽ licẽtiam: authores Plutarchus, & Tacitus.

Dimota paganorum turba.] Nomine paganorum significatur plebs, & turba vrbana, quæ militaris est. Nam pagani, & milites inter se opponuntur: tanquam pagani omnes dici possint, qui numero militum non sunt: idquod in secundo Commẽtario latissimè explicauimus ex authoritate Iurisconsultorum, apud quos peculiariter in hoc significatu pagani accipiuntur. Cornelius Tacitus hanc historiam memorans ait: Igitur milites Romani quasi Vologesem, aut Pachorum auito Arsacidarum solio depulsuri, ac nõ Imperatorem suum inermem senem trucidare pergerent, disiecta plebe, proconculcato Senatu truces armis, rapidis equis forum irrumpunt. Idem de paganis in hac significatione sic refert: Vnde & seditiosa colloquia, & inter paganos corruptior miles.

Desertum à suis.] Atilius Vergilius imaginem Galbæ deiectam solo affixit: eo signo desertum fuga populi forum est: & quum vndique iaculis, ensibúsque lectica Galbæ peteretur, omnes diffugerunt præter vnum centurionem nomine Sempronium: qui nullo priuatim beneficio à Galba affectus, sed honestati, maiestatique Imperatoriæ opem ferens, solus stetit ante lecticam, sublatáque vite centuriali iubebat milites irruentes parcere Imperatori: & quum diu repugnasset, tandem corruit. Tunc Galba trepidatione lecticariorum proiectus est sella, ac prouolutus iuxta lacum Curtii: ibique multis vulneribus confossus est. De percussore, à quo iugulatus est, non satis constat: quidam Terentium euocatum: alii Decanium fuisse prodiderunt. Crebrior fama prodidit Camurium quintædecimæ legionis militem impresso gladio iugulum eius hausisse: cæteri crura, brachiaque (nam pectus thorace linteo tegebatur) fœdè laniauerunt. Pleraque vulnera feritate, & sæuitia trunco iam corpore adiecta: caput Fabius occultasse fertur.

Linteam loricam.] Thoracibus lineis à nonnullis ad Troiam pugnatum Homerus tradidit. Plinius M. A N.
de lino: Cur non & præliis intersit, vt & naufragiis? Idem author est, Amasis regis Aegypti lineum thoracem in Rhodo insula fuisse, cuius singula fila ex trecentis sexagintaquinque filis constarent.

Oppressos.] Othonem, & alios tumultus illius authores. Opprimere aliquando claudere significat. Plautus in Asinaria: Os opprime. Nonnunquam conuincere est. Idem ibidem: Iam faxo ipsum hominẽ opprimas.

Militi

Militi cuidam.] Iulium Atticum spiculatorem hũc fuisse Tacitus scribit, qui cruentum gladium ostentãs occisumà se Othonem exclamarit, cui Galba, quis iussit, respondérit.

Contrucidarunt.] Cornelios, & Plutarchus multis aiũt illum vulneribus circa crura, & brachia consauciatum ob thoracem, quo erat reliquum corpus munitum, à Camurio decimæ quiotæ legionis iugulatum: quidam Terentium eũ fuisse aiunt, alii Arcadium, alii Fabium cognomento Fabulum.

Romanũ forum in immensam altitudinem collapsum fuerat. Marc. Varro vtranque historiam mẽmorat in primo de lingua Latina, addítq; tertiam quandam aliã huiusce oominis causam. Refert Tacitus, iuxta Curtii lacum fuisse Galbã ex sella prouolutũ, ibiq; iugulatũ.

Gesta per eum in morte, & de eius funere, atque cadauere. XX.

SVnt qui tradant, ad primum tumultum proclamasse eum, quid agitis commilitones? Ego vester sum, & vos mei: donatiuũ etiam pollicitum. Plures autem prodiderunt, obtulisse vltro iugulum, & vt hoc agerent, ac ferirẽt, quando ita videretur, hortatum. Illud mirum admodum fuerit, neq; præsentium quẽquam opem Imperatori ferre conatum, & omnes, qui accerserentur, spreuisse nuntium, excepta Germanicorũ vexillatione. Hi ob recens meritũ, quòd se ægros, & inualidos magnopere fouisset, in auxilium aduolauere: sed serius, itinere deuio, per ignoratiam locorum, retardati. Iugulatus est ad lacum Curtii, ac relictus, ita vti erat, donec gregarius miles à frumentatione rediens, abiecto onere, caput ei amputauit. Et quoniam capillo præ caluitio arripere non poterat, in gremium abdidit. Mox inserto per os pollice, ad Othonem detulit. Ille lixis, calonibúsque donauit: qui hasta suffixum, non sine ludibrio circum castra portarunt, acclamantes identidẽ, Galba, cupidè fruaris ætate tua.

DOnariuũ etiã pollicitum.] PHIL. Repete, sunt qui tradant. Vt ait Tacitus, quidam prodiderunt, suppliciter ioterrogasse quid mali meruisset: precatúmque esse paucos dies exoluendo donatiuo.

Obtulisse vltro iugulum.] Idem Cor. Tacitus: Plures obtulisse vltro percussoribus iugulum, agerent, ac ferirent, si ita Reipublicæ videretur.

Accersentur.] Euocarentur, inuitarentúrque ad auxilium Galbæ ferendum.

Gregarius milrs.] Manipularis, & vilior. Ait Tacitus, gregariũ militem viatica sua, & balteos tradidisse. Fabius autem significatur, qui, authore Plutarcho, Galbæ caput in amictu cõprehensum primo occultabat: mox à sociis admonitus vt rem fortiter gestam ostẽtaret, illud lanceæ affixit: & ita quatiens senis principis faciem lanceã cruore perfusam quatiebat. Otho Galbæ capite viso exclamasse fertur: Hoc nihil est, ô cõmilitones, mõstrate mihi Pisonis caput: quod & ipsum paulò pòst allatũ est, cum Piso pro foribus templi Vestæ fuisset trucidatus. Nullum caput tam insatiabilibus oculis perlustrasse dicitur Otho, quàm Pisonis: cuius vt inimici, & æmuli cæde lætari ios, fásq; credebat.

Abiecto onere.] Fasciculi frumentarii.

Excepia Germanicorũ vexillatione.] Præceptũ fuerat Amulio, & Domitio Sabino primipilaribus, vt Germanicos milites ex atrio Libertatis accersẽrẽt: & cùm reliqui milites Othoni adhærerent, Germanica vexilla diu outaoerunt, qoòd eos ægros impensiore cura Galba refouebat: author Tacitus. Vexillatiooes autẽ alas equitum dici existimat Vegetius in secuodo de re militari, à velo: quia velis, hoc est flamulis vtantur. Ordo Romanæ militiæ, vt inquit Liuius io VIII. sexagenos milites, duos centuriones, vexillarium vnum habebat. Præterea quidam erant ordines, qui ex tribus vexillis constabant: vexillum centum octoginta tres homines erant. Vexillum flammeũ, vt tradit Marcellinus, erat signum belli.

Itinere deuio.] Extra viam militarem collocato. Ita Cicero populos quosdam deuios vocat, longè positos à via militari. Ab Horatio scortum deuium dictũ, à via publica remotum.

Ad lacum Curtii.] In foro Romano lacus est, quem Curtium appellarunt, à Metio Curtio Sabino, qui certamine inter Sabinos, Romaoósque exorto, in paludem sese strepitu sequentium trepidante equo coniecit: author Liuios in primo ab vrbe condita. Idem io VII. causam aliam huius nominis memorat, tanquam Curtius lacus sit nominatus à Marco Curtio Romano, qui armatus equo insidens se in specum immisit: quo mediũ

Inserto per os pollice.] Plutarchus, vt modò retulimus, sentit ipsum gregariũ militẽ lãcea suffixũ Galbæ caput cursitãdo detulisse ad Othonẽ. Lixis, caloonibúsq;.] Seruis militaribus. De vtrisq; suprà affatim dictũ est. Calones enim ligna militibus subministrãt, lixæ verò aquã. In hanc senteotiam Tacitus: Caput Galbæ per lixas, calonesque suffixum, laceratúmque.

Circum castra portaruot.] Corn. Tacitus: Præfixis contis capita gestãtur inter signa cohortiũ iuxta aquilam legionis certatim ostentantes cruentas manus, qui occiderãt, qui interfuerant, qui vere, qui falsò, qui pulchrũ, & memorabile facinus iactabant. Identidem.] Frequenter. Aetate tua.] Senio. Et hæc est acclamatio súbinde reperita in Galbæ ludibrium.

DOoatiuum pollicitum.] Id est, suom militi donũ repræsentaturum. Cornelius paucos dies exoluendo donatiuo precatum scribit. M. A N.

Neque præsentium quẽquam.] Plutarchos aothor est, à Sempronio centurione acerrime defensum.

Germanorum vexillatione.] Germanorum manu ex atrio Libertatis, vt Tacitus tradidit, accersita. Habuit vexillum, vt Liuius docet, milites centum tres, atque octoginta.

Gregarius miles.] Plutarchus Fabulom cæsi Galbæ ad Othonem caput detulisse ait, qui, vt diximus, & iugulum illi aperuisse, à quibusdam est creditus.

Veget

Maximè iritati ad talem iocorum petulantiam, quòd ante paucos dies exierat in vulgus, laudanti cuidam formam suam, vt adhuc floridam, & vegetam, respondisse eum:

ἔτι μοὶ μένος ἔμπεδόν ἐστιν. Ab his Patrobii Neroniani libertus centum aureis redemptum, eo loco, vbi iussu Galbæ animaduersum in patronum fuerat, abiecit. Serò tandem dispensator Argius, & hoc, & cæterum truncum in priuatis eius hortis Aureliæ viæ sepulturæ dedit.

Statura corporis, & membrorum eius. XXI.

STatura iusta fuit, capite * caluo, oculis cæruleis, adunco naso, manibus, pe-

*præcaluo,

PHIL. VEgetam.] Vigentem, viuidam, atque robustam. Liuius: Sed vegetum ingenium in viuido pectore vigebat. ἔτι μοι.] Latine ad verbũ sic interpretatur: Etiam robur mihi firmum est.

Ab his.] Scilicet lixis, & calonibus: qui caput Galbæ per ludibrium circuntulerant hasta suffixum.

Patrobii Neroniani libertus.] Patrobius Neronis libertus fuerat à Galba punitus, vt ait Tacitus: Huius Patrobii libertus, cuius nomen nõ traditur, invltionẽ, vindictámque patroni abiecit, lacerauitq; caput Galbæ ante tumulum Patrobii, quod postera die crematum fuit, mistúmque cum reliquo corpore. Plutarchus verò dicit, non à liberto Patrobii redemptum fuisse caput Galbæ, sed à militibus dono datum tradit seruis Patrobii, & Vitellii: quod illi accipientes, vbi multifariàm cecidissent, & omni contumelia affecissent, abiecerunt in eum locum, in quo eos necant, quos Cæsares supplicio dedunt: vocatur autem is locus Sextricium. Huic Patrobio Neronis principis liberto aduehebatur ad studium palæstræ arena ex Nilo tenuissima, vt refert Plinius in trigesimoquinto.

Eo loco.] Ante tumulum Patrobii dixit Tacitus.

Patronum.] Patrobium. Nec mirum videri debet, libertum alienum habuisse & ipsum libertos, quum libertinorum potentia fuerit tanta, vt principes, qui erãt domini liberorum, fierent serui libertorum.

Dispensator Argius.] Cor. Tacitus: Galbæ corpus diu neglectum, & licentia tenebrarum pluribus ludibriis vexatum, dispensator Argius ex primariis seruis humili sepultura in priuatis eius hortis contexit. Plutarchus ait, Galbæ corpus Othone permittente sublatum ab Heluidio Prisco, quod noctu Argius libertus sepeliuit.

Aureliæ viæ.] Aurelia via Romana est à sole dicta, vt quidam putant: à quo Aurelia quoque familia ex Sabinis oriunda est nominata, cui publicè à populo Rom. datus est locus, in quo sacra faceret Soli, ex quo Auselii primò dicebãtur, vt Valesii, & Papysii, mox Aurelii sunt appellati. De Aurelia via meminit Cicero in Inuectiuis contra Catilinam, quum ait: Demonstrabo iter, Aurelia via profectus est: si accelerare volent, ad vesperam consequentur. Ab eodem fit mentio fori Aurelii, sic scribente in Catilinã: Quanquàm quid ego te inuitem, à quo iam sciam esse præmissos, qui te ad forum Aurelium præstolarentur armati?

Capite caluo.] Suprà memoraui caluitii, & canitiei causas. Quædam animalia naturaliter caluescunt: vt struthiocameli. In insula Mycono calui homines gignuntur.

Cæruleis.] Glaucis: quales diuo Augusto fuerunt. Oculi glauci, siue cærulei, dolosum, & audacem significant, & ad malitiam inuigilantem: author Albertus Magnus in primo de Animalibus.

Adunco naso.] Græci aduncum nasum habentem γρυπὸν vocant. Hinc Demetrii filius Syriæ regis Grypos cognominatus: cuius meminit Iustin. in XXXIIII. Epitomatis. Persæ amant homines habentem aduncũ nasum: quia Cyrus quem supra reges omnes in primis dilexerunt, fuit adunco naso. Corrigendus est obiter error interpretis Plutarchi Apophthegmaton, qui alioqui eruditissimus sententiam Plutarchi hanc, quam retulimus; inuertens sic interpretatur: Persæ amant homines adunco naso: quoniam Cyrus hac potissimùm forma reges esse delectaretur. Sed verba ipsa Plutarchi Græca lõgè dissentiunt ab hoc interpretamento: quod vt euidentiùs elucescat, ipsa verba Græca subiiciemus, quæ hæc sunt: Πέρσαι τῶν γρυπῶν ἐρῶσι διὰ τὸ Κῦρον ἀγαπηθέντα μάλιστα τῶν βασιλέων γεγονέναι γρυπὸν τὸ εἶδος. Latinè ita interpretati sumus: Persæ amant homines habentes aduncum nasum, propterea quòd Cyrus regum longè dilectissimus fuit adunco naso. Hic est Plutarchi sensus, hæc vera ex Græco ducta translatio: hoc exigit decor historicus, vt ideo Persæ ament homines adunco naso, quia talis fuit Cyrus, quem maximè dilexerunt.

M. AN. Οὗτος μοὶ μένος ἔμπεδός ἐστιν.] Hic mihi solus firmus est.

Ab his.] Calonibus, & lixis.

Patrobius Neronianus.] Sic enim habent omnes Tranquilliani codices: sed Patrobius, qui fuit Neronis libertus, à Galba est occisus. Plutarchus de Neronianorum, inquit, suppliciis improbos occidit, in quibus fuit Aelius Polycletus, Petinus, & Patrobius. Cornel. Tacitus: Caput eius, inquit, per lixas, calonésque suffixum, laceratumque ante Patrobii tumulum. Libertus is Neronis fuerat, & à Galba punitus: quorum vtriusq; verbis aperte datur intelligi, Patrobium Neronianum à Galba occisum: quod si sic est, eius caput mercari non potuit: quare sic locum emendandum duximus, vt Patrobii Neroniani libertus legatur, non Patrobius Neronianus: vt Patrobii libertus in vltionem patroni, siue domini, vt Plutarchus ait, Galbæ caput lacerandum redemerit. Plutarchi lectio id manifeste demonstrat: Galbæ, inquit, caput Patrobii, Vitelliiq; seruis dono dederunt, quod illi accipientes omni contumelia affecerunt.

Et hoc.] Cornelius postridie quàm cadauer est cõcrematum, caput fuisse illi adiunctum ait.

Aureliæ viæ.] Ex tribus portis, quæ in Ianiculo sunt, media in summo iugo sita Aurelia dicta est: hodie à proxima diui æde Pancratiana dicitur.

Cæruleis.] Subuiridis coloris. Seruius cæruleum esse ait, quod est inter viride & nigrũ. Gellius: Nostris Latinis veteribus Cæsia dicta est, quæ à Græcis γλαυκῶπις, vt Nigidius ait, de colore cæli, quasi cælia.

Artic

dibúſque articulari morbo diſtortiſſimis, vt neq; calceum perpeti, neque libellos euoluere, aut tenere omnino valeret. Excreuerat etiam in dexteriore latere eius caro, propendebátque adeò, vt ægrè faſcia ſubſtringeretur.

Cibus, potus eius, atque luxuria. XXII.

Cibi plurimi traditur, quem tempore hyberno etiam ante lucem capere conſueuerat. Inter cœnã verò vſq; eò abundãtẽ, vt cõgeſtas ſuper manus reliquias circũferri iuberet, ſpargiq; ad pedes ſtãtibus. Libidinis in mares pronior, & eos non niſi præduros, exoletóſque.

PHIL. ARticulari morbo.] Articularis morbus dicitur is, qui infeſtat articulos: de quo ſic ſcribit Celſus in quarto de medicina: In manibus, pedibúſque articulorum vitia frequentiora, longioráque ſunt, quæ in podagris, chiragriſve eſſe conſueuerunt. Quidam cùm toto anno à vino, & Venere ſibi temperaſſent, ſecuritatẽ totius vitæ ab articulorũ doloribus cõſecuti ſunt. Ennius poeta, dum nimis vino indulget, articulari morbo periit. Quintus Serenus: Ennius ipſe pater, dum pocula ſiccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruiſſe dolores.
Terentia vxor M. Ciceronis laborauit doloribus articulorum. Articulationem vocat Plinius articularem morbum, quem non ſolùm homioum, ſed etiã arborum eſſe prodidit: qui tradit in XVII. articulationem vitibus morbum eſſe peculiarem: cuius iniuriæ omnes in articulis ſentiuntur. Morbi produntur eſſe hæreditarii: quod & authoritate clariſſimorum medicorũ comprobatur. Scribit enim Galenus doctiſſimus Hippocratis interpres, podagram, & arthreticã ex hæreditate comitari, propterea quòd ſperma in parente maculoſum neceſſariò pedes filiorum debilitat. Addit Auicenna noo ſolùm podagrã, ſed & phthiſim, & leprã tradi per ſucceſſiones. Si Mars, authore Firmico Materno, fuerit dominus genituræ, faciet caducos, pneumonicos, & podagricos. Dicuntur autem pneumonici, vt id quoque tranſeunter attingam, laborantes pulmone, qui Latinè dici poſſũt polmonarii: ſicut à Columella ouis pulmonaria dicta eſt, cuius pulmo afficitur. Plinius in XXVI. memorat, podagram morbum eſſe peregrioum: nam ſi Italiæ, inquit, fuiſſet antiquitus, Latinũ nomen inueniſſet. Rarior ſolebat eſſe patrum, auorúmq; memoria. Inſanabilis non eſt credendus: quippe quoniam in multis & ſponte deſinit, & in pluribus curatur. Cecinit tamen Ouidius, non tam vt poeta, quàm vt vates, & medicus: Tollere nodoſam neſcit medicina podagrã. Publius mimographus exorta quæſtione, qoodnam eſſet moleſtum otium? dixit, podagrici pedes. Sextus Põpeius olim correptus dolore podagræ, merſit in triticum ſeſe ſuper genua, leuatúſque ſiccatis pedibus, mirabili modo hoc poſteà remedio vſus eſt. Scribit maximus medicorum Hippocrates in Aphoriſmis, neque eunuchos, neq; pueros inueſtes, neq; fœminas podagrizare: vel, vt Latiniùs loquar, podagricos fieri. Tamen Galenus aſſerit, podagroſos fieri & eunuchos, & fœminas ex incontinentia, & victo luxurioſo. Seneca quoq; libro Epiſtolarũ moraliom XV. fœminas ait tempore ſuo pedibus ægras fieri ex crapula, & ingluuie: & ita, inquit, maximum medicorum mendacem faciunt, qui velut ex oraculo dixerat, fœminas neq; podagricas, neq; caluas fieri. Scribit Iabolenus Iuriſconſultus ad ædilitium edictum, eum, qui podagra vexetur, nec his quidẽ diebus, quibus morbus vacaret, rectè ſanum dici.

Calceum perpeti.] Hoc refertur ad articulationem pedum. Libellos euoluere.] Hoc ad articularẽ morbum mannum eſt referendum. Excreuerat gibbus.] Mars in ſexto ab horoſcopo loco facit claudos, & gibboſos. Item habentes horoſcopum in tertio gradu, ſiue parte Scorpii, erunt gibberoſi. Faſcia.] Scilicet linea. Hinc verbum eſt faſciari, quo Spartianus de Antonino Pio ſcribens vtitur, cùm ait: Sed quum eſſet longus & ſenex, incuruaretúrque, tiliatitiis tabulis in pectore poſitis faſciabatur, vt rectus incederet. A faſcia aduerbium vetus eſt, faſciatim, vt à zona zonatim. Martianus orbem terræ diuidit in quinque faſcias: quod ait melius eſſe, quàm zonas.

Cibi plurimi.] Quicunque habuerit horoſcopum in tertia parte Aquarii, erit edax, & multum cibum capiẽs: vt inquit Maternus. Legimus apud Liuium in VIII. Papyrium curſorẽ fuiſſe cibi, viniq; plurimi capaciſſimũ: talis erat Galba.

Tempore hyberno.] Scribit Hippocrates in Aphoriſmis, veteres hybernis, verníſque temporibus eſſe calidiores: ideóqne plus edendum eſſe illo tempore conuenit, & minùs, ſed meraciùs bibendum: quod etiã refert Celſus in primo.

Abundanti.] Scilicet cibo.

Congeſtas.] Comulatas.

Reliquias.] Scilicet cibariorum. Plautinus paraſitus ait, ſibi in ventre eſſe cellam, vbi reliquiarum reliquias recondat.

Super manus.] Miniſtrorum.

Ad pedes ſtãtibus.] Miniſtros ſignificat, ab eo quòd cœnantibus dominis ad pedes ſtabant: quos Martialis ſubobſcurè deſignat illo verſu:

Miſto lagenam replet ad pedes vino. Seneca libro III. de Beneficiis: Seruus, qui cœnanti ad pedes ſteterat, narrat quod inter cœnam ebrius dixiſſet. Nolim hoc in loco intelligas ſignificari illos, qui erant à pedibus. Illud enim aliud eſt: de quo ſuprà ſatis ac ſuper. Reliquias autem cœnarum diuidere ſolemus miniſtrantibus. Ex quo ait Seneca in XI. Epiſtolarũ: Quemadmodum cœna peracta reliquiæ circunſtantibus diuiduntur, ſic peracta vita aliquid porrigi his, qui totius vitæ mioiſtri fuiſſent.

Præduros.] Iam hiſpidos, & veſticipes, & valde duratos. Scribit Iulius Firmicus, Venerem in ſecundo ab horoſcopo loco conſtitutam facere homines, qui puerorum amoribus implicentur.

Exoletos.] Adultiores. Sunt enim dicti exoleti, qui oleſcere, id eſt creſcere deſierunt: aliàs exoletus ſignificatur abolitus, & deſuetudine vetuſteſcens: vt exoleta verba dicuntur à Seneca, & exoleti ſcriptores à Quintiliano.

M. A N. ARticulari morbo.] Qui in manus, & pedes indifferenter graſſatur. Celſus: In manibus, pedibúſq; articulorum vitia frequentiora, longioráque ſunt: quæ in podagris, chiragriſque eſſe conſueuerunt.

Congeſtas.] In vnum collectas.

Super manus.] Ipſius, aut alterius miniſtrantis.

Reliquias.] Reliquas eſculentorum partes.

Exoletos.] Impudicos iam adultos.

Ferebant in Hispania C.*Itellum è veteribus concubinis, de Neronis exitu nuntiantem, non modò arctissimis osculis palàm exceptum ab eo, sed vt sine mora velleretur oratum, atque seductum.

Tempus Imperij eius, & ætas. XXIII.

Periit tertio & septuagesimo ætatis anno, Imperii mense septimo. Senatus vt primùm licitum fuit, statuam ei decreuerat rostratæ columnæ superstantem in parte fori, qua trucidatus est. Sed decretum Vespasianus aboleuit, percussores sibi ex Hispania in Iudæam summisisse opinatus.

PHIL. Ferebant.] vulgò dicebant, tradebántque.

C. Itellum.] Hũc annulis aureis à Galba donatum fuisse, suprà memorauimus.

Cõcubinis.] Non minùs pueri, quàm puellæ fuerunt in concubinatu obscœnorum: vnde & concubinos, & concubinas iuxtà dici testatur eruditi, inter quos Quintilianus, qui ait: Nostras amicas, nostros concubinos vidēt. A Martiale quoque dictum est, Cum concubino nocte dormiet prima.

Arctissimis osculis.] Talia oscula nimirũ sunt amatoria. Nam, vt inquit Lucretius, Amatores Quod petiere premunt arctè, faciúntq; dolorem Corporis, & dentes illidunt sæpe labellis, Osculáque affigunt.

Velleretur.] Qui patiebantur muliebria, vt essent glabriores, molliorésve, pilos vellebant, partim psilotro, partim volsellis: quæ sunt instrumenta vellendis pilis accommodata. Hinc Scipio Aemylianus pro maximo probro obiectauit Sulpitio Gallo homini delicato, quòd feminibus subuulsis, hoc est femoribus depilatis, ambularet. Quintilianus in primo ait, velli, & comam in gradus frangere, non carere reprehensione. Idem in octauo tradit, corpora vulsa, atque fucata esse fœdissima. Scribit Iulius Firmicus, quòd qui nascentur Pleiadibus orientibus, hi dépris pilis corpus in fœminam transferent. Ita euirãtur mares, ita libidinibus insanis, vt inquit Cyprianus, in viros viri procurrunt. Itidem Galba orauit Itellum vt velleretur, eiúmque seduxit ad libidinem præposteram, & infandam: quæ omnibus bonis meritò inuisa est, & execrabilis.

Seductum.] Separatim, seorsúmque abductum, constuprandi causa.

Tertio & septuagesimo.] πολυχρονίους Græco vocabulo vocant, & μακροβίους, qui sunt longæui: sicut ὀλιγοχρονίους, qui parum viuunt, síutque modicæ vitæ. Mercurius cum Marte in diurna genitura facit oligochronios: econtrario habentes horoscopum in cõiunctione spinæ Capricorni erũt polychronii. Et his dictionibus, veluti peculiaribus, scatet Iulius Firmicus in libris Matheseos. Galba itaq; periit polychronius, hoc est longæuus. Nam, vt ait Psalmographus propheres, αἱ ἡμέραι τῶν ἐτῶν ἐν αὐτοῖς ἑβδομήκοντα ἔτη. id est, dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. ἐὰν δὲ ἐν δυναστείαις ὀγδοήκοντα ἔτη καὶ τὸ πλεῖον αὐτῶν κόπος καὶ πόνος. Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor. Scribit Macrobius, cùm decas heptadi, hoc est, cum denarius numerus septenario iungitur, id est cùm anni septuaginta conficiuntur, quòd hæc creditur à physicis meta viuendi, & hoc vitæ humanæ perfectum spatium terminatur: quod quisquis excesserit, ab omni officio vacuus, soli exercitio sapientiæ vacat.

Rostratæ columnæ superstantẽ.] Celebratio statuarum in columnis antiqua est, vt inquit Plinius libro XXXIIII. sicut Caio Menenio supra columnã statua dicata est, qui deuicerat priscos Latinos. Columnarũ autem ratio nihil aliud significat, quàm eos attolli dignos esse supra cæteros mortales. Rostratã autem columnã vocat, quasi rostris insignitam: sicut & coronæ rostratæ dictæ, quòd rostris nanium erant decoratæ. Quid si legas, striatæ columnæ: nanque striatas columnas prisci dixerunt eas, quæ striis distinctæ sunt. Sunt autem striæ, quasi canaliculæ, & sulci, quibus quoddam columnarum genus excauatur: de quibus sic scribit Vitrunius in tertio de Architectura: Columnarum striæ faciendæ sunt vigintiquatuor ita excauatæ, vt norma in cauo striæ cùm fuerit coniecta, circumacta anconibus striarum dextra ac sinistra tangat acumen. Idem ait, columnas striari viginti striis oportere. Si cupis noscere exemplum striatarũ columnarum, cõtemplator columnas illas, quibus ædes vestræ inclytissimæ fulciuntur: illæ enim striatæ sunt striis venustissimis. Non infestiuiter Apuleius frontem striatam vocat contractam, caperatámque, & quasi sulcos facientem præ tristitudine. Ab eodem conchula epitheto perquam eleganti striata nũcupatur. Decretum.] quo Senatus honorem statuæ Galbæ decreuerat. Aboleuit.] ratũ esse noluit, obliterauítque. In Iudæam.] vbi ipse præerat legionibus, quibus bellũ Iudaicum administrabat. Summisisse.] furtim, & dissimulanter immisisse, more insidiantium.

* Icelum

M. AN. C. Itellum.] libertum, de quo suprá.

Velleretur.] infernis partibus depilaretur.

Seductum.] in secretiorem locum ad obscœnũ vsum abductũ. Vt primùm licitũ fuit.] Quasi dicat, vbi Othone sublato, integrũ fuit Senatui honores, quos voluit, Galbæ decernere. Rostratæ columnæ.] in rostri speciem formatæ, aut certè excisæ. Qua trucidatus est.] Ad lacũ Curtii eum iugulatum Tranquillus, Tacitus, & Plutarchus tradidere. Decretũ.] honorẽ, quẽ illi Senatus decreuerat. Aboleuit.] sustulit, antiquauit: ex quo apparet, decretã illi fuisse statuã, sed nõdũ publico loco constitutã.

R

C. SVETONII TRANQVILLI

LIBER VIII.

Otho Syluius Imperator.

De Othonis progenitoribus. I.



MAIORES Othonis sunt orti oppido Ferentino, familia vetere, & honorata, atq; ex principibus Hetruriæ. Auus M. Syluius Otho, patre equite Romano, matre humili, incertum an ingenua, per gratiam Liuiæ Augustæ, in cuius domo creuerat, Senator est factus, nec præturæ gradum excessit. Pater L. Otho materno genere præclaro, multarũque, & magnarũ propinquitatũ tã charus, támq; nõ absimilis facie Tyberio principi fuit, vt pleriq; procreatũ ex eo crederẽt. Vrbanos honores, procõsulatũ Africæ,

PHIL. MAIORES Othonis.] Hic est secundus illorum Imperatorum, quos Apollonius Tyanæus Thebanos appellauit: quòd sicut illi tempore admodum breui Græciæ tenuerunt principatum, ita isti paucissimis admodum diebus, dicam, an mẽsibus, Romani Imperii habenas moderati sunt: cùm Otho nonaginta quinque dies tantummodo imperauerit. Tales nimirum sunt tragici tyranni, qui repente inducuntur in scenam, repentè educuntur. Docẽt affatim nos isthæc exempla, nihil esse instabilius, periculosiúsque potestate tyrannica, quæ non vera vi subnixa est, vt meritò dictũ sit, gladios seta pendentes ceruicibus imminere tyrãnicis, hastas vndiq;, spicula vndiq; formidari. Sed antè, quàm enarrationẽ Othonis ingrediamur, quoddã quasi elogiũ præponemus, quod de Othone summatim, breuiterque conscripsit Sextus Aurelius, cuius verba sunt hæc: Syluius Otho splendidis ortus maioribus, ex oppido Ferentino, imperauit menses tres, vita omni turpis, maxime adolescẽtia. Hic à Vitellio primùm apud Placentiam, dehinc apud Bebriacũ victus, semet gladio trãsfixit, anno ætatis trigesimoseptimo, adeò amabilis militibus propriis, vt plerique corpore eius viso, suis manibus interierint. Oppido Ferentino.] Plinius Ferentinates collocat in prima Italiæ regione, in qua & Roma est. Ferentini oppidi meminit Horatius in primo Epistolarũ: Ferentinum ire iubebo. Liuius in x. Ferentinũ fuisse oppidum Samnitium tradit: munimento namque tutum, quod Posthumus procõsul oppugnando cepit, prædámq; militi cõcessit. De origine Othonis Tacitus hæc: Origo illi municipio Ferentino, pater cõsularis, auus prætorius, maternũ genus impar, nec tamẽ decorũ. Ex principibus Hetruriæ.] Cõiectare hinc licet ex Hetruria familiã Othonis oriũdã cõmigrasse in oppidũ Ferẽtinũ. Matre humili.] obscuro loco nata. Et hæc non mater Othonis significatur, sed mater aui Othoniani. An ingenua.] Ingenui sunt, vt alibi explicatũ est, qui statim vt nati sunt, liberi sunt, siue ex ingenuis parentibus editi, siue ex libertinis. Tradunt Iuriscõsulti, si quis ex matre nascatur libera, patre verò seruo, ingenuũ nihilò minùs nasci videri. Ingenuos Liuius dici sentit, qui patrẽ, auũq; ciere possunt. Propinquitatũ.] cognationũ, & affinitatum. Propinquos enim vocamus proximos, & necessarios: vnde inclinata propinquitas. Ex eo.] Tyberio.

Honores.] magistratus. Vrbanos.] vt puta ædilitatẽ, præturã, cõsulatũ: qui magistratus i vrbe gerũtur.

MAN. MARCI Antonii Sabellici ad Augustinum Barbadicum serenissimum Venetiarum principem paraphraseos in Othonem paranesis octaua.



MAIORES Othonis.] Quid boni in publica, aut priuata vita egerit Otho præter vnum, Barbadice dux inclyte, non reperio: potuit enim, si nefarium bellum trahere voluisset, pluribus locis parentem omnium terram ciuili sanguine fœdare, sed vno aduerso prælio victus, sibi manum intulit: cætera vita fœdis libidinibus coinquinata, quàm honesto potuit, inuoluit silẽtio. Sunt quidem immoderatæ libidines in omni fortuna turpes: sed in ea, quæ eminentissima sit, multò turpiores. At tu, quò gratior esset principatus tuus, has animi pestes ab initio cõtemnere didicisti, sapientissime princeps: proptereáq; his moderationẽ, & beneficentiam cõplexus, facile es consecutus, vt tantum tibi laudum communi prædicatione in omni virtutum genere tribuatur, quantum eorum cuique, qui sanctissimam istam gubernandi rationem tibi, & aliis futuris principibus per manus tradiderunt. Maiores igitur, vt ad Traquillum redeam, numero tãtùm multitudinis dicimus, qui ante tritauos fuere: infra illos interdum communi nomine patres, quale est, quùm dicimus, memoria patrum. Est enim pater à Græco πατὴρ quasi πάντηρα, vt quidã aiũt, id est omnia seruãs. Suidas ἀπὸ τοῦ ἔσπαρται τρίτου προσώπου τοῦ παρακειμένου ἔσπαρμαι καὶ ἀποβλήτους. id est, ab esparte, quæ est tertia persona preteriti passiui huius verbi spiro, quod est semino. Sub hoc nomine Iureconsulti quidam putant contineri non solùm genitores, sed auos, vt dixi, proauos, abauos, atauos, tritauos: & vt eos, qui vltra sunt, maiores appellamus, ita qui post trinepotes futuri sunt, minores.

Sunt orti.] Eleganter orti dixit, id est, Ferentini nati. Otho enim non ortus, sed oriundus inde fuit.

Ferentino.] Est id Latii oppidum haud multùm ab vrbe Roma Latina via, vt Strabo ait, situm.

Hetruriæ gentis.] Miror cur Hetruriæ dixerit, quum Ferentinum in Latio sit: sed principes gentis Hetruscos fuisse accipias, qui authores suis fuerint Ferentinum migrandi: nisi Herniæ gentis, & non Hetruriæ aliquis dicat esse potiùs legendum: quod non ineptè omnino, ob locorum propinquitatem, diceretur.

An ingenua.] liberóne loco, an libertino genere procreata.

Propinquitatum.] affinitatum: siquidem propinqui non solùm qui propè sunt, sed affines etiam dicuntur: vnde & propinquitas, affinitas. Vergilius:

-Et consanguinitate propinquum.

Procreatum.] genitum.

& extraordinaria imperia seuerissimè administrauit. Ausus etiam est in Illyrico milites quosdam, quòd motu Camilli ex pœnitētia præpositos suos quasi defectionis aduersus Claudiū authores occiderant, capite punire, & quidem ante principia se coram: quamuis ob id ipsum promotos in ampliorem gradū à Claudio sciret. Quo facto, sicut gloriam auxit, ita gratiam minuit: quam tamen maturè recuperauit, detecta equitis Romani fraude, quem prodentibus seruis necem Claudio parare compererat. Nanque & Senatus honore rarissimo, statua in Palatio posita prosecutus est eum: & Claudius allectum inter patritios collaudans amplissimis verbis, hæc quoque adiecit: Vir, quo meliores liberos habere ne opto quidem. Ex Albia Terentia splēdidissima fœmina duos tulit filios, L. Titianum, & minorem Marcum cognominem sibi: Tulit & filiam, quam nondum nubilem Druso Germanici filio despondit.

Othonis ortus, & eius adolescentia. II.



Otho Imperator quarto Calē. Maii natus est, Camillo Aruntio, Domitio Aenobarbo cōsulibus. A prima adolescētia prodi-

PHIL. Extraordinaria.] quæ extra ordinem dari solent. Motu Camilli.] In Claudio coniuratio Camilli Scriboniani fuit explicata, qui Dalmatiæ legatus bellum ciuile molitus, legiones multas, fortissimásque ad sacramenti mutationem pellexerat: quem mox exercitus pœnitudine affectus interfecit; sesequе sacramento prioris militiæ continuit. Quosdam ex his pater Othonis capite punierat, cū in Illyrico ageret imperium extraordinarium, cūm illi occidissent suos præpositos, tanquā authores rebellionis. Ex quo significatur hominis seueritas, qui nec quidem principalē indignationem veritus est. Et quidē ante principia.] A loco seueritas, vel potiùs crudelitas atrocior facta est: cùm ante principia ausus sit punire milites à Claudio ob fidē factos honoratiores. Sūt autem principia, loca militaria in castris, quæ Donatus dubitat, an in extremo agmine sint, an in medio: vbi enarrat illud ex Eunucho: Hic ego post principia, inde omnibus signum dabo. Principia autem nominari videntur à militibus, quibus principibus est nomen: quorum post hastatos pugna erat, vt tradit Liuius in VIII. Vegetius verò principes vocari ait milites, qui in prima acie dimicabāt: à quibus loca in castris principia nuncupata sint: quorum meminit Tacitus his verbis: Sabini vxor mala cupidine visendi situm castrorum per noctem militari habitu ingressa, cùm vigilias, & cætera militiæ munia eadem lasciuia tentasset, in ipsis principiis stuprum ausa. Idem alibi ait: Legati eorum in squallorem, mœstitiámque compositi per principia, per contubernia conquirētes accendebant animos. Promotos in ampliorem gradum.] Quemadmodū olim Cæsar Dictator ab octauis ordinibus ad primum pilum traduxit Scæuam centurionem, tanquā de se optimè meritum, ita Claudius promouerat in ampliorē maioris dignitatis gradum homines, tanquā de se bene merentes, quos morte mulctauit Othonis pater. Sicut gloriam auxit.] tanquam gloriosum facinus fecisset, capite puniendo eos milites, qui suos præpositos occiderāt. Gratiā.] apud Claudium. Prodentibus.] indicātibus, reuelantibúsque. Seruis.] Illius scilicet equitis Romani, qui Claudio insidiabatur. Statua in Palatio posita.] Quemadmodū loca ab hominibus honorantur, ita interdum locus honoratior præbet homini ornamentū. Nam statua in Palatio à Senatu posita Othoni patri, fuit homini maiori honestamentum, & claritudini, quàm si in alio loco, & ab aliis posita fuisset. Vir, quo meliores liberos.] Tali penè laudatione prosequutus est Augustus Drusum Germanicum, cùm precatus est, Cæsares suos illi similes futuros. Ex Albia Terentia.] Portassis hæc erat ex familia Albiorū, quæ celebratur poeta eruditissimo Albio Tibullo, ad quem scribent Horatius inquit: Albi nostrorum sermonum candide iudex. Tulit.] Procreauit. Cognominē sibi.] id est, Othonem appellatum, sicut ipse L. Otho nominabatur. Cognomines enim sunt, qui eiusdem sunt nominis: sicut à Plauto duæ sorores Bacchides nominatæ eleganter vocantur cognomines: sic enim ait: Quid agūt duę germanæ meretrices cognomines? Et à Vergilio dictum est in VI. Aeneidos: Gaudet cognomine terra, vbi exposuit Seruius, gaudet sui nominis similitudine. Nondū nubilem.] viro immaturam, annis nondum plenis. E contrario est illud:

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

Druso.] Hunc dixit in superioribus à Tyberio necatum fame, alimentis sobductis, adeò vt tomentum è culcitra mandere tentauerit.

Prodigus, ac procax.] Cornelius Tacitus I. Nanque Otho pueritiam incuriose, adolescentiam petulanter rexerat. Mercurius in quinto ab horoscopo loco, si fuerit vespertinus, faciet prodigos, qui erogationibus profusis dissipent quicquid repositū fuerit.

M.A N. Camilli motu.] De Camilli defectione in Claudio diximus. Ante principia.] Principis, vt Vegetius videtur innuere, dicuntur principales milites, vt tribuni, centuriones: dicti quasi principiorum nomina. Ob id ipsum.] quòd tanquam authores defectionis obtruncassent: & hoc est quod ausus dixit.

Promotos.] honestiore militia ornatos.

Gloriam.] apud alios. Gratiam.] apud principes.

Rarissimo.] rarò, nec temere cuiquam decerni solito. Vir.] L. Otho. L. Titianū.] Terentianū libentiùs legerim, quòd alter filiorum maternum tulerit cognomen, paternum alter.

Cognominē.] qui eiusdē nominis, cognomines dicūtur. Plinius: A quibus in Italia ortos cognomines eorū Venetos credi postulat. Druso.] quē Tyberius in ima parte Palatii fame necauit. Quarto Calendas Maii.] octauo & vicesimo Aprilis die

gus ac procax, adeò vt ſæpe flagris obiurgaretur à patre. Ferebatur & vagari noctibus ſolus, atq; inualidum quenq; obuiorum vel potulentum corripere, ac diſtento ſago impoſitum in ſublime iactare. Poſt patris deinde mortem libertinam aulicā gratioſam, quò efficaciùs coleret, etiam diligere ſimulauit, quanuis anum, ac penè decrepitam. Per hanc inſinuatus Neroni, facilè ſummum inter amicos locum tenuit congruentia morum: vt verò quidam tradunt, & conſuetudine mutui ſtupri. Ac tantum potentia valuit, vt damnatum repetundis conſularem virum, ingens præmium pactus, priùs, quàm planè reſtitutionē ei impetraſſet, non dubitaret in ſenatū ad agēdas gratias introducere.

Amicitia eius cum Nerone. III.


Mnium autem conſiliorum, ſecretorūq; particeps, die, quem Nero necandæ matri deſtinauerat, ad auertēdas ſuſpiciones

PHIL. Flagris obiurgaretur.] flagellaretur. Flagra autem, & flagella, & flammam dici à flagitatione autumat Donatus, cùm flagitatio cum ſtrepitu fiat: vnde & flagellare, id eſt perſonare deducitur. Nāq; hæc omnia ſine ſtrepitu, crepitúq; non ſunt. Apud Spartanos pueri in ara flagellabantur: quā rem Græci διαμαστίγωσιν, noſtri diſflagellationem dicunt.

Inualidum.] imbecillum, & infirmum, & ob id iniuriæ obnoxium.

Obuiorum.] eorum, qui ſibi obuii fiebant. Potulentum.] ebriū, vinoq; madentē. Talis erat Otho, quales Solomō in Parœmiis fugiendos monet, qui nō dormiunt, niſi ſupplantauerint. Neronem quoq; hoc idem factitaſſe ſuprà proditum eſt.

Diſtento ſago.] Hoc ludicri ſupplicii genus frequēs eſt apud procaciores, qui culcitra, alióve veſtimento pluriū manibus diſtento in ſublime iactare conſueuerunt vel hominem, vel canem ludibrii cauſa. De hoc Martialis:

Ibis ab excuſſo miſſus in aſtra ſago.

Libertinā aulicā.] Quēadmodū aulici dicūtur viri in aula Imperatoria viuentes, ita aulicæ fœminæ in famulitio Imperatorio numerantur. Gratioſam.] fauorabilem, & gratia pollentem: quales in aulis principum frequenter reperiuntur. Si Venus domina fuerit genituræ, faciet gratioſos, & amabiles: vt inquit Firmicus Maternus in quarto Matheſeos. Diligere.] amore ſcilicet Venereo.

Quanuis anum.] Anilis ætas minime amabilis eſt, cùm Venus ſenioribus non conueniat. Hinc illud Periclis, O Elpenice, vetula es. Decrepitam.] Decrepitos dici ſenes, ab eo quod crepāt id eſt reſonant, & aſſidue clamant, exiſtimat Donatus. Sunt enim clamoſi ſenes. Alii verò decrepitos dictos eſſe tradūt, à crepero vocabulo antiquo: quod ſignificat anceps, & dubium, tanquam ſenes in dubio vitæ cōſtituti ſint: quorum anima, vt inquit Seneca, habitat in primoribus labris: &, vt ait Varro, ſi homo bulla eſt, tantò magis ſenex.

Inſinuatus.] Quaſi per inſinuationem quandam cōciliatus, introductúſque. Iulius Firmicus in VIII. Amicus regi corporis pulchritudine inſinuatus.

Congruentia morū.] Cor. Tacitus gratū Neroni fuiſſe Othonem memorat æmulatione luxus. Idem alio loco ait, quòd Otho flagrantiſſimus in amicitia Neronis habebatur. Sicut autē diſpares mores diſſociant amicitias, ita ſimilitudo morum glutinū eſt tenaciſſimum ad amicitiam ſociandam. Et ſicut boni mores conciliant probos, ita mali improbos. Ex hoc, vt veriſſime memorat M. Tullius in Lælio, neque boni improbis, neque improbi bonis amici eſſe poſſunt: cùm inter eos maxima ſit morum, ſtudiorumque diſtantia. Igitur Othonem, Neronemq; facile coniunxit ſimilitudo morū improbiſſimorū: quia malum eſt, vt inquit Liuius, malo aptiſſimum: Itidē Tigillinus famoſiſſimus intima familiaritate fuit deuinctus Neroni ob libidines, & vitia, quibus ſolis gloriatur. Quid multa? nónne hac tempeſtate flagitioſi non pauci plus poſſunt, pollentque apud principes flagitioſos, quàm probi, et bonitate cōſpicui?

Mutui ſtupri.] Mutuam libidinē colebant: vterque ſtuprator erat, vterque ſtupratus viciſſatim. De repetundis.] Duobus tantū caſibus dicimus repetundarum, & de repetundis: cuius rei in primo Commētario copioſa facta eſt enarratio.

Non dubitaret in Senatum.] Ex hoc plane demonſtratur quanta ſubnixus potentia fuerit Otho, qui auſus eſt introducere in Senatum ad gratias agendas eum, qui damnatus erat repetundarum, tanquā reſtitutum in priſtinam dignitatem, abſolutúmque: cùm tamen neque adhuc reſtitutionem, nec abſolutionem impetraſſet: verum adeò confidebat ſuæ potentiæ, vt ſperaret ſe, cùm vellet, reſtitutionem impetraturum. Hoc autem beneficium vendidit, accepta ingenti mercede, quam pactus erat cum reo.

Ad auertendas ſuſpiciones.] Ne Agrippina aliquid ſuſpicari poſſet.

M. AN. Potulentorum.] nimio potu, & temulentia titubantium. Diſtento ſago.] veſte militari. Sic Martialis: Ibis ab excuſſo miſſus in aſtra ſago.

Aulicā gratioſam.] Ab aula aulicam gratioſam dixit, quia gratia polleret apud Neronem.

Per hanc.] aulicam. Hoc eſſe quidam exiſtimāt, quod Iuuenalis obliquè in Satyris ſcripſit:

-Quos euehit optima ſummi.

Nunc via proceſſus vetulæ veſica beatæ. Tacitus cōtrà, Otho, inquit, pueritiā incurioſe, adoleſcentiā petulanter rexerat, gratus Neroni æmulatiōe luxus.

Conſuetudine mutui ſtupri.] Idem Tacitus, Nero, ait, Poppeam Sabinā principale ſcortū, vt apud conſcium libidinum depoſuerat. Nō tam in alienas fœminas, quàm arcanarum inter ſe libidinum intelligas: vel certe ad id alluſit, quod alio loco idē author delapſo Nerone in amorē libertæ, cui vocabulum Actæ fuit, ſimul aſſumptis in conſcientiā Othone, & Claudio Senecione. Ingens præmiū pactus.] ſi eum abolita damnationis ignominia in priſtinam dignitatē reſtitueret. Reſtitutionē.] prius, quàm patres reſtituendū cēſuiſſent. Ad agēdas gratias.] principi, & patribus, quaſi iam confecto negotio.

Particeps.] Otho conſiliorum, quæ de necanda

matre

matre Nero cum eo communicarat.

cœnam vtrique exquisitissimæ comitatis dedit. Item Poppeam Sabinam tunc adhuc amicam eius abductā marito, demandatámque interim sibi nuptiarum specie recepit. Nec * corrupisse contentus, adeò dilexit, vt ne riualem quidem Neronem æquo tulerit animo. Creditur certè non modò missos ad * arcessendam non recepisse, sed ipsum etiam exclusisse quondam pro foribus astantē, miscentémque frustrà minas, & preces, ac depositum reposcentē. Quare diducto matrimonio, sepositus est per causam legationis in Lusitaniam: & satis visum, ne pœna acrior mimum omnem diuulgaret: qui tamen sic quoque hoc disticho enotuit:

Cur Otho mentito sit, quæritis, exul honore?
Vxoris mœchus cœperat esse suæ.

Prouinciam administrauit quæstorius per decem annos moderatione, atque abstinentia singulari.

* corrupisse

* accersendam

PHIL. VTrique.] matri, & filio. Exquisitissimæ comitatis.] Ad affabilitatē sermocinationis, & elegantiā, nitoremq; apparatus referri potest. Poppeam Sabinam.] Otho Sabinam Poppeam pellexit iuuē-ta, ac luxu ad adulterium: mox adulterio iunxit matrimonium: cuius formā, elegātiámque dum apud principem immodicè laudaret, vt author est Tacitus, eū accendit ad eandē appetendam. Sæpe auditus est Otho consurgens ex conuiuio Neronis se ire ad illam, cui concessam dictitabat nobilitatē, pulchritudinē, vota omniū, & gaudia feliciū. Talibus iritamentis Nero in amorē Poppeæ ardescēs, vt illius amore solus potiretur, Othonē amandauit in Hispaniam sub prætextu legationis. Idem Tacitus alio in loco Poppeam Sabinam elegāter appellat principale scortū, veluti principis amicam: quā Nero apud Othonem conscium libidinum deposuerat, donec Octauiam vxorem amoliretur: mox suspectum in eadem Poppea in prouincia Lusitania specie legationis seposuit. Eius.] Neronis. Abductam marito.] Ruso Crispo equite Romano, ex quo filiū genuerat. Demandatā.] sibi tanquam depositum à Nerone commissam. Non modò missos.] Nero cùm quosdam misisset ad Othonem, qui euocarent Poppeā, ad séque deducerēt, exclusi fuerunt ab Othone: qui etiā dicitur ausus esse excludere quondā ipsum Neronē: &, vt ait Tacitus, ipsa Poppea acri Neronis amore ad superbiam abutens, dictitabat se nuptam esse Othoni, illíque deuinctam, qui animo, & cultu magnificus foret: cùm Nero assuetudine ancillæ nomine Actes deuinctus, nihil traxisset ex contubernio seruili, nisi abiectū, & sordidū. Accersendam.] euocandā. Depositū.] Poppeam Sabinā, quam instar depositi fidei Othonis cōmiserat. Tradit Plutarchus, quod huic loco cōsentaneum est, olim Poppeam exclusisse Neronem Othone absente, siue vt societatum voluptatem sufferret, siue quòd Cæsaris nuptias grauiter ferret: cùm nequaquā fugeret amatoris vsum propter immodicā libidinem: vt autem scribunt iurisconsulti, est depositum depositori reddendum à depositario, quotiescunque repoposcerit. &, vt ait Iurisconsultus, nō debet res deposita deterior reddi. Diducto.] separato, diuulso abducta Poppea. Sepositus.] Itidem Tacitus sepositum fuisse Othonem per speciē legationis dixit. In Lusitaniā.] Tacitus: Dicitur familiaritate sueta post congressum & comitatū Otho: & ad postremum ne in vrbe æmulatus ageret, prouinciæ Lusitaniæ præficitur. Plutarchus refert, Lusitaniā Othoni datam esse à Nerone Senecæ suasu, & monitu, quo lo primis beoenolo, & amico vtebatur. Ne pœna acrior.] Parū abfuit, quin Otho interficeretur: fuitq; absurdū quòd Nero, qui & vxorē occiderat, & sororem, ob Poppeæ cōiugium, pepercerit Othoni. Mimum omnē.] totius fabulæ scenam, quæ exorta erat de amore Poppeæ inter Neronem, & Othonem partiario. Qui.] mimus, & rumor fabulæ scenicæ persimilis. Enotuit.] diuulgatus est. Sit exul.] Scribit Plutarchus Othoni satis cōpertū fuisse, quòd Lusitaniæ præfectus fuerat cōstitutus, vt sub nomine imperii velaretur exiliū. Mentito honore.] vt per speciem legationis, & sub honoris velamento exiliū delitesceret. Vxoris suæ.] Poppeæ, quæ primò Othonis vxor fuit, mox Neroni nupsit, cū ille exturbasset Octaniam. Prouinciam.] Lusitaniam, quæ in vlteriore Hispania est. Quæstorius.] iam honore quæsturę functus. Abstinentia singulari.] Tacitus: Prouinciæ Lusitaniæ præficitur Otho, vbi vsq; ad ciuilia arma non ex priore infamia, sed integrè sanctéque egit, procax otii, & potestatis temperātior. Idem alio loco testatur, prouinciam Lusitaniam comiter administratam fuisse ab Othone: Plutarchus quoq; refert, Othonem Lusitanis præstitisse sese facilem, & iucundum.

M.A N. VTrique.] Neroni & Agrippinæ. Exquisitissimæ comitatis.] multa comitate refertā. Adhuc amicam.] nondum coniugem: nam eam Nero posteà vxorem duxit, ictúque calcis prægnantem occidit. Abductā marito.] id est, Crispino. Plutarchus, Otho, inquit, famosus Romæ ob nuptias Poppeę, quā, cū esset Crispini cōiunx, amauit Nero. Addidit idem author, eam à marito ab Othone non Nerone alienatam. Illud adiiciendum puto, apud Plutarchum semper Pompeiam pro Poppea mendosè legi. Demandatam.] apud Othonem depositam. Tacitus, Poppeam, inquit, Sabinam principale scortū vt apud consciū libidinū deposuerat, donec Octauiā amoliretur. Corrupisse.] ad coitus cōsuetudinē traxisse. Cōtentus.] Otho. Missos.] à Nerone. Ipsum etiā.] Neronē. Depositū.] i. Poppeā apud ipsum depositā. Diducto matrimonio.] Ad illud refertur, quòd nuptiarū specie dixerat Poppeā ab Othone receptā, quasi dicat, adempta Othoni Poppea. Sepositus.] Otho. Ne pœna acrior.] id est, si maiori pœna affecisset. Mimū omnē.] ridiculi rei fabulā, quòd Otho perbellè Neronē Poppeæ possessione exclusisset. Mentito.] ficto, assimulato. Vxoris suæ.] ipsius Neronis, qui Poppeā posteà sibi matrimonio iūxit.

Spes eius ad Imperium. IIII.



VT tandem occasio vltionis data est, conantibus Galbæ primus accessit, eodémque momento & ipse spem Imperii cepit, magnam quidẽ, & ex conditione temporum, sed aliquantò maiorem ex affirmatione Seleuci mathematici. Qui cũ eum olim superstitẽ Neroni fore spopondisset, tunc vltro inopinatus aduenerat, imperaturum quoque breui repromittens. Nullo igitur officii, aut ambitionis in quenquam genere omisso, quoties cœna principẽ acciperet, aureos excubanti cohorti viritim diuidebat: nec eò minus alium alia via militum demerebatur. Cuidam etiã de parte finium cum vicino litiganti adhibitus arbiter, totum agrum redemit, emancipauítque, vt

Prouinciam.] Lusitaniam, vt Plutarchus scribit. Quæstorius.] quum quæstura tantũ functus esset.

PHIL. VLtionis.] qua Neronem vlcisci posset. Primus accessit.] Cùm Galba defecisset à Nerone, vt Plutarchus prodidit, primus Otho accessit ex ducibus ad partes Galbæ: & quantũ auri, argentique habebat in poculis, argẽtario id omne dedit, vt inde nummi fierent, quos ministris Galbianis enumerauit, fecítque iter multos dies vnà cum Galba.

Ex cõditioue tẽporum.] Tempora cùm forẽt turbida, & tumultuosa, spem dabãt Othoni aspirandi ad Imperium. Seleuci mathematici.] Mathematici, siue genethliaci, quos penes se Otho semper babebat, eũ bene sperare de Imperio pollicebantur: sed inter alios erat Ptolemæus majoris apud Othonem authoritatis, & quòd veritatẽ sæpe illi prædixisset, qui Othoui iu Hispania comes inter alia prædixerat hoc futurum, ne à Nerone interimeretur, qui prior esset moriturus, ipsum Neroni superfuturũ promiserat, Romanísque imperaturũ. Itaque Ptolemæus cùm ex euentu verum apparuisset illud, quod primo loco prædixerat, hortabatur Othonẽ ne de Imperio spem abiiceret: ille more humani ingenii, quod cupiebat, id libenter amplexabatur. Demiror, à Trãquillo mathematicũ hũc nominari Seleucũ, cũ Ptolemęus à Cor. Tacito, atq; Plutarcho nuncupetur: nisi fortassis dictus sit Ptolemęus Seleucus, veluti biuominis. Sæpe etiam de nominibus non coustat: sicut apud Liuiũ frequẽtissimè dubitatur. Superstitẽ.] superuictursũ, superfuturũ. Nã superesse interdũ significat superstitẽ esse, vt docet Gellius, & Plauti confirmat authoritas, qui ait in Asinaria: Sicut tuum vis vnicum gnatũ tuę superesse vitæ sospitem. A superstite superstitio dicta, quæ anicularum propria est, quæ multis per ætatẽ superstites sunt, vt interpretatur Seruius. Nõ me præterit, M. Tullium, superstitiosos ex eo dictos opinari, quòd totos dies precantur, vt sui sibi filii siut superstites. Lactantius verò autumat superstitionem, & superstitiosos dici, qui superstitẽ memoriam defunctorũ colunt, aut qui parentibus suis superstites, colebãt imagiues eorũ domi tanquã deos. Superstitio autẽ nihil aliud est, quã falsi dei cultus: & sicut religio colit deos, ita superstitio violat, vt inquit elegãter Seneca: à quo superstitio dicitur error insanus. In quenquam.] Etiã in viliores erat Otho officiosissimus: qui, vt ait Tacitus, omnia seruiliter faciebat pro domiuatione.

Quoties cœna principẽ exciperet.] Iu hanc sententiã ait Tacitus: Eò paulatim progressus est Otho, vt per speciem conuiuii, quoties Otho apud Galbã epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos nummos diuideret. Plutarchus quoque inquit: Quoties Galbam epulo acciperet, cohortem semper, quæ ad custodiam aderat, corrumpebat, aureũ singulis tribuens, quibus rebus ipsum Galba honorare videbatur, quòd eo studio, & populari gratia in multis vteretur. Demerebatur.] obsequio deuinciebat, & beneficio cõciliabat. Qniutilianus: Simul vt pleniore obsequio demererer amantissimos mei. Aliũ alia via.] vt hunc affabilitate, illum benignitate, aliũ militari promotione demereretur. Nauque, vt Historici prodiderunt, affabilem se, & humanum omnibus exhibebat: egenis opitulabatur, plurimam viris militaribus opem ferebat, multósque promouebat castrẽsibus honoribus.

Cui cum vicino litiganti.] Cocceium Proculum speculatorem significat, cui, vt verbis Taciti vtar, de parte finium cum vicino ambigenti, vniuersum vicini agrũ sua pecunia emptũ dono dedit.

Adhibitus arbiter.] Mirari se ait Cicero in oratione pro Murena, Iurisconsultos nondum statuere potuisse, vtrum iudicem, an arbitrum dici oporteat. Dicitur autem arbiter, iudex, quòd totius rei habeat arbitrium, & potestatem. Et, vt docet idem Cicero iu oratione pro Roscio Comœdo, cùm ad iudicẽ causam labefactari animaduertunt, ad arbitrum confugiunt. In hoc autem differunt iudex & arbiter, iudicium & arbitrium, quòd iudiciũ est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. Ad iudicium hoc modo venimus, vt totam litem aut obtineamus, aut omittamus: ad arbitrium hoc animo, vt neque nihil, neque tantũ, quantũ postulauimus, consequamur. Proculus Iurisconsultus titulo Pro socio, tradit duo esse genera arbitrorum: vnum eiusmodi, vt siue æquum siue iniquum, parere debeamus: quod obseruatur, cùm ex compromisso ad arbitrium itum est. Alterũ huiusmodi, vt ad boni. viri arbitratum redigi debeat, & si nominatim persona sit comprehensa, cuius arbitratu fiat: arbitrarium verò dicitur, cùm adhuc res apud arbitrum geritur: quę res adhuc incerta est. Ex quo est illud Plautinũ: Hoc quidem certum est, nõ est arbitrarium. Emancipauitque.] Quasi per emancipationem quãdam tradidit in emancipatum Coccii Proculi.

VLtionis.] quòd honoris prætextu à Nerone relegatus esset. M.A N.

Seleuci mathematici.] Cornelius, & Plutarchus non Seleucum, sed Ptolemæum nominant.

Tunc.] Nerone sublato.

Aureos viritim dabat.] Huiusmodi largitionis & Tacitus, & Plutarchus in Galba meminerunt.

Alium militum.] ex militibus quemuis alium.

Adhibitus.] Otho.

Arbiter.] litis cognitor.

Redemit.] dato litigatori ex ære suo agri, de quo ambigebatur, pretio.

Emancipauit.] omni onere leuauit, vel suum iam factum, mancipio tradidit illi.

iam vix vllus esset, qui non & sentiret, & prædicaret solum successionis Imperii dignum.

Frustratur spe adoptationis à Galba. V.

Sperauerat autem fore, vt adoptaretur à Galba, ídque in dies expectabat. Sed post quàm Pisone prælato spe decidit, ad vim conuersus est, instigante super animi dolorem etiã magnitudine æris alieni. Neq; enim dissimulabat, nisi principem se stare non posse, nihílque referre ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet. Ante paucos dies seruo Cæsaris pro impetrata dispensatione decies sestertiũ expresserat. Hoc subsidium tanti cœpti fuit: ac primò quinq; spiculatoribus commissa est res, deínde decẽ aliis, quos singuli binos produxerant: omnibus dena sestertia repræsentata, & quinquagena promissa. Per hos solicitati reliqui, nec adeò multi, haud dubia fiducia in ipso negotio plures affuturos.

Assumptio eius ad principatum. VI.

Sulerat animus post adoptionẽ statim castra occupare, cœnantémque in Palatio Galbã aggredi: sed obstitit respectus co-

PHIL. Adoptaretur à Galba.] Spem adoptionis statim acceptã acrius in dies rapiebat Otho fauētibus plerísque militum, prona in eum aula Neronis, vt similem. Titus Iunius, de cuius potentia apud Galbã suprà memorauimus, Othonem fouebat, nitebatúrque pro viribus, vt à Galba adoptaretur. Decidit.] delapsus est à spe adoptionis. Instigante magnitudine æris alieni.] Othon.: cui omne in turbidum consilium multa simul exstimulabant, luxuria etiam principi onerosa, inopia vix priuato toler ãda. Mercurius in sexto ab horoscopo loco facit multis debitis, & multo vsurarũ fœnore implicari.

Referre.] nullam esse differentiam. An in foro sub creditoribus caderet.] sicut hostis in acie iugulat hostem, ita creditor in foro iugulat debitorem, dum repetit apud prętorem pecuniã creditam.

Pro impetrata dispẽsatione.] Sensus est: Vnus ex seruis Galbæ cupiebat fieri dispensator Imperatoris: quod vt facilius impetraret, vsus erat Othone deprecatore: ex quo factus voti cõpos, velut pro remuneratione, Othoni dedit decies sestertiũm. Hac summula aggressus est rem maximam tanti cœpti Imperii occupandi, & Galbam trucidandi. Quinque speculatoribus] Lege spiculatoribus. Cor. Tacitus, & Plutarchus memorant, duobus tantummodo hanc prouinciam fuisse cõmissam, Proculo Tessario spiculatori, & Veturio Optiõi: quos pretio, & promissis onerauit, data pecunia ad perdendos pluriũ animos. Vnde, vt ait Tacitus, suscepere duo manipulares Imperium populi Romani transferendum, & transtulerunt. Obiter emaculandus est locus apud Cor. Tacitum, apud quem legitur Veturium Opitionem, pro Optionẽ: Optiões enim in re militari appellantur hi, quos decuriones, aut centuriones optãt sibi ministros, vicarióṡque, quò faciliùs obeãt publica officia: de quibus sic refert Vegetius in II. Optiones ab optando appellari, quòd antecedentibus ægritudine præpeditis, hi tanquam adoptati eorum, atque vicarii solent vniuersa curare. De eisdẽ ait M. Varro in primo de Lati. ling. Quos decuriones primò sibi administros optabãt, Optiones vocari cœpti: quos nunc propter ambitiones tribuni faciũt. De Optione in hac administri significatione decenter dixit Plautus in Asinaria: Optionẽ tibi sumito Leonidam. Liuius videtur nomine subcenturionis signare Optionem à centurione electũ, cùm ait in VIII. permissum fuisse centurionibus, vt subcenturionem sibi quem quisque vellet eligeret, qui eum tutaretur. Ab optione dicitur optionatus, vt à decurione decurionatus, à pontifice pontificatus. M. Cato: Maiores pretium parauere bonis, atque strenuis decurionatus, optionatus, hastas donaticas, aliósque honores.

Singuli.] Quilibet ex illis quinque spiculatoribus binos sibi adsciuerat socios, & ita quindecim numero fuerunt principes Othonianæ conspirationis.

Repræsentata.] statim enumerata.

Solicitari reliqui.] partim argento, partim pollicitationibus.

Haud dubia.] Indubitata, & certa. Tulerat animus.] optauerat. Ouidius: In noua fert animus.

Post adoptionem.] Inter adoptionem Pisonis, & cædẽ Galbæ sex dies medii fuerũt.

Castra.] prætoriana.

M. AN. Successionis dignum.] Sed vsitatiùs successione dixisset. Terent. in Heauton. Ego te meum esse dici tantisper, volo, Dum te quod dignum est facias.

In diesque expectabat.] Neque hoc satis ex consuetudine dictum: quum nullum sit in verbo incrementũ: Vino enim in diem dicimus, expecto in dies: cresco verò in horas, doctior fio in horas: nec secus ferè apud bonos legere est.

Sub creditoribus.] quibus grande æs debebat.

Caderet.] casurus esset, periret.

Cæsaris.] Galbæ.

Dispensatione.] vt Galbæ dispensator esset.

Decies sestertiũm.] decem sestertia, quæ ne dimidium quidem Attici implent talenti. Plutarchus, vt alio diximus loco, quinq; & viginti millibus decies sestertiũm taxauit: alii decem millibus, nec amplius.

Cœpti.] audacis consilii.

Singuli.] eorum decem, quibus ab initio commissa res est.

Binos.] ex illis decem, qui conspirationi secundo loco accessere.

Dena sestertia.] quę Otho Cęsaris seruo expresserat, vt ad illud referatur, quòd eam pecuniam subsidium tanti incœpti fuisse dixerat.

Post adoptionem.] Pisone à Galba adoptato.

Respectus.] honor, existimatio.

Excubabat.] In Palatio stationem habebat: quo apparet non semper eandem cohortem excubare solitam, sed ex prætoriis castris per vices, aut potiùs sorte accersi consuetam.

hortis, quæ tũc excubabat, ne oneraretur inuidia, quòd eiusdem statione & Caius fuerat occisus, et desertus Nero. Medium quoque tempus religio, & Seleucus exemit. Ergo destinata die, præmonitis consciis, vt se in foro sub æde Saturni ad milliarium aureum opperirentur, manè Galbam salutauit: vtque consueuerat, osculo exceptus, etiam sacrificanti interfuit, audiuítque prædicta aruspicis. Deinde liberto adesse architectos nuntiante, quod signum conuenerat, quasi venalem domum inspecturus abscessit, proripuítque se postica parte Palatii ad constitutum. Alii febrem simulasse aiunt, eámque excusationem proximis mãdasse, si quæreretur. Tunc abditus properè muliebri sella in castra contendit ac deficientibus lecticariis quum descendisset, cursúmque cœpisset, laxato calceo

PHIL. NE oneraretur inuidia.] Refert causam, quare Otho non aggressus sit Galbam cœnantẽ, sicut animo destinauerat: nanque illo forte die stationem agebat in Palatio ea cohors, qua excubante iampridem C. Caligula fuerat occisus, mox Nero desertus. Igitur ne illi cohorti conflaret inuidiam tertii flagitii, inureretque tertiã desertionis Imperatoriæ notã, distulit negotium in sextum diem: tot enim interfuere inter adoptionem Pisonis, & Galbæ iugulationem. Mediũ tempus.] quatuor dies intermedios. Exemit.] ne illo tempore Galbam aggrederetur. Religio.] cũ mathematicus diceret, tẽpus ex monitu fatorum nondũ aduenisse. Destinata die.] Fuit hic dies ad decimumoctauum Calẽdas februarias.

Sub æde Saturui.] Aedẽ Saturni, in qua fuit Romanorum ærarium, fuisse in foro Romano Historici prodiderunt. Ad milliarium aureũ.] Plutarchus in Galba milliariũ aureum fuisse columnã aureã tradit, in qua incisæ omnes Italiæ viæ finiunt. Plinius in III. milliarium in capite Romani fori statutũ fuisse memorat, à quo ad singulas portas, quę erãt numero trigintaquatuor, currebant mẽsuræ regionũ. Cor. Tacitus ait, perrexisse Othonẽ ad aureũ milliariũ sub æde Saturni. Opperirẽtur.] expectarẽt, præstolarentur. Audiuit prædicta aruspicis.] Vmbritius aruspicum peritissimus, vt suprà dictum est, Galbæ sacrificanti tristia exta, & instantes insidias, ac domesticũ hostem prædixit, periculúmque capitis imminere Imperatori, audiente Othone, qui proximus Galbæ astiterat, & his, quæ dicebantur ab Vmbritio attentum se præstabat. Liberto architectos nũtiante.] Onomastus libertus Othonis significatur, quẽ patronus futuro sceleri præfecerat: qui non multò post, quàm aruspex Galbæ illa prædixerat, nuntiat eum expectari ab architecto, & redemptoribus. Erat autẽ id signũ paratæ coniurationis, & militum iam conuenium. Igitur Otho digressus est dicens prædia vrbana vetusta te suspecta sibi emenda esse, & ideo prius exploranda, inspiciendáque. Postica parte.] ædium Palatinarum posteriore parte. Nam posticũ dicimus, quod post est, & à tergo: cuius diminutiuum est posticulũ, quo vtitur Plautus in Trinummo: Posticulum hoc recepis, cùm ædes vendidis. Postica etiam dicitur in augurio pars templi cælestis ad Septentrionem vergens, vt docet Varro libro III. Latinæ linguæ. Hoc amplius posticam absolutè appellamus posticũ, partemque ædium posteriorem, sicut vsurpat Ammianus Marcellinus, & nos superiùs memorauimus. Posticæ diminutiuum est posticula. Si quæreretur.] à principe Galba. Proximis.] qui prope ipsum stabant in conspectu principis. Abditus muliebri sella.]

Cornelius Tacitus ait, Othonem liberto Onomasto innixum per Tyberianã domum in Velabrũ peruenisse in forum, vbi tres & viginti speculatores Imperatorem cõsalutauerunt, & sellę festinanter impositũ strictis mucronibus in castra rapuerunt, in itinere totidem militibus aggregatis. Lecticariis.] lecticæ baiulis. Deficientibus.] languentibus, defatigatisque ex propera gestatione. Laxaro calceo.] soluta corrigia calceamẽti. Olim Hieronymus Syracusanorum tyrannus confossus est vulneribus, cũ custos corporis, tanquam laxaret nodum calcei adstrictum moratus turbam, tanto interuallo sustinuerit agmen satellitum, ne tyranno succurrere possent. Calceorũ cõfector eleganti vocabulo dictus à Plauto calceolarius in Aulularia: quanuis quidam legere malint calceolarii, quod non probo.

M.A.N. EXcubabat.] in palatio stationem habebat: quo apparet non semper eandem cohortem excubare solitam, sed ex prætoriis castris per vices, aut potiùs sorte accersi consuetam.

Oneraretur.] maiore inuidia flagrare cœpisset.

Eiusdem statione.] eadem in Palatio excubante.

C. Princeps.] Caligula.

Desertus.] destitutus, quia illorum ignauia, aut perfidia ita accidisset, vt ipsis excubãtibus vnus, atq; alter Cæsarum periclitatus esset.

Religio.] metus, ac siderum obseruatio.

Seleucus.] mathematicus.

Ad milliarium aureum.] Sic Tacitus: Per Tyberianam domum in Velabrum, inde ad milliarium aureum sub æde Saturni pergit. Plinius: Currente mẽsura à milliario in capite Romani fori statuto, cum hi tres milliarium eundem locum vocent, haud aperte tamen potest intelligi quid cares esset. At Plutarchus clarius, Descendens, inquit, per ædes, quæ Tyberii vocabantur, gradiebatur in forum, vbi steterat columna aurea, in qua incisæ omnes Italiæ viæ finiunt.

Aruspicis.] Vmbritii.

Liberto.] Onomasto, vt Tacitus, & Plutarchus scribunt.

Architectos.] Hunc prætextum duo illi, quorũ proximè memini, fuisse affirmant.

Postica parte.] auersa domorum parte per Tyberianas domos.

Proximis.] qui proximè steterant.

Mandasse,] Galbæ se requirenti subiiciendam.

Deficientibus.] põdere, & cursu lassis: erant enim castra prætoriana extra vrbem via Appia, ad locum, quem hodie Bubulum caput vulgò nominant.

Laxato,] aperto, diffracto, soluto.

restitit, donec omissa mora succollatus, & à præsente comitatu Imperator consalutatus, inter faustas acclamationes, strictósque gladios ad principia deuenit, obuio quoque non aliter, ac si conscius, & particeps foret, adhærente. Ibi missis, qui Galbam, & Pisonem trucidarent, ad conciliandos pollicitationibus militum animos, nihil magis pro concione testatus est, quàm id demum se habiturum, quod sibi illi reliquissent.

Gesta eius in initio principatus. VII.



DEinde vergente iam die ingressus Senatum, positáque breui* oratione, quasi raptus de publico, & suscipere Imperium vi coactus, gesturúsque communi omnium arbitrio, Palatium petit. Ac super cæteras gratulantiũ, adulantiúmque blanditias, ab infima plebe appellatus Nero, nullum indiciũ recusantis dedit: imò, vt quidam tradiderunt, etiam diplomatibus, primísque epistolis suis ad quosdam prouinciarum præsides, Neronis cognomen adiecit. Certè & imagines, statuásque eius reponi passus est: & procuratores, atq; libertos ad eadem officia reuocauit. Nec quicquã priùs pro potestate subscripsit,

* ratione

PHIL. SVccollatus.] in collum militum sublatus. Super hoc verbo plura in quinto Commentario. Strictos.] eductos, euaginatósque. Ad principia.] loca in castris, de quibus iam dictũ est. Quoq;.] quocũque. Propertius:

Vix decimo admittor nunc ego quoque die.

Sensus est: Quocũque obuius fiebat Othoni, perinde illi adhærebat, ac si cũscius foret illius cõiurationis, cùm tamen non esset particeps: sicut Iulius Martialis tribunus, qui stationem in castris agebat, præbuit plerísque suspicionem conscientiæ. Missis qui Galbam, & Pisonẽ trucidarent.] Galbam trucidatũ fuisse multis vulneribus, suprà memorauimus. Piso verò adoptatus à Galba in ædem Vestæ confugerat, latebráq; abditus imminens exitiũ differebat: cùm aduenerunt missi ab Othone Sulpitius Florus, & Statius Marcus, à quibus protractus, in foribus templi trucidatus est. Quod sibi ipsi reliquissent.] Mira Othonis benignitas, qui non tanquam Imperator velit congerere fortunas Imperatorias, sed totius Imperii dominos faciat milites, habiturus id tantũmodo, quod sibi milites tanquã commilitoni habendum reliquissent. Refert Tacitus, Othonẽ id temporis protendisse manum ad singulos, adorasse vulgum, iecisse oscula, & omnia fecisse seruiliter pro dominatione: qui pro vallo castrorũ prætorianorum concionatus est ad cõmilitones. Ita enim blandiùs maluit appellare, quàm milites: qua concione insectatus est Galbę crudelitatẽ, & auaritiam, Pisonísq; adoptionem. Mox aperto armamẽtario, arma statim rapit, eúmque secuti sunt milites, nullo adhortante, cùm sibi quisque dux foret, & instigator. Mox Otho iam Imperator, Galba, Pisoneque trucidatis, promisit militibus se ex fisco suo vacationes annuas exoluturum.

Vergente die.] in vesperam inclinante. Quasi raptus de publico.] Scribit Tacitus, exacto per scelera die nouissimum malorum fuisse lætitiam: tunc Senatum vocat prætor vrbanus, certãt adulationibus cæteri magistratus, accurrũt patres, decernitur Othoni tribunitia potestas, & nomen Augusti, & omnes principum honores. Ipse adhuc cruento foro per stragem iacentium in Capitolium, atque inde in Palatium vectus est, cõcessitque corpora sepulturæ, cremarique permisit. Caput Pisonis Verania vxor redemit ab interfectoribus, condiditque in sepulcro.

Breui oratione.] Imperatoria breuitate vsus.

Ab infima plebe appellatus Nero.] In theatris, authore Plutarcho, Nero salutatus fuit: & cùm quidam Neronis imagines protulisset in propatulũ, non prohibuit: &, vt refert Cor. Tacitus, creditus est Otho de celebranda Neronis memoria agitauisse, spe vulgum alliciendi: & fuere, qui imagines Neronis proponerẽt, atque etiam quibusdam diebus populus & miles Neroni, & Othoni acclamauit. Neronis cognomen adiecit.] Ita videlicet subscribebat, Marcus Otho Nero. Imagines.] Imagines sunt cereæ, & pictæ: statuæ verò æreæ, aut lapideę. Ad eadẽ officia.] Quæ officia habuerãt procuratores, libertíq; Neronis viuente Nerone, ea amiserãt Galba imperante; nunc ab Othone ad pristinam dignitatem reuocantur. Pro potestate.] pro iure maiestatis Imperatoriæ. Subscripsit.] Moris est principũ subscribere libellos, quos probant: in quibus notata summa est expẽdendæ pecuniæ. Otho vt vsquequaque se Neronis amicũ profiteretur, cùm primum potuit ex authoritate Imperatoria subscripsit libellum pecuniæ exoluendæ, ad absoluendam auream domum, quam fecerat Nero. Carinus Imperator fastidium subscribendi tantum habuisse traditur, vt impurum quendam ad subscribendum poneret: quem obiurgabat plerunque, quòd bene suam imitaretur manum. Commodus quoque Imperator adeò negligens, tardúsque fuit in subscribendo, vt libellis vna forma multis subscriberet. In epistolis autem plurimis, Vale, tantùm scriberet. Aliàs subscribere, significat fauere: vnde subscriptores dicti, de quibus alibi plura.

M. AN. OMissa.] reiecta. Est & omittere, penitus relinquere, præterireq;. Terent. in Adelph. Nũc si hoc omittã, actũ agã. Verg. Omissos hinc iam obliuiscere Graios. Succollatus.] militum humeris delatus.

Particeps.] conspirationis.

Id se demum habiturum.] quasi dicat, omnia eorum libidini permissurum.

Ipsi.] milites.

Vergente.] inclinante.

Raptus.] à militibus.

E publico.] è foro, quod plus fuit, quàm si ex priuato in medium productus fuisset.

Gesturus.] administraturus scilicet Imperium.

Recuſantis.] Neronis appellationem repudiãtis. Procuratores,& libertos.] Neronis. Eadem officia.] quæ ſub Nerone obiuerant. Subſcripſit.] ſuũ aſſenſum ſubſcriptione teſtatus eſt.

citus dictus,qui Romanus erat,ſed in Illyrico morabatur: ſicut vrbanicianus,qui erat ad vrbem, quanuis conſtaret ex alienigenis. Videtúrque ita Germanicianus à Germanico differre,ſicut Hiſpanicẽſis ab Hiſpano,& Romanienſis à Romano: quanuis iſta non ſemper ex regula, & ex formula Latinitatis vſurpẽtur.

quàm quingenties ſeſtertiûm ad peragendam auream domum. Dicitur ea nocte per quietem pauefactus,gemitus maximos edidiſſe, repertúſque à concurſantibus humi ante lectum iacens, per omnia piaculorum genera manes Galbæ, à quo deturbari, expellíque ſe viderat, propitiare tentaſſe. Poſtridie quoque in augurando tempeſtate orta grauiter prolapſu,idẽtidẽ obmurmuraſſe:

τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς;

Germaniciani exercitus coniuratio in Othonem. VIII.

Sub idem verò tempus Germanicianus exercitus in Vitellii verba iurauit. Quod vt comperit, author Senatui fuit mittendæ legationis, quæ doceret, electum iam principem, quietem, & concordiam ſuaderet:& tamen per internuntios, ac literas conſortem Imperii, generúmque ſe Vitellio obtulit. Verùm haud dubio bello iam ducibus, & copiis, quas Vitellius præmiſerat,appropinquantibus,animum, fidémque prætorianorum erga ſe penè internecione

PHIL Ea nocte.] quæ proxima fuit poſt Galbæ iugulationem. Concurſantibus.] miniſtris, & aulicis, qui audito gemitu repentè accurrerunt. Itidẽ Silius canit famulos accurrere ſolitos cũ luminibus ad Annibalem in ſomnis bella gerentem.

Piaculorum.] expiationum, procurationũmve.

Manes Galbæ propitiare.] animam Galbę defuncti per ſacrificia placare: ſicut Romulus manes fratris Remi propitiauit. Deturbari.] de lecto deiici. Viderat.] ſcilicet per quietẽ, & in ſomnis. In augurando.] Mos erat principum, vt augurarẽtur, & capta augurio res aggrederentur.

Identidem.] frequenter.

In Vitellii verba iurauit.] Primus Fabius Valẽs è legatis promptiſſimus coloniã Agrippinenſem cum equitibus legionariis ingreſſus Imperatorem Vitelliũ conſalutauit: continuóque ſecutæ ſunt legiones, exercitúſq; ſuperioris Germaniæ, qui ſpecioſis Senatus, populiq; relictis nominibus, atque ſacramento, iurauit in verba Vitellii Imperatoris ſe factorum imperata: & ita appellatus eſt in Germania Vitellius Imperator. Electum iam principem.] videlicet ipſum Othonem electione militari, & Senatus fuiſſe principem creatum. Conſortẽ Imperii.] Tradit Plutarchus, Othonem ſcripſiſſe Vitellio pollicentem ei,ſi quieſceret, ſe daturum grandes pecunias,& vrbem, vbi vitam victurus eſſet quietiſſimam, & iucundiſſimam. Ducibus,& copiis.] Duces copiarũ Vitellianarum duo in primis fuerunt, Fabius Valens, & Aulus Cecinna. Triginta millia armatorum ex ſuperiore Germania ducebat Cecinna: qui in Italiam deſcendit verſicolori ſagulo,& braccis, quod barbaricum tegmen eſt, indutus: Fabius verò Valens per alpes Cottias irrupit in Italiam ad quadraginta millia armatorum ſecum ducens.

Pene internecione quaſi excidio.

Τί γάρ μοι καὶ μακροῖς ἀσύλοις;] Id eſt, Quid enim mihi, & longis aſilis? Eſt autem aſilus veſpæ genus, vulgò tabanus vocatur. Græci œſtrũ vocant: de quo cecinit poeta in 3. Georgicorum:

Plurimus alburnum volitans,cui nomen aſilo:
Romanum eſt, œſtrum Graii vertere vocantes.

Plinius in 11. Aculeus,inquit,quibuſdam in ore eſt,vt aſilo:ſiue tabanũ dici placet. Videtur autẽ Otho ideo murmurãs dixiſſe,quid mihi & longis aſilis? vt oſtenderet ſibi ominoſum fuiſſe augurãti,beſtiolas id genus volitantes augurium obturbaſſe. Sed cùm aſilus Latinum nomen ſit, œſtrũ verò Græcum, non video quomodo Græcè pronuntiauerit Latinã dictionem:& cùm vbique per y pſilon ſcriptum ſit, videtur potiùs ad aſylum locũ eſſe referendum, tanquam dixerit Otho:quid mihi & longis aſylis commune eſt? tanquã dicere vellet,nullum ſibi paratum eſſe ſuffugium,qualia aſyla ſunt,ad quod confugiens euadere poſſit:nimirũ ſignificari volẽs ſibi in Imperio aut viuendum eſſe,aut moriendum. Verùm re diligenter animaduerſa haud dubiè legendum eſt, *Τί γάρ με δεῖ μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν*; hoc eſt, Quid enim me oportet longis tibiis canere? Quam lectionem vt approbem, facit Dion Græcus ſcriptor,qui ſcribit quòd Othoni poſt cædem Galbæ ſacrificiũ facienti ſacra importuna viſa ſunt, vt pòſt pœnitentia ductus hæc dixerit, *Τί γάρ με δεῖ μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν;* Hoc autem ad prouerbium tendit aduerſus facientes ſibi inutilia,& præpoſtera. Germanici exercitus.] Syncerus codex habet Germanicianus exercitus: & ita legendum eſt. Dicitur enim Germanicianus, qui in Germania eſt, quanuis Romanus ſit: ſicut Illyricianus exer-

Quingenties ſeſtertiûm.] Ex publico intelligere- M. AN rogandum.

Auream domum.] quam Nero magna ex parte ornarat. Ea nocte.] quæ proxime Galbæ cædem ſecuta eſt. Propitiare.] ſacrificiis placare.

In augurando.] quum auguria captaret. Murmuraſſe.] murmura edidiſſe.

Germanici exercitus.] nõ Germanicus, vt quidã codices habẽt. Tacitus author eſt, duos ſuperioris Germaniæ,& inferioris exercitus eodem ferme tempore in Vitellii verba iuraſſe. Doceret.] Vitellium. Per internuntios.] peculiares, non publicè miſſos. Haud dubio bello.] eminenti. Ducibus.] Tacitus, Cecinnam cum triginta millibus hominum ad occupandas Alpes à Vitellio deſtinatum ſcribit: cui Plutarchus adſtipulatur. Cæterùm Fabiũ Valentẽ ad ſolicitandas Gallias miſſum, ac per Cottianas alpes in Italiam irrumpere iuſſum. Nec obiter illud pigeat admonere, apud Tacitũ mendoſe cotidianas legi pro Cottianas.

Ampliſ

amplissimi ordinis expertus eſt: & placuerat per claſſiarios arma transferri, remittíque nauibus. Ea quum in caſtris ſub noctem promerentur, inſidias quidam ſuſpicati tumultum excitauerunt, ac repentè omnes, nullo certo duce, in Palatium cucurrerunt, cædem Senatus flagitantes, repulſiſque Tribunorum, qui inhibere tentabant, nonnullis, & occiſis, ſicut erant cruenti, vbinam Imperator eſſet requirentes, proruperunt in triclinium vſque, nec niſi viſo deſtiterunt. Expeditionem autem impigrè, atque etiam præproperè inchoauit, nulla ne religionum quidem cura, ſed & motis, necdum conditis ancilibus, quòd antiquitus infauſtū haberetur, & die, quo cultores deûm matris lamentari, & plangere incipiunt: prætereà aduerſiſſimis auſpiciis: Nam & victimas

PHIL. Ampliſſimi ordinis.] ſcilicet Senatoril. Hiſtoria hæc eſt: Otho Criſpinum miſit, qui acciret ſeptimamdecimam cohortem e colonia Hoſtienſi in vrbē Romam: qui cum iuſſa exequens iuberet vehicula armis onerari, incipiente nocte, aperto armamentario audaciſſimi milites fremere cœperūt, clamantes veniſſe Criſpinū, Senatūq; res nouas tentare, arma contra Cæſarem, nō pro Cæſare capi. Quo ſermone vulgato alii currus occuparūt, alii ipſum Criſpinū cum duobus centurionibus obtruncarunt: omnes verò raptis armis, nudatis gladiis inſtructi Romam venerūt, tanquam laturi ſuppetias Othoni periclitanti, apud quē id temporis cœnabant circiter octoginta Senatores, fœminæq; primores. Illi hāc occaſionem exiſtimantes idoneā interimendi Senatores, tanquam Cæſaris inimicos, tumultuabātur. Othonem Anxietas cepit, haud ſecus diſcrimine Senatus, quàm ſuo territum. Vnde præfectos miſit ad mitigandas militum iras, ſimúlque Senatores ad cœnam vocatos ſurgere è conuiuio iubens per poſticum emiſit. Tunc magiſtratus proiectis inſignibus, ſenes, fœminæq; per tenebras diuerſa latibula petiuerunt, vixque effugere potuerunt, cùm iam milites impetu concitati irrumperent in cœnaculū, oſtendi ſibi Othonem poſtulantes. Tūc erectus Otho, qui diſcumbebat, lacrymis, & precibus ægrè cohibuit furorē militum: qui in caſtra rediere inuiti, neque innocentes. Poſtridie verò eius diei largitione vſus eſt, numeratáque ſunt ſingulis militibus quina millia nummûm.
A. M Ipſe Otho laudauit Prætorianos milites, quòd beneuoli in ſe, alacréſq; fuiſſent: poſtulauitq; tēperamentū militaris fortitudinis, & erga ſe charitatis modū. Per claſſiarios.] milites nauales: de quibus ſuprà diximus. Arma trāsferri.] Huic negotio præfecerat Criſpinū, vt arma transferrentur in naues, eſſetq; claſſis inſtructa. Sub noctē.] Nocte incipiente, circa noctē. ſic enim exponit Seruius enarrans illud Vergilianum, Sub noctē cura recurſat. Cùm enim tempus ſignificatur, hęc prępoſitio ſub, accuſatiuo cohęret. Ita apud Horatiū: Sub galli cantū cōſultor vbi oſtia pulſat. Promerētur.] educerentur ex armamētario. Vnde promus dictus, qui præeſt promendis è cellario cibariis, Plautus: Sum promus cōdus, procurator peni. Inſidias ſuſpicati.] Ait Cor. Tacitus, nocturnum tempus in ſuſpicionem, cauſam in crimen eualuiſſe, ita vt milites fremerent, arguentes proditionis tribunos, centurionéſque: tanquam familiæ Senatorum ad perniciem Othonis armarentur. Nonnullis occiſis.] Reſiſtentem ſeditioni tribunum, & ſeueriſſimos centurionum obtruncauerunt, vrbem, Palatiúmque petentes: quorum impetus ne ipſis quidem Palatii foribus coerceri potuit, quò minus conuiuium irrumperent: vbi vulnerati ſunt Iulius Martialis tribunus, & Vitellius Saturninus præfectus legionis: tandem viſo Othone coercitus eſt furor.

Lamētari.] Cōſimiliter Adonia ſacra celebrabātur, in quibus vlulabiles vndiq; planctus, & lugubris ſonus audiebatur. Adoniorum mentio fit in Ezechiele.

In triclinium.] in cœnationem: vbi cum octoginta Senatoribus epulabatur, fœminiſq; primariis.

Niſi viſo.] Othone Imperatore, qui in toro recumbebat.

Præproperè.] nimis feſtinanter.

Motis, necdum cōditis ancilibus.] Huius rei meminit Tacitus his verbis: Fuere qui proficiſcenti Othoni moras, religionéq; nondum conditorum anciliorum ſcutum, vel arma cæleſtia afferrent: aſpernatus eſt omnem contationem, vt Neroni quoque exitioſam. Erat enim infauſtū inchoare expeditionem illis diebus, quibus ancilia ex ſacrario mota à tripudiantibus Saliis in honorē Martis geſtarētur: & tātiſper expectādum credebatur, donec finita Saliari feſtiuitate intra ſacrariū cōderētur. Fiebat autē ſolēnis hic ſaltatus Saliorū ancilia geſtātiū in mēſe Martio: ſicut Hiſtorici, & poetæ prodiderunt. De ancilibus plura aliâs.

Die.] Hic erat mēſis Martii: tūc enim Galli ſacerdotes Cybeles, quæ mater deū nūcupatur, fanatici lamētabātur: ſimulacrūq; deæ laudabāt in Almone fluuio: quæ nō ſacra, ſed ſacrilegia: nō lauationē, ſed inquinationē appellat Auguſtinus in ſecūdo de ciuitate Dei. Celebrabātur autē pōpę annales matri deorū Romæ ad ſextū Calēdas Apriles, vt docet Ammianus Marcellinus: & carpētū, in quo vehitur ſimulacrū Cybeles, Almonis vndis abluebatur ex ſolēnitate ſacrificali. Ouidius tamē in Faſtis feſta matris deū celebrari ſolita autumat nō Martio mēſe, ſed Aprili. Poſſumus intelligere duplicē fuiſſe Cybeles feſtiuitatē, alterā Martio, alterā Aprili celebrari ſolitā. Quòd autē Martii fuerit hoc tēpus, quo Otho ab vrbe profectus eſt cōtra Vitelliū, ſatis cōſtat teſtimonio Cor. Taciti, & argumēto anciliorum, quæ Martio menſe peculiariter à Saliis ſolenni ſaltu circunferebantur.

M. A N. Ampliſſimi ordinis.] id eſt Senatus: octogīta enim Senatores, vt Plutarchus ait, qui ea nocte cū eo cœnabant, niſi auerſa parte Palatii clandeſtinè dimiſſi fuiſſent, vel inuito Othone à militibus triclinium irrumpentibus obtruncati eſſent. Per claſſiarios.] Plutarchus ait, Criſpinum ad negotiū quoddam cum ſeptima cohorte miſſum, à militibus, qui inſidias ſuſpicati ſunt, cum duobus centurionibus cæſum.

Nulla religionū cura.] nulla religioſi, aut infauſti diei ratione habita. Ancilibus motis.] geſtari cœptis. De ancilibus, & tēpore, quò geſtarētur, Ouid. ſtatim in principio tertii Faſtorū abūde multa. Cæterùm Liuius, Diony. Plutarc. & ipſi omnino aliqua. Cōdita.] ſuo ſacrario repoſita. Cultores.] Galli ſacerdotes.

Deûm

Diti patri cæsas litauit, quum tali sacrificio contraria exta potiora sint. Et primo egressu inundationibus Tyberis retardatus, ad vicesimum etiam lapidem ruina ædificiorum præclusam viam offendit.

Congressio Othonis cum exercitu Vitellij. IX.

SImili temeritate, quanuis dubium nemini esset quin trahi bellum oporteret, quãdo & fame, & angustiis locorum vrgeretur hostis, quàm primùm tamen decertare statuit: siue impatiens longioris solicitudinis, sperãsq; ante Vitellii aduentũ profligari plurimũ posse: siue impar militum ardori pugnam deposcentium. Nec illi pugnæ affuit, substititque Bryxelli. Et tribus quidem, verùm mediocribus, prælijs

Deûm matris.] Cybeles. Lamentari, & plangere.] Martialis: Aera Celænæos lugentia matris amores, Esuriens Gallus vendere sæpe solet. Solebant enim planctu, & lamentatione Galli sacerdotes ad Almonem vsque fluuium eius simulacrum comitari. Ouidius, Papinius in Syluis, Lactantius, & Aurelius Augustinus vanæ illius superstitionis meminerunt.

PHIL. DIti patri victimas litauit.] Sicut felix, & faustũ est litare diis superis, ita infelix & infaustũ litare Plutoni. Nam qui placat Plutonem cæsa victima, se charum esse diis infernis cognoscit: qui verò nõ litat Plutoni, prosperũ auspicium consequitur, tanquam sit victurus, nec ad Plutonias sedes per mortẽ trãsiturus. Otho dum litat Diti patri, hoc est Plutoni, præsagiũ capit futuræ mortis, tanquam in Orci, Proserpinæq; familia numeratus. Dis autẽ deus inferorũ est, quia diues, cùm omnia recidant in terras, & oriatur ex terris: vt interpretatur M. Tullius in secundo de Natura deorum. Sic etiã apud Græcos appellatur πλούτων, à quibus diuitiæ dicuntur πλοῦτος. Πλούτων autem, id est diuitiarum dator, est Pluton vt scribit Plato in Cratyllo. Dicitur autem iuncto vocabulo Dis pater, sicut Neptunus pater, Saturnus pater, Ianus pater coniuncte dicuntur, & Mars pater, hoc est Marspiter, & integro vocabulo, Iouis pater, quod nunc elisis, aut immutatis quibusdam literis, Iupiter appellatur. Scribit Cicero in Oratore, quòd antiquitus Diuis vocabatur, qui nunc dicitur Dis, postquàm placuit nomina cõtrahere. Inundationibus Tyberis retardatus.] Inter cætera prodigia præcipuo pauore affecit subita Tyberis inundatio, quæ immẽso auctu rupto põte Sublicio nõ modò plana vrbis loca inũdauit, sed secura ab huiusmodi casu impleuit. Rapti sunt e publico pleriq;, plures in tabernis, & in cubilibus intercepti: Plutarchus, & Tacitus authores. Lapidem.] milliarium. Præclusam viam.] Paranti expeditionem Othoni campus Martius, & via Flaminia iter belli obstructũ vertebatur in omen imminentium cladium. Trahi.] procrastinari, & in longũ duci. Quàm primùm decertare statuit.] Cor. Tacitus in hanc sentẽtiã ait: Otho increpita ducũ segnitia, rem in discrimen mitti iubebat, æger mora, & spei impatiens. Hoc tamen non fiebat ab Othone ex præcepto disciplinæ militaris, quæ præcipit, publicum cõflictum esse vitandum, nisi occasio inuitet, aut necessitas vrgeat; ideóq; Aemyliũ Paulum dicere solitũ ferunt, signis collatis bonũ Imperatorem decertare nõ debere, nisi summa necessitudo, aut summa ei occasio data esset. Ante Vitellii aduentum profligari.] Vitellius, vt suprà dictũ est, præmiserat in Italiam cum copiis militaribus duos duces, Fabium Valentẽ, atque Cecinnam: vnde sperabat Otho magnam partem belli profligari posse aduersus Cecinnam, atque Valentem ante quàm ipse Vitellius aduẽtasset. Profligare autẽ, vt docet Gellius in XIIII. Noctium Atticarum, significat ad perniciẽ, interitúmq; deducere, atque deperdere. Profligatásque res quasi proflictas, & perditas appellamus. In alio significatu profligata dixerunt absoluta, & effecta: quod quanuis damnetur à Gellio, tamen repudiandum nõ est: cùm & Latinæ linguæ parẽs M. Tullius profligatum dixerit pro absoluto, & pene confecto. Sic enim ait in V. quæstione Tusculana: Atque si ita est, profligata iam hæc, & pene ad exitum deducta quæstio est. Cor. Tacitus dixit: Profligauerat bellum cum Iudæis Vespasianus. pro eo, quòd est, confecerat, & penè ad exitũ deduxerat. Sic & bellum profligatum identidẽ vsurpatur ab Historicis. Substitit Bryxelli.] Plutarchus in Othone ait: Ipse igitur Bryxelli, quę vrbs Italiæ circa Padũ sita est, subsistens, copiarum duces emisit: tum Marium Celsum, Suetoniúmq; Paulinũ, tum etiam Galliũ, & Spurinã, claros quidem viros, sed qui in rebus agẽdis minus potuerint, vt instituerant, vti cogitatibus suis, propter inobedientiam, audaciámque militum.

Tribus præliis.] Paulus Orosius in hanc sententiam sic scribit de Othone loquens: Bellum ciuile molitus tribus primùm leuibus præliis, hoc est, vno apud Alpes, alio circa Placentiam, tertio circa locum, quem Castoris vocant, contra Vitellianos duces congressus, victor extitisset, quarto apud Bebriacum prælio cùm animaduertisset suos vinci, sese interfecit.

DIti patri.] Plutoni, cui ara in campo Martiu fuit. M. AN.

Contraria.] non litantia.

Potiora sint.] meliora portendant.

Inundatione Tyberis.] Plutarchus & Tyberim inundasse ait, & C. Cæsaris statuam sua sponte conuersam ad ortum Solis: habenas ex signo Victoriæ in Capitolio excidisse.

Aedificiorũ.] quæ casu prolapsa viã occluserãt.

Trahi bellum oportere.] nullam hostibus fieri pugnandi copiam.

Profligari.] confici. Liuius: Mitterent ad collegam, qui iam bellum profligatum haberet. Vtitur ille hoc verbo sæpius: quò magis mireris Gellium, vt nouum, & parum vsitatum non probare.

Impar.] non tanti, vt militibus poscentibus pugnam posses obsistere.

Illi.] quæ primò commissa est. Bryxelli.] Est id oppidum Cisalpinæ Galliæ circa Padum.

Tribus præliis.] Vno præter Placentiæ mœnia: altero inter Cremonam, & Placentiam: tertio in cãpis Bebriaci. Duobus superioribus ab Othonianis prosperè depugnatis, vltimo euentu pene dubio, quũ ab initio hostem fudissent, inde ipsi victi sunt.

Apud

apud Alpes, circáque Placentiam, & ad Castoris, quod loco nomen est, vicit: nouissimo, maximóq; apud Bebriacum fraude superatus est, quum spe colloquii facta, quasi ad conditionem pacis militibus eductis, ex improuiso, atque in ipsa consalutatione dimicandum fuisset: ac statim moriendi impetum cepit, vt multi, nec frustrà, opinantur, magis pudore, ne tanto rerum, hominúmque periculo dominationē sibi asserere perseueraret, quàm desperatione vlla, aut diffidentia copiarū; quippe residuis, integrísq; etiā nūc, quas secū ad secundos casus detinuerat, & superueniētibus aliis è Dalmatia, Pannoniáque, & Mœsia, ne victis quidem adeò afflictis, vt non in vltionem

PHIL. Apud Alpes.] Maritimas Alpes tenebat Marius, qui arcere Othonianos intendit: sed primo impetu cæsi sunt, disiectique montani, iritatique eo prælio Othoniani milites verterunt iras in municipium Albintemelium, cùm in acie nihil prædæ cepissent. Circa Placentiam.] Spurinna dux Othonianus Placentiā obtinebat, quam Cecinna Vitellianus oppugnare contendit: vnde exorto certamine, quam temere ceperat, traiecto rursus Pado Cremonam petiit. In hoc apud Placentiam certamine pulcherrimum amphitheatri opus situm extra muros conflagrauit. Et ad Castoris.] Cor. Tacitus ad duodecimum à Cremona lapidem locum esse ait, quem ipse nō Castoris vocat, sed castrorum, vbi Vitelliani à Suetonio Paulino, & Mario Celso ducibus Othonianis in insidias præcipitati sunt: constátque deleri potuisse Cecinnā cū vniuerso exercitu Vitelliano, nisi Suetonius Paulinus receptui cecinisset. Nouissimo, maximóq.] Hoc quartum prælium est, quo Othoniani profligati fuerunt, non tam virtute hostium, quàm fraude. Apud Bebriacum.] Inter Veronam, Cremonámque situs est vicus Bebriaci, quem Cor. Tacitus ait duabus Romanis cladibus notum, infaustúmq; esse. Plutarchus, Bebriacum, inquit, oppidū est prope Cremonam: quò cùm Otho venisset, de pugna consultauit. De hoc Iuuenalis:

Bebriaci in campo spolium affectare palati.

Cùm spe colloquii facta.] Dum Othoniani in procinctu sunt ad certamen ineundum, rumor dispersus est, Vitellianū exercitum desciuisse à Vitellio: quapropter omisso pugnæ ardore Othoniani vltro Vitellianos salutauerunt, commilitonésque appellauerunt. Fecit hæc res metum proditionis apud ignaros plerosque, quæ causa salutandi fuisset: tunc incubuit hostium acies robore & numero præstantior. Othoniani, quanquàm dispersi, ac pauciores forent, tamen prælium acriter sumpserunt: cōminus, eminúsque viritim concurrebatur: tandem victoria fuit penes Vitellianos: Othoniani victi passim fugere cœperunt.

Consultatione.] Corrige cōsalutatione: dū enim Othoniani consalutant Vitellianos, & commilitones appellant, tunc Vitelliani acriter incubuerunt, inuaserúntque Othonianos.

Statim.] audita suorum strage, cùm profugi è prælio perditas res patefecissent: non enim interfuit ipse certamini.

Magis pudore.] Huic opinioni adstipulatur Plutarchus scribens, Othonem ante quàm mortem sibi conscisceret, dixisse ad commilitones: Victoriæ ciuilis bonum, patriæ malum est: mihi credite, mori malo, quàm imperare. Haud enim video cui tanto emolumento Romanis futurus sim, vbi vicero, quantò si me ipsum dedero pro pace, atque concordia, & ne rursus talem diem videat Italia.

Quippe residuis, integrisque.] Cum Othone Bebriaci remanserat magna militum copia adhuc integra, & intacta clade. Cor. Tacitus: Prætorianus miles non virtute se, sed proditione victum fremebat: superesse adhuc cum ipso Othone quid militum trans Padum foret: venire Mœsicas legiones, magnā exercitus partem Bebriaci remansisse: hos certè nondum victos: & si ita ferrent, honestius in acie perituros.

Ad secundos casus.] Noluit Otho primo discrimini, casuque belli committere copias omnes, sed partem militum sibi reseruauerat ad formam bellicam, casúmque secundo tentandum, si primo conflictu fuisset profligatus.

E Dalmatia, Pānonia, & Mœsia.] Plotius Firmus prætorii præfectus dum orat Othonem ne aduersæ fortunæ succumbat, præmissi è Mœsia nunciabant exercitus aduentare, legionésque iam iter ingressas. Et ipse Otho antè, quàm semet ipsum interimeret, palàm dixit: Scio victoriam esse hostibus neque firmam, neque validam: annūciatur nostras e Mœsia vires nō procul abesse: Asia, & Syria, & Aegyptus, & qui cū Iudæis bellum gerunt, nobiscum sunt: Senatus, & hostiū filii, atq; vxores penes nos sunt. Præterea, vt Plutarchus ait, multi nunciabant Pānonios, & Dalmaticos, & Mœsiæ exercitus Imperatorem Othonem elegisse. Appellatur autē Mœsia prouincia, quæ iungitur Pānoniæ, ad Pontum vsq; cum Danubio concurrens. In ea sunt Dardani, Mœsi, & Tribali, Pontóque contermini Scythæ. Ne victis quidem adeò afflictis.] Cùm victæ Othonis copiæ nō ita ex clade afflictæ essent, vt nequirēt caput releuare. Militum ardor, vt ait Tacitus, bonum habere animum iubebat Othonē, adhuc nouas vires, & ipsos extrema passuros, ausurósque: flagrabant ire in aciem furore quodam, & instinctu: genua Othonis prænsantes, precabantúrne ipsos desereret, neve hostibus proderet.

M. AN. Castoris.] Locus inter Cremonam, & Placentiā: vbi altero ab Othonianis prælio prospere fuerat pugnatum. Bebriacum.] Est id oppidū in Cremonensi agro. Cùm spe colloquii.] Plutarchus author est, Othonianos prima acie stantes amicè à Vitellianis compellatos, ac quodam modo ortam inter milites colloquii quandam speciem: quo accidit, vt duæ tantùm legiones eo die conflixerint: Vitellii vna, quæ rapax dicebatur: & Othonis altera, quæ auxiliatrix. Residuis.] copiis.

Ad secundos casus.] magis necessarios. Sūt enim secundi casus, qui pendēt ex necessitate, quā primus casus nobis imposuit. E Dalmatia, Pānonia, & Mœsia.] Plutarchus: Alii Pānonios, Dalmaticos, & Mœsiæ exercitus vnà cū ducibus Othonē elegisse nūtiabāt. Ne victis quidē copiis.] ipsis superueniētibus.

Quiduis

ignominiæ quiduis discriminis vltro, & vel solæ subirent.

Detestatio eius bellorum ciuilium. X.

INterfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiædecimæ legionis tribunus Augusticlauius. Is mox referre crebrò solebat, Othonem etiam priuatum vsqueadeo detestatum ciuilia bella, vt memorante quodam inter epulas de Cassii Brutique exitu, cohorruerit: nec concursurũ cum Galba fuisse, nisi confideret sine bello rem transigi posse. Tunc ad despiciendam vitam exemplo manipularis militis concitatum, qui quum cladem exercitus nuntiaret, nec cuiquam fidem faceret, ac nunc mendacii, nunc timoris, quasi fugisset ac acie, argueretur, gladio ante pedes eius incubuerit: hoc viso proclamasse eum aiebat, non ampliùs se in periculum tales, támque bene meritos coniecturum.

PHIL. QVidius discriminis.] quodcunque periculum. Vel solæ.] sine auxilio earũ copiarum, quæ integræ erant, nec interfuerunt prælio Bebriacensi.

Suetonius Lenis.] Pater cognominatus est Lenis, cùm filius dictus sit Trãquillus cognomento consimili. Nolim existimes, hunc esse Suetonium Paulinum, inter duces Othonianos clarissimum, quo contatore natura fuisse memorat Tacitus. Ille enim fuit dux copiarum, cùm pater Tranquilli fuerit Tribunus. Tribuni autem obtemperant legato, qui sub imperio ducis est. Augusticlauius.] Nomen est officii: sed cuius, ambigitur. Ego existimo clauium à Tranquillo appellari patrem suum, ab eo quòd præfectus fuerit donariuo Imperatorio inter milites dispartiendo: &, vt pedibus vadam in hanc sententiam, suadet authoritas Cor. Taciti, qui scribit, clauarium donariui nomen esse. Verba Taciti hæc sunt ad hanc sententiam pertinentia: Seditiosæ militum voces terrebant, clauarium (donatiui nomen est) flagitantiũ: nec pecuniam aut frumentum prouiderant, & festinatio, atque auiditas præpediebant. Possumus etiam non ineptè Augusticlauiũ interpretari Senatorem ab Imperatore factum. Nam quemadmodũ latus clauus dicitur vestis Senatoria, ita & clauus dici potest: quod probat Nasonis carmẽ:

Curia restabat, claui mensura coacta est.

vbi clauus haud dubiè Senatoria dignitas nuncupatur. Igitur nil prohibet ita à clauo clauium inclinare, & accipere pro Senatore, quemadmodum à lato clauo laticlauius Senator nuncupatur. Prior sententia magis placet: nanque & apud Marcellinum mentio fit de eo, qui præpositus erat largitionibus Imperatoris, quem vocat comitem largitionum. Qui à clauo, vel claue hoc nomen putant inclinari, tanquam clauẽ Imperatoris præferret, vel clauibus præesset, falli videntur: cùm tale officium sit sordidissimum: nec Tranquillus sordibus paternis fuisset gloriatus. Dehonestamenta enim patris haud dubiè maluisset dissimulare, quàm prædicare. Tales autem clauicularios dici voluerunt: quos nasci existimat Maternus, si Luna se cum Sole, Mercurio, Saturno, & Marte aliqua radiatione coniunxerit. A clauicula, quæ virgam significat, & clauem, clauicularius dictus: sed in his, & fermè in omnibus opus est acerrimo iudicio, quo nihil est in eruditione præstantius. Detestatum ciuilia bella.] Verba Othonis ad hanc sententiam pertinentia sunt hæc apud Plutarchum: Sed neque aduersus Annibalem, neque aduersus Pyrrhum, neque aduersus Cimbros bellum est pro Italia, sed cum Romanis bellum gerentes, ambo patriam, & vincentes, & victi iniuria afficimus: etiam victoriæ bonum, patriæ malum est.

Detestatum.] execratum. Cassii, Brutique exitu.] Qualis fuerit exitus Bruti, & Cassii tyrannicidarum, Plutarchus, & Appianus, cæterique Historici prodiderunt: & nos suprà memorauimus.

Corruerit.] subitaria consternatione, ceciderit; vel cohorruerit, horrore subito fuerit implicitus, tanquã à cohorresco dictũ sit. Tunc.] post cladẽ Bebriacẽsem. Despiciẽdam.] contemnendam. Concitatum.] Zeugma est à superiori. Repetẽdum enim est, pater referre solebat. Exemplo manipularis militis.] Scribit Plutarchus, vnum ex obscurioribus militibus sustulisse ensem: qui cùm dixisset, Scito Cæsar sic omnes esse pro te instructos; se ipsum iugulauit. Nunc mendacii argueretur.] accusaretur, culpaletúrque, quòd mendax nuntius foret, & fraudulentus: cùm nuntius non vanidicus esse debeat, sed veridicus. Propertius:

Omnis enim debet sine vano nuntius esse.

Aiebat.] scilicet pater meus.

Non ampliùs se in periculum.] Ait Otho apud Tacitum: Hunc animum, virtutem vestram hanc vltro periculis obiicere, nimis grande meæ vitæ pretium puto. Addit Plutarchus, Othonem dixisse: O commilitones, hunc diem illo duco beatiorem, quo me fecistis Imperatorem, cùm vos tales intueor, & talibus sum dignus existimatus.

VEl solæ.] siue iis etiam, quæ in Italia circa Othonem erant.

Pater meus Suetonius.] Suetonii Paulini Plutarchus in Othone sæpe meminit, eiusdem & Tacitus: sed Paulinum, non Lenem, vt quidam tradunt, cognominauit: quare vide ne diuersus hic ab eo fuerit.

Clauius.] Officii nomen: sed à claue, an à clauo, in dubium venire potest.

Augusti.] Si ad Octauium Augustum id referas, ætas vix competet, vt sub Othone tribunus adhuc esset: vel si ita accidit, certè iam grandem natu tunc esse oportuit.

Priuatum.] nõdum Imperatorem. Corruerit.] repentè conciderit atrocissimæ rei admonitus. Nec cõcursurũ.] pater, repete, solebat referre. Cũ Galba.] cui Imperium, & vitam ademerat. Transigi.] confici.

Quasi fugisset ex acie, argueretur.] velut desertor, ignauiæ, & pauoris corriperetur. Plutarchus ait inter hortationes militum, ex obscurioribus quendã sustulisse ensem, ac dixisse, Scito Cæsar sic esse omnes pro te instructos, seque ipsum iugulauit.

Frattem

Fratrem igitur, fratrísque filium, & singulos amicorum cohortatus, vt sibi quisque pro facultate consuleret, ab amplexu, & osculo suo dimisit omnes: secretóque captato binos codicillos exarauit ad sororem consolatorios: sed ad Messalinam Neronis, quam matrimonio destinauerat, commendans reliquias suas, & memoriam. Quicquid deinde epistolarum erat, ne cui periculo, aut noxæ apud victorem forent, concremauit. Diuisit & pecunias domesticis ex copia præsenti.

Mors eius, atque funus. XI.



Atque ita paratus, intentúsque iam morti, tumultu inter moras exorto, vt eos, qui discedere, & abire cœptabant, corripi quasi desertores, detinerique sensit: Adiiciamus, inquit, vitæ & hanc noctem: His ipsis, totidemque verbis. Vetuitque vim cuiquam fieri: & in serum vsque patente cubiculo, si quis adire vellet, potestatem sui præbuit. Post hæc sedata siti gelidæ aquæ potione, arripuit duos pugiones, & explorata vtriusque acie, quum alterum puluino subdidisset, foribus adapertis arctissimo somno quieuit. Et circa lucem demum expergefactus,

PHIL. Fratrem.] Saluium Titianum: cui profectus ab vrbe curã Imperii permisit. Penes eundẽ voluit esse honorem militaris Imperii, qui ex clade Bebriacensi effugit, vsus beneficio noctis.

Fratrísque filium.] Plutarchus: Accersitum fratris filiũ Cocceium adhuc adolescentem, vt auderet, neque timeret Vitellium, est hortatus: & vt matrem, & domũ, & vxorem ipse tãquam proprios curans tueretur. Tacitus eum vocat Saluium Cocceianum, quem ait prima iuuenta trepidum fuisse: quem Otho mouuit vt erecto animo capesseret vitã, neu patruum suum Othonem fuisse aut obliuisceretur vnquam, aut nimiùm meminisset.

Dimisit omnes.] Ait Tacitus, iussisse Othonem dari naues, ac vehicula amicis abeuntibus, pecuniasque distribuisse: ita dimotis omnibus paulùm requieuit.

Codicillos.] tabellas pugillares: de quibus satis suprà.

Exarauit.] scripsit. Qui enim stylo scribit in codicillis, is quasi sulcos instar aratoris ducere videtur. M. Tullius in epistola ad Cornificium: Hæc, cùm essem in Senatu, exaraui.

Sororem.] quæ nupserat Druso Germanici filio.

Ad Messalinam Neronis.] scilicet exarauit codicillos commendatitios. In Nerone traditum est, quemadmodum Statiliam Messalinam habuit vxorem, qua vt potiretur, virum eius Vestinum Consulem trucidauit.

Quicquid epistolarum erat.] Cornelius Tacitus: Libellos, epistolásque studio erga se, aut in Vitellium contumeliis insignes abolet.

Noxæ.] damno. aliâs culpæ.

Apud victorem.] Vitellium.

Ex copia præsenti.] Plutarchus refert, Othonem ad loculos accessisse, vocatísque domesticis pecunias suas distribuisse: huic plures, alii pauciores, non tanquam de alienis prodigum, sed pro dignitate cuiusque moderatè, diligentérque dispertientem.

Tumultu exorto.] Dimotis omnibus cùm paululùm requiesceret, supremásque iam curas animo volutaret, repentino tumultu auersus est, nuntiata consternatione, ac licentia militum, qui Senatoribus abeuntibus exitium minitabantur, si abscessissent Imperatorem deserentes, & non mansissent, fore vt eos iugularent. Igitur Otho viris illis metuens, venit in conspectum militum, increpitisque seditionis authoribus vacauit abeuntium alloquiis, donec omnes inuiolati digrederentur.

Corripi.] à militibus.

Quasi desertores.] tanquam Imperatorem Othonem abitu suo desererent.

His ipsis verbis.] Sunt enim illa Othonis verba: Adiiciamus vitæ & hanc noctem.

In serum.] in serotinũ diei iam vesperascentis.

Sedata siti.] Tacitus: Vesperascente die sitim haustu gelidæ aquæ sedauit.

Explorata acie.] prætentato mucrone vtriusq; pugionis, vt eo vteretur, qui magis foret penetrabilis, & cuspidatus.

Puluino subdidisset.] Tacitus: Tumallaris pugionibus, cùm vtrunq; pertentasset, alterũ capiti subdidit: noctem quietam, vtq; affirmauit, non insomnem egit.

Adopertis.] clausis. Quod si legas, adapertis, significabitur patefactis, tanquam patente cubiculo quieuerit.

Arctissimo.] profundo, & alto somno, ita vt cubicularii sentirent illum grauiter dormientem.

M. A N. Fratrem.] Saluium Titianum. Tacitus, Saluius, inquit, Titianus Othonis frater nullum discrimẽ adiit.

Fratris filium.] Cocceium hunc Plutarchus nominat: Fratris, ait, filium Cocceium adhuc adolescentem.

Dimisit.] abire iussit.

Binos codicillos.] binas literas, libellos, epistolas.

Consolatorios.] consolationem de morte sua continentes.

Messalinam Neronis.] quæ fuerat Neronis vxor. Sic Maro:

Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia seruas.

Nero nouissimam omnium Statiliam Messalinam duxit vxorem, quam Poppeæ superduxit: Tacitus, & Tranquillus sunt authores.

Victorem.] Vitellium.

Ex copia præsenti.] quæ tunc aderat.

Corripi.] à militibus.

Vim cuiquam fieri.] id est, quenquam vi retrahi, aut inuitum detineri.

Explorata.] tentata.

Adapertis.] patentibus.

vno se traiecit ictu infra læuam papillam. Irrumpentibusque ad primum gemitum, modò celans, modò detegens plagam exanimatus est: & celeriter apud Veliternam (ita præceperat) funeratus trigesimo & octauo ætatis anno, & nonagesimo & quinto Imperii die.

Statura, & cultus corporis eius. XII.

TAnto Othonis animo nequaquã corpus, aut habitus competiit. Fuisse enim traditur & modicæ staturæ, & malè pedatus, caluúsque: munditiarum verò penè muliebrium.

PHIL. VNo se traiecit ictu.] Ait Tacitus, luce prima Othonẽ in ferrum pectore incubuisse. Prius tamẽ, authore Plutarcho, libertũ vocauit, imperans vt inquireret quid Senatores agerent: & cũ accepisset, eos incolumes abiisse: Vade igitur, inquit, & tu, téq; ipsum ostende militibus, si nõ vis ab ipsis trucidari, tanquam meæ mortis adiutor. Illo autẽ egresso incubuit pugioni, quẽ ambabus manibus firmũ tenebat: & cũ corruisset, semel tantùm suspirauit. Ad gemitũ morientis ingressi liberti, serui; & Plotius Firmus prætorii præfectus, vnũ vulnus inuenere. Infra læuã papillã.] loco lethifero. Nã cor cũ ceteris animalibus in medio pectore sit, homini tã tũ infra læuã papillã turbinato mucrõe in priora eminẽs: solũ hoc viscerũ læsum mortẽ illico affert. In corde enim vitalitas præcipua est: à quo venæ, nerui, sanguis, velut à fonte principiũ habẽt: vt author est Aristoteles: quanuis Aristotelicæ sententiæ Galenus, & quidam medicorum refragentur. Dixit Auicenna, Aristotelem secutus, quòd omnium virtutum radix est cor, & omnibus aliis membris suas tribuit virtutes, quibus nutriuntur, & viuunt. Papillæ autem, propriè sunt capitula mammarum, ab eo dictæ, quòd papularũ sunt similes. Papulas autem vocamus pustulas, & tubercula minuta rotunda, quibus cutis exasperatur, & rubet, leuitérque roditur: quarũ duo sunt genera, sicut docet Celsus in v. Seruius enarrãs illud Maronianũ, Ardẽtes papulæ. exposuit carbunculos significari.

Exanimatus.] extinctus. aliàs perturbatus.

Apud Veliternam funeratus.] Funus Othonis maturatum est: id enim ipse precibus petierat, timẽs ne amputaretur caput ludibrio futurũ. Sepulcrũ autem structũ est modicum, & mansurum: quod Plutarchus ait fuisse nõ apud Veliternam vicũ, sed Bryxelli: seq; id vidisse cũ tali inscriptione, Marci Othonis. Veliternæ, quod vici nomẽ est, nulla mentio fit neq; à Tacito, neq; à Plutarcho. Trigesimo & octauo ætatis anno.] Sextus Aurelius, Cor. Tacitus, & Plutarchus vno anno minus Othonẽ vixisse prodiderunt: dicunt enim septimo & trigesimo ætatis anno ipsum obiisse. Cõpetiit.] Dicitur corpus animo cõpetere, quãdo generoso animo, & magno, corporis mẽbratura, proportióq; respõdet, vt animus corpore, & corpus tali animo dignum videatur. Malè pedatus.] distortis pedibus. Sicut à manu manuleatus, ita à pede pedatus deriuatur: vnde & aduerbiũ pedatim inclinatum est: quo vtitur Plinius, qui ait in xi. Leo tãtùm & camelus pedatim ingrediũtur: hoc est, vt sinister pes non trãseat dextrum, sed subsequatur. Pedes homini maximi sunt, fœminis tenuiores. Vola homini non solũ in manibus est, sed etiam in pedibus: vnde & hinc cognomina inuenta Planci, Plauti, Scauri, Pansæ. Vt autem in transcursu Plinianas dictiones enarremus, Planci appellãtur, qui supra modum pedibus plani sunt: sicut & planæ tabulæ plancæ nominantur. Plauti verò, qui & Ploti dicũtur, sunt planis pedibus. Vnde & poeta Comicorũ lepidissimus à planitie pedũ primò Plotus, posteà Plautus est dictus. Soleas quoq;, quibus vtebãtur in venando, quò planiùs pedẽ ponerent, semiplotia appellabant. Scauri appellãtur, qui extãtes talos habẽt. Pansæ verò dicũtur, quorũ pedes incurui sunt: à verbo pãdo, quod significat recuruo, atque reflecto. Plinius in decimosexto: At populus contra omnia inferiora panditur: facilè panditur iuglans. Hincà Vitruuio arbores pãdatæ eleganter dictę, quę in ędificiis curuãtur. Mũditiarũ muliebriũ.] Ait Marius apud Sallustiũ, mũditias mulieribus, viris laborẽ conuenire. Si Iupiter fuerit dominus geniture, facit amatores mũditiarũ: & qui nascentur orientibus Pleiadibus stellis, erunt munditiarum muliebriũ vnguẽtis obliti, crinibus annulatis, polita frõte nitidi, molliter ambulãtes, vestigia suspendent: denique pœnitebit tales, quòd viri nati sint. Nomine autem munditiarũ muliebriũ, subintelligimus etiam cõtineri speculũ illud, quod Othoni in primis probro datũ est: de qua ait Sidonius Apollinaris eleganter:

Post speculi immanis pompam, quo se ille videbat,
Hinc turpis quòd pulcher Otho. Ex quo illud vulgatissimum:

Tenet speculum patici gestamẽ Othonis. Seneca quoque in vniuersum castigans mollitiam effœminatorum sic ait in primo Quæstionum: Vt quicquid mundus muliebris vocabatur, sarcinæ viriles sint: minus dico, etiam militares. Iam speculum ornatus tantùm causa adhibetur: nulli non vitio mulierario necessarium factum est. Cum hac Senecæ sententia quadrat illud Satyrographi; Speculum ciuilis sarcina belli.

M. AN. EXanimatus est.] extinctus. Apud Veliternã.] Plutarchus ait, Bryxelli, vbi se occiderat, Othonis sepulcrũ se vidisse cum hac inscriptione, Marci Othonis. L. & octauo ætatis anno.] Omnia Trãquilli exẽplaria, quæ ad manum peruenere, sic habent: quæ lectio aut mendosa non solũ authoritate, sed ratione etiã refellitur. Plutarchus author est, Othonem septimo ac tricesimo ætatis anno periisse: quod verissimũ esse ipsa tẽporũ ratio demonstrat: constat illũ luxuria, & turpitudine vitæ: &, vt quidã etiam tradunt, mutuo stupro Neroni conciliatum: quod flagitium nõ nisi inter æquales solet cadere. Cęterũ Nero tricesimo atq; altero vitę ãno periit, Otho verò anno quidẽ post eius mortẽ circumacto: quòd si tã prouectæ Otho fuisset ætatis, nõ video qua ratione illi cũ Nerone in vita cõuenire potuisset: octauo igitur & tricesimo, vt propius Plutarchi testimonio accedatur, nõ quinquagesimo legẽdũ. Tãto Othonis animo.] Martialis: Nũquid maior Othone fuit? Cõpetiit.] cõgruẽs fuit. Malè pedatus.] pedibus, & cruribus infirmis. Pes enim dicitur quicquid est à femore ad calcem. Est ad hæc & standi fundamẽtum pes. Idcirco in ædificiis area pes manus appellatur: & qui negotium instituit, pedem posuisse, quasi fundamentum iecisse dicitur. Est pes etiã mensura, quæ ex sedecim constat digitis. Est & funis, quo velum nauale tenditur. Vergilius: Vnà omnes fecere pedem.

Vulso

Vulso corpore, galericulo capiti propter raritatē capillorum adaptato, & annexo, vt nemo dignosceret, quin & faciē quotidie rasitare, ac pane madido linere consuetum: ídque instituisse à prima lanugine, ne barbatus vnquā esset. Sacra etiam Isidis sæpe in lintea, religiosáq; veste propalā celebrasse. Per quæ factum putem, vt mors eius minimè congruens vitæ, maiori miraculo fuerit. Multi præsentium militum cum plurimo fletu manus, ac pedes iacentis exosculati, fortissimum virum, vnicū Imperatorem prædicātes, ibidem statim, nec procul à rogo vim suæ vitæ attulerunt. Multi & absentiū, accepto nūtio, præ dolore armis inter se ad internecionē concurrerunt. Deniq; magna pars hominum incolumem grauissimè detestata, mortuum laudibus tulit: vt vulgò iactatum sit, etiam Galbā ab eo non tam dominandi, quàm Reipublicæ, ac libertatis restituendæ causa interemptum.

PHIL. VVlso.] Depilato, & glabriore facto. Speciem effœminati hominis est, vellere pilos, vt glaber, mollisque fit in fœminam reformatus: sicut suprà dictū est.

Galericulo.] Superiùs annotauimus, galericulū esse adulterinam comam, quando ex alienis capillis instar galeri coma cōpingitur, & capiti ita graphice, ac diligēter annectitur, aptatúrque, vt à vera coma internosci non queat. Scribit elegāter Iulius Firmicus in octauo Matheseos, quòd illi, qui Pleiadas habent in horoscopo, alienis crinibus pulchritudinem mentiūtur, & demptis pilis corpus in fœminā transferunt.

Quotidie rasitare.] In hoc imitatus est Otho Africanum Scipionem, qui primus omniū radi quotidie instituit.

Pane madido linere.] Hāc Othonis mollitiem taxauit poeta Satyricus illo versu:

Et pressum in facie digitis extendere panem.

Non expressit quo succo madidus foret panis ille, quo faciem Otho linebat. Possumus intelligere de lacte asinino, quo cutem in facie erugari, & tenerescere, & candorē custodiri putant. Potest referri ad psilotra, quæ multifaria sunt: & cùm quædam fiant ex sanguine piscium, vt thynnorū, & ranarum sanie, meritò panis madidus talibus medicamentis illinebatur ad pilos cohibendos. Et cùm in omni psilotro vellendi priùs sint pili, vt Plinius noster prodidit in xxxii. meritò Otho priùs rasitabat faciē, mox illinebat pane madido psilotri medicamine.

In lintea veste.] Linteam vestem, quæ & byssina dicitur, sacerdotalem esse, & religioni accommodatā, affatim explicauimus in superioribus: vnde linigeri dicti sacerdotes Isiaci. Otho veluti vnus ex Isiacis, hoc est sacerdotibus Isidis, celebrauit sacra deæ Isidis linteatus, & liniger. Commodum quoque Imperatorem ferunt, sacra Isidis coluisse ita, vt caput raderet, & Anubin portaret. De ceremoniis Isidis non negligenter scripsimus in Propertii Commentariis.

Minimè congruens vitæ.] Cùm vita Othonis fuerit delicata, & penè fœminea, mors verò Romana, & virilis, minimè inter se congruebant: mors enim congruit vitæ, quādo vitam laudabiliter actam, & fortiter, mors generosa subsequitur. Ait Tacitus tantundem apud posteros meruisse Othonem bonæ famæ, quantum malæ.

Manus, ac pedes exosculati.] Cornelius Tacitus: Tulerunt corpus prætoriæ cohortes, cum laudibus & lacrymis vulnus, manúsque eius exosculantes: quidam militum interfecere sese, non noxa, neque ob metum, sed æmulatione decoris, & charitate principis.

Multi & absentium.] Ait idem Tacitus, & Bebriaci, & Placētiæ, aliísque in castris celebratum promiscuè id genus mortis ab Othonianis, vt semetipsos interficerent.

Ad internecionem.] Ad excidiū, & mortem. Liuius in nono: Lucerini, ac Samnites ad internecionem cæsi. Internecinū exitiale significat. Plinius: Habet deinde internecinum bellum cū Ichneumone.

Incolumem grauissimè detestata.] Qui vitam Othonis vituperauerāt, iidem mortem laudauerunt. Nā cùm vixisset, vt ait Plutarchus, nihilò modestiùs Nerone, mortem dedit nobiliorē. At milites Othoniani vix, difficultérque iurarunt in verba Vitellii. Et venia impetrata sese Cecinnæ duci Vitellio dediderunt. Laudibus tulit.] Præconio laudationis extulit, celebrauitque. Hinc planè exiit illud Epigrammatarii: Sit Cato, dum viuit, sanè vel Cæsare maior:

Dum moritur, nunquid maior Othone fuit?

M. A N. VVlso.] Deglabrato, depilato.

Galericulo.] Alienis comis in speciem galeri circa caput compactis. Martialis:

Fiunt absentes & tibi Galbæ comæ.

Annexo.] Coaptato, ac pane madido. Iuuenalis:

Et pressum in facie digitis extendere panem.

Lintea.] Lineis vestibus Isidis sacerdotes vtebantur. Ouidius:

Ne fuge linigeræ Memphitica templa iuuencæ. Martialis: Linigeri fugiunt calui, sistratáque turba. Plinius: Vestes ipsas xylina vocāt. Mors.] Quæ fortem, & constantem decere potuit virum. Martialis:

Quum moritur, nunquid maior Othone fuit?

Vitæ.] Quæ mollissima fuit.

Vim suæ vitæ.] Sibi mortem consciuere.

Incolumem.] Othonem.

Laudibus tulit.] Laudibus celebrauit. Plutarchus: Neq; inquit, pauciores reliquit, qui mortem laudarent, quàm qui vitā vituperarent: quo apparet vtrunq; alteri obstitisse, vt verissimū sit illud Ciceronis pro Quintio, Mors honesta sæpe vitam quoq; turpem exornat: vita turpis ne morti quidem honestæ relinquit locum.

C. SVETONII TRANQVILLI,

LIBER IX.

Aulus Vitellius Imperator.

Stirps, & origo Vitelliorum. I.



ITELLIORVM originem alii aliam, & quidem diuersissimã tradunt: partim veterem, & nobilem, partim verò nouam, & obscuram, atque etiam sordidam. Quod ego per adulatores, obtrectatoresque Imperatoris Vitellii euenisse opinarer, nisi aliquantò priùs de familiæ cõditione variatum esset. Extátque elogii ad Quintum Vitellium diui Augusti Quæstorem libellus, quo continetur, Vitellios Fauno

PHIL.



ITELLIORVM originem.] Si moribus hominum congruentes præpositure darentur, sane Vitellius nõ Imperator Romanorum creari merebatur, sed præfectus popinarum, qui summum bonum in crapula, & voluptate cibaria collocauerat, cuius deus erat venter: qui, vt elegãter Egesippus, si diutius vixisset, luxuriæ sumptibus, & pretio mensarum Romani Imperii opes abligurisset. Fabius cognominatus fuit Gurges, à deuorato patrimonio: hic non solùm gurges, sed & vorago, & charybdis Romani Imperii dici potest, qui inter ganeones, gulonésq; eminentissimus abdomini natus helluebatur: tãquam popinarii esset imperare: cùm ecõtrario nihil minùs deceat principem, quàm helluatio, & popinatio. Vnde à Salmone scriptũ est sciẽter in Ecclesiaste: Væ tibi terra, cuius principes manè comedũt: beata terra, cuius principes vescuntur in tempore suo ad refectionẽ, non ad luxuriã. Verùm quàm dedecorosa fuit Vitellii vita, tam defamatus fuit obitus. Hic nobis norma est, & exemplar, vt vitemus luxũ efferuescentem, & gulam in ordinem redigamus. Sed iam interpretamentũ Vitellii auspicemur: qui ortus familia nobili est, si credimus Sex. Aurelio: de quo Tacitus scribit hæc: Vitellius Cõsulatũ, sacerdotia, nomen, locúmq; inter primores nulla sua industria, sed patris cuncta claritudine adeptus est. Principatũ ei detulere, qui ipsum non nouerãt. Studia exercitus rarò cuiquã bonis artibus quæsita perinde affuere, quàm huic per ignauiã. Inerat tamẽ simplicitas ac liberalitas: quæ, nisi adsit modus, in exitiũ vertũtur. Suetonius scripturus de Vitellio recenset diuersas inter se discordantium scriptorum sententias de origine Vitelliorũ familiæ: cùm ab aliis vt nobilis laudetur, ab aliis vt sordida culpetur. Nonam.] Vt opponas tãquam cõtraria nouam & veterem, obscurã & nobilem.

Per adulatores.] Adulatio perpetuũ est in aula regia malum: in qua multi libidine assentandi veritatem infringũt. Adulatores familiã Vitellii veterem, & nobilem esse iactabant. Contrà liuidi, & obtrectatores sordidum, & obscurũ genus illius insectabantur: cùm obtrectatio, & liuor pronis auribus accipiantur.

Aliquantò priùs.] Quàm Imperare cœpisset: ex quo nec adulatores, nec obtrectatores existebant.

Variatõ.] Vt alii nobilem, alii sordidũ dictitarent.

Extat elogii libellus.] Testificationis, & quasi monumenti cuiusdam de familia Vitelliorum.

Vitellium Quæstorem.] Candidatus Quæstor significari videtur, qui, vt sæpe iam dictum est, epistolas principis, & orationes in Senatu legebat.

Fauno.] Faunus Latini pater, Pici filius regnauit in Latio: sicut meminit Eutropius. De hoc ait Maro in septimo Aeneidos:

Hunc Fauno, & nympha genitum, Laurente Marica
Accipimus: Fauno Picus pater: isque parentem
Te Saturne refert.

Sunt præterea Fauni dii terrestres, qui post prolixum tempus moriuntur: vt ait Martianus Capella in libro de nuptiis Philologiæ. A Faunis fana dicta existimat Probus. Tradit Seruius, Faunũ, & Faunam dictos esse à vaticinando, id est, fando: vnde & fatuos dicimus inconsideratè loquentes. Nonis Decembris Faunalia erant apud Romanos, hoc est dies festus Fauni, In cuius honorem pecudes lasciuiunt. Hinc ab Horatio dictum:

Ludit herboso
pecus omne cãpo,
Cùm tibi Nonæ
redeunt Decẽbres.

M. ANT. Marci Antonii Sabellici ad Augustinum Barbadicũ Serenissimum Venetiarum principem paraphraseos in Vitellium parænesis nona.



ITELLIORVM originem.] Tumultuose Imperiũ Vitellius inuasit, Augustine dux serenissime, sed tumultuosiùs aliquantò administrauit, periitq; tumultuosissimè. Sic enim sæpius euenire solet, vt quæ mala habuerint principia, nihilò meliores sortiantur exitus. Huius vita verè inutilis dici potest, in qua nihil fermè præter scelera, & flagitia reperias. Sed Thersitem inter Græcos reposuit Homerus poetarum antistes, & inter Assyrios reges, qui tãta indole sibi regnũ, quæsiuere, Sardanapalũ Trogus: quanquã neq; tã stultus quàm Thersites, aut tã mollis, quàm Assyrius ille, hic noster dici possit. Verùm aliis Cæsaribus comparatus, vix honestiorẽ sibi vendicat locũ, quàm illi sint inter suos adepti: etenim dubiũ est, maiorẽne luxuria fuerit, an sæuitia. Notissima est infamis illius patriæ dedicatio, cuius Tranquillus & Plinius meminere. Experiri, credo, voluit flagitiosus homo, quid summũ vitium in summa fortuna posset. Sed tam turpiter periit, quàm eius vita fuit turpis. Expedit mehercule huius hominis vel ob hoc vnũ vitia cognoscere, vt eorũ fœditate intellecta, alii in summo rerũ fastigio collocati tantò enixiùs se ab eiusmodi infamia asserãt, quantò illa notior est, si in summa fortuna sit posita, quàm si in humili, aut priuata. Per adulatores.] Qui in Vitellii Imperatoris gratiã multa de familiæ vetustate, & splẽdore cõfinxissent. Obtrectatores.] In eandẽ familiã vt sordidam, & obscurã inuecti. Potuit sanè alterutrũ euenire: fuere nãq; semper adulatio, & inuidia altioris fortunæ comites. Valerius: Nulla est tam modesta felicitas, quæ malignorum dentes vitare possit. Cæterùm adulationis nomen apertè arguit id vitiũ in potentiorum aulis ortum. Elogii libellus.] In elogii formã cõscriptus.

Fauno.] Is, vt Lactãtius scribit, Pici filius fuit, primúsque omniũ Saturno auo nefaria sacra in Latio instituit

Aboriginum rege,& Vitellia,quæ multis locis pro numine coleretur,ortos,toto Latio imperasse.Horum residuam stirpem ex Sabinis transisse Romam,atque inter patritios allectam. Indicia stirpis diu mansisse,viam Vitelliam ab Ianiculo ad mare vsque. Item coloniam eiusdem nominis, quam gentili copia aduersus Aequiculos tutādam olim depoposcissent. Tempore deinde Samnitici belli

stituit,parrémque Picum consecratur, necnon & Fannam coniugem,& sororem.C.Bassus eam Fatuam nominatam tradidit,quia fata mulieribus caneret, vt Faunus viris : vnde à fando apparet vtrunq; nomen factū.

PHIL. Aboriginum.] Aborigines populi appellati sunt, quòd errantes conuenerunt in agrum, qui nunc est populi Romani. Fuit enim gens antiquissima Italiæ. De Aboriginibus ait Sallustius:Cúmque his Aborigines genus hominum agreste sine legibus, sine Imperio liberum, atque solutū. Dionysius quoq; in primo Historiarum memorat, Aborigines fuisse Italiæ indigenas ex sese ipsos oriundos,quibus ex eo cognomen inditū dicunt,quòd eorū,qui pòst fuere, genus ab illis incipiat: quemadmodū & Græci γενάρχας, καὶ πρωτογένεις appellant. Ab his Aboriginibus ait Dionysius incipere Romanum genus. Vitellia.] Fortassis hæc est illa,quæ alio nomine fatua ab eruditis nominatur, quam Maricam dixit poeta. Pro numine coleretur.] Numē dicunt esse Imperium Dei ab nutu:author Varro.

Latio.] In prima regione Italiæ Latium est. Antiquum Latium à Tyberi Circeios vsq; seruatū est:deinde nomen Latii processit ad Lyrim fluuium.

Transisse.] Repete verbū illud,libello continetur.

Ex Sabinis.] Sabini in regione Italiæ quarta sunt, à religione,& deorū cultu,quasi Seuini appellati.Silius à Sabo authore gentis Sabinos, dici prodidit, scribens in VIII. Puniceorum: Pars laudes ore ferebant

Sabe tuas,qui de patrio cognomine primus

Dixisti populos magna ditione Sabinos.

Allectā.] Assumptā. Allecti dicebantur equites in Senatorum numerū assumpti. Ad mare vsq;.] Inferū scilicet, quod alio nomine Thuscū, Tyrrhenúmq; vocitamus. Ab Ianiculo.] Ianiculum à Iano dici nullus ignorat,qui vel illud legerit Maronianum:

Hanc Ianus pater,hanc Saturnus condidit vrbem:

Ianiculum huic,illi fuerat Saturnia nomen. Ianiculum Romæ adiectū ab Anco Martio, Idq; nō muro solùm,sed etiā pōte Sublicio tum primùm in Tyberim facto cōiungi vrbi placuit. Coloniam eiusdem nominis.] Subintellige,continetur libello,mānsisse indicium stirpis Vitellianæ coloniā nomine Vitelliā. Cuius mentio fit à Liuio in V. cuius verba subscripsi,quæ sunt hæc: Vitelliam coloniam Romanam in suo agro Aequi expugnāt.Colonorū pars maxima incolumis:quia nocte proditione oppidū captū liberā per auersa vrbis fugā dederat,Romā perfugere. Gentili copia tutādam.] Opulentia,& facultatibus gentis Vitelliorū, citra Impensam publicam : sicut olim Fabia gens Bellū Veiens depoposcit à Senatu gerendum priuato sumptu,& copia gentis Fabiorū. Aduersus Aequiculos.] Aequiculi in eadem regione Italiæ sunt, qua Sabini. Plinius Aequiculanos appellat,ab Aequiculis,quæ antiqua gēs est,vt ait Liuius. Transtulit Ancus Martius ius fecialiū quo res repetuntur. Aequicolæ gentis meminit Maro his versibus:

Horrida præcipuè,cui gens assuetáque multo

Venatu nemorum duris Aequicola glebis. Liuius ait,Vitelliam coloniā ab Aequis, in quorum agro erat, expugnatā. Tanquā Aequi,Aequicoliq; indiscrimina-

tim accipiātur. Tempore Samnitici belli.] Samniticum bellum,quod ancipiti Marte diu gestū esse scribit Liuius,dictū est à Samnitibus,gente opibus, armísque opulentissima,quos Sabellos dixerunt. Samnites multis annis populus Romanus ita subegit, ac domuit per Fabios, ac Papyrios, ita vrbes diruit, vt hodie Samnium in ipso Samnio requiratur. Ex Samnibus quatuor & viginti, triumphi Romā reportati sunt. Obiter annotandū nomine Samnitiū peculiari quodam vocabulo significari gladiatores, ab armis scilicet, ornatúq; Samnitiū, quibus gladiatores Campani quondā armarūt: & ita ornatos inter epulas digladiari voluerunt : quod docet Liuius in IX. cuius verba subscripsi : Et Romani quidem ad honorem deûm insignibus armis hostium Samnitiū vsi sunt. Campani ab superbia, odióq; Samnitium gladiatores,quod spectaculum inter epulas erat, eo ornatu armarunt,Samnitiúmque nomine appellarunt. De hoc gladiatorum Samniticorum spectaculo inter epulas exhiberi solito à Campanis intellexit Silius, quum ait in XI. Puniceorum:

Quinetiam exhilarare viris conuiuia cæde

Mos olim,& miscere epulis spectacula dira. De Sānitibus in hac gladiatorum significatione est illud ab Horatio in Epistolis decenter,sciréque prolatum:

Cædimus,& totidem plagis consumimus hostem

Lento Samnites ad lumina prima duello. Ad hanc significantiam nimirū illud Solini referendum sic scribentis: Varro in relatione prodigiosæ fortitudinis annotauit Tritanū gladiatorē armatura Samnitē fuisse. Hoc idem exemplū memorās Plin. ait in VII. Corpore vescos esse,sed eximiis viribus Tritanū in gladiatorio ludo Samnitiū armatura Samnitica. Qui sunt vesci explicarē,nisi id latissimè iam pridem explicassem in notis Seruii:&,vt nihil omittā,quod equidē sciam ad hāc rem accommodatū,in ornatu Samnitium gladiatorum erant pinnæ,quarum vno tantùm verbo fit mentio à M.Varrone sic scribēte in I. de Latina lingua:Muri summa pinnæ:ab his quas insigniri milites habere in galeis solent,& in gladiatoribus Sānites. Ex hac Varroniana doctrina colligimus quid sibi velit illud Satyr. poetæ:

Pinnirapi cultos iuuenes,iuuenésque lanistæ. quo planè versu sub nomine pinnirapi significatur gladiator ille, qui depugnat aduersus Samniticum gladiatorem,rapítq; pinnam illam, quam in galea peculiariter habent in gladiatoribus Samnites : & hunc Iouenalis versum non satis curiose introspexerūt, pensitarúntq; Commentatores alioqui eruditi.

M. AN. Aborigines.] Halicarnaseus Dionysius ait Aborigines Oenotriorum progeniē fuisse:qui pulsis Siculis Latium tenuere:quanquàm Pelasgi,& Ipsi in eam Italiæ orā venerint:inde Arcades,mox Epei, qui Herculis comites fuere:ad belli tamen vsque Troiani tempora Aborigines dici perseuerarunt:tum verò à Latino rege Latinos dici cœptos idem author tradidit. Sed Latinos à Latio potiùs dictos crediderim:præcessisséque id nomen Troiani belli tempora : quod Orpheus poetarum vetustissimus planè demonstrat in Argonautis.

Ortos.] Vitellios.

præsidio in Apuliam misso, quosdam ex Vitelliis subsedisse Nuceriæ: eorúmque progeniem longo pòst interuallo repetisse vrbem, atque ordinem Senatorium.

Pater, matérque Vitellij, eiúsque pueritia. II.

Contrà, plures authorem generis libertinum prodiderunt. Cassius Seuerus, nec minùs alii, eundem & sutoré veteramentarium, cuius filius sectionibus, & cõsuturis vberius compendium nactus, ex muliere vulgari Antiochi cuiusdam furnariam exercentis filia equitem Romanum genuerit. Sed quod discrepat, sit in medio. Cæterum P. Vitellius domo Nuceria,

A Ianiculo.] Collis est, transtyberinæque imminet regioni, à Iano dictus, quod Dionysius, & Ouidius testantur. Pomponius Lætus præceptor noster, omnium, qui nostra tempestate fuere, omnis vetustatis peritissimus, eo epigrammate, quo Campanum Bucensem condiscipulum nostrũ florenti ætate extinctum ad Onophrii ædem sepeliit, originem nominis secutus sic ait:

Regia te sepelit Iani, tulit hernica-buca:

Heu vicena tuos clausit arista dies.

Gentili copia.] Vitelliana tantùm gente.

Aequiculos.] Fuerunt Aequiculi medii inter Marsos, Hernicos, & Latinos.

Samnitici belli.] Quod ob Campanos à Romanis susceptum vario præliorum euentu in octogesimum est annum extractum.

PHIL. Præsidio in Apuliam misso.] Cùm Romani milites præsidiarios misissent in Apolium, ne ea regio ad Samnites deficeret. Præsidium, vt ait M. Varro, dictum est, quia extra castra præsidebant in loco aliquo, quò tutior regio esset.

Subsedisse.] Mansisse, nec vltrà progressos esse.

Nuceriæ.] Ciuitas est Campaniæ, de qua Silius:

Illhic Nuceria, & Gaurus naualibus apta. Luceria verò oppidum est Apuliæ. Ait Liuius, Locerinos ad internecionem cæsos esse vnà cum Samnitibus.

Repetisse vrbem.] Remeasse Romam: & subintellige verbum illud, continetur in libello.

Contrà.] Econtrario.

Prodiderunt.] Tradiderunt: verbum in hoc significatu apud clarissimos scriptores frequentissimum.

Sutorem veteramentariom.] Calceolarius, vt vtar verbo Plauti, qui veteres calceos reficit, & recócinnat, dicitur sutor veteramentarius. Ex hoc intelligi vult nõ solùm authorem familiæ Vitellianæ fuisse in sordido sutoris quæstu versatũ, sed in sordidissimo veteramentarii: tanquam nec legitimus quidem sutor is fuerit. Ea formula dicitur veteramentarius, qua ab armento armentarius, qua à ferramento ferrameotarius. Ait Iulius Firmicus, Mercuriũ in Solis domo constitutum facere ferramentarios, & pelliones: sunt autem ferramentarii ferramentorum confectores, sicut pelliones pelliom.

Sectionibus.] Incisionibus. Sectio à secando deducitur. Sectione vtitur calceolarius, vt vtar vocabulo frequentissimo apud Iulium Firmicum, quando secat, & concídit coria ad calceos factitandos. Aliâs intelligitur sectio illa, de qua ait Cæsar in Commẽtariis, Sectionem eius oppidi vniuersam Cæsar vendidit. De cuius significãtia, & de sectoribus, áffatim scripsimus in li. Annotationum: illhinc, si quid desideras, poteris mutoari.

Suturis.] Quibus vtitur sutor in calceis suendis. A suendo enim suturæ, & sutores dicti. Animaduerte tamen, sutorem propriè dici artificem calceorum: quum ille, qui suit pannos, elegantiùs sarcinator, quàm sutor dicatur ab idoneis scriptoribus. Lucilius: Sarcinatoré esse summum: suere centonem optimé. Suturas quoq; de aliis rebus per similitudinem nominamus. Cor. Celsus in VIII. Rarò caluaria solida sine suturis est: & id caput firmissimum, atque à dolore tutissimum est ex cæteris, in quo suturæ pauciores sunt, eo capitis valetudo commodior est.

Vberius cõpendium.] Copiosius lucrum.

Furnaria.] Ita furnariam absolutè dixit, vt cœnaculariam, & sagariam veteres dixerunt. Furnariam auté is exercet, qui ex furno, panísque coctura quæstum facit. Sed, vt ego sentio, is furnariã dicitur exercere, qui furnos locat cõductoribus: de quo Iuuenalis:

Balneolum Gabiis Romæ conducere furnos Optarent. Sic dicitur quis exercere cœnaculariam, qui cœnacula locat inquilinis. Furnos autem à nigro colore dici, propter fuliginem, vel propter obscuritatem, quam intus habent, sentit Porphyrio Horatianus interpres enarrans illud,

Nec qui frigus collegit, furnos, & balnea laudat.

Furnariæ fœminæ vulgò dicuntur furno operantes.

Sit in medio.] Neque affirmetur, neque refellatur: liberum sit sentire quid quisque velit. Ita Gellius: Ego in medium relinquo.

M. AN. Nuceriæ.] Est Nuceria Apulorũ mediterranea: dixitq; in Apulia, ad alterius Nuceriæ differentiã, quæ Vmbrorum, Ptolemæo authore, est.

Libertinum.] Haud ingenuo loco natum.

Cassius Seuerus.] Hic est, cui scripta Tyberii principatu sunt abolita, móxq; à Caligula in publicum reuocata. Eundem.] Generis aothorem.

Sutorem veteramentarium.] Veteramenta pro veteribus calceamentis accipias oportet, vt sit veteramentarius sutor, qui fractos calceos, & attritos resarcit.

Sectionibus.] Sectio, vt Festus ait, persecutio iuris. Cicero sectorem æstimatorem, redemptorémq; bonorum appellat. Asconius, Sectores, inquit, dicti sunt, qui spem lucri sui sequuti, bona condemnatorum auctionabantur, próque his pecunias pensitabant singulis: sed nunc sectionem pro corii incisione accipio. Est enim, vt Festo placet, sector, qui secat, & qui empta sua prosequitur: vt sit sensus, & ordo: cuius veteramentarii filius nactus vberius compendium, id est, lucrum sectionibus, & suturis, id est, non solùm resarciendis calceis, vt pater fecerat, sed & secanda pelle, calceísq; ex secta conficiendis: quod magis est quæstuosum, ac quodammodo minùs sordidum.

Vulgari.] Ignobili, & vulgi vna.

Furnariam.] Ex furno quæstum. Iuuenalis:

-Quum Iam conducere furnos.

Filium.] Qui posteà eques Romanus fuit.

Quod discrepat.] Parum inter authores cõuenit.

Sit in medio.] Pro incomperto relinquatur.

Siue

siue ille stirpis antiquæ, siue pudendis parentibus atque auis, eques certè Romanus, & rerum Augusti procurator, quatuor filios amplissimæ dignitatis cognomines, ac tantùm prænominibus distinctos reliquit, Aulum, Quintum, Publiū, Lucium. Aulus in Consulatu obiit, quem cum Domitio Neronis Cæsaris patre inierat, prælatus eloquio, famosúsque cœnarum magnificentia. Quintus caruit ordine, quum authore Tyberio secerni minùs idoneos Senatores, remouerīq; placuisset. Publius Germanici comes Cneum Pisonem inimicum, & interfectorem eius accusauit, condemnauítque. Ac post Præturæ honorem inter Seiani conscios arreptus, & in custodiam fratri datus, scalpro librario venas sibi incîdit. Nec tam mortis pœnitentia, quàm suorum obtestatione obligari, curaríque se passus, in eadem custodia morbo periit. Lucius ex Cōsulatu Syriæ præpositus Artabanū Parthorum regem summis artibus non modò ad colloquium suum, sed etiam ad veneranda legionum signa

PHIL. Siue ille stirpis antiquæ.] Sicut, inquit, dubiosum est de origioe, an natus sit vetere, & nobili familia, siue obscura, & sordida, prout assẽtatores, obtrectatoresq; prodiderunt, ita certum est, hunc Publiom Vitellium equitem fuisse Romanum, & Augusti procuratorem.

Cognomines.] Omnes Vitellios dictos. Cognomines enim dicuntur eiusdem nominis: de quo suprá.

Aulum, Quiotū, Publium, Luciū.] Hæc sunt prænomina, quibus distinguebãtur quatuor Vitellii fratres.

Aulus.] Incipit ab eo Vitellio, qui erat inter fratres maior natu.

Prælatus eloquio.] Scribit Tacitus in dialogo de Oratoribus, persuasum fuisse priscis, neminem sine eloquentia aut asse qui posse in ciuitate, aut tueri conspicuū, & eminentem locum.

Famosos,] Infamis, sugillatúsq;.

Cœnarum magnificeotia.] Infamiam parari, & sugillatiooem ex cœnis lautioribus insinuat Horatius, qui sic ait io II. Sermonum: Grandes rhombi, patinæq; oe,
Grande feruot vnà cum damno dedecus.

Cato Vticensis negabat, verum, iustúmque esse allici beneuolentiam cibo.

Quintus.] Secundus Vitelliorum.

Caruit ordioe.] Amotus fuit ordine Senatorio.

Secerni.] Separari, sequestrarique.

Mioùs idoneos Senatores.] Hoc erat officium censorum, vt in lectione eiicerent eos, qui notari merebantur. Institutum autem fuit vetus, vt his asscriberent notas, propter quas à Senatu eos mouebãt: Liuius author libro vndequadragesimo.

Publius.] Hic tertius est fratrum Vitelliorum.

Pisonem interfectorem eius accusauit.] Suprà dictum est quemadmodum Germanicus veoeoo periit, quod dedisse Piso ferebatur: vnde is P. Vitellius Pisonem veoeficii crimine accusauit, vsus in primis argumento potentissimo, non potuisse ob venenū cor Germanici cremari. Contrà defensus est Piso, dicens eum obiisse morbo cardiaco. Etenim negatur cor cremari posse, & veneno interemptis, & cardiaco morbo pereuntibus. Eius.] Germanici.

Inter Seiani conscios.] De Seiani potentia, & coniuratione, satis ac super in Tyberio.

Fratri.] Aulo Vitellio.

Scalpro librario.] Instrumẽti ferrei nomen est, qoo plures artifices vtuntur: vnde, librario, addidit ad reliquorum differentiam. Horatius scalpra sutoria intelligi voluit illo versu:
Si scalpra, & formas non sutor, nautica vela
Auersus mercaturis, delirus, & amens
Vndique dicatur. Lioius fabrile scalprum appellat, quo magistri elephantos interimebant, inter aures belluæ adacto in ipsa compage, qua coniungitur capiti ceruix. Cor. Celsus scalprum ioter ferramenta chirurgica numerat, vbi ait io VIII. Tum demum ad manū, scalprúmq; veniendū est. De scalpro rustico Columella io libro V. Agricolationis: Scalprum, quod deinde aduncum est, rostrum appellatur. Ab eodē in X. ferramentum scalpratum dictum est, ad similitudinē scalpri formatum, quo ait opus esse ad castrandos apiū alueos. A scalpro diminutiuum fit scalpellum.

Obtestatione.] Rogatiooe, & precibus. Obtestatio est, authore Festo, cùm in meliorem partē vocatur: detestatio, cùm in deteriorem.

Obligari.] Ligari, atq; vinciri. Q. Curtius: Dum corripitur, & dum obligantur oculi, dum vestis exuitur. In eadem custodia.] Apud fratrem.

Lucius.] Vitellius oouissimus quatuor fratrum.

Ex Coosulatu, Syriæ præpositus.] Iosephus libro XVIII. Turbata geote cuncti ad Vitellium veniunt, qui per id tempus gerebat principatum Syriæ: atque apud eum Pilatum accusant, quòd iniustè tãtos occiderit. Artabaoū.] Parthi cùm Imperio exturbassent Vononem, euocauerunt Artabanum Parthorum regem ex Arsacidarū geoere oriundum. Noo enim aliun de licet fieri Parthorū Imperatores. Tyberius literas misit ad hunc Vitellium, iubens vt amicitiam cum Artabano Parthorū rege conficeret. Vitellius, corruptis largitione amicis, & coosanguineis Artabani, ipsum penè perdidit: tandem circa Euphratem Artabanus, & Vitellius de pacis fœdere colloquuntur, in medio sibi ponte occurrentes. Artabanus veneratus signa Romana, Vitellii persuasione obsidem dat Tyberio Darium filium: cum qoo etiam munera magna, moltáque trãsmisit. In quibus etiam hominem magnitudine septem cubitorum, genere Iudæum, nomioe Lazarum, qui propter corporis vastitatem gigas vocabatur.

M. A N. Cognomines.] Eiusdem nominis Vitellios omnes.

Aulus.] Vitellius scilicet maximus natu.

Famosus.] Infamis. Quintus.] Vitellius.

Caruit ordine.] Senatorio scilicet.

Cneum Pisouem accusauit.] Plinius, Extat, inquit, oratio Vitellii, qua reum Pisonē eius sceleris coarguit.

Seiani conscios.] Inter eos, qui cum Seiano in Tyberium coniorarunt. Fratri datus.] Vt à fratre custodiretur: quod io Catilinæ quoq; coniuratione est factum, vt consilii participes aliquot horas priuato cu-

pellexit. Mox cum Claudio principe, duos insulatus per ordinarios Consulatus, Censurámque gessit: Curam quoque Imperii sustinuit, absente eo; expeditione Britannica, vir innocens, & industrius, sed amore libertinæ perinfamis, cuius etiam saliuis melle commistis, nec clam quidem, aut rarò, sed quotidie, ac palàm arterias, & fauces pro remedio fouebat. Idem miri in adulando ingenii, primus Caium Cæsarem adorari vt deum instituit, quum reuersus ex Syria non aliter adire ausus esset, quàm capite velato;

stoditi sint. Scalpro.] Ferreo instrumento: vnde scalpellum. Obtestatione.] Supplici rogatu obligari venas. Ex Consulatu.] Post Consulatum.

Artabanum.] De Artabano Parthorum rege satis in Tyberio.

PHIL. Pellexit.] Induxit, attraxit, illexit. Ad veneranda signa.] Idem prius factitauerat Corbulo ductor Neronianus, qui Tyridatem pellexit ad veneranda signa Romana, & effigiem Neronis colendam: cui diadema subiecit.

Ordinarios Cõsulatus.] Sunt Cõsulatus ordinarii, qui legitimo more, ordinéq; anni principio ineũtur: hinc ordinarii Consules dicti, ad differentiam suffectorum, hoc est, eorum, qui substituuntur: de quibus anteà memoraui. Lampridius: Consules quoscunque, vel ordinarios, vel suffectos creauit, ex Senatus conscientia nominauit. Absente eo.] Scilicet Claudio principe. Suprà enim dictum est quemadmodum Claudius expeditionem Britannicam suscepit: partéque insulæ in deditionem recepta, sexto quàm profectus erat mense, Romam rediit. Amore libertinæ perinfamis.] Libertinarũ amor tutior quidem est, quàm matronarũ, iuxta illud Horatianum:

Tutior at quantò merx est in classe secunda,

Libertinarum dico. Sed si nimius sit, & immodicus est reprehensibilis. Vnde idem Horatius Sallustiũ satyrico sale perfricuit libertinarum amore insanientem. Bonum est, vt inquit Plautinus seruus, pauxillum amare sanè, insanè non bonum est: &, vt ait Hieronymus, etiam in sua vxore amor nimius turpis est.

Saliuis melle commistis.] Refert Seneca cognouisse se quendam ornatũ hominem, qui exiturus in publicum, fascia vxoris pectus colligabat, & ne puncto quidẽ horæ præsentia eius carere poterat, potionémque sibi nullam, nisi alternis tactã labris vir & vxor hauriebãt.

Io adulando ingenii.] Refert Hieronymus libro 1. contra Pelagium, quòd callida, insidiosa, blãda semper est adulatio. Idem in epistola ad Eustochiũ didascalica: Adulator, inquit, blandus inimicus est. Quocirca, clarissime Annibal, esto inadulabilis: obturato aures adulatoribus, quorum verba mollia feriunt inferiora ventris, qui sæpenumero summates viros infatuant. Dicere solebat Antisthenes Cynicus philosophus, præstare in coruos, quàm in adulatores incidere: ab illis quippe mortuos, ab his viuentes deuorari. Adulatores insectatur Aristoteles in IIII. Ethicorum, quos omnes ait esse seruiles, & humiles. Ex quo præcipit Cicero, vel potiùs Lælius apud Ciceronem, vt assentatio procul amoueatur: quæ non modò amico, sed ne libero quidem digna est. Et profectò sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse maiorem, quàm adulationem, blanditias, assentationem. Irroborauit consuetudo perniciosa, vt in aulis principũ dominentur hac tempestate duo genera hominum detestãda, adulatores, & obtrectatores: quorum alteri blandiendo aures dominantis palpo feriunt: alteri detrahendo bonos eliminant, & apud patulas principũ aures susurrãdo efficiunt vt innocentes & probi repente explodantur, eiiciantúrq; veluti nocentissimi, atque improbissimi. Abige, repelle ab auribus tuis, quæso, inclyte Annibal, susurrones, & assentatores: noli patefacere hanc fenestram, ne gnatones agminatim irrumpant, veluti ad militem gloriosum: habita tecum, nosce te ipsum: pensitanum quid vera sint quæ assentator extollit, quæ detractor infamat, quæ delator insinuat. Coegit me verus erga te amoris affectus erũpere in morsum perniciosæ adulationis, quæ obtrectationi, velut sorori, deuincta est. Quum adulatores nos, à quibus lõgè est sermo adulabilis, criminentur interdum veluti austeriores, nec peritos colligere beneuolentiã, nec scientes degere inter aulicos, tanquã illi soli placeant, amentur, foueantur à principibus, qui miri fuerint in adulando ingenii: qualis fuit hic Luc. Vitellius, qui adulando, assentandóq; fuit fauorabilis, ac præpollens apud Romanos Imperatores. Caium Cæsarem.] Caligulam, qui adorari voluit, vt suprà dictum est.

Capite velato.] More & habitu eorum, qui deos venerantur. Quærit Plutarch. in Quæstionibus, cur deos salutantes caput operiunt, cùm viris dignitate præditis, & honore dignis, caput aperiant? Deos autem idcirco adoperto capite adorabant, vt aut operiendo capite, se ipsos humiliores redderẽt: aut metu, ne quid ominosum, aut triste alicunde auribus accideret. Seruius historiam fabulosam de Diomede & Aenea huiuscerei causam fuisse prodidit. Hinc illud Maronianum,

Purpureo velare comas adopertus amictu:
Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat, & omina turbet.

Sanè sciendum est, sacrificãtes diis omnibus caput velare consuetos, ob hoc, ne se inter religionem vagis aliquid offerret obtutibus. Excepto tãtùm Saturno, cui capite aperto rem diuinã faciebãt, propterea quòd veritas occultari, obscurarive non potest, cui parentem, ad Deũ Romani Saturnum habent. Præterea Honori quoq; Deo rem diuinam aperto capite faciebant, quia splendidum quiddam, & illustre, & apertum, ac latè patens est gloria. Nobiliores verò, & potentiores viros capite aperto idcirco venerabantur, vt inuidiam illis detraherent, ne pares diis immortalibus honores poscere, néve eodem cultu delectari viderentur. Tamen Marc. Varro capita aperiri aspectu magistratuum, non venerationis causa, sed valetudinis prodidit, quò firmiora consuetudine ea fierent. Sententiæ Varronianæ meminit Plinius in XXVIII. Igitur Vitellius, cùm Caligulam adorare vt Deum vellet, capite velato eum salutauit, quemadmodum deos prisci velatis capitibus venerabantur.

M. AN. Gessit.] Lucius Vitellius.

Absente eo.] Claudio.

Perinfamis.] Multa infamia respersus.

Saliuis.] Sputo.

Idem.] Lucius.

C. Cæsarem.] Quòd Caligula voluerit adorari, abundè suprà Tranquillus significauit.

Circ

circunuerténſque ſe, déinde procumbens. Claudium vxoribus, libertíſque addictum, ne qua non arte demereretur, pro maximo munere à Meſſalina petiit, vt ſibi pedes præberet excalceandos: detractúmque ſocculum dextrum inter togam, tunicáſque geſtauit aſſiduè, nonnunquam oſculabundus. Narciſſi quoque, & Pallantis imagines aureas inter lares coluit. Huius & illa vox eſt, ſæpe facias: quũ ſeculares ludos edenti Claudio gratularetur.

Adoleſcentia eiuſdem. III.

DEceſſit paralyſi altero die quàm correptus eſt, duobus filiis ſuperſtitibus, quos ex Sextilia probatiſſima, nec ignobili fœmina editos Cõſules vidit: & quidem eodem ambos, totóq; anno, quũ maiori minor in ſex menſes

PHIL. CIrcunuertens.] Hoc ad religionem deorum pertinet. Nomæ enim Romanorũ regis inſtitutum eſt, vt adorantes deos in orbem ſeſe vertant, deinde verò ſedeant. Cauſa traditur à Plutarcho, qui ait, adorantiũ illam vertiginem ad mundani circuitus fieri ſimilitudinem. Præterea conuerſio illa, & totius corporis circumactio nobis documẽto eſt, nihil ex humanis rebus firmũ eſſe, & ſtabile: & vtcunq; vertat Deus, reuoluátq; vitam noſtram, id incũdè, ac libenter admitti oportere. Sedere autem cùm adorarint, auſpicium eſſe dicunt: quo ſignificatur, ratas preces fore. Aiunt & actionum diuiſionẽ eſſe quietẽ: quaſi priore actione finita ſedendum ſit, vt alterius rurſus ineũdæ ſumatur initiũ. Fiebat autem hæc corporis conuerſio à ſiniſtra in dextram, ad ipſius Mundi imitationẽ, cuius ortus, vt ait Plinius, eſt à læua parte in dextram præceps. Hinc iocus ille apud Plautum Plautiniſſimus: nã cùm in Curgulione dixiſſet amator Phedromus: Quò me vertam, neſcio: Palinurus ſeruus, veluti alludens ad hanc religioſam conuerſionem, eleganter ſubdidit: Si deos ſalutas, dextrouorſum cenſco. E contrario Galli ſiniſtorſum, & in læuam partem religioſius fieri ab adorantibus conuerſionẽ corporis arbitrabantur: cuius rei meminit quoq; Plinius noſter, qui ſic ſcribit in XXVIII. In adorando dextram ad oſculum referimus, totúmq; corpus circũagimus: quod in læuum feciſſe, Galliæ religioſius credunt. Leges præterea apud Hiſtoricos, Camillum, cùm ſe ad dextram conuertiſſe, vt mos eſt Romanis adorãtibus, ſubito lapſu cecidiſſe: quod omen ad damnationem, qua poſteà oppreſſus eſt, pertinuiſſe viſum eſt. Tranquillus, vt ad enarrationem inſtitutã reuertamur, ait, Vitellium in ſalutando Caligula circunuertiſſe ſe, déinde procubuiſſe more, ritúq; priſcorũ, qui in adorandis diis circũagebant corpus, déinde procũbentes ſedebant. Vel ideo procũbens dixit, vt ſignificaret cõſimili veneratione vſum Vitelliũ in colendo Caligula, qua regem Perſæ venerantur: qui procũbentes humi, & mento humũ contingentes regem ſuũ colunt: quod proſcynin vocant. Vnde cùm olim Alexãder Magnus Perſico more adorari voluiſſet, Polypercon vnum ex venerantibus mento cõtingentem humũ per ludibriũ cœpit hortari, vt vehementiùs id quateret ad terrã: ex quo Alexander indignabundus, Tu, inquit, non veneraberis me: detractúmq; Polyperconta è lecto præcipitat in terram: & cùm is pronus corruiſſet, Vidéſne, inquit, idem te feciſſe, quod in alio antè ridebas?

Addictum.] Mancipatum, obnoxium, deditum.

Demereretur.] Sibi conciliaret. Socculũ.] Socci propriè calceamenta ſunt comœdorum. A ſocco ſocculus deriuatur, accipitúrque pro calceamento muliebri: ſicut in Caligula, ſoccus muliebris dictus.

Tunicas.] Interulas: quas vulgus camiſias vocat.

Oſculabundus.] Vehementer, & preſſo ore oſculans. Apuleius in ſecunda Apologia: Flens, & manus meas oſculabundus. In notis Seruii áffatim, opinor, refellimus opinionem grammaticorum, qui tradunt, nomina in bundus deſignantia ſignificare ſimilitudinem: cùm potiùs productio hæc, & extremitas largã, & fluẽtem vim, & copiam declaret.

Narciſſi & Pallantis.] Nomina potentiſſimorũ apud Claudiũ libertorum. Sicut qui deos colit, amat & ſacerdotes; ita qui principi placere ſtudet, obſeruat interiores principis amicos.

Inter Lares.] In Larario: qui locus eſt, in quo Lares, & dii domeſtici colũtur: quod in ſuperioribus diligenter annotauimus.

Sæpe facias.] Vox hæc Vitellii nimirum plena eſt aſſẽtationis manifeſtariæ, nec minoris vecordiæ. Quid enim apertius hac adulatione eſſe poteſt, qua optat principi Claudio iam ſeneſcenti, vt ſæpe faciat ludos ſeculares, cùm vix vnquam ab vno eodémq; editore bis edi poſſint, propter temporis interuallũ longiturnum? cùm poſt centeſimum annũ fieri ſoleãt: ad quã metam vix hominis peruenit vita longiſſima.

Paralyſi.] Morbus eſt, quem Latini reſolutionem membrorum, παράλυσιν Græci nominant: author eſt Celſus in II. Inde paralyticis, qui tremuli ſunt, remediũ eſt, in quo ſit adſtringẽdi efficacia. Ideóq; dixit Tertullianus in Apologetico: Leproſos purgaret, paralyticos reſtringeret. Saturnus in decimo ab horoſcopo loco facit paralyticos: vt docet Iulius Firmicus in tertio. Idẽ in VI. ait Solem octauo ab horoſcopo loco facere paralyticos, quorum ſoluta compagine neruorũ omne corpus fractis, ac diſſipatis viribus dedecoret. Legimus libro I. Machabæorum, Alchimum paralyſi diſſolutum eſſe, nec vltrà loqui potuiſſe. Editos.] Procreatos, ſuſceptóſque. Maiori.] Filio.

M. A N. CIrcunuertens ſe.] Circumagens ſe.

Addictum.] Deditum. Pro maximo munere.] Id eſt, ampliſſimi muneris loco.

A Meſſalina.] Claudii coniuge.

Socculum.] Calceamenti genus. Oſculabũdus.] Identidem, ſiue vehementer oſculans.

Narciſſi, & Pallantis.] Claudii libertorum.

Inter lares.] Deos domeſticos. Vox adulatoria.] Imò ſtulta. Sæpe facias.] Hæc vox illa optantis, vt Claudius iam penè decrepitus ſæpius ſeculares ludos faceret, quod ne adoleſcenti quidem cõtingere potuiſſet, ſi centeſimo quoque anno, vt ab initio fuerat inſtitutum, celebrari cõtigiſſet. Paralyſi.] Neruorũ ſolutione, tremoréq;, ac imbecillitate totius corporis. Celſ. Cornelius in oculis quoq; ait paralyſim fieri. Eodẽ totóq; anno.] Non vt ambo toto anno Cõſules fuerint, ſed quòd minor natu maiori ſuccedẽs annũ impleuerit, cùm vterq; alioqui Conſulatus ſemeſtris fuerit.

PHIL. SVcceſſiſſet.] Maior filius fuerat ordinarius Conſul ſemeſtris, cui minor ſucceſſit, tanquã ſuffectus Conſul in reliquos ſex menſes: & ita pater toto anno vidit filios Conſules. Pro Roſtris.] Ante Roſtra, vel in Roſtris. Pro enim, modò ſignificat ante, modò aliud, ſicut antè dictũ eſt. liaritatẽ. Igitur Vitellius factus eſt familiaris Caio Caligulæ per ſtudiũ aurigãdi, quo ille in primis oblectabatur, Claudio verò per aleam, cuius ille erat ſtudioſiſſimus. Propter eadem hæc.] Aurigationem ſcilicet, & aleam: cum & aurigandi, & aleæ ſtudio oblectaretur.

Lucii filius.] Eius, qui deceſſit paralyſi.

Octauo Calendas Octobris.] Vigeſimoquarto die mẽſis Septembris.

Septimo Idus.] Septimo die Septẽbris. Geniturã.] Natiuitatem. De genitura, plura in ſuperioribus.

Exhorruerũt.] Expauerunt, reformidarunt: tanquã mathematici prædixerint, futurũ quidem Vitellium Imperatorem, ſed in Imperio per vim cruciabiliter moriturum.

Contenderit.] Elaborauerit.

Ad legiones.] Quæ erant in Germania inferiore, ad quas à Galba miſſus fuerat.

Appellatum Imperatorem.] A militibus, authore Fabio Valẽte, de quo ſuprá.

Pro afflicto.] Memor prædictionis mathematicorum mater vbi audiuit filium Imperatorem appellatũ

ſucceſſiſſet. Defunctum Senatus publico funere honorauit. Item ſtatua pro Roſtris cum hac inſcriptione: Pietatis immobilis erga principem. Aulus Vitellius Lucii filius Imperator natus eſt octauo Calendas Octobris: vel, vt quidam, ſeptimo Idus Septembris, Druſo Cæſare, Norbano Flacco Conſulibus. Genituram eius prædictam à mathematicis ita parentes exhorruerunt, vt pater magnopere ſemper contenderit, ne qua ei prouincia viuo ſe committeretur: Mater & miſſum ad legiones, & appellatum Imperatorem pro afflicto ſtatim lamentata ſit. Pueritiam, primámque adoleſcentiam Capreis egit inter Tyberiana ſcorta, & ipſe perpetuò Spintriæ cognomine notatus, exiſtimatúſq; corporis gratia initium, & cauſa incrementorum patri fuiſſe.

Probris contaminatur. IIII.

SEquenti quoque ætate omnibus probris contaminatus, præcipuum in aula locum tenuit, Caio per aurigandi, Claudio per aleæ ſtudiũ familiaris. Sed aliquantò Neroni acceptior, cùm propter eadẽ hæc, tũ peculiari merito, quòd præſidens certamini Neroneo, cupiẽtem inter citharœdos contendere, nec, quãuis flagitantibus cũctis, promittere audentem, idcóque egreſſum theatro reuocauerat, quaſi perſeuerantis

Nero. Peculiari merito.] Proprio, &, vt dici ſolet, ſpeciali beneficio.

Certamini Neroneo.] Traditũ eſt in Nerone, quẽadmodum ille agona Neroneũ inſtituit: in quo triplex certamẽ edebatur, muſicum, gymnicum, & equeſtre. Cupiẽtem.] Neronẽ.

Contendere.] Muſico certamine.

Ideóq; egreſſũ.] Nero ideo è theatro egreſſus fuerat quia non audebat ob dedecus, atq; infamiã promittere ſe inter citharœdos muſica decertaturum: qui reuocatus à Vitellio id loco maximi habuit beneficii: cùm nihil aliud magis cuperet, quàm palã muſicam profiteri: ſed ad id cogi volebat videri, cùm dedecoroſum ſit, principẽ in propatulo profiteri ſe citharœdũ. Quaſi perſeuerãtis populi.] Vitellius acceſſit ad Neronẽ, fingens ſe legatum ad principem miſſum à populo Romano perſeueranter efflagitante, vt Nero reuocaretur in theatrum, & caneret inter citharœdos.

fuiſſe à Germanicianis militibus, lamẽtatione proſecuta eſt, tanquã iam afflictum, ſubiturúmque illico ſupplicium poſt Imperii nomen. Tacitus ait, quòd pari probitate mater Vitelliorum Sextilia antiqui moris dixiſſe ad primas filii ſui epiſtolas ferebatur, non Germanicum à ſe, ſed Vitelliũ genitũ: quæ nullis poſteà Fortunæ illecebris in gaudiũ euecta, domus ſuæ tantùm aduerſa ſenſit. Capreis.] In ſeceſſu Caprearum Tyberienſi. Tyberiana ſcorta.] Quæ Tyberius Capreis habebat, de quo in ſuperioribus ſatis multa.

Cognomine Spintriæ.] Diximus in Tyberio, ſpintrias vocatos nouæ libidinis, nouique concubitus repertores: vnde Vitellius, cùm & ipſe excogitaſſet nouam coeundi figuram, ſpintria meruit cognominari.

Corporis gratia.] Tanquam eius corpori aſſueſceret Tyberius, & ætatis floſculum carperet.

Incrementorum.] Vt honores, & fortunas conſequeretur. Omnibus probris.] Omni dedecore, atq; flagitio. In aula.] Imperatoria.

Caio per aurigandi familiaris.] Quemadmodum ſimilitudo morum, ſtudiorúmque inter bonos amicitias parit, Ita inter malos ſimilitudo vitiorũ conciliat fami-

PRo Roſtris.] In foro, vbi erant Roſtra.

M.A.N. Aulus Vitellius.] Imperator ſcilicet.

L. filius.] Eius videlicet, de quo proximè diximus.

Druſo Cæſare.] Qui Germanici filius fuit, & à Tyberio adoptatus, qui, vt ſuprà fuit ſignificatũ, in parte Palatii fame periit. De Tyberii fratre non eſt cur intelligas: quippe qui in Cæſarum familiã nulla eſt adoptione receptus. Geniturã.] Natalis horæ inſpectionẽ.

A mathematicis.] Aſtrorum peritis.

Mater.] Sextilia. Miſſum.] Vitellium.

Appellatum Imperatorem.] Viua enim adhuc matre Vitellius eſt Imperator conſalutatus.

Pro afflicto ſtatim lamentata.] Tanquam afflictum, memor eorum, quæ de Imperio, & infeliciſſimo eius exitu mathematici dixiſſent. Capreis.] Apud Tyberiũ principem. Spintriæ.] De ſpintriis ſemel atq; iterũ ſuprá. Corporis gratia.] Cuius flore Tyberius abuteretur. Omnibus probris.] Omnibus flagitiis. Caio.] Caligulæ. Per aleæ ſtudium.] Cuius conſtat Claudium ipſum percupidum fuiſſe.

Peculiari.] Proprio,& ob id acceptiore.

Certamini Neroneo.] De Neronei certaminis ratio ne satis suo loco. Promittere audentem.] Ob decus & Infamiam. Reuocauerat.] Vitellius.

Perseuerantis.] Id efflagitare.

quidam aurichalcum ab ære & auro esse compositum. Græci enim χαλκὸν æs vocant, siue quòd aureū habet colorem. Orichalcū sane dicitur, vt sentit Festus, quòd in montosis locis inuenitur. Mons enim Græcè ὄρος appellatur. Disputatio philosophorum est apud Ciceronē,& Lactantiū: Si vir bonus reperiat aliquē, qui aurichalcum pro auro vendat, ignoranter, utrùm debeat, vt id paruo emat, an id indicabit vt magno: quod si scelus iudicatur nō indicare, quātò sceleratius videri debet pro auro aurichalcū supposuisse quod fecit Vitellius. Scribunt Iurisconsulti titulo De pignoratitia actione. Si quis pignore pro auro æs subiecisset, furti teneri. In libro βασιλειῶν traditum est, omnia vasa fuisse de aurichalco, quæ fecit Hiran Solomoni in domo domini. Dicimus aurichalcū,& orichalcū indifferenter: sicut plostrū,& plaustrum: cotes, cautes, ob eam, quæ est inter au,& o, cognationē, transmutationémve: sicut è contrario dixerunt ausculum, pro osculum.

populi legatione suscepta exorandum præbuerit.

Honores per eum administrati. V.

TRium itaque principum indulgentia nō solùm honoribus, verùm & sacerdotiis amplissimis auctus, proconsulatum Africæ post hæc, curam quoq; operum publicorū administrauit & voluntate dispari, & existimatione. In prouincia singularem innocentiam præstitit biennio continuato, quum succedenti fratri legatus substitisset. At in vrbano officio dona, atq; ornamenta templorum surripuisse, & commutasse quædam ferebatur, próque auro, & argento stannum, & aurichalcum supposuisse.

Vxores, & filij eiusdem. VI.

VXorem habuit Petroniam cōsularis viri filiā, & ex ea filiū *Petroniū captū altero oculo. Hūc hæredē à matre sub cōditiōe

PHIL. EXorandū.] Oramus facilia, exoramus difficilia. Orare, rogantis est: exorare, impetrantis. Orator est, dum rogat: exorator, cùm impetrauerit. Hinc illud Terentianum: Orator ad vos venio ornatu prologi, finite exorator sim. Igitur Vitellius exorator fuit apud Neronem, qui veluti difficilis res peteretur, tandē exhibuit se exorandū, & exorabilem. Apuleius perquam decenter exorabula vocat omnia illa artificialia argumenta, quibus orator per vim eloquentiæ iudices exorat.

*Petronianum

Trium principum.] Caligulam, Claudium, & Neronem significat.

Indulgentia.] Facilitate, clementia, comitate. Laudantur indulgentiæ in Imperatoribus. Antiqui Indulgitatem vocauerunt, quæ à nobis dicitur indulgentia.

Honoribus.] Magistratibus.

Africæ.] Prouinciæ proconsularis.

Voluntate dispari.] Quia cùm in prouincia fuisset innocens, Romæ in officio vrbano fuit spoliator, & impostor. Ex quo disparilitas maxima & voluntatis, & existimationis significatur.

In prouincia.] Africa. Cor. Tacitus refert, Vitelliū egisse in Africa proconsulatum integrum, ac fauorabilem: cùm famosum, inuisúmq; in eadē prouincia egerit Vespasianus. Legatus.] De legato proconsulis intelligendum est, de quo suprà dictum.

Substitisset.] Remansisset in prouincia. Et ita biennio fuit in Africa: cùm anno primo proconsul, secundo legatus fratris, qui sibi succedebat in proconsulatū, substitisset. In vrbano officio.] In administratione operum publicorum, quorum fuit curator.

Stannum,& aurichalcum.] Cùm stannum colore argento, auricalchum verò auro simillimū sit, potuit commodissimè pro argēto stannū, pro auro supponere aurichalcum. Stannum appellatur liquor plumbi, qui primus fluit in fornacibus: qui secundus, argentariū. Adulteratur stannum addita æris tertia portione candidi in plumbū album. Fit & alio modo mistis albi plumbi, nigríque libris: hoc nunc aliqui argentarium appellant.

Aurichalcum.] Ob præcipuam bonitatem diu obtinuit admirationē, vt inquit Plinius in xxxiiii. Apud maiores, sicut refert Seruius, orichalcū pretiosius omnibus metallis fuit, quòd & splendorē auri, & æris duritiam possideret. Orichalcum autem fuisse pretiosum etiam Plautus docet, qui ait in Milite: Ego istos mores aurichalco comparem. Idem in Curgulione: Cedo mihi contra orichalco, cui ego sano seruiam. Autumant

Petroniam.] Huius Petroniæ meminit Tacitus, videturq; sentire, factū fuisse diuortiū inter Vitelliū, & Petroniam: cùm dicat, eam mox à Dolabella in matrimoniū acceptā fuisse. Petronium.] Antiqui rusticos vocauere petrones, à petrarū asperitate, & duritia. Hinc Plautus veruecē duriorē, elegāter petronē dixit, vbi ait in Captiuis: Qui petroni nomen indunt verueci sectario: ego si in via petronem publica cōspexero, & petronē, & dominū reddā mortales miserrimos. A petrone Petronius inclinari potest. De quodā altero Petronio scripsit Tacitus, qui vitiis factus est inter paucos Neroni familiaris: mox ab eodem mori iussus venas incidit. Huic dies per somnū, nox officiis, & oblectamentis vitæ transigebantur. Captū altero oculo.] Martialis eum, cui desit alter oculus, quem vulgò luscū dicimus, eleganti vocabulo desioculum appellat.

M. AN. EXorandum.] Precibus flectendum. Trium principū.] Caligulæ, Claudii, & Neronis. Indulgentia.] Facilitate, obsequio, munificentia. Auctus.] Maior factus. Dispari voluntate.] Innocentiæ foris custodiendæ, domi verò per occasionem peccandi. Cū legatus substitutus esset.] Ex eo pendet quòd ibi biennio dixerat præfuisse: poterat enim aliter occurri, cur biennium si annuū erat munus? Vrbano officio.] Quo publicorum operum curam gessit. Stannum pro argento.] Scilicet supposuit: nā eius metalli genus quoddam argentarium dicitur. Illitum stannum æris vasis saporem grauiorem facit: nec, quod mirum est, pōdus auget: Plinius est author.

Aurichalcum.] Ab auro, & ære nomē factum: Χαλκὸν Græci æs dicunt.

Captum altero oculo.] Luscum, alterius oculi visu priuatum.

institutum, si de potestate patris exisset, manu emisit: breuique, vt creditum est, interemit, insimulatum insuper parricidii, & quasi paratum ad scelus venenum ex conscientia hausisset. Duxit mox Galeriam Fundanam prætorio patre. Ac de hac quoque liberos vtriusque sexus tulit, sed marem, titubantia oris, propè mutum, & elinguem.

Germania eidem decreta, paupertas ipsius, & comitas eius erga singulos. VII.



Galba in inferiorem Germaniam contra opinionem missus est. Adiutum putant T. Iunii suffragio tunc potentissimi, & cui iampridem per communem factionis suæ fauorem conciliatus esset, nisi quòd Galba præ se tulit, nullos minùs metuendos, quàm qui de solo victu cogitarent, ac posse prouincialibus copiis profundam eius expleri gulam: vt cuiuis euidens sit, contemptu magis, quàm gratia electũ. Satis cõstat, exituro viaticum defuisse, tanta egestate rei familiaris, vt vxore, & liberis, quos Romæ relinquebat,

PHIL. Si de potestate patris exisset.] Filius exit de patria potestate per emancipationem. Titulus est apud Iuriconsultos, quibus modis ius patriæ potestatis soluitur. Ex constitutione Iustiniani Imperatoris, dignitas patritiatus filium liberat à patria potestate.

Manu emisit.] Per emancipationẽ exemit patria potestate.

Interemit.] Facinus infandum, & vix credibile, quòd pater filium interemerit: fecit tamen hoc idem flagitiosissimus ille Catilina: qui, vt Historici prodiderunt, necato filio domum vacuam fecit scelestis nuptiis, cùm Aurelia Horestilla, cuius amore tenebatur, illi nubere dubitaret, timens priuignum. Ex hoc facinore animus Catilinæ diis, hominibúsque infestus, ex conscientia vexabatur, neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat. Philippus quoque Macedonũ rex molitor necis Demetrii filii fuisse fertur Apud barbaros Persas rex Artaxerxes interemit filios supra quinquaginta, quos in patrem coniurasse compererat.

Insimulatum.] Accusatum.

Parricidii.] Tanquã patrẽ veneno necare voluisset.

Ex conscientia.] Quòd cõscius tanti sceleris, quod in patrem moliebatur, ipsemet hauserit venenum.

Galeriam.] Galeriæ meminit Tacitus, quã ait protexisse Trachalum Othonianum apud maritum Vitellium aduersus criminantes.

Prætorio patre.] Cuius pater præturam gesserat.

Tulit.] Procreauit.

Titubantia oris.] Impedimento linguæ, & hæsitantia.

In inferiorem Germaniam.] Ad differentiam superioris Germaniæ nominauit inferiorẽ. Ptolemæus Germaniam paruam nominat, & magnam: de quibus superiùs satis ac super.

Titi Iunii.] De potentia Titi Iunii apud principem Galbam anteà dictum est.

Suffragio.] Fauore.

Factionis suæ fauorem.] Alii codices habent fautorem: vt intelligas, Vitellium vsum fautore Vitelliæ factionis ad conciliandam sibi Titi Iunii beneuolentiã.

Præ se tulit.] Demonstrauit, ostentauítque.

Quàm qui de solo victu cogitarent.] Qui summũ bonum collocant in voluptate cibaria, hi nihil arduũ, nihil sublime meditantur: sed veluti demersi voluptatũ cœno marcescunt, dediti ventri, & turpissimæ parti corporis: quæ voluptas, vt inquit Aristoteles in Problematis, & lib. tertio Ethicorum, in primis belluina est. Sicut igitur aliena virtus formidolosa regibus esse solet, ita desidia minimè metuenda est: & profectò, vt inquit scienter Seneca, ob aliam causam nati sumus, qui vt cibum, potionémque percolemus. Dixit Hieronymus, nihil sic obruere animum, sicut obruit plenus venter, & exæstuans: nec cum epularum largitate posse sapientiam copulari. Igitur Galba cùm videret, Vitellium helluationibus, & gulæ deditum, déque solo victu cogitantem, apertè significabat, id genus hominem minimè metuendum, ne res nouas moliretur, affectarétq; Imperiũ: & ideò illum præfecit legionibus Germanicis.

Prouincialibus copiis.] Diuitiis, opulentiisque Germanorum.

Contemptu magis, quàm gratia.] Quòd magis contemptibilis foret, & despicabilis apud Galbam, quàm gratiosus, & fauorabilis.

Viaticũ.] Sumptum itinerarium, quod Græci ἐφόδιον vocant. Quintus Claudius scriptor Annaliũ magnum viaticum nouè posuit, pro magna facultate, & paratu magno. Viaticari, est viaticum parare. Plautus in Menæhmis: Aestiue admodum viaticati sumus. Diminutiuum viatici est viaticulum.

Egestate.] Cyprianus formauit, vel vsurpauit iam formatum, concinnè, & scienter, elegantissimum vocabulũ ab egestate egestosum: sicut à sobrio sobriosum. Sic enim loquens de singularitate clericorum, inquit: Cùm nulla fuerit opportunitas scandali, vbi transeunter, quod peius est, egestosam habuerit mansionem.

Si de potestate patris exisset.] Si emancipatus esset. M. AN.

Manumisit.] Emancipauit, vt hæreditatem adiret.

Insimulatum.] Filium.

Parricidii.] Quasi sibi patri necem esset machinatus. Ad scelus.] Ad se perdendum.

Hausisset.] Petronium ipsum.

Tulit.] Habuit, accepit.

Titubantia.] Linguæ titubatione, quum loqui conaretur.

Contra opinionem.] Ipsius, an vulgi dixerit, in dubium venire potest: sed melius id ad vulgus referas.

Titi Iunii.] Tacitus: Titi, inquit, Iunii potentia defensus, prætexentis seruatam ab eo filiam.

Et cui.] Tito, siue Iunio: vel potiùs Galbæ.

Præ se tulit.] Ostendit, confessus est. Præ se ferre enim, est dicto, factóve, & ipsa statim fronte qualem opinionem de aliqua re, aut homine habeas, confiteri.

De solo victu.] Vt Vitellius.

Contemptu.] Vilipendio quodam.

Exituro.] Vitellio. Egestate.] Inopia.

Merit

meritorio cœnaculo abditis, domũ in reliquã partem anni *ablocaret: vtq; ex aure matris detractũ vnionem pignerauerit ad itineris impenſas. Creditorum quidem præſtolantiũ, ac detinentiũ turbã, & in iis Sinueſſanos, Formianóſq;, quorũ publica vectigalia interuerterat, nõ niſi terrore calũniæ

*oblocaſſet

PHIL. MEritorio cœnaculo.] Pretio conducto. Suprà annotauimus, quemadmodũ cœnacula inquilinis locabantur, quæ meritoria dicuntur: & qui cœnacula locabant, eumque quæſtum exercebant, facere cœnaculariam dicebantur. Meritoria enim dicuntur habitacula, quæ mercede conducuntur: de quibus intellexit Vlpianus vbi ait: Igitur tantùm ad meritoria, vel ſtabula nõ pertinebit. Vitellius egeſtate preſſus cœnaculũ conduxit diceſſurus ab vrbe, vt in eo vxor cum liberis ipſo abſente manſitaret: domum verò ſuam pretio locauit, vt ita confecta ſummula, paratoq; viatico in prouinciam proficiſceretur. Ablocaret.] Elocaret.

Abditis.] Occultatis, reconditiſq;. Significat Tranquillus, Vitelliũ in cœnaculo conducto abdidiſſe, occultaſſéque, veluti in gurguſtio, vxorem, & liberos, ne dedecoroſa manſio palàm innoteſceret.

Detractum vnionem.] Gloria erat fœminarum, vt inquit Plinius noſter in IX binos, ac ternos vniones auribus ſuſpendere. Idem in XI. de auribus ſcribens ait: Nec in alia parte fœminis maius impendium margaritis dependentibus: in Oriente quidẽ, & viris aurũ geſtare eo loci, decus exiſtimatur. In hanc ſententiã eſt illud luculentè dictũ à Seneca ſeueriſſimo Romanæ luxuriæ caſtigatore in ſexto de Beneficiis: Video vniones bina, ac terna patrimonia auribus ſingulis pependiſſe. Notiſſimũ eſt illud exemplũ Cleopatræ luxus, quæ gerebat auribus duos vniones omniũ maximos per omne æuũ, quorũ alterũ detractum merſit aceto, ac liquefactũ abſorbuit. Ornamẽta auriũ inaures appellãt. In Exodo ait Aaron: Tollite inaures aureas de vxorũ, filiorúmq;, & filiarũ veſtrarũ auribus, & afferte ad me. Plinius in IX. In eadẽ villa Antonia Druſi Murenæ, quã diligebat, inaures addidit. Scæuola Iuriſconſultus, vt à Paulo relatum eſt titulo De auro, & argento legato, cùm inaures quidam, in quibus duæ margaritæ, elenci, & ſmaragdi duo legaſſet, & poſteà elencos eiſdem detraxiſſet, & quæreretur an nihilò minùs detractis elencis inaures deberentur: reſpondit deberi, ſi maneãt inaures, quãuis margaritæ his detractæ ſint. Sed ne te turbent verba Iuriſconſulti, in quibus modò margaritæ, modò elenci memorantur. Scito, elencos appellari margaritas proceriores, faſtigiata longitudine, vt docet Plinius noſter: Ex quo ſenſu exiit illud Satyrographi:

Auribus extenſis magnos commiſit elencos.

Eſt quoddã genus inauriũ, quod antiquitas ſtalagmium nominauit. Cæcilius: Ex auro eius ſtalagmiũ domi habeo. Vnionẽ.] Plinius, Solinúſq; notificãt, vniones dici margaritas, ab eo quòd nulli duo reperiãtur indiſcreti: vnde nomen vnionũ Romanæ ſcilicet impoſuere deliciæ. Dos omnis vnionum eſt in candore, magnitudine, orbe, læuore, & pondere. Pignerauerit.] Pignerare, & oppignerare, eſt rem pignori dare, ſicut repignerare, ſignificat pignus recipere perſoluto pretio. Iuriſconſultus titulo Commodati: Non repignoras, vt mihi reddas. Martialis oppignerauit ad Claudii modò mẽſam vix octo nũmis annulos, vnde cœnaret. Inde pignoratũ dicimus id, quod pignori datũ eſt. De pignoratitia actione titulus eſt apud Iureconſultos. Creditorũ poſtulantiũ.] Petentiũ à Vitellio creditã pecuniã. Creditorũ appellatione, vt ait Caius Iuriſconſultus, non hi tantùm accipiuntur, qui pecuniam crediderunt: ſed omnes, quibus ex aliqua cauſa debetur. Quidã codices habent, creditorum præſtolantiũ. quod nõ diſplicet, vt id referas ad creditorum conſuetudinem, qui debitorẽ expectare conſueuerũt in loco, quẽ frequentat. Cui ſententiæ conuenit illud Satyrici poetæ:

Multos porrò vides, quos ſæpe eluſus ad ipſum
Creditor introitũ ſolet expectare macelli.

Detinentiũ.] Sicut olim creditores Cæſarẽ detinuerũt parantẽ iter in Hiſpaniã, quos interuẽtu ſponſorũ remouit.

Eriniis.] Creditoribus. Sinueſſanos.] In ſaltu Veſtino Falernũ cõtingente agrũ Sinope dicitur Græca vrbs fuiſſe, Sinueſſa deinde Romanis colonis appellata: author Liuius in X. apud Sinueſſam aquæ ſalubres, medicatæq; fuerunt. Inde ſcribit Tacitus, Narciſſum Claudii libertum valetudine aduerſa correptum perrexiſſe Sinueſſam refouendis viribus mollitia cæli, & ſalubritate aquarum. Strabo in quinto de Sinueſſa ſic refert: Sinueſſa in Setino ſita eſt ſinu, à quo nomen vendicat: ei proximæ calidæ ſunt balneæ, ad ægritudines quaſdam accommodatiſſimæ. Formianos.] Scribit Strabo in V. oppidũ Formias eſſe maritimũ vltra Terracinam: quas prius Hormias ἀπὸ τοῦ ὅρμου, id eſt, ſtationis bonitate appellabant. Formias cõdidere Lacones. Mamurra ille præfectus fabrorum Dictatoris Cæſaris in Gallia fuit Formianus: ideóq; Catullus taxare volens Mamurram vnà cum Cæſare, dixit: Vrbana altera, & illa Formiana. Horatius Formias appellauit vrbem Mamurrarum, ſic ſcribens in Sermonibus:

In Mamurrarum laſſi, deinde vrbe manemus.

Interuerterat.] Interceperat, in priuatos vſus verterat, abſumpſerat, fraudauerat. Plautus in Aſinaria: Quem interuertam? quò hanc celocem conferam? Refert A. Gellius, condemnatum furti colonũ, qui fundo, quem conduxerat, vendito, poſſeſſione eius dominum interuertiſſet.

Terrore calumniæ.] Calumniã putat Priſcianus deriuatã eſſe ab hoc verbo, caluor, quod ſignificat decipere, & fruſtrari: quo vtitur Plautus in Caſina: Nam vbi domi ſola ſum, ſopor manus caluitur. Vitellius terrore calumniæ amouit, abegitque creditores, dum illis iniicit metus calumniarum.

M. AN. MEritorio cœnaculo.] Indifferenter locari ſolito. Abditis.] Occultiore, & minùs illuſtri loco cõſtitutis: ne turpis ſuorum inquilinatus innoteſceret.

Oblocaret.] Aliis locãdam curaret. Ex aure matris.] Plinius de margaritis, Parum ſcilicet fuerat in gulas cõdi maria, niſi manibus, auribus, toto corpore à fœminis iuxtà, viriſq; geſtarentur. Et ruſſus: Gerebat Cleopatra auribus tum ſingulare illud, & verè vnicum Naturæ opus vnionem, grandiorem margaritam. Pignerauerit.] In pignus dederit: vnde repignero, pro eo quod eſt, alieno ære perſoluto, pignus recipio. Sinueſſanos.] A Sinueſſa vrbe. Plinius: Sinueſſa extremũ in adiecto Latio: quam quidã dixere Sinopen vocitatã.

Formianos.] A Formiis, & ipſe in Latio, ait Plinius. Idem author, Formiæ antiqua Læſtrygonum ſedes.

Interuerterat.] Sic Tacitus in eandem ſententiã, Ipſe abundè ratus ſi præſentibus frueretur, nec in longius cõſultans nouies millies ſeſtertiũm pauciſſimis diebus interueniſſe creditur. Terrore calũniæ.] Niſi ſe calumniæ cum illis acturum interminatus abſterruiſſet.

amouit, quum libertino quidam acerbiùs debitũ reposcenti, injuriarum formulam, quasi calce ab eo percussus, intendisset, nec aliter quàm extortis quinquaginta sestertiis remisisset. Aduenientem malè animatus erga principem exercitus, pronúsque ad res nouas, libens, ac supinis manibus excepit, velut dono deûm oblatum III. COSS. filium ætate integra, facili, ac prodigo animo. Quam veterem de se persuasionem Vitellius recentibus etiam de se experimentis auxerat, tota via caligatorum quosque militum obuios exosculans, pérque stabula, & diuersoria mulionibus, ac viatoribus præter modum comis, vt manè singulos iámne ientassent, sciscitaretur, séque fecisse ructu quoque ostenderet.

PHIL. ACerbiùs debitũ reposcenti.] Iniqui debitoris est, vt inquit eleganter Seneca, creditori facere conuicium: quamuis lex gentium sit, Redde quod debes.

Iniuriarum formulam.] Hæc est calumnia. Titulus est apud Iurisconsultos De iniuriis. Formulam iniuriæ intendit is, qui secũdum præceptũ legis actionem parat iniuriarum.

Quasi calce ab eo percussus.] Iniuriam fieri Labeo ait, re, aut verbis, vt quoties manus inferuntur, aut cùm cõuicium fit. Atqui iniuria hæc Vitelliana neque manibus facta est, neque verbis. Vnde videbitur Labeonis definitio non satis esse absoluta, cùm etiã pedibus iniuria fieri possit, quæ comprehensa nõ est Iurisconsulti sententia. Fuit ergo noua Iniuriarum formula, qua Vitellius libertinum creditorem est insectatus.

Extortis.] Abstractis, & quasi per vim expressis.

Remisisset.] Formulã, actionémq; iniuriarum condonasset. Erga principem.] Galbam.

Supinis manibus.] Indiciũ est beneuolentiæ, & desiderii, cũ supinis manibus, sublatisq; aliquẽ excipimus. Præterea supinis manibus deos adorare solemus. Horatius: Cælo supinas si tuleris manus. & Maro: -Tendóq; supinas Ad cælum cum voce manus.-

Ter consulis filium.] Tacitus: Aderat Vitellius censoris Vitellii ac ter consulis filius, id satis videbatur.

A ætate integra.] Integra ætas dicitur iuuẽta, in qua robur viuidum, & sanguis adhuc integer est, qui ætate in senium vergente minuitur: vnde in senibus tremor est. Hinc cecinit poeta: -Vos ô quibus integer æui Sanguis, ait,- Idem in alio loco: -Atque integer æui Ascanius.- Vbi exposuit Seruius adolescentem significari, cui adhuc ætas integra superest. Ennius deos æui integros dicit, quibus multũ æui superest. Suprà dixit Tranquillus in Augusto, Neque ætate, neque corpore satis integri.

Prodigo animo.] Etsi prodigalitas vitiũ est, tamen amabile est: & prodigus melior est, quàm auarus: multis enim prodest, cũ auarus nemini, nec sibi quidem ipsi prosit. Et cùm liberales maximè omniũ, vt inquit Aristoteles in Ethicis, diligantur, meritò prodigus Vitellius fuit acceptus militibus: cùm prodigalitas liberalitatẽ imitetur, & plerũq; luxuria specie liberalitatis imponat: Fallit enim vitium specie virtutis, & vmbra.

Caligatorũ quoq;.] Laudat Cicero in Imperatore facilitatẽ, comitatémq;. Is enim in primis charus est princeps, qui facilitate infimis par esse videatur: ad quem faciles aditus sint, etiã humillimorũ, & viliorũ. Igitur Vitellius cùm per comitatem quandã, & affabilitatẽ milites, & caligatos, qui viliores sunt, exoscularetur, meritò auxit persuasionem benignitatis, facilitatisq;, quã de se iampridem concitauerat. De caligatis militibus à caliga dictis, & clauis caligaribus, non indiligenter memoraui in superioribus. Pérq; stabula.] Stabulũ non solùm significat receptaculũ equorũ, & iumentorum, vt vulgò dicitur, sed etiã accipitur pro caupona, & pro hospitio. Inde stabularii, de quibus titulus est apud Iurisconsultos, dicti, qui exercent, vt ita loquar, stabulariã: & muliones viatorésq; accipiunt. Apuleius: Quod primũ ingressui fuerit stabulũ prandio participabo. Iurisconsultus titulo Pro socio, viatica meritoriorũ, & stabulario tũ ait rectè imputaturũ, si quis ex sociis iter fecerit. Diuersoria.] hospitia, & cauponas, ad quas viatores itinere fessi diuertunt.

Comis.] Benignus, facilis. De comitate Vitellii, & prodigo animo Tacitus hæc: Vitellius apud seueros humilis: ita comitatem, bonitatémque fauentes vocabant, quòd sine modo, sine iudicio donaret sua, largiretur aliena: simul auiditate imperandi ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur. Manè.] Hora matutina.

Ientassent.] Sumpsissent primum cibum. Ientare enim, est ieiuna adhuc anima matutinum cibum capere. Afranius: Hæc ieiuna ientauit. Inde ientaculum dicitur gustulum, siue degustatio matutina, vt ait Placiades. Vulgus vocitat collationem: quod non sine ratione dictum videri potest, cùm symbolum quisque conferre soleat, & ita ex collatione facta pro rata ientare.

Ructu.] Ructus in primis indicat ieiunúsne sitius, an cibo, vinóq; distenti. Stoicis placet ructus æquè liberos esse oportere, ac ventris crepitus. Est autem ructus, vt docet Aristoteles in Problematis, expiratio ventriculi: sicut crepitus, est alui: & capitis, sternutamentum. Lucilius:

Exhalat placidos tum demum pectore ructus.

Antiqui & ructo, & ructor dixerunt in eadem significatione. Martialis:

Ructat adhuc aprũ callida Roma meũ. Horat.
Hic dum sublimis versus ructatur, & errat.

A Sidonio Apollinari perquàm eleganter dicta est ructatio esculenta, quæ fit ab homine saturo. Raphanum ait Plinius in XIX. cibum esse illiberalem, propterea quòd vim habet laxandi ructum. A. Gellius vinum appellat eructum, ab eructando, intelligi volens ignobile, & aspernabile, veluti floces. Ita enim appellant vini fæcẽ ex vinaceis expressam. A ructu fit ructuosus, qui est plenus ructu. Clarissima est illa & atrox M. Cælii in M. Antonium exprobratio: Nanq; ipsum offenderunt temulento sopore profligatum, totis præcordiis stertentem ructuosos spiritus geminare.

INiuriarum formulam.] Iniuriarum querelam, siue æstimationem. M. AN.

Intendisset.] Quasi ab eo calce percussus esset, calumniam affinxisset.

Remisisset.] Iniuriæ actionem.

Male animatus.] Odio in principem affectus, ac per hoc male cogitans.

Ter Consulis.] L. Vitellii, qui ter Consul fuerat.

Facili

Facili.] Tractabili.

Prodigo.] Non parco,& auaro,vt Galba.

Experimentis.] Prodigalitatis exemplis.

Caligatorum quosque.] Quoscunque caligatos, ac per hoc gregarios milites.

Comis.] Perhumanus,affabilis.

Ientassent.] An matutinum sumpsissent cibum:nã ientare,ieiunorum est. Plautus: Nec ieinna ientauit. Martialis:

Surgite iam pueri, vendit ientacula pistor.

A iento ientaculum est: quod Græci ἀκρατισμὸν vocant.

Ructu.] Subita spiritus ructatione.

Strictum.] Eductum,nudatúmque.

Diui Iulii.] Quem Iulius Cæsar Dictator olim gestauerat:qui mox fuerat in templo Martis suspensus à Germanis. Strabo in quarto Geographiæ meminit cuiusdam gladii, quem Galli detractum Cæsari suspenderunt in templo. Refert Plutarchus in Cæsare, Aruernos Galliarum populos suspensum in templo gladium monstrare, tanquam captũ ex Cæsare spolium: quem is posteriori tempore conspicatus risit: cúmque detrahere illum amici iuberent, nequaquam permisit, quòd rem sacram existimaret. In hoc loco significatur alius Cæsaris gladius,qui erat apud Germanos in tẽplo Martis dicatus:cùm ille fuisset apud Gallos.

Liberalitas eius in omnes. VIII.



CAstra verò ingressus nihil cuiquam poscenti negauit: atq; etiam vltro ignominiosis notas,reis sordes,damnatis supplicia dempsit. Quare vixdum mense transacto, neque diei , neque temporis habita ratione, ac iam vesperè subitò à militibus è cubiculo raptus , ita vt erat in veste domestica Imperator est consalutatus,circunlatúsque per celeberrimos vicos,strictum diui Iulii gladium tenens, detractũ delubro Martis,atq; in prima gratulatione porrectum sibi à quodam. Nec ântè in prætoriũ rediit, quàm flagrante triclinio ex conceptu camini:tum quidem

PHIL. NOtas.] Notæ apponi solent his, qui ignominia fuerint notati. Vnde Vitellius tales notas demebat ignominiosis,& ignominiam remittebat. Corn. Tacitus: Redditi à Vitellio plerisque ordines,remissa ignominia,alleuatæ notæ.

Reis sordes.] Moris est,vt rei sordidati sint,hoc est, veste sordida in publicum progrediantur,barbã, capillúmve summittant:quod & idem affinibus reorum facere licebat. Vitellius vt omne genus hominum demereretur,reis dempsit sordes,sordidum scilicet,squallentémque habitum & cultum. Aphricanus minor cùm esset reus,neque barbam radere desiit,neque non candida veste vti,neque fuit cultu solito reorum.

Supplicio.] Ne supplicio afficerentur legibus constituto.

Vesperè subitò à militibus.] Vitellius primùm à Fabio Valente vnius legionis duce Imperator salutatus est: & cùm esset cibi,viníque meridiani plenus, assensit voluntati militum , à quibus Germanicus est nominatus. Cæsaris verò nomen recipere noluit: author Plutarchus. Refert Cor. Tacitus , exercitum superioris Germaniæ Calendis Ianuarii dirupisse imagines Galbæ,tumultuariq; cœpisse:cuius turbationis, atque flagitii spectator aderat Ordeonius Flaccus legatus consularis,non ausus compescere mentes,non retinere dubios,non cohortari bonos:sed substitit segnis,pauidus,& socordia innocẽs:quatuor cẽturiones cùm protegerent Galbæ imagines,impetu militum abrepri,vinctiq; sunt. Nocte,quæ Calendas Ianuarias secuta est, in coloniam Agrippinensem aquilifer quartæ legionis epulanti Vitellio cuncta nuntiauit:tunc missi sunt à Vitellio ad legiones,legatósque,qui desciuisse à Galba superiorem exercitum nunciarent. Die proximo Fabius Valens legatus coloniã Agrippinensem ingressus Imperatorem Vitellium consalutauit: secutæ sunt ingenti certamine legiones eiusdem prouinciæ.

In veste domestica.] Qua scilicet domi vestiri solemus, exuta toga forensi. Tales vestes solent esse viliores,cùm forensia sint pretiosiora. Dixit Portius Cato, Vestiri in foro honestè mos erat , domi quod erat satis. De hac ait Seneca in libro de Tranquillitate vitæ,sic scribens: Placet vestis domestica , & vilis,nec seruanda,nec sumenda solicitè.

Celeberrimos vicos.] In Germania.

In Prætorio.] In tabernaculo : quod,vt alibi diximus, Augustale nominamus.

Triclinio.] Cœnatione,siue cœnaculo.

Camini.] Cùm caminus ipsius triclinii flammam concepisset. Κάμινον Græci fornacem vocant. Illud ex libro Danielis vel vulgo satis notum est, de tribus pueris coniectis in caminum, id est, in fornacem : vbi Græcè scriptum est: ὑπηρέται τ̃ βασιλέως καίοντες τὴν κάμινον νάφθῃ, καὶ πίσσῃ, καὶ στυππίῳ, καὶ κληματίδι. Id est, Ministri regis incendentes caminum, hoc est fornacem, naphtha,& pice,& stupa,& sarmento. Sed in hoc Tranquilli loco caminus non tam significatur fornax, quàm locus in cœnatione , vbi fit ignis , sicut & vulgò vsurpatur. Cicero in epistola quadam ad Atticum: Luculento camino vtendum censeo. Notissimus est ille Horatianus versus in hanc sententiam:

Per brumam Tyberis Sextili mense caminus.

Iurisconsulti titulo de seruitutibus prædiorum, heliocaminum appellant locum ostentum Soli,& sole calescentem. A camino deriuatur caminatus , ad similitudinem camini formatus. Plinius in decimoseptimo: Scrobes vbique caminata fossura, ore compressiore sint.

M. AN. IGnominiosis.] Ignominia aliqua notatis.

Reis.] Futuro iudicio quoquo modo obnoxiis.

Sordes.] Squallorem,habitúmque miserabilem.

Damnatis supplicio.] Aut mulctæ, aut damnationi addictis.

Transacto mense.] Ex quo in prouinciam venerat.

Neque diei.] Religiosúsne, an ater esset, an ad agendum idoneus.

Neq; temporis.] An sydera,& auspicia vetarẽt:quasi dicat,ea,quæ auspicatò fieri consuessent,temerè fierẽt: aut certè temporis rationem minimè habitam dixit, quia cùm iam aduesperasceret Imperator sit salutatus: sed prior sententia verior.

Vicos.] Vrbis.

Diui Iulii.] C.Cæsaris Dictatoris.

Detractum delubro Martis.] In quo fuerat suspensus. Plutarchus Aruernos in tẽplo gladiũ C.Cæsaris tanquã spoliũ suspensum habuisse ait: in quo posteà à Cæsare

consternatis,& quasi omine aduerso anxiis omnibus,inquit:Bono animo estote,nobis* alluxit:nullo sermone alio apud milites vsus.Cõsentiente deinde etiã superioris prouinciæ exercitu, qui*priùs à Galba ad Senatũ defecerat,cognomen Germanici delatum ab vniuersis cupidè recepit,Augusti distulit,Cæsaris in perpetuum recusauit.

*alluxit

*prior

Principatum inuadit. IX.


AC súbinde cæde Galbæ annuntiata,compositis Germanicis rebus,partitus est copias,quas aduersus Othonẽ præmitteret,quasque ipse perduceret.Præmisso agmine lætum euenit auspicium: siquidem à parte dextra repentè aquila aduolauit: lustratísque signis, ingressos viam sensim antecessit.At contrà, ipso mouente, statuæ equestres quum plurifariàm ei ponerentur, fractis repentè cruribus pariter corruerunt: & laurea, quam religiosissimè circundederat, in profluentem excidit. Mox Viennæ pro tribunali iura reddenti,gallinaceus supra hu-

sare conspectum ferũt illum risisse,ac eos,qui proximè steterãt,auferre inde conatos,ob religionẽ inhibuisse.

Flagrante.] Ardente.

Conceptu camini.] Incendio scilicet,quod caminus primò contraxisset.

PHIL. Consternatis.] Conterritis.

Omine aduerso.] Noxio,malóq; prodigio.

Nobis alluxit.] Nobis lux ista felicitatem, claritudinemq; denunciat. Interpretatus est Vitellius prodigiũ flammæ, caminiq; flagrantis sibi portendere fulgorem Imperatoriũ. sicut olim Darius Persarum rex ex somnio præsagium cepit futuræ claritudinis. Nãm cũm somniasset, castra Alexãdri magno ignis fulgore collucere, vates interpretabantur lætũ id regi somniũ esse, quòd castra hostiũ arsissent:sed qui rem diligẽtiùs pensitarunt, augurabantur illustria Macedonũ castra visa fulgore Alexandro portendere.

Superioris prouinciæ.] Scribit Plutarchus,exercitum,qui erat in Germania superiore,euertisse imagines Galbæ,& ad Vitelliũ,qui inferiori Germaniæ præerat,aberátque itinere vnius diei,se contulisse.

Cognomen Germanici.] Plutarchus: Tunc ferunt, Vitellium,cùm esset cibi & vini meridiani plenus, accessisse ad milites,à quibus esset Germanicus nominatus: Cæsaris verò nomen haud admisisse. Et ita quidẽ appellatus est in Germania Imperator Vitellius.

Augusti.] Scilicet cognomen.

Cæsaris.] Itidem cognomen.Scribit Tacitus,Vitellium præmisisse in vrbem edictum, quo Augusti vocabulum differret,Cæsaris non reciperet,cùm de potestate nihil detraheret.Consimiliter ait nomine Germanici Vitellio statim addito,Cæsarem se appellari etiam victor prohibuit.

Súbinde.] Móx,déinde.

Partitus est copias.] Vitellius duos duces, duo itinera bello destinauit:nam Fabius Valens Italiã ex Cottianis Alpibus rumpere iussus cum exercitu, Cecinnæ triginta millia armatorum data,cum quibus per Apennini iuga descenderet:suas quoq; Vitellius copias suppleuit tota mole belli secuturus.

A parte dextra aquila.] Quædam aues auspiciũ faciunt ratum à sinistra,vt cornix:quædã à dextra, vt coruus,& aquila:&,vt author est Seneca in secundo Quæstionum,aquilæ honor datur, vt magnarum rerum faciat auspicia. Huius augurii,historiæque meminit Tacitus his verbis:Lætum augurium Fabio Valenti,exercituíque,quem in bellum agebat,ipso profectionis die, aquila leni meatu, prout agmen incederet, velut dux viæ præuolauit,longúmque per spatium is gaudẽtium militum clamor,ea quies,interrita ea ales fuit, vt haud dubium magnæ & prosperæ rei omen acciperetur.

Lustratis.] Volatura circuitis:aliàs expiatis.Lustrare enim,sermo polysemus est, id est, multa significans: & in primis significat circuire. Vergilius:

Lustrat Auentini montem.-

Lustrari dicimus scortari, à lustris. Plautus:Luxantur, lustrantur,comedũt quod habent. Lustrare quoq;,expiare est : vnde lustratus, expiatus dictus. Lustrare est sequi,patefacere,perspicere.

Signis.] Romanis, in quibus principatum habet aquila:quæ festis diebus apud veteres insurgebantur: quã luxuriam castigat Plinius in XIII.

At contrà.] Quemadmodum auspicium faustum factum est Valenti, & copiis à Vitellio præmissis, ita è contrario ipsi Vitellio iam se ad expeditionem mouenti facta sunt ostenta inauspicata : cùm statuæ equestres ipsi dicatæ corruissent pluribus locis.

Cruribus.] Equestrium statuarum. Equestres verò statuæ,vt inquit Plinius in XXXIIII.Romanã celebrationem habẽt, orto sine dubio à Græcis exemplo. Equestrium statuarum origo perquam vetus est, cũ fœminis etiam honore communicato : Cloeliæ enim virgini statua equestris fuit posita.

Circundederat.] Qua caput coronauerat.

In profluentem.] Aquam fluuialem.

Excidit.] Suapte sponte cecidit ex capite in vndas profluentes:quod haud dubiè fuit ominosum.

Viennæ.] Ciuitas est Galliæ Narbonensis. In agro Viennensi vina picata nascebantur.

Gallinaceus.] Gallus gallinaceus.

M. AN. Omine.] Ostento. Inquit.] Vitellius.

Nobis alluxit.] Lux nobis oblata est : ad nouæ fortunæ splendorem alludens.

Superioris prouinciæ.] Germaniæ superioris,quum ipse in inferiore esset.

Defecerat.] De huiusmodi defectione in Galba affatim.

Germanici.] Quia in Germania fuisset Imperator consalutatus.

Augusti distulit.] Quasi posteà recepturus.

Aquila.] Regia auis,& quæ in Romanis fuit signis.

Lustratis.] Volatu circuitis : sic futuram præmissi cum Cecinna agminis victoriam portendit.

Mouente.] Ex Germania proficiscente.

Cruribus.] Equorum, in quibus figuratus sedebat.

Circundederat.] Capiti induxerat.

Par

merum, ac deinde in capite astitit. Quibus ostentis, par respondit exitus: nam confirmatū per legatos suos Imperium, per se retinere non potuit.

Gesta per eum post mortem Othonis, & reditus eius in urbem. X.

DE Bebriacensi victoria, & Othonis exitu, quū adhuc in Gallia esset, audiit. Nihilq; cūctatus, quicquid prætorianarū cohortiū fuit, vt pessimi exēpli vno exauctorauit edicto, iussas Tribunis tradere arma. Centū autē atque viginti, quorū libellos Othoni datos inuenerat, exposcentium præmiū ob editā in cæde Galbæ operam, cōquiri, & supplicio affici imperauit: egregiè prorsus, atque magnificè, & vt summi principis spem ostenderet, nisi cætera magis ex natura, & priore vita sua, quàm ex Imperii maiestate gessisset. Nanque itinere inchoato, per medias ciuitates ritu triumphantium vectus est, perque flumina delicatissimis nauigiis, & variarum coronarum genere redimitis. Inter profusissimos obsoniorum

PHIL. PAr respondit exitus.] Augurium aquilæ factum Cecinnæ, & Fabio Valenti Vitellianis legatis portendit illos futuros victores, sicut accidit: ostenta verò facta Vitellio portenderunt exitium, & cladem, quā mox passus est. Gallinaceus enim supra humerum, ac deinde capite sistens, significauit eum venturum in alicuius Gallicani hominis potestatem, sicut res ipsa cōprobauit: nā ab Antonio Primo aduersarū partium duce oppressus est, qui cognominatus fuit Becus: quod valet, vt infra declarabitur, gallinaceum rostrum.

De Bebriacensi victoria.] Quā apud Bebriacū deuictis Othonianis adepti fuerant Vitelliani.

Cùm adhuc in Gallia esset.] Ait Tacitus, Vitellium progressum iter paucorum dierum prosperas apud Bebriacum res, ac morte Othonis concidisse bellum accepisse.

Quicquid prætorianarum cohortium.] Quotquot milites aderant ex cohortibus prætorianis, eos Vitellius exauctorauit, priuauitq; armis, insignibusque militaribus, périnde ac Othoniani forēt, non Vitelliani: etenim à prætorianis Galba fuerat destitutus, & Otho creatus Imperator.

Vt pessimi exempli.] Pessimū exemplum præbuerant prætoriani erga Imperatorē, dum deserunt Galbam, & Othonē ipsi sine Senatus, populiq; authoritate faciunt Imperatorem. Igitur ne in posterum milites talia auderent in principem, Vitellius prætorianos exauctoratos iussit arma tradere Tribunis. Ita Cæsar apud Lucanum seditiosos & desertores militiæ arma reddere iubet. sic enim inquit:

Vadite, méque meis ad bella relinquite fatis:
Inuenient hæc arma manus, vobisque repulsis
Tot reddet fortuna viros, quot tela vacabunt.

Centum viginti, quorū libellos.] Cor. Tacitus rem explicat his verbis: Plures quàm centū & viginti libellos præmiū exposcentiū ob aliquam notabilem illa die operā Vitellius posteà inuenit, omnésq; conquiri, & interfici iussit, nō honore Galbæ, sed tradito principibus more, munimentū ad præsens, in posterū vltionem. Plutarchus quoq; tradit, multos, qui re vera homicidæ non fuerant, tanquā ipsi Galbam occidissent, manus, ensésq; cruentos Othoni ostentasse, à quo præmia exposcebāt per libellos: Itaq; centum posteà ac viginti inuēti sunt ex libellis petitoriis, quos Vitellius requisitos omnes occîdit. Ex natura, & priore vita sua.] Natura Vitellii, & prior vita fuerat defamatissima, & omnibus probris maculosa: vnde apud Tacitum ait Mutianus ad Vespasianum: Nec mihi maior in tua vigilantia, parsimonia, sapientia fiducia est, quàm in Vitellii torpore, inscitia, sæuitia. Igitur Vitellius repentè rediit ad se, & mores suos: quia naturam mutare difficile, imò impossibile est.

Per medias ciuitates.] Quantò magis propinquabat Vitellius vrbi, tantò corruptius erat iter, immissis histrionibus, & spadonum gregibus, & cætero Neronianæ aulæ ingenio. Bononiæ spectauit gladiatorum spectaculum à Fabio Valente editū: nunquàm enim ita ad curas intentus erat, vt voluptatum obliuisceretur.

Delicatissimis nauigiis.] In hoc imitatus videtur luxū Cleopatræ, quæ ventura ad M. Antonium per Cydnū Ciliciæ fluuium, vecta est nauigio delicatissimo, quod elaboratum fuisse Pacatus ostendit: cuius puppis erat aurea, vela purpurea funibus auratis pandebantur: remi argentei ad fistulæ, tibiæque modos agitabantur: ipsa verò regina sub tentorio aurato requiescens ad similitudinē Veneris ornata erat: pueri vtrinque collocati Cupidinibus persimiles, puellæ insignes Nereidum, & Gratiarum habitu partim gubernacula regebant, partim rudentibus innitebantur, ancillæ autē ripas fluminis complebant vaporibus: itaque vndique currebatur ad huiuscemodi spectaculum.

Redimitis.] Hoc est, coronatis nauigiis. Quidā codices habent, redimitus: tāquam Vitellius significetur coronatus multifariis coronis. magis quadrat vt ad nauigia referatur.

Obsoniorum.] Cibariorum. Verbum vetus est obsonare, quod significat emere obsoniū. Plautus in Bacchidibus: Pascite parasitos, obsonate pollucibiliter. id est, splendidè, & lauté. hoc enim significat aduerbiū illud, pollucibiliter. Pollucibilis cœna à Macrobio dicta opulenta, & dapsilis: super quo verbo plura aliàs. Obsonatores verò, vt in lib. Annotationum annotauimus, sunt ministri, qui præsunt obsoniis cōparandis: quibus, vt ait Seneca, notitia subtilis est dominici palati. Cato dixit obsonitauere, pro sæpe obsonanere. Græci ὄψον obsonium appellant: inde ὀψοποιὸς dictus concinnator obsoniorum. Dicebat Alexander Magnus habere se ὀψοποιοὺς βελτίστους: hoc est, coquos optimos, artificésq; ganeariorum cibariorum, videlicet ad prādium nocturnum iter, ad cœnam verò prandii parcitatem. Sed id Græcè dulcius, suauius venustiúsq; est: πρὸς μὲ ἄριστον νυκτοπορίαν, πρὸς δὲ δεῖπνον τὴν ὀλιγαριστίαν.

M. AN. PEr legatos.] Cecinnam, & Fabium Valentem.

Gallinaceus supra humerum.] Ad eius exitium id ostentum pertinuit: nam in Gallici hominis potestatē venit, cui Beco in pueritia fuerat nomen: quod périnde valet, ac gallinacei rostrum.

apparatus,nulla familiæ,aut militis disciplina, rapinas,ac petulantiam omnium in iocum vertens, qui non contenti epulo vbique publicè præbito, quoscunque libuisset in libertatem asserebant,verbera,& plagas,sæpe vulnera, nonnũquam necem repræsentantes aduersantibus. Vtque campos, in quibus pugnatum est,adiit,abhorrentes quosdam cadauerum tabem , detestabili voce confirmare ausus est,Optimè olete occisum hostem,& melius ciuem.Nec eò secius ad leniendã grauitatẽ odoris plurimum meri propalàm hausit,passímque diuisit pari vanitate,atque insolentia.Lapidem memoriæ Othonis inscriptum intuens,dignum eo mausoleo ait: pugionémque, quo se is occiderat,

Bebriacensi.] Ad Bebriacum parta.

Quicquid prætorianarũ cohortium.] Id est,prætorianas omnes cohortes:quippe quæ Galba obtruncato Othonem Imperatorem salutarant.

Exauctorauit.] Stipendio priuauit.

Iussas.] Cohortes.

Libellos Othoni datos.] Quibus præmia cædis in Galbam patratæ ab eo popoicerant.

Conquiri.] Ad supplicium scilicet.

Cẽtum & viginti.] Cædis reos.

Ex natura.] Quæ prodiga,& incontinens erat.

Redimitis.] Ornatis.

Familiæ.] Domesticorum.

PHIL. Familiæ.] Imperatoriæ.

Nulla disciplina.] Qualis princeps, tales aulici sunt: &, vt inquit eleganter Epigrammatarius poeta,

> Nemo suos,hæc est aulæ natura potentis,
> Sed domini mores Cæsarianus habet.

Igitur cùm Vitellius solam gulam ventrémque meditaretur,meritò apud illum omnia erant indisposita,temulenta:&,vt inquit Tacitus,peruigiliis, ac Bacchanalibus,quàm disciplinæ,& castris,promptiora.

Rapinas,ac petulantiam.] E contrario Pescenius Niger tanta seueritate coercuit licentiam militarem, vt ob vnius gallinacei direptionem,decem commanipulones,qui raptum ab vno cõmederant,securi percuti iusserit:& fecisset,nisi ab omni exercitu propè vsque ad metum seditionis esset rogatus:tamen iussit vt denorum gallinaceorum pretia redderẽt prouinciali : addito eo, vt tota in expeditione in commanipulatione nemo focum faceret,ne vnquam recèns coctum cibum sumerent:sed pane,ac frigidis vescerẽtur,appositis speculatoribus,qui id curarent.Cæterùm de petulãtia, & rapinis Vitellianorum sic scribit Cor. Tacitus:Dispersi per municipia,& colonias Vitelliani spoliare, rapere vi,& stupris polluere : in omne fas,nefásque auidi,aut venales,non sacro,non profano abstinebant.Item: Vires luxu corrumpebantur contra veterem disciplinam, & instituta maiorum,apud quos virtute,quàm pecunia res Romana meliùs stetit.

Publice.] Publica ciuitatum impensa.Ait Tacitus, exhaustos esse principes ciuitatum apparatibus conuiuiorum,ipsásque ciuitates vastatas,dum explere nõ possunt gulam Vitellii inexplebilem.

Quoscunque.] Alienos seruos.

Aduersantibus.] His,qui prohiberent mancipia à Vitellianis asseri in libertatem.

Repræsentantes.] Sine cunctatione inferentes.

Campos.] Bebriacenses.

In quibus pugnatum est.] Vitellius lustrare oculis concupiuit vestigia recentis victoriæ:vidit itaque fœdum,ac atrox spectaculum intra quadragesimum Bebriacensis pugnæ diem.Lacera enim corpora, trunci artus,putres hominum,equorúmque formæ. Infecta tabo humus visebatur. Aderant Valens,& Cecinna monstrantes pugnæ locos:vulgus quoque militum intuebatur aggerem armorum,& strues corporum mirabatur. Contrà erant,quos varia sors rerum lacrymæ,& misericordia subiret. At ipse Vitellius non flexit oculos, nec tot millia insepultorum ciuium exhorruit: lætus vltro, & futuræ sortis,quæ iam propinquabat, ignarus instaurabat sacrum diis illius loci.

Tabem.] Corruptum sanguinẽ, & putredinem.

Optime olere hostem.] Vox Vitelliana planè sanguinaria, ac detestabilis,quæ non abhorret ab illa truculenta Annibalis voce, qui cùm fossam sanguine humano plenam vidisset,dixisse proditur: O formosum spectaculũ! Potest huic Vitellianæ voci execrandæ comparari proclamatio illa nefaria Volesi Asiæ proconsulis:qui cùm trecentos vna die securi percussisset,incedens intra cadauera vultu superbo,quasi magnificum quiddam,conspiciendúmque fecisset,proclamauit:O rem egregiam! Fuit eiusdẽ Vitellii illa quoque vox sæuissima, qua se pauisse oculos, spectata Blesi inimici morte,iactauit.

Nec eò secius.] Nec ideo minús.

Plurimum meri hausit.] Tanquam vini odor,& haustus leniret tetrum illum,pestiferúmque odorem ex tabescentibus corporibus emanantem.

Passim diuisit.] Inter milites merum partitus est.

Memoriæ Othonis inscriptum.] Ait Plutarchus, se vidisse monumentũ Othonis cum hac breuissima inscriptione,Marci Othonis.

Eo mausoleo.] Sepulcro. Et cùm mausoleum propriè significet sepulcrum magnificenter extructum, & regium,illudens Vitellius dixit, Othonem dignum esse tali mausoleo:cùm sepulcrum illud vix priuato , nedum principi,conueniret.

Is.] Otho.

M. AN. Quoscunque.] Ex alienis seruis,qui fontem circunsteterant.

Repræsentantes.] Restitutionis loco inferentes.

Aduersantibus.] Iniuriam patri recusantibus.

Optimè olere occisum hostem.] Suauem odorem emittere.

Et melius ciuem.] Suauius ciuis cadauer: eáque fuit vox illa detestabilis, qua suos confirmare est ausus.

Nec eò secius.] Nec ob id minús.

Diuisit.] Merum scilicet militibus.

Vanitate.] Verborum.

Mausoleo.] Sepulcro. Ab sepulcro Mausoli regis, aliorum dicta sunt mausolea: de quo Plinius libro tricesimosexto, cap.v. Opus id vt esset inter septem miracula,ii maximè artifices fecere. Patet ab Austro & Septentrione sexagenos ternos pedes. Breuius à frontibus toto circuitu pedes quadringentos vndecim, attollitur in altitudinẽ xxv.cubitis, cingitur colũnis xxxvi.

Is.] Otho.

In

in Agrippinensem coloniam misit Marti dedicandum. In Apennini iugis etiam peruigilium egit.

Gesta per eum in initio principatus. XI.



Rbē quoq; ad classicū introiit paludatus, ferróq; succinctus inter signa, atq; vexilla sagulatis comitibus, ac detectis cōmilitonū armis. Magis deinde, ac magis, omni diuino, humanóq; iure neglecto, Alliensi die pontificatū maximū cepit. Comitia in decē annos ordinauit, séque perpetuū Consulē. Et ne cui dubiū foret, quod

PHIL. IN Agrippinensem coloniam.] Agrippina Neronis mater, vt vim suam externis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Vbiorum, qui tunc in Germania inferiore, in quo genita erat, coloniam deduxit, cui nomen ex vocabulo ipsius inditum est: nam Agrippinensis colonia dicta: Tacitus author. Meritò Vitellius in hanc coloniam misit pugione Othonis Marti cōsecrandum: propterea quòd in Agrippinensi colonia primùm Imperator fuit consalutatus. Ammianus Marcellinus refert, Agrippinam coloniam fuisse in secūda Germania. Ita enim appellat Inferiorem Germaniā, quū primam Germaniam appellet, quam alii superiorem dixerunt.

Marti.] Germani inter cæteros deos Martem colūt, quem animalibus placant: quanuis Cæsar in Commentariis prodiderit, deorū numero eos solos à Germanis existimari, quos cernunt, videlicet Solem, Vulcanū, & Lunam. Quòd autem & Herculem venerētur, & Martem, testis Tacitus in libro de situ Germaniæ.

Peruigilium.] Suprà annotatum est, peruigiliū dici sacrum, in quo totam noctem peruigilamus. Paulò antè retulimus, omnia apud Vitellium fuisse peruigiliis, quàm disciplinæ militari promptiora.

Ad classicum.] Ad classici sonum. Alibi memorauimus, classicum dici & tubam, & sonum.

Paludatus.] Habitu militari. Paludamēta enim insignia sunt militaria, vnde paludati dicti, sicut antè dictum est. Cornelius Tacitus hoc idem memorans ait: Ipse Vitellius à pōte Mului insigni equo paludatus, accinctúsque Senatum, & populum ante se agens, quominùs in captam vrbem ingrederetur amicorum consilio deterritus, sumpta prætexta, & composito agmine incessit.

Inter signa, atq; vexilla.] Seiūgit signa à vexillis, veluti diuersa, tāquam signorum appellatione intelligantur aquilæ, quas aquiliferi portant, quæ sunt prima signa legionum: vexilla verò minora signa: vnde vexillationes & vexillarii dicti. Vexillum flammeū scribit Ammianus fuisse signum belli. Cor. Tacitus & ipse discreuit hæc duo sic scribēs: Quatuor legionum aquilæ per frontem, totidémq; circa e legionibus aliis vexilla, mox duodecim alarum signa.

Sagularis.] Sagulo indutis: saga autem, cuius diminutiuum est sagulū, sumebant tempore belli. id quod in superioribus annotauimus.

Detectis.] Denudatis, ostentatis, reiecta ephestride: sic enim Græci vocant vestem, quæ armatis superinduitur. Corn. Tacitus introitum Vitellii in vrbem memorans ait hæc: Ante aquilam præfecti castrorum, tribuníque & primicenturionum candida veste, cæteri iuxta quisque centurionem armis, donísque fulgentes, & militum phaleræ, torquésque splendebant: decora facies, & non Vitellio principe dignus exercitus. Sic Capitolium ingressus, atque ibi matrem complexus Augustæ nomine decorauit.

Alliensi die.] Ominoso, & infausto. Dictus est autem dies Alliensis ab Allia fluuio, qui è Crustuminis montibus præalto defluens alueo Tyberino amni miscetur vndecimo ab vrbe lapide: vbi magna strage Romani à Gallis profligati sunt. Mox vrbs à Gallis capta, incensáque est præter Capitolium. Fuit autem hic dies ad quintumdecimū Calendas Sextiles duplici clade insignis. Naq; eodem prius die ad Cremeram Fabii cæsi: deinde ad Alliam cum exitio vrbis fœde pugnatū est. Romani hunc diem à posteriore clade Alliensem appellarunt, insignémque rei nullius publice, priuatímque agendæ fecerunt: author Liuius in VI. Cicero in epistolis ad Atticū de die Alliensi scribit hæc: Maiores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnæ, quàm vrbis captæ, quòd hoc malum ex illo. Itaque alter etiam nunc religiosus dies, alter in vulgus ignotus. Igitur cùm dies Alliensis inter religiosos, & atros, & ominosos numeretur, apud Romanos cuncta interpretantes acceptum est loco funesti ominis quòd maximum pontificatum Vitellius cepisset die antiquitus infausto duabus cladibus Cremerensi, & Alliensi.

Diuino, humanóque.] Corn. Tacitus: Adeò omnis diuini, humaníque iuris expers pari libertorum, amicorúmque socordia, velut inter temulentos agebat.

Comitia ordinauit.] Sensus est: Magistratus, qui comitiis, comitialibúsque diebus quotannis creari solebant, à Vitellio per decem annos ordinati sunt, vt ita per decennium minimè foret opus habere comitia magistratuum causa. Ait Tacitus, Vitellium comitia consulum cum candidatis ciuiliter celebrantem affectasse etiam infimæ plebis rumorem in spectaculis.

M. AN. IN Agrippinensem coloniam.] Quæ Belgica Gallia est.

In iugis Apennini.] In summa Apennini parte.

Peruigilium egit.] Insomnem noctem traxit: metúne, an religione, an potiùs continua potatione, non intelligo.

Paludatus.] Paludamento ornatus. Corn. Tacitus ait amicorum consilio deterritum priùs, quàm vrbem ingrederetur, paludamento deposito prætextam sumpsisse.

Sagularis comitibus.] Sagulo, militari veste succinctis.

Detectis armis.] Quasi hostilem ingressus vrbem.

Diuino, humanóque iure.] Religionis, & ciuitatis ritu.

Alliensi die.] Postridie Idus Quintiles: quo die à Q. Sulpitio tribuno militū infeliciter est ad Alliam flumen cum Senioribus Gallis pugnatum: Liuius, & Macrobius sunt authores. Tacitus ait diem illum Alliensi, & Cremerensi clade fuisse infamem: is enim, & omnes postridiani dies, qui post Idus, Nonas, & Calendas proximè sequebantur, infausta appellatione atri sunt dicti: quippe qui neque præliares, neque puri, neque comitiales habebantur.

Comitia.] Hoc ad ciuitatis ritum referas, quod nouo penè exemplo in tot annos futuros magistratus, séque perpetuum consulem constituisset.

exemplar regendæ Reipublicæ eligeret, medio Martio campo adhibita publicorum sacerdotum frequentia, inferias Neroni dedit: ac solenni conuiuio citharœdũ placentem palàm admonuit vt & aliquid de Domitio diceret: inchoantiq; Neroniana cantica primus exultans etiam plausit.

Progressus eius in initio principatus. XII.

TAlibus principiis magnam Imperii partem non nisi consilio, & arbitrio vilissimi cuiusque histrionũ, & aurigarũ administrauit, & maximè Asiatici liberti. Hunc adolescentulum mutua libidine constupratum, mox tædio profugum, cùm Puteolis poscam vendentẽ reprehendisset, coniecit in compedes, statímq; coluit, & rursus in deliciis habuit. Iterũ deinde ob nimiam contumaciam, & ferocitatem grauatus,

PHIL. EXemplar.] Archetypon, quod sequi vellet, & imitari.

Inferias Neroni dedit.] Neroni sacrificauit. Inferiæ enim dicuntur exequiæ, & sacrificia, quæ diis manibus inferuntur. Tacitus in hanc sententiam sic scribit: Apud bonos inuidiæ fuit, quòd extructis in cãpo Martio aris inferias Neroni iecisset.

Placentẽ.] Oblectantem, & auribus principis satisfacientem.

De Domitio.] In laudem Domitii Neronis.

Neroniana cantica.] Nomine Neronianorum canticorum significãtur carmina in laudem Neronis à citharœdo cantata, vel quæ Nero ipse solitus erat canere.

Plausit.] Tanquam fautor, probatórq; cantici Neroniani. Plausu enim excipimus, quibus fauemus: sibilo verò, quos explodimus.

Arbitrio vilissimi cuiusque.] Aggregabantur, inquit Tacitus, è plebe flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti scurræ, histriones, aurigæ: quibus ille amicitiarum dehonestamentis mirè gaudebat.

Asiatici liberti.] Mirum dictu est quemadmodum libertini homines fuerunt potẽtes, pollentésque apud Romanos principes, quorum non pauci libertorum arbitrio regebantur: sicut iam de Narcisso & Pallãte potentissimis libertorum apud Claudium, suprà memorauimus. De Icello Martiano apud Galbam fauorabili, iam facta est mentio: quid in præsentia memorem Neronianos libertos? Quid Demetrium Pompeianum? Cuius tanta fuit apud patronum authoritas & existimatio, vt supra libertorum modum vsque ad inuidiam excelleret: vt ab eo patriam Gadaram reformari popoposcerit, & impetrauerit. Itidem Vitellius libertũ habuit nomine Asiaticum, quem honorauit annulis, & equestri dignitate. Refert Cornelius Tacitus, Vitellium postulante exercitu, vt libertum suum Asiaticum Equestri dignitate donaret, compescuisse adulationem inhonestã: qui mox mobilitate ingenii, quod palàm abnuerat, inter secreta conuiuii largitus est: honorauítque Asiaticum annulis fœdum mancipium, & malis artibus ambitiosum.

Mutua libidine.] Dum vicissim & agit, & patitur: &, vt inquit ille, morbo pallet vtroque.

Profugum.] A Vitellio profugientem ob tædium infandæ libidinis.

Puteolis.] Ciuitate Campaniæ, quæ alio nomine dicta est Dicæarchia, propterea quòd ea ciuitas quondã iustissimè regebatur: authores Plinius, & Festus. Hinc à Papinio dictum in secundo Syluarum:

Celsa Dicarchæi speculatrix villa profundi.

Puteolos autem appellauerunt Romani à puteorũ frequentia, vel à putore potiùs, quòd putridus sæpe hic locus est odoribus ex sulfure, & alumine: M. Varro, & Strabo authores.

Reprehendisset.] Retraxisset. Ita Liuius: Vt quosdam consul manu ipse reprehenderit, verteritq; in hostem. Apud oratores controuersiæ genus est, quod Hermagoras μετάληψιν appellat, nostri reprehensionẽ. Ideo autem reprehensio vocatur, vt docet Fortunatianus, quòd tum maximè inducatur, si indicũ causa reprehenditur, & quasi retrahitur.

Poscam vendentem.] Posca potionis genus est, quam Græci ὀξύκρατον vocant: quæ ex aquæ, acetiq; mistura conficitur. Corn. Celsus in II. Dari potest intrita, vel ex aqua calida, vel ex posca. Plinius in XXX. Tormina sanat palumbus ferus ex posca decoctus: apud eundem hæc dictio est frequens.

In compedes.] Vincula pedũ dici compedes, nullus ignorat: Inde cõpediti pro vinctis accipiuntur. Nonius Marcellus non à pedibus, sed ab impediendo cõpedes dici autumat. Est enim verbum compedio, sicut impedio. Varro in Flexibulis: Domo exeo, intro, & pedes corrigiis compedio. Genera compedum sunt numellæ, boiæ, pedicæ, neruus. Est enim neruus vinculum ferreũ, quo pedes impediuntur: ex quo est illud scitum Catonis dignum memoratu: Fures priuatorum furtorum in neruo, atque in compedibus ætatem agunt: fures publici in auro, atque in purpura.

Ob nimiam contumaciam.] Natura libertinorum, seruorumq; hæc fermè est, vt sint contumaces in dominos, patronósque. Contumaciam in bonam quoq; partem accipi posse, testis est Cor. Tacitus, qui sic ait: Contumax etiam aduersus tormenta seruorum fides: supremæ clarorum virorum necessitates.

M. AN. EXemplar.] Quam formam, aut institutum Neronis scilicet, & non alterius principis.

Inferias.] Exequias. Tacitus. In campo, inquit, Martio extructis aris, quum inferias Neroni iecisset, cæsæ publicè victimæ.

De Domitio.] Nerone, ex iis canticis, quibus ille vti consueuerat, aut certè de eius laudibus.

Neroniana cantica.] Quæ Nero inuenerat, aut libentiùs vsurparat, aut eius in laudem edita.

Plausit.] Canentem plausu excepit.

Histrionum, & aurigarũ.] Tacitus, Vitellio, inquit, cogniti scurræ, histriones, aurigæ: quibus dehonestamentis mirè gaudebat. Mutua libidine.] Mutuo stupro.

Tædio.] Obscœnæ consuetudinis.

Profugum.] Portò fugatum.

Poscam.] Aquam aceto mistam: quidam, quod non probo, loram interpretantur.

In compedes.] In vincula: sunt enim compedes pedum vincula. Iuuenalis:

-Fastidit compede fossor. Contumaciam.] Ob contumax, & intractabile ingenium.

Circ

circunforaneo lanistæ vendidit, dilatúmque ad finem muneris repentè surripuit, & prouincia demum accepta manumisit: ac primo Imperii die aureis donauit annulis super cœnam, cùm manè rogantibus pro eo cunctis, detestatus esset seuerissimè talem Equestris ordinis maculam.

Comessationes, & epulæ eiusdem. XIII.



Sed vel præcipuè luxuriæ, sæuitiæque deditus epulas trifariàm semper, interdum quadrifariàm dispertiebat: in ientacula, & prãdia, & cœnas, comessationésque, facilè omnibus

PHIL. Circunforaneo lanistæ.] De lanistis, qui emunt, docentque familias gladiatorias, abundanter iam dictum est. Circunforaneus autem lanista dicitur, qui circum fora multa discurrit, versatúrque, vt gladiatores vel emat, vel munerariis vendat. Dictio generalis est: vnde à M. Tullio in oratione pro Cluentio Lucius Clodius pharmacopola circunforaneus nominatur, qui fora multa multorum oppidorum circuibat, & pharmaca vendita bat. A Hieronymo monachus circunforaneus dictus in epistola ad Domnionem, cuius verba sunt hæc: Scribis eos, imò nescio quem de triuio, de compitis, de plateis, circunforaneũ monachum, rumigerulum, rabulũ, vafrum, tantùm ad detrahendum concionari aduersum me.

Delatum ad finem muneris.] Corrige dilatũ, & intellige protractum, prolongatúmque, vt dici solet: vt nouissimus in spectaculo gladiatorio depugnaret. Sensus est: Vitellius furtim, clanculúmque surripuit Asiaticum lanistæ, cùm extremo loco productus digladiari deberet in spectaculo gladiatorum.

Surripuit.] Furtim subtraxit. Inde à Plauto puer subreptitius dictus, qui à mercatore subreptus fuit, dũ inter homines aberrasset à patre.

Prouincia accepta.] Germania Inferiore.

Primo Imperii die.] Significatur dies ille, quo primum nuntiũ accepit de Bebriacensi victoria, & Othonis morte. Tunc enim, vt dudum retulimus, postulauit exercitus à Vitellio, vt libertum suum Asiaticum Equestri dignitate donaret: qui militum adulationem veluti inhonestam compescuit: deinde ex ingenii mobilitate quod palàm abnuerat, inter secreta conuiuii largitus est, honorauitque Asiaticum annulis mancipium, vt Taciti verbis vtar, fœdum, & malis artibus ambitiosum.

Cunctis.] Toto exercitu rogante vt Asiaticus Equestri dignitate donaretur.

Talem maculam.] Tanquam Asiaticus Equestri dignitate donatus, illum ordinem esset maculaturus, polluturúsque quodam quasi dehonestamento. Nam, vt inquit eleganter Hieronymus, triumphi interdum triumphantium sordibus polluuntur.

Luxuriæ.] Nomine luxuriæ signat immodicã profusionem, luxúmque epularum, & ganeæ inexplebilis.

Trifariàm.] In tres partes: sicut quadrifariàm in quatuor.

Ientacula.] Qui primus ieiunorum cibus est, quo peculiariter pueri vtuntur: prisci prandicula vocauerunt. Græci ἀκρατισμὸν καὶ ἀκράτισμα dicunt. Scribit Aristoteles in nono de animalibus, aquilam non venari, nec operari, sed quiescere μέχρι ἀκρατίσματος, id est, vsque ad ientaculum. Interpres Aristotelis interpretatus est, dum prandendum sit.

Comessationes.] De comessationibus, & comessatoribus ante dictũ est. In hoc loco comessationes propriè significãtur cibi, potúsque, qui post cœnam ex luxu sumuntur. Comessari enim propriè, est post cœnam epulari: quod in Domitiano apertè significatur cũ ait: Cõuiuabatur frequenter, & largè, sed penè raptim, certè nõ vltra Solis occasum, nec vt posteà comessaretur. Consimiliter Liuius lib. xl. refert, Demetriũ post cœnam, qua sodales acceperat, dixisse, Quin comessatum ad fratrem imus? Idem pòst paulum ait: Comessatores tanquam ad cædem suam venientes aditu ianuæ arcet. Itẽ conuiuam separat à comessatore, tanquam conuiuã ad conuiuiũ, comessatorem verò post cœnam ad comessationem. Sic enim loquitur apud eundẽ Perseus criminans fratrem Demetriũ: Conuiuam me tibi committere ausus non sum: comessatorem te cum armis recipiam? Ab eodem comessatio vsurpatur in hoc significatu, quo apud Tranquillum accipitur, vt scilicet accipiatur pro postcœnia. Cur enim non liceat nobis dicere postcœniam, sicut licuit veteribus dicere antecœniam, & domicœnium? Interdum comessationes vocamus generali vocabulo epulationes, compotationésque cum luxuria & crapula, veluti voragines mensarum. Vnde comessabundus Alexandri Magni exercitus dicitur à Quinto Curtio, quasi indulgens præter modum, & extra ordinem prodigis epulis, gulonúmque escariæ voluptati. In Decretis canonicis, dist. xliiij. comessationes culpantur tanquam noxiæ, nõ solùm sacerdotibus, sed etiam laicis. Augustinus quoque comessationes, & ebrietates tolli iubet, non asperè, neque duriter, sed monendo magis, quàm minando, docẽdo magis, quàm iubendo. In alia significatione comessationes accipiuntur apud Aristotelem, tanquam fint conuiuia ex collatione, symbolisque confecta, quæ Lacedæmonii Phiditia, Cretes Andria nuncupauerunt: vnde ait in secundo Politicorum: Comessationes phiditia nominant Lacedæmonii, apud quos vnusquisque conferre habet, & si sunt pauperrimi: qui verò comessationum esse participes nequeunt, hi ad Reipublicæ gubernationem non admittuntur. Idem in vii. Politicorum tradit, hanc comessationum institutionẽ esse oppido quàm vetustam, quæ in Creta facta est regnante Minoe: sed multò priùs in Italia comessationes institutæ fuerunt ab Italo rege Oenotriorum. Oportet autem, vt inquit idem Aristoteles, ad harũ comessationum communionẽ admitti ciues vniuersos: cùm tamen non facile sit, vt pauperes contribuere statutam pensionem possint. Ideo autem phiditia dicuntur à Lacedæmoniis conuiuia, comessationésque, quia scilicet φιλίας, id est, amicitiæ, & humanitatis ea fint, δ pro λ accipiendo: siue quòd ita consuescerent ad parsimoniã, & frugalitatẽ, quæ Græcè dicitur φειδώ. Tertiam quandã etymologiam affert Plutarchus in Lycurgo: Andria verò appellauerunt Cretensium conuiuia, quasi dicas virilia: ex eo quòd ἄνδρες, id est, viri adultæ ætatis ad ea vocabantur: de quibus multa Strabo in x.

M. AN. Circunforano.] Habent omnes Tranquilliani, quos vidimus, codices, sed circunforaneo legendum: dicuntur autem circunforanei, qui circa forum versantur venditantes aliquid, aut ementes.

Dilatum.] Apud lanistam tandiu relictum.

sufficiens vomitādi consuetudine. Indicebat autē aliud alii eadem die, nec cuiquam minus singuli apparatus quadrigenis millibus nūmûm constiterunt. Famosissima super cæteras fuit cœna ei data aduentitia à fratre, in qua duo millia lectissimorū piscium, septem auium apposita traduntur. Hanc quoque exuperauit ipse dedicatione patinæ, quā ob immensam magnitudinem clypeum Mineruæ αἰγίδα πολιούχου dictitabat. In hac

Ad finem muneris.] Ad id tempus vsque, quo à lanista producendus erat in arenam: aut certe ad gladiatorii muneris exitum.

Surripuit.] Clandestinè rapuit.

Manumisit.] Libertate donauit.

Aureis annulis.] Equestri dignitate.

Talem maculā.] Vt homine tam sordido honestissimum ordinem contaminaret.

Sufficiens.] Ad tot epulas ingurgitandas.

PHIL. Vomitandi cōsuetudine.] Seneca luxus, & gulæ obiurgator acerrimus ait: Edūt vt vomant: vomunt vt edant. Asclepiades dānauit vomitiones crebriores. Cor. Cellus, vomitum hyeme, quàm æstate, vtiliorē esse prodidit: verum luxuriæ causa fieri non oportere conuenit, sed valetudinis. Qui vomere bis in mense vult, melius consulet, si biduo continuauerit, quàm si post quatuordecimum vomuerit. Seneca taxat vomitores: sic enim appellantur, qui vomunt, vt mox refarciantur. Talis erat Vitellius, qui quod turpiter ingesserat, turpius egerebat: nimirum tales geniti sunt ad vina & cibaria perdenda: cùm fœdissimum sit, stomachi sui non nosse mensuram.

Indicebat.] Denuntiabat. Prisci in eadem significatione vsurpabant, condicebat.

Aliud alii.] Vt apud alium pranderet, apud aliū cœnaret, apud alium comessaretur. Solebat Heliogabalus quoq; id genus conuiuia celebrare, vt apud amicos singulos singuli ferculorum missus appararentur.

Singuli apparatus.] Ientaculorum, vel prandiorū, vel cœnarum, vel comessationum.

Cœna aduentitia.] Aduentitiā intelligit cœnā, quæ data fuit Vitellio à fratre suo in vrbē aduentu. Martialis eleganter aduentoriam appellauit epistolam, quæ aduentanti amico obuiam mittitur.

Famosissima.] Memoratissima quidem, & celebratissima, sed reprehensibilis magis, quàm laudabilis.

Lectissimorum.] Pretiosissimorum.

Septem auium.] Scilicet millia. De hac cœna sic refert Eutropius: Nobilissima certè cœna memoriæ mandata est, quam ei Vitellius frater exhibuit, in qua super cæteros sumptus, duo millia piscium, septem millia auiū apposita traduntur.

Dedicatione patinæ.] De hac Plinius in xxxv. scribit hæc: At Hercules Vitellius in principatu suo decen tis sestertiis cōdidit patinā, cui faciundæ fornax in campis ædificata erat: quoniam eò peruenit luxuria, vt etiā fictilia pluris constent, quàm murrhina. Propter hāc patinā Mutianus exprobrauit patinarū paludes Vitellio.

Clypeum Mineruæ.] Clypeum Mineruæ à rotunditate videlicet, & enormi magnitudine patinam appellabat. Cum clypeo autem Mineruam pingi notissimum est vel illo Nasonis testimonio,

At sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam.

Cur autem cū clypeo Minerua formetur, causa hæc est, vt eruditi autumant, quòd orbis, qui sub clypei specie figuratur, regitur à sapientia. Martianus:

Hinc tibi dat clypeum sapiētia, quòd regat orbem.

Αἰγίδα πολιούχου.] Id est, ægida patroni ciuitatis. Vitellius Græco vocabulo patinam nominauit αἰγίδα πολιούχου, quasi scutum Iouis custodis vrbis, ab amplitudine, & orbiculatione. Aegis autem, scutum est Iouis: vnde Aegiochos à Græcis cognominatus, quasi tenens ægida: quanuis quidam Iouē Aegiochon interpretentur, quasi à capra nutritum. De ægide Iouis dixit Maro in VIII.

Credunt se vidisse Iouem, cùm sæpe nigrantem
Aegida concuteret dextra, nimbósque cieret.

vbi exposuit Seruius, ægida esse pellē capræ Amaltheæ nutricis Iouialis, quam in sinistra Iupiter tenet. Higinus libro de signis Iouē Aegiochū dictum esse tradit, propterea quòd ægos, id est, capræ pelle tectus, quam ægida Græci appellauerunt, Titanas superauerit, regnúmque sit adeptus. Potes, si libet, hoc totum referre ad ægida Mineruæ: tanquam Vitellius appellauerit patinam suam clypeum Mineruæ, & ægida πολιούχου, id est, Mineruæ vrbis patronæ. Mineruam autem ægide armari quis ignorat, qui vel saltem legerit illud Vergilianum:

Aegidáque horrificam turbatæ Palladis arma.

Aegis verò propriè est munimentum pectoris æreū habens in medio Gorgonis caput: quod munimentum, vt inquit Seruius, si in pectore numinis fuerit, ægis vocatur: si in pectore hominis, sicut in antiquis Imperatorum statuis videmus, lorica dicitur. Hanc differentiam signauit Martialis quoque sic scribens:

Dum vacat hæc Cæsar, poterit lorica vocari:
Pectore dum sacro sederit, ægis erit.

Aegida autem à clypeo discerni docet Ouidius, cùm in VI. Metamorphoseos de Pallade loquens ait:

At sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam:
Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus.

Patrona autem vrbium est, quòd in arce templa veteres Palladi sacrarunt. Cuius rei causam dicit esse Martianus in hymno Palladis:

Quod ratio amplificet, quódque est elatior vrbes.
Et in ægide Medusam saxificā ideo gestare memoratur:
Quòd pauidum stupidet sapiens solertia vulgus.

Et quoniam incidimus in ægidis mentionē, velut in transcursu referenda sunt, quæ tradit Herodotus in IIII. Historiarum, qui ait Græcos mutuatos esse ab Aphris ægidas Mineruæ: quippe apud Aphros fiūt vestes pelliceæ ad instar ægidis fimbriatæ, à quibus ægeis, id est, caprinis pellibus ægidas Græci nominauerunt. Sed iam ad institutum redeamus.

M. AN. Vomitandi consuetudine.] Crebro vomitu stomachū leuabat. Plinius: Vomitiones homini ad hæc in remedium excogitatæ.

Indicebat.] Denuntiabat.

Aliud alii.] Huic prādium, illi cœnā. quasi dicat, alii alia diei hora se conuiuam affuturum prædicare, huic mane, illi vesperi. Nec cuiquam eorum.] Cui prandium, aut cœnam indixerat.

Famosissima.] Præter cæteras infamis.

Aduentitia.] Sub ipsius Vitellii aduentum. Posset nec ineptè aduentitia legi, ab exoticorum obsoniorū apparatu. Septem auium.] Millia repete.

Dedicatione patinæ.] Plinius lib. x. cap. cap. LI. Clodii Aesopi tragici histrionis patinam celebrat sexcentis sestertiis taxatam.

Scar

Scarorum iecinora, phasianorum, & pauonũ cerebella, linguas phœnicopterûm, murænarum lactes à Carpathio vsq;, fretóq; Hispaniæ per nauarchos

PHIL. Scarorum iecinora cõmiscuit.] Speciatim enumerat esculentiora cibaria, quæ in Vitelliana patina fuerunt commista. Est autem scarus piscis, qui solus dicitur ruminare, herbisque vesci, non aliis piscibus. Huic tempore Plinii dabatur principatus in honore mensarum. Tyberio Claudio principe Optatus Elipertius præfectus classis scaros aduectos ex mari Carpathio inter Hostiẽsem & Campaniæ oram sparsos disseminauit, miro ac nouo exemplo, vt inquit Macrobius pisces in mari, tanquam in terra fruges aliquas disseminare. Ouidius prodidit in eo volumine, quod Hali euticon, id est de piscatoriis inscribitur, scarũ inclusum nassis non frõte erumpere, nec infestis viminibus caput inserere, sed auersum caudæ ictibus crebris laxare fores, atq; retrorsum ita erumpere: quem luctatum eius si forte alius scarus extrinsecus videat, apprehensa mordicus cauda adiuuare nixus erumpentis. Quòd autem iecinora scarorum, & viscera iucundioris sint saporis, indicat Martialis, qui sic ait in Xeniis:

Hic scarus æquoreis qui venit obesus ab vndis,
Visceribus bonus est, cætera vile sapit.

De scaris piscibus tanquam bonitate saporis præcellentibus ait Horatius in Epodo Ode 11.

Magisve rhombus, aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare.

De scaris ait Ambrosius in v. Hexameri: Denique non ruminant pisces, solus tamen scarus in iis ruminare perhibetur, vt ferunt quibus aut euentus, aut visus fuit, aut studium talia comprehendere. Ait Quintilianus, scarũ non capi in nostro mari: at eundem capi in Siculo docet Petronius Arbiter eùm ait:

Ingeniosa gula est, Siculo scarus æquore mersus
Ad mensam viuus perducitur.-

Iecinora.] Declinatur à grammaticis iecur iecoris, vel iecinoris: qui genitiuus, vt ait Priscianus in v i. videtur à nominatiuo iecinus, qui in vsu non est, inclinatus. Plinius: Sex victimarum iecinora replicata intrinsecus reperta sunt. Diminutiuum iecoris est iecusculum. Cicero in 11. de diuinatione, Nam & musculorum, inquit, iecuscula bruma dicunt augeri.

Phasianorum, & pauonum cerebella.] Scribit Lampridius, Heliogabalum exhibuisse Palatinis ingentes dapes, quæ erant refertæ cerebellis phœnicopterorũ, & cerebellis turdorum, & capitibus psittacorum, & phasianorum, & pauonum.

Phœnicopterũm.] Apitius nepotũ altissimus gurges linguam phœnicopteri auis præcipui saporis esse docuit, sicut antè dictum est Seneca: Nõ desideras milliarios apros, nec linguas phœnicopterorum, & alia portenta luxuriæ. Milliarii apri, vt Senecæ verbum intelligas, dicuntur à pondo mille librarum: quorum meminit M. Varro in tertio de re rustica.

Murænarum lactes.] Lactes, anthore Prisciano, partes sunt intestinorum, à Græco γάλακτ@ dictæ: cuius singulare est hæc lactis. Titinius: Craticula, cerebellum, lactis agnina. Plinius sentire videtur, lactes dici tantùm in ouibus & hominibus. sic enim ait in x1. Ab hoc ventriculo lactes in oue, & homine, per quas labitur cibus. Plautus agninis lactibus vinciendum esse dixit fugitiuum: tanquam escaria vincula cæteris sint valentiora. Persius superstitiones sale Satyrico perfricans ait:

Emeris auriculas pulmone, & lactibus vnctis.

Murænas autem pisces esse ex genere longorum nullus ignorat. Licinius Macer murænas tantùm fœminini sexus esse tradit, & concipere ex serpentibus. Animam in cauda habere autumat Plinius, eáque icta celerrimè exanimari: at capitis ictu difficulter. Muræna infixa hamo inuertit se, quoniã sit dorso cultellato: spináque lineam præsecat. Murænas in honore epularum maximo fuisse, indicat vel ille Satyrici poetæ versus:

Virroni Muræna datur, quæ maxima venit
Gurgite de Siculo.-

Illhic enimà præfectis gulæ esse creduntur: multiq; authorés murænas à freto Siculo nobilitarunt. M. Varro & Columella flutas appellant, quòd in summa aqua præ pinguitudine fluitent. Lactes autem murænarum cum primis numerantur inter edulia ganeata. Ex luxu immodico Heliogabalus rusticos pauit murænarum lactibus, & luporum.

A Parthia vsque.] Quidam à Carpathio legendum censent, tanquam è mari Carpathio id genus pisces pretiosi expeterentur: illhic enim scarus in primis, vt ait Plinius, fuit frequens. Si verò legimus à Parthia, sicut passim legitur, intelligemus ingluuiem Vitellii immodicam, & enormem significari, qui vsq; à Parthicis regionibus Orientem versus, & à freto Atlantico ad Occidentem versus gulæ irritamenta perquirebat. In quam sententiã est illud à Columella cum censoria castigatione depromptum libro nono agricolationis: Ponticum Phasim, & Scythica stagna Mæotis eruunt: iã nunc Gangeticas, & Aegyptias aues temulenter eructant. Corn. Tacitus taxans gulam Vitellii sic scribit: Epularum fœda, & inexplebilis libido: ex vrbe, atq; Italia irritamenta gulæ gestabantur, strepentibus ab vtroque mari itineribus. Mendosa dictio est in codicibus Taciti: nam pro epularum, corruptè legitur epistolarum.

Per nauarchos.] Nauium præfectos. Dictio Græcanica est, qua Latini vtuntur. Cicero in Verrinis: Sumptũ omnem in classem, frumento, stipendio, cæterisq; rebus nauarcho suo quæque ciuitas semper dare solebat. Idem alio loco implorat nauarchi fidem.

M. AN. Scarorum iecinora.] Martialis:

Hic scarus æquoreis qui venit obesus ab vndis,
Visceribus bonus est, cætera vile sapit.

Cerebella.] A cerebro cerebellũ. Quid phasianæ aues, quid pauones, quid phœnicopteri sint, alio est loco demonstratum. A Parthia vsque.] Sic omnia habent exemplaria, sed mendosè, vt vel mediocriter Geographiæ peritus, si altiusculè sensum rimetur, deprehendat: nam quo pacto à Parthia per nauarchos potuit murænas petii? quod mare Parthiam alluit? Aut si Hyrcanũ aliqua ex parte, quam classem, quos nauarchos in Hyrcano mari Romani vnquã habuerunt? aut quãdo Romani Parthiæ imperarũt? vel quis scriptor dixit vnquã murænas ex Parthia petitas? nec est cur ad phasianos, pauones, & pœnicopteros id referas, quum ne ipsæ quidẽ aues in ea terra proueniant. Plinius phalerides aues in Seleucia Parthorũ aquaticarum laudatissimas nasci tradidit. Placet igitur ita corrigi, vt à Carpathio, fretóque Hispaniæ legas: cui nostræ opinioni Columella adstipulatur: Sola, inquit ille, ex pretiosis piscibus muræna, quamuis Tartesiaci, Carpathiiq; pelagi, quod est vltimum, vernacula, quouis hospes freto peregrinum mare sustinet. Hæc ille. quibus verbis aperte colligitur, aut hanc, quam proposui, emendatam esse lectionẽ: aut certè aliam ab ea, quæ inoluit, longè diuersam.

ac triremes petitarum commiſcuit. Vt autẽ homo non profundæ modò, ſed intempeſtiuæ quoq; ac ſordidæ gulæ, ne in ſacrificio quidem vnquam, aut itinere vllo temperauit, quin inter altaria ibidem ſtatim viſcus, & farra penè rapta è foco manderet, circáque viarum popinas fumantia obſonia, vel pridiana, atque ſemeſa.

Sæuitia, & crudelitas eiuſdem. XIIII.

PRonus verò ad cuiuſque, & quacunque de cauſa, necem, atque ſuppliciũ. Nobiles viros, cõdiſcipulos, & æquales ſuos omnibus blanditiis tantùm non ad ſocietatem Imperii allicefactos, vario genere fraudis occîdit, etiam vnũ veneno manu ſua porrecto in aquæ frigidæ potione, quam is affectus febre popoſcerat.

PHIL. INtempeſtiuæ.] Gula, quæ ante legitimum, ſtatúmq; edendi tempus ardeſcit in cibos, dicitur intempeſtiua. Scribit Gregorius, quod in canonicis Decretis repetitum eſt, diſt. vltima de conſecratione, vitio gulæ nos tentari, quando indigentiæ tempora præuenit, & cibos lautiores quærit. Nonnunquam etiã gula culpæ obnoxia eſt, cùm ipſo æſtu immenſi deſiderii etiam viliora cibaria eſurienter inuadit. In Vitellio vtrunq; gulæ vitium erat reprehenſibile: nam cùm & tempore non congruente cibum caperet, erat intempeſtiuæ gulæ: cùm verò ab obſoniis ſemeſis, prioríſque diei nõ abſtineret, erat ſordidæ gulæ criminoſus.

Ne in ſacrificio quidem temperauit.] Hoc ad intempeſtiuam gulã pertinet, quæ tempore non congruente, & hora præmatura ardeſcebat in cibos.

Viſcus.] Carnes holocauſtorum. Viſcera enim non tantùm inteſtina dicimus, ſed quicquid ſub corio eſt: vnde & viſceratio dicta, cuius ſuprà meminimus. Eſt autem nominatiuus ſingularis, vt ait Seruius, hoc viſcus, huius viſceris: quod Lucretii authoritate fulcitur ſcribentis libro primo de rerum natura:

-Viſcus gigni, ſanguénque creari.

Vbi annotandum eſt, ſanguen à Lucretio dici, vt carmen: ſicut & à Catone quoque vſurpatum eſſe obſeruauimus, qui ait, Defatigatum vulneribus, atque ſpirantem, quòd ſanguen omne defluxerat, cognouere.

Farra.] Quæ in ſacris adhibebantur.

E foco.] Quoniam ad rem diuinam niſi toſtum far non adhibebatur: nam, vt ait Plinius in XVIII. Numa Pompilius inſtituit deos fruge colere, & mola ſalſa ſupplicare, atque far torrere, ſtatuitq; non eſſe purum ad rem diuinam, niſi toſtum. Idem fornacalia inſtituit, farris torrendi ferias.

Fumantia.] Adhuc feruentia: cùm tam diu temperandum ſit, vt feruor ille intolerandus deferueſcat. Vitellius, cuius palatum erat occalloſum, moræ impatiens inuadebat appetenter dapes adhuc fumantes.

Vel pridiana.] Hoc ad ſordidam gulam Vitellii referas, qui etiã dimidiata obſonia, quæ priori die ſuperfuiſſent in popinis, mandere non erubeſcebat. Meritò Egeſippus libro quarto inquit: Vitellius epulabatur, qui ſi diutius vixiſſet, luxuriæ ſumptibus, & pretio mẽſarum Romani Imperii opes abligurriſſet. Apud eundẽ ait Cecinna, Vitellium nihil aliud, niſi vino ſolutum eſſe, & inter conuiuia pridianas ſemper ructantem epulas, niſi vt ebrius pereat ſine ſenſu doloris. Idem Vitellianam voraginem vocat hanc Vitellii ingluuiem.

Condiſcipulos.] Græci *συμμαθητὰς* vocant: inde condiſcipulatus dictus pro inſtitutione ſub eodem præceptore.

Aequales.] Coæuos: quos Græci *συγχρόνους* dicunt, quaſi contemporaneos.

Tantum non.] Etiam non. Ita enim videtur exponendum, potiùs, quàm à contrario: ſuper qua particula ſubtiliter perpenſeque diſſeruimus in ſuperioribus. Sed tantum non, meo quidem iudicio, legendum: quod idẽ eſt, ac fere etiã.

Allicefactos.] Pellectos, attractos, inductos.

Etiam vnum.] Scilicet occidit.

In aquæ frigidæ potione.] Ita necatus eſt Alexãder Magnus: cui Philippus, & Iolas regii prægustatores in aqua frigida venenũ propinarũt. Britannico quoq; in aqua frigida venenum à miniſtris datũ eſt.

Affectus febre.] Calida febris viſceribus infuſa quærit ardoris æſtuantis refrigerationem, inuitátque febricitantẽ ad frigidam aquam appetendam, quæ non ſemper noxia eſt: cùm ſæpe remedia contraria proſint, vbi ſolita non profuerunt. Hinc legimus, Petronem medicum dare ſolitum in potu aquam frigidam febricitantibus: qui ſi mouerat ſudorem, explicuiſſe ſe ægrum indicabat: ſi non mouerat, plus etiam aquæ frigidæ ingerebat. Aſclepiades quoque aquam frigidam tempeſtiuè dando ægros curabat.

INtempeſtiuæ.] Alieno etiam tempore luxuriantis. M. AN.

In ſacrificio.] Interim cùm ſacrificaret.

Viſcus.] Lucretius:

Viſceribus viſcus gigni, ſanguénque creari.

Sunt viſcera, vt Seruio placet, non tantùm inteſtina, ſed quicquid etiam ſub corio eſt. Vergilius:

Tergora diripiunt coſtis, & viſcera nudant.

Lucretius: -Permiſtus viſcere ſanguis.

Dicitur & hoc viſcum viſci: ſed tunc pro tenaci lentore aucupiis apto.

Farra penè rapta foco.] Plinius: Mola ſalſa litãt farra non habentes. Mola ex farre, & ſale conſtabat.

Fumantia.] Feruentia adhuc.

Pridiana.] Quæ pridie appoſita fuiſſent.

Pronus.] Tranſitio à luxuria ad crudelitatem.

Condiſcipulos.] Qui ſub eodem, quo Vitellius, inſtituti fuerant præceptore.

Aequales.] Eiuſdem ætatis: quæ duæ neceſſitudinis cauſæ potuiſſent illum ab iniuria reuocare, niſi ſupra modum ſæuus fuiſſet.

Tantum non.] Omnia illis, præter commune Imperium, pollicitus.

Allicefactos.] Multis illecebris allectos.

Frigidæ.] Ad calidæ differentiam: vtraque enim Romani vtebantur. Martialis:

Frigida non deerit, non deerit calda petenti.

Iuuenalis: -Gelidæ, calidæque miniſter.

Frigida, ſubſtantiuè poſitum, cui ſubauditur aqua. Plaut. in Moſtel. Iam pridem mecaſtor frigida non lauí magis libenter.

Tum

Tum fœneratorum, & stipulatorum, publicanorúmque, qui vnquam se aut Romæ debitum, aut in via portorium flagitassent, vix vlli pepercit. Ex quibus quendam in ipsa salutatione supplicio traditum, statimque reuocatum, cunctis clementiam laudantibus, coràm interfici iussit, velle se dicens pascere oculos. Alterius pœnæ duos filios adiecit deprecari pro patre conatos. Sed & equitem Romanum proclamantem, quum raperetur ad pœnam, Hæres meus es: exhibere testamenti tabulas coegit: vtque legit cohæredem sibi libertum eius adscriptum, iugulari cum liberto imperauit. Quosdam & de plebe ob id ipsum quòd Venetæ factioni claré maledixerant, inter-

PHIL. Tum fœneratorum.] Ordo est: Vix pepercit vlli fœneratorum, & stipulatorum, publicanorúmq;. De fœneratoribus, publicanisque antè dictum est. Stipulatores verò dicuntur, qui per interrogationem obligant promissorem. Hæc enim duo, stipulator, & promissor opponuntur: quod persæpe docent Iurisconsulti, & maximè libro XLV. Digestorum, titulo De verborũ obligationibus. Est autẽ stipulatio, verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum, facturúmve se id, quod interrogatus est, respondet: &, vt inquit elegãter Vlpianus, turpes stipulatiões nullius sunt momenti. Illud obseruãdum est, quòd verbum hoc stipulor, in actiua significatione, quomodo & passiua, ablatiuo coniungitur. Dicimus enim stipulor à te, pro interrogo te, & interrogor à te. Iuuenalis:

Quantum vis stipulare, & protinus accipe quod do.

Et subauditur, à me stipulare in actiua significatione. Et Priscianus allegat Suetonii testimonium ex libro quarto prætorum, vbi stipulari passiua significatione dictum est. Lex prætoria, inquit, quæ vetat minorẽ annis vigitiquinque stipulari. Plautus quoque passiuè dixit: Nisi dolo malo instipulatus sis. Romæ debitũ.] Ad fœneratores & stipulatores referendum. Aut in via portorium.] Hoc ad publicanos pertinet. Portorium enim, vt inquit Nonius, dicitur merces, quæ portitoribus datur: & est vectigal, quod soluitur portitoribus, id est publicanis. Portitores sunt etiã telonarii, magistríque tributorum, qui operam in portu dabant inferendarum rerum, & efferẽdarum vectigal exigentes. Plautus in Asinaria: Ego pol istum portitorem priuabo portorio. In ipsa salutatione.] In officio Imperatoriæ salutationis: de qua ait Gellius: In vestibulo ædium Palatinarum omnis ferè ordinũ multitudo opperiẽtes salutationem Cæsaris constiterant. Salutigerulos appellat eleganter Plautus portitores salutationum, qui nomine matronarum ibant salutatum. Statimq; reuocatum.] A supplicio, cui traditus erat Vitellii iussu.

Clementiam laudantibus.] Est enim prima Imperatoris dos, clementia: &, vt inquit Seneca, nullum magis clementia ex omnibus, quàm regem, ac principem decet: quam philosophi sic definiunt, inclinationem animi esse ad lenitatem in pœna exigenda. Huic contrariam imperiti putant seueritatem: sed nulla virtus virtuti contraria est. Quid ergo opponitur clemẽtiæ? Crudelitas: quæ nihil aliud est, quàm atrocitas animi in exigendis pœnis. Igitur eùm Vitellius à supplicio destinato quendam reuocasset, cuncti re vera credentes principem misericordia motum id fecisse, laudauerunt eius clementiam, périnde ac virtutem Imperatoriam: sed Vitellius atrox, & sanguinarius ideo illum reuocauerat, vt coram ipso interficeretur: tanquam non foret contentus cæde hominum, nisi ipse oculos truculento spectaculo pasceret, & oblectaret. Hanc spectandi crudelitatem fuisse in Domitiano Cor. Tacitus flebili querimonia complorat, atque illum Nerone fuisse truculentiorem: cùm in libro, quem composuit de vita Iulii Agricolæ soceri sui sic scribit: Nero tamen subtraxit, iussitque scelera, non spectauit. Præcipua sub Domitiano miseriarũ pars erat, videre, & aspici, cùm suspiria nostra subscriberẽtur: cùm denotãdis tot hominũ palloribus sufficeret sæuus ille vultus, & rubor, à quo se contra pudorem muniebat.

Pascere oculos.] Extat apud Corn. Tacitum eiusdem Vitellii vox sæuissima, qua iactauit pauisse se oculos spectata morte inimici nomine Blesi.

Alterius pœnæ.] Sensus est: Patrem quendam damnauerat ad capitale suppliciũ: pro quo cùm filii duo pietate paterna extimulati deprecarentur, iussit illos pariter cum patre necari.

Equitem Romanũ.] Eques Romanus in testamento hæredem scripserat libertum suum vnà cum Vitellio: Vitellius, qui publicanos puniebat, quorum ordo erat equester, ignarus huius testamenti ad pœnam rapi iusserat equitem Romanum: qui cùm proclamaret se indignum esse supplicio, propterea quòd hæredem principem scripserat: voluit vt tabulæ testamẽtariæ exhiberentur: & cùm legisset se non ex asse hæredẽ conscriptum, sed sibi cohæredem esse adscriptum libertum testatoris, vtrunque iugulari iussit, & testatorem, & libertum cohæredem.

Venetæ factioni.] In superioribus facta mentio est copiosa de Veneta, & Prasina factione: & cũ Caligula, & Nero Prasinæ factioni fauerẽt, Vitellius Venetã fouebat, & Venetianis erat addictus. Sic enim appellantur aurigarii Venetæ factionis: ex quo plebeios quosdam tanquam fautores Prasinæ factionis interemit, qui in Venetianos conuicia ingesserant, & probra: tanquam id facerent propterea quòd ipsum Vitelliũ contemnerent, & spe nouarum rerum alerentur.

M. AN. Stipulatorum.] Qui pecuniam rogat, quiq; spondet, stipulari dicitur: vnde stipulatio, & stipulator. Vlpianus tres ait stipulationum esse species, iudiciales, cautionales, & communes: quarum cautionales fiunt, vt quis cautior fit Interposita stipulatione. Portoriũ.] Merces, quæ portitoribus datur: vel vectigal, quod portitori penditur. Est enim portitor, qui vectigal portus, id est, portorium conduxit: & qui traducit homines, ac vehit ad nauim de portu, vel in portum à naui, vel ad vlteriorem fluminis, stagniue ripã: Græca voce πορθμεῖα dicimus. Iuuenalis:

-Tetrúmque nouitius horret Porthmea.-

In Ipsa salutatione.] Quum ipsum salutatum venisset. Hæres meus es.] Constitui te hæredem.

Cohæredem.] Hæreditatis participẽ. Libertum eius.] damnati equitis. Venetæ factioni.] Cui ipse fauebat. De aurigarum factionibus abundè suprá. Capitolinus Venetæ factionis homines Venesianos dixit

emit contemptu sui, & noua spe id ausos opinatus. Nullis tamen infensior, quàm vernaculis & mathematicis: vt quisque deferretur, inauditum capite puniebat. Exacerbatus quòd post edictum suum, quo iubebat intra Calendas Octobris vrbe, Italiáque mathematici excederent, statim libellus est propositus, & Chaldæos dicere, bonum fatum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Calendarum diem vsquam esset. Suspectus & in mortem matris fuit, quasi ægræ præberi cibum prohibuisset, vaticinante Catta muliere, cui velut oraculo acquiescebat, ita demum firmiter, ac diutissimè imperaturum, si superstes parenti extitisset. Et alii tradunt, ipsam tædio præsentium, & imminentium metu venenum à filio impetrasse, haud sanè difficulter.

Multas, inquit, à Venetianis passus est iniurias.

PHIL. QVàm vernaculis & mathematicis.] Quidam iunctim legunt, subducta particula copulatiua, vernaculis mathematicis: vt intelligas, Vitelliũ infensum fuisse mathematicis, genethliacisque non alienigenis, sed indigenis, & Romæ natis. Quòd si disiunctim legas, vernaculis, & mathematicis: nimirum intelliges, Vitellium infensum fuisse seruitiis Romæ natis, quos vernas, & vernaculos vocant: & mathematicis. Quod genus hominum meritò inuisum esse debet, vtpote infidũ, fallax, atque vanidicum.

Deferretur.] Accusaretur.

Inauditũ.] Contra legem: quæ, vt inquit Egesippus, vetat inauditum exitio dari. Vrbe, Italiáq; excederent.] Tacitus meminit huius edicti Vitelliani, quo pulsi Italia mathematici sunt. Alibi memorauimus quemadmodum mathematici sæpe ex vrbe, & Italia pulsi fuerunt: quod genus hominum potentibus infidũ, sperãtibus fallax est: quod, vt vtar Taciti verbis, in ciuitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur.

Libellus est propositus.] Publicatus, & in propatulo affixus sine authoris nomine.

Chaldæos.] Mathematicos: de quibus antè dictum est. Verba autem hæc in libello proposito continebantur, quòd dicerent Chaldæi, id est mathematici, bonum fatum, & felix futurum Romano populo, ne Vitellius viuus perueniret ad Calendas Octobres: quod tempus præstituerat mathematicis pellendis.

Vitellius Germanicus.] Suprà memorauimus, Vitellium cognominatum fuisse à militibus Germanicũ, quando in Germania consalutatus fuit Imperator: qui filium quoq; infantem Germanicum appellauit.

Suspectus in mortem matris.] Tanquam maternæ mortis ipse author, & molitor extiterit.

Aegræ.] Aegrotanti matri, quæ Sextilia nominabatur, fœmina probitate conspicua.

Catta muliere.] Catti, populi sunt Germaniæ iuxta Herciniam syluam, sicut Historici prodiderunt. Germani verò inesse aliquid sanctum, & prouidum fœminis suis putant, quarum nec consilia aspernantur, nec responsa negligunt. Vnde olim Auriniam, & complures alias venerati sunt Germani, tanquã deas. Tradit Cor. Tacitus, vidisse se sub diuo Vespasiano Veledam, diu apud plerosque numinis loco habitam: cuius meminit Papinius in primo Syluarum sic scribens:

Captiuæque preces Veledæ, quæ maxima nuper
Gloria.-

Sensus est: Mulier Germana ex gente Cattorum fatidica prædixerat Vitellio, illum firmiter imperaturum, si matri superuixisset. Ex quo suspicio orta est, Vitelliũ imperandi causa ob id vaticinium fatidicæ mulieris Germanæ matrem necasse. Itaq; hoc in loco Catta mulier significatur Germana fatidica ex Cattis populis. Aliàs verò Cattus dicitur acutus. Inde Catta dicta acuta, vt interpretatur M. Varro. & hinc Sextus Aelius ob iuris ciuilis peritiam Cattus dictus, non tam quòd esset sapiens, quàm quòd esset acutus. Porphyrio apud Horatium Cattum significare ait doctũ, & expertum. Plinius dixit in VII. Reliquis animi bonis præstitere & apud cæteros mortales sapientia: ob id Catti Corculi apud Romanos cognomina. Sed hæc de Cattis significantia nihil ad hunc locum.

Tædio præsentium.] Videtur Tacitus adstipulari huic sententiæ, cùm ait, Sextiliam Vitelliorum matrẽ nullis Fortunæ illecebris in gaudium euectã, domus tantùm aduersa sensisse. Idem eiusdẽ mortis meminit, nulla insimulatione filii Vitellii. Sic enim inquit: Erat illi & fessa ætate parens, quæ tamen paucis ante diebus opportuna morte excidium domus præuenit, & nihil e principatu filii assecuta, nisi luctum, & bonam famam.

A filio.] Vitellio principe. Hic tamen matrem in Capitolio complexus in principio sui principatus Augustæ nomine decorauit.

Haud sanè difficulter.] Tanquam sceleratus filius non inuitus porrexerit venenum matri, quam sublatam, extinctámque esse cupiebat.

M. AN. COntemptu sui.] In sui inuidiam.

Noua spe.] Nouarum rerum fiducia.

Vernaculis mathematicis.] Astrorũ peritis Romæ natis: nam si disiunctim vernaculis & mathematicis legas, nil ex priore dictione sequitur: nisi oraculis pro vernaculis quis legendum dixerit.

Propositus.] In publico sine certo authore positus. Propono varie vsurpatur: aliquãdo enim statuo, delibero, interdum ostendo, siue palàm facio: interim antepono, doceo: interdum promulgo. Hinc propositus pro exposito, explicato, & prolato.

Et Chaldæos dicere bonum fatum.] Mathematicos dicere, quod bono fato ciuitatis futurum esset, vt Vitellius, & alia quæ sequuntur.

Vsquam esset.] Sed ante eum diem periturus.

Suspectus fuit.] In suspicionem venit, quasi author fuerit tollendæ matris.

Aegræ.] Infirmæ.

Catta.] Cattus ab Horatio pro docto, à Cicerone pro sapiente accipitur: sed & callidus, ardens, ingeniosus, cattus dicitur: vnde videri potest Cattæ nomen factum: quanquàm altera syllaba aspirata ad differentiam fortassis, nomen vbique notatum reperio.

Impetrasse.] Precibus à filio cõtendisse, vt se veneno tolleret.

Haud difficulter.] Quasi dicat, libens homo impius id matri præstitit.

Apparatus exercitus contra Vespasianum. XV.



Ctauo Imperii mense desciuerunt ab eo exercitus Mœsiarum, atque Pannoniæ. Item ex transmarinis Iudaicus, & Syriacus, ac pars in absentis, pars in præsentis Vespasiani verba iurarunt. Ad retinendum ergo cæterorum hominum studium, ac fauorem nihil non publicè priuatímque nullo adhibito modo largitus est. Delectum quoque ea conditione in vrbem egit, vt voluntarius non modò missionem post victoriam, sed etiam vetera norum, iustæque militiæ commoda polliceretur. Vrgenti deinde terra, maríque hosti, hinc fratrem cum classe, ac tyronibus, & gladiatorum manu opposuit: hinc & Bebriacenses copias, & duces, atque vbique aut superatus, aut proditus salutem sibi, & millies sestertiûm à Flauio Sabino Vespasiani fratre pepigit: statímque pro gradibus Palatii apud frequentes milites ce-

PHIL. DEsciuerunt.] Defecerunt, rebellarúntque.

Exercitus Mœsiarum.] Scribit Tacitus tertiádecimam legionem præbuisse exemplum cæteris duabus Mœsiæ legionibus, vt desciscerent à Vitellio, & transgrederentur in partes Vespasiani. In Pannonia verò legiones, tanquã Galbianæ, dolorem Irámq; Bebriacensis pugnæ retinentes, haud cunctanter Vespasiano accesserunt. &, vt ait Tacitus, Mœsici, ac Pannonici exercitus iũcti Dalmaticũ quoque militem traxerunt. Mœsia autem prouincia iungitur Pannoniæ: quas Mœsias pluraliter dixit, sicut Hispanias, & Gallias, & Germanias plurali uo numero vocitamus. Mœsia sunt Dardani, Mœsi, Thraces, Pontóq; cõtermini Scythæ.

Iudaicus, & Syriacus.] Iudaico exercitui præerat Vespasianus, Syriaco Mucianus, qui Vespasianum impulit ad Imperium capessendum.

Pars in absentis.] Exercitus Mœsici, Pannonicique, vtpote remotiores, iurarunt in verba Vespasiani absentis: Iudaicus verò exercitus iurauit in verba præsentis. Mucianus autem adegit milites Syriacos in verba Vespasiani. Nihil non.] Omnia.

Nullo modo.] Nulla mensura, & temperamento.

Delectum.] Militarem.

Voluntariis.] Qui vltronei, & sua spõte se Vitellio obtulissent. Missionem.] Honestam intellige, quæ emeritis stipendiis ab Imperatore indulgeri solet.

Vrgenti hosti.] Cùm Flauiani duces à Vespasiano præmissi ex omni parte instarent, quum literæ, edictáque Vespasiani ad omnes legiones solicitandas per diuersa loca præmitterentur: tãdem irruptione hostiũ atrocibus vndique nuntiis exterritus Vitellius Cecinnam ac Valentem expediri ad bellum iubet.

Hinc.] Ex maritima expeditione.

Fratrem.] L. Vitellius significatur, qui fuit par vitiis fratris, & principatu eius vigilantior, qui cum exercitu erat Terracinæ.

Hinc.] Ex terrestri.

Bebriacenses copias, & duces.] Cecinnam, Valentémque significat, quos expeditionem aduersus Flauianos sumere iussit vnà cum illis copiis militaribus, quibus apud Bebriacum Othonianos profligauerat: sed, vt ait Tacitus, non vigor corporibus, non ardor pristinus animis militum inerat, quos vrbanæ deliciæ subneruauerunt: Itaque videres fluxa Vitellianorum arma, segnes equos, impatientémque militem Solis, puluerum, & tempestatum.

Vbiq; aut superatus.] Apud Cremonam in primis superati sunt Vitelliani ab Antonio Primo, qui erat acerrimus Vespasiani partium propugnator cum exercitu in Italiam præmissus: tunc Cremona colonia direpta fuit, & incendio consumpta, adeò vt solum Veneris templum steterit ante mœnia: cohortes etiam, quas Vitellius habebat Narniæ, sese dediderũt ducibus Flauianis.

Aut proditos.] In primis Cecinna proditor fuit, qui transiuit in partes Vespasiani cũ exercitu, Vitellio relicto. Fabius quoq; Valens apud insulas Stœchadas à Paulino captus est, qui mox Vrbini in custodia fuit interfectus, Galbæ proditor, Vitellio fidus, & aliorum perfidia illustratus. A Lucio Basso proditã fuisse classem Rauennatem tradũt: trierarchósque inuasisse imagines Vitellii iam in Vespasianũ inclinãtes. Classem quoque Misenensem Claudius centurio ad defectionem traxit: crebra transfugia Vitellianorum visebantur.

A Flauio Sabino.] Hic eo tempore, quo bellum inter Vitellianos & Flauianos gerebatur, Romæ erat præfectus vrbis senecta inualidus, quem Vitellius, quanuis Vespasiani fratrem minimè violauerat.

Salutem, & millies sestertiûm.] Antonius Primus, & Varus Flauiani duces obtulerunt Vitellio salutem, & pecuniam, & secreta Campaniæ, si depositis armis se, ac liberos suos Vespasiano permisisset. Prætereà Vitellius, & Sabinus Vespasiani frater crebris sermonibus de pace, ponendisq; per conditionem armis agitauere: sæpe domi collocuti sunt: postremò in æde Apollinis pactionem fecere adhibitis testibus duobus Cluuio Rufo, & Silio Italico: quòd si tam facilè suorũ mentes Vitellius flexisset, quàm facilè ipse cesserat, incruentam vrbem Vespasiani intrasset exercitus.

MOesiarum.] Quia duplex Mœsia, superior, & Inferior. M. A N.

Ex transmarinis.] Qui trans mare erant.

Pars in absentis verba.] Vt Mœsiaci exercitus, qui longè aberant.

Fratrem.] Lucium Vitellium.

Aut victus.] Nam circa Cremonam bis Vitelliani victi: & rursus Cremona ipsa direpta.

Aut proditus.] Cecinna enim à Vitellio ad Vespasianum defecit. Fabius Valens & ipse ad Stœchadas insulas oppressus est.

Salutem, & millies sestertiûm.] Vt sibi incolumitas cum ea pecuniarum summa concederetur.

Cum Flauio Sabino.] Vespasiani fratre, qui Romæ erat.

dere se Imperio, quod inuitus recepisset, professus, cunctis reclamantibus rem distulit: ac nocte interposita, primo diluculo sordidatus descendit ad Rostra, multísque cum lacrymis eadem verba, verùm è libello testatus est. Rursus interpellante milite, ac populo, & ne deficeret, hortante, omnémq; operā suam certatim pollicente, animū resumpsit, Sabinúmq;, & reliquos Flauianos nihil iā *metuentes, vi subita in Capitolium cōpulit: succensóq; tēplo Iouis Optimi Maximi oppressit, cùm & præliū, & incendiū è Tyberiana prospiceret domo inter epulas: nō multò pòst pœnitens facti, & in alios culpam cōferens, vocata concione iurauit, coegítque iurare cæteros, nihil sibi antiquius quiete publica fore. Tunc solutum à latere pugionem

*metuēs

PHIL. Cedere se Imperio.] Vitellius apud milites suos cōcionatus pauca dixit, & præsenti mœstitiæ congruentia: cedere se paci, & Reipublicæ, rogando milites, vt memoriam sui continerent, fratremque, & coniugem, & innoxiam liberorū ætatem miserarentur: simul filium protendens modò singulis, modò vniuersis cōmēdabat lacrymabundus. Cunctis clamantibus.] Lege reclamāribus. Cœperunt enim reclamare, & recusare ne cederet Imperio. Rem distulit.] De Imperio deponēdo. Narrat Tacitus, Vitellium paratum fuisse cedere Imperio, si modò suorum mentes flectere potuisset: sed vt quisque Vitellio fidus erat, ita pacem, & conditiones pacis abnuebant, dedecus, & pericula ostentantes, si cessisset Vespasiano: hortabāturq; vt potiùs per virtutem effundere vltimū spiritū vellet, quàm per ludibriū, & cōtumelias: sed surdæ ad fortia cōsilia Vitellio aures obruebantur.

Diluculo.] Iam luce apparente. Inde diluculare, est diluculum fieri. Gellius: Idcirco die crastino, vbi primùm diluculabit, fac amicos adeas.

Sordidatus.] Sordida, & squallenti veste Indutus. In hanc sententiam Tacitus: Pullo amictu Palatio digreditur, mœsta circùm fama, misso ad Flauianos duces nuntio, qui subueniri sibi, arctásque res nuntiaret. Sordidus ex moribus, sordidatus ex causa dicitur. Cicero in Pisonem: Nec minùs lætabor, cùm te semper sordidum, quàm si paulisper sordidatum viderem.

Ad Rostra.] Vt pro Rostris concionaretur. Mox interpellatus è Rostris fratris domum petiit, quæ foro imminebat.

Eadem verba.] Quibus apud milites vsus fuerat pro gradibus Palatii, dicens se cedere velle Imperio Romano.

E libello.] In quo perscripta habebat verba, quæ dicebat. Tales dicuntur de scripto facere verba, qui ad libellum respiciunt, & de scripto loquuntur. Cicero: Recitetur oratio, quæ propter eius magnitudinem dicta de scripto est.

Rursus interpellante milite.] Iterum orationem Vitellii interrumpentibus militibus, sicut priùs interruperant.

Ne deficeret.] Ne succumberet, languesceretque animo infracto, & meticuloso.

Certatim.] Pro viribus.

Animum resumpsit.] Qui priùs metu pauens, exanimatúsque defecerat, hortamentis populi, militúmque confirmatus, animum, alacritatémque, quam iam perdiderat, recepit.

Sabinum.] Fratrem Vespasiani.

Flauianos.] A Flauio Vespasiano Flauiani dicti eius factionis fautores, sectatorésque.

Vi subita.] Scribit Cornelius Tacitus, Martialem à Flauio Sabino missum fuisse ad Vitellium cum mandatis, ne pacta iam instituta turbarentur. Vitellius culpam in milites conferens monuit Martialem, vt per secreta abiret, ne à militibus suis interficeretur. Erat enim ipse id temporis neque vetandi, neq; iubendi potens, non iam Imperator, sed tantùm causa belli. Vix reuersus erat Martialis in Capitolium, quod velut arcem tutissimam Flauiani insederant, cùm repentè milites Vitelliani furētes, nullo duce, ascendunt erecta acie in Capitolium: vbi exorto conflictu Flauiani Vitellianos obruebant tegulis, saxísque: nec tamen sisti poterant scandentes Vitelliani. Tūc Capitolium clausis foribus indefensum, & inditeprum cōflagrauit. Ambigitur vtrum oppugnatores ignem tectis iniecerint. Atticus Consul se Capitolini incendii authorem professus est. Id facinus post conditā vrbem luctuosissimum, fœdissimúmque populo Romano accidisse, author est Tacitus.

E Tyberiana domo.] Quæ fuerat Tyberii.

Inter epulas.] Scribit Egesippus, quòd Vitellius epulabatur, ne amitteret moriturus prandium: & redundantioribus, vt in extremis solet, mensæ sibi vltimæ dapibus referciebatur: obruebat se vini poculis, vt sensum amitteret futuri vel opprobrii, vel periculi: eúmque ex conuiuio ad supplicium raptum esse tradit.

Pugionem Consuli.] Scribit Cor. Tacitus, Vitelliū exolutum à latere pugionem porrexisse Consuli, veluti ius necis, vitæque ciuium tradentem: sed aspernante Consule, & reclamantibus qui adstiterant, discessit velut positurus in æde Concordiæ.

M. AN. Cedere Imperio.] Dignitate abire.

Rem distulit.] Serò cessit.

Sordidatus.] Sordida veste, reorum more amictus.

Eadem verba.] Vbi cederet Imperio, quod inuitus recepisset.

Deficeret.] Ne fractus animo sibi ipsi deesset.

Flauianos.] Flauianæ factionis.

Nihil iam.] Post pactionem scilicet cum Vitellio factam.

Iouis optimi.] Id est Capitolini Iouis: quod Tarquinius Priscus vouerat, Seruius Tullius, & Tarquinius Superbus erexere, exactis regibus Horatius Puluillus Consul dedicauit: quod L. Scipione, & C. Norbano Consulibus incendio absumptum, Scylla instaurauit, dedicauit verò Luctatius Catulus, nouissimè præsenti tumultu conflagrauit: sceleris authorem Atticus se posteà est professus.

Oppressit.] Sabinum scilicet, qui ad Vitellii conspectum obtrūcatus, ad Gemonias est scalas proiectus: Cornelius est author.

Tyberiana domo.] De qua bis suprá.

In alios.] Qui Sabinum oppresserunt.

Consuli primùm, deinde, illo recusante, magistratibus, ac mox Senatoribus singulis porrigens, nullo recipiente, quasi in æde Concordiæ positurus, abscessit. Sed quibusdam acclamantibus, ipsum esse Concordiam, rediit: nec solùm retinere se ferrum affirmauit, verùm etiam Concordiæ recipere cognomen.

Concordia per eum tentata cum Vespasiano. XVI.

SVasit* Senatoribus, vt legatos cum virginibus Vestalibus mitterent, pacem, aut certè tempus ad consultãdum petituros. Postridie respõsa opperiẽti, nuntiatũ est per exploratorem hostẽ appropinquare. Cõtinuò igitur abstrusus gestatoria sella, duobus solis comitibus, pistore, & coquo Auentinum, & paternam domum clàm petiit, vt inde in Campaniã fugeret. Mox leui rumore, & incerto, tãquam pax impetrata esset, referri se in Palatium passus est: vbi quum deserta omnia reperisset, dilabentibus & qui simul erant,

Senatui

PHIL. IN æde Concordiæ.] In superioribus annotauimus quemadmodum pluribus templis Cõcordia dea Romæ fuerat decorata. Relege quæ in Tyberio scripta sunt. Ipsum esse Concordiam.] Nihil apertius hac assentatione, qua Vitellius dicitur esse ipsa Concordia dea: quum potiùs discordia dici debuerit, vtpote author, ac instinctor discordiarum, turbarúmq; ciuilium.

Ferrum.] Pugionem, quem in æde Concordiæ ponere voluerat.

Concordiæ cognomen.] Vt Vitellius Concordia diceretur.

Vt legatos cum virginibus Vestalibus.] Scribit Tacitus, Vitellium, vocato Senatu, legatos direxisse ad exercitus Flauianos, vt prætextu Reipublicæ concordiam, pacémque suaderent. Legati, quorum ius sacrum, & venerabile esse solet, & debet, violati sunt, adierúntque extremum discrimẽ, qui iuerant ad Petiliũ Cerealem vnum ex ductoribus Flauianis: tunc vulneratus fuit Arulenus rusticus legatione & prætura insignis. Ob hoc dixit Plinius in 1. Epistolarum, Arulenũ à Regulo inimico nuncupatum esse stigmosum Vitelliana cicatrice. Aequioribus animis accepti sunt, qui ad Antonium alterum Flauianarum partium ducem venerant: obuiæ venerunt & Virgines Vestales cum epistolis Vitellii ad Antonium scriptis. Antonius virgines cũ honore remisit, Vitellióque rescripsit direpta esse belli commercia ob trucidatũ Sabinum Vespasiani fratrem, & incensum Capitolium. Virginibus Vestalibus.] Annotauimus in primo Commentario, virgines Vestales mitti solitas fuisse deprecatrices: sicut olim à Messalina missæ fuerant ad Claudium deprecandum: sicut Cæsari à Sylla vitam, veniámq; deprecãtes impetrauerunt. Aut certe tempus ad cõsultandum.] Virgines Vestales postulauerãt ab Antonio eximi supremo certamine vnum diem: si hæc mora interiecta fuisset, faciliùs omnia conuentura.

Opperienti.] Expectanti, præstolantique Vitellio.

Hostem appropinquare.] Flauiani tripartito agmine Romam accesserunt: prælia multa, & varia inter Flauianos, & Vitellianos ante vrbem facta. Concurrerunt & in cãpo Martio infestæ acies: sed pro Flauianis Fortuna fuit. Populus Romanus aderat spectator, tanquã in ludicro certamine.

Abstrusus gestatoria sella.] Cor. Tacitus sic scribit: Vitellius capta vrbe per auersam Palatii portã Auentinum in domum vxoris sellula defertur: vt si diem latebra vitasset, Terracinam ad cohortes, fratrémq; perfugeret. Gestatoria Sella.] Quæ gestari, & deferri à lecticariis solet: alio nomine gestatorium nominatur. Vnde illud ex libro secundo Machabæorum: In gestatorio torquebatur Antiochus.

Pistore, & coquo.] Antiqui coquos non habebant in seruitiis, eósque ex macello conducebant: deinde inter mancipia coqui, sicut & pistores, recepti sunt. Hinc ait Marcellus Iurisconsultus libro de legatis tertio: Si vnus seruus plura artificia sciat, & alii coqui legati fuerunt, alii textores, alii lecticarii, ei cedere seruum dicendum est, cui legati etiam sunt, in quo artificio plerunque versabatur. Vasa coquinaria ex argento fieri Caluus orator questus est. Scribunt Iurisconsulti, vasa coquinaria in penu nõ contineri.

Incerto.] Sine authore, sine capite diuulgato.

Referri se in Palatium.] Ait Tacitus, Vitellium mobilitate ingenii in Palatiũ regressum esse: quod desertũ reperit.

Dilabentibus.] Tacitus: Dilapsis etiam infimis seruitiorum, aut occursum eius declinãtibus. Id genus exẽpla affatim nos monent, cũ Fortuna mutari fidem mortaliũ: qui in rebus secundis cateruatim confluunt, in aduersis dilabuntur.

M. A N. COnsuli primùm.] Quinto Attico, qui tum Cõsul cum eo erat.

Vt legatos cũ virginibus Vestalibus.] Legati missi Arulenus Rusticus, qui violatus est, & Musonius Rufus. Hic est Rusticus ille, quem stigmosum Vitelliana cicatrice à Regulo appellatum, Plinius in epistolis ait: quippe qui in L. Vitellii inuidiam vulnus à Flauianis accepisset, quãquàm legatus, & prætor. In altera castra virgines Vestales summo honore ab Antonio, qui alteris castris præerat, acceptæ, ac dimissæ sunt. Bina enim Flauianorum castra vrbi iam admota erant. Quod ad Vestales virgines attinet, videntur mihi Romani veteres, quod alio loco diximus, illarum opere vsi in deprecanda pœna, & gratia reconcilianda: quod & Cicero planè demonstrat. Gellii exemplaria videntur ostendere & in lege Agraria Ciceronem id quoq; demonstrasse, vbi illud est: Nullæ sunt virgines, quæ me à vobis deprecentur. Quem Gellii textum nos secuti in Cæsare Dictatore ea verba posuimus: sed emendatissimus Ciceronis codex nõ virgines, sed imagines, habet: quod omnino magis probo.

Auentinum.] Vnum ex collibus vrbis.

Paternam domũ.] Cornelius in vxoris, non patris domum venisse ait.

In Campaniam.] Terracinã potiùs, vbi frater cum exercitu erat, perfugeret.

Pax impetrata esset.] Ab his, qui in castra misissent.

Dilabentibus.] Abeuntibus.

Qui simul erant.] Coquus, & pistor.

Zona

zona se aureorum plena circundedit, confugítq; in cellulam janitoris, religato pro foribus cane, lectóque, & culcitra obiectis.

Mors eiusdem ignominiosissima. XVII.


Rruperant autem iam agminis antecessores, ac nemine obuio rimabantur, vt fit, singula. Ab iis extractus è latebra, sciscitantes quisnam esset (nam ignorabatur) & vbi esse Vitellium sciret, mendacio elusit: deinde agnitus rogare nõ destitit, quasi quædam de salute Vespasiani dicturus, vt custodiretur interim vel in carcere, donec religatis post terga manibus, iniecto ceruicibus laqueo, veste discissa seminudus in forum tractus est, inter magna rerum, verborúmque ludibria, per totũ viæ Sacræ spatium, reducta coma à capite, ceu noxii solent, atq; ètiã mento mucrone gladii subiecto, vt visendã præberet faciẽ, neve summitteret, quibusdam stercore, & cœno incessentibus, aliis incendiarium, & patinarium vociferantibus, parte vulgi etiam corporis vitia exprobrante: erat enim in eo enormis proceritas, facies rubida plerunque ex vinolentia, venter obesus, alterum femur subdebile, impulsu olim

PHIL. Zona aureorum plena.] In libro Annotationum enarrantes illum Iuuenalis versum,

Obrutus & zonam morsu, læuáque tenebit: retulimus quemadmodum mos fuit apud priscos vt aurum monetale in zonis haberent. Vnde Alexander Romanus Imperator dicere solebat: Miles non timet nisi vestitus, armatus, calceatus, & satur, & habens aliquid in zonula. Plura in Annotationibus nostris leges ad hanc rem conducentia.

Circundedit.] Tanquam id sibi pro viatico futurũ esset. Itidem apud Apuleium Plotina spectatæ fidei fœmina zonis auro monetali refertis incincta maritum extorrem comitata est.

In cellulam Ianitoris.] Cella ianitoris prope ostium ædium fieri solet, vbi ianitor religatus excubat. Hinc ait Ouidius:

Ianitor indignè longa religate catena. Pro foribus.] Ante fores obiectis vt ita latebra pudenda semet occultaret.

Agminis Antecessores.] Qui antecedebant Flauianas copias agminatim aduentantes.

Rimabantur.] Scrutabantur, & curiosè vestigabãt. Rimari propriè dicuntur sues, cùm pascentes cibi gratia terram vertunt: Lutatius grammaticus author.

Ab his extractus.] A Iulio Placido tribuno cohortis pertractum è latebra Vitellium Tacitus refert.

Mendacio elusit.] Dum se Vitelliũ esse dissimulat.

Vt custodiretur interim.] Rogabat Vitellius causa mortis differendæ, vt custodiretur vel in carcere, donec Flauianos duces alloqueretur.

Religatis post terga manibus.] Cor. Tacitus: Iunctæ tergũ ponè manus, laniata veste, fœdum spectaculũ ducebatur, multis increpantibus, nullo illacrymante.

Discissa.] Lacerata, diloricata.

In forum.] Propulsus est Vitellius ad eum fori locum, vbi Galba occisus fuerat.

Viæ Sacræ.] Antè dictum est, sacram viam in vrbe Roma appellatã, quòd in ea fœdus ictum sit inter Romulum, & Tatium. Olim Cæsar Dictator intexit velis viam Sacrã ab domo sua ad Cliuum vsq; in Capitoliũ.

Reducta.] Retroducta, reiecta, vt facies reuelata occultari non posset. Mucrone mento subiecto.] Scribit Tacitus, Vitellium infestis mucronibus coactũ modò erigere os, & offerre contumeliis, nũc cadentes statuas suas, plerunque Rostra, aut locum occisi Galbæ contueri. Summitteret.] Ad terram demitteret.

Incessentibus.] Impetentibus.

Stercore, & cœno.] Sextus Aurelius: Multis cœno, fimo, & cæteris turpioribus dictu purgamentis vultum eius incessentibus, per scalas Gemonias trahitur.

Incendiarium.] Quemadmodum Nero incendiarius à Flauio tribuno per contumeliã dictus est, quia vrbem Romã incenderat, ita Vitellium incendiarium vocauere, propter incẽsum Capitoliũ, tanquam illius luctuosissimi incẽdii ipse author extitisset.

Patinarium.] Plautus appellat piscem patinarium patina conditũ: sic enim ait i Asinaria: Vel patinariũ, vel assum verses quo pacto lubet. Patinarius verò dictus est Vitellius, propter illã luxuriosissimã patinam, vt paulò antè memoraui, quã dedicauerat: propter quam Mutianus illi exprobrauit paludes patinarum.

Enormis.] Vasta, & immodica. Nã sicut solet proceritas corporis nõ parũ venerationis acquirere principibus, ita si enormis est, & immodica, magis dehonestamento est, quàm pulchritudini. Dixit Celsus, longã staturam matura confici senectute. Rubida.] Rubens, rubicunda. Burrus apud antiquos vocitabatur rubens ex cibo, & potione. Prætereà panem rubidũ appellauerunt parum coctum. Plautus in Casina: In furnum calidum condito, atque ibi me torreto pro pane rubido.

Venter obesus.] Pinguis, vber. Apud Næuium accipitur pro exili, atque gracilento.

Subdebile.] Modicè debilitatũ, & infirmum. Sæpe dictum hãc particulam, sub, significare temperamentũ.

Impulsu.] Impulsione.

M. AN. Zona aureorum plena.] Aureis nummis præfixa. Interim.] Dum ea ducibus Flauianis, aut ipsi Vespasiano patefaceret. Ludibria.] Illusiones.

Viæ Sacræ.] Qua ex Palatio in forũ descẽdebatur.

Reducta coma.] Capillis & à vertice, & à fronte in vnũ quasi nodũ cõpressis, vt magis conspicuus esset. Ceu noxii solent.] Coma scilicet reduci, & in vnũ colligi. Mento.] Inferioribus faucium partibus iugulo imminentibus.

Mucrone.] Cuspide.

Incessentibus cœno.] Illudentibus.

Incendiarium.] Ob Capitolium incensum.

Patinarium.] Et hoc ob patinæ dedicationem.

Exprobrante.] Probri, & contumeliæ loco obiiciente. Obesus venter.] Præpinguis.

Quad

quadrigæ, quum auriganti Caio ministratorem exhiberet, apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus, atque confectus est, & inde vnco tractus in Tyberim.

Interpretatio ostenti. XVIII.



PEriit cum fratre, & filio, anno vitæ septimo & quinquagesimo: nec fefellit coniecturam eorum, qui augurio, quod factū ei Viēnæ ostēdimus, nō aliud portēdi prædixerāt, quàm venturū in alicuius Gallicani hominis potestatē. Siquidem ab Antonio Primo aduersarū partiū duce oppressus est: cui Tolosæ nato cognomē in pueritia Becco fuerat: id valet, gallinacei rostrū.

PHIL. QVadrigæ.] Contra regulam grammaticorum ἑνικῶς, id est singulariter quadrigā dixit: sicut & Plinius quadrigam dixit à Myrmecide fabricatam ex ebore, quam musca integeret alis.

Auriganti Caio.] Suprà memorauimus, Vitellium Caio Caligulæ factum esse familiarē per aurigandi studium.

Apud Gemonias.] In tertio Cōmētario satis ac super de Gemoniis scalis, illhnc te confer, si quid desideras. Ait Tacitus Vitellium ad Gemonias fuisse propulsum, vbi corpus Flauii Sabini iacuerat, ingestisque vulneribus cōfossum concidisse. Vox nouissima non degeneris animi excepta fuit à circunstātibus: nanque tribuno insultanti, se tamen Imperatorem eius fuisse respondit. Sex. Aurelius, Per scalas, inquit, Gemonias trahitur.

Excarnificatus.] Congestis vulneribus lancinatus, euisceratúsque per carnificinam: sicut carnifices dānatos interdum minutissimis ictibus lenta morte conficiunt. Ammianus Marcellinus: Tanquā obtrectatorem audacem excarnificari præcepit. Tradit Sextus Aurelius, numerosis ictibus confossum interiisse.

Confectus.] Trucidatus.

Tractus in Tyberim.] Potuit Vitellius Tyberinus, & Tractitius nuncupari: sicut olim appellatus est Heliogabalus, qui in latrina occisus fuit, deinde in Tyberim tractus.

Cum fratre.] De hoc sic refert Tacitus: Dein Lucius Vitellius interficitur par vitiis fratris, & principatu eius vigilantior, nec perinde prosperis socius, quàm aduersis abstractus. Factum Viennæ.] Quando pro tribunali iura reddenti Vitellio gallus gallinaceus supra humerum, atque in capite astiot.

Portendi.] Significari.

Ab Antonio Primo.] Antonius Primus belli concinnator, Vespasianum sequutus grande momentum addidit: erat enim strenuus manu, sermone promptus, discordiis, & seditionibus potens, raptor, largitor, pace pessimus, bello non spernendus: huius præclara virtus enituit in bello Vitelliano. Primus appellatur à Tranquillo ob cognomentum: dicebant enim Antonius Primus: & ita à Cor. Tacito identidem appellatur. Egesippus id apertè indicat lib. IIII. historiarum, vbi ait: Primus, id enim Antonio cognomentum erat. De hoc intellexisse Martialem existimo sic scribentem:

Iam numerat Placido felix Antonius æuo
Quindecies actas Primus Olympiadas.

Tolosæ nato.] Et ob hoc homini Gallicano. Notū est enim, Tolosam ciuitatem Galliæ Narbonensis: in qua olim fuit templum sanctitudine religiosum, finitimis venerabile. De hominibus calamitosis dici solitū est prouerbium vetus: Ille homo habet aurum Tolosanum. quod ortum est Q. Cepione, qui cùm oppidum Tolosanum diripuisset, multúmq; in eius oppidi templis fuisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero, cruciabilíque exitu periit. Cuius rei Strabo, Iustinus, & Gellius meminerunt.

Becco.] Remāsit in lingua vernacula nostra hæc dictio, vt beccum appellemus rostrū, non tam gallinacei, quàm omniū auiū. Phryges pané beccus appellant: ex quo Psammeticus Aegypti rex olim coniectauit, Phrygas primos extitisse mortalium, cùm hæc vox Beccus ab infantibus suapte sponte fuisset prima deprompta. Historiam luculentè perscribit Herodotus in Euterpe: quā sequutus, opinor, Apuleius, Phrygas scienter primigenios, appellat libr. XI. de Asino aureo.

De Vitellii moribus, & obitu sic scribit Eutropius: Hic cum multo dedecore imperauit, & graui sæuitia nobilitatis, præcipuè ingluuie & voracitate: quippe cùm de die sæpe quartùm & quintùm feratur epulatus. Notissima certè cœna memoriæ mandata est, quam ei Vitellius frater exhibuit, in qua super cæteros sumptus duo millia piscium, septem millia auium apposita tradūtur. Hic cùm Neroni similis esse vellet, atque id adeò præ se ferret, vt etiam exequias Neronis, quæ humiliter sepultæ fuerant, honoraret, à Vespasiani ducibus occisus est, interfecto in vrbe priùs Sabino Vespasiani fratre, quē cum Capitolio incendit. Interfectus autē est, & magno dedecore tractus per vrbem Romam publicè, nudus, erecta coma, & capite eius, subiecto ad mentū gladio, stercore inuolutus, & pectus ab omnibus obuiis appetitū. Postremò iugulatus, & in Tyberim proiectus est. Etiam communi caruit sepultura. Periit autem ætatis anno septimo & quinquagesimo, Imperii mense octauo & die vno.

M. AN. CAio.] Caligulæ principi.

Ministratorem.] Se ministrum illi circa currū, dum aurigaret, præbentem.

Minutissimis ictibus.] Vt diutius torqueretur.

Excarnificatus.] Carnificis ministerio, aut quo pacto à carnificibus damnati solent, truncatus. Tacitus, congestis militum vulneribus ad Gemonias scalas trucidatum scribit.

Cum fratre.] L. Vitellio.

Ab Antonio.] Huius enim ductu victi sunt Vitelliani ad Cremonam: mox ab eodem legiones ad vrbem admotæ.

Tolosæ nato.] Est Tolosa Narbonensis Galliæ ciuitas: è qua Cepio Romanus Imperator thesauros abstulit: à quibus aurum Tolosanum apud scriptores decantatissimum, in prouerbium cessit.

Cognomen Becco.] Maro:
Cui nunc cognomen Iulo.

VETVS

C. SVETONII TRANQVILLI LIBER X.

Diuus Vespasianus Augustus Imperator.

De gente Flauia, & Vespasiani progenitoribus. I.



REBELLIONE trium principum, & cæde, incertũ diu, & quasi vagum Imperium suscepit, firmauitque tandem gens Flauia, obscura illa quidem, ac sine vllis maiorum imaginibus, sed tamen Reipublicæ nequaquam pœnitenda, constet licet Domitianum cupiditatis, ac sæuitiæ meritò pœnas luisse. Titus Flauius Petronius municeps Reatinus bello ciuili Pompeianarum partium cẽturio, incertũ

PHIL.



ETVS sententia est, omniũ rerum esse vicissitudinem: nanque pluuiæ serenitas, bello pax, sterilitati fœcunditas, tempestati tranquillitas vicissatim succedere cõsueuerunt: sic & malis principibus boni principes substituũtur, vt quæ per improbos afflicta sunt, & pessundata, per bonos refoueantur, & refocilientur: sicut à duobus Vespasianis factum est, qui exanguem, fessúmque terrarũ orbem Romanámq; Rempublicã sæuitia tyrannorũ exhaustã, dissipatámque refecerunt, atque recreauerunt. Nihil profectò salubrius, bono principe, qui instar boni pastoris greges suos nõ emaciat, sed opimat. Hoc vt facere condiscant principes terrarum, spectent, & imitentur duos Vespasianos, patrem, & filiũ bonitate præcellẽtes, & Imperatoria maiestate dignissimos. Tranquillus scripturus Flauii Vespasiani Imperatoris vitam, repetit Flauiæ gentis originem à maioribus, nósque admonet nihil nocere virtuti sordidos natales: & quòd lux ingens, & pura interdum emicat ex parua scintilla. Nam cùm Vespasianus obscuro loco natus foret, tamen per virtutẽ emersit, sublimatúsq; est ad fastigiũ principatus.

Rebellione triũ principũ.] Galbam, Othonem, Vitelliúmque significat. Incertũ.] Labans, & nutabundum. Vagum.] Instabile, & lubricum: cùm ab Galba ad Othonẽ, ab Othone ad Vitelliũ, ab illo ad Vespasianum mox transferretur, nusquam stabile, & subnixum.

Gẽs Flauia.] Hinc Flauius Vespasianus dictus. Hinc à Iuuenale Flauius vltimus dicitur Domitianus: sicut à Papinio in Syluis Flauius Caluus. A Flauia gẽte nominati Flauiani duces, sectatorésq; partiũ Vespasiani.

Sine vllis imaginibus.] Nobilitas familiarũ imaginibus proauorum multiiugis spectabatur: & atria plena fumosis imaginibus nobilem facere credebantur. Hinc econtrariò Marius apud Sallustium obscurum genus suũ, & ignobile nõ dissimulat, vbi ait: Scilicet quia imagines non habeo, & quia mihi noua nobilitas est. Mox ex interuallo, Non possum, inquit, fidei causa imagines, neq; triumphos, aut Cõsulatus maiorũ meorum ostentare. Nequaquam pœnitenda.] Ita Liuius: Domi, militiæque sub haud pœnitendo magistro ipso Anco rege Romana se iura, Romanos ritus didicisse. Apuleius quoq; in Apologia inquit: Inuitasset iuuenẽ, neq; corpore, neq; animo, neq; fortuna pœnitendum.

Constet licet.] Sensus est: Gens Flauia non fuit pœnitenda Romanæ Reipublicæ, quãuis Domitianus ex eadẽ gente Romæ imperauerit, dederitq; pœnas meritas suæ libidinis, & crudelitatis. Ex quo significat Tranquillus, plus boni, quàm mali gentem Flauiam cõtulisse Romanæ Reipublicæ, cùm ex tribus Flauiis duo primi fuerint optimi, nouissimus flagitiosus.

Pœnas luisse.] Soluisse, dedisséq; supplicium. Dicimus autẽ, authore Seruio, melius luo peccatũ, quàm luo pœnam: Nam peccatum soluitur pœna. Quòd si luo pœnam dixeris, non procedit quare pœna soluatur. Tamen authoritas eruditorum licenter ista cõfundit, vt luo pœnas dicamus, & luo peccatum. Maro in x.

Italiam petiere, luantur peccata.

Municeps Reatinus.] Gentem Flauiam ex municipio Reatino oriũdam significat. Est autẽ Reate oppidum in Sabinis, vt ait Plin. in iii. dicatũ cælicolûm matri: vt inquit Silius. Tradit Marc. Varro Italiæ vmbilicum esse in agro Reatino. Asinos Reatinos, à generositate celeberrimi scriptores laudauerunt. Municeps autem significatur ciuis Reatinus. Nam, vt inquit elegãter Vlpianus libro quinquagesimo Digestorũ, municipes dicimus suæ cuiusque ciuitatis ciues, vtputa Campanos, Puteolanos.

M. A N.

Marci Antonii Sabellici ad Augustinum Barbadicum serenissimum Venetiarum principem Paraphraseos in Vespasianum parænesis decima.

REbellione.] Romanum Imperiũ aliquandiu incerta sede peruagatum Flauia gens Vespasiani patris ductu, & auspiciis stabiliuit tandem, serenissime Princeps, fuit is omnium, qui Romæ ad id tempus imperauerant, longe clementissimus: qua virtute, nulla magis potest, si Anneo Senecæ credimus, homini conuenire amplius: nec magis vlli hominũ, quàm principi. Addo vrbanitatẽ, ac ceteras virtutes, quæ pene plures in vno fuere, quàm in tribus illis, quorũ proximè meminimus, vitia: sed auaritiæ calumnia nõ caruit, qui sane affectus, quoniam in publicũ vsum vertit, nõ priuatum, laudi potiùs illi, quàm vitio cessit: cætera verè dignus, cui defuncto non humani tantùm, sed diuini etiã, vt vana fuit tũc hominũ persuasio, honores sint decreti. Hunc meritò miraberis, dux iucũdissime, & nisi per te rectè saperes, atq; is esses, qui non alienis indigeres exemplis, hũc tibi omni studio imitandũ proponerẽ: sed alii præclaris huiusmodi indigebunt institutis, tu tuis amplissimis virtutibus fretus, eò propémodũ euasisti, vt nihil te vno clementius, nihil iucundius omniũ prædicatione esse feratur. Superest autẽ vt is esse pergas, quod, vt video, sponte facis, qui si fama, & celebritate sis Vespasiano inferior, virtutibus tamen animi aut maior, aut, quod æquè erit magnum, par illi reperiaris. Rebellione igitur, rebelli motu, ac defectione.

Trium principum.] Galbæ, Othonis, Vitellii.

Incertum.] Ob vacillam siquidem, ac crebram Imperii mutationem tres illi, quorum proxime meminimus, à nonnullis in numerum non rediguntur.

Constet licet.] Et si non dubium sit.

Domit

Domitianum.] Vltimus Flauiæ gentis imperauit. Iuuenalis: Quum iam semianimem lacerarer Flauius orbem Vltimus.

Municeps Reatinus.] Reate Sabinorum oppido oatus.

gesimæ soluebantur. Nam sicut centesima, quinquagesima, vigesima, nomina sunt vectigalium ex auctionibus publicanorum illicitis excogitata, ita & quadragesima nomen est improbi vectigalis. Si vberiora desideras, require quæ scripsimus in Annotationibus.

sponte, an euocatus profugit ex Pharsalica acie, domúmque se contulit. Vbi deinde venia, & missione impetrata, coactiones argentarias factitauit: huius filius cognomine Sabinus expers militiæ, etsi quidam eum primipilarem, nõnulli quum adhuc ordines duceret, sacramento solutum per causam valetudinis tradunt, publicanum quadragesimæ in Asia egit. Manebántq; imagines à ciuitatibus ei positæ sub hoc titulo, καλῶς τελωνήσαντι. Posteà fœnus apud Heluetios exercuit, ibíque diem obiit, superstitibus vxore Vespasia Polla, & duobus ex ea liberis, quorum maior Sabinus

PHIL. Sponte.] Voluntarius, vltroneúsve.

Euocatus.] Scilicet à Pompeio. Suprà enim dictum est, euocatos dici milites, quãdo per euocationẽ ad bellum euocabantur.

Ex Pharsalica acie.] Vbi Pompeianæ partes profligatæ fuerunt.

Domũ.] In municipium Reatinũ.

Venia.] Cæsarem fuisse clementissimum vsque ad pœnitentiam, veniámq; dedisse aduersariis notum est.

Missione impetrata.] Vt à militia, centurionatúque per missionem honestam, siue causariam dimitteretur.

Coactiones argentarias.] Horatius in primo Sermonum, patrem suum fuisse coactorem indicat: vbi interpretes exposuerunt coactores, mercenarios esse eorũ, qui habent argentariam: quod humile, ac turpissimum genus quæstus existimator: inde coactiones, argentariæ collectiones pecuniarum dictæ, quas coactores argentariis seruientes vsurpant. Videntur autem dici coactores à cogenda pecunia: namque in auctionibus argentariorum pecunias cogere soleor, hoc est colligere, & cõgregare, & in decumis exigendis accessionem facere. Cicero in oratione pro Rabirio Posthumo: Nõ intelligo hoc quale sit, verum accessionem decumæ, vt nostri facere coactores solent De argentariis in 11. Cõmentario satis multa: hi enim sunt, qui faciunt argentariam: sic enim absolutè, & eleganter dicimur argentariam facere, sicut cœnaculariam, & sagariam. M. Tullius in oratione pro Cecinna: Romæ argentariã non ignobilem fecit.

Primipilarem.] Primipili centurionem: de quo suo loco satis diximus.

Ordines.] Militares, quorum alii erant honestiores, alii ignobiles. Ideo scribit Cæsar in Commentariis, se ab octauis ordinibus ad primum pilum traduxisse Scæuam Centurionem.

Sacramento solutũ.] Liberatũ militari sacramẽto.

Per causam valetudinis.] Causariã missionẽ signat, quæ dari solet, cùm quis vitio animi, vel corporis valetudine minùs idoneus militiæ denuntiatur. Inde causarii à Liuio dicti, qui per causariã missionẽ à militia soluti sunt. Et ita legendũ est, exponendúmq; illud apud Spartianum in Adriano: Post hæc profectus in Gallias omnes causarios liberalitatibus subleuauit. Ita enim legere malim, quàm causariis, sicut habẽt codices impressi. Publicanũ quadragesimæ egit.] In libro Annotationum locus hic à nobis & emendatus est, & explicatus: Nam cùm in omnibus fermè codicibus publicũ legeretur: euidentissimis, opinor, argumẽtis asserulmus legendum esse publicanum. Significat enim Tranquillus, Flauium Sabinum functum esse in Asia officio publicani in exigendis vectigalibus, quæ nomine quadra-

Καλῶς τελωνήσαντι.] Latinè interpretatur, Bene vectigal exigenti, siue, pulchrè obeunti munia publicani. Et est casus dandi: per quem tituli sæpenumero in monumentis perscribi solent.

Apud Heluetios.] Populos Belgicæ Galliæ: de quibus multa Cæsar in principio Commẽtariorum.

Fœnus exercuit.] Fuit fœnerator. Fœneratores antè sæpe dãnatos, mulctatósque fuisse apud Romanos, testis est Liuius, qui ait, fœneratoribus diem dictam esse ab ædilibus, qui ex illorũ pecunia mulctatitia posuerunt limina ænea in Capitolio. Idem alibi refert, latum esse ad populum ne fœnerari liceret. Cato fœneratorẽ æquauit homicidæ, quum interrogatus an expediret fœnerari, respondit, quid hominem occidere? Mercurius in parte horoscopi partiliter cõstitutus facit præpositos fœneratiouũ. Diminutiuè fœnus dicitur fœnusculũ.

M. A N. AN euocatus.] Qui euocati essent, semel atque iterum diximus. Coactiones argentarias.] A cogo coacto, & coactor. Horatius:

Si præco paruas, aut vt fuit ipse coactor. Est enim coactor, vt Acron ait, mercenarius eorum, qui habent summam rerum venalium. Cicero: Vt nostri facere coactores solent. & rursus haud multùm diuerso sensu, Gabinius pecuniam, & Posthumus coegerunt. Argentariam dixit coactionem, quia coactores argentariis, qui auctioni præerant, operam præstabant. Cicero pro Cecinna, Argentariam, nõ ignobilem fecit. & paulò mox: Argentaria dissoluta. & alibi: Pecuniã argentario promittit Ebutius. Ordinem.] Ordo sexagenos, vt Liuius ait, habuit milites: apparet tamen pro quocunq; militum ductu ordinem à veteribus vsurpatũ: quod ni ita esset, idem author haud alibi, honestum ducebat ordinem, dixisset: superuacuum erat honestum addere, si semper idem ordo fuisset. Solutum sacramento.] Causaria, vt Vlpianus ait, missione militia solutus est, Inquit ille etiã, causaria missio est, quæ propter valetudinem laboribus militiæ soluit. Publicũ quadragesimæ.] Sic habent omnia Trãquilli exẽplaria, quæ adhuc videre cõtigit, sed ego ob ea quæ apud Tacitũ legimus, publicanũ pro publico scribendũ cõtenderim: Manet, inquit ille, abolitio quadragesimæ, quinquagesimæque, & quæ alia ex auctionibus illicitis nomina publicani inuenerant. Erit igitur sensus, egit publicanum quadragesimæ, id est obiuit in Asia publicani munus in exigenda quadragesima: nisi quis dicat, publicum egit, publicam personam gessit in exigenda quadragesima: quod non absurdum sit, ob ea quæ sequuntur.

Καλῶς τελωνήσαντι.] Rectè vectigalia exigenti.

Heluetios.] Belgicæ Galliæ populos.

Sabinus.] Qui à Vitellio est oppressus.

Ad præf

ad præfecturā vrbis, minor Vespasianus ad principatum vsque processit. Polla Nursiæ honesto genere orta, patrem habuit. Vespasium Pollionem, ter tribunum militum, præfectúmque castrorum, fratrémq; Senatorem Prætoriæ dignitatis. Locus etiam nunc ad sextum milliarium à Nursia Spoletum euntibus in monte summo appellatur Vespasiæ, vbi Vespasiorum complura monumenta extant, magnum indicium splendoris familiæ, & vetustatis. Non negauerim, iactatum à quibusdam, Petronii patrē è regione Transpadana fuisse mancipem operarum, quæ ex Vmbria in Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare solerēt: subsedisse autem in oppido Reatino, vxore ibidē ducta. Ipse ne vestigium quidem de hoc, quanuis satis curiose inquirerem, inueni.

PHIL. AD præfecturam vrbis.] Tacitus Sabinum Vespasiani fratrem refert præfecturam vrbis obtinuisse annos duodecim, qui interfectus fuit à Vitellianis in tumultu ciuili: cuius truncū corpus abscisso capite ad Gemonias traxerunt. Hic Sabinus quinque & triginta stipendia in Republica fecerat, domi, militiæque clarus: sermonis nimius erat: septem annis Mœsiam rexerat. Ante Vespasiani principatum decus domus Flauiæ penes Sabinum erat.

Polla Nursiæ.] Explicato paterno Vespasiani genere, nunc maternum genus exequitur: atque matrem Vespasiani fuisse Nursinam. Est autē Nursia ciuitas Sabinorum, vt ait Plinius: quanuis Seruius eā in Piceno esse tradat. A Vergilio frigida nuncupatur, quia re vera ita est, aut quia nocens. frigidus enim noxius significatur. Gracchi in concionibus suis vbique Nursinos sceleratos appellauere.

Ter tribunum militum.] Qui ter functus erat dignitate tribunatus militaris.

Præfectum castrorum.] Ad officium præfecti castrorum, vt inquit Vegetius in rs. positio valli pertinet, & fossæ æstimatio: tabernacula militum nutu ipsius curabantur. Prætereà ægri cōtubernales, & medicorum à quibus curabantur expensæ ad præfecti castrorum curam pertinebant. Item vehicula, ferramenta, instrumenta bellica ne deessent aliquando procurabat. Hic post longam, probatámque militiam peritissimus omnium eligebatur, vt rectè doceret alios quod ipse cum laude fecisset. Prætoriæ dignitatis.] Qui præturæ honore fuerat decoratus.

Spoletum euntibus.] Qua parte itur ad Spoletinos, quos Plinius collocat in sexta Italiæ regione.

Vespasiorum.] Quemadmodum paterna Vespasiani gens dicta est Flauiorum, ita materna Vespasiorū nuncupabatur.

Magnum indiciū splendoris.] Locus dictus Vespasia, & Vespasiorum monumenta abundè indicant, magnóque argumento splendidam fuisse, vetustámque familiam Vespasiæ Pollæ Vespasiani matris.

Iactatum.] Inaniter diuulgatum. Seruius illud Maronianum, Talia iactanti.- exposuit pro inaniter loquenti.

Petronium patrem.] Corrige Petronii patrem: vt intelligas Trāquillum loqui de patre T. Flauii Petronii municipis Reatini, à quo exorsus est dudum maiores Vespasiani.

Mancipem operarum.] Conductorem, redemptorémque seruorum, & operariorum. Hic locus à nobis enodatus est in libro Annotationum, vbi scripsimus appellari Romanos publicanorum principes, qui quæstus sui causa decumas redimunt. Prætereà mancipes dicebantur, qui à populo aliquid emebant, conducebántve. Plinius dixit quòd manceps præualens annonam flagellat. Appellatione verò operarum personas ipsas, atque operarios significari eodem in loco à me annotatum est.

Quæ.] Operæ, id est operarii, & mancipia mercenaria. Vmbria.] Plinius Vmbriam collocat in sexta Italiæ regione. Vmbrorū gens antiquissima Italiæ existimatur. A Græcis Vmbri dicti, quòd imbribus superfuerint. ὄμβρος Græcè imber appellatur.

Quotannis cōmeare.] Hac tempestate circumpadani idem factitāt, qui quotannis cōmeant ad nos, & ad Flaminiæ populos, qui pretio conducti locant operas diurnas, & menstruas ad culturam agrorum: qua peracta suffarcinati pecunia in patriam regrediuntur.

Subsedisse.] Substitisse, remansisse. Aliâs significat depressum esse. Vergilius: Subsidere valles.

NVrsiæ.] Nursia Sabinorum oppidum, vt Ptolemæus, & Plinius aiunt, haud ignobile. M. AN.

Præfectum castrorum.] Cui curæ erat castrorum metationem legere, vallum iacere, tabernacula disponere, tormenta bellica, & alia huiusmodi curare: vt planè affirmare possis hanc castrensem potestatem non multùm diuersam fuisse ab ea, quam hodie obtinent, qui castrorum magistri dicuntur: est alioqui haud ignotum quid præfecti nomen significet.

Vespasiorum.] Eius familiæ virorum.

Magnum iudicium.] Argumentū, demōstrationem.

Iactatum.] Leuiter traditum.

Mancipem operarum.] Asconius: Mancipes publicanorum principes, qui quæstus causa decimas redimunt. Festus, Manceps, inquit, dicitur quicquid à populo emitur, conduciturve, quia manu sublata significet se authorem emptionis. Mancipem ergo pro redemptore accipias licet, pro eo dico, qui sub se operarios ad opus aliquod conductos haberet. Plinius: Hunc sine æmulatione incitatus manceps proximæ sutrinæ.

Ex Vmbria commeare.] Quare ex Vmbria, si ex transpadana fuit regione? Sed tu inde oriundum, imò ibi natum potiùs accipias, verùm in Vmbria vixisse, atque ibi factum mancipem.

Sabinos ad culturam agrorum.] Sunt Sabini Vmbris affines, atque ab illis oriundi: dicti, vt quidam existimauere, à religione, & deorum cultu, quasi seuini. Cato, vt Dionysius scribit, ex Sabino sangi diui gentilis Sabinorum genti nomen impositum credidit.

Ne vestigium quidem de hoc.] Ne signum quidem aliquod.

Ortus Vespasiani, & eius educatio. II.

VEspasianus natus est in Sabinis vltra Reaten, vico modico, cui nomen est Phalacrine, x v. Calendas Decembris vesperi, Q. Sulpitio Camerino, C. Poppæo Sabino Consulibus, quinquennio antè, quàm Augustus excederet, educatus sub paterna auia Tertulla in prædiis Cosanis. Quare princeps quoque & locum incunabulorum assiduè frequentauit, manente villa qualis fuerat olim, ne quid scilicet oculorum cõsuetudini deperiret. Et auiæ memoriam tantopere dilexit, vt solennibus, ac festis diebus poculo quoque eius argenteo potare perseuerauerit. Sumpta toga virili, latum clauum, quanquàm fratre adepto, diu auersatus est: nec vt tandem appeteret, compelli, nisi à matre, potuit. Ea demũ extudit magis conuicio, quàm precibus vel authoritate, dum eũ identidẽ per cõtumeliam

PHIL. IN Samnio.] Samnium, cuius regionis cultores Samnites dicti, conterminum esse Sabinis, testis est Plinius in tertio. Quidam legunt, in Sabinis: io regione autem Sabinorum situm est Reate.

Phalacrine.] Silicet per coniecturam scrutari causas nominum, quid vetat credere hûc vicum nomeo accepisse ex eo quòd homines calui illhic nascerentur? quos Græci φαλακροὺς vocaot: sicut in insula Mycono iuuentus omnis calua vocabatur. Vnde à Plinio dictũ est in x I. quòd Myconii carentes capillo gignuntur: quod & Lucilius indicat cùm ait: Myconi calua omnis iuuentus. Vnde etiam prouerbium Græcum est, φαλακροὶ μυκώνιοι: id est, calui Myconii. Corui aquatici naturaliter calui sunt: quibus apud Græcos inde nomen est. Hoc dixit Plinius: sed quod nomen foret, id non addidit. Scito autem tales coruos à Græcis dici φαλακροκόρακας, quasi caluos coruos.

Excederet.] moreretur.

Cosanis.] Cosa oppidum est Hetruriæ à populo Romano deducta colonia, vt meminit Plinius. Vergilius pluraliter Cosas dixit, cùm ait in x.

Quique vrbem liquere Cosas, queis tela sagittæ.

Consa verò ciuitas est in Hirpinis, quæ post cladem Cannensem tradita est Annibali, vt docet Liuius: sed Consani nihil ad Cosanos.

Princeps.] iam creatus Imperator.

Locum incunabulorum.] vbi educatus fuerat. Incunabula enim appellamus nutricationem puerilem, à cunabulis, qui lectuli sunt, in quibus infantes iacere consueuerunt.

Oculorum consuetudini.] Noluit Vespasianus villam elegantius neque nitidius reformari, in qua fuerat educatus: vt loca illa iã princeps inuisens faciliùs recordaretur educationis puerilis: nam immutata villa induxisset facile obliuionem incunabulorum.

Auiæ.] Tertullæ.

Latum clauum.] dignitatem Senatoriam. Antiqui clauata vestimenta dixere clauis intexta.

Auersatus est.] recusauit dignitatem Senatoriam, tanquàm onerosam: sicuti olim Mecœnas substitit intra dignitatem equestrem, cùm illi laticlaui dignitas pateret. Cicero in oratione pro Cluentio laudat quosdam equites Romanos, qui maluerunt degere in vita tranquilla, quàm ascendere ad Senatoriam dignitatem, quæ plena est molestiarum, & difficultatũ.

Quanquàm fratre adepto.] quanuis Sabinus frater iam Senator esset factus.

Extudit.] tundendo, instãdo impulit ad latum clauum appetendum. Extuodere enim est tundendo, hoc est, percutiendo elicere, & excutere. Vergilius:

Vt varias vsus meditando extunderet artes. Si legis extulit, frigidum verbum est, nec elegantiæ Tranquilli satis accommodarum.

Identidem.] frequenter.

Per contumeliam.] quæ à contemptu dicta est.

M.A.N. IN Samnis.] Hi quoque locus librariorum incuria, ne ignorantia dicam, semel inuersus ita moluit, vt indifferenter à cũctis mendosè legatur: Samni in Reatino agro, imò nusquam, quod sciam, leguntur: quanquàm si id ipsum daretur, pro populo, aut proprio loci nomine, accipi nequeat: etenim quid aliud esset dicere Samnos esse in Reatino, quàm populum in populo esse? nec Samnites, aut Samnium, de qua gente aliquis suspicari posset, insunt. Plinius pòst quàm Samninum meminit, Sabinorum, inquit, Amiternini, Cirenses, Forum Decii, Forum nouum, Fidenates, Interamnates, Nursini, Nomentani, Reatini, Trebulani. & mox paulò: Tiburtes, Parmates. Ex qua descriptione apparet, Reatinos esse in medio Sabinorum, ne aliquo modo ad Samnium Reatini fines attinere credantur: nec pro loci nomine potest accipi, quum Phalacrinen dicat author vicum, in quo natus sit Vespasianus, appellatum: quæ cùm ita habeant, non dubitanerim affirmare pro Samnis Sabinis esse legendum: quod ipsum vel vna ratione confirmatur, quia Reatinus ager totus sit infra Sabinorum fines. Accedit adhæc pronus ad errorem lapsus, vt vno mediæ syllabæ elemento inuerso deprauata sit dictio.

Cosanis.] quæ in Cosano agro erant. Sunt Cosæ litorale Hetruriæ oppidum, non longè à Grauiscis. Vergilius:

Et Pyrgi veteres, intempestæq; Grauiscæ.

Est & Consa, in Lucania ciuitas: sed Cosanis vbique scriptum reperio.

Princeps.] post adeptum principatum.

Auiæ.] Tertullæ.

Fratre adepto.] id est, quanquàm Sabinus frater lati claui vestis vsum recepisset.

Diu auersatus.] detestatus, abominatus. Ouidius in Fastis:

Officiòque leuem non auersatus honorem.

Columella: Nam nec rubos auersatur capra.

Fit autem ab auertor, iungiturque accusatiuo.

A matre.] Vespasia.

Extulit.] excitauit.

anteabulonem fratris appellat. Tribunatum militum in Thracia meruit. Quæstor Cretam,& Cyrenas prouinciam sorte cepit: ædilitatis, ac mox præturæ candidatus etiam non sine repulsa, sextóque loco vix adeptus est. Ac prima statim petitione,* & in primis prætor infensus Senatui, Caium ne quo non genere demereretur, ludos extraordinarios pro victoria eius Germanica depoposcit, pœnæque coniuratorum addendum censuit, vt insepulti proiicerentur. Egit & gratias ei apud amplissimum ordinem, quòd se honore cœnæ dignatus esset.

Vxor, & filij eius. III.



INter hæc Flauiam Domicillam duxit vxorem, Statilii Capellæ equitis Romani *Sabraceni ex Africa delegatam

* primus

* Sabratēsis. Tabraceni

PHIL. ANteambulonem.] veluti antecursorem, satellitemq; Sabini fratris. Anteãbulones dici voluerũt stipatores, & satellites, qui in itinere solent præcedere principem, veluti antecursores: vnde ab ante & ambulo dicti anteambulones: qua dictione vsus est Epigrammatarius poeta.

Sum comes ipse tuus, tumidiq; anteambulo regis.

Idem alio loco:

Centum miselli iam valete quadrãtes Anteambulonis congiarium lassi.

De his intellexit Seneca sic scribens ioxiii. Epistolarũ: O quàm cuperem illi occurrere aliquem ex istis trosulis in via diuitibus, cursores, & Numidas, & multum ante se pulueris agentem. Vespasianus cùm audiret se anteambuloõe fratris appellari crebrites à matre, ne tali cõuicio notaretur, petiit Senatoriam dignitatem, & impetrauit. Generosus enim animus contumeliam pati noo potest; & ingenia liberaliter educata, vt inquit verissimè Hieronymus, faciliùs verecundia, quàm metus superat: & quos tormenta non vincunt interdum vincit pudor. Meruit.] militauit. Cyrenas prouinciã.] Cyrenaicam prouinciam significat, quæ in Africa est, pentapolitana à scriptoribus dicta, à quinque vrbibus, quibus maximè inclyta est: quarum hæc sunt nomina, Berenice, Arsinoe, Ptolemais, Apollonia, ipsáq; Cyrene. Sorte cepit.] quia sortiebantur prouincias: quod alio loco declaratum est. Candidatus.] petitor. Sexto loco.] Intelligimus sexto loco aliquem adeptum esse magistratũ, non quòd quinquies anteà habuerit repulsam, sed quòd prioribus locis petere non potuit propter candidatos alios, quibus ob dignitatem primus, & secundus, & deinceps alia loca gradatim in petitione cõcedebantur. Legimus apud Liuium, quòd in vnum locum Lucius Flaminius, & P. Cornelius Consulatum petebant comitiis consularibus. Ego existimo ita distinguendum, vt candidatus ædilitatis vix sexto loco ædilitatem sit adeptus. In petitione verò Præturæ fuerit primus prætor renũciatus: quod erat honorificum: sicut & Cicero gloriatur, se primum prætorem à cunctis centuriis fuisse renuntiatum.

Caium.] Caligulam. Ne quo non genere.] id est, vt omni officiorum genere illum sibi conciliaret.

Extraordinarios.] Aliàs diximus quẽadmodum ædilium, & prætorum officium peculiare erat exhibitio ludorum. Vnde Vespasianus prætor depoposcit sibi concedi, vt ludos extra ordinem facere posset.

Pro victoria Germanica.] In superioribus dictum est quemadmodum Caius Caligula expeditionem aduersus Germanos sumpsit: quæ magis ridicula fuit, quàm Imperatoria.

Coniuratorum.] qui coniurassent in Caligulam. Etenim aliquot conspirationes in illum sumptæ sunt, & detectæ ante coniurationem nouissimam, qua fuit contrucidatus. Apud amplissimum ordinem.] Senatorium. Honore cœnæ dignatus esset.] Vespasianus in Senatu egit gratias principi, quòd eius conuictor fuisset: hoc enim existimabatur honorificũ, vt alibi annotauimus: ex quo multi, vocatores principis pecunia corrumpebãt, vt prandiis principalibus veluti vocati insererentur. Hinc illud Marcellini: Nomenclatores assueti talia vẽditare, mercede accepta cœnis quosdam, & prãdiis insertunt subdititios, ignobiles, & obscuros. Sabraceni.] Existimo legendũ Tabraceni: est enim Tabraca oppidum ciuium Romanorum in Numidia Africę regione, cuius Ptolemæus, & Plinius meminerunt: de qua ait Iuuenalis:

-Vmbriferos vbi pandit Tabraca saltus. & Silius

Tabraca, tu Tyrium vulgus.- quãuis in codicibus cõplusculis pro Tabraca, inueniatur Sabraca. Delegatã olim.] Pensitatis diligẽter Trãquilli verbis, video hæc inter se opposita esse, delegatã, & ingenuam: sicut Latinę conditioni ciuẽ Romanã opposuit. Erit autẽ hic sensus: Vespasianus duxit vxorem Domicillam, quæ olim existimata est delegata, & Latinæ cõditionis apud Statilium Capellã equitẽ Romanum Tabracenum: mox assertore patre ingenua, & ciuis Romana est iudicata. & ita delegatam iunges cum genitiuo Statilii Capellæ, quasi mancipatã, ancillámq;: vel quòd à Statilio ex Africa Romam delegata, cõmissáq; fuisset fiduciariæ amici tutelæ. Legimus apud Iulium Capitolinum, à Marco Antonino fuisse institutũ per prouincias vsum publicorum tabulariorum: vt si fortè aliquis in prouincia natus causam liberalem diceret, testationes inde ferret atque hanc totam legem de assertionibus firmatam.

M. AN. ANteambulonem.] Anteambulones dicuntur, qui officii gratia principem, aut alium comitando præcedunt: in quem sensum Martialis quoq; eam dictionem vsurpauit. Cretam, & Cyrenas.] Etsi Cyrenæ in Libya sunt, hæ tamen prouinciæ vnà sæpius decernebantur. Strabo, Octauam, inquit, prouinciam Creten cũm Cyrenaica. Sorte cepit.] sortitione adeptus est: nam extra sortem prouinciæ nõnunquam dabantur.

Sextóq; loco.] Ex quo apparet, quinquies tulisse repulsam. Primus prætor.] post præturã acceptam.

Caium.] Caligulam. Ne quo non.] id est, omni.

Cõiuratorũ.] eorũ, qui in eum cõiurassent. Se honore cœnæ.] se cœnæ adhibuisset. Sabracensis.] Sabracã, vt Ptolemæus ait, oppidũ inter duas Syrtes, Plinius iuxta minorẽ esse affirmat: vterq; author Sabratã habet: quare Sabratẽsis legendũ, non Sabracẽsis.

Delega

olim, Latinæque conditionis, sed mox ingenuam, & ciuem Romanam recuperatorio iudicio pronuntiatam, patre asserente Flauio Liberale Ferentini genito, nec quicquam amplius quàm quæstorio scriba. Ex hac liberos tulit Titum, & Domitianum, & Domicillam. Vxori, ac filiæ superstes fuit, atque adhuc vtranque priuatus amisit. Post vxoris excessum Cenidem Antoniæ libertam, & à manu, dilectam quondam sibi reuocauit in contubernium, habuitque etiam Imperator penè iustæ vxoris loco.

. Delegatam.] Durus ordo, sensus durior: sed tu sic legito: Duxit Vespasianus Flauiam Domicillam vxorem, Statilii Capellæ equitis Sabrateni delegatam subintellige, aut olim coniugem. Vergilius:

Hectoris Andromache Pyrrin' connubia seruas?

Lucanus: - Liceat tumulo scripsisse, Catonis

Martia.-

Ex Africa olim delegatam.] Hoc quoque in dubiũ venit, illius testaméto commissam, accipias, ac cuiusquam fidei demandatam. Cicero, Post delegatã mihi hãc prouinciam. Aut delegatam Statilii equitis nomine apud quenquam asseruatam. Cui sententiæ, ob ea, quæ sequuntur, libétiùs accedo. Est enim, vt Vlpianus interpretatur, delegare, vice sua alium reum dare creditori, vel cui creditor iusserit: quod per stipulationem fit, aut litis contestationem: vt sit sensus: Quũ Domicillæ pater grandem Statilio deberet pecuniam, filiam creditori addixerit: sicque delegatam, & non vxorem Statilii accipies: vt Statilius ex Africa mandarit puellam sub crediti nomine à patre addictam apud hospitem, siue necessariũ Romæ, vel in Latio asseruari. Hũc nos ex obscura, & perplexa lectione sensum elicimus: verum alii viderint si quid aptius dici possit, iuuentque hanc operam nostram ita vt prosiot, non vt carpant.

PHIL. LAtinæ conditionis.] Plinius refert, Centuripinos, & Segestanos in Sicilia populos fuisse Latinæ conditionis: qua significatur prærogatiua, qua in Latio Latini fruebantur.

Recuperatorio iudicio.] Repete quæ suprà scripta sunt de recuperatoribus, qui iudices erant causa iuris recuperandi, sicut docet Cicero in oratione pro Cecinna, quam habuit ad recuperatores.

Asserente.] vindicante filiam liberali causa: vnde & assertores dicti, de quibus suprá. In negotiali parte quæritur, vt ait Quintilianus, an liber sit, qui est in assertione.

Ferentini.] Plinius Ferentinates collocat in Latio. Apud Liuium mentio est Ferentini oppidi Samnitium, quo potitus est Posthumius Romanus Cõsul, cùm id oppidani silenter deseruissent, fugáque nocturna ex oppido excessissent. Horatius: Ferentinum ire iubebo.

Quæstorio scriba.] Flauius Liberalis Domicillæ pater non altioris dignitatis gradum ascendit, quàm vt scriba quæstoris esset. Erant autem quæstorii scribæ, qui quæstoribus seruiebant. Olim Cato, cùm esset Quæstor, scribas quæstorios redegit in ordinem: ex quibus vnum vt inutilem, negligentémque accusauit. Prisci scribas scripturarios appellauerunt: at nunc, vt inquit Festus, dicuntur scribæ librarii, qui rationes publicas scribunt in tabulis: Græci *γραμματέας* vocant: qua dictione vsus est Apuleius, cùm ait in vndecimo: Tum ex his vnus, quem cuncti grammatea dicebant.

Vtranque.] Ante, quàm ad principatum peruenisset, amisit vxorem, & filiam.

Excessum.] obitum.

Cenidem.] Nomen est puellæ, quæ liberta fuerat Antoniæ illius, vt opinor, quæ nupsit Druso Germanico: quam ounquàm expuisse scriptores annotauerunt.

A manu.] amanuensem. Nam sicut viris erãt ministri, qui à manu dicebantur, ita fœminis erant libertæ, ancillæque, quæ & ipsæ à manu dicebantur, scribendis scilicet rationibus, & epistolis accommodatæ. Sed super hac dictione in superioribus satis multa. Marcellinus ancillam à manu signasse videtur, cùm ait in decimooctauo: Quibus literis occultè, quantum fieri potuit, missis, ancilla, quæ domina dictatore perscripserat, exemplum ferens chartulam prodidit. Reuocauit in contubernium.] vt in eodem contubernio secum degeret: vnde cõtubernalitas, & cõtubernales dicti: de quibus antè memoraui.

Penè.] quasi.

Iustæ.] legitimæ.

M.A.N. LAtinæ conditionis.] pronuntiatam, vtpote Ferentinati patre genitam. Ferentinum enim, vt non multò antè diximus, in Latio est.

Ingenuam.] libero loco natam.

Et ciuem.] Romanam: iam enim omne nomen Latinum fuerat vno tempore in Romanã ciuitatem adscitum.

Recuperatorio iudicio.] vt Flauio Liberali patri filiam creditoris nomine apud alium delegatam recuperare liceret, & pro sua quoquo modo recipere. Recuperatorii iudicii exemplum est apud Ciceronem in oratione pro Cecinna, quam ipse ad recuperatores perorauit: sponsione facta interdicto Vnde vi. Si autem & Ni particulis Prætores vtebantur in conceptionibus iudicii recuperatorii.

Ferentini genito.] Ferentini, & non Ferenti est legẽdum. Est id Latii oppidum, bisque iam suprà demonstratum.

Nec quicquam amplius.] nullam maiorem dignitatem adepto.

Vxori & filiæ.] duabus Domicillis.

Superstes.] Vespasianus.

Priuatus.] nondum Imperator.

Antoniæ libertam.] Cuius Antoniæ, non dicit: duę enim fuere M. Antonio, & Octauia Antoniæ genitæ: quarum maior Domitio Aenobarbo nupsit: Altera minor natu Druso Liuiæ filio, quæ fuit Germanici, & Claudii principis mater, Caligulæ auia paterna, eiúsque principatu diem obiit. Fuit ab his & alia tertia Antonia Claudii principis filia, quæ primò Cn. Pompeio, mox Fausto Syllæ nupsit.

A manu.] De libertis, seruísque à mano, & à pedibus, affatim suprà: sed si aliquis quærat an & libertæ à manu dicerentur: quidni? præsertim quæ id munus præstitisset huic, quæ esset sui sexus. Quidam, adamauit, legunt: sed ineptè.

In contubernium.] vt secum domi haberet.

Expeditio eius Germanica, & Iudaica. IIII.

Laudio principe Narcissi gratia legatus legionis in Germaniam missus est, inde in Britanniam translatus, tricies cum hoste conflixit. Duas validissimas gentes, supérque viginti oppida, & insulam Vecten Britanniæ proximam in deditionem redegit, partim Auli Plautii consularis legati, partim Claudii ipsius ductu. Quare triumphalia ornamenta, & in spatio breui duplex sacerdotium accepit. Prætereà Consulatum, quem gessit per duos nouissimos anni menses, medium tempus ad proconsulatum vsque in otio, secessúque egit, Agrippinam timens potentem adhuc apud filium, & defuncti quoque Narcissi amicos perosam. Exin sortitus Africam integerrimè, nec sine magna dignatione administrauit, nisi quòd Adrumeti seditione quadam, rapa in eum iacta sunt. Rediit certè nihilò opulentior, vt qui propè labefacta iam fide omnia prædia fratri obligarit, necessarióque ad mangonicos

PHIL. NArcissi gratia.] Hunc libertum potentissimum fuisse apud Claudium, vulgo notum est. Tricies.] Eutropius dicit tricies & bis cum hoste in Britannia conflixisse Vespasianum. Egesippus in tertio, Vespasianus, inquit, Britanniam Romano Imperio armis acquisiuerat: cuius triumphatæ opibus Roma dirior, Claudius consultior æstimabatur. Insulam Vecteo.] Eutropius: Insulam Vecteo Britanniæ proximam Romano Imperio adiecit. Plinius in quarto Vecten insulam collocat inter Hyberniā, & Britanniam. Valerius Flaccus in primo Argonauticorum, hanc Vespasiani victoriam aduersus Britannos extollit hoc præconio:

-Túque ô pelagi cui maior aperti
Fama: Caledonius postquam tua carbasa vexit
Oceanus, Phrygios priùs indignatus Iulos. A Silio quoque in tertio Punicorum, In Vespasiani laudem dictum est:

Hinc pater ignotam donauit vincere Thylen,
Inque Caledonios primus trahet agmine lucos.

Partim Auli Plautii ductu.] Vespasianus res præclaras gessit in bello Britannico non suis, sed alienis auspiciis, cùm Plautiū modò, modò Claudium duces sectaretur, eorúmque ductu belligeraret. Fuit autem Aul. Plautius vir nobilis, qui in expeditione Britannica multa egregie fecit, triūphauitque: eúmq; triumphantem Claudius Imperator prosecutus est, & Capitolium cōscendenti à sinistra parte incessit. Ductu.] auspiciis Imperatoriis Claudii: quem expeditionem Britannicam sumpsisse suprà memorauimus: in qua Orcadas etiam insulas vltra Britanniam in Oceano positas Romano adiecit Imperio. Refert Iosephus Vespasiani virtute factum esse, vt Claudius de Britannia sine proprio sudore triumpharet.

Nouissimos menses.] Nouembrem, & Decembrē. Apud filium.] Neronē. Narcissi amicos perosam.] Agrippina impulit Neronem, vt Narcissus, qui aduersus ipsam iurgiis non pepercerat, ad mortē ageretur: nec soliū infensa fuit Narcisso, sed illius quoque amicos odio insectabatur: vt ob hoc eam non parum formidaret Vespasianus, vtpote Narcissi amicus.

Africam admioistrauit.] Silius huiusce Africanæ administrationis sic meminit:

Compescet ripis Rhenum, reget impiger Afros.

Refert tamen Tacitus, Vespasianum egisse io Africa proconsulatum famosum, inuisúmque.

Adrumeti.] Ciuitas est Africæ prope Leptim, & Ruspinam. Rapa.] Dicimus rapas fœminino, & rapa neutro genere: rapacia quoque dicta sunt. Columella rapinas vocat culturas raporum. Rapa quadraginta libras excedentia vidisse se Plinius prodidit. Palma est rapis in Nursino agro nascentibus: vnde & à Martiale dictum est:

Nursinas poteris parciùs esse pilas. In templo Apollinis Delphici rapum è plumbo dicatum olim fuit.

Nihilò opulentior.] Specimen est abstinentis magistratus amplissimum, quando ex prouincia non reuertitur ditior, & opulentior. Qua laude in primis cēsetur Aristides, qui à Græcis *dikaios*, id est iustus, cognominatur: qui tantò pauperior rediit ex prouincia, quantum ad iter ipsum erogauerat. Labefacta fide.] facta fluxiore. Prisci fidem labefactā, infirmámque, & debilē dixere sublestam: sicut & à Plauto dictum est, Fides fit sublestior.

Omnia prædia.] tam vteram vrbana, quàm rustica. Fratri.] Sabino.

Ad mangonicos quæstus.] Sordidum, & turpe genus lucri exercuisse Vespasianum significat, qui ære alieno pressus prædia fratri Sabino obligauit: & ipse quæstus, quos mangones facere solent, sectari cœpit. Dicuntur autem quæstus mangonici, lucra, quæ ex mangonum arte proueniunt. Mangones autem non solum exercuisse negotiationem seruorum venalium, sed alia quoque excoluisse, vt pluris venderent, indicāt eruditi, maximéq; Plinius, & Seneca. De mangonibus ante dictum est affatim.

NArcissi.] Claudii principis liberti. M. A N.

Tricies.] M. Marcellus, vt Plinius scribit, vndequadragies pugnauit collatis signis, Cæsar Dictator quinquagies.

Insulam Vecten.] Ptolemæus, Sub magno portu est, inquit, insula nomine Vectis.

Claudii ipsius.] Nam Claudius in Britanniam, vt suo est loco demonstratum, traiecit.

Medium tempus.] à Consulatu scilicet ad proconsulatum.

Narcissi.] Coluit Vespasianus Narcissum: quo annitente fuerat in Germaniam missus.

Perosam.] odio habentem.

Dignatione.] existimatione, authoritate.

Adrumeti.] Adrumetum oppidum Africæ inter Tapsum, & Aphrodisium. Labefacta.] corrupta.

Fratri.] Sabino, ne creditoribus addicerentur.

Mágonicos.] Equorū venaliū, & mancipiorū mangones dicūtur: & ob id fortasse mulio dictus: quisquā mulio is sit, qui mulos rhedæ iunctos, solutósve agit.

Mulio

quæstus sustinendæ dignitatis causa descenderit, propter quod vulgò Mulio vocabatur. Conuictus quoque dicitur ducenta sestertia expressisse iuueni, cui latum clauum aduersus patris voluntatem impetrarat, eóque nomine grauiter increpitus. Peregrinatione Achaica inter comites Neronis, quum cantante eo aut discederet sæpius, aut præsens obdormisceret, grauissimam contraxit offensam, prohibitúsque non contubernio modò, sed etiam publica salutatione, secessit in paruam, ac deuiam ciuitatem, quoad latenti, etiamq; extrema metuenti, prouincia cum exercitu oblata est. Percrebuerat Oriente toto vetus, & cõstans opinio, esse in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum euentu posteà patuit, prædictum Iudæi ad se trahentes, rebellarunt: cæsóque præposito,

PHIL. MVlio.] tanquam mulos mangonizatos, interpollatósque arte mangonica venditaret. Mangones enim mangonizant corpora, vt ita pluris veneãt. Aliâs mulio significat mulorum agasonem. Conuictus.] Conuicti dicuntur in iudicio, qui crimen obiectum fassi sunt.

Expressisse.] extorsisse, atque exegisse.

Qui.] lege cui: vt sit sensus, Vespasianũ exegisse ducenta sestertia ab eo iuuene, cui impetrauerat apud principem ius gestandi vestem Senatoriam, quanuis pater illius iuuenis refragaretur, nolléque hanc dignitatem à filio obtineri. Increpitus.] castigatus, obiurgatúsque.

Eo nomine.] Sensus est: Vespasianus castigatus, reprehensúsq; est ob id debitum ducentorum sestertiorum, quo sibi iuuenem illum obligauerat, qui erat adhuc in patris potestate: tanquam fecerit Vespasianus id, quod carpit Horatius:

Nomina sectatur modò sumpta veste virili
Sub patribus duris tyronum. & ita, nomine, expones debito: vel simpliciter eo nomine, ea causa de extortis pecuniis. Peregrinatione Achaica.] qua Nero Achaiam peragrauit. Obdormisceret.] Memorat Tacitus, Vespasianum increpitum fuisse à Phœbo liberto, ægréque meliorum precibus perniciem effugisse, quòd somno cõniueret in spectaculis, Nerone cantante: qui aduersum illustres parum intentos eius musicis certaminibus dissimulabat ad præsens odium, quod mox in tempore repetebat.

Contubernio.] Neroniano.

Publica salutatione.] communi scilicet & generali: à qua vix vllus excludi solet. Deuiam.] à via militari remotam. Quoad.] donec. Extrema.] extremum excidium, & mortem. Prouincia.] Iudæa. Cum exercitu oblata.] Cornelius Tacitus: Bellum Iudaicum Flauius Vespasianus (ducem eum Nero delegerat) tribus legionibus administrabat.

Vt Iudæa profecti rerum potirentur.] Cornelius Tacitus: Pluribus persuasio fuerat antiquis sacerdotum literis contineri eo ipso tempore fore, vt valesceret Oriens, profectique Iudæa rerum potirentur: quę ambages Vespasianum, ac Titum prædixerant: sed vulgus more humanæ cupidinis sibi tantam fatorum altitudinem interpretari, ne aduersis quidem ad vera mutabantur. Orosius in hanc sententiam: Iudæi in Carmelum montem seducti sortibus, quæ portenderent exortos à Iudæa duces rerum potituros esse, bellum ad se trahentes in rebellionem exarserunt: extinctísque Romanis præsidiis legatum quoque Syriæ suppetias ferentem rapta aquila, & cæsis copiis fugauerunt Egesippus quoque libro quinto, quod memoratu dignũ est, refert in sacris literis impressum fuisse, quòd futurus esset vir, qui de regione Iudæorum Imperiũ assumeret in orbe terrarũ. Quæ res eos in tanto furore posuit, vt sibi non solùm libertatem, sed etiam regnum pollicerentur. Id alii ad Vespasianum referendum putarunt, qui ex Iudæa profectus Romam venit ad Imperium ingens capessendum. Sed prudentiores, vt inquit idem Egesippus, ad Iesum referendum esse cõstãter crediderũt, qui in Iudæorum terris secundum carnem genitus ex Maria regnum suũ per vniuersa terrarũ spatia diffudit.

De Imperatore Romano.] Vespasiano. Iudæi ad se trahẽtes.] Pro se interpretabantur Iudæi ambages fatorum: tanquam vnus ipsorum Iudæorum esset futurus rerum dominus. Rebellarunt.] Iosephus libro xx. Antiquitatum, & in 1 c. belli Iudaici, tradit Florum fuisse causam, & fomitem belli Iudaici: qui à Nerone missus procurator in Iudæã, auaritiæ immanitate inflammauit bellum: impulit Iudæos contra Romanos arma capessere. Initium autẽ belli Iudaici cœpit secundo anno administrationis Flori, duodecimo Neronis Imperii. Cæso præposito.] Sabinum significat. Potest & hoc referri ad prępositum illius præsidii, quod erat in castello Maseda, in quod irruentes Iudæi Romanos omnes, ipsúmque præpositum interfecere. Prætereà tradit Iosephus, Musilium præfectum Romanorum per pactionem dedidisse se Iudæis: qui fide polluta Romanos omnes interfecere. Dicitur tamen præfectus ipse Musilius fuisse seruatus incolumis, dum se Iudaizare promittit vsque ad circuncisionem.

M. AN. COnuictus quoque dicitur.] id est, Fama est criminis conuictum, quòd ducenta sestertia fraude expressisset.

Latum clauum.] vsum lati claui gestandi.

Patris.] eius scilicet iuuenis, cui latum clauum impetrarat.

Increpitus.] Vespasianus.

Peregrinatione Achaica.] quum Neronem in Achaiam comitaretur.

Eo.] Nerone.

Obdormisceret.] inciperet dormire, quasi Neronis vocem minùs attenderet.

Offensam.] ignominiam.

Publica salutatione.] ne cum reliquis quidem ad salutationis officium admitteretur.

Extrema.] vltima, & quasi capitalia.

Prouincia.] Syria, Iudæa.

Iudæa profecti.] id est, qui è Iudæa essent digressi: quod in Vespasiano, & Tito filio euenit.

Ad se trahentes.] ad se pertinere rati.

Præposito.] Sabino.

legatum insuper Syriæ consularem suppetias ferentem, rapta aquila fugauerunt. Ad hunc motum comprimendum cum exercitu ampliore, & non instrenuo duce, cui tamen tutò tãta res committeretur, opus esset, ipse potissimùm delectus est, & vt industriæ expertæ, nec metuendus vllo modo ob humilitatem generis, ac nominis. Additis igitur ad copias duabus legionibus, octo alis, cohortibus decem, atque inter legatos maiore filio assumpto, vt primùm prouinciam attigit, proximas quoque ciuitates conuertit in se, correcta statim castrorum disciplina, vno quoque & altero prælio tam constanter inito, vt in oppugnatione castelli lapidis ictum genu, scuto sagittas aliquot exceperit.

PHIL. LEgatum Syriæ.] Galbam significat, qui dum vult comprimere urientem tumulium, variis præliis, ac sæpius aduersis exceptus est: qui vbi fato, aut tædio occidit, missus mox fuit à Nerone Vespasianus: Tacitus author. Martianus ait, præsidis appellatione & proconsules, & legatos principis cõtineri, id est, quos locum tenẽtes Cæsaris dicimus, & omnes prouincias regentes. Cæsar in secundo de Bello ciuili: Neque se ignorare quod sit officium legati, qui fiduciariam operã obtineret. Legatũ mittere de aliqua re, est, vt ita dicam, mittere aliquem, qui de aliqua re cum alio, nostro nomine tractet. Cicero de Oratore: Cũ Athenienses ad Senatum legatos de suis rebus maximis mitterent.

Suppetias.] auxilium, subsidiúmque. Crebra locutio est, vt per accusatiuum enuntiemus, ferre suppetias: quanuis Plautus dixerit suppetiæ in nominatiuo, cum ait in Epidico: Auxilia mihi, & suppetiæ sunt domi. Oppius, siue Hirtius (incertus est enim author) in Commentario belli Africi vsurpat hanc elocutionem, vt dicat occurrere suppetias, & ire suppetias, & suppetias profectus est: pro ferre suppetias, venire suppetiatum. Hoc enim quoque in vsu est pro eo, quod est auxiliatum. Est enim verbum suppetiari, quod significat auxiliari, atque succurrere. Apuleius in V I I I. At vobis facile est suppetiari miserrimo seni. Idem in primo de Asino aureo: Proclamares saltem suppetiatum. quanuis videri possit dictum suppetiatum, veluti inclinetue hic suppetiatus, vt arbitratus, vt allegatus, vt sacrificatus: quæ nomina sunt quarti ordinis. Idem au: Salutares mihi suppetias rursus extinguerem. Idem: Suppetiatum decurrunt anxii. Item: Maritum suum suppetiatum ciet. pro eo quod est, inclamat ad auxiliandum, subueniendúmq;. Ipse potissimum delectus.] Scribit Iosephus in tertio belli Iudaici, Neronẽ, cùm anxius foret, & deliberabundus, cuinam commotum crederet Orientẽ, quique vnà Iudæos rebellantes vlcisceretur, inuenisse Vespasianum solum his necessitatibus parem, & qui tanti belli magnitudinem suscipere posset, virum ab adolescentia vsque ad senectutem bellis exercitatum. Itaque Nero cernẽs ætatem Vespasiani cum peritia stabilem, obsidesq; fidei liberos, eorumq; florem imagines esse paternæ prudentiæ, mittit eum ad regendos exercitus in Syriã constitutos, multis pro tempore blandimentis, atque obsequiis armatum, qualia necessitas imperare consueuit.

Ob humilitatem generis.] ob ignobilitatẽ natalium. Dixit Eutropius, Vespasianum obscure quidem natum esse, sed optimis viris comparandum. Octo alis.] Alæ, sunt equitum ordines: vnde alarii, & alares, de quibus ante dictum est. Iosephus in tertio belli Iudaici, enumerans Vespasiani copias, ait cohortes Cæsareas decem & octo accessisse legionibus, cũ quibus vnaquæq; ala equitũ erat, & alæ quinq; Syrorũ, itidem equitum: decem autem cohortiũ singulæ mille pedites habebãt. Præterea Antiochus, & Agrippa, & Soemus reges bina millia peditũ, & sagittarios mille præbuere: Malicus quoq; Arabiæ rex præter quinque millia peditũ equites mille misit. Maiore filio assumpto.] Titum significat. Iosephus ait, Vespasianum ex Achaia, vbi cum Nerone fuerat, Titum filium direxisse Alexandriã, vt inde quintam & decimam legiones moueret: ipse verò terrestri itinere in Syriam peruenit, ibique Romanas vires congregauit.

Inter legatos.] Legati Imperatoris significantur, quibus legiones, & auxilia vniuersa obtemperabant.

Prouinciam.] Iudæam. Correcta castrorum disciplina.] Laudantur Imperatores Romani, qui correcta disciplina castrensi, victoriam ex hostibus profligatis adepti sunt: sicut Scipio Aemylianus, qui exercitus Romanos regula disciplinæ militaris custodita ita diligenter exercuit, vt qui prius victi fuerant, victores existerent. Metellus quoque in Africa exercitum licentia corruptum, & lasciuia maculosum recepit: quem ita emendauit veteribus institutis, & disciplina maiorum, vt posteà eos superarent, à quibus sub iugum missi fuerant. Quinetiam Marius reliquias legionum, quas in Gallis Cimbri pene deleuerant, cum suscepisset, ita erudiuit scientia, & arte pugnandi, vt innumerabilem multitudinem non solũm Cimbrorũ, sed etiam Teutonorum publico Marte deleret. Igitur Vespasianus ex more Romanorum Imperatorum cum castrẽsem disciplinam emendasset, victor euasit. Iosephus laudat Vespasianum, quòd milites ordinauerit ordinibus ex Rumana consuetudine vsurpatis.

Lapidis ictum genu exceperit.] Iosephus refert, Vespasianum in oppugnatione Iotapatæ non ictu lapidis, sed sagittæ fuisse in planta vulneratum: quæ res maximã perturbationẽ Romanis fecit. His enim, qui prope aderant, viso sanguine perterritis, per omnem fama vulnerati ducis cucurrit exercitum. Aderat & Titus formidine percussus, paternæ saluti metuens. Vespasianus tamen & timore filium, & perturbatione liberauit exercitũ. Superato enim dolore vulneris, & ab omnibus, qui sui causa pertimuerant, conspici studens, bellum in Iudæos sæuius incitauit. Egesippus quoque libro tertio ait, Vespasianum in talo vulneratum iaculo sagittæ.

LEgatum.] Varum, vt Iosephus scribit. M.AN.
Ad copias.] quæ in Syria erant.
Octo alis.] Alæ proprie equitum dicuntur. Vergilius: -Et virginis ala Camillæ.
Maiore filio.] Tito.
Proximas.] prouincias. Lapidis dictum.] lapidem superne emissum genu excepit.

Osten

Præſagia,& ſigna Imperium eius præcedentia. V.



Oſt Neronem, Galbámque, Othone, atque Vitellio de principatu certantibus, in ſpem Imperii venit, iam pridem ſibi per hæc oſtenta conceptam: In ſuburbano Flauiorum quercus antiqua, quæ erat Marti ſacrata, per tres Veſpaſiæ partus, ſingulos repentè ramos à frutice dedit, haud dubia ſigna futuri cuiuſque fati: Primum exilem, & citò areſactum, ideóq; puella nata non perannauit. Secundum præualidum, ac prolixum, & qui magnam felicitatem portenderet. Tertium verò inſtar arboris. Quare patrem Sabinum ferunt aruſpicio inſuper confirmatum renuntiaſſe matri, nepotem ei Cæſarem genitum: nec illam quicquam aliud, quàm cachinnaſſe, mirantem, quòd adhuc ſe mentis compote, deliraret iam filius ſuus. Mox cùm ædilem eum C. Cæſar ſuccenſens, propter curam

PHIL. Oſtenta.] Oſtentum ram in bonam, quàm in malam partem dicitur. Hîc accipitur in booam. Apud Plinium itidem pro omine fauſto vſurpatur, ſcribeoiem io xvi. factum eſſe populi Romaoi Quiritibus oſtētum arboris: à quo deinde tempore maieſtas populi Romaoi reſurrexerit. Quia oſteodunt, vt interpretarur Cicero, oſtenta dicuntur; ſicut porteota, quia portendunt. Ioterdum participialiter oſtentum dici ſolitum eſſe oō dubium facit Pacuuius, cùm ait: Io ipſo tempore oſtentum ſeoem. pro demonſtratū. & à Catone ager dicitur oſtentus Soli bonus eſſe oleto conſerundo. In ſuburbano Flauiorum.] in prædio Flauiæ gentis.

Marti ſacrata.] Hoc peculiariter iotelligeodum eſt, quòd quercus illa Marti ſacrata foret: cùm geoeraliter qoercus, & æſculus ſint Ioui dicatæ: ſicut Apollini laurus, Mineruæ olea, Veoeri myrtus, Herculi populus. Per tres Veſpaſiæ partus.] Veſpaſia Polla peperit Sabinum, Veſpaſianū, & puellulam. Siogulos ramos.] prout Veſpaſia pariebat, ita quercus ramum producebat. A frutice.] Modò à ſtirpe, aliâs arbuſcula. Nanque, vt docet Columella libro quarto, frutex mioor eſt arbore: dicit enim ex ſurculo arborem procedere, vt oleam: vel fruticem, vt palmam ſylueſtrem: vel tertium quiddam, quod nec arborem, nec fruticem propriè dixeris, vt eſt vitis. A frutice frutico verbum deriuatur, vt ait Priſciaous in VIII. vnde Iuueoalis:

Sed fruticante pilo neglecta, & ſquallida crura.

Inde fruteta, loca fruticibus plena dicuntur. Fit etiam à frutice verbum fruticeſco: quo vtitur Plinius.

Futuri cuiuſque fati.] quod eſſet futurum fatum, & ſors vnius cuiuſque ex Veſpaſiæ fœtibus.

Primum exilem.] ſcilicet ramum dedit.

Non perannauit,] non peregit, vixitque integrū annuū tempus. Annare verbum eſt vetus: vnde compoſitum perannare, quod propriè ſignificat viuere per totum annum. Macrobius in primo Saturnalium memorat, priſcos Romanos menſe Martio & publice, & priuatim ad Annam Perennam ſacrificatum ire ſolitos: vt annare, perannaréque commode liceret, hoc eſt, vitam degere incolumem per annum integrum. Perennare verò, quod per literam e, profertur, eſt diu durare, & viuere. Columella in tertio: Roſa hoc modo culta multis annis perennat.

Secundum.] ſcilicet ramum dedit.

Porteoderet.] præſagiret. Portendebat autem Sabinum Veſpaſiani fratrem domi, militiæq; clarum futurum, qui ad præfecturam vrbis vſque proceſſit.

Tertium.] ramum. Inſtar arboris.] ad arboream amplitudinem: & hoc portendebat Veſpaſiano Imperatorium faſtigium.

Aruſpicio inſuper confirmatum.] Sabinus Veſpaſiani pater detulit ad aruſpices oſtenta, quæ ex quercu domeſtica obſeruauerat: qui per extorum inſpectionem confirmauerunt illum in ea opinione, vt crederet filium id temporis natum futurum principem.

Matri.] Veſpaſiani pater matri ſuæ, quæ erat Veſpaſiani auia, renuntiauit nepotem ſibi, ſcilicet Veſpaſianum genitum eſſe Cæſarem, qui ſcilicet eſſet futurus Cæſar, & Imperator.

Quàm cachinnaſſe.] riſu ſoluto, & cachinnabili diffluxiſſe.

Deliraret iam filius ſuus.] Cachinnauit vetula fœmina mater Sabini patris Veſpaſiani, vbi audiuit filium talia refereotem, credentémque, quòd nato Veſpaſiano foret genitus Cæſar, & is, qui Romæ imperaret: vnde mirata eſt, quòd filius ooodum ſeneſcens more ſeoum deliraret: cum ipſa, quæ iam ſenio erat confecta, minimè delirio ſenili foret obnoxia. Eſt enim ſenum, vt ait Cicero, leuium quædam ſenilis ſtultitia, quæ deliratio appellari ſolet. Plinius noſter in XVIII. tradit, lirare dici à ruſticis in iteratione occatiōois, quando operiunt ſemina: vnde primùm appellata deliratio eſt. Aedilem.] Veſpaſianum.

Caius Cæſar.] Caligulam ſignificat.

Succenſens.] iraſcens. Succeoſere eſt iraſci ex cauſa: author Donatus.

M.AN. IN ſuburbano.] prædio: in ſuburbanis locis. Veſpaſiæ.] matris. Frutice.] Frutex neqoe arbor, oeque herba eſt: oeque enim ad iuſtam arboris magnitudioem aſſurgit, & ſtatura ſimilis eſt multis herbis. A frutice frutetum eſt, & fruticetum.

Puella nata.] Domicilla.

Non perannauit.] oon annum vixit.

Inſtar.] ad arboris æquatiooem.

Sabinus.] Veſpaſiani frater.

Nepotem.] Veſpaſiani filium, qui illi nepos erat: ſed vtrius ortu Titi, an Domitiani id præſagire contigerit, non dicit: certè duorum coaleſcentium ramorum in vtroque fecere oſtentum.

Cachinnaſſe.] ſolutè, & incompoſitè riſiſſe.

Se mentis compote.] id eſt, quanquàm anu, tamen nou delira. Filius Sabinus.] dubium Sabinúmne Veſpaſiani patrem, an fratrem eiuſdem nominis, qui vſq; ad vrbis præfecturam proceſſit, intelligat: cæterū quæ fuerit Flauii Petrooi! vxor, Veſpaſiani auia, quod item puellæ, quæ intra aonum periit, oomē, non reperio. Filius ſuus.] Sabinus. Eum.] Veſpaſianum. Caius Cæſar.] Caligula. Succenſens.] iraſcēs.

verrendis viis non adhibitam, luto iussisset oppleri, congesto per milites in prætextæ sinum, non defuerunt, qui interpretarentur, quandoque proculcatam, desertámque Rempublicam ciuili aliquā perturbatiōe in tutelā eius, ac velut in gremiū deuenturam. Prandente eo quondā, canis extrarius * tricliuio manum humanā intulit, mensæq; subiecit. Cœnante rursus, bos arator decusso iugo, triclinium irrupit, ac fugatis ministris, quasi repentè defessus, procidit ad ipsos accumbētis pedes, ceruicémque submisit. Arbor quoque cupressus in agro auito sine vlla vi tempestatis euulsa radicitus, atque prostrata, insequenti die viridior, ac firmior resurrexit. At in Achaia somniauit, initium sibi, suísque felicitatis futurum, simul ac dens Neroni exemptus esset: euenítque vt sequenti die progressus in atrium, medicus dentem ei ostenderet, recenter quidem exemptum. Apud Iudæam Carmeli Dei oraculum

* è triuio

P. II. L. Verrendis viis.] Hoc quoque Aedilium erat officium, vt vias deuerri, purgaríque facerent. Vnde cùm Vespasianus Aedilis vias verrendas, mūdandásq; per ignominiam parum diligēter curasset, luto, & cœno iussu Caligulæ oppletus est à militibus. Veteres deam quandam venerabantur nomine Deuerram, à deuerrendo nuncupatam: auctor Augustinus in vi. Qui scopis verrit domum, cuiúsque ministeriū est in verrendis pauimentis, is eleganter nuncupatur scoparius. Ait Vlpianus titulo De fundo instructo, si villa cultior sit, accedere instrumento fundi atrienses, & scoparios: sicut si viridia sint, accedunt topiarii: de quibus iam dictum est. Congesto.] coaceruato. In prætextæ sinum.] Prætextam significat, qua indutus erat Vespasianus, vtpote Aedilis. Suprà enim memorauimus, prętextam proprie esse magistratuum. Conculcatam.] Lutum congestum in prætextam Vespasiani, significabat Rempublicam cœnosam, conculcatam, deuenturam in gremium Vespasiani, cuius prætextæ sinus lutum exceperat.

Extrarius.] Grammatici extrarium ab extraneo ita distinguūt: extrarius est, qui extra focū, sacramentum, iúsque sit: extraneus ex altera terra, quasi exterraneus: & ita nunc Tranquillus canem scienter extrarium vocat, qui erat extra focum Vespasiani, neq; inter domesticos canes domi alebatur. Noli autē extrarium accipere pro extraneo, tanquam non vrbicum, & ex altera terra. Consimiliter Apuleius inquit in secunda Apologia: Præterea minabatur si extrario nupsisset, nihil se filiis eius ex paternis eorum bonis testamento relicturum. Vbi extrarius haud dubiè accipitur pro eo, qui non sit domesticus, & ex eadem familia. Mensæ subiecit.] Significat hoc ostentum, quòd humana potentia, & exteræ gentes erant futuræ subiectæ Vespasiano.

Cœnante.] scilicet Vespasiano.

Decusso iugo.] deiecto. Procidit.] procubuit. Accubentis.] epulantis Vespasiani: nanque prisci accubare solebant, non sedere: vt alio loco memorauimus. Submisit.] Et hoc portendebat quòd animantes erant subituræ iugum Vespasiani, & omnem superbiam summissuræ: quæ per ceruicem significatur. Arbor cupressus.] Inter omnia Imperii, quæ Vespasiano facta sunt, refertur hoc à Corn. Tacito sic scribente: Cupressus arbor in agris eius conspicua altitudine repentè prociderat: ac postera die eodē vestigio resurgens procera, & latior virebat. Grande id, prosperúmque assensu aruspicum: & summa claritudo iuueni admodum Vespasiano promissa.

Auito.] Ab auo auitum deriuatur. Liuius: Interuenit deinde his cogitationibus auitum malum, regni cupido. Ab Apuleio hæreditas auita nominatur, quæ fuerat aui priuignorum. Radicitus.] stirpitus, ab radice, aduerbium est. Viridior resurrexit.] Scribit Plinius in xvi. in capite de prodigiosis arboribus, multas arbores sine tēpestate, vlláve causa alia quā prodigii cecidisse, ac sua sponte resurrexisse: quæ fuerunt fausti ominis, & ostenti. Est autem cupressus arbor natu morosa, folio amara, odore violenta, Diti sacra, & ideo funebri signo ad domos posita: ex quo sunt illa:

Et nō plebeios luctus testata cupressus. &,

Cęruleis mœstæ vittis vtraque cupresso.

In Achaia.] vbi fuerat cum Nerone, ibíque delectus fuit Iudææ rector.

Simul ac.] cùm primùm, postquā.

Exemptum.] Neroni. Recenter.] Alii recèns dicunt, alii recenter: est etiam vetus verbum recentare. Matius vir doctissimus verbum finxit elegans, recentatur, pro eo, quod est, denuò nascitur, atque iterum fit recens: sic enim ait: Iamiā albicassit Phœbus, & recentatur commune lumen hominibus, & voluptas. Carmeli dei oraculum.] Est inter Iudæam Syriámq; mons Carmelus, cuius mentio fit libro tertio Regum. Plinius in quinto, Carmelum ait esse montem, & in monte oppidum eodem nomine. Deus quoque Carmelus vocabatur, cui nec simulacrum, nec templum erat, sed ara tantùm, & reuerentia. Illhic sacrificanti Vespasiano cùm occultas spes versaret animo, Basilides sacerdos, inspectis identidē extis, Quicquid est, inquit, Vespasiane, quod paras, seu domum extruere, seu prolatare agros, siue ampliare seruitia, datur tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum. Hæc tacitus.

M. AN. Verrendis.] purgandis. Oppleri.] respergi, cooperiri, fœdari. Congesto.] luto.

Prætextæ sinum.] Ab initio, magistratuum fuit: inde eius vsus pueris à Prisco Tarquinio cōmunicatus. Cæsar, qui posteà Dictator fuit, quū Prætor esset, abiecta prætexta clàm domū abiit: sed de vsu vestis Dionysius, Plutarchus, & Macrobius omnino plura.

Proculcatam.] quòd per lutum, quo nil est conculcatius, interpretati sunt.

In gremium.] Id quoque per prætextæ sinum acceptum.

Canis extrarius.] non domesticus, aut certè non vrbicus: ac per hoc euidentius ostentum.

Accumbentis.] Vespasiani.

Auito agro.] Cosano scilicet, vbi cōstat, eum apud paternam auiam nutritum.

conſulentē, ita cōfirmauere ſortes, vt quicquid cogitaret, volueretque animo, quantumlibet magnū, id eſſe prouenturum pollicerentur. Et vnus ex nobilibus captiuis Ioſephus quū coniiceretur in vincula, conſtantiſſimè aſſeuerauit fore, vt ab eodem breui ſolueretur, verùm iam Imperatore. Nuntiabantur & ex vrbe præſagia, Neronem diebus vltimis monitum per quietem, vt thenſam Iouis Optimi Maximi è ſacrario in domum Veſpaſiani, & in Circū deduceret. Ac non multò pòſt, comitia ſecundi Conſulatus ineunte Galba, ſtatua diui Iulii ad Orientem ſponte conuerſa: aciéque

In Achaia.] quò ſoerat Neronem ſecutus.

Arbor cupreſſus.] Huius oſtenti Tacitus meminit. Dentem Neroni.] Intellige exemptum.

Carmeli dei.] De loco, & religionis ritu ſic Tacitus: Eſt, inquit, Iudæā ioter, Syriámque Carmelus, ita vocant monté, deúmque, nec ſimulacrum deo, aut templom, ſic tradidere maiores, ſed arā taotùm, & reuerētiā: illhic ſacrificāti Veſpaſiano, quū ſpes occultas verſaret animo, Baſilides ſacerdos inſpectis iitidem extis, Quicquid eſt, inquit, Veſpaſiane, quod paras, ſeu domum extruere, ſeu prolatare agros, ampliare ſeruitia, datur tibi magna ſedes. Plinius, & Strabo ipſi quoq; in ora Syriæ Carmelum montem referūt. Ioſephus.] Ioſippum eum appellat Ioſephus io hiſtoriis, atque ob eam vaticinationem vincolis ſolutum ſcribit.

PHIL. Conſulentem.] Veſpaſianum. Sortes.] In Carmelo monte à Carmelo Deo ſortes datas eſſe, teſtis eſt Oroſius, qui ait, ſortes Carmeli portendiſſe exortos à Iudæa rerum potituros.

Ioſephus.] Hic nimirū eſt ille Ioſephos luculentus Iudaicæ hiſtoriæ ſcriptor, qui à Hierooymo Græcus Liuius appellatur: qui quando ſcribit Ioſephum, ſiue Ioſippuio, à Iudæis fuiſſe ducem creatum ad bellum contra Romanos gerendum, de ſeioetipſo haud dubiè ſcribit: qui in expugnatiooe Iotapatæ demiſit ſe in puteum: mox dedidit ſe Romanis, recordatus ſomnia nocturna, quibus ei Deus & futuras Iudæorū clades, & quæ Romanis eſſeot futura principibus indicaſſet: vbi per Nicanorem ad Veſpaſianum deductus eſt: nemo fuit ductorum, qui oon eius viri aſpectu mitior factus ſit. Titum verò præter alios Ioſippi miſericordia cepit, plurimáque ſalutis eius pars Titus extitit apud patrem. Veſpaſianus quaſi miſſurus eum Cæſari, præcepit vt cautiſſime cuſtodiretur: quo audito Ioſippus aliquid ei ſoli ait ſe dicere velle: ſummotiſque omoibus aliis, præter filium Titum, ac duos amicos, Venio, inquit, ad te nuntius præmiſſus à Deo: Tu & Cæſar eris, & Imperator, atque hic filius tuus: dominus quidem noo mei ſolū es tu Cæſar, verùm & terræ, mariſque, ac totius homioum generis: nunc me colligato arctius, & ad maiorem pœnam cuſtodito ſi in te iſta confingo. Veſpaſianus cognito quòd Ioſippus multa alia vera prædixerat, cœpit æſtimare credibilia eſſe, quæ de ſe quoque dixiſſet: ſed neque cuſtodiam Ioſippo, oec vincula remittebat, veſtimentis, aliiſque muneribus eum donare, fouereque nō deſinebat, etiam Tito magoam eius operam commodante. Poſteà Veſpaſianus, cùm Imperator nūcupatus fuiſſet, recordatus Ioſippi dicta, quibus eum Nerone viuo appellauerat Imperatorē, illum ſolui iuſſit. Titus verò, qui cum patre aderat, Iuſtum eſt, inquit, pater vnà cum ferro etiam probro Ioſippum ſolui: erit enim tanquam ne initio quidē vinctus ſit, ſi non ſoluerimus, ſed inciderimus catenas: namque id agi ſolet in his, qui non rectè fuerint vincti. Itaque Ioſippus pro his, quæ prædixerat, præmio donatus: & de futuris iam dignus, cui credēdū eſſet, habebatur. Quòd autē hic Ioſippus ſit ille ſcriptor maximus hiſtoriarum, oſtendit Euſebius Chronographus, cùm ait: Flauius Ioſephus, ſcriptor hiſtoricus, dux belli Iudæorum, cùm à Roma ois interficiendus eſſet, Veſpaſiano prænūtiat de morte Neronis, & eius Imperio. Idē mox Paulo: Flauius Ioſephus xx. librum Antiquitatum Domitiani tēporibus ſcribit. Hoc idē cōfirmat Hieronymus, qoi in libro de viris illuſtribus ſic ſcriptum reliquit: Ioſephus Mathathiæ filius, ex Ieroſolymis ſacerdos à Veſpaſiano captus, cum Tito filio eius relictus eſt Ieroſolymis. Hic Romā veniens ſeptem libros Iudaicæ captiuitatis Imperatoribus patri, filióque obtulit, qui bibliothecæ publicæ traditi ſunt: & ob ingenii gloriam ſtatuam quoque meruit Romæ. Idem Euſebius libro tertio hiſtoriæ eccleſiaſticæ Ioſephum euodem fuiſſe demonſtrat, qui & bello Romanos oppugoauerit, & ſcriptor hiſtoriæ fuerit. Corroborat, fulcitque hanc Oroſius quoque ſententiam, & euidenter oſtendit, Ioſephum eſſe eundē, & Imperatorem bellicum, & conditorē hiſtoriæ clariſſimum. Sic enim ſcribit: Ioſephus verò Iudæus, qui ei tunc bello præfuit, & apud Veſpaſianum propter prædictum veniam, gratiámque meruerat, ſcribit vndecies centena millia Iudæorū gladio, & fame periiſſe. Verùm iam Imperatore.] Oroſius huius hiſtoriæ meminit his verbis, de Veſpaſiaoo ſcribens: Cognita Neronis morte hortatu plurimorum regū, & ducum, maximè Ioſephi Iudæorum ducis ſententia, qui captus cùm in viocula coniiceretur, cooſtantiſſime dixerat, ſicut Suetonius refert, cōtinuò ſe ab eodem, ſed Imperatore, ſolueodū, Imperiū adeptus eſt.

Ex vrbe.] Roma. Diebus vltimis.] Paulò antè, quàm trucidaretur. Per quietem.] in ſomnis.

Thenſam.] currom Iooi dicatum: in quo ſimulacra deorum deferuntur in pompa. In primo cōmentario de theoſa copioſe dictum eſt.

E ſacrario.] è ſacrorū repoſitorio, quod erat in Capitolio, in quo erat thenſa cū aliis donariis, ſacriſque Ioui dicatis.

In domum Veſpaſiaoi.] Hoc Neronis ſomnium præſagibat felicitatem maieſtatémqoe maximā Veſpaſiano: tanquam Iupiter rex deorum, & hominum, ire vellet iu domum Veſpaſiani, vt illi traderet Imperium. Ineunte comitia.] cùm conſularia comitia haberet de ſecundo Conſulatu capiendo.

Ad Orientem conuerſa.] Significabat hoc oſtentum, quòd Imperiū Romanum ad Veſpaſianum coouerteretur, qui io Syria, Iudæáque regionibus Orientalibus bellum gerebat contra Iudæos.

Vltimis.] extremo vitæ tēpore. Thenſam.] De M. AN.
thenſa abūdè alibi. E ſacrario.] Capitolini templi. Ad Orieotē.] Quo oſtento ſignificabatur ex Syria, quæ ad ortū ſita eſt, nouum Imperium oriturū.

Bebriacensi priùs, quàm cõmitteretur, duas aquilas in conspectu omnium conflixisse, victáque altera, subuenisse tertiam à Solis ortu, ac victricem abegisse.

Assumptio eius ad Imperium. VI.

Nec tamen quicquam antè tentauit, promptissimis, atque etiã instantibus suis, quàm solicitatus quorundam, & ignotorum, & absentium fortuito fauore. Mœsiaci exercitus bina è tribus legiõibus millia missa auxilio Othoni, postquam iter ingressis nuntiatum est, victum eũ, ac vim vitæ suæ attulisse, nihilò secius Aquileiam vsque perseuerauerunt, quasi rumori minùs crederent. Ibi per occasionem, ac licentiam, omni rapinarũ genere grassati, quũ timerent, ne sibi reuersis reddẽda ratio, ac subeũda pœna esset, cõsiliũ inierũt eligẽdi, creandiq; Imperatoris. Neq; enim deteriores esse aut Hispaniensi exercitu, qui Galbã, aut prætoriano, qui Othonem, aut Germaniciano, qui Vitelliũ fecissent. Propositis itaq; nominibus

PHIL. Bebriacensi.] qua apud Bebriacum Othoniani à Vitellianis profligati sunt. Cõmitteretur.] antequã confligeretur, pugnaretúrque. Id enim est, cõmittere: super quo verbo alibi plura. Cõflixisse.] Repete verbum superius, nuntiabatur. Victáque altera.] Per duas aquilas cõfligẽtes, Vitellius, & Otho significabantur, tertia verò veniens ab ortu Solis significabat Vespasianum, qui ex Iudæa veniret, abigerétq; victricem aquilã, hoc est, Vitellium Othonis victorẽ. Aquilis autem honor datur, vt inquit Seneca, vt magnarum rerum faciant auspicia.

Abegisse.] fugasse, expulisse. Prætereà abigere, est abducere, & quodam modo deprædari: vnde abigei, & abactores dicti, qui, vt inquit Vlpianus, pecora ex pascuis, vel ex armẽtis subtrahũt. Oues pro numero abactorem, aut abigeum, aut furẽ faciunt. Quidam putauerunt, equũ, vel bouem vnum abactum, abigeatus crimen facere.

Instantibus suis.] Egesippus libro quarto tradit, Vespasianum à suis extimulatum fuisse ad suscipiendum Imperii gubernaculum: ille verò abnuens, se indignum dicere asserens, refugiendum esse ciuile bellum: illi instare promptiùs: ille resistere perseuerãtiùs: postremò reluctantem cogunt vt capessat Imperium.

Ignotorum, & absentiũ.] Exercitus Romanos significat, qui erant in Mœsia, nec Vespasiano percogniti. Mœsiaci exercitus.] Genitiuus casus est. Dicitur autem exercitus Mœsiacus Romanus, qui erat in Mœsia: quæ prouincia, sicut ante dictũ est, iungitur Pannoniæ ad Pontum vsque cũ Danubio decurrens.

Tribus legionibus.] Ad enarrationẽ huius rei scribit Cor. Tacitus, accelerata esse Vespasiani cœpta studio Illyrici exercitus, qui in eius partes trãsgressus est. Legio tertiadecima fuit illa, quæ exemplũ cæteris Mœsiæ legionibus præbuit, octauæ scilicet & septimæ, quæ fauore Othonis imbutæ, quanuis prælio non interfuissent, Aquileiam progressæ, proturbatis qui de Othone nuntiabant, laceratisque vexillis nomen Vitellii præferentibus, rapta postremò pecunia, & inter se diuisa hostiliter egerant: vnde metus exortus est, & ex metu consilium posse imputari Vespasiano, quæ apud Vitelliũ erant excusanda: ita tres Mœsiæ legiones per epistolas alliciebant Pannonicũ exercitũ: ita in Pannonia tertiadecima legio, ac septima haud cunctanter Vespasiano accessere, vi præcipua Primi Antonii.

Vim vitæ attulisse.] semetipsum contrucidasse.

Perseuerauerunt.] scilicet progredi.

Aquileiam vsque.] Aquileia in decima regione Italiæ duodecim millibus passuum à mari sita est: author Plinius in tertio: de qua Martialis:

Et tu Ledæi felix Aquileia Timaui. Historici laudant Aquileiensium in Romanos fidẽ, qui pro senatu contra Maximinũ funes de capillis mulierum fecisse produntur, cùm deessent nerui ad sagittas emittẽdas: quod & in bello Senonico Romæ dicitur factum. Vnde in honorem matronarum templũ Veneri cognomento Caluæ Senatus dicauit.

Rumori.] famæ vulgatæ de Othonis morte sine certo authore. Grassati.] debacchari.

Hispaniẽsi exercitu.] Romanus exercitus significatur, qui in Hispania Galbam fecerat Imperatorem.

Prætoriano.] Prætorianas cohortes intelligit, à quibus Otho factus fuerat Imperator.

Germaniciano.] Exercitum Romanum significat, qui in Germania Vitellium consalutauerat Imperatorẽ. Vbi illud attende, Germanicianum dici, qui cum Romanus foret, agebat in Germania: sicut Illyricianos exercitus scienter appellat Iulius Capitolinus legiones Romanas, quæ in Illyrico militabant. Sic & milites vrbaniciani à Spartiano dicti, non tam quòd Romani forent, quàm quòd essent ad vrbẽ. Alibi tradidimus quæ differentia sit inter Hispanum, & Hispaniẽsem: Germanum, & Germanicianum, & id genus alia.

Propositis nominibus legatorũ.] Sensus est: Milites Mœsiaci exercitus more cõsultantium proposuerunt nomina omnium legatorum, qui id temporis rectores erant legionum: ex omnibus nullum potiorẽ esse duxerunt Vespasiano, quem crearent Imperatorem. Legati autem consulares in hoc loco significantur rectores copiarum, olim Consulatu præditi, quales in Germania Ordeonius Flaccus, Aulus Cecinna, Fabius Valens fueruut legati legionum.

M.A N. Bebriacensi acie.] qua à Vitellianis in Othonem est pugnatum.

Duas aquilas.] Per eas Othonem intellige, & Vitellium. Tertiam.] Quæ Vespasianũ portẽdebat.

Abegisse.] fugasse.

Mœsiaci exercitus.] Nunc docet quis fuerit ille fortuitus fauor. Quòd autem legiones, quæ in Mœsia erant fauerint Othoni, suprà est demonstratum.

Aquileiã vsque.] Est Aquileia Latina colonia, vt Liuius ait, in Carnorum ora incumbentibus barbaris, vt Strabo tradidit, imposita.

Ne sibi reuersis.] Romam scilicet.

Deteriores.] minùs bonos, & fortes.

Landib

legatorum conſularium, quot vbique tunc erant, quum cæteros alii alium alia de cauſa improbarent,& quidam è legione tertia,quæ ſub exitu Neronis tranſlata ex Syria in Mœſiam fuerat, Veſpaſianum laudibus ferrent, aſſenſere cuncti,nomènque eius vexillis omnibus ſine mora inſcripſerũt. Et tunc quidem compreſſa res eſt,reuocatis ad officium muneris parumper.Cæterùm diuulgato facto,Tyberius Alexander præfectus Aegypti primus in verba Veſpaſiani legiones adegit Calendis Iulii,qui principatus dies in poſterum obſeruatus eſt.Iudaicus deinde exercitus quinto Idus Iulii apud ipſum iurauit.Plurimum cœptis contulerũt, iactatum exemplar epiſtolæ,veræ ſiue falſæ, defuncti Othonis ad Veſpaſianum,extrema obteſtatione vltionem mandantis,& vt Reipublicæ ſubueniret,optantis:ſimul rumor diſſipatus,deſtinaſſe Vitellium victorem permutare hyberna legionum: & Germanicas trãſferre in Orientẽ, ad ſecuriorẽ, molliorẽq; militiã.Prætereà ex præſidibus prouinciarũ Licinius Mutianus, & è regibus Vologeſus Parthus : ille depoſita ſimultate, quã in id tempus

PHIL. Laudibus ferrent.] præconio virtutis,& laudationibus ad cælum tollerent. Quidam e legione tertia.] Cornelius Tacitus meminit tertiæ legionis de Syria in Mœſiam tranſlatæ,quam Alexander præfectus Aegypti inter ſuas numerauerat.

Compreſſa res eſt.] de Veſpaſiano creato à militibus Mœſiacis Imperatore. Ad officium muneris.] vt in officio priſtinæ militiæ vellent perſeuerare. Tyberius Alexander præfectus Aegypti.] Initiũ ferendi ad Veſpaſianũ Imperii Alexãdriæ cœptum eſt , feſtinãte Tyberio Alexandro,qui Calendis Iuliis ſacramẽto eius legiões adegit : iſque primus principatus Veſpaſiani dies in poſterũ celebratus eſt. Iudaicus verò exercitus quinto Nonas Iulii in nomen Veſpaſiani apud ipſum iurauit eo ardore,vt nec Titus quidem filius expectaretur:cuncta militum impeto acta ſunt:egreſſum cubiculo Veſpaſianum, vt legatum ſalutaturi Imperatorem ſalutauere:tunc cæteri accurrerunt,Cæſarem,& Auguſtum,& omnia principatus vocabula cumulantes hæc Tacitus.

Plurimum cœptis contulerũt.] Hæc quæ ſequuntur,plurimùm iuuerũt cœpta militaria de creato Imperatore Veſpaſiano.

Iactatum.] vulgatum. Vltionem mandantis.] Otho ante obitum ferebatur epiſtolam ſcripſiſſe ad Veſpaſianũ,qua illi vltionem ſuam obteſtando mandabat,tanquam præſagiret,diuinarétque Veſpaſianũ futurum ſuæ mortis vltorem.Morientes diuinare exiſtimaotur. Quod confirmat Poſidonius exẽplo Rhodii,quem moriẽdo prodidit ſex æquales nominaſſe, & dixiſſe quis primus eorum, quis ſecũdus,quis déinceps moriturus eſſet. Et quamuis mandatum ſolol dicatur morte mandatoris, tamen Veſpaſianus mandatum Othonis iam defuncti ſuſcepit , ſuſceptúmque conſummauit.

Simol rumor diſſipatus.] ſcilicet plurimũ cõtulit cœptis. Deſtinaſſe.] conſtitoiſſe,deliberaſſe. Permutare hyberna legionum.] Refert Tacitus, nihil æque prouinciam Syriam , exercitúmque Syriacum accẽdiſſe ad fouẽdas Veſpaſiani partes , quàm quod aſſeuerabat Mutianus,ſtatuiſſe Vitellium vt Germanicas legiones in Syriam ad militiã opulentam,quietámque transferret. Contrà , vt Syriacis legionibus Germanica hyberna cælo,ac laboribus dura mutarẽtur. Quippe prouinciales Syriæ ſueto militum contubernio gaudebant,& à militibus nota illa & familiaria caſtra in modum penatum diligebantur.

Molliorémque militiam.] Aſiam opimam eſſe & fertilem,mollique cælo amœnam,authores prodiderunt.In quam ſententiam eſt illud Lucani:

Quicquid ad Eoos tractus,mũdíque teporem
Labitur,emollit gẽtes clementia cæli.

M. Tullius Aſiam appellat delicatam prouinciã , in qua continenter vixiſſe laudandum eſt.

Licinius Mutianus.] Scilicet contulit plurimũ cœptis.Erat autẽ Mutianus id tẽporis Syriæ præpoſitus, cui ab initio ex vicinis prouinciarũ adminiſtratiõibus æmolatio fuerat cũ Veſpaſiano : déinde poſt obitũ Neronis, poſitis odiis in medium conſuluerunt:hic magnificentia & opibus clarus, Græcæ facũdiæ omniũq; quæ diceret, atq; faceret, arte quadã oſtẽtator. Hic,authore Tacito, Veſpaſianum ſua oratione perſuaſit capeſſere Imperium debere. Extat apud eundẽ loculenta Mutiani oratio ad Veſpaſianum. Exiſtimo, hunc eſſe illum Mutiannm,quem ter Conſulem Plinius appellat:eiúſque identidem citat teſtimonium.

Vologeſus Parthus.] Parthorum rex.Cor.Tacitus Vologeſi Parthorum regis ſubinde meminit.

Ille.] Mutianus.

M.A N. Legatorum conſularium.] eorum,qui conſulares prouincias legatorum nomine adminiſtrabant. Nec placet, conſulares legatos intelligas , qui olim Conſules fuiſſent,tum verò legatione fungerentur.

Alium.] Legatorum. Laudibus ferrent.] Laudarent. Vergilius:

-Teucros inſigni laude ferebat.

Reuocatis.] militibus ipſis.

Tyberius Alexander.] Tacitus:Initium, inquit, ferendi ad Veſpaſianũ Imperii Alexandriæ cœptũ, feſtinante Tyberio Alexandro, qui Calendis Iuliis ſacramento eius legiones adegit:iſque primus principatus dies in poſterum celebratus.

Defuncti Othonis.] Defuncti dixit, ergo ab Inferis miſſæ,ergo quare veræ ſiue falſæ adiecit. Plures ita accipient,vt epiſtola ab eo ante mortem ſit ſcripta,inde eo defuncto ad Veſpaſianũ delata: ſed Trãquillus ad ſororem,& Meſſalinam tantùm codicillos Othonem exaraſſe ait.

Germanicas legiones.] quibus ipſe fuerat principatu vſus.

Ille.] Licinius.

ex æmulatione non obſcurè gerebat, Syriacũ promiſit exercitum: hic quadraginta millia ſagittariorum.

Miracula quædam per eum facta in initio principatus eius. VII.



Vſcepto igitur ciuili bello, ac ducibus, copiiſque in Italiam præmiſſis, interim Alexandriã tranſiit, vt clauſtra Aegypti obtineret: Hic, quum de firmitate Imperii capturus auſpicium, ædem Serapidis ſummotis omnibus, ſolus intraſſet, ac propitiato multùm deo, tandem ſe conuertiſſet, verbenas, coronáſque &

PHIL. EX æmulatione.] Cor. Tacitus: Quatoor legiones Mutianus obtinebat in pace: ſed æmulatio, & proximi exercitus gloria depulerat ſegnitiam. Idẽ pòſt paulum: Cæterùm Motiaous Syriæ, Veſpaſianus Iudææ præpoſitus, vicinis prouinciarum adminiſtratiõibus inuidia diſcordes, exitu demũ Neronis, poſitis odiis, in mediũ conſuluere, primũ per amicos, deiu præcipua concordiæ fide Titus parua certamina inter patrem & Mutianũ aboluerat, natura, atque arte compoſitus alliciẽdis etiã Mutiani moribus.

Hic.] Vologeſus Parthorũ rex.

Sagittariorũ.] Sagittarios equeſtres Græco vocabulo ἱπποτοξότας vocant: quæ dictio frequens eſt apud Hiſtoricos. Parthos autẽ præpollere ſagittariis, ſatis notum, cùm ſagittis potiſſimũ bella conficiant: quas etiam à tergo ſcienter iaculantur, adeò vt noo minùs fugiendo noceant, quàm reſiſtendo. Hinc illud:

Fidentemque fuga Parthum, verſiſque ſagittis.

Ducibus.] In primis Mutiano, & Antonio Primo.

Vt clauſtra Aegypti.] Cornelius Tacitus: Titũ inſtare Iudææ, Veſpaſianum obtinere clauſtra Aegypti placuit: ſufficere videbantur aduerſus Vitellium pars copiarũ, & dux Mutiaous, & Veſpaſiaoi nomẽ.

Hic.] Alexandriæ io Aegypto.

Aedem Serapidis.] De Serapide Auguſtious io XVIII. hęc prodidit memoratu digna: Apis rex Argiuorum tranſuectus in Aegyptum, cùm ibi mortuus eſſet, factus eſt Serapis omnium maximus Aegyptiorum deus. Cur autem Serapis appellatus ſit, rationẽ Varro reddidit: quia enim arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes iam ſarcophagum vocant, σορὸς Græcè dicitur, & ibi eum ſepultum venerari cœperũt Soroſapis, vel Sorapis primò: deiude, vt fieri aſſolet, vna litera commutata Serapis dictus eſt. Idem traditur ab Euſebio libro decimo Præparationis Euangelicæ, & à Rufino in vodecimo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Quidam Serapin prodiderunt eſſe Iouem, cuius capiti modius ſuperpoſitus ſit: quia cum meſura cũcta Indicet moderari. Habebat autẽ Serapis Alexandriæ templum opere fornicato conſtructum, in quo ſimulacrum ipſius dei erat vaſtum, vt dextera vnum parietem, alterum læua perſtringeret, quod ex omnibus generibus metallorum, lignorũmque compoſitũ ferebatur. Erat & feneſtra quædam perexigua, dolis, & ea arte compoſita, vt radios Solis ingrediẽs, os, & labra Serapis illuminaret, ita vt ſpectãte populo ſalutatus oſculo Serapis videretur à Sole. Serapin eſſe Solẽ, eſſe Oſirim, eſſe omnia, & multiiugis nominibus appellari, teſtatur Martianus in hymno heruico. De origine Serapidis copioſe ſcribit Cor. Tacitus, qui ait, eundem dici Aeſculapium, quòd morbis medeatur. Quidam Plutonem exiſtimauerunt eſſe. Macrobius tradit, Serapidis, & Solis vnam eſſe & indiuiduam naturam. Aedes autem Serapidis eleganter dicitur Serapium: ſicut templum Iſidis, Iſium. Et in hoc ſignificato dictum eſt illud à Lampridio io vita Alexandri: Iſium, & Serapium decẽter oroauit, additis ſignis, & Deliacis, & omnibus myſticis. Sed de hoc Alexandrino Serapidis templo, id eſt Serapio, ſic ſcribit Marcellinus in XXII. Inter quæ eminet Serapiũ, quod licet minuatur exilitate verborum, atriis tamen columnariis ampliſſimum, ſpirantibus ſignorũ figmẽtis, & reliqua operum multitudine ita eſt exornatum, vt poſt Capitolium, quo ſe venerabilis Roma in æternũ attollit, nihil orbis terrarum ambitioſius cernat.

Se conuertiſſet.] Hoc ex ritu religionis factitatum, io qua adoratores ſe vertigine religioſa conuertebant: quod in proximo Commeotario dictum eſt explicatiùs.

Verbenas.] Verbena, vt inquit Seruius, propriè eſt herba ſacra, ſompta de loco ſacro Capitolii, qua coronabãtur feciales, & pater patratus fœdera facturi, vel bella indicturi. Abuſiue tamẽ etiam verbenas vocamus omnes frondes ſacratas: vt eſt laurus, oliua, vel myrtus. Terentius: Ex ara hinc verbenas ſume. Nam myrtũ fuiſſe Menãder teſtatur: de quo id trãſtulit Terentius. Donatus verò verbenas ait eſſe omnes herbas, & froodes feſtas ad aras coronandas, ex aliquo loco puro decerptas, dictáſque autumat eſſe quaſi herbenas. Plinius verò in XXII. nomine ſagminum, & verbenarum ſignificari prodidit gramen ex arce cum ſua terra euulſum. Verbena ſemper & legati cum ad hoſtes clarigatum mittebãtur, vſi: id eſt, res raptas clare repetitum: vnus vtique verbenarius vocabatur. Idem in XXV. verbenacam peculiariter vocat herbam, quam Græci ἱεροβοτάνην, quaſi ſacrã herbam, dicuot. Aliqui περιστερεῶνα, quaſi columbariam. Hæc eſt, inquit, quam legatos ferre ad hoſtes indicauimus. Magi circa hãc inſaniũt, aiũntque, ſi aqua ſpargatur triclioium, qua maduerit, lætiores conuictus fieri. Liuius libro X. ſecundi Punici belli idem, quod Plinius ſignat, videlicet verbenas, & ſagmioa idem ſignificare. Eſſe autem genus herbæ ex arce ſumptũ. Vbi obiter declarãdũ priuas verbenas, & priuos ſilices à Liuio dici ſingulos: quia veteres priua dixerunt, quæ nos ſingula dicimus: quo verbo Luciliusvſus eſt.

Abdomina thynia priua dabo, cephaleáq; Carnẽ.

M. AN. HIc.] Vologeſus. Ducibus.] Licinium Mutianum cum ſexta legione, & quatuordecim vexillariorum millibus præmiſſum Tacitus ſcribit.

Clauſtra Aegypti.] Sic Idẽ Tacitus, Titũ, inquit, inſtare Iudææ, Veſpaſianum obtinere clauſtra Aegypti placuit: quaſi clauſtris enim Aegyptus Arabico dorſo clauditur. Serapidis.] Colebatur Serapis religioſe in Aegypto. Macrobius Serapin, atque Iſio cultu penè attonitæ venerationis obſeruat, omnẽ tamen illam venerationem Soli ſe ſub illius nomine teſtatur impendere. Quibus verbis apparet Serapin, & Solem eundem eſſe. Oratus Serapis à Nicocreonte Cypriorum rege quis eſſet, reſpondit his verſibus:

Pauſ

Εἰμὶ θεὸς τοιὸς δ' ἰ μαθεῖν, οἷον κ' ἀγὼ εἴπω.
Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, κ' ἀὴρ ἡ θάλασσα,
Γαῖα δέ μοι πόδες ἐσί, τὰ δ' ὦτ' ἐν αἰθέρι κεῖται,
ὄμμα τε τηλαυγὲς, λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Verbenas.] herbas sacras. Plinius, Sagmina lu remediis publicis fuere: & in sacris legationibus quàm verbenæ: certe vtroque nomine idem significatur, hoc est gramẽ cum sua terra euulsum. Terẽtius quoque myrtum verbenam appellauit.

PHIL. PAnificia.] panes significat. Dictum est panificium à pane faciendo, vt autumat Varro: vnde & panifex, qui panem facit, dictus. Cor. Celsus in secundo tradit, panificia, quæ ex frumentis fiunt, generis valentissimi esse. Id autẽ valentissimũ vocat, in quo plurimũ alimenti est. Vt illic assolet.] Talia exigebat religio Serapidis Alexandrini.

tur. Quidam oculorum tabe notus, genibus eius aduoluitur, remedium cæcitatis gemitu exposcens, tanquam monitus à deo Serapide: precabaturque principem, vt genas, & oculorum orbes dignaretur expuere oris excremento. Alius manu æger, eodem deo authore, vt pede ac vestigio Vespasiani calcaretur orabat. Vespasianus primò irridere, aspernari, famáque vanitatis metuere: postremò æstimari à medicis iubet, an talis cæcitas, ac debilitas humana ope superabiles forẽt. Medici varie disserentes id fortasse cordi deis esse dixerũt, & diuino ministerio principẽ electum: denique patrati remedii laudem penes Cæsarẽ, irriti ludibriũ penes miseros fore. Vaspasianus iussa exequitur, multitudine ad spectaculũ erecta: statim conuersa est ad vsum manus, ac cæco reluxit dies.

panificia, vt illhic assolet, Basilides libertus obtulisse ei visus est: quem neque admissum à quoquã, & iampridem propter neruorum valetudinẽ vix ingredi, longéque abesse cõstabat. Ac statim aduenere literæ, fusas apud Cremonã Vitellii copias, ipsum in vrbe interemptum nuntiantes. Authoritas, & quasi maiestas quædã, vt scilicet inopinato, & adhuc nouo principi deerat: hæc quoque accessit. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam à Serapide per quietẽ, restituturũ oculos, si inspuisset: confirmaturum crus, si dignaretur calce cõtingere. Quum vix fides esset rem vllo modo successuram, ideóque ne experiri quidem auderet: extremò hortantibus amicis, palã pro concione vtrunque tentauit: nec euentus defuit. Per idem tẽpus

Basilides libertus.] Nomen hoc omen regni & principatus fecit Vespasiano. *βασιλεὺς* enim rex significatur: vnde Basilidis nomen pro nomine Imperii Vespasianus accepit. Cor. Tacitus ait, sacerdotem ipsum nominatum esse Basilidem, qui Vespasiano denũtiauerit in templo Carmeli dei cuncta illi ex animi sententia euentura. Idem hanc historiam luculẽter explicat his verbis: Altior inde Vespasiano cupido adeundi sacram Serapidis ædem, vt super rebus Imperii consuleret, arceri templo cuncta iubet, atque ingressus, intentúsque numini respexit ponè tergum è primoribus Aegyptiorum nomine Basilidẽ, quem procul Alexandria plurium dierum itinere, & ægro corpore detineri haud ignorabat: percontatur sacerdotes num illo die Basilides templum inisset: percontatur obuios vtrum in vrbe visus sit: denique missis militibus explorat illo temporis momento octoginta millibus passuum abfuisse: tum diuinam speciem, & vim responsi ex nomine Basilidis interpretatus est.

Propter neruorum valetudinem.] Qui neruis laborant, neruici dicuntur. Vitruuius in viii. Aquæ neruicos, & podagricos efficiunt: sulphurosi fontes neruorum labores reficiunt. Longè.] octoginta millibus passuum aberat ab Alexandria Basilides id tẽporis. Apud Cremonam.] Quãdo Antonius Primus Flauianorum dux apud Cremonam Cecinnam cum Vitellianis copiis profligauit: & tunc Cremona incendio deflagrauit, vbi cuncta manibus rapientium passim direpta sunt. Ipsum.] Vitelliũ. Maiestas deerat.] Vt ait Silius, Armat maiestas æterna duc̃. Et, vt inquit Valerius, maiestatem rectè quis dixerit longum, & beatum honorem esse sine honore.

E plebe quidam.] Multa quidem miracula, vt inquit Tacitus, Alexandriæ euenerunt, quibus cæli fauor, & quædam in Vespasianum inclinatio ostenderetur.

Sedentem.] Vespasianum.

Pro tribunali.] in tribunali, tanquam ius diceret.

Per quietem.] in somniis. Oculos.] illius, qui luminibus erat orbatus. Crus.] Tacitus dixit, nõ crure, sed manu ægrum fuisse.

Successuram.] habituram successum, prosperúmque exitum.

Hortantibus amicis.] maximè medicis, qui disserebant non excussam esse vim luminis illi orbato luminibus, & redituram aciem, si pellerentur obstantia: alteri verò deprauatos artus integrari posse, si salubris vis adhiberetur.

Vtrunque.] Inspuit oculum ægri, & calce cõtigit crus debilitati.

Nec defuit euentus.] Ait Tacitus, vtrunque miraculum ab his, qui interfuere, nunc quoque memorari, postquam nullum mendacio pretium.

PAnificia.] panes: quum alioqui panificiũ sit propriè ipsa panis factura. M.A N.

Basilides libertus.] Tacitus Basilidem è primoribus Aegyptiorum fuisse ait: sed siue libertus, siue alterius fortunæ fuerit, certe nomen ostentum fecit. *βασιλεὺς* enim rex dicitur, vnde Basilides.

Neruorum valetudinem.] contractionem, aut imbecillitatem.

Apud Cremonam.] vbi Antonius cũ Mœsiacis legionibus Vitellianos duplici prælio fuderat.

Demonstratam.] opem.

Restituturum.] in integrũ redditurum: id enim per quietem fuerat à Serapide demonstratum.

Calce.] pede.

Auderet.] Vespasianus.

Tentauit.] experiri voluit.

Euentus.] effectus.

Tegeæ in Arcadia instinctu vaticinantium, effossa sunt sacrato loco vasa operis antiqui, atque in ius assimilis Vespasiano imago.

Restitutio collapsæ Reipublicæ. VIII.



Alis, tantáque cum fama in vrbem reuersus, acto de Iudæis triumpho, Consulatus octo veteri addidit. Suscepit & cēsurā, ac per totum Imperii tempus nihil habuit antiquius, quām propè afflictam, nutantémque Rempublicā stabilire primò, deinde & ornare. Milites, pars victoriæ fiducia, pars ignominiæ dolore, ad omnem licentiam, audaciámque processerant. Sed & prouinciæ, ciuitatésque liberæ, necnon & regna quædā tumultuosiùs inter se agebant. Quare Vitellianorum quidem & exauctorauit plurimos, & coercuit. Participibus autem victoriæ adeò nihil extra ordinē indulsit, vt etiam legitima præmia non nisi serò persoluerit. Ac ne quā occasionē corrigēdi disciplinā prætermitteret, adolescētulū fragrātē vnguēto, quū sibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam grauissima

PHIL. Tegeæ in Arcadia.] Tegea, oppidum est Arcadiæ. vnde Tegeaticus Mercurius à Papinio dictus illo versu, Et cum Menalia volucer Tegeaticus vmbra. Olim Lacedæmonii bellum intulere Tegeatibus ferentes secum compedes, tanquam essent redacturi illos in captiuitatem: verùm cōgressi prælio, ac fugati, quicunque vius sunt capti, eisdē, quas ipsi attulerāt, compedibus compediti, campū Tegeatem metiri fune, coluerunt. Cōpedes illæ, quibus cum vincti fuerūt Lacedæmonii ad memoriam vsque Herodoti incolumes manserunt circa templū Mineruæ apud Tegeā suspensæ. Vasa operis antiqui.] qualia sunt archetypa, & qualia vascularii artifices antiqui factitauerūt: vt Mentor, Acragas, Boetus, & Mys, qui in argēto cælando inclaruerunt, cùm in auro cælaudo inclaruisse neminem miretur Plinius.

* Acto de Iudæis triūpho.] Ne credas, Vespasianū statim vt Romá rediit, de Iudæis triumphasse: id enim repugnat sententiæ Historicorum, qui prodiderunt, Vespasianum expectasse filium Titum à Iudaica victoria reuertentem: cum quo cōmunem triumphum ob res bene gestas agere statuit: quāuis vtrisque, Senatus proprium decreuisset. Pompa Iudaici triūphi graphice perscripta est à Iosepho libro septimo belli Iudaici: in quo inter cætera lex Iudæorū gestata fuit: quam in Palatio conditam seruari præcepit Vespasianus. Veteri.] primo Consulatui, quem adhuc priuatus gesserat per duos nouissimos anni menses.

Antiquius.] carius, vel, vt Nonius exponit melius. Nutantem.] labantē, vacillantem, titubantē.

Stabilire primò, deinde ornare.] Imitatores Deus nos sui esse voluit, qui, vt inquit Ambrosius in primo Hexameri, primò fecit, posteà venustauit: vt & nos primò faciamus aliqua, posteà venustemus: ne simul dum vtrunque adorimur, neutrum possimus implere. Victoriæ fiducia.] Victoria suapte natura insolentes fere semper victores facit. Hinc Sallustius Syllanos milites, postquam victoriā adepti sunt, nihil reliqui victis fecisse prodidit: cùm secundæ res etiam animos sapientum fatigent. Ignominiæ dolore.] qui facti fuerant ignominiosi, & ignominiæ nota affecti sub prioribus principibus.

Exauctorauit.] missos fecit à militia, militaribúsque insignibus priuauit. Indulsit.] per indulgentias Imperatorias benigniùs tribuit.

Legitima præmia.] quæ veteranis ex lege militari constituta sunt, & quæ Imperator promisit se daturum. Disciplinam.] militarem. Fragrantē vnguento.] Olentem vnguenti odorē. Vnguentū autem deliciarū causa, non valetudinis, paratum intelligimus. de quo suprà satis ac super. Qui vnguēto fragrant, molles, & effœminati iudicantur. Vnde olim festiuiter Aristippus dixisse fertur delectatus vnguento, Male, inquit, istis effœminatis eueniat, qui rem tam bellam infamauerunt. Olim censores Romæ edixerunt, ne quis vēderet vnguēta exotica: sic enim appellauere, quæ peregrina intelligi voluerunt. Lycurgus vnguentum eiecit ab vrbe Spartana, veluti corruptelam. Vnguentatū apes infestāt, & pungūt, cùm ipsæ sequātur omnia pura. Luxuria, authore Plinio, misturam fecit odorum: & ita reperta sunt vnguēta. Dicimus fragrātem vnguento, & vnguētum. Apuleius: Cinnama fragrās, & balsama rorans calua processerit. Summa autem commendatio vnguentorum est, vt transeuntem fœminam odor inuitet etiam aliud agentem. Vnguenti voluptas meritò aliena dicitur à Plinio, quoniam odorem qui gerit, ipse non sentit.

Præfectura.] Generali vocabulo præfectura omnis dicitur à præficiendo: vnde præfectura vrbis, & præfecturæ militares dictæ. Aegyptus diuiditur in præfecturas oppidorū, quas nomos vocāt. Thracia diuisa est in strategeas quinquaginta: ita enim vocant præfecturas. Hic militaris præfectura significatur: qualis est præfecti legionum, præfecti castrorū, & præfecti fabrorum. Nutu.] Nutus, est capitis: vnde dictum numen autumat Varro. Veteres inter nutare, & annuere, & nictare hoc interesse voluerunt, vt nutare capitis sit, annuere narium, vel labiorum: nictare, oculorū. Plautus in Asinaria: Nec illa vlli homini nutet, nictet, annuat. Plinius in primo Episto. eleganter docet, nutum dici, quādo annuimus, renutū verò quādo recusamus: sic enim ait: Nā ego quoq; simili nutu ac renutu respōdere voto tuo possum. Et ita in hoc Tranquilli loco nutus pro renutu accipietur.

MAN. Instinctu.] suasu, monitu, impulsu.

Antiquius.] vtilius, melius. Cicero: Hoc quidē propriū est amicitiæ: sed antiquior, & pulchrior, & magis à natura ipsa profecta. Ignominiæ.] quia multi & à Galba, & à Vitellio ignominiose exauctorati fuerāt.

Participibus.] per quos fuerat victoriā adeptus.

Indulsit.] indulgēter concessit. Legitima præmia.] non modò donatiuū aliquod sponte dederit.

Increp-

increpuit, Maluiſſem allium oboluiſſes: literáſque reuocauit. Claſſiarios verò, qui ab Hoſtia, & Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes conſtitui aliquid ſibi calcearii nomine, quaſi parum eſſet ſine reſponſo abegiſſe, iuſſit poſt hæc excalceatos curſitare: et ex eo ita curſitant. Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum libertate adempta, item Thraciam, Ciliciam, & Comagenen ditionis regiæ vſque ad id tempus in prouinciarum formam redegit. Cappadociæ propter aſſiduos Barbarorũ incurſus legiones addidit, cõſularéque rectorẽ impoſuit pro equite Romano. Deformis vrbs veteribus incẽdiis, ac ruinis erat:

PHIL. INcrepuit.] caſtigauit, inceſſuit. Maluiſſem allium oboluiſſes.] Sententia profectò Imperatoria, & memoratu digna, ad luxuriam, mollitiámque caſtigandam: nam cum odor allii in primis moleſtus eſſe ſoleat, & olfactum infeſtare eorum, cum quibus ſermocinamur, attamen dixit grauiter, & ſeuerè Veſpaſianus, voluiſſe ſe potius vt ille oleret allii odorem illum aſpernabilẽ, quàm quòd vnguẽto fragraret: tanquam magis viro conueniret, eſſetq; res magis virilis odor allii, quã vnguenti. Si quis autem, vt obiter hoc quoque attingam, cupit vt odore alliis careant, ea ſeri iubebit, cùm Luna infra terram ſit, colligi verò cũ in coitu: & ita, docente Columella in XI. neque acerrimi ſaporis exiſtent, neque mandentium anhelitus inodorabunt. Menander è Græcis author eſt, allium edentibus ſi radicem betæ in pruna toſtam ſuperederint, odorem extingui. Apud Plautum Tranio in Moſtellaria aſpernatur allii fœtorem: At te Iupiter, diique omnes perdant, oboluiſti alliũ germana illuuies. Refert Ariſtoteles in Problematis, Si quis alliũ ederit, eum quoque vrinam redditurum allium redolentẽ. Ab allio alliatum deriuatur: quod pulmentarii, & intinctus genus eſt: de quo ait idem Plautus: Sine me alliato fungi fortunas meas. Vlpicum Græci appellauere genus allii grandius inter pulmẽtaria ruris: authores Plinius, & Columella. Quidam vlpicum vocant allium Punicum. Græci autem ἀφροσκόροδον appellant. Hoc ideo de vlpico allio poſui, vt intelligeres illud Plautinum ex Pœnulo: Tu autem plenior allii vlpici, quàm Romani remiges. Græci σκόροδον allium vocant. Obolere autem, eſt tetrũ odorem redolere. Ita Plautus: oboluiſti alliũ germana illuuies.

Literas.] Diploma ſignificat, quo præfectura impetrata continebatur.

Claſſiarios.] nauales milites.

Per vices commeant.] Vltro citróque viciſſim eunt, & redeunt inſtar veredariorum, curſorúmque cauſa negotiorum publicorum.

Calcearii nomine.] Qui pedibus more curſorũ iter iugiter faciũt, calceamẽta multa cõſumũt: vnde illi petebant ſibi cõſtitui aliquid præmii nomine calceamenti. Calcearium enim calceamẽtum ſignificat: ſicut veſtiarii nomine veſtitus intelligitur: quanuis aliquando pro repoſitorio veſtiũ accipiatur. Vlpianus titulo De alimentis legatis: Diariis, vel cibariis relictis, neque habitationem, neque veſtiarium, neq; calcearium deberi, palàm eſt.

Abegiſſe.] repuliſſe, reieciſſe.

Excalceatos.] diſcalceatos, ſine calceis. A Seneca excalceati dicuntur mimi, qui ſine cothurno, & ſocco agũt fabulam: quales ſunt planipedes. Decenti autem tranſlatione per excalceatos ſignat ſtylum humilem: ſicut per cothurnatos grandiloquum. Verba Senecæ hæc ſunt ex primo Epiſtolarum: Quàm multa Publii non excalceatis, ſed cothurnatis dicenda ſunt. Aliàs exchalceare ſignificat chalco, id eſt ære deſpoliare: & tunc ſcribitur per aſpirationem. Hinc ille locus in Verẽnium Catulli libertum furaciſſimũ, qui cùm deprehenſus à nũmulario eſſet, de cuius menſa nummos ſubtractos in calceos ſibi infarciuerat, quidam re cognita feſtiuiter inquit: Væ tibi, ſi te nummularius ille exchalceauerit. Ita chalcon, id eſt æs ablatum ex calceato obiecit.

Lyciã.] Aſiæ regio eſt proxima Pamphyliæ, & Ciliciæ. Lycios ciuiliter vixiſſe refert Strabo in XIIII.

Byzantiũ.] Hodie Conſtantinopolis vocatur.

Samũ.] Inſula eſt Ioniæ fœcũdiſſima: cui prouerbium illud accommodatur, quòd etiam fert lac gallinaceum.

Ditionis regiæ.] quæ regiones fuerant, ſub regia poteſtate.

In prouinciarum formam.] Egeſippus in II. Hiſtoriarũ, Principatus, inquit, Archelai conuerſus eſt in nomen prouinciæ: quo nomine Romani cũ in ius ſuum vincendo redigerent, procul poſitas regiones appellauere. Pro equite Romano.] Vt quæ priùs rectorem ex ordine Equeſtri habere ſolebat, nũc regeretur à rectore conſulari: cuius authoritas & dignitas maior eſt. Ita olim Aegyptus quoq; per equites Romanos loco regum obtinebatur, quod à diuo Auguſto inſtitutũ fuiſſe Tacitus prodidit. Mirandũ eſt id, quod de Cappadocibus idonei ſcriptores prodiderunt: quibus Romani conceſſere, vt gens ea libera eſſet ſecundum amicitiam, & ſocietatem antè contractam: ſed principes libertatem recuſarunt, dicentes ſe eam ferre non poſſe: & vt rex ſibi daretur, orarunt. Romani admirati quòd inuenirentur, qui libertatem recuſarent, permiſere vt quem vellent regem eligerent: qui elegerunt regem Ariobarzanem.

Deformis vrbs.] Sicut ſuperiora ad illud verbũ ſtabilire, ita hoc ad illud ornare, eſt referendũ. Priora enim declarant Veſpaſianum ſtabiliſſe Rempublicam, iſta verò venuſtaſſe.

M. AN. OBoluiſſes.] fragraſſes, oluiſſes.

Literas.] quibus illum præfectũ deſignabat.

Per vicos cõmeant.] Publicóne, an priuato negotio, non dicit: ſed publico accipe: etenim ſi ex cõmeatu per vices domũ curſitaſſent, haud auſi eſſent calcearii nomine aliquid publicè petere.

Achaiam, Lyciã.] De his, & aliis, quæ ſequuntur, ſatis alibi.

Libertate adempta.] in prouinciæ formam redegit. Cicero in Parad. Libertas eſt poteſtas viuendi vt velis. Sed licẽtia in malam ferè capitur partẽ, cùm quis libertate abutitur, vſq; ad temeritatem & procacitatem.

Ditionis regiæ.] quæ ſub regibus fuerant.

Pro equite Romano.] loco equitis: per cuius ordinis viros fuerat anteà adminiſtrata.

vacuas areas occupare, & ædificare, si possessores cessarent, cuicunque permisit. Ipse restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgãdis manus primus admouit, ac suo collo quædã extulit, ærearũque tabularum tria millia, quæ simul conflagrauerant, restituenda suscepit, vndiq; inuestigatis exẽplaribus. Instrumẽtum Imperii pulcherrimum, ac vetustissimum confecit: quo continebantur penè ab exordio vrbis Senatusconsulta, plebiscita de societate, & fœdere, ac priuilegio cuicũq; concessis.

Opera publica per eum facta. IX.

FEcit noua opera, templũ Pacis foro proximum, diuíque Claudii in Cælio monte, cœptum quidem ab Agrippina, sed à Nerone propè funditus destructum: item amphitheatrum vrbe media, vt destinasse compererat Augustum. Amplissimos ordines, & exhaustos cæde va-

PHIL. VAcuas areas occupare.] Sextus Aurelius in hãc sententiam sic scribit: Hic Romam deformé incendiis veteribus, ac ruinis reparauit: permissa, si domini deessent, volentibus ædificandi copia. Ita olim Roma post incendium Gallicanum restaurata est, dũ Romani omisso sui, alienique discrimine in vacuo ædificant.

Restitutionem Capitolii.] Cura restituẽdi Capitolii contulit Vespasianus in Luciũ Vestinũ, à quo contracti aruspices monuerũt, vt reliquiæ prioris delubri in paludes aduherẽtur, templũ iisdem vestigiis sisteretur: ita vndecimo Calendas Iulii spatium omne, quod templo dicabatur, euinctũ est vittis. Ingressi sunt milites, quibus fausta essent nomina: deinde virgines Vestales cum pueris, puellisque, patrimis, matrimisque. Tũ Heluidius Prætor præeunte pontifice lustrauit areã Capitolii, precatus Ionẽ, Iunonẽ, & Mineruã Capitolinos deos, vti cœpta prosperarẽt. Mox vittas illas, quibus ligatus lapis, innexique funes erãt, cõtigit: simul cæteri magistratus, & sacerdotes & Senatus, & ordo Equester, & pars magna populi: passimque iniectæ sunt fundamẽtis argẽti, & auri stipes, & metallorũ primitiæ. Ruderibus.] reliquiis prioris cõbusti tẽpli.

Acrearum tabularum.] Aereæ tabulæ ad magnũ numerum in Capitolio fixæ priùs exstiterant, quibus publica monumenta continebantur: omnia cùm flagrassent vnà cum incenso Capitolio, curauit Vespasianus vt restituerentur, cùm exemplaria, ex quibus illa transcripta fuerant, vndique inuestigasset. Quòd autẽ in Capitolio forent publica monumẽta, & leges, & fœdera in tabulis æneis scripta, testãtur Historici, & docet Polybius, qui scribit in tertio, fœdera, quæ inter Romanos, & Carthaginienses icta fuerunt, perscripta in tabulis æneis fuisse: quæ conspiciebantur in tẽplo Iouis Capitolini, vbi ab Aedilibus diligentissimè custodiebantur. M. Tullius scribens in Catilinam ait, æra legum in Capitolio fuisse tacta de cælo, & liquefacta. Plinius quoque tradit, publicas constitutiones incidi solitas in tabulis æreis. Liuius refert in tertio, consulta olim fuisse relata in ædẽ Cereris ad ædiles: & olim fœdus ictum cum Latinis fuit insculptum in ænea columna. Scribit Plato in libello de Legibus, leges æreas esse nominatas à tabulis æneis, quibus erãt insculptæ. Instrumẽtũ.] Nomine instrumẽti significatur hoc loco monumẽtũ scripturarũ ad res gestas pertinentium, & ad Imperium Romanum. Quale fermè est repertorium, quod, vt Vlpianus ait titulo De administratione tutorum, vulgò inuentarium appellatur. Aliàs instrumentum generali vocabulo dicitur apparatus, quo fundus, taberna, & id genus alia instruũtur.

De societate, & fœdere.] Apud Liuiũ extant formulæ fœderum, quæ percussit, & societatum, quas coluit populus Romanus cũ regibus, & nationibus externis.

Priuilegio.] Priuilegia sunt, quæ non de vniuersis ciuibus, sed de singulis concepta: sicut est de Imperio Cn. Pompeii, & de reditu Marci Ciceronis. Priua enim veteres singula dixerunt.

Templũ Pacis.] Post triumphũ, & Romani Imperii firmissimũ statum Vespasianus Paci tẽplum ædificauit: quod, vt inquit Iosephus, mira celeritate cõfectum est. In hoc templo clarissima quæque artificum opera dicata sunt ab ipso Vespasiano: quod & Plinius memorat in XXXIIII. cuius hac quoque tẽpestate vestigia maxima conspiciuntur. De templo Pacis ait Martialis: Limina post Pacis, Palladiúmque forum.

Diuique Claudii.] scilicet tẽplũ. Sextus Aurelius sic ait: Aedẽ Pacis, Claudiique monumẽta reparauit, multáque noua instituit. In Cælio mõte.] Vnus est ex septem montibus vrbis: quem, vt author est Liuius, addidit vrbi Romæ Tullus Hostilius, ibique habitauit. Dictus autẽ est Cælius à Cælio Vibeno Tusco duce nobili: qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Latinũ regem. Proximus Cælio Cæliolus est: author M. Varro. Ab Agrippina.] ipsius Claudii coniuge. Item amphitheatrum.] Repete verbũ illud, fecit. Amplissimos ordines.] Senatorius, & Equester ordo significatur. Exhaustos cæde varia.] mutilatos, diminutos, comesos.

M.A.N. AReas.] loca, in quibus ædes fuerant. Tabularũ ærearum.] quibus tribunorum acta, & alia publica monumenta continebantur. Quod autem ad tribunos attinet, Plutarchus inquit, Cicero cũ magna hominum manu in Capitolium profectus, tabulas à Clodio fixas, in quibus res gestæ tribunatus sui scriptæ erant, vi refixit, atque perfregit.

Inuestigatis.] diligenter conquisitis.

Instrumentum.] Nunc plane demonstrat quo argumento tabulæ illæ essent notatæ.

Templum Pacis.] cuius hodie quoque visuntur vestigia ad læuam, via sacra ad Mariæ cognomento Nouæ fanum tendentibus.

Diui Claudii.] Templum repete.

Amphitheatrum.] Id opus magna ex parte adhuc extat inter Palatium, Cælium, & ædem Virginis, cuius proximè meminimus.

Destinasse.] animo concepisse.

Amplissimos ordines.] Senatorium, & Equestrem. Tres Romæ ordines erant, Senatorius, Equestris, & Plebeius. Ab Aristotele τάξεις dicuntur. Senatorius dicebatur amplissimus: quos exhaustos ait Tranquillus.

ria; & contaminatos veteri negligentia purgauit, suppleuítque recenso Senatu, & equite, submotis indignissimis, & honestissimo quoque Italicorum, ac prouincialium allecto: atque vti notum esset, vtrunq; ordinem nó tam libertate inter se, quàm dignitate differre, de iurgio quodam Senatoris, equitisque Romani ita pronuntiauit: Non oportere maledici Senatoribus, remaledici ciuile, fásq; esse.

Litigia per eum compendiosissimè decisa. X.

Litium series vbique maiorem in modum excreuerãt, manentibus antiquis intercapedine iurisdictionis, accedentibus nouis ex conditione, tumultúque temporum. Sorte elegit, per quos rapta bello restituerẽtur, quíque iudicia centumuiralia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum ætas videbatur, extra ordinem diiudicarent, redigeréntque ad breuissimum numerum.

Decretum in fœneratores. XI.

Libido, atque luxuria, coercente nullo, inualuerat. Author Senatui fuit decernen-

PHIL. Contaminatos.] Pollutos, dehonestamentis eorũ, qui in eos ordines recepti antehac fuerant.

Purgauit.] Ad cõtaminatos referendum: sicut suppleuit ad exhaustos. Recenso.] Recognito, & recensito per recensioné: de qua dictũ est in primo cõmentario. Equite.] Ordine equestri.

Quoq;.] Quocunque.

Italicorũ, ac prouincialium.] Hæc duo apud eruditos sibi inuicem opponuntur. Plinius in Epistolis: Italicus es, an prouincialis? Et Columella, vbi de cultura vinearũ Italicarum scripsit, mox de cultura prouincialiũ vinearum caput luculentum facit in sexto.

Quam dignitatem differre.] Vt in ordine Senatorio dignitas tantũmodo maior intelligatur, quàm in Equestri, libertas verò in vtroque ordine par.

De iurgio pronuntiauit.] Tanquam Senator aduersus equitem agere vellet ex formula actionis iniuriarum: quæ non solũ rebus fiunt, sed etiã verbis: vt conuiciũ, siue iurgium fit. Remaledici ciuile, fásque esse.] Voluit Vespasianus hac circunspecta librat áque sententia significare, Senatorem ab equite sola dignitate differre: tanquam non debeat eques prior lacessere cõuicio, iurgareque Senatorem: sed si lacessitus fuerit, vt fas sit par pari rependere, & remordere mordentem: iuxta illud e triuio, Si dixeris quod vis, audies quod non vis. & illud, Prout sementem feceris, ita metes.

Manentibus antiquis.] Non litibus prioribus explicatis. Intercapedine iurisdictionis.] Interstitione quadam, & cessatione, veluti quodam iustitio dicendi iuris: intercapedo enim pro interuallo, spatióque accipitur. Martianus in Astrologia: Inter circulos vniuersos quid interstitii intercapedo naturalis immiserit, æquum est explicare. Aliâs intercapedo, obscœnũ verbum est: quod innuit Cicero in epistola ad Papyrium Pætum, cùm ait: Quid enim? nó honestum verbum est diuisio? at enim inest obscœnum, cui respondet intercapedo. Et hoc est, quod symbolicũs, & subobscure intelligi voluit Quintilianus, cuius verba sunt hæc ex libro VIII. Institutionum: Sed diuisio affert eandem iniuriam pudori, vt si intercapedines nominatiuo casu quis vtatur. Tumultúque temporum.] Tumultuosa tempora scatere solent nouis, & multiiugis litibus. Meritò excreuerat numerus litium, quando per superiora retro tempora gliscentibus, vigentibúsque ciuilibus bellis, & Othonianis, & Vitellianis, leges, & iudicia consilescebant, & velut intermortua languebant: cùm ius in armis foret, & vis coleretur: iuxta illud Silii:

Vis colitur, iurísque locum sibi vendicat ensis.

Sorte elegit.] Voluit vt per sortitionem deligerentur præfecti restituendarum rerum, quæ bello Vitelliano à militibus raptæ fuissent. Illo enim tempore, qui viribus plus potest, iure plus posse creditur: & vnusquisque existimat sibi licere impunè rapere, & spoliare quoscũq;.

Vix suffectura ætas.] Tanta erat multitudo litium, atq; causarum, támque multi litigatores, vt vix credibile videretur, iádiu victuros litigatores, vt suarũ litium cernerẽt peracta iudicia. Vnde instituit Vespasianus iudices, qui cognitione extraordinaria de causis ad centumuiros pertinentibus diiudicarẽt. De centumuiris, & centũuiralibus causis, suo loco áffatim dictũ est. Ad breuissimum numerum.] Seruius enarrans illud ex II. Aeneid. Si omnes vno ordine habetis Achiuos. ait id de antiqua tractũ scientia, quia in ordine dicebantur causæ, propter multitudinem, vel tumultum festinantium.

Libido.] Cupiditas rei Venereæ. Aliâs pro generali vocabulo accipitur omnis cupiditatis: vnde libido gloriandi dicta, quæ iactantia nũcupatur, vt inquit Augustinus: & libido vlciscendi, libido dominandi. Interdum honesta dictio est. Sallustius: Magis in decoris armis, & militaribus equis, quàm in scortis, atque conuiuiis libidinem habebant. Luxuria.] Effusus, effrænísque, & immodicus deliciarum sumptus.

Coercente nullo.] Pœnas dixit eleganter Aristoteles in secundo Ethicorum, esse quasdam veluti medicinas. Tradit Liuius libro XXXIIII. leges latas fuisse ad coercendam luxuriam. Sed sicut antè morbos necesse est cognitos esse, quàm remedia eorũ, sic & cupiditates priùs natæ sunt, quàm leges, quæ his modum facerent. Vbi autem nullus neq; magistratus, neq; lex delictum coercet, passim peccatur: impunitas enim parit libidinem peccandi.

M. A N. Purgauit.] Indignissimo quoque suo ordine submoto.

Non tam libertate.] Authoritate & potentia.

Remaledici.] Maledictis respondere.

Antiquis.] Litibus.

Intercapedine.] Intermissione.

Nouis.] Litibus.

Sorte.] Nequid ambitiosè ab his fieri putaretur.

Rapta bello.] Quæcunque vi armorum cuiquam adempta essent.

di, vt quæ se alieno seruo iunxisset, ancilla haberetur. Néve filiorumfamilias fœneratoribus exigendi crediti ius vnquam esset: hoc est, ne post patrum quidem mortem. Cæteris in rebus statim ab initio principatus vsque ad exitum ciuilis, & clemens.

Mediocritas originis eius per eum non dißimulata. XII.

MEdiocritatem pristinam neque dissimulauit vnquam, ac frequenter etiam præ se tulit. Quin & conantes quosdam originem Flauii generis ad conditores Reatinos, comitémque Herculis, cuius monimentum extat via Salaria, referre, irrisit vltro. Adeóque nihil ornamentorum intrinsecus cupidè appetiuit, vt triumphi die fatigatus tarditate, & tædio pompæ, non reticuerit, meritò se plecti,

PHIL. QVæ se alieno seruo iunxisset.] Hoc anteà factitatum esse memorat Tacitus à Claudio: qui retulit ad Senatum de pœna fœminarum, quæ seruis coniungerentur: statuitque vt ignaro domino ad id prolapsæ in seruitute haberentur: sin consensisset, pro libertis. Repertor eius relationis fuit Pallas ille libertorum potentissimus. Nã si turpis domini existimatur concubitus cum ancilla, longè turpior videri debet dominæ consuetudo cum seruo: quoniam, vt inquit eleganter Quintilianus in quinto, non idem est, dominum cum ancilla coisse, quod dominam cum seruo. Apud iurisconsultos titul. Ad legem Iuliam de adulteriis, tractatur de seruo adulterii accusato: iubet lex eos seruos, de quibus quæstio adulterii habita sit, publicos esse. Apud Aegyprios mulier adulterii vltronei damnata naso mutilabatur: vt ea maximè parte mulctaretur, qua cum primis facies exornatur: Diodorus author in secundo Bibliotheces.

Néve filiorumfamilias fœneratoribus.] Horatius satyricè taxat Fusidium fœneratorem sordidum, qui filiisfamilias sub grauibus vsuris pecunias fœnerabat. Versus Horatii hic est:

Nomina sectatur modò sumpta veste virili
Sub patribus duris tyronum.-

Etenim cùm filiisfamilias pecuniæ credantur cum periculo exigendi, solent fœneratores ob id grauiores vsuras imponere. Vespasianus salubriter iuit obuiàm huic fœneratorum improbitati, dum decretum fieri voluit, ne fœneratores exigere possent à filiisfamilias pecuniam sub vsuris creditam, etiam post mortem parentum, quando iam ipsi esse cœpissent patresfamilias.

Mediocritatem pristinam.] Noluit Vespasianus facere id, quod multi facere consueuerunt, vt suum genus, quando parum splendidum, & generosum est, dissimulent, imò apertè ipse sui generis mediocrem conditionem ostentabat. Non enim spectandum est vt prognatus, sed vt moratus quisque sit: &, vt author est Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte, nemo nec ex nobilitate parentum laudandus, nec ex ignobilitate culpandus est.

Flauii generis.] Familiæ Vespasiani.

Ad conditores Reatinos.] Hoc munus adulatorum est: qui dum quærunt per assentatiunculas principibus gratificari, illorum genus referre solent ad deos immortales: sicuti olim assentatores infatuarunt Alexandrũ, vt se Iouis Ammonis filium esse crederet, fastidirétque Philippum patrem: vnde apud Curtium ait Hermolaus: Tu Philippum patrem auersaris: & si quis deorũ ante Iouem haberetur, fastidires etiam Iouem.

Comitémque Herculis.] Tanquam illi, qui Reate oppidum in Sabinis condiderunt, fuerint in Herculis comitatu. Silius tamen cecinit, Reate nõ Herculi fuisse dicatum, sed magnæ matri Cælicolarum. Herculem autem venisse in Italiam post abacta Geryonis armenta, vulgo notũ est. Vnus ex comitibus Herculis fuit Zacynthus, à cuius nomine, & sepulcro dictum est Sagũtum.

Via Salaria.] A sale dicta est via Salaria, quoniã illhac sal in Sabinos portari consueuerat.

Irrisit vltro.] Tã quam meros adulatores, assentatoresque: quod malũ in principum aula est perpetuum.

Intrinsecus.] Quidã forinsecus magnifici videri volunt, cùm domi sint sordidi: è cõtrario quidam circa culturam corporis sui sunt nimis curiosi, cùm in propatulo, & foris ornamenta non quærant.

Tarditate, & tædio pompæ.] Lege Iosephum describentem luculenter triumphi Iudaici pompam: post cuius simulacra, & pegmata, aliáque gestamina Vespasianus prior ibat, & Titus deinde sequebatur, Domitianus verò adequitabat. Pompæ autem finis, fuit Capitolini Iouis templũ, vbi hostiis per vota solennia immolatis, in Palatium recesserunt.

Se plecti.] Puniri, & pœnas dare. Inde capite plexi, pro capite puniri dicuntur.

M. AN. QVæ.] Mulier licet ingenua.

Iunxisset.] Matrimonio scilicet.

Filiorumfamilias.] Qui adhuc sub mancipio patris essent. Filiifamilias propriè ii dicuntur, in quos patresfamilias iurisdictionem habẽt. His fœnerari, seu sub vsuris mutuari edicto cauit Vespasianus, hoc etiã adiecto, vt parentibus defunctis, minimè tenerentur.

Ne post patrum quidem mortem.] Ne fœneratorum fraude circunuenti adolescentes clandestinè quoquo modo se illis obligarent. Fœneratores sunt, qui dant ad fœnus, quorum lucra iudicantur turpia. Cicero nanque in primo Officiorum libro ait: Primùm improbi hi quæstus, qui in odia hominum incurrunt, vt portitorum, vt fœneratorum. Plinius lib. XXXIII. cap. III. Sed à nummo prima est origo auaritiæ excogitata, fœnore quæstuosa segnitia. Hæc paulatim exarsit rabie quadam, non iam auaritia, sed fames auri.

Mediocritatem.] Humilitatem generis.

Conãtes.] Subtili, vana, adulatoria interpretatione.

Comitémque Herculis.] Ex quo apparet, Reate ab iis, qui ex comitatu Herculis fuissent, conditum.

Irrisit.] Pro vanissimis habuit.

Intrinsecus.] Intra se.

Meritò se plecti.] Eo affici incommodo.

Qui

qui triumphum, quasi aut debitũ maioribus suis, aut speratum vnquam sibi, tam ineptè senex concupisset. Ac ne tribunitiam quidem potestatem, & patris patriæ appellationem nisi serò recepit. Nam consuetudinem salutantes scrutandi, manente adhuc bello ciuili, omiserat.

Patientia eius erga criminantes. XIII.



AMicorum libertatem, causidicorum figuras, ac philosophorum contumaciam lenissimè tulit. Licinium Mutianum notæ impudicitiæ, sed meritorum fiducia minùs sui reuerentem, nunquàm nisi clàm, & hactenus retaxare sustinuit, vt apud communem aliquem amicum querẽs, adderet clausulæ,

PHIL. QVi triumphum tam senex concupisset.] Tanquã senes exacta vitæ maiori parte honores, & id genus ornamenta ambire non debeant: vt decrescente ætate pariter quoq; cupido minuatur. Hinc à Tacito dictum est: Sed in tanta mole belli plerunque contatio oberat: & Vespasianus modò in spem erectus, aliquãdo aduersa reputabat, qnis ille dies foret, quo sexaginta ætatis annos, & duos filios iuuenes bello permitteret, esse priuatis cogitationibus progressum: Imperiũ cupientibus nihil medium inter summa & præcipitia. Quòd autem senex, in cuius labris primoribus anima habitare fertur honores apperere nõ debeat, docet exẽplum Deiotari, & Crassi. Nanque M. Crassus ad expeditionem Parthicam proficiscens, qnum in itinere Deiotarum regem extremo iam senio confectum, nouam tamen vrbem ædificantem comperisset, talibus verbis in eum iocatus est: O rex, quidnam hoc est negotii, qui quum iam duodecima diei hora tibi adsit, nouam vrbem condere incipis? Ad hoc subridens Deiotarus, Tu verò, inquit, Imperator, cùm sis haud quaquam satis, vt videre videor, matutinus, tamen in Parthos cum exercitu festinas. Erat enim id temporis sexagenarius Crassus, & aspectu longè grandiorem præferens ætatem. Igitur Vespasianus fatigatus tarditate pompæ triumphalis, Meritò, inquit, punior, qui quom senex sim, tam ineptè desiderauerim triumphare: quasi triumphus maioribus meis ob generis oobilitatem deberetur, aut à me sperandus fuisset, quum planè ob ignobilitatem geoti Flauiæ haud quaquam triumphus deberetur, neque à seniore foret concupiscendus, sperandúsve.

Tribunitiam quidem potestatem.] Iam suprà memorauimus qnemadmodum tribunitia potestas Imperatoribus Romanis dabatur: quæ erat pars maxima regalis Imperii.

Salotantes scrutandi.] Ex suspicione, & metu principum, hæc consuetudo nata est, vt salutatores, dum principem adeunt officii causa, explorentor per ministros scrutatores, oe sub veste ferrum delitescat. Olim Seuerum Imperatorem centum Senatores salutauerũt ex consuetudine excussi, ne quid ferri haberent. Cæterùm bonus princeps beneuolentia suorum septus, circumuallatúsqoe talia non timet: à cuius salute, velut à filo, pendet salus subditorũ: sicut à salute illustris patris tui, clarissime mi Annibal, pendet salus vniuersorum Bononiensium: Hæc enim ciuitas veluti corpus, ille velut anima est ciuitatis.

Manente adhuc bello.] Quod tempus, vtpote periculosius, magis caueri solet à principibus.

Libertatem.] Loquendi consuetudinem liberiorem, & linguæ liberæ contumelias. Sextus Aurelius in hanc sentent.᾽am inquit: Ferebat patienter amicorum motus, contumeliis eorum, vt erat facetissimus, dictis iocularibus respondens.

Causidicorum figuras.] Figuratas reprehensiones, & obliqua dicta, quibus in actiooe causarum principem taxabant.

Philosophorum contumaciam.] Sæpe philosophi ex professione sectæ contumaciter agũt in principes, velud illorum sint cõtemptores: ex qua opinione est illud Senecæ in decimo Epistolarum: Errare mihi videntur, qui existimant, philosophiæ fideliter deditos, cõtumaces esse ac refractarios, & contemptores magistratuum, aut regum, eorúmve, per quos publica administrantur.

Licinium Mutianum.] Exemplum hoc, est de libertate amicorum.

Meritorum fiducia.] SI verum scrutari volumns, Vespasianus Imperiũ debebat Mutiano, à quo & incitatus, & maximis viribus adiutus fuerat. Vnde meritò dixit Tacitus, Mutianum socium magis Imperii egisse, quàm ministrum. Idem alibi ait, qnòd Mutianus vrbem ingressus cuncta simul in se traxit, apparatu, incessu, excubiis vim principis amplectens, oomeo remittens. Igitur non immeritò Mutianus minùs reuerebatur Vespasianum ex magnitudine beneficiorum, quæ in illum amplissima contulerat.

Minùs sui reuerentem.] Minore Vespasianum reuerentia prosequentem. In hoc loco reuerens nomen est, noo participium. Nam, vt docet Priscianus in xi. participia sunt, si verborum seruaoerint consequentiã: sin amissis temporibus, casus quoque, qnos nomina solent verbalia sequi, attrahant, transeunt in ea, vt amans illum, participium est: amans illius, nomen: vt amator illius. Sic reuerens illum, erit participiũ: reoerens illius, nomen: vt in hoc loco, reuerentem sui, oomen esse liqoet, eùm genitiuo iungatur.

Hactenus.] Vt ad hoc dictum solum progrederetur.

Retaxare.] Remordere, repercutere. Taxare enim est maledictis tangere: vnde & taxatores dicti. Hinc retaxare deducitur.

Querens.] Conquerens de immodica Mutiani libertate.

M. AN. QVasi debitũ.] Qua professione perbellè ostendit supra omnem familiæ dignitatem se tantos honores adeptum.

Senex.] Ipse iam senio confectus.

Scrutandi.] Ad salutationem admissos, an ferrum haberent. Libertatem.] Si quid liberius domestico vsu, & consuetudine secum loquerentur.

Causidicorum figuras.] Figuratas cauillationes.

Contumaciam.] Propositum, repugnantiam.

Licinium Mutianum.] Hic ille est, quem cũ copiis ex Syria Vespasianus, vt Tacitus scribit, præmiserat.

Ego tamen vir sum. Saluium Liberalem in defensione diuitis rei, ausum dicere, Quid ad Cæsarem, si Hipparchus sestertiûm millies habet? & ipse laudauit. Demetrium Cynicum in itinere obuium sibi post dominationem, ac neque assurgere, neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit canem appellare.

Obliuio inimicitiarum contra eum. XIIII.



OFfensarum, inimicitiarúmq; minimè memor, executórve, Vitellii hostis sui filiam splendidissimè maritauit, dotauítq; etiã, & instruxit. Trepidũ eum interdicta aula sub Nerone, quærentémq; quidnã ageret, aut quò abiret,

PHIL. EGo tamen vir sum. De hoc Sextus Aurelius: Nanque Licinium Mutianum, quo adiutore ad Imperium peruenerat, fiducia meritorum insolentem, flectebat adhibito aliquo vtrique familiari, id vnum dicens: Nosti me virum esse. Hoc verbo taxabat Mutianum, tanquam effœminatum, & muliebri impudicitia famosum. A Seneca pastũ vir dicitur mollis, & euiratus. Idẽ alio loco taxans effœminatam Romanam iuuentutem, Certare, inquit, cũ fœminis, & immundissimis se excolere mũditiis, nostrorum adolescentiũ specimen est. Quis æqualium nostrorum satis ingeniosus, satis studiosus, imò quis satis vir est? emolliti, eneruésque quod nati sunt, inuiti manẽt: expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes suæ.

Saluium Liberalem.] Nomen est causidici: vt hoc referas ad figuras causidicorum.

Diuitis rei.] Hipparchum significat, qui cùm esset diues, & reus, defendebatur à Saluio Liberale.

Quid ad Cæsarem.] Verba sunt causidici dicta in Vespasianum mordaciter nimis, tanquam diuites soliti essent fieri rei, damnaríque ob diuitias.

Et ipse laudauit.] Vespasianus hoc figuratũ dicendi genus, quo vsus erat causidicus, laudauit: nam quum visus esset simpliciter dicere, nihil pertinere ad Cæsarem, si Hipparchus reus esset dioes, quum ex illis diuitiis nihil spectaret ad principem, tamen figuratè, & latenter per obliquum dictum intelligi voluit causidicus nõ debere principem inhiare diuitiis reorum opulentorũ, vt ob id vel insontes damnarentur. Apud scriptores disciplinæ rhetoricæ, in primísq; apud Martianũ, & Fortunatianũ, mentio fit de ductu obliquo, & figurato. Est enim obliquus ductus, quum metus periculi impedit aliquid dicere liberè, & apertè: figuratus verò est, quum apertè quid dicere prohibet verecũdia propter obscœna, & significatione alia, atque integumentis vestita monstratur.

Demetrium Cynicum.] Huius meminit Philostratus, apud quem Apollonius Tyanæus cum Tito Vespasiano sic sermocinatur: Ego tibi comitem adiungam sodalem meum Demetrium, qui audacia pollet vera loquendi. Habet enim vim quandam Cynicam, id est caninam. Itaque Tite tibi, inquit, canis aderit, qui pro te aduersus alios, & contra te ipsum, si quando peccaueris, sapienter, & etiam sine ratione latrabit. Titus alludens ad nomen Cynici, festiuiter respondit Apollonio dicens: Ducam pedissequum canem, quem concedam non latrare tantùm, sed etiam mordere, quoties iniustè aliquid me facientem animaduerterit. Apud eundem Philostratum extat epistola, quam scribit idem Apollonius ad Demetrium canem. Hunc ab vrbe pôst paulùm expulit Domitianus vnà cum cæteris philosophis.

Assurgere dignantem.] Hoc refertur ad contumaciam philosophorum: quid enim in philosopho potuit esse magis contumax, quàm non assurgere Imperatori?

Oblatrantem.] Ex more, & nomine Cynicorum, qui à caninis moribus, tanquam oblatratores, appellati sunt. Hinc est illud Epigrãmatici poetæ:

Non est hic Cynicus Cosme, quid ergo? canis. Olim Diogenes Cynicus interrogatus cur canis vocaretur: Quod eis, inquit, blandior, qui dant: in eos verò, qui nõ dant, oblatro: malos autem mordeo.

Nescio quid.] Rem quampiam mordaciter, & canine adlatrantem magis, quàm dicentem.

Canem appellare.] Tãquam Cynicum, fuit contentus Vespasianus canem appellasse.

Offensarum, inimicitiarúmque minimè memor.] Cicero laudis absolutæ præconio prosequutus est Cæsarem dicens: Qui nihil obliuisci soles, præter iniurias. Laudat & Seneca Marcum Catonem vt offensarum obliuiscentem: qui quum in balneo à quodam per imprudentiam percussus fuisset, eidem posteà satisfacienti, Non memini, inquit, me percussum.

Vitellii hostis sui filiam.] Sextus Aurelius, Vespasiani, inquit inter cætera bona illud singulare fuit, inimicitias obliuisci: adeò vt Vitellii hostis sui filiam locupletissimè dotatam splendidissimo viro coniungeret.

Maritauit.] Hoc verbum non solùm de hominibus dicitur, sed etiam decenter ad alia quoq; transfertur. M. Varro scribens de canibus ait: Tunc enim dicuntur catulire, id est ostendere se velle maritari. Plinius in decimoseptimo tradens præcepta de arboribus maritandis, inquit: Alternis putantur annis, anno sexto maritantur: hoc est, cum vite, veluti coniuge, copulantur. Vnde ab Horatio dictum est:

Altas maritat populos. Et Columella, Si teneram, inquit, vlmũ maritaueris, coniugem necabit. Hinc arbores maritæ nominantur, quibus vites instar coniugum copulantur. E contrario cælebs dicitur arbor solitaria, nulláque coniuge maritata, copulatáve. Idem Plinius: Altera deflexa vite, vel palmite iuxta suam arborem, aut citra proximam cælibem.

Instruxit.] Instrumento dotali, & supellectile matronali excoluit.

Interdicta aula.] Quo tempore prohibitus est frequentare Aulam Neronianam: quod opinor tunc factum esse, cùm in ludicro Neronis spectaculo obdormiscere soleret.

Trepidum eum.] Scilicet Vespasianum adhuc priuatum.

DEmetrium Cynicum.] F. hoc ad philosophorum contumaciam, vt singula singulis referantur. M. A N.

Vitellii filiam.] Quam ille ex Galeria Fundana procrearat.

Ex

quidam ex officio admissionis simul expellens, abire Morboniam iusserat: In hunc posteà deprecantem haud vltra verba excãduit, & quidem totidem ferè, atque eadem. Nam vt suspicione aliqua, vel metu ad perniciem cuiusquam compelleretur, tantum abfuit, vt monentibus amicis cauendum esse Metium Pomposianum, quòd vulgò crederetur genesin habere Imperatoriam, insuper Consulem fecerit, spondens quandoque beneficii memorem futurum.

Clementia eius contra reos accusatos. XV.

NOn temere quis punitus insons reperitur, nisi absente eo, & ignaro, aut certè inuito, atq; decepto. Heluidio Prisco, qui reuersus ex Syria solus, priuato nomine Vespasianum salutauerat, & in Prætura omnibus edictis sine honore ac mentione vlla transmiserat, non antè succensuit, quàm altercationibus insolentissimis

PHIL. EX officio admissionis.] Id est, vnus ex admissionalibus Palatinis, quorum officium est admittere aulicos intra cubiculum ad principem salutandum. Lamptidius in Alexandro Romano: Salutaretur verò quasi vnus de Senatoribus, patente velo, admissionalibus remotis. Erat apud veteres magister admissionum: quæ dignitas, vt ait Ammianus Marcellinus, est honorata. Præerat enim officio admittendi in consistorium, & introducendi ad principem.

Abire Morboniam.] Prouerbialis locutio est: quæ significat, in malam crucem. Consimile est illud Plautinũ, Abire dierectũ. Et allusio simul est ad morbi nomen: veluti morbonia sit nosocomiũ, hoc est domicilium morbosorum.

Posteà.] Quum iam ipse Vespasianus rerũ potiretur.

Excanduit.] Indignatus est per excandescẽtiam: quæ, vt philosophi definiunt, est ira nascẽs, & modò desistens: quæ θύμωσις Græcè dicitur.

Totidem ferè, ac eadem.] Iisdem ferè verbis Vespasianus retaxauit admissionalem Neronianum, vt expellens illum iuberet ire Morboniam.

Compelleretur.] Impelleretur, cogeretur.

Genesin habere Imperatoriam.] Vulgò ferebatur, quòd mathematici Pomposiano prædixerant, inspecta eius natiuitate, fore, vt aliquando imperaret. Hoc enim significat, habere genesin Imperatoriam. Olim Seuerus audiuit quandam in Syria fœminam nomine Iuliam, regiam habere genituram: hoc est, vt regi iungeretur: eandem vxorem petiit, & accepit: & ita quum ipse regnaret, prædicta mathematicorum de vxore comprobata sunt.

Consulem fecerit.] Videtur Vespasianus idem sensisse, quod M. Antoninus Imperator sensit, qui de Auidio Cassio, quem Verus cauendum scripserat, tanquam osorem tyrãnidis, ita rescripsit: Si Cassio diuinitus debetur Imperium, non poterimus interficere, etiam si velimus: scis enim proaui tui dictũ, Successorem suum nullus occidit.

Quandoque.] Si imperabit, sicut creditur ex genitura Imperatoria. Sextus Aurelius huiusce historiæ meminit his verbis: His monentibus amicis vt caueret à Metio Pomposiano, de quo sermo percrebuerat, regnaturum fore, Consulem fecit, alludens tali cauillo, Quandoque memor erit tanti beneficii.

Non temere.] Non sine iusta, magnáque causa.

Insons.] Innocens.

Heluidio Prisco.] Heluidius Priscus ex municipio Tarentino ingenium illustre altioribus studiis iuuenis admodum dedit, doctores sapientiæ sequutus, qui sola bona, quæ honesta: mala tantùm, quæ turpia: potentiã, nobilitatem, cæteráque extra animum, neque bonis, neque malis annumerant: gener fuit Pæti Thraseæ, ex cuius moribus nihil æquè ac libertatem hausit: ciuis, Senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitæ officiis æquabilis, opum contemptor, recti peruicax constans in aduersis erat, in exilium pulsus ruina soceri Thraseæ principatu Galbæ redierat. Hic est ille, de quo Iuuenalis:

Quale coronati Thrasea, Heluidiúsque bibebant
Brutorũ & Cassii natalibus.-

Priuato nomine.] Dixit enim, Salue Vespasiane: nec Cæsaris, nec Augusti, aut Imperatoris nomen vsurpãs, quæ principum vocabula adulatores commenti sunt.

Et in Prætura.] De Heluidii prætura Cornelius Tacitus satis multa.

Sine honore trãsmiserat.] Quum mos sit Prætorum, vt in edictis Prætoriis nomen principis cum veneratione præscribant, Heluidius in edictis suis nulla mentione honorabat Vespasianum, périnde ac æmulus Catonum, atq; Brutorũ, quibus, vt ait Tacitus, constantia, & fortitudine æquabatur. Olim Hilarius Cæsaris libertus Mar. Cluuium Rufum Hispaniæ rectorem accusauit, tanquam audito Vitellii, & Othonis principatu, propriam ipse potentiã tentasset, eóq; in diplomatibus nullum principem præscripsisset. Mos erat Argiuorum, vt Prætores comitiorum die primo velut honoris causa pronũtiarent Iouem, Apollinémq; & Herculem, post quorum nomina Philippi regis nomen adiiciebatur.

Succensuit.] Iratus est. Succensere, irasci est ex causa. Hinc illa apud Silium catholica sententia:

Sucensere nefas patriæ.-

Altercationibus.] Quintilianus altercationis præcepta tradit, quibus instructus sit altercator, qui neque turbidus, neque clamosus, neque vitio iracundiæ obnoxius esse debet. In altercatiõe plurimùm valet acumẽ.

EX officio admissionis.] Vt non modò nõ vt alios M. AN.
ad salutionis officium admitteret, sed Morboniam etiã ire iuberet, ad morbũ, quo tum cõflictabatur, alludens. Deprecantem.] Eam inuidiam precibus lenientem. Totidem ferè.] Verbis.

Atque eadem.] Verba: iubens illum Morboniam facessere.

Beneficii.] Concessæ dignitatis.

Heluidio Prisco.] De hoc, & eius libertate Tacitus plura. Priuato nomine.] Vespasianum scilicet, non Cæsarem appellarat.

Sine mentione.] Ipsius Vespasiani, etenim mos erat Cæsarum, nomina præfationibus inseri.

PHIL. Penè in ordinem redactus.] Quasi pro contemptibili habitus,& inter viles,& abie ctos connumeratus. Hoc enim significat, in ordinem redactus, sicut suo loco explicatum est. E contrario extra ordinem redacti, pro egregiis dicuntur. thor Cicero. Præterea, vt ait Liuius libro xxx. quæstus omnis patribus indecorus visus est. Meritò itaque culpatur Vespasianus nomine auaritiæ, qui negotiationes eas Imperator exercuerit, quæ & priuato pudendæ, sordidæque fuissent.

penè in ordinem redactus. Hunc quoque, quanuis relegatum primò, deinde interfici iussum, magni æstimauit seruare quoquo modo, missis, qui percussores reuocarent: & seruasset, nisi iam periisse falso renuntiatum esset. Cæterùm neque cæde cuiusquam vnquam lætatus, iustis suppliciis illacrymauit etiam, & ingemuit.

Auaritia eius, & cupiditas. XVI.



Sola est, in qua meritò culpetur, pecuniæ cupiditas: non enim contentus omissa sub Galba vectigalia reuocasse, noua, & grauia addidisse, & auxisse tributa prouinciis, nonnullis & duplicasse, negotiationes quoque vel priuato pudendas propalam exercuit, coemendo quædam tantùm, vt pluris posteà distraheret: nec candidatis quidem honores, reisve tam innoxiis, quàm nocentibus absolutiones venditare cunctatus est. Creditur etiam procuratorum rapacissimum quenque ad ampliora officia ex industria solitus promouere, quò locupletiores mox condemnaret: quibus quidẽ vulgò

Seruare quoquo modo.] Hoc faciebat Heluidii virtus quæ tanta erat, vt etiam apud principem inimicum veniam mereretur.

Renunriatum esset.] Ab his, quos miserat ad percussores reuocandos.

Iustis suppliciis illacrymauit.] Mira principis clementia, & præconio digna, qui etiam illacrymaret suppliciis eorum, qui meritò iusta de causa plectebãtur. Erat prorsus memor illius Terentianæ sententiæ, cuius iugiter meminisse nos præcipit Seneca: Homo sum, humani nihil à me alienum puto. Clemẽtia multùm magis, quàm principem, decet: cùm dos prima sit regũ, cùm insigne imperatorium obliuisci iniuriarũ, nec exerere aculeum, sed recondere.

Pecuniæ cupiditas.] Cornelius Tacitus de Vespasiano scribens ait: Prorsus si auaritia abesset, antiquis ducibus par. Atqui Sextus Aurelius hoc prauè à quibusdam creditum refert, quòd Vespasianus infirmus fuerit aduersus pecuniam, & profectò nihil magis dehonestat principem, quàm auaritia, & cupiditas ista pecuniarum inexplebilis: qua sæpe occæcati nihil aliud curant, quàm vt lien turgescat in corpore emaciato: hoc est, vt fiscus principis sit plenus, exhausta, & macescente ciuitate. Quocirca, mi inclyte Annibal, si vis amari, coli, probari, facito quod facis, ne vel tantilla suspicio auaritiæ in te residat, ne sitiens pecuniæ dicaris: scito enim pusilli animi esse inhiare diuitiis, congerere aurum, cuius sacra fames multos mortales in mille decipulas præcipitãter impegit. Mens auari principis semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum videt: gratius intuetur aurum quàm solem. Ipsa eius oratio ad deum aurũ quærit. Et ita auro mancipatus publica commoda floccipendit, curiosus tantummodo priuati emolumenti. Talis planè labes est eliminanda ab eo, qui vult esse apud suos & amabilis, & probabilis. Culpa enim hæc vel sola potissimùm in principe est pro criminibus sexcentis: sicut liberalitas est loco multiiugæ virtutis.

Negotiationes vel priuato pudendas.] Negotiatio sordida, & pudenda existimatur, nisi sit magna, & copiosa multa vndique apportãs, multísque impartiens: Au-

Vt pluris.] Maiori pretio.

Distraheret.] Cicero in 1. de Officiis, sordidos esse refert, qui mercantur à mercatoribus, quod statim vendant. Distrahere, vendere est: quod verbum frequens est apud Iurisconsultos: quo vsus est Lucilius: Diuidãt, dissipent, distrahãt.

Candidatis.] Petitoribus magistratuum.

Honores venditare.] In hoc à Vespasiano longè dissentiebat Alexãder Romanus, qui honores nunquàm vendi passus est, dicens: Necesse est, vt qui emit, vendat. Ego nõ patior mercatores potestatũ. In ærarii inopia honores vendere licet, ex quo status comparatious fit, cùm in ærarii inopia alius fert legem vt honores veneãt: alius, vt noua vectigalia instituantur: quæritur enim ex scripto, quæ potior lex sit.

Reis.] Accusatis. Reus est, qui causam dicit: & item qui quid promisit, spopõditve, ac debet. Gallus Aelius scribens de significatione verborum, quæ ad ius pertinent, Reus est, inquit, qui cum altero litem contestatã habet. Reus promittendo est, qui suo nomine alteri quid promisit, quive pro altero quid promisit. Eadem opinione est Atteius Capito. Nunc reos vocamus, qui vocantur in iudicium, de quorum re agitur. Actor, & reus opponuntur.

Procuratorum.] De procuratoribus Cæsaris existimo in hoc loco speciatim intelligẽdum, cùm aliàs procurator generali vocabulo dicatur, qui alienum negotium suscipit, atque procurat. Est enim, vt ait Cicero in oratione pro Cecinna, procurator, quasi quidam penè dominus, & alieni iuris vicarius.

M. AN. In ordinem.] Priuatorum numerum.

Redactus.] Vespasianus iurgio, & altercatione Heluidii. Magni existimauit.] Pro magno habuit negotio.

Sub Galba.] Principe, quanquam auarissimo.

Vel priuato.] Priuatæ fortunæ homini.

Pudendas.] Pudore dignas.

Distraheret.] Diuenderet.

Honores.] Magistratus.

Ampliora.] Maiora munera obeunda.

Quò locupletiores.] Factos scilicet.

Pro

pro ſpongiis dicebatur vti, quòd quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes. Quidam natura cupidiſſimum tradũt, ídque exprobratum ei à ſene bubulco: qui negata ſibi gratuita libertate, quam Imperium adeptum ſuppliciter orabat, proclamauerit, Vulpem pilum mutare, non mores. Sunt contrà, qui opinentur ad manubias, & rapinas neceſſitate compulſum ſumma ærarii, fiſcique inopia, de qua teſtificatus ſit initio ſtatim principatus, profeſſus quadringenties millies opus eſſe, vt Reſpublica ſtare poſſet. Quod & veriſimilius videtur, quando malè partis optimè vſus eſt.

Liberalitas, & magnificentia eiuſdem. XVII.


IN omne hominum genus liberaliſſimus. Expleuit cenſum Senatorum: Conſulares inopes quingenis ſeſtertiis annuis ſuſtentauit. Plurimas per totum orbem ciuitates terræmotu, aut incendio afflictas, reſtituit in melius.

PHIL. PRo ſpongiis dicebatur vti.] Eleganti translatione tales ſpongiis comparantur, quæ in morbis medentur, cùm ſiccæ aqua perfunduntur, móxque intumeſcentes inter duas tabulas exprimũtur. Et ſic impoſitæ proſunt morbis, & in primis, vt inquit Plinius, ſtomacho, & in febri contra nimios ardores. Igitur Veſpaſianus videbatur habere procuratores pro ſpongiis, quos ſiccos perfundebat diuitiis, ſicut aqua ſpongiæ perfunduntur: deinde exhauriebat, ſicut ſpongiæ exprimi ſolent. Haud abſimile eſt ſcitum illud Cynici Diogenis, qui Dionyſiũ dixit amicis vti pro vaſculis, quę dũ plena ſunt, euacuat, & abiicit vacua.

A ſene bubulco.] Præceptum Catonis eſt, vt villicus bubulcos duos habeat, ſubulcum vnum, aſinarium vnum, & optionem vnum. A bubulco vetus verbum eſt bubulcitare, quod ſignificat bubulci officio fungi. Plautus: Docet me amare, & te bubulcitare. Apuleius in primo Floridorum: Eſt apud Indos gens, quæ nihil amplius, quàm bubulcitare nouit: ideóque cognomen illis bubulcis inditum. Idem bubſequas appellat, quaſi boum ſecutores.

Gratuita.] ſine pretio.

Vulpem mutare pilum, non mores.] Per ſententiam hanc prouerbialem ſignificari voluit bubulcus, vitia ingenita nulla dignitate mutari. Nam, inquit Seneca, quicquid infixum, & ingenitum eſt, leniri poteſt arte, non vinci. Sicut igitur vulpes pilum mutat, mores verò fraudulentos nunquàm deponit, ſic Veſpaſianus pilum mutauerat, ex priuato factus Imperator, ſordes verò auaritiæ, quæ inoleuerant inſitæ à natura, nuſquam poſuerat. Conuenit huic ſententiæ illud Epigrammatarii poetæ:

Quenquam poſſe putas mores narrare futuros?
Dic mihi, ſi fias tu leo, qualis eris?

Tarandus, animal pilo veſtitum mutat colorem: Thoes, quod genus eſt luporum, habitum, non colorem, mutat: per hyemes hirtus, æſtate nudus. Tarandus, cui villus eſt magnitudine vrſorum, colorem omnium arborum, fruticum, florum, locorúmque reddit metuens, in quibus latet: ideóque rarò capitur. Multi verò ſunt hominum, qui inſtar vulpis mutant pilum, nec mores immutant. Dicebat Lyſander, quò non perueniret λεόντη, id eſt leonis pellis, vulpinam pellem eſſe aſſuendam. Quo dicto ſignificabat, vbi ius non ſatis pollet, adhibendam eſſe vulpeculæ fraudem.

Contrà.] è contrario.

Neceſſitate compulſum.] Hoc opinatur Sextus Aurelius, cùm ait, Veſpaſianum propter ærarii inopiam, & clades vrbium, nouas, neqoe poſteà habitas, vectigalium penſiones exquiſiuiſſe.

Ad manubias.] ad pecuniam prædatitiã, ſiue ad prædam Imperatoriã. Etenim manubias veteres quoque dixerunt prædam Imperatoris, ex qua quod vellet faceret. Aliâs manubiæ fulmina dicuntur: de quibus ſuo loco plura.

Aerarii, fiſcique inopia.] Differũt ærarium, & fiſcus: quum illud ſit publicum, hic principis: quod copioſiùs, vberiúſq; antè dictum eſt.

Veriſimilius videtur.] quòd non ſuapte natura fuerit auarus, ſed neceſſitate coactus eam exercuerit.

Cenſum Senatorium.] Sicut cenſus Equeſter erat quadringentorum ſeſtertiorum, ita Senatorius octingentorum milliũ ſumma taxabatur: quē Auguſtus ampliauit vſqoe ad duodecies centies.

Quingenis ſeſtertiis annuis.] Eadem liberalitate vſus eſt Nero in Meſſalam conſularem, cuius paupertatem, vt inquit Tacitus, ſuſtentauit quingenis ſeſtertiis in ſingulos annos. Idem Aurelio quoque Cottę, & Antonio annuam pecuniam ſtatuit, quanuis per luxum habitas opes diſſipaſſent.

Terræmotu afflictas.] Scribit Euſebius Chronographus, tres in Cypro ciuitates, principe Veſpaſiano, terræmotu corruiſſe. Cauſas tremoris terræ in ſuperioribus explicauimus ex ſententia philoſophorum.

Reſtituit in melius.] Sextus Aurelius: Per omnes terras, quà ius Romanum eſt, renouatæ à Veſpaſiano vrbes ſunt cultu egregio.

PRo ſpongiis.] Sed cur pro ſpongiis dixerit, ſtatim ſubiicit. M. A N.

Bubulco.] boum cuſtode.

Gratuita.] gratis, ac ſine pretio petitã.

Vulpem pilum mutare, non mores.] quaſi dicat, ne Imperii quidem amplitudinem quicquam ex eius auaritia mutare potuiſſe.

Manubias.] De manubiis ſemel atque iterum diximus.

Malè partis.] per hos ſcilicet pudendos quæſtus.

Optimè.] in communem vſum.

Liberaliſſimus.] fuit.

Cenſum Senatorium.] quem dixit duodecies centies ſeſtertiûm ab Auguſto taxatum.

Cultus in omnes, & præcipuè doctos. XVIII.

INgenia, & artes, vel maximè fouit. Primus è fisco Latinis, Græcísq; rhetoribus annua centena constituit. Præstãtes poetas, necnon & artifices coemit. Item colossi refectorem insigni cõgiario, magnáque mercede donauit. Mechanico quoque grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit, operam remisit, præfatus sineret se plebeculam pascere pane.

Ludi per eum editi, & conuiuia. XIX.

LVdis, per quos scena Marcelliani theatri restituta dedicabatur, vetera quoque acroamata reuocauerat. Apollinari

PHIL. CEntena.] Sestertia.

Rhetoribus annua.] Scito, mi Annibal ornatissime, bonas artes honore nutriri: & hoc specimen florentis esse Reipublicæ, vt disciplinarum professoribus præmia opulenta pendantur. Vbi enim virtus honoratur, ibi vigent ingenia, florescunt professores, disciplinæ in fastigio collocantur. Et profectò maxima laus est principis, fonere eruditos, fauere professoribus, rationem cũ primis habere gymnasii literatorii. Detestãdus sanè est Imperator ille Licinios, qui propter inscitiam immodicã, adeò literis erat infestus, vt eas virus, ac pestem publicã nominaret. Dionysius etsi non admirabatur eruditos, tamen domi sophistas, & literatos multos alebat, vel ob hoc saltẽ, vt per illos esset admirationi. Nimirum eruditi sunt, qui nomina principũ commendant immortalitati, qui velut buccinatores, præconesque diuturni personant in auribus posterorum: quorum scriptio emuncta nos docet quis fuerit Alexander, quis Cæsar, quis Cyrus, quid memoratu, relatúque dignum egerint Græci, quid Persæ, quid Romani: qui omnes velut inglorii ignorarentur, nisi doctorũ præconio forent celebrati. Præcipit Socrates Platonicus, vnumquenque, cui famæ cura est, cauere cum primis debere, ne poeticum, eruditúmque hominem habeat infensum: quum docti vim maximam habeant in vtranque partem, & ad laudandum, & vituperandum: qui chartario calamo plurimùm prodesse possunt, vel obesse. Igitur esto amator, fautor, adminiculator professorum, & eruditorum, quorum sermocinatione literata Alexander Romanus Imperator se recreari dicebat, & pasci: qui & ipse exemplo Vespasiani salaria instituit rhetoribus, grammaticis, & id genus professoribus: qui amauit literatos homines vehementer, eos reformidans, ne quid de se asperum scriberent.

Præstantes poetas.] Laudatur à doctis vt mira, ac eximia Vespasiani liberalitas, quòd quingenta sestertia Saleio Basso poetæ absolutissimo donasset.

Colossi refectorem.] Colossus à Vespasiano erectus est altitudinis pedum centum & septem.

Insigni congiario.] Munere Imperatorio.

Mechanico.] Artifici perito mechanicæ: de qua meminimus in superioribus. Alexander Romanus Imperator instituit salaria mechanicis: &, vt author est Lampridius, mechanica opera Romanorum plurima instituit. Qui in x v. parte Sagittarii habuerit horoscopũ, erit mechanicus, qui, vt ait Maternus, instrumenta belli faciat. Mechanicis artibus excelluit Archimedes ille Syracusanus, quẽ Marcellus lugubri mœrore defleuit, eúmq; Briareum appellitabat, périnde ac centimanũ.

Grandes columnas perducturum.] Idem Archimedes machinator tormentorum bellicorum scientissimus scripsit ad Hieronem, quodcunque onus arte mechanica moueri posse: qui olim gloriabundus iactasse fertur, si quem alterum nactus terræ globum esset, se hunc orbem ad illum translaturum. Id cùm Hieron admiraretur, tanquam incredibile factu, nauem onerariam solito onere onustam, procul assidens, nullo corporis conatu, quieta manu adeò facile duxit, vt mari perlabi videretur.

Pro commẽto.] Pro excogitata ratione columnarum perducendarum in Capitolium.

Operam remisit.] Noluit vt perduceret, condonato labore, operáq; perducendi.

Sineret plebeculam pascere pane.] Dictum Imperatore dignissimũ: quo significauit Vespasianus non debere principem in ædificando parcere impensæ, vt ita operarios pauperes, & egenos pascat pro opera præstita. Nã si à mechanico exigua impensa in Capitolium colũnæ perductæ fuissent, operarii, qui huic negotio erant adscripti, perdidissent cibum, quo alebantur ob operam impensam. Plebeculam intelligi voluit operarios viliores, & victum ex opera quotidiana quæritantes. Persius eadem dictione vsus est:

Est vbi commota feruet plebecula bile. Soler illustris pater tuus Ioannes Bentioolus consimilem penè vocem, nec minori laude dignam vsurpare, quum ait ædificandum esse vel ob hoc, vt ita pascantur egentes innumeri, qui pro operis diurnis accipiant ab ædificatore victum diurnum & mercedulam, qua profestis diebus se reficiant. Non diu est, quòd Aristoteles ciuis noster mechanicus longè omnium præstãtissimus, turrim ex sua sede mouit, motámque arte mechanica in alium haud longè dissitum locum transportauit. Nõ est mendacio locus, cùm adhuc supersint, qui videre.

Marcelliani theatri.] A Marcello ex Octauia Augusti sorore genito Marcellianum theatrum dictum est: de quo in Augusto satis.

Acroamata.] Quæ sint acroamata copiosè explicanimus in 1 1. Commentario. Illud adde, acroamata dici non solùm ipsas voces, & verba, sed ipsos quoque histriones, enarratorésque acroamatũ vocales. In quo significatu dictum est illud à Lãpridio, quòd Alexãder Romanus Imperator nanos, & nanas, & moriones, & vocales exoletos, & omnia acroamata, & pantomimos populo donauit. Itidẽ possent acroamata hoc in loco videri dicta tam pro hominibus, quàm pro verbis. Plinius in Epistolis ait: Interdum acroamata audiebamus, interdum iucundissimis sermonibus nox ducebatur.

INgenia.] Viros ingenio præditos. M. AN.

Primus.] Imperatorum.

Centena.] Sestertia centum millia nummûm.

Coemit.] Pretio quæsiuit.

Colossi.] Eusebius colossi huius meminit: Colossus, inquit, erectus habens altitudinis pedes centum ac septem.

Mech

tragœdo quadringenta, Terpno, Diodoróque citharœdis ducena, nonnullis centena, quibus minimum quadragena sestertia super plurimas coronas aureas dedit. Sed & conuiuabatur assiduè: ac sæpius rectè, ac dapsilè, vt macellarios adiuuaret. Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita & Calendis Martii fœminis: & tamen ne sic quidem pristinæ cupiditatis infamia caruit. Alexandrini Cybiotaten eum vocare perseuerauerunt, cognomine vnius è regibus suis turpissimarum sordium. Sed & in funere Fauo Archimimus personam eius ferens, imitánsque (vt est mos) facta ac dicta *viri, interrogatis palàm procuratoribus, quanti funus, & pompa constaret: vt audiuit sestertiûm centies,

*Pterino PHIL. *viui

Mechanico.] Vili, vt Festus interpretatur, artifici.

Pro commento.] Sola innentione.

Operam remisit.] Nec ad id præstandum coegit.

Marcelliani theatri.] Huius in Augusto mentio facta est.

Acroamata.] Auditu digna.

Tragœdo.] Scenico, actoríq; tragœdiarum.

Quadringenta.] Scilicet sestertia dedit.

Minimũ.] Quibus dedit minimũ, saltem dedit sestertia quadragena: ex quo liberalitas principis in artifices declaratur.

Super coronas.] Præter coronas, eã quoque summã pecuniæ dono dedit.

Rectè.] Recta exhibita cœna soli tum conuiuari Vespasianum signat: de qua Martialis:

Promissa est nobis sportula, recta data est.

Relege quæ dicta sunt de cœna recta in Augusto.

Dapsilè.] Abundanter, & affluẽter. Græcè enim δαψίλεια largitas, & abundantia rerum nuncupatur: dapsilis abundans: qua dictione & Latini freqnẽter vsi sunt. Plautus in Aulularia: Istas magnas factiones, dotes dapsiles nihil moror. Apuleius libro vltimo de Asino aureo, dapsilem copiam facundiæ vocat, pro vberi, larga, & opulenta.

Vt macellarios adiuuaret.] Qui cõuiuia lautiora facit, & crebriora, is adiuuare dicitur macellarios, à quibus emit obsonia. Ita enim magno annona macelli venditur, & eius pretia augentur. In hanc sententiam M. Varro in III. de re rustica ait eleganter: Sed vt ad hunc bolũ peruenias, opus erit tibi aut epulũ, aut triũphus alicuius: vt tunc fuit Scipionis, Metelli, aut collegiorum cœnæ: quæ tunc innumerabiles excandefaciunt annonam macelli.

Sicut Saturnalibus apophoreta viris.] Suprà memorauimus, apophoreta dici munera Saturnalitia, & ea propriè, quæ remitti solent. Hæc Vespasianus sicut viris dabat in Saturnalibus, ita eadem fœminis quoq; dabat Calendis Martiis: quæ erant Saturnalia fœminarum, sicut ostendit Epigrãmaticus poeta illo hendecasyllabo ad fœminam:

Scis, puto, vestra iã venire Saturnalia, Martias Calẽdas.

Plautus in Milite: Da mi vir Calendis mittam cùm Martiæ venerint. Nam tunc fœminis munera missitabantur: quia Calendæ Martiæ, vt inquit Porphyrio, matronarũ dies festus erat, & Matronalia dicebatur: quas eleganter Iuuenalis fœmineas vocat, perinde ac fœminis peculiariter dicatas. Sic enim ait:

Munera fœmineis tractas secreta Calendis.

Præterea mense Martio ingrediente ita seruis cœnas matronæ apponebant, vt domini Saturnalibus. Causa autem cur Calendis Martiis Matronalia celebrarentur, & mulieribus munera mitterẽtur, videtur fuisse, quòd ea die antiquitus Sabinæ, habito matronali concilio, in Iunonis æde, ex Hersiliæ consilio progressæ in medias acies Romanorum, & Sabinorum diremerũt pugnam, & generos soceris, & soceros generis consociarunt. Ex hoc institutum esse autumat Ouidius in Fastis, vt Calendas Martias matronæ celebrarent.

Pristinæ cupiditatis.] Prioris auaritiæ.

Cybiotaten vocare.] Suprà dictũ est, Vespasianum apud Alexandrinos commoratum fuisse, ibíque Imperatorem consalutatum, à quibus & Cybiotates vocabatur, tanquam esset ita sordidus, & auarus, sicut fuerat olim vnus ex regibus Alexandriuorum cognominatus Cybiotates. Nanque singuli Aegyptiorum reges, vt inquit Eusebius, propriũ nomen habuerũt, qui generali vocabulo Ptolemæi dicũtur, Pharaones ab Ecclesiasticis scriptoribus nũcupari, quod nomen est regiæ dignitatis, sicut antè memorauimus. Sordes autem ad auaritiam referũtur. & Horatius sordidum victum distare ait à tenui, parcóque victu.

In funere.] In exequiis Vespasiani.

Fauo.] Nomen proprium principis mimorum, sicut Plato & Cato.

Archimimus.] Princeps ludionum, scenicorúmq;: sicut Archigallus dicitur princeps, primatiúsque Gallorum Cybeleiorum.

Personam eius ferens.] Adhibitus erat funeri Imperatorio, vt ritu histrionico sustineret personam Vespasiani, & perinde ac Vespasianus loqueretur.

Viri.] Vespasiani.

Procuratoribus.] Qui funus procurauerant, & impensam funeralem pro dignitate fecerant.

Pompa.] Funebris.

Paterno.] Citharœdo huic, credo, cui Nero impensè operam dedit. M. AN.

Rectè.] Rectam, & legitimam cœnam exhibens, quæ posteà à Domitiano sublata est, sportulæ vsu pro cœna inducto.

Dapsilè.] Largè, abundè, liberaliter: Græci δαψίλειαν largitatem vocant.

Macellarios.] A quibus obsonia coemerent.

Apophoreta.] Munera à remittendo dicta. Nouissimus Martialis liber Apophoreta inscribitur.

Calendis Martii.] Martiis enim Calendis veteri instituto mulieribus munera mittebantur. Iuuenalis:

Munera fœmineis tractas secreta Calendis.

Propertius: Martis Romani festæ venere Calendæ:
Exoriens nostris hic fuit annus auis.
Et vaga nunc certa discurrunt vndique pompa,
Pérque vias vrbis munera, pérque domos.

Cybiotaten.] Vt sit cognomen Aegyptii regis auarissimi, qui sordidos quæstus viuus olim sectatus esset.

Turpissimarum sordium.] Studiosum subaudi.

Fano.] Nomen mimi proprium.

Eius.] Vespasiani.

Procuratoribus.] Funeris sui locatoribus.

exclamauit, centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tyberim proiicerent.

Statura corporis, & membrorum, ac ualetudo eiusdem. XX.



STatura fuit quadrata, compactis, firmísque membris, vultu veluti nitentis. Vnde quidam vrbanorum non infacetè: Siquidem petenti, vt & in se aliquid diceret, dicã, inquit, quum ventrem exonerare desieris. Valetudine prosperrima vsus est, quanuis ad tuendã eam nihil ampliùs quàm fauces, cæteráque membra sibimet ad numerum in sphæristerio defricaret,

PHIL. EXclamauit.] Tanquam esset verus Vespasianus, qui ob auaritiam indignaretur, tantam impensam in funere suo factam fuisse.

Se vel in Tyberim.] Ita sub persona mimica pulsabatur Vespasianus, tanquam pluris faceret pecuniam, quàm Imperatoriũ funus, & sepulturã.

Statura quadrata.] Obseruauimus curiosè apud Celsum, & Columellã, staturam quadratã dici, quæ neque longa, neq; breuis sit, sed inter vtrunque temperata. Sic enim ait Columella de canibus scribens: Probatur quadratus potiùs, quàm longus, aut breuis. Itidem alio loco: Quare status eius longior, productiórque ad hos casus magis habilis est, quàm breuis, aut etiam quadratus. Item de gallinis ait: Sint matrices robusti corporis, quadratæ, pectorosæ, magnis capitibus. Celsus ait in secundo: Corpus habilissimum quadratum esse, neque gracile, neque obesum. Nam longa statura vt in iuuenta decora est, sic matura senectute conficitur: gracile corpus infirmum, obesum hebes est. Igitur Tranquillus significare volens Vespasianum fuisse neque procera, neque breui statura, sed intermedia, eleganter dixit quadrata.

Compactis.] Solidis, & musculosis.

Vultu veluti nitentis.] Talis erat Vespasiani vultus, qualis est hominis cum nisu exonerantis aluum, quæ adstrictior sit. Talis enim solet cum labore, & conatu niti, vt expellat duriora. Consimile est illud Martialis:

Nam faciem durum Phœbe cacantis habes.

Vrbanorum.] Facetorum, & dicaculorum. Vrbanum fuisse Demosthenem dicunt, dicacem negant: in Cicerone mira quædam fuit vrbanitas.

Non infacete.] Scilicet dixit festiniter.

Petenti.] Vespasiano.

In se.] More vrbannrum, qui nec principibus quidem parcunt, dum risum moueant.

Cùm vẽtrem exonerare desieris.] locus est vrbanissimus, nec minùs mordax in principem, cuius vultus similis erat exonerare volenti ventrem.

Ad nnmerum defricaret.] Asclepiades inter medicinas communium auxiliorum in primis professus est fricatinnem corporis esse vtilissimam. Plinius in XXVIII. medicinis pendentibus ab homine annumerat fricatlonem: quæ si vehemens fuerit, spissat, lenit, mollit, multa adimit corpus, auget modica. Cor. Celsus in secundo caput facit defrictione luculentum, quo reprehendit eos, qui numero fininnt, quoties aliquis perfricandus sit. Id enim ex viribus hominis colligẽdum est: & si is perinfirmus est, potest esse satis quinquagies: si robustior, potest ducenties esse faciendum: tamen Vespasianus contra Corn. Celsi præscriptum defricabat membra ad numerum.

In sphæristerio.] Sphæristerium, locns erat rotundus, variis exercitationibus accommodatus: quod indicat Plinius in v. Epistolarũ, cuius verba sunt hæc: Apodyterio suppositum est sphæristerium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit. Dici autem videtur à sphærica, circularique figura. Corrigendus est obiter mendosus locus apud Iurisconsultos, vbi Digestis Mandati, in l. si quis mihi. pro sphæristerio phæristerium legitur. Verba Vlpiani Iurisconsulti hæc sunt: Cùm Aurelius hospiti suo medico mandasse diceretur, vt in hortis suis, quos Rauennæ habebat, in quos omnibus annis secedere solebat, phæristerium, hypocausta, & quædam ipsius valetudini apta, sua impensa faceret. Vbi pro phæristerium, corrige sphæristerium. Ridicula est nimirum Accursii interpretatio exponentis sphæristeriũ locum esse amœnũ herbis. Nec minùs inepta est, quæ subsequitur de hypocausto, quod ait significare subterraneam stationem: cùm hypocausta, vt id quoque in transcursu attingamus, Græco vocabulo significentur vaporandis cubiculis, balneísque præparata, quæ igne hinc effuso vaporantur. Vnde Latinè vaporaria dici possunt. Cicero in Epistola ad Quintum fratrem, Propterea, inquit, quòd ita erant posita, vt eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, esset sub tectum cubiculi. Vbi vaporarium haud dubiè accipitur pro hypocausto. Papinius in primo Syluarum meminit hypocaustorum cùm ait:

-Et tenuem voluunt hypocausta vaporem. Plinius in Epistolis, Cohæret, inquit, hypocauston: & si dies nubilus, immisso vapore, Solis vicem supplet. Idem alia quoque epistola: Applicitum est cubiculo hypocaustũ perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem, vt ratio exigit, aut effundit, aut retinet. Vitruuius appelllat hypocausin, cùm de structura balneorum scribens ait, facienda esse ænea supra hypocausin tria, caldarium, tepidarium, frigidarium. Hodie hypocaustis vtuntur Germani, & incolæ rigentis plagæ: qui etiã apud nos conficiunt hypocausta, ipsi stufas vocant ad vaporandas diætas, & cubicula, in quibus degunt. Iampridius sphæristerium capere videtur pro loco, in quo speciatim pilaris lusio exercetur: vnde quidam dictum esse autumant, à lusu pilæ, quam Græci σφαῖραν vocant. Nam & σφαιρίζω Græcum verbum est, quod significat pila ludere. Verba Lampridii ex Alexandri vita subieci, quæ sunt hæc: Post lectionem operam palæstræ, aut sphæristerio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus dabat. Qui in sphæristerio exercentur, & ludunt, hi sphæristæ eleganter dicuntur à Sidonio Apollinari, quum ait: Ecce sphæristarum contrastantium paria. Item: Sphæristarum se turmalibus constanter immiscuit.

M. AN. IN Tyberim proiicerent.] Quo damnatorum proiiciebantur corpora.

Quadrata.] Bene compacta, firma. Quadratum id dicitur, quod non nimis longum est, sed mediocritatis quodam temperamento decorum.

Vultu veluti nitentis.] Ita contracto, qualis sub pondere aliquo nitentium esse solet, aut laborinse ventrem exonerantium.

Quum

inediámque vnius diei per singulos menses interponeret.

Vitæ ordo in principatu eius. XXI.


ORdinem vitæ ferè hunc tenuit: In principatu maturiùs semper, ac de nocte vigilabat: deinde perlectis epistolis, officiorúmque omnium breuiariis, amicos admittebat: ac dum salutabatur, & calceabat ipse sese, & amiciebat. Post decisa, quæcunque obuenissent, negotia, gestationi, & inde quieti vacabat, accubante aliqua pallacarum, quas in defunctæ locum Cænidis plurimas constituerat, ac secretò in balneum, tricliniúmque transibat. Nec vllo tempore facilior, aut indulgentior traditur: eáque

Quum ventrem exonerare desieris.] Extat Martialis iocus in Phœbum huic perquam similis:

Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis:
Nam faciem durum Phœbe cacantis habes.

Ad numerum.] Vt singula membra pari confricatione curaret.

Sphæristerio defricaret.] Sphæristerium locus est in ædibus pilæ lusibus, variisque exercitationum generibus aptus.

PHIL. INediam vnius diei.] Abstinentiam dialem, quæ in primis saluberrima existimatur. Asclepiades quinque res maxime auxiliatrices professus est, abstinentiam cibi, aliàs vini, fricationem corporis, ambulationem, gestationésque. Seneca: Alius interposito ieiunio corpus exhaurit, & purgat: sed sicut vtilissima est inedia, si modica fuerit, & tempestiua, ita fit noxia, si nimia. Vnde ait Auicenna, quòd famem tolerare, perniciosum est, cùm stomachus noxiis humoribus repleatur. Legimus apud Iulium Capitolinum quòd Aurelianus, tanquam Vespasianum imitaretur, cùm ægrotaret, nunquàm medicum vocauit, sed ipse se inedia curabat. Vtilissimam autem in cibis esse temperantiam, testatur Plinius noster: neque quispiam idoneus scriptor inficiatur.

Ordinem vitæ.] Vt certus syderum cursus, ita vita hominum disposita delectat, senum præsertim. Nam iuuenes adhuc confusa quædam, & quasi turbata non indecent: senibus placida omnia, & ordinata conueniũt. Vnde Plinius neoteros, id est, iunior viuendi regulã in Spurina laudat, qui ordine quodam, & velut orbe vitam circumagebat.

De nocte vigilabat.] Scripsit Plinius, Vespasianum noctibus vti solitum, vt dierum actus noctibus, & nocturnos diebus traiiceret: quod & Heliogabalum factitasse testis est Lampridius, qui sub vesperam de somno surgebat, manè autem dormire incipiebat. Hunc viuendi ordinem tanquam reprehensibilem sic taxat Horatius in Hermogene:

-Noctes vigilabat ad ipsum
Mane, diem totum stertebat.-

Sextus Aurelius in hanc sententiam ait de Vespasiano sic scribens: Institutũ vniforme omni Imperio tenuit, vigilare de nocte, publicísque actibus absolutis charos admittere. Attamen Seneca censor Romanæ luxuriæ seuerissimus, in epistolis ad Lucilium, viuere illos contra naturam asserit, qui noctu vigilant, interdiu dormiunt, quos eleganti vocabulo Græco λυχνοβίους vocat, quasi dicas, lucernarios, siue ad lucernam viuentes.

Breuiariis.] Summariis: de quibus suo loco plura. Obiter annotandum, breuem, & breue masculino, & neutro genere eleganter, & Latinè dici in eo significatu, quo vulgus vsurpat, breuem apostolicum nominitando. Lampridius in Alexandro: Milites suos sic vbi sciuit, vt in cubiculo haberet breues, & numerum, & tempora militandum. Flauius Vopiscus in Aureliano: Breue nominum conscripsit. Item, Breue legit singulis, quorum nomina continebat.

Calceabat se ipse.] Longè in hoc dissimilis erat à luxu, & deliciis effœminatorum: qui adeò vitã, & consuetudinem membrorum humanorũ dedidicerunt, vt semetipsos nec calceare sciant, nec velint: in quos meritò retorqueri potest illud Spartanæ fœminæ, quæ cùm vidisset hospitem ministri manibus calceari, Nunquid, ô pater, inquit, hic manus non habet?

Amiciebat.] Vestiebat: vnde amictus, & amicimina, & amicula dicta.

Gestationi.] Gestationis vsum inter medicinas ab homine pendentes enumerat Plinius, & Asclepiades inter ea, quæ quisque sibi præstare remedia potest, nominauit gestationes. Sextus Aurelius sic: Vigilare de nocte, publicísque actibus absolutis, charos admittere: dum salutatur calceamenta sumens, & regium vestitum: pòst autem negotiis, quæcunque aduenissent, auditis, exerceri vectatione, deinde requiescere: postremò vbi lauisset, remissiore animo conuiuium curabat. De gestatione sic scribit Seneca in 11. Epistolarum: Gestatio & corpus concutit, & studio non officit, possis legere, possis dictare, possis loqui, possis audire: quorum nihil, nec ambulatio quidem vetat fieri.

Pallacarum.] Παλλακὴν, καὶ παλλακίδα Græci vocant, quam nos pellicem nuncupamus: quod Latinum vocabulum, cùm de Græco flexũ sit, vt inquit Gellius, inuenti sunt scriptores non proletarii, sed classici, qui dictione Græca, quàm Latina in significatu concubinæ vti maluerint. Plinius in trigesimoquinto de Alexandro loquens sic ait: Namque cùm dilectam sibi ex pallacis suis præcipue nomine Campaspen nudam pingi ob admirationem formæ ab Apelle iussisset, eúmque cùm pari captum amore sensisset, dono dedit eam. Itidem nunc Tranquillus pallacarum dixit, pro pellicum siue concubinarum.

Defunctæ Cænidis.] Antè dictum est, Vespasianum post vxoris obitum habuisse quasi iustæ vxoris loco Cænida Antoniæ libertam.

Indulgentior.] Inclinatior, pronior, facilior ad indulgentias. Ita enim vocant Imperatorias concessiones benignitatésque.

INedia.] Cibi abstinentia. M. AN.

Breuiariis.] Quid breuiarium esset, ex Annei Senecæ sententia suprà ostendimus.

Amiciebat.] Vestiebat.

Obuenissent.] Ex breuiarii annotatione primo alteróve loco oblata essent.

Pallacarum.] Concubinarum. Cænidis.] Antoniæ libertæ: quam post vxoris obitum legitimæ propè iugis loco habuit. Facilior.] Tractabilior.

Indulgentior.] Propensior, ad ea concedenda, quæ peterentur.

momenta domeſtici ad aliquid petendum magnopere captabant.

Ludi poſt cœnam, & quædam faceta eius dicta. XXII.



T ſuper cœnam autem, & ſemper aliâs *comiſſimus multa ioco tranſigebat. Erat enim dicacitatis plurimæ, & ſic ſcurrilis, ac ſordidæ, vt ne prætextatis quidẽ verbis abſtineret. Et tamen nonnulla eius facetiſſima extant, in quibus & hoc: Menſtrium Florum conſularem, admonitus ab eo plauſtra potiùs, quàm ploſtra dicenda, die poſtero Flaurum ſalutauit. Expugnatus autem à quadam quaſi amore ſui deperiret:

*cum amicis

PHIL. EA momenta captabant.] Plurimùm refert quo quis tempore principẽ adeat, & alloquatur, quem ſi intempeſtiuiter acceſſerimus, repulſam patiemur. Si verò tempeſtiuiter, voti compotes euademus. Vnde ait apud Maronem Dido ad Annam ſororem:

Sola viri molles aditus, & tempora noras. Item alibi:

-Et quæ molliſſima fandi Tempora.-

In hanc ſententiam eſt illud luculentè ſcriptum ab Ouidio:

Non adiit aptè, non legit idonea, credo, Tempora.-

Scribit Sidonius Apollinaris, Theodericum Gothorũ regem, cùm in alea vinceret, fuiſſe indulgentiſſimum: Tunc enim, inquit, petitionibus portus aperitur: tunc ego aliqnid obſecraturus feliciter vincor.

Comiſſimus.] Benigniſſimus, facillimus, ſuauiſſimus. Comes enim, vt docet M. Tullius, benigni, faciles, ſuaues homines eſſe dicuntur.

Dicacitatis ſcurrilis.] Hæc in oratore, & viro graui vituperatur: tantò magis in principe videtnr reprehenſibilis. Vnde Liuius de Philippo Macedonum rege ſcribens, Erat, inquit, dicacior natura, quàm regẽ decet: & ne inter ſeria quidem riſu ſatis tẽperans. Cicero io ſecundo de Oratore: Vitandum eſt oratori vtrunque, ne ant ſcurrilis locut ſit, aut mimicus. Item ſic in hoc ſcurrilis oratori dicacitas magnopere fugienda eſt. Quintilianus qooque in ſexto ait: Dicacitas etiam ſcurrilis, & ſcenica huic perſonæ alieniſſima eſt. Eſt autem dicacitas à diceodo dicta: propriè ſignificat ſermonem cum riſu aliquos inceſſentem. Ideo Demoſthenem vrbanũ fuiſſe dicunt, dicacem negant. Græci *βωμολόχους, καὶ βωμολοχίαν* vocant, qnos noſtri ſcurras, & ſcurrilitatem. Suidas in Etymologico plura de bomolochis tradit. Scurræ autem vocabulum à ſeqoendo tractum eſt, cùm id genus homines ſequi ſint ſoliti opulentiores. Prætextatis verbis.] Prætextatũ ſermonẽ veteres obſcœnũ appellauerũt, ab eo dictum, quòd prætextatis nefas ſit obſcœno verbo vti. Alii dici putant, quòd nubentibus depoſitis prætextis à multitudine puerorũ obſcœna clamentur. In excerptis Feſti Põpeii hæc ſententia legitur mendoſa, cùm in codice legitimo prætextatus ſermo ita explicetur, ſicut à nobis in præſentia explicatus eſt: qui ſenſus ad amuſſim quadrat cum Tranquillo. Non enim prætextata verba intelligi voluit pudica, ſed è contrario obſcœna, & laſciuientia: ſicut & Macrobius cùm ait in ſecundo Saturnalium: Hæc nobis ſit literata lætitia, & docta cauillatio vicem planipedis, & ſubulonis impudica, & prætextata verba iacientis. Obiter emendanda eſt dictio mendoſa in codicibus Macrobii: Nanque ſabulonis vulgò legitur, cùm legendum ſit ſubulonis. Eſt autem ſubulo lingua Hetruſca tibicen. Apud Ennium:

Subulo vicinat propter aſtabat aqnas.

In alio ſignificatu dicũtur ſubulones cerui, quibus ſunt cornua ſimplicia, miniméque ramoſa, ad ſubularum ſimilitudinem, vt docet Ariſtoteles in nono de animalibus. & hoc eſt, quod intelligi voluit Plinius ſic ſcribens lo vndecimo: Aliis ſimplicia tribuit, vt in eodem genere ſubulonibus ex argumento dictis. Idem in vigeſimooctauo ait: Efficacior eſt ad id ſubulo ceruorum generis. Planipes verò, vt id qooque Macrobii verbum tranſeunter explicemus, ſignificat actorem planipediæ comœdiæ. Planipedia autem dicta eſt ob humilitatem argumenti eius, ac vilitatem actorum, qui non cothurno, aut ſocco vtantur in ſcena, ſed planis pedibus, id eſt, nudis ineunt proſcenium. Vnde à plano pede planipedia fabula, & actor planipes dictus: ſicuti docent Donatus, & Diomedes. Hinc illud Gellianum ex libro primo Noctium Atticarũ: Si vt planipedi ſaltâri, ita Graccho concionâri numeros, & modos, & frequentamenta quædã varia tibicen incineret. Accius quoque ſcriptor Togatarum ait: Datum eſt aurum, exultat planipes.

Plauſtra potiùs, quàm ploſtra.] Satis notum eſt, cognationem eſſe quandam inter au, & o: vt aula, & olla. Vnde ait Priſcianus in primo: Tranſit au, io o, productá more antiquo: vt lotus, pro lautus, ploſtrũ pro plauſtrum, cotes pro cautes: ſicut etiã contrà pro o, au: auſtrum pro oſtrum, auſculum pro oſculum: frequentiſſiméque hoc faciebant antiqui: vnde & coda à Varrone & Cicerone pro cauda vſurpatur. Veſpaſianus itaque cùm videret Florum velle emendare conſuetudinem priſcorum, tanquam parum Latinè ploſtrum diceretur, ſed plauſtrum dicendum foret: locatus in nomine Flori, non Florum ſalutauit, ſed Flaurum, tanquam eadem ratione Flaurus dici deberet, non Florus, qua ille cenſebat plauſtra dicenda eſſe, non ploſtra. Diminutiuum ploſtri eſt ploſtellum. Horatius:

-Ploſtello adiungere mures.

Expugnatus.] Exoratus ad concubitum: ſicut Hiſtorici memorant Alexandrum Magnum victum fuiſſe à Thaleſtri regina Amazonum petere perſeuerãte vt ſecum concũbere vellet: quæ dicebat ſe veniſſe ad communicandos cum rege liberos.

M. AN. COmiſſimus.] Maximè comis, valdéque affabilis.

Dicacitatis.] Sermonis cum riſu inceſſentis: ſic enim Fabius dicacitatem interpretatur.

Sic ſcurrilis.] Ita ad ſcurrilitatem accedentis.

Prætextatis.] Puerilis licentiæ.

Faceta.] Ilocaliter dicta: & quaſi audiendi ſitim, vt Fabii verbo vtar, facientia.

Plauſtra.] Potiùs, quàm ploſtra: quaſi ploſtra minùs eleganter diceretur.

Flaurum ſalutauit.] Quum Florum dicere debuiſſet, ad pridianam illius alludens emendationem.

Expugnatus.] Precibus fatigatus, vt quandam ad concubitum admitteret.

Amore ſuo.] Sui elegantiùs dixiſſet.

quum perductæ pro concubitu sestertia quadraginta donasset, admonente dispensatore quemadmodum summam rationibus vellet referri, Vespasiano, inquit, adamato.

Versus Græci per eum editi. XXIII.



Tebatur & versibus Græcis tempestiuè satis, & de quodam proceræ staturæ, improbiúsque nato:

Μακρὰ βιβὰς κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.

Et maximè de Cerylo liberto, qui diues admodū ob subterfugiendum quandoque ius fisci, ingenuū se & Lacheten, mutato nomine, cœperat efferre, ὦ λάχης λάχης, ἐπὰν ἀποθάνης αὖθις ὡς ἐξ ὑπαρχῆς ἔσῃ σὺ κήρυλος. Maximè tamen dicacitatem in deformibus lucris affectabat, vt inuidiam aliqua cauillatione dilueret, transferrétque ad sales. Quendam è charis ministris dispensationem cuidam quasi fratri petentem quum distulisset, ipsum

PHIL. Perductæ.] Adductæ ad concubitum Vespasiani. Significanter autem locutus est: cùm perductores, authore Asconio Pediano, in hoc differant à lenonibus, quòd lenones sunt scortorum, perductores earum personarum, in quibus stupra exercita legibus vindicantur.

Summam rationibus referri.] Dispēsator Cæsaris in ratioonario diligenter referre solet omnem pecuniam nomine principis expensam, & caussam adscribere: verbi gratia, vt ita scribat, Pro ædificāda villa centum dedi, pro coemeoda supellectile ducena: nunc itaque dispensator, rationibúsq; præpositus, cùm oe sciret quomodo hæc summa dono data fœminæ pro concubitu in codice expensi esset refereoda, interrogauit principē, quemadmodum vellet in libro perscribi: ille facetissimè dixit, Pro adamato Vespasiano: tanquam id diuersom foret à consuetudioe commnoi. Solent enim amantes, nō amati, erogare pecuniam, vt voti cōpotes existant: sed quia illa dixerat se amore Vespasiani deperire, eleganter, & festiuiter ita referri iussit in codicem ratiociniorum. Sic tu qooque, inclyte Annibal, si vnquam à puella ioui tatus fueris ad palæstram Veneream, móxque ex tua liberalitate illam munere amatorio donaueris, poteris in rationario summam expensam ita referre, Pro Anniba le adamato. Heliogabalus eunuchos rationibus præpositos habuit.

Improbiùs nato.] Ex sordido loco natum, veluti spurium notare videtur.

Μακρὰ βιβάς.] Versus est ex VII. Iliados rhapsodia, qoo describitur Aiax dum vadit in Hectorem pleno gradu, ingenti corpore, sublimi dextra trabalem lanceam quatiens. Sic autem ioterpretari potest: Longis passibus vadens, quatiens hastam vmbræ longioris. Vespasianus ad proceram staturam illius, quem taxabat, alludens retulit hoc carmen, tanquam in homine nihil foret præter proceritatem: sicut nos è contrario de homine pusillo interdū dicere solemus, Pygmæo breuior gruem timenti.

Ob subterfugiendum fisci.] Ne fisco id tributum ferret, quod libertini ex prisco more pendebant. Tempore secundi Punici belli decretum fuit vt libertinæ fœminæ pecuniam pro facultatibus suis conferrent, ex qua donum daretur Feroniæ, quæ dea est libertinorū.

ὦ λάχης] Latinè sic ioterpretatur: O Laches Laches, quando mortuus fueris, iterum dicêris Cerylus. Et ita significari voluit nomiois mutatiooem nihil illi profuturam ad subterfugiendum.

Cauillatione.] Seneca, & Cicero cauillationes dixerunt, quæ Græcè sophismata noncupantur. Hic cauillatio accipitur pro cauillo dicaculo, & facetosa vrbanitate: aliâs signat irrisionem.

Dilueret.] Resolueret, refelleret, & quasi mitiorem redderet: sicut vinom dicimus aqua dilutū. A. Gellius: Sicut fecisse Ciceronem scriptum est, cùm id, quod inficiari non poterat, vrbano, facetóque dicto diluit. Dicuntur oratores in caussis agendis diluere argumentationes aduersarii, quando per refutationem obiecta refutāt. Apuleius: Mihi iam dudum satis est, si non modò crimina obiecta plenissimè dilui.

Ad sales.] Ad salsa dicta, & ridicularia. Plinius lo trigesimoprimo, cap. VII. Vita humanior sine sale nequit degere: adeóq; necessarium elementum est, vt transirit intellectus ad voluptatem animi quoque. Nam ita sales appellantur, omnísque vitæ lepos, & somma hilaritatis, laborúmque requies, non alio magis vocabulo coostant. Hinc illud Lucani,

Non soliti lusere sales.

Et Terētii: Qui habet salem, qood in te est. & Catulli,

Nulla in tam longo corpore mica salis. Quod, vt interpretatur Quintilianus, significat nihil in corpore esse r[…]culum.

Cuidam quasi fratri.] Sensus est: Quidam fauorabilior apud principem ab eo petiit dispensationem aulicam dari cuidam, quē sibi fratris loco esse asseuerabat, vt res foret impetrabilior: Vespasianus, vtpote solers veterator, seuocauit illum petitorem dispensationis, sciscitatúsque est quantam pecuniam pactus esset se daturum ministro suo pro impetrāda, quam cupiebat, dispensatione: quo cognito eam pecuniam exegit ipse, & sine intercessione alterius dispensationem tribuit. Iocatus mox in ministrum, quòd hic, quem appellauerat fratrem, factus erat sibi frater: tanquam more fraterno secum partiario pecuniam diuisisset.

M. AN. Perductæ.] Ad concubitum admissæ.

Adamato.] Ad meretriculæ professionem respexit, quæ se illum ardenter amare prædicabat.

Μακρὰ βιβὰς κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.] Lōgè vadens, vibrānsque longioris vmbræ hastam. Ex secundo Iliados somptum. Ius fisci.] Cui libertinæ cōditionis erant obnoxii. *ὦ λάχης λάχης, ἐπὰν ἀποθάνῃς αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς ἔσῃ κήρυλος.* O Laches Laches, postquàm mortuus fueris, statim vt à principio habeberis Cerylus. Ad sales.] Ridicula verba. Dispensationē.] Haud memini me vspiam legisse candidatos ad dispensationem petendam procedere solitos, nisi metaphoricôs dictum accipias: sed vide ne dispensatorem quendam è charis ministris sit legendum.

Petentē.] Solenni more pro cādidato, cum quo pactus erat pecuniam, tanquam pro fratre supplicantem.

Quum

candidatum ad se vocauit, exactáq; pecunia, quantam is cum suffragatore suo pepigerat, sine mora ordinauit. Interpellanti mox ministro, Alium tibi, ait, quære fratrem: hic, quẽ tuum putas, meus est. Mulionem in itinere quodã suspicatus ad calceandas mulas desilisse, vt adeunti litigatori spatium, morámque præberet, interrogauit, quanti calceasset, pactúsque est lucri partem. Reprehendenti filio Tito quòd etiam vrinæ vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admouit ad nares, sciscitans num odore offenderetur: & illo negante, Atqui, inquit, è lotio est. Nuntiantibus legatis decretam ei publicè non mediocris summæ statuam colosseam, iussit vel continuò ponerent,

Quum distulisset suffragium suum.] Aut, si nihil placet mutare, quum non statim annuisset, sed in aliud tempus rem distulisset.

PHIL. Candidatum.] Peritorem dispensariotis: nam, vt alibi dictum est, candidatus generali vocabulo non solùm petitor magistratuum dicitur, sed aliarum quoq; rerum: sicuti docet testimonia eruditorum, ad quæ périnde atque ad anchoram confugimus.

Cum suo suffragatore.] Cum ministro opitulatore, administratoréque, qui apud principẽ suffragabatur, amico pro dispensarione.

Interpellanti.] Interponenti principis actioni. Aliâs interrumpenti mediam alterius orationem: hoc enim significat interpellare.

Ad calceandas mulas.] Calceantur mulæ, quando soleis ferreis, veluti calceatu, muniũtur. Dixit Plinius, camelos in longiore itinere sine calceatu fatiscere.

Adeũti litigatori morã præberet.] Sensus est: Dum Vespasianus faceret iter, mulio carrucarius, qui principis carrucã regebat, desiliẽs ad terrã fecit subsistere mulas, tanquã discalceatæ deperditis soleis iterũ forent calceandæ: existimauit Vespasianus hoc fieri, vt litigator nescio quis data mercede mulioni haberet occasionẽ ad se accedendi, & litẽ suam explicandi: vnde festiuiter ad mulionẽ: Dic mihi, inquit, quantũ lucrum fecisti, dũ calceas mulas? vel potiùs calceare te simulas? quasi dicere vellet, quantam pecuniã accepisti ab hoc litigatore, vt sub hoc prætextu posset otiose satis rem suam declarare? mulio confessus est de lucro, & id partitus est cum Vespasiano.

Vrinæ vectigal.] Sordidum profectò vectigal, & ex re sordidissima repertum, miniméque principi conueniens: quod hoc, opinor, pacto excogitauit: Romæ in angiportis, & in angulis vicorum, amphoræ antiquitus erant collocatæ, in quibus transitores ebrii, & vinolenti vrinæ libidine lacessente, meiere solebãt: quod indicat Caius Titius vir ætatis Lucilianæ, in oratione, qua legem Faniam suasit, cuius verba subiecimus: Dum meiunt, nulla est in angiportu amphora, quam non impleant: quippe qui vesicam plenam vini habeant: veniunt in comitium tristes, iubent dicere: quorum negotiũ est narrãt: iudex testes poscit, ipsus it mictum: vix præ vino sustinet palpebras. hæc Titius. Ex hoc coniectamus, Vespasianũ nouũ, sordidúmq; tributũ reperisse pro amphoris in vrbe reficiendis, quibus vesicæ commeãtium exonerabantur. Potest referri id vectigal ad vrinam, qua fullones vtuntur: quos ob vrinæ tractationem tentari podagra negat Plinius: vrina enim podagris medetur.

Commentus.] Excogitasset, Inuenisset.

Ex prima pensione.] Solent tributa pluribus pensionibus persolui: sicut Carthaginiẽses à Romanis mulctati fuerunt, vt decem millia talentûm auri descripta pensionibus æquis in annos quinquaginta soluerent.

Admouit ad nares.] Apposuit, alludens ad vrinam, quæ admota naribus infestat olfactum. Vrina pessima est, atq; mortifera nigra, crassa, mali odoris. Doctrinæ, si in spurcũ vas mittantur, vt dicebat Epictetus, computrescunt, fiúntque vrina fœtidiores, spurcioresque.

Atqui.] Sed: aduerbium est.

E lotio est.] Ex vrina est hæc pecunia: tanquam sententiam illam Iuuenalis docere vellet esse verissimã: Lucri bonus odor est ex re qualibet. Interrogatus Bias quidnam faciẽs homo delectaretur, lucrans, inquit. Lotiũ autem Latinum vocabulum est, & vetus, quod significat vrinam. Apuleius in Asino aureo: Nudus, & frigidus, & lotio perlitus, quasi vtero matris recèns editus.

Publicè.] A suis populis, vnde legati veniebant.

Colosseam.] Ad colossi magnitudinem. Alexander statuas colossas locauit: alio nomine colossica, & quasi συγκριτικῶς colossicotera signa dicta. Flos cyclamini à Plinio dicitur colossinius ob altitudinem.

Continuò.] Statim.

Candidatum.] Eum, pro quo petebatur. Fuerunt olim qui candidati principis, aut Cæsaris potiùs dicerentur, non Quæstores quidem, sed quicunq; candidati, id est magistratuum petitores in comitiis. Tranquillus in Augusto: Quoties magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circuibat, supplicabátq; more solenni. Candidatos Augusti Tranquillus appellat eos petitores, quos ipse populo commendabat. M. AN.

Vocauit.] Vespasianus.

Exacta.] Expressa.

Suffragatore.] Id est, ministro illo, qui pro candidato supplicabat.

Ordinauit.] Si nihil mutandum sit, dispensatorem instituit: si verò aliter legendum, suo suffragio, & authoritate quæstorem, ædilémve, aut quid aliud declarandum curauit.

Suspicatus.] Vespasianus.

Calceandas mulas desilisse.] Ferreis soleis muniendas.

Adeunti litigatori.] Sensus est: Suspicatus Vespasianus mulionem suum desiliisse ad calceandas mulas, vt adeunti litigatori, id est vt litigator, dum mulæ calcearentur, per otium sibi dicere posset quæ vellet: ac per hoc ille pecuniam aliquam ob eam moram mulioni dedisset.

Interrogauit.] Vespasianus à mulione petiit.

Quanti calceasset.] Hoc est, quantam pecuniam cum litigatore calceandi prætextu pepigisset.

Pensione.] Vectigalis exactione.

Odore.] Fœtore aliquo.

E lotio.] Ex vrina.

Colosseam.] In speciem colossi.

Cauam

cauam manum ostentans, & paratam basim dicens. Ac ne in metu quidem, ac periculo mortis extremo abstinuit iocis. Nam cùm inter prodigia cætera Mausoleum Cæsarum derepentè patuisset, & stella in cælo crinita apparuisset: alterum ad Iuliam Caluinam è gente Augusti pertinere dicebat: alterum ad Parthorum regem, qui capillatus esset. Prima quoque morbi accessione, vt (inquit) puto, deus fio.

Infirmitas, & mors eiusdem. XXIIII.



Onsulatu suo nono tentatus in Campania motiunculis leuibus, ac protinus Vrbe repetita, Cutylias, ac Reatina rura, vbi æstiuare quotannis solebat, petiit. Hic quum super vrgentem valetudinem creberrimo frigidæ aquæ vsu etiam intestina vitiasset, nec eò minùs muneribus Imperatoriis ex consuetudine fungeretur, vt etiam legationes audiret cubans, aluo repentè vsque ad defectionem soluta,

PHIL. Cauam manū.] Latenter petiit pecuniam sibi repræsentari decretam ad statuā erigendā. Nam quemadmodum basis fultura est, & fundamentum statuæ erigendæ, ita manus caua erat instar basis ad pecuniam statuæ capiendam. Non inuenuste bases in pedibus humanis dicūtur, quibus corpus fulcitur. In Actibus Apostolorum: Consolidatæ sunt bases eius, & plantæ.

Nec in periculo mortis.] Sextus Aurelius: Seriis ioca, quibus delectabatur, admiscens interiit. Consimilis fuit Adrianus, qui moriens hos versiculos lusisse dicitur: Animula vagula, blandula, hospes, comesq; corporis, quæ nunc abibis in loca pallidula, rigida, nudula, nec, vt soles, dabis iocos.

Mausoleum.] Sepulcrum Romanorum Imperatorum: de quo suprà satis multa.

Patuisset.] Nulla euidenti ratione patefactum fuisset: ex cuius patore, siue apertura videbatur portendi mors Vespasiano, ad quem recipiendum foret sepulcrum sua sponte reclusum, ac patefactum.

Stella crinita.] Cometes.

Ad Iuliam Caluinam.] Cùm prodigia sint subobscura, & perplexa, Vespasianus prodigium sepulcri Cæsarum patefactum, non ad se pertinere dicebat, qui non erat ex gente Iulia: sed ad fœminam è gente Augusti, à quo mausoleum fuerat extructum: tanquam illa proximior foret cōditori, quàm ipse, & talia proximioribus minitari videantur.

Alterum ad Parthorum regem.] Scilicet prodigiū de stella crinita.

Capillatus esset.] Cùm cometes sit sydus capillatum, & comarum modo in vertice hispidum, festiuiter Vespasianus dixit, id prodigium pertinere ad regem Parthicum, qui ita capillatus erat, vt stella crinita crine sanguineo apparuerat: & ita ex nomine & effigie docebat sales. Sextus Aurelius: Cùm crinitum sydus apparuisset, Istud, inquit, ad regē Persarū pertinet, cui capillus effusior. Persæ, vt inquit Strabo in v. gestant pileum turritum, & tiaras Magorum infulis similes, & sindonii panni volumen.

Vt puto, deus fio.] Id est, morior. Nam post mortē Cæsares referebantur in numerum deorum. Vnde quicunque Cæsarum dū agit animam, eleganter dicere potest, se deum fieri: cùm per mortem transeat ad diuinitatem, qua mox est consecrandus. Nam, vt docet Tacitus, deûm honor principi non antè habetur, quàm agere inter homines desierit.

Tentatus motiunculis.] agitatus minutis alui lubricæ motionibus, & quibusdam quasi punctiunculis, & verminationibus: quæ, vt ait Seneca, primo motu vexant. Sic autem dicitur motiuncula ὑποκοριστικῶς, vt legiuncula, & procuratiuncula, exceptiuncula.

Cutylias petiit.] In agro Reatino Cutyliæ lacus est, in quo fluctuat insula, quam vmbilicum Italiæ esse M. Varro tradit. Plin. quoque in secūdo ad Cutylias aquas syluam semper fluctuantē memorat, quæ nunquam die, ac noctu eodem loco visitur.

Vbi æstiuare.] Aestiua agere, & æstiuo tempore morari.

Aquæ vsu.] Designat, vt opinor, aquas Subcutylas, quæ in Sabinis gelidissimæ sunt, &, vt author est Plinius in xxxi. suctu quodam corpora inuadunt, vt propè morsus videri possit: asperrimæ tamen stomacho, neruis, & vniuerso corpori. Aquam potui insalubrem esse, medicorum schola testatur. Deterrimam verò illam esse, quæ fit ex diluta niue Aristoteles tradit, caussámq; adscribit in Problematibus. Plinius in xxiii. refert, potum aquæ carnes alere, ideóq; minus ruboris esse in corporibus illis, & minus roboris, contráque labores patientiæ.

Muneribus.] Officiis.

Cubans.] In lecto ægrotus iacens. Horatius:

Trās Tyberim lōgè cubat is prope Cæsaris hortos.

Aluo ad defectionem soluta.] Facto ventris profluuio, quo periit.

M. AN. Paratam basim.] Manum scilicet cauam fore fundamentum colossi, ad destinatam illius conflationem alludens.

Mausoleum.] Iuliæ gentis sepulcrum, quod in campo Martio fuit. De Mausoleo Plinius in xxxvi. capite v. Opus id vt esset inter septem miracula, ii maximè artifices fecere: Patet ab Austro & Septentrione sexagenos ternos pedes. Breuius à frontibus toto circuitu pedes quadringentos vndecim, attollitur in altitudinem xxv. cubitis, &c.

Ad Iuliam Caluinam.] Sic enim legendum, non Iuniam: nam Iuliæ, non Iuniæ id gentis fuit sepulcrum.

Alterum.] Crinitam stellam: cuius Plinius meminit.

Puto, deus fio.] Satis vrbanè ad mortem respexit, quando Cæsarum quidam vita defuncti relati essent inter deos.

Moriunculis.] Analogicōs à motione: vt à lectione lectioncula.

Cutylas.] Nomen loci proprium, vt Bouillas, Fregellas.

Aestiuare.] Aestiuis mensibus secedere.

PHIL. IMperatorem ait ſtantem.] Verbum plenum fortitudinis, & virilitatis: quo indicauit viriliter moriendũ eſſe, & firmiter: dum ait, turpe eſſe Imperatori cubanti mori, quem ſtantem mori oporteat. In hanc ſententiã ait Sextus Aurelius: Ventris profluuio feſſus, & aſſurgens, Stantem, ait, Imperatorem excedere terris decet. Aelius Verus Romanus Imperator ſubinde dictitabat, ſanum principẽ mori debere, non debilem. Videtur autẽ hæc Veſpaſiani mors fuiſſe talis, qualem in ſene ſcribit Plato contingere: qui in Timæo refert, eam mortem inter cætera mortis genera eſſe leniſſimã, quæ ſenio paulatim ad finem deducẽte naturaliter ſubrepit, & cum voluptate potiùs, quàm cum dolore, contingit.

Super] Inſuper.

Genitura.] Natiuitate. ſicut ſæpe antè dictum eſt.

Aut filios ſibi ſucceſſuros.] Hoc idem memorat Eutropius, cuius hæc ſunt verba: Genituram filiorum ita cognitam habuit, vt cùm multæ coniurationes contra eum fierent, quas patefactas ingẽti diſſimulatione contempſit, in Senatu dixit, aut filios ſibi ſucceſſuros, aut neminem. Legimus apud Philoſtratum, quemadmodũ Apollonius Tyanæus Veſpaſiano ſuaſit, vt Imperium Romanum capeſſeret, in quod filii eſſent ſucceſſuri.

Stateram examine æquo.] Examen, vt inquit Seruius, propriè eſt filum illud, quo trutina regitur, & in ſtatera lances ad æquilibrium diriguntur: ſtater verò genus eſt nummi, cuius mentio fit in Euangelio, & in Canonicis ſcripturis: eſt autem põderis vnciarii, vt docet Fortunatus.

Claudius, & Nero ſtarent.] Somnium hoc portendebat, Veſpaſianũ vnà cum filiis tanto tempore imperaturum, quanto Claudius & Nero imperauerunt: imperauerat autem Claudius annos quatuordecim, Nero totidem.

Vtrique.] Et Claudius, & Nero ex vna parte, Veſpaſianus, & filii ex altera. Nam Veſpaſianus decẽ annos imperauit, Titus tres, Domitianus verò quindecim: qui omnes in ſumma collecti annos efficiũt vigintiocto, quot Claudius, & Nero imperauerant.

Imperatorem ait ſtantem mori oportere. Dúmq; conſurgit, ac nititur, inter manus ſubleuantium extinctus eſt VIII. Calendas Iulii annum gerens ætatis ſexageſimum ac nonum, ſupérque menſem, ac diem ſeptimum.

Præſagium de filio ſucceſſuro. XXV.

CONuenit inter omnes, tam certum eum de ſua, ſuorúmque genitura ſemper fuiſſe, vt poſt aſſiduas in ſe coniurationes auſus ſit affirmare Senatui, aut filios ſibi ſucceſſuros, aut neminem. Dicitur etiam vidiſſe quandam per quietem ſtateram in media parte veſtibuli Palatinæ domus poſitam examine æquo, cùm in altera lance Claudius, & Nero ſtarent, in altera ipſe, ac filii: nec res fefellit, quando totidem annis, paríque temporis ſpatio vtrique imperauerunt.

M. AN. STantem.] Non cubantem.

Genitura.] Geneſi, horoſcopo.

Quandam ſtateram.] Græci τὴν ςατῆρα nummi genus dicunt: ſed tu inſtrumentum ad pondera exigenda aptum intellige, ſeu bilances ipſas.

Examine.] Media ligula lances æquante.

Vtriq; imperauerunt.] Vt quot annos habuiſſent Claudii, & Neronis principatus, totidem tres Flauiæ gentis, qui non multò pòſt ſucceſſere, eſſent habituri.

SICVT

C. SVETONII TRANQVILLI

LIBER XI.

Diuus Titus Imperator Augustus.

De amore omnium erga Titum. I.

TItus cognomine paterno, amor, ac deliciæ generis humani, tantum illi ad promerendam omnium voluntatem, vel ingenii, vel artis, vel fortunæ superfuit, &, quod

PHIL. SICVT eadem terra cicures gignit, & feras, frumenta, & tribulos, sentes, & flosculos, sic ex vno Vespasiano, veluti ex eodẽ fonte, dulcedo, amaróq; processit. Quid enim dulcius Tito? quid amarius Domitiano? quorum tanta fuit morum dissimilitudo, quanta inter Demeam & Mitionẽ comicos fratres profectò non extitit. Alter mitis, clemens, placidus, & virtutum concilia bulũ: alter sæuus, truculentus, & flagitiorum officina. Sed, vt inquit eleganter Quadrigarius, hæc maxima versatur in terris deorum iniquitas, quòd deteriores sunt incolumiores, neque óptimũ quẽ quam inter nos sinunt diu viuere, siue, vt ipse dixit, diurnare: Etenim Titus, qui erat optimus, bonitatem suam non diu in Imperio potuit exercere: Domitianus, qui erat pessimus, per quindecim annos per sæuã, truculentámque naturam impune grassatus est. Verumenimuero, qui dixit deos pedes lanatos habere, verissime dixit. Lẽ to enim gradu, & insono vestigio, ad sontes puniendos progrediuntur. Nanque Domitianus suæ vitæ defamatissimæ meritas tandem pœnas dedit, biothanata morte extinctus, quem domestici cõtrucidarũt: cùm Titus ipse leni abitu, obitúque & naturali morte defunctus sit: cuius vitæ interpretamentum iam aggrediamur.

Titus cognomine paterno.] Titulos appellauerunt prisci ornamenta, quæ sacerdotes capitibus habere solent vt metam, ab eo quòd matresfamilias crines conuolutos ad verticem capitis, dicunt titulos: siue ab eo, quòd altissimũ in vrbe, quod est arx, ea res tutissima titulus vocatur: milites quoque tituli appellabantur, quasi tutuli, quòd patriã tuerentur: Vnde Titi prænomẽ ortum esse autumat Festus: ex quo Persius videtur dixisse: Ingẽtes trepidare Titos. Imperator verò Titus cognomine paterno fuisse dicitur, quia & ipse Titus Vespasianus est appellatus. Cor. Tacitus: Titus Vespasianus e Iudæa incolumi adhuc Galba missus à patre. Plinius in secundo: Nam vt in duodecim diebus vtrunque sydus quereretur, & nostro æuo accidit Imperatoribus Vespasianis, patre tertium, filio iterum Consulibus. Sextus Aurelius: Titus vocabulo patris etiã Vespasianus dictus. Eutropius: Huic filius Titus successit, qui & ipse Vespasianus est dictus.

Amor, ac deliciæ generis humani.] Cordus tradit, Gordianum adeò fuisse amabilem, vt omnis Romanus populus eum delicias suas appellaret. Titus verò non vnius tantũ populi, sed, quod longè præstantius est, humani generis amor fuit, & deliciæ. Sextus Aurelius: Adeò hæc Tito immortalem gloriam contulerunt, vt deliciæ, atque amor humani generis appellaretur: hoc idem memorat Eutropius. Hinc illud Pacati ex Panegyrico ad Theodosium: Quin me Nerua Tranquillus, amor generis humani Titus, pietate memorabilis Antoninus teneret.

Tantum illi ad promerendam.] Hæc omnia veluti per parenthesim interposita videntur, vt cõiungas principium primi capitis cum principio secundi, hoc pacto, Titus natus est. ex quo apparet non satis pensiculatè capita esse digesta. Ad promerẽdam dixit, pro demerendã, & conciliandam.

Ingenii.] Sicut olim in Scipione Africano tanta naturalis ingenii dexteritas fuisse proditur, vt hostes etiã infestissimos facundè alloquendo sibi conciliaret.

Vel artis.] vt quidam, qui quodã quasi artificio vtuntur ad fauorẽ hominum colligẽdum. Marcus Tullius in epistola ad Q. fratrem laudat in Vergilio, & C. Octauio artificiũ beneuolentiæ colligendę. Sallustius quoque docet in L. Sylla fuisse artem gratiæ militum aucupandæ.

Vel Fortunæ.] tanquam qui fortunatus est, illi omnia abunde supersint: cũ Fortuna & fauorabiles faciat, & summos econtrario cõtemptibiles, & infimos, si ita decreuerit: quę, vt inquit Plautus, humana fingit, arctátque vt lubet.

Superfuit.] affluẽret, & copiose affluit, superfluit, superabundauit: alibi aliud significat, sicut suo loco tradidimus.

Marci Antonii Sabellici ad Augustinum Barbadicum serenissimum Venetiarum principem, Paraphraseos in Titum parænesis vndecima.

COgnomine paterno.] Contigit Tito principi in publica administratione, dux excellentissime, quod & mortalium paucis, ac nescio an verius nulli dixerim. Nũquàm enim inuidia altioris fortunæ viros destitit incessere. Estq́ue apud Xenophontem præclarè scriptũ, animantium nulli difficiliùs imperari, quàm homini, quo fit vt rarò in ea fortuna relinquatur innocentiæ locus: atque ob id ita comparatum, vt quò maiores sint vitæ successus, plures honores quæsiti, eminentiore fastigio quisquam collocatus, Ita maior vndique illi cõflетur inuidia: ex inuidia odium, ex odio infectatio, & aduersi rumores. Sic plurimi, qui in priuata fortuna innocentissimæ vitæ habiti fuerant, pòst quã ad fastigium dignitatis sunt euecti, quasi priori vitæ cõtrarii, abiissent in procacissimos inuidiæ morsus, rumoresq́ue amarissimos inciderẽt: quasi euenire non possit, vt quisquã in publica fortuna melior fiat, quã in priuata fuisset. Verùm satis constat, Tito principi aliter contigisse, qui quum priuatus, & viuo adhuc patre infamia non caruisset, post adeptum Imperium ita prorsus omnem vitæ suspicionem diluit, vt ingẽs mortalium cõsensus humani generis delicias appellarit: tantum vel prioris vitæ mutatio valuit, vel, quod magis credo, accuratissima rerum administratio. Felix ille, sed tu dux iucundissime, felicior, cui in priuata, & publica fortuna semper eadem fama constitit, tuisque charissimus fuisti. Vera nanque, & certa felicitas in perpetuitate constitit. M.A.N.

Cognomine autem paterno dixit, Vespasiano: vterque enim, pater, inquã, & Titus, qui illi successit, Vespasianus est dictus. Pli. Et nostro æuo accidit Imperatoribus Vespasianis, patre tertiùm, filio iterũ. quom haud dubie de Tito & patre loqueretur. & rursus,

-Frontémque manúmque
Præbebit vati.- Quòd autẽ præscita vitæ quædã in fronte hominũ sint, testimonio est Trogus author maximus, qui sic ait: Frons vbi est magna, segnem animum subesse signat: quibus parua, mobilem: quibus rotũda, iracundũ. Hoc idem prodidit Aristoteles in primo de animalibus. Physiognomon verò generali vocabulo significatur quisquis profitetur hominũ mores, naturásque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere: qualis fuit ille apud priscos Zopyros, qui Socratem dixit esse stupidum, & bardum: addidit etiam mulierosum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse.

difficillimũ est, in Imperio, quando priuatus, atq; etiam sub patre principe, ne odio quidem, nedum vituperatione publica caruit.

Ortus, & educatio Titi. II.

NAtus est tertio Calẽdas Ianuarias insigni anno Caiana nece, prope Septizonium, sordidis ædibus, cubiculo verò perparuo, & obscuro: nam manet adhuc, & ostenditur. Educatus in aula cum Britannico, simul ac paribus disciplinis, & apud eosdẽ magistros institutus. Quo quidem tempore aiunt metoposcopum à Narcisso Claudii liberto adhibitum, vt Britannicũ inspiceret, constantissimè affirmasse, illum quidem nullo modo, cæterũ Titũ, qui propè astabat, vtiq; imperaturũ. Erãt autẽ adeò familiares, vt de potione, qua Britannicus hausta periit, Titus quoque

Quem intra quadriennium Imperatores Cæsares Vespasiani, pater & filius, censorésq; egerunt. Itẽ, Imperatoribus, censoribúsq; Vespasianis. Quibus planè colligitur, tã patrẽ, quàm Titum filium Vespasianum nominatum.

Superfuit.] Affuit. In hunc sanè significatum cœpit id verbũ circa Plinii, & Tranquilli tempora vsurpari: quod Gellius ait à peritioribus repudiatum.

PHIL. ET, quod difficillimũ est, in Imperio.] Cùm Imperiũ fermè esse soleat inuidiosum, & maleuolentiæ plenum, mirum fuit, Tito in principatu superfuisse tantum ingenii ad conciliãdos mortalium animos: hoc enim difficillimum est, cùm plerique omnes libertatem ament, seruitutem oderint.

Ne odio quidem.] Difficillimum planè hoc est, eum, qui priuatus fuerit odiosus, & vituperationi publicæ obnoxius, in principatu apud omnes fauorabilem esse, & gratiosum.

Caiana nece.] quo anno C. Caligula fuit interfectus. Prope Septizonium.] Nomen est magnæ molis, & ædificii, quod septem cingulis ambiebatur: vnde dictum videtur: Græci enim ζώνην cingulum vocant Spartianus inter opera, quæ publica à Seuero principe extructa sunt, memorat Septizonium, & thermas Seuerianas: sed hîc haud dubiè de alio Septizonio est intelligendum, cùm multis annis pòst Seuerus imperauerit. Apud Ammianum Marcellinum mentio fit Septizonii, quem locum Romæ celebrem fuisse testatur: vbi operis ambitiosi nymphæum, hoc est lauacrum conditum fuisse ait à Marco Imperatore. Septizonium dimidiatũ adhuc Romæ innisitur, & nos proximo anno curiosis oculis sumus contemplati. Supersunt tres operis ambitiosi veluti zonæ, columnarum pulchritudine, magnificentia, altitudine spectabiles: ex quibus coniectatur vix credibilis reliqua altitudo fastigium ad cacumẽ æstimantibus, si moles integra, cum totis septem zonis superesset.

Manet adhuc.] scilicet cubiculũ illud, in quo natus est Titus in aula Imperatoria.

Metoposcopum.] Metoposcopus dicitur, qui addiuinat ex facie hominũ, quique priuatim ex inspectione frontis, quid cuique euenturum sit, prædicit. Græce enim μέτωπον frons vocatur, & σκοπὸς speculator. Plinius in xxxv. quendam ex facie hominũ addiuinantem, quos metoposcopos vocant, ex his dixisse aut futuræ mortis annos, aut præteritæ. Metoposcopum periphrasticῶs signauit Iuuenalis illo versu,

Vt Britannicũ inspiceret.] Ex frontis, & oris liniamentis inspectis prædiceret quid illi esset euenturũ, nunquid esset imperaturus.

Nullo modo.] Britannicum nequaquam imperaturum.

Vtique.] certè, planè, haud dubiè. Est enim hoc vtique cum asseueratione prolatum.

Adeò familiares.] Titus scilicet, & Britannicus.

De potione.] quam Nero venenatam à Locusta venefica præparatam epulanti Britannico dari iussit: sicut antè dictum est.

IMperio.] Siquidem quò amplior est fortuna, eò magis obtrectationibus, & inuidiæ obnoxia. Mirũ sane, ac penè incredibile dictu, quòd qui in priuata fortuna odia, & obtrectationes declinare nequiuerit, in summo rerum fastigio æque omnibus charissimus fuerit. M.A N.

Caiana nece.] Caligulæ cæde.

Septizonium.] Fuit is locus in parte aureæ domus contra Gregorii fanum. Spartianus ait, Seueri Aphri id opus fuisse: sed credibile est, locum ab eo communitum, aut instauratum, sed principatu illius omnino fuisse vetustius. Id molis genus erat, nõ multùm à sepulcro diuersum, quod idẽ author alibi demonstrat: Illatus est, inquit, maiori sepulcro, hoc est Seueri, quod est in Appia via euntibus ad portã dextram specie Septizonii extructum.

Britannico.] Claudii, & Messalinæ filio.

Quo tempore.] Institutionis.

Metoposcopũ.] ἀπὸ τοῦ μετώπου fronte, καὶ σκοποῦ speculatore: quasi frontis, seu liniamentorum inspectorem. Plinius libro xxxv. cap. x. Imagines adeò similitudinis indiscretæ pinxit, vt incredibile Appion grammaticus scriptum reliquerit, quendam ex facie hominũ addiuinantẽ (quos metoposcopos vocant) ex iis dixisse aut futuræ mortis annos, aut præteritæ. Breuiter metoposcopus est, qui ex facie hominis diuinat, & qui ex frontis inspectiõe vẽtura prædicit.

Illum.] Britannicum.

Iuxtà

iuxtà cubans gustasse credatur, grauíque morbo afflictatus diu. Quorum omnium mox memor, statuam ei auream in Palatio posuit, & alteram ex ebore equestrem, quæ Circensi pompa, hodie quoque præfertur, dedicauit, prosecutúsque est.

Virtutes eius, & scientia. III.

IN puero statim corporis, animíque dotes exsplenduerunt, magis, ac magis déinceps per ætatis gradus: forma egregia, & cui nõ minus authoritatis inesset, quàm gratiæ: præcipuum robur, quanquàm neque procera statura, & ventre paulò proiectiore: memoria singularis, docilitas ad omnes ferè tum belli, tum pacis artes. Armorum, & equitãdi peritissimus, Latinæ, Græcæque linguæ vel in orando, vel in fingendis poematibus promptus, & facilis ad extemporalitatẽ vsque: sed ne musicæ quidẽ rudis, vt qui cantaret, & psalleret iucũdè, sciẽtérque. E pluribus cõperi, notis quoque excipere velocissimè solitum,

PHIL. IVxtà cubans.] prope Britannicum accumbens. Mos enim erat, principum liberos cum æqualibus nobilibus vesci in aspectu propinquorum peculiari mensa. Mox.] cùm ad Imperium peruenisset.

Statuam ei.] scilicet Britannico.

Quæ Circensi pompa.] Suprà me morauimus quemadmodum in pompa Circensi ante exhibitionem ludorum præferebãtur imagines deorum, & principum: inter quas Britannici statua, Tito sic iubente præferebatur: quod erat speciem non paruũ pristinæ beneuolentiæ.

Hodieque.] Hoc ad tempora Tranquilli refertur.

Corporis, animíque dotes.] Thales Milesius vnus ex septem sapientibus interrogatus, quisnã felix sit: qui corpore, inquit, sanus, Fortuna locuples, animo nõ imperitus est. Philosophi Latini, & in primis Cicero, ac Augustinus, prima Naturæ vocãt dotes animi, & corporis, quæ Varro primigenia nominauit. quæ Græcè dicũtur τὰ πρῶτα φύσεως, in quibus numerant incolumitatem, valetudinem, sensus integros, doloris vacuitatem, vires, pulchritudinem, cæteráque generis eiusdem: & hæc, vt dicebat Marcus Varro in libro de philosophia, homines naturaliter appetunt, vt in corpore membrorum integritas, & salus, atque incolumitas sit: in animo verò illæ dotes, quæ paruæ, vel magnæ in hominum reperiuntur ingeniis. Igitur Tranquillus significare volens in Tito fuisse ea bona, quæ prima Naturæ vocamus, dixit in illo splenduisse dotes & animi, & corporis.

Per ætatis gradus.] Solent interdum dotes animi & corporis senescere in nobis, dum adoleuimus, quæ in pueritia exsplenduerãt, viguerántque, vt crescente corpore decrescat decor, & animi vigor relentescat: sed in Tito per omnes gradus ætatis hæc bona primigenia enituerunt, vt puer, vt adolescens, vt iuuenis, vt in omni ætate fuerit corporis, animíq; dotibus præpollens.

Quàm gratiæ.] vt reuerẽdus eodem tempore foret, & gratiosus. In hãc sententiam ait Tacitus, in Tito fuisse decorem, cum quadam maiestate.

Proiectiore ventre.] prominulo, & prominente.

Docilitas.] Plato tria genera ingeniorum cõplexus est: quorum præstans egregium vocat, alterũ deterrimum, tertium ex vtroque temperatum mediũ nuncupauit. Mediocritatis huius vult esse participem puerum docilem: & quemadmodum docilitas laudabilis est, ita indocilitas reprehensibilis: quæ, vt inquit Apuleius scribens de dogmate Platonis, prudentiam impugnat, contrariáque est discendæ disciplinæ. Tum belli, tũ pacis artes.] vt inquit elegãter Plinius in Panegyrico: Enituit aliquis in bello, sed obsoleuit in pace: alium toga, sed nõ & arma honestarũt. Plinianæ sentẽtiæ quadrat illud Propertii:

Hic satus ad pacem, hic castrensibus vtilis armis.

Titus verò docilis erat ad perdiscendas artes omnes bellicas, & politicas.

In fingendis.] Propriè poemata finguntur. Officiũ enim poetæ est fingere, & figurationibus conuelare veritatem.

Ad extemporalitatem vsque.] vt sine præmeditatione, extẽporali carmine, orationeve vteretur. Extẽporalitas enim dicitur facilitas subitaria, & repentina, quæ scilicet ex tẽpore sine iugi meditatione dicenda suppeditat: vnde à Martiale extemporalis rhetor dictus est, qui præditus erat hac facilitate extẽporali, id est, ex tempore dicendi facultate. Quintilianus hunc maximum studiorum fructum esse sentit, & veluti præmium quoddam longi laboris literarii.

Scienterque.] Multi iucundè quidem cãtant, sed non scienter. Vtrunque erat in Tito, & vocis iucunditas, & musicæ disciplina.

Notis excipere solitũ.] Titus solebat per notas, quæ breuiter colligũt integrũ sensum, excipere quæcunque audisset, more notariorũ: vt notis referat ad puncta literarũ, quibus singulis, vt ait Ausonius, vna vox absoluitur. Falluntur qui notis exponũt pro familiaribus: tanquam dicat se comperisse ex notis, hoc est familiaribus Titi ea, quæ sequuntur: sed elegantia non quadrat, nec sensus conuenit, nisi ita legas, solitum excipere notis: id est, per notas colligere quæ dicebantur, tanta illi erat in scribendo velocitas, vt de Tito meritò dici posset:

Nondum lingua, suum dextra peregit opus.

De hisce notis sic refert Seneca in XCIIII. Epistolarum: Quid verborum notas, quibus quamuis citata excipitur oratio, & celeritatem linguę manus sequitur.

M. AN. QVorum omnium.] veteris educationis, communisque periculi.

Ei.] Britannico.

Proiectiore.] prominentiore.

Docilitas.] Ingenii facilitas ad omnia capienda.

Ad extemporalitatem.] vt ex tempore etiã carmen ederet, & ad dicendum par esset. Ex tempore, idẽ quod ex improuiso est. Cice. Quos credimus rẽ, & cõsiliũ ex tẽpore capere posse. Inde extẽporalis.

Comperi.] cognoui, accepi, didici.

Excipere.] dictata velocissime sequi solitum.

cum amanuensibus suis per ludum, iocúmque certantem: imitari chirographa quæcunque vidisset, ac profiteri sæpe maximum falsariū esse potuisse.

Vxores eius, honores, atque victoriæ. IIII.

TRibunus militū & in Germania, & in Britannia meruit summa industria, nec minore modestia, & fama, sicut apparet ex statuarum, & imaginum eius multitudine, ac titulis per vtranque prouinciam. Post stipendia, foro operam dedit, honestam magis, quàm assiduam. Eodémque tempore Arricidiam Tertulo patre equite Romano, sed præfecto quondam prætoria narum cohortium, duxit vxorem, & in defunctæ locum Martiam*Fuluiam splendidi generis, cum qua, sublata filia, diuortium fecit. Ex quæsturæ deinde honore legioni præpositus Taricheam, & Gamalam vrbes validissimas Iudææ in potestate redegit, equo quadam acie sub feminibus amisso, alteróque inscenso, cuius rector contra se dimicans occubuerat.

*furuillā

PHIL. CVm amanuensibus.] ministris à manu: quorum ministerio, vtimur in scribendo: & talium manus in primis strenua, & velox esse solet. Imitari.] Quéadmodū vnicuique suus vultus, sua vox est, ita & sua scriptionis forma, suúsque character, adeò vt difficile sit ex amussi, & ad perfectum repræsentare alienā manum: hoc tamē Titus ingenii bonitate præcellens factitabat, vt chirographa, & manus alienas graphice imitaretur. Quintilianus ait, signum docilis naturæ esse Imitationem, quæ effingēdi magistra est. Falsarium.] Legimus apud Iurisconsultos titulo Ad legem Corneliam de falsis, quòd id falsum videtur esse, si quis chirographum alienum imitetur, aut libellum, vel rationem describat. Meritò igitur falsarius dici potest, & legis Corneliæ pœna puniēdus, qui aliena chirographa fuerit Imitatus. Mars, & Mercurius in quinto ab horoscopo loco, falsarios facient, aut qui per pecunias publicarum statuarum adulteras artifices imitentur.

Meruit.] militauit. Ex imaginū multitudine.] Multitudo imaginum, quæ Tito erant dicatæ & in Germania, & in Britannia, testimonio est, illum fuisse fauorabilem, & dignum apud prouinciales, qui titulis & imaginibus multiiugis insigniretur. Scribit Plinius in Panegyrico, statuas ob egregia in Rempublicam merita solitas etiam priuatis dicari. Olim apud Romanos Mario Gratidiano vicatim statuæ dicatæ fuerūt. Athenienses quoque Demetrio Phalereo statuas trecentas sexaginta statuerunt nondū anno hūc numerum dierum excedente. Post stipendia.] scilicet militaria. Foro operam dedit.] causas forenses exercuit. Honestam magis, quàm assiduam.] Instar magni patroni causas nobiliores tantummodo suscipiebat. Tertulo patre.] Alterius Tertuli meminit Iulius Capitolinus, qui fuit adulter Faustinæ coniugis Marci Antonini. Defunctæ.] Arricidiæ primæ vxoris. Martiam Fuluiam.] scilicet duxit vxorem. Sublata.] suscepta, genita. Thraciā, & Gamalam.] Vetus, & pertinax menda occupauit codices Tranquilli, vt passim à doctis, indoctísque legatur Thraciam, & Gamalam: cùm Thracia tantum distet à Iudæa, quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano. Igitur expūcta dictione subdititia, vera dictio à nobis substituenda est, vt pro Thraciā legamus Taricheam: sicut historiæ fides exposcit, & nominis similitudo suffragatur. Tarichea autem ciuitas Iudææ est inclyta iuxta lacum, quem Zenesaram vocant. In cuius oppidi oppugnatione Titus primus in hostes citato equo perrexit: quosdā ex Iudæis à tergo instantes, alios per transitū occidit, nonnullos ante capiens ictu ora transuerberat: multos alium super alium lapsos inuoluens cōfigebat. Vespatianus lætatus est tanta filii virtute: qui primus irruit in vrbē Taricheas, per lacum Zenesaram, quē cæteri cōsecutisunt. Tantus tunc pauor Taricheatum defensores inuasit, vt nemo sustinuerit prohibere venientem: et ita Titi virtute ciuitas capta, Tarichitæ superati. Historia latissimè explicatur à Iosepho in tertio belli Iudaici, & ab Egesippo in historia Iudaica. Apud Pliniū in v. Tariciæ nominantur pro Taricheæ, vbi scribit lacum Zenesaram amœnis circū septū oppidis esse à meridie Tariciæ, quo & nomine alij qui etiam lacū appellant ab occidēte Tyberiade. Plinius Taricien dixit, quàm Historici modò Tricheā singulariter, modò pluraliter Taricheas protulerunt. Gamala verò vrbs est Iudææ contra Taricheas posita supra lacum Zenesaram: quæ cameli similitudinem præferens, inde nomē accepit: sed corrupto incolarum vsu pro Camela nomen Gamalæ inhæsit. Memoratu dignum est, quod in oppugnatione Gamalensium accidisse traditur: nāque in ipso conflictu ortus est turbo, qui Romanorum tela ferebat in Gamalenses: Gamalensiū verò sagittas, & spicula retorquebat: authores Iosephus, & Egesippus. Gamalā introiuit Titus, eāq; funditus excidit: cū Gamalēses partim manibus Romanorū militū trucidarentur, partim se præcipitarēt: adeò vt præter duas mulieres nullus saluus euaserit. Sub feminibus.] In partibus femorū, quæ interiores sunt, equū Titi percussum expirasse significat. Femina enim sunt partes femorū interiores. Interfemineum eleganti vocabulo appellat Apuleius genitalia muliebria, eò quòd inter femina sunt collocata. Cuius.] equi.

M.A N. AManuensibus.] libellorū ministris. Alibi à manu seruos appellare cōsueuit, quorū opera in cōscribendis epistolis veteres vterentur. Certantem.] scribendi celeritate. Chirographa.] cuiuscunque manum, stylum, characterem. Falsarinm.] vt pote qui omnium chirographa optime imitaretur. Per vtranque prouinciā.] Germaniā & Britanniā. Forò.] forensibus caussis. Honestam operā.] ad gratiam, & famā conciliandā. Defunctæ.] Arricidiæ.

Sublata filia.] filia ex ea suscepta. Ex quæsturæ honore.] Tacitus inter legatos maiorem filium à Vespasiano assumptum dixit. Thracias, & Gamalā.] Plinius: In Samaria Phœniciæ parte Gamalā ponit

Hierosolyma expugnata. V.



Galba mox tenente Rempublicã missus ad gratulandum, quaqua iret, conuertit homines, quasi adoptionis gratia arcesseretur: sed vbi turbari rursus cuncta sensit, rediit ex itinere: adeóque Paphiæ Veneris oraculo, dum de nauigatione consuluit, etiã de Imperii spe cõfirmatus est. Cuius breui compos, & ad perdomandam Iudæam relictus, nouissima Hierosolymorũ oppugnatione*duodecim propugnatores totidẽ sagittarũ cõfecit ictibus: cepítque eam natali filiæ suæ, tanto militum gaudio, ac fauore, vt in gratulatione Imperatorem eum consalutauerint, & súbinde decedentẽ prouincia detinuerint, suppliciter, nec non & minaciter efflagitantes, aut remaneret, aut secum omnes pariter abduceret: vnde nata suspicio est, quasi desciscere à patre, Orientísque regnũ sibi vendicare tentasset. Quam suspicionem auxit, postquam Alexandriam petens, in consecrando apud Memphim boue Api diadema gestauit,

* septem

ponit, & Thracinen, non Thraciam, in Palæstina Syria. Sub seminibus.] Quæ partes semina essent, bis est suprà demonstratum.

PHIL. Missus ad gratulandum. Cor. Tacitus in hãc sententiam scribit hæc: Titus Vespasianus e Iudæa incolumi adhuc Galba missus à patre, causam profectionis officium erga principẽ, & maturam petẽdis honoribus iuuentam ferebat: sed vulgus fingendi auidũ disperserat, adscitũ esse in adoptionẽ. Accerseretur.] euocaretur, vt à Galba tũc adoptaretur, quãdo Pisonem adoptauit. Hinc accersitores dicti vocatores. Apuleius: Mittũt ẽsu is accersitorẽ vnũ. Quaquàiret.] quocũq; loco, & quacũq; parte. Rediit ex itinere.] Corinthi, quæ Achaiæ vrbs est, accepit nuntios certos de interitu Galbæ: vnde anxius fuit an in vrbem pergere perseueraret: fuerũt qui crederent accẽsum Titũ desiderio Berenices reginæ vertisse iter ad patrem. Adito Paphiæ oraculo.] Titus oram Achaiæ præteruectus, cùm in Cyprum insulam peruenisset, cupido illũ incessit adeundi, visendique templum Paphiæ Veneris inclytum per indigenas, aduenásque. Conditor templi fuit rex Venerianus: precibus, & igne puro altaria adolẽtur: nec vllis imbribus, quanquã in aperto, madescunt: simulacrum deæ est non effigie humana, sed continuus orbis latiore initio in ambitum tenuem, metæ modo exurgens. Titus de nauigatione primũ consuluit, postquam pandi viam, & mare prosperum accepit, de Imperio per ambages quasdã interrogare cœpit. Cæsis compluribus hostiis.] Sacerdos nomine Sostratus vbi læta exta vidit, petito secreto futurã Tito aperuit: qui aucto animo ad patrem rediit: Cor. Tacitus author. Relictus.] Tacitus sic: Cæsar Titus perdomandæ Iudææ delegatus à patre. Hierosolymorũ.] Vmbilicũ totius Iudææ fuisse Hierosolyma, testãtur Historici: cuius ciuitatis conditor fuit rex cognomento Iustus, potentissimus Cananæorũ, qui fano ædificato Hierosolyma vocauit, cùm anteà Solyma vocaretur. ἱερὸν enim Græci tẽplũ vocant. De Hierosolymis alibi pluribus. Propugnatores.] Iudæos, qui pro defensione Hierosolymorum propugnabãt. Sunt enim propugnatores, qui pugnando ex muris ex vallo propulsant aduersarios, patriámque tuentur: vnde & propugnacula dicuntur defensionis causa in vrbibus parata.

Confecit.] trucidauit. Liuius: Alterum Curiatiũ conficit. Inde confectores, ferarũ interemptores di-

cti. Cepit eam natali filiæ.] Octaua die mẽsis Septembris, anno secundo principatus Vespasiani Hierosolyma ciuitas à Tito capta est: vt scribit Iosephus in VII. Quinquies autem anteà prius capta fuerat à barbaris regibus, & à magno Pompeio. Imperatorem consalutauerint.] Refert Philostratus in VI. de vita Apollonii, gẽtes finitimas ob victoriam Iudaicam coronare Titũ voluisse: qui tali honore indignum se esse respondit. nõ enim se esse taliũ operũ authorẽ, sed Deo iracundiã cõtra Iudæos demõstranti suas manus præbuisse: quæ cũ audisset Apollonius Tyanæus, vehementer virũ laudauit, quòd videretur Titus ingenio abundare, & modestia, tũ verò diuinarũ, humanarũque rerum naturã nosse, cũ sanguinis causa coronari noluisset. Súbinde.] mox, dëinde.

Desciscere.] deficere, ac rebellare.

In consecrando boue Api.] Bos in Aegypto numinis vice colitur, quẽ Apim vocant: non est fas eum certos vitæ annos excedere, mersumque in fonte enecãt, quæsituri luctu aliũ, quem substituant: donec inueniant, mœrẽt, derasis etiã capitibus: nec tamen vsque diu, quæritur. Inuentus deducitur à sacerdotibus Memphin: grex puerorũ comitatur, carmen honori eius canentiũ. Mẽphi est locus in Nilo, quẽ à figura vocãt Phialã: omnibus annis ibi auream paterã, argenteámque mergentes diebus, quos habẽt natales Apis, qui sunt septẽ: nemóque per eos à crocodilis attingitur. De api Plinius, Solinus, & Herodotus nõ pauca prodiderũt. Quãdo populus Iudaicus fecit sibi vitulũ conflatilẽ, & adorauit, scito id propter superstitionem Apis bouis à superstitiosa natione factitatum: sicuti Interpretatur interpres Instrumẽti veteris, canonicæque scripturæ. Ammianus Marcellinus lib. Historiarũ XXII. refert, Apim bouẽ Lunæ sacrarũ esse: in quo visantur notæ diuersæ genitalium: cui bos fœmina inuenta cũ certis notis offertur: author est Spartianus, Adriani principatu exortã esse Alexãdriæ seditionẽ ob Apidem, qui cũ repertus esset, post multos annos turbas inter populos creauit, apud quẽ deberet locari, omnibus studiose certantibus. Macrobius Apim Solem intelligi autumat in primo Saturnaliũ. Diadema.] Hoc exigebat ritus religionis, vt qui consecraret bouem Apin, ille diademate foret insignitus: quod cùm sit insigne regum, suspicionem fecit regni affectati.

Quaqua.] quacunque. Paphiæ Veneris.] Plinius de Cypro, Oppida, inquit, in ea quindecim, M.A N.

Paphos, Palepaphos. Vergilius:
Ipsa Paphũ sublimis abit. Diooysius: Tum verò & Cypros iotra Pamphyliæ sinum, gratissima olim sedes Veneris Dionææ. Hierosolymorum.] Iudææ vrbs est io toparchia Norniæ dicta, longe, vt Plinius air, vrbiũ orientis clarissima: de eius cõditione, & incremẽtis plura Strabo.

Propugnatores.] vrbis defensores.

Natali filiæ suæ.] quo accidit vt Idumæa sit cognominata. Eusebius author est, ea expugnatione sexcenta Iudæorum millia ioterfecta. Iosephus vndecies centum millia fame & ferro consumpta, ac centum captiuorum millia vẽdita.

Consecrando.] dedicãdo, sacrũ ve faciendo. De Api boue Plinius, & Herodotus præter ea, quæ à nobis sunt suo loco tradita, oon pauca edisserunt.

net munus participis Imperii, exhibet se oratorem. Dixit Cor. Tacitus de Domitiaoo: Filium principis agebat. Dixit idem de Mutiano: Socium magis Imperii, quàm ministrum agens. Tutorem.] Vt vnà cũ patre tutaretur Imperium. Iuuentute autem vnà cũ senectute regnum gubernãte, quæ lyra, quæ fistula, vt verissimè inquit apud Philostratum 08 Apollonius, iucundiorem resonabit harmoniam? Hinc enim senectus roboris aliquid accipiet, & iuuetus io ordinate non efferetur: admonetque Titum vt patri simillimus sit.

Triumphauit cũ patre.] triumpho scilicet Iudaico, quo Vespasianus prior ibat, Titus sequebatur. Censuráq; gessit vnà.] Plinius in vii. meminit huius censuræ, quã duo Vespasiani, pater, & filius simul gesserũt. Sic enim inquit: Accedunt experimenta, & exempla recentissimi census, quem intra quadriennium Imperatores Cæsares Vespasiani, pater, filiúsq; censores egerunt. Io tribunitia potestate.] qua Imperatores peculiariter decorabãtur. Hinc Plinius in proœmio Natur. hist. Titum appellat participem cum patre potestatis tribuoitiæ.

Recepta ad se officiorũ cura.] Titus, quod rarò fieri solet, imperante adhuc patre, appellatus est Romæ Imperator, vt loquit Apollonius. Ex quo extitit illud Plinianũ ex proœmio Natur. histo. Sciántque omnes quàm ex æquo tecum viuat Imperium, triumphalis, & censorius, sextúmque Consul, ac tribunitiæ potestatis particeps. Edicta.] Imperatoria.

Etiam quæstoris vice.] Eum quæstorẽ significat, qui candidatus principis dicebatur, quique epistolas eius io Senatu legebat: vt refert Vlpianus titulo de officio quæstorum. De tali quæstore loquitur Tacitus, cùm ait: Oratio principis per quæstorem eius audita est.

de more siquidẽ, rituque priscæ religionis: sed nõ deerant, qui secus interpretarentur. Quare festinans in Italiam, quũ Rhegyũ, dein Puteolos oneraria naue appulisset, Romam inde contendit expeditissimus, inopinantique patri velut arguens rumorum de se temeritatẽ, Veni, inquit, pater, veni.

Administratio principatus cum patre. VI.



NEque ex eo destitit participem, atque tutorem Imperii agere. Triumphauit cum patre, censurámque gessit vnà. Eidem collega & in tribunitia potestate, & in septẽ Consulatibus fuit. Receptaque ad se propè omniũ officiorum cura, quum patris nomine & epistolas ipse dictaret, & edicta conscriberet, orationesque in Senatu recitaret etiã Quæstoris vice, Præfecturam quoque Prætorii suscepit, nunquã ad id tempus,

Diadema.] regium insigne.

PHIL. DE more siquidem.] Sensus est: Ita quidem erat mos, & ritus vetustæ religiõis, vel potius superstitionis, vt cũ diademate prodiret, qui Apin cõsecrabat. Sed non pauci id aliter interpretabantur, tanquã Titus regnare vellet. Secus.] Aliter. Rhegyũ.] In margine Italiæ situ est oppidũ Rhegyũ, cui Græci nomen dedere ab argumento dehiscẽdi: cũ io eo loco Sicilia vi motus terræ ab Italia fuerit auulsa: vnde à verbo Græco ῥήγνυμι, quod est frango, Rhegyũ dictum: authores Strabo, & Plinius. Hinc rhagadia, & rhagades vocantur scissuræ, quæ in sede prouenniunt. Apud Pliniũ multiiugæ sunt medelæ ad rhagadia, & rhagadas, hoc est, ani fissuras. Contendit.] perrexit. Expeditissimus.] sine impedimentis, & sarcinis. Velut arguens.] refutãs, atque cõuincẽs.

Rumorũ temeritatẽ.] cũ rumor sit sine certo authore dispersus sermo, meritò temeritatẽ rumorum dixit. Loci sunt cõmunes apud Oratores pro rumoribus, & contra rumores: tanquã his credi non oporteat, cum temerarii sint, & nullo authore subnixi.

Veni, veni.] Repetitione verbi vsus est, vt ostẽderet, falsidicos illos fuisse, & vanidicos, qui persuaserant Vespasiano Titum non amplius ventURUM, sed in Oriente regnũ sibi vendicaturũ. Fuit enim filius patri obedientissimus, qui Apollonio demolẽte collum eius robustũ, interroganisque quis tã valida ceruice taurum cogeret iugum subire, respondit: Qui me vitulum à primordiis educauit, patrem videlicet denotans, cui obtemperare paratus sum, inquit apud Philostratũ, quòd ita me à puero suis præceptis assuefecit. Participẽ Imperii agere.] Suprà dictum est quemadmodũ elegans est, & perinde frequentissima hæc elocutio, vt ita dicamus, Agit amicum principis, agit publicanũ, agit participem Imperii, agit oratorem: pro eo quod est, fungitur officio publicani, susti-

M. AN. SEcus.] quasi regium nomen, non religionem secutus id capiti insigne induxisset.

Rhegyum.] extremum Italiæ oppidum circa fretum Siculum.

Arguens.] refellens, diluens.

Principem.] principis munus, & personam sustinens. Plinius ad eundem Titum: Sciant omnes quàm ex æquo tecum viuat Imperium.

Triumphauit cum patre, censuráque gessit.] Idẽ author: Triumphalis, & censorius, sextúmque Consul, ac tribunitiæ potestatis particeps.

Etiam quæstoris vice.] Nam, vt diximus, Quæstorum erat publicas io Senatu literas recitare.

Præfecturã prætorii.] Plinius eodem fere loco: Et quod his nobilius fecisti, dum illud patri, pariter & Equestri ordini præstas, præfectus prætorio eius.

Nisi

nisi ab equite Romano, administratã. Egítque aliquantò inciuiliùs, & violentiùs: siquidem suspectissimum quenque sibi, submissis qui per theatra, & castra quasi consensu ad pœnã deposcerent, haud cunctanter oppressit. In his Aulum Cecinnam cõsularem virum vocatum ad cœnam, ac vixdum triclinio egressum, confodi iussit. Sanè vrgente discrimine, quum etiam chirographum eius præparatæ apud milites coniurationis deprehendisset. Quibus rebus sicut in posterũ securitati satis cauit, ita ad præsens plurimum traxit inuidiæ, vt nõ temere quis tam aduerso rumore, magísque inuitis omnibus transierit ad principatum.

Mutatio in melius. VII.

PRæter sæuitiam, suspecta in eo etiã luxuria erat: quòd ad mediam noctẽ comessationes cum profusissimo quoque familiariũ extenderet: nec minùs libido propter exoletorum, & spadonum greges, proptérque insignem reginæ Berenices amorem, cui etiam

PHIL. NIsi ab equite Romann administratã.] Hinc dixit Plinius Titum affecisse dignitate ordinem Equestrem, dum præfectus prætorio nobilitat illum magistratũ à solis equitibus administrari solitũ. Verba Plinii sunt hæc: Et quod his nobilius fecisti, dum illud patri, pariter & Equestri ordini præstas, præfectus prætorio eius. Erat autem præfectus prætorio talis apud principem, qualis magister equitũ apud Dictatorẽ. Appellarià sententiis præfecti prætorio non poterat.

Suspectissimum quenque oppressit.] Sextus Aurelius: Nã præfecturam patre imperãte adeptus, suspectum quenque, & oppositum sibi, immissis qui per theatra, & in castris inuidiosa iactantes ad pœnam poscerent, quasi criminis conuictos, oppressit. Submissis.] occulte, & furtim immissis quibusdã. Absoluta elocutio est per septimũ casum. Haud cunctanter.] sine cunctatione: quod & incunctanter dicitur.

Aulum Cecinnam.] Sextus Aurelius, causam Cecinnæ mortis fuisse memorat, suspicionem stupratæ Berenices, quæ à Tito amabatur. Tranquillus verò sentit, consossum fuisse ex suspicione coniurationis, ob inuentum chirographum, quo continebatur præparata apud milites coniuratio. Vocatum ad cœnã.] Culpa fit atrocior à loco, cùm dii hospitales, & sacra mensæ hospitis sanguine polluutur. Consimiliter Demetrius Poliorcetes, hoc est expugnator vrbium cognominatus, Alexandrum ad cœnam vocauit, eúmque è cœnaculo egredientem multis vulneribus confodi imperauit. Legimus apud scriptores Ecclesiasticos, Simonem vocatum ad conuiuium fuisse interfectum, vnà cum duobus filiis, à Ptolemæo cõuiuatore Securitati satis cauit.] vt securior deinceps foret, & tutior. Quis.] quispiam alius.

Tam aduersa re.] Alii codices habẽt, aduerso rumore. Vtrunque refertur ad iugulationem Cecinnæ, & oppressionem eorum, quos suspectos habebat.

Luxuria suspecta.] immodica profusio in victu, & prolixior in epulis mora. Comessationes.] Suprà docuimus, comessationem accipi peculiariter à Tranquillo omnem cibum, qui post cœnam sumitur: quod plane luxuriosi est. Vnde & comessari accipitur pro cibum capere iam exacta cœna: sicut etiam apud Liuium nouissimo belli Macedonici libro. Demetrius iam cœnatus, Quin comessatũ, inquit, ad fratrẽ imus? Hinc factum est quòd comessationes interdum accipiuntur pro intempestiuis epulis, & extraordinario, ac esculentiore victu. Et comessatores dicti, qui indulgent gurgitibus prandiorum, & voraginibus cœnarum. Caussa nominis ante fuit explicata.

Nec minùs libido.] scilicet erat in Tito suspecta.

Exoletorum, & spadonum.] Hæc sunt instrumenta libidinosi principis & Venerei: de quibus non pauca ante dictum est. Romæ fuisse exoletos, qui passiua libidine prostituerentur instar prostitutarum meretricum, testis est Lampridius, qui scribit, Alexandrũ Romanũ habuisse in animo vt exoletos vetaret, quod posteà Philippus fecit: sed veritus est, ne prohibens publicũ dedecus, in priuatas cupiditates cõuerteret: cũ homines illicita magis poscãt, prohibitáq; furore persequantur.

Berenices amorem.] De hac Tacitus: Nec minore animo regina Berenice iuuabat partes, florẽs ætate, famáque: & seni quoq; Vespasiano magnificẽtia munerũ grata. Idẽ alio loco indicat, Berenicẽ à Tito adamatã fuisse, cũ ait, animũ Titi iuuenilem non abhorruisse à Berenice: cuius desiderio accensus ferebatur olim ex Græcia in Iudæam vertisse iter. Opinor hanc esse illã Berenicen Agrippæ sororem, cuius magna mẽtio fit apud Iosephũ & Egesippum: de qua vulgatus est rumor, quòd cum Agrippa fratre coiret: vnde ad falsas collocutiões coarguẽdas Polemoni Lyciæ regi denupsit, quæ nuptiæ non diuturnæ fuerunt: cùm Berenice propter nimietatẽ coitus Polemonem dimisisse prodatur. Aliæ Berenices celebrantur à clarissimis conditoribus.

INciuiliùs.] parum ciuiliter, quasi consensu suo, & patris, quum patre inscio id faceret. M.A N.

Haud cũctanter.] sine mora, & cunctatione vlla.

Aulum Cecinnam.] Is est, qui Vitellianarum partium dux primus ad Vespasianum defecerat.

Vrgente discrimine.] periculo imminente: quod audacius penè fuit palàm occidere, quum iam coniurationis consilia mota essent.

Eius.] Cecinnæ.

Securitati.] suæ.

Cauit.] Cæde Cecinnæ.

Quis.] Alius quisquam.

Suspecta.] malè opinantibus obnoxia.

Luxuria.] Epularum crapula, & nimiæ potationes. Luxuria, & luxus profusam impensam significat. Luxuria, inquit Festus, morum est solutio. Est etiam luxuria & luxuries segetum.

Libido.] Suspecta fuit, repete.

Berenices.] Fuit hæc Aristobuli priùs, mox Antipatri vxor: cuius Iosephus sæpe meminit.

nuotias pollicitus ferebatur. Suspecta & rapacitas: quòd constabat in concionibus patris nundinari, præmiaríque solitum: denique propalàm aliū Neronem, & opinabantur, & etiam prædicabant. At illi ea fama pro bono cessit, conuersáque est in maximas laudes: neque vllo vitio reperto, & contrà virtutibus summis. Conuiuia instituit iucunda magis, quàm profusa. Amicos elegit, quibus etiā post eū principes, vt & sibi, & Reipublicæ necessariis acquicuerunt præcipuéque sunt vsi. Berenicen statim ab vrbe dimisit inuitus inuitā. Quosdā è gratissimis delicatorū, quāquā tā artifices saltationis,

PHIL. NVptias pollicitus.] Ob hoc Sex. Aurelius videtur appellasse Berenicen Titi vxorem.

Nundinari.] Palàm vendere edicta, sententias paternas. hoc enim significat nūdinari: quo verbo frequenter vtitur Iulius Firmicus, qui in sexto Mathesens ait, quæstus, & libidinis causa pudorem duobus fratribus nundinabit, & ad coitum fratrē inuitabit, & filiū. Idē in primo: Sylla in scurrarū gremiis per damna nū dinati pudoris adoleuit. Idē alibi: Nūdinati, inquit, sanguinis iactura se vendent. Apuleius quoque in hanc significationem ait: Titi nunc iudices sententias suas pretio nundinantur. Igitur Titus dictus est nundinari in concionibus patris, quoniā quotiescunque pater concionabatur, tunc ipse palàm venditabat quæcunque cuicunque collibuissent, nec ad nundinas, vnde verbum deduci videtur, est referendum: cùm nundinari non solum significet in nundinis vendere, atque mercari: sed quocunque loco, & tempore instar nundinarum vendicare: quod & Cicero in tertia Antoniana demonstrat, cum ait: At verò huius domi inter ciues illius appendebatur aurum, numerabatur pecunia vna in domo, omnes, quorū intererat, totum Imperium Romanum nundinabantur. Ab eodem nundinæ flagitiosissimæ immunitatum, oppidorū, vectigalium dictæ: pro turpissimis venditionibus, quæ fiebant in M. Antonii domo, ceu in officina flagitiorū.

Præmiari.] lucrari.

Alium Neronem.] à similitudine morum. Sextus Aurelius: Rapinarum cupidum: vnde Neronem tū-cti vocantes, opinantesque, summam rerum nactum grauiter acceperant.

Pro bono cessit.] Sextus Aurelius: Sed hæc in melius conuersa immortalem ei gloriam contulere.

Et contrà virtutibus summis.] Cum è contrario repertæ in Tito essent virtutes eximiæ.

Iucunda magis, quàm profusa.] Sicut conuiualis profusio reprehendi solet, ita iucunditas, comitásque laudari. In conuiuio debent esse belli conuiuæ, scitus conuiuator, tempus lectum, apparatus non neglectus. Post eum principes.] Ex hoc laudatur Titi solertia, vtpote principis circunspectissimi, qui tales amicos eligebat, vt successuri principes eisdē vterentur: tanquam meliores, vtilioresve reperire non possent. Sumptā sibi.] Corrige, sunt vsi. & hîc distinguendum, vt cum sententia superiore coniūgas: tanquam sit sensus: Principes post Titum vsi sunt præcipue opera illorū, quos Titus amicos elegit. Sic enim elegantior, nitidiórque textura est, & distinctio, quàm si iunctim legas, Præcipuéque sumptam sibi Berenicen: indecora nimirum, & perinde insulsa elocutio. Quocirca ita legito: Præcipueque sunt vsi: vt ibi facta distinctione, & quasi pausa, subsequatur,

Berenicen statim ab vrbe dimisit.] Regia profectò res est, seipsum vincere: & ille cum primis admirabilis, vt inquit Seneca, qui sibi imperat, qui se habet in potestate: cùm facilius sit, gētes barbaras vincere, quàm animum suum continere. Dixit Plato, & repetit Platonicus Apuleius, animanti sanitatem adesse, & vires, & pulchritudinem, cùm rationabilis animæ portio, veluti domina, regináque dominatur, sibiq; subiicit cupiditates, quas ancillari, ac obedienter obsequi decet rationi imperatrici. Valentinus Imperator die fati sui dixit, se vna tantùm victoria gloriari: requisitus qua, respondit, quòd inimicorum nequissimum deuici carnem meam. Alexāder Magnus existimabat nō minùs regium opus esse seipsum domare, quàm hostes. Vnde Plinius Alexandrum Magnum nō minorem illo præclaro facto, quando Apelli dono dedit dilectam concubinam, fuisse autumat, quàm victoria aliqua: quippe tunc se vicit, nec torum tantùm suum, sed etiā affectum donauit artifici. Consimiliter Titus cùm priùs ardenter Berenicen deperisset, postquam factus est Imperator, domitis affectibus, eam remisit in patriā: tanquam alii mores decuissent adhuc priuatum, aliī principi iam facto conuenirent. Hinc ait Sextus Aurelius: Denique vt subiit pondus regium, Berenicen nuptias suas sperantem, regredi domum, & eneruatorum greges abire præcepit: quo facto quasi signum protulit mutatæ intemperantiæ.

Tam artifices saltationis.] Tam peritos, scientésque artis saltatoriæ.

M. A N. NVndinari.] Quæstus causa nundinas celebrare. Erant nundinæ dies, quibus mercandi causa rustici Romam conueniebant: vt sit sensus, solitū Titum vendere, atque emere non pauca ex occasione, quum patre censore vulgus ex agris in vrbem cōueniret, ipséque illius actiones sordidæ negotiationi accommodaret: aut nundinari, nundinas indicere, pactus scilicet cum iis, quorum interesset, pecuniam, vt ex illorum commodo nundinæ indicerentur: atque ob id forte præmiari subiunxit. Cicero nundinationem protulit: Quam in omnibus, ait, locis nūdinationem iuris, & fortunarum fore putatis?

Alium Neronem.] saltandi, cantandíque studio, & libidine.

Pro bono cessit.] Beneuertit.

Summis virtutibus.] Repertis.

Quibus.] viris.

Post eum.] Titum.

Principes.] qui secuti sunt.

Necessariis.] Vtilibus.

Acquieuerunt.] Ob sapientissima consilia multùm tribuerunt, ac quodam modo in cunctis obsecuti sunt.

Inuitus.] Titus.

Inuitam.] Berenicen.

Tam artifices.] adeò docti, ac periti. Artifex is dicitur, qui artem quampiam callens, secundum eam quid facit: sic dictus, quòd scientiam per artus exerceat.

Vt mox scenam tenuerint, non modò fouere prolixiùs, sed spectare in publico omnino cœtu supersedit. Nulli ciuium quicquam ademit, abstinuit alieno, vt si quis vnquam: ac ne concessas quidem, ac solitas collationes recepit. Et tamen nemine ante se munificentia minor. Amphitheatro dedicato, thermisque iuxtà celeriter extructis, munus edidit apparatissimũ, largissimúmque. Dedit & nauale prælium in veteri naumachia, ibidem & gladiatores, atque vno die quinque millia omne genus ferarum.

Natura beneuolentissimus. VIII.

NAtura autem beneuolentissimus, quum ex instituto Tyberii omnes dehinc Cæsares beneficia à superioribus concessa principibus aliter non haberent, quàm si eadem iisdẽ & ipsi dedissent, primus præterita omnia vno confirmauit edicto: nec à se peti passus est. In cæteris verò desideriis animum hominum obstinatissimè tenuit, ne quem sine spe dimitteret: quin & admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur, quàm præstare posset, Non oportere ait quenquam à sermone principis tristem discedere. Atq; etiã recordatus quondam super cœnam, quòd nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam, meritóq; laudatam vocem edidit:

PHIL. VT mox scenam tenuerint.] Hoc specimen est haud dubium, illos fuisse saltationis, & artis ludicræ scios: cùm nullus in scena histrioniam exerceat, nisi optime calleat saltationem, & gesticulationem.

In publico omni cœtu.] Emendatiùs leges omnino, quàm omni, vt sit sensus: Titus cessauit penitus in publico cœtu spectare saltatores, quos gratissimos habebat: tanquam id genus homines in priuato magis, quã in publico spectari à principe conueniat. Supersedit.] cessauit, omisit.

Vt si quis vnquam.] Subintellige abstinuit.

Collationes.] Tributa intelligit, quæ conferri ex more solebãt: vnde à conferendo collationes dictæ. Laudat Traianum Plinius Panegyrista, quòd collationes remiserit, exigique vetuerit.

Nemine munificẽtia minor.] Comparandus liberalitate, & regia munificentia erat omnibus antecessoribus: cùm nullo foret inferior. Vnde fit vt ex hac vel sola virtute sit extollendus, celebrandusq; amplissimo præconio: cùm nulla fermè res tam fauorabilem, támq; amabilem, & laude dignum principem faciat, quàm munificentia, quæ immortalitati consecrauit Alexandrum Magnum, qui aliquando interrogatus, vbi thesauros haberet, apud amicos respondisse fertur: tanquam fideliùs pecuniæ deponãtur apud amicos, quàm in loculis recondantur. Ita tu quoque, inclyte Annibal, facito, vt thesauri tui sint apud amicos: qui munificentia fidissimi, deuotissimique comparantur.

Amphitheatro dedicato.] Eusebius Chronographus, Titus, inquit, amphitheatrum Romæ ædificat, & in dedicatione eius quinque millia ferarum occidit. Idem tradit Eutropius: Conspicabilis adhuc est inter cætera miranda moles amphitheatri, quod opus nullæ priuatæ opes efficere possent.

Celeriter extructis.] Propter hanc in extruendo celeritatẽ videtur dixisse Epigrãmatarius poeta:

Hic vbi miramur velocia munera thermas.

Munus apparatissimum.] spectaculum gladiatorium cum maximo apparatu.

Ibidem.] in naumachia.

Omne genus.] omnis generis. Locutio frequens est, & elegans, omne genus, & id genus, pro omnis generis, & huiusce generis.

Cum ex instituto Tyberii.] Hunc sensum subobscurũ apertioribus verbis explicat Sextus Aurelius, cũ sicait: Dehinc cũ donata, cõcessáve à prioribus principibus firmare insequẽtes solerẽt, simul, vt imperium cepit, talia possidẽtibus edicto sponte cauit, vel concessit. Instituerat enim Tyberius, vt donata, concessáve beneficia à superioribus principibus rata non essent, nisi insequentes eadem cõfirmassent, nouóque quodam quasi beneficio iterum concessissent. Titus verò noluit videri talium ipse beneficiorum exhibitor, nec talia à se peti ampliùs voluit: sed edicto promulgato illa omnia confirmauit, quæ fuerant iam pridẽ à suis concessa antecessoribus.

Non oportere quenquam.] Verbum profectò bracteatum, & principe dignũ, quo Titus formulam præscripsit, quam sequi deberent principes, vt nullum à colloquio suo tristem, mœstúmque abire permitterent.

Super cœnam.] dum cœnaret.

M.AN. SCenam tenuerint.] publicè operam in scena nauerint: aut principes sui ordinis fuerint. Publico in cœtu.] frequentissimo conuentu, aut certè publico spectaculo. Vt si quis.] non minùs quàm quis Imperatorum alius. Nemine minor.] cuiuis priorum principum aut par munificẽtia, aut certe maior.

Amphitheatro dedicato.] Augustus id opus destinauit, Vespasianus extruxit, Titus dedicauit. Amplitudo operis quũ magna adhuc ex parte duret, notior omnino est, quàm pluribus explicari verbis oporteat.

Thermisque iuxta.] amphitheatrum scilicet. De his Martialis:

Hic vbi miramur velocia munera thermas.

Munus.] gadiatorium.

Vno die.] quo gladiatores edidit. Quinque millia ferarum.] Venationem ergo variam, ac pluribus missibus, quàm vnquam anteà vllam, fuisse oportet. Ex instituto Tyberii.] Is enim Cæsaris Dictatoris, & Augusti beneficia irrita habere cœpit.

Iisdem.] in quos collata essent. Iidem ipsi.] qui Imperium tenerent. A se peti.] vt ea confirmarentur. Desideriis.] omnibus, quæ desiderarẽtur.

Laudandam vocẽ.] Scipionis eã fuisse ait Cicero.

Amici, diem perdidi. Populum in primis vniuersum tanta per omnes occasiones comitate tractauit, vt proposito gladiatorio munere, nō ad suum, sed ad spectantium arbitrium editurum se professus sit. Et planè ita fecit. Nam neque negauit quicquam petentibus: & vt quæ vellent, peterent, vltro adhortatus est. Quin & studium armaturæ Thracum præ se fereus, sæpe cum populo & voce, & gestu, vt fautor cauillatus est: verùm maiestate salua, nec minùs æquitate. Ne quod popularitatis prætermitteret, nonnunquam in thermis suis admissa plebe lauit. Quædam sub eo fortuita, ac tristia acciderunt, vt conflagratio Vesevi montis in Campania, & incendium Romæ per triduum, totidémque noctes. Item pestilentia, quanta non temere aliás. In his tot aduersis, ac talibus non modò principis solicitudinem, sed parentis affectum vnicum præstitit, nunc consolando per edicta, nunc opitulando

PHIL. AMici, diem perdidi.] Sextus Aurelius: Quadam etiam die recordans vesperi nihil se cuiquā præstitisse, venerando, cælestique dicto, Amici, ait, perdidimus diem. Caueant itaque principes, ne perdant amici diem: sed quotidie nouis beneficiis nouos sibi amicos concilient: quoniam, vt inquit scienter Sallustianus Sylla apud Iugurtham, nulli vnquam hominum satis fuit amicorum. Scipio Aemylianus, cuius vestigia in hoc imitatus videtur Titus, ex præcepto Polybii studebat non priùs è foro discedere, quàm aliquem ex adeuntibus familiarem sibi, atque amicum quouis pacto effecisset. Vox hæc Titi præconio eruditorum celebrata est adeò, vt eiusdē Eusebius Chronographus meminerit, & Eutropius: ex cuius verbis illud, amici, erit vocatiui casus, & pluraliter enūtiandum: tanquam sit sensus: O amici, ego perdidi diem, nihil beneficii cuiquam præstando. périnde ac dies omnis perdatur, quo nulla vtimur beneficentia. Verba Eutropii hæc sunt: Prætereà cùm quadam die in cœna recordatus fuisset, non vlli illa die se quicquā præstitisse, dixit amicis: Hodie diem perdidi. Alii verò ita legunt, vt amici sit casus patrius, id est genitiuus: tanquam dicere voluerit Titus, se perdidisse diem amici: hoc est, nouæ amicitiæ conciliandæ. Tu quoque, inclyte Annibal, nullum diem perdas, quo non tibi aut ope, aut opibus amicum facias: quorum nulli vnquam fuit satis: qua supellectile nulla pretiosior supellex parari potest.

Comitate.] facilitate, benignitate, suauitate.

Munere.] spectaculo. Armaturæ Thracum præ se ferens.] id est, cùm apertè ostenderet se fautorem esse illius gladiatoriæ factionis, quæ armatura Threcidica armabatur. Erant enim, sicut ante dictum est, quidam gladiatores Thraces nuncupati ab armatura Thraciæ gentis: sicut Mirmillones genere armaturæ Gallico ornati digladiabantur.

Cauillatus est.] cauillatione, & derisione prosequutus est. Plato cauillatricem vocat adulationem legalis partis ciuilitatis.

Verùm maiestate salua.] Decet quidē interdum principem cauillari, illudere, & salibus vti: ita tamen vt maiestatis Imperatoriæ habeat rationem, & seruet decorum: quod in omni vitæ actione seruandum philosophi præceperunt.

Nec minùs æquitate.] Sensus est: Quanuis Titus fauere videretur, & studere his gladiatoribus, qui Thraces dicuntur, tamen æquus erat iudex, & ex æquitate palmam dabat victori.

Admissa plebe.] Nihil potuit à Tito fieri magis populare, magisque plausibile, quàm in thermis suis palàm lauare vnà cum plebeiis, atque plebecula, citra omne discrimen dignitatis: ex quo non solùm thermas, sed principem quoque publicare videbatur.

Vt conflagratio Vesevi montis.] Huius conflagrationis, quæ in Veseuo Cāpaniæ monte facta est principe Tito, meminerunt Sextus Aurelius, Orosius, & Eusebius. Est autem Veseuus, siue Vesuuius, siue Vesbius: tot enim modis dicitur mons Campaniæ iuxta Sarnum fluuium amœnissimis olim habitatus agris, excepto vertice: qui, vt ait Strabo in v. cinerosus est, & cauernosus petris exustis: quas color indicat igni abrosas fuisse: ex quo coniectant eruditi, regionem illā prioribus seculis ardere solitam, & ignis habere crateras. Videtur Papinius in quinto Syluarum significare voluisse hanc Vesuuii conflagrationem, quæ Titi temporibus facta est: sic enim de patre scribens ait:

Iámque & flere pio Vesuuina incendia cantu
Mens erat, & gemitum patris impenderet anois.

Incendium Romæ.] De hoc Sextus Aurelius: Incendium Romę sine nocturna requie per triduū fuit. Hoc incendio plurimas ædes publicas fuisse concrematas memorat Orosius. Pestilentia tanta.] De hac Eusebius sic: Lues ingens Romæ facta, ita vt per multos dies in ephemeridem decem millia ferme mortuorum hominum referrentur.

Nunc opitulando.] auxiliando, opémque ferendo. Antiqui Iouem cognomento Opitulum vouerūt, ab eo, quòd opem indigentibus ferret: author Augustinus in VII. de ciuitate Dei.

M. A N. ARbitrium.] voluntatem.

Thracum.] gladiaturam exercentium.

Fautor.] vt vnus ex fautoribus.

Cauillatus est.] tempestiuo cauillo studium dissimulauit suum.

Thermis.] quas celeriter construxerat.

Vesuuii montis.] Vesuuii conflagrationē Plinius Iunior ad Tacitum Cornelium scribens longiore explicat epistola. Martialis quoque eleganti est epigrammate id incendium secutus. Papinius:

Iámq; & flere pio Vesuuina incendia cantu
Mēs erat, quū pater exemptū terris ad sydera mōtē.
Sustulit: & latè miseras deiecit in vrbes. Sic quoq; Eusebius: Vesuuii incendio proximæ regiones, & oppida vastata sunt. Est is mons Campaniæ vel ob eam cladem celebratissimus.

Quate

quatenus suppeteret facultas. Curatores restituendæ Campaniæ è consularium numero sorte duxit: Bona oppressorum in Veseuo, quorum hæredes non extabant, restitutioni afflictarum ciuitatum attribuit. Vrbis incendio nihil, nisi sibi, publicè perisse testatus, cuncta prætoriorum suorum ornamenta operibus, ac templis destinauit: præposuítque complures ex Equestri ordine, quò quæque maturius peragerentur. Medendæ valetudini, leniendísque morbis nullam diuinam, humanámque opẽ non adhibuit, inquisito omniũ sacrificiorũ, remediorúmq; genere. Inter aduersa temporum, & delatores, mandatorésq; erant ex licentia veteri: hos assiduè in foro flagellis, ac fustibus cæsos, ac nouissimè traductos per amphitheatri arenam, partim subiici in seruos, ac venire imperauit, partim in asperrimas insularum auehi. Vtque etiam similia quandoque ausuros perpetuò coerceret, vetuit inter cætera

PHIL. Quatenus suppeteret facultas.] in quantum pro facultatibus succurrere posset. Restituendæ Campaniæ.] Illo Vesuuino incendio regiones vicinas, & vrbes cum hominibus exustas esse, testes sunt Eusebius, & Orosius: vnde à Papinio dictum est in Epicedio patris:

Exere semirutos subitò de puluere vultus
Parthenope, cineremq; afflato mortè sepultam
Pone super tumulos, & magni funus alumni.

Afflictarum ciuitatum.] Modò diximus, incendia Vesuuina vrbes cũ hominibus afflixisse, deleuisseque.

Vrbis incẽdio.] Explicauit remedia à Tito adhibita ad iuuandam cladem conflagrationis Vesuuinæ: nũc exequitur remedia, quibus Romanis opitulatus est afflictis illo incendio, quod triduum, trinoctiúmque vexauerat Romam.

Prætoriorum.] villarum elegantiorum, villaticarúmq; substructionum excultarum. De prætoriis non pauca in superioribus.

Operibus, ac templis destinauit.] Titus vt ageret optimum principem, sustulit ornamẽta ex villis suis, atq; prætoriis, & ea trãstulit ad ornatum templorũ, & operum publicorum, quæ Romæ conflagrauerant. Quæ autem sint ornamenta prætoriorum, indicat Plinius scribens in xxxvi. Reliquias apparatus theatralis à Mar. Scauro transportatas fuisse in Tusculanam villam ornatus causa, inter quæ ornamenta tabulas pictas, signa ærea, & vestem aulicam olim erat. Quò quæque maturiùs.] vt singula quæque citiùs absoluerentur. Medendæ valetudini.] Hoc ad pestilentiam referendum est, cui cunctis remediorum generibus subuenit, nunc ægrotantes per semet ipsum reficiens, nunc consolans suorum mortibus afflictos.

Nullam non opem.] omne genus remediorum.

Sacrificiorum.] Hoc ad diuinam opem refertur, sicut remediorum ad humanam. Mandatores.] Hîc mandatores significantur occulti delatorum impulsores, subornatorésve, qui non ipsi accusant, sed aliis mandant accusationes: quod genus hominum cùm perniciosissimum sit, in bene instituta ciuitate nequaquam est retinendum. Talem fuisse Aemylianum indicat Apuleius in Apologia, qui per Aoronium Pudentem accusabat ipsum Apuleium: & ita alius erat ex professo author accusationis, alius mandator, & machinator ex occulto.

Ex licentia veteri.] Impunitas peccandi parit multitudinem peccantium: cum ex licentia mortales fiãt in dies deteriores.

Hos.] tam delatores, quàm mandatores.

Flagellis, ac fustibus.] flagellatione, & fustuario supplicio.

Traductos.] veluti per ignominiam: hoc enim significat traducere, quod Græci dicunt παραδειγματίζειν. Vnde in Euãgelio scriptum est: Et nolens eam traducere, voluit occultè eam dimittere. vbi exposuit interpres non insulse, propalare, & infamare. Papinius:

In summa nempe ego sum qui traducor. & à Martiale dictum:

Rideris, multóq; magis traduceris Afer.

Seneca quoque in hoc significatu sic inquit in decimoseptimo Epistolarum: Volo luxuriam obiurgari, libidinem traduci.

Per amphitheatri arenã.] Ob hoc dixisse videtur Epigrãmaticus poeta:

-Nec cepit arena nocentes,
Et delator habet quod dabat exilium.

Ac venire.] vendi tanquam seruitia, mancipiáque venalia.

In asperrimas insulas asportari.] Est inter genera pœnarum, sicut ante dictum est, in insulam deportatio, quæ ab Ammiano insularis pœna dicitur. Plinius in Panegyrico laudat Traianum, quòd idem factitauerit, quòd delatores puniuerit, quorum turba insulas compleuit, quorum supina ora, retortásque ceruices spectauere Romani, cùm velut piaculares victimę ad supplicia ducerentur.

Similia.] delationes, & mandationes similes.

M.AN. Suppeteret facultas.] abunde sufficeret.

Restituendæ Campaniæ è consularium.] Vesuuina clade affectæ. Papinius:

-Procerum tibi nobile vulgus
Crescit, & insani solatur damna Veseui.

Afflictarum.] eo incendio.

Vrbis incendio.] eius cladis vrbanæ. Idem Eusebius est author.

Ornamenta.] columnas, statuas, tabulas, & alia huiusmodi ad domorum ornatum attinentia.

Prætoriorum.] campestrium ædificiorum. Villam vrbanam Palladius Prætorium appellat his verbis: Ipsius etiam Prætorii situs sit loco aliquatenus erectiore, & sicciore, quàm cætera.

Operibus, & templis.] quæ in vrbe conflagrarãt.

Nullam non.] omnem.

Per amphitheatri arenam.] Martialis:

Turba grauis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes,
Tradita Getulis, nec cepit arena nocentes:
Et delator habet quod dabat exilium.

Similia.] delationes, & calumnias.

De cad

de eadem re pluribus legibus agi, quærive de cuiusquam defunctorum statu vltra certos annos.

Clementia eius, & mansuetudo. IX.

PONtificatum maximum ideo se professus accipere, vt puras seruaret manus, fidem præstitit, nec author posthac cuiusquam necis, nec conscius: quanuis interdum vlciscendi causa non deesset, sed periturum se potiùs, quàm puniturum adiurans. Duos patritii generis conuictos in affectatione Imperii, nihil ampliùs, quàm vt desisterent, monuit, dicens principatum fato dari: si quid prætereà desiderarent, promittens se tributurum. Et confestim quidem ad alterius matrem, quæ procul aberat, cursores suos misit, qui anxiæ filium saluum nuntiarent. Cæterùm ipsos non solùm familiari cœnæ adhibuit, sed & insequenti die gladiatorum spectaculo circa se ex industria collocatis, oblata sibi * ornamenta pugnantium inspicienda porrexit. Dicitur etiam cognita vtriusque genitura, imminere ambobus periculum affirmasse, venturum quandoque & ab alio, sicut euenit. Fratrem insidiari sibi non desinentem, sed penè

PHIL. DE eadem re pluribus legibus agi.] Multa sunt inuenta legum diuerticula, & vafritiæ: vt si actionem intendero aduersario secundum formulam legis Aquiliæ, & ille absoluatur, tunc alterius legis actionem mihi competere dicam, vt ita infelix reus diuexetur. Ad hæc vaframenta, calumniásque tollendas noluit Titus vt de eadem re actio fieret pluribus legibus, sed vna tantum lege competeret. Apud Iurisconsultos hoc frequenter inuenies, quòd in re vna actiones plures dantur ex variis legibus: hoc fieri vetuit Titus, qui etiam prohibuit inquiri de statu alicuius defuncti vltra certos annos, quos ipse præscripsit: cùm sæpe exoriantur calumniæ ex quæstione, quonam statu fuisset ille, qui defunctus est. Nam status mutata cõditio plerunque immutat hæreditatem.

*arma

Puras manus.] puras à sanguine, scilicet Romanorum, & cæde. Talis enim pontifex esse debet. Eutropius: Tantæ ciuilitatis in Imperio fuit, vt nullum omnino puniret. M. Antoninus petiit ne quis Senator tempore principatus sui occideretur, ne eius pollueretur Imperium.

Posthac.] post acceptum pontificatum.

Cõuictos in affectatione Imperii.] Hãc historiam Sextus Aurelius explicat his verbis: Clementiam verò vsque eò perduxit, vt amplissimi ordinis duo cùm aduersum eum coniurassent, neque abnuere cogitatum scelus quirent, monuerit primò: pòst deductos in spectaculum circa se vtrinque assidere iusserit, petitóque ex industria mirmillonum, quorum pugnæ visebantur, gladio, quasi ad explorandam aciem, vni, atque alteri commiserit: quibus perculsis, & cõstantiam mirantibus, diceret: Videtisne potestates fato dari, frustráque tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu?

Desisterent.] cessarent ab affectatione Imperii.

Dicens principatum fato dari.] Næuius poeta dixit, Metellos fato Romæ Consules fieri: & Homerus à Ioue reges esse cecinit. Vnde cùm principatus detur diuinitus, non minùs verè, quàm scitè dictum est à Marco Antonino: Successorem suum nullus occidit. Constantinus dicere solebat, Imperatorem esse, Fortunæ est. Attende, quæso, quid scribat Iulius Firmicus de fato Imperatoris: sic enim inquit in secundo Matheseos: Imperator stellarum non subiacet cursibus: & solus est, in cuius fato stellæ decernendi non habent potestatem. Cum enim fuerit totius orbis dominus, fatum eius Dei summi iudicio gubernatur.

Alterius.] vnius de duobus, quos conuicerat aduersus se ipsum coniurasse.

Auxiæ.] solicitæ matri de euentu filii in coniuratione conuicti.

Ex industria.] ex composito.

Ornamenta.] Expone gladios Mirmillonicos: sicut Sexti Aurelii verba dudum relata testantur.

Inspicienda.] vt inquit Aurelius, quasi ad exploran dam aciem, vni, atque alteri commisit.

Genitura.] natiuitate.

Ab alio.] Quidam codices habent, ab altero: tanquam dixerit Titus ambobus illis patritiis de coniuratione conuictis periculum euenturum, quod alter alteri moliretur. vel ab alio dixit, quod elegantius est, vt significaret se nullo tempore insidiaturum vitæ illorum, sed alium quendam vtrunque perditurum: sicut euenit.

Fratrem insidiari.] Sextus Aurelius: Fratrem quoque Domitianum parantem insidias, militúmque animos solicitantem flens sæpius obtestatus est, ne parricidio assequi cuperet, quod & se volente esset obuenturum ei, & iam haberet, cùm esset particeps potestatis. Penè.] quasi.

PLuribus legibus.] Ne miseris ciuibus fraus necti posset falsa legum interpretatione. M. A N.

Quæri.] vetuit scilicet.

Vltra certos annos.] post certum temporis spatium, quod ipse suo arbitrio statuisset.

Puras.] ab omni cæde. Ouidius:

Non bene cælestes impia dextra colit.

In affectatione.] studio, cupiditate occupandi Imperii.

Suos.] proprios, Titi dico.

Anxiæ.] solicitæ.

Instrumenta.] gladiatorum, quæ in illorum manibus iure poterant sibi esse suspecta.

Vtriusque.] coniuratorum.

Affirmasse.] Titum.

Venturum.] periculum. Ab alio.] qui eos omnino perderet. Fratrem.] Domitianum.

ex professo solicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, neque seponere, ac ne in minore quidem honore habere sustinuit, sed vt à primo Imperii die consortem, successorémque testari perseuerauit, nonnunquam secretò lacrymis, & precibus orans, vt tandem mutuo erga se animo vellet esse.

Gesta per eum in morte. X.

INter hæc morte præuentus est, maiore hominum damno, quàm suo. Spectaculis absolutis, in quorum fine populo coram vbertim fleuerat, Sabinos petit aliquantò tristior, quòd sacrificanti hostia aufugerat, quódque tempestate serena tonuerat. Deinde ad primam statim mansionem febrim nactus, quum inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis * plagulis cælum, multúmque conquestus eripi sibi vitam immerenti. Neque enim extare vllum suum factũ pœnitendũ, excepto duntaxat vno: id quale fuerit, neq; ipse tunc prodidit, neq; cuiquã facilè succurrit. Quidam opinantur cõsuetudinẽ recordatum, quã cũ fratris vxore habuerit: sed nullã habuisse persanctè Domitia iurabat, haud negatura

* pallulis

PHIL. EX professo.] ex aperto, citra dissimulationem. Neque seponere.] sequestrare, ablegare, amandare: sicut Augustus olim Agrippam seposuit Surrentum, ob vecors ingenium. Consortem.] participem Imperatoriæ potestatis. Mutuo animo.] fraterno, & in amore mutuiter respondente.

Morte præuentus est.] Obseruaui diligenter apud Philostratum de morte Titi aliter tradi, quàm memoret Tranquillus, & reliqui prodiderint. Is enim scribit in sexto de vita Apollonii, Titum ab Apollonio admonitum, vt ab his sibi caueret, qui essent propinquissimi: necatúmque esse eum memorat à Domitiano, veneno leporis marini propinato: quo Neronem quoque tradunt multos in conuiuiis sustulisse. Est enim lepus marinus venenum aliis in potu, aut in cibo datus: aliis etiam visus. siquidem grauidæ si aspexerint leporem marinum, nauseãt, ac deinde abortum faciunt. Quàm suo.] Mors boni principis publica iactura est. Vbertim.] abundanter, & largé.

Sacrificanti hostia aufugerat.] Dirum omen hoc veteres esse arbitrabantur, quoties hostia traheret se ab aris, & aufugeret. Hinc à Lucano inter prodigia Pharsalicæ cladis hoc quoque positum:

Admotus superis discussa fugit ab ara
Taurus.-

Liuius quoque ait factum esse omen cladis futuræ Flaminio Consuli, cui immolanti vitulus ictus è manibus sacrificantium sese proripuit, multósque circunstantes cruore respersit.

Tempestate serena.] Hoc alii pro læto, felicique anspicio obseruauerũt, sicut indicat illud Ennianum:

Cùm tonuit læuum bene tempestate serena.

Vnde ait Cicero: Quædã nobis videntur aduersa, quæ Græcis, & barbaris bona existimantur: cùm alii aliter obseruent signa. Sereno autem cælo aliquando tonare refert Seneca in primo Quæstionum: quia, inquit, infirmus spiritus, qui in flamma non valuit, in sono valuit. Serena autem scitè addidit: quia tempestas est μέσον, hoc est medium vocabulum. Itidem Vergilius:

Vnde hæc tam clara repentè tempestas? Plinius verò in XVIII. Debemus, inquit, meminisse duo esse genera cælestis iniuriæ: vnum, quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteráque similia intelliguntur: quæ cùm acciderint, vis maior appelletur: hæc ab horridis syderibus exeunt, veluti Arcturo, Orione, & Hœdis.

Primam ad mansionem.] Plinius nauigationem ex Aegypto diuidit per dispositas mansiones, in quibus mansitare possint commodè viatores. Cùm inde lectica.] ex prima mansione. Suspexisse.] sursum cælum aspectasse.

Dimotis pallulis.] sublatis vestimentis, quibus lectica erat operta: nanque à palla ἀπὸ χειριςικῶς, id est, diminutiue fit pallula. quod si legas plagulis, sensus erit apertior: tanquam plagulas, id est linteola, & stragulam vestem lecticariam dimouerit Titus, vt cælum suspicere posset. Iurisconsulti inter vestimenta muliebria numerant plagulas.

Pœnitendum.] reprehensibile, cuius pœnitudine afficeretur. Gloriatur Apuleius, nullum suum factum, vel dictum extare, de quo differere publicè non possit. M. Portius Cato trium rerum pœnitentiam agere se dicebat: Primum si mulieri quicquã arcanum aliquando credidisset. Secundum, si aliquò naui transmisisset, quò itinere terrestri sibi proficisci licuisset. Tertium, si qua dies sibi per incuriam inanis effluxisset. Rex regum Sapor in epistolis ad Constantium Imperatorem gloriabundus sic scribit: Ab adolescentia prima nihil vnquam pœnitendum admisi.

Prodidit.] demonstrauit, ostendit.

Succurrit.] in mentem venit.

Cum fratris vxore.] cum Domitiani vxore nomine Domitia.

Consuetudinem.] Ad stuprum, adulteriúmque refertur.

Persanctè.] religiose, asseueratéq;. aduerbiũ est.

M. AN. EX professo.] apertè, nulla dissimulatione. Meditantem fugam.] ex vrbe effugere parantem, vt ad exercitus, aut aliò ad res nouas proficisceretur.

Seponere.] perpetuò relegare. In fine quorũ.] spectaculorum. Vbertim.] abundè, multis lacrymis. Sacrificanti.] sibi.

Serena tempestate.] sereno cælo.

Ad primam mansionem.] vbi primò pernoctauit.

Dimotis pallulis.] Sic omnes, quos vidi, habent codices, sed plagulis meliùs, veriúsque legetur: plaga linteum torale, seu lecticarium dicebantur: vnde plagula est.

Pœnitendum.] cuius se meritò pœniteret.

Prodidit.] palàm fecit.

Vxore.] Domitia Longina.

Si qua

si qua omnino fuisset, imò etiam gloriatura: quod illi promptissimum erat in omnibus probris.

Locus, & tempus mortis eiusdem. XI.

EXcessit in eadem, qua pater, villa, Idibus Septembris, post biennium, & menses duos, diésque viginti quàm successerat patri, altero & quadragesimo ætatis anno. Quod vt palàm factum est, non secus atque in domestico luctu mœrentibus publicè cunctis, Senatus prius, quàm edicto conuocaretur, ad curiam cucurrit: obseratísque adhuc foribus, deinde apertis, tantas mortuo gratias egit, laudésque, quantas congessit ne viuo quidem vnquam, atque præsenti.

PHIL. SI qua.] consuetudo scilicet adulterii. Illi.] Domitiæ.

In omnibus probris.] stupris, & flagitiis: nam, vt inquit eleganter Satyricus poeta,

-Famam contempserat olim:
Cuius apud molles minima est iactura cathedras.

Excessit.] periit.

Altero & quadragesimo.] id est, quadragesimo secundo.

Non secus atque.] id est, non aliter, quàm in domestico luctu.

Mœrentibus publice cunctis.] Sextus Aurelius: Vixit annis quadragintaduobus, & in eodem, quo pater apud Sabinos, agro febre interiit. Huius mors credi vix potest quantum luctus vrbi, prouinciisque intulerit, adeò vt eum delicias publicas appellantes, quasi perpetuo custode orbatum terrarum orbem deflerent.

Senatus ad curiam cucurrit.] de nocte scilicet, cùm circa vesperam nuntiatus fuisset obitus Titi.

Obseratis adhuc foribus.] clausa curiæ ianua.

Quantas congessit.] Idem Eutropius iisdem verbis memorat. sic enim ait: Tantus luctus eo mortuo publicus fuit, vt omnes tanquam in propria doluerint orbitate. Senatus, obitu ipsius, circa vesperam nuntiato, nocte irrupit in curiam, & tantas ei laudes, gratiásque congessit, quantas nec viuo vnquam egerat, nec præsenti: & inter diuos relatus est. Quocirca ita viuendum est, inclyte Annibal, vt nihil pœnitendum admittamus, vt in vita amemur, post obitum desideremur, laudemúrque: sicut Titus desideratus ob bonitatem, laudatúsque est.

M. A N. ILli.] Domitiæ. Probris.] flagitiis. Altero & quadragesimo.] duos & quadraginta natus annos.

Obseratis.] clausis. Egit.] agens censuit: aut certe dicendo, id defuncto præstitit.

PHIL. 
SICVT primus Cæsarũ inter optimos ob virtutem enumerari meruit, ita hic nouissimus inter pessimos ob nequitiam referri debet, qui Caligulæ, & Neroni, quàm patri, fratrique similior, egit malũ principem: qui paulatim per omnes scelerum gradus creuit, secũdúsque à Nerone persecutionem in Christianos secundam agi imperauit, tanta est feratus superbia, vt dominum, ac deum sese vocari, scribi, coli iusserit: sed hominis exitus euidẽter ostendit, Deum curare mortalia, qui meritas pœnas irrogauit cruentissimæ bestiæ: vt sicut crudeliter vixerat, ita & crudeliter moreretur. Sed iã interpretationẽ aggrediamur, vt tandem ad calcẽ, quod dicitur, nostra decurrat oratio.

C. SVETONII TRANQVILLI
LIBER XII.

Diuus Domitianus Imperator.

Domitiani ortus, & adolescentia. 1.


OMITIANVS natus est nono Calendas Nouembris, patre Consule designato, ituróq; mense insequenti honorem, regione vrbis sexta ad Malum Punicum, domo, quam posteà in templum gentis Flauiæ conuertit. Pubertatis, ac primæ adolescentiæ tempora tanta inopia, tantáque infamia gessisse fertur, vt nullum vas argenteum in vsu haberet. Satísque constat, Clodium Pollionem prætorium virum, in quem est poema Neronis,

Honorem.] Cõsulatum. Mense insequenti.] Nouembri mense.

Regione vrbis sexta.] Romam in regiones quatuordecim fuisse diuisam, suprà memorauimus.

Ad malum Punicum.] Nomen est vici, qui erat in sexta regione vrbis Romæ: videtúrque ita appellatus ab arbore, quæ illhic speciosa succreuerat, quam malum Punicam vocamus: aliqui granatum appellant. Est quoddam mali Punici genus Apyrinon dictum, cui lignosus nucleus abest, blandiores sunt acini, minúsque amari: cuius Plinius, Martialis, & Seneca meminerunt. Græci ῥοιὰν vocant malum Punicum: vnde Rhoiton vinum ex malis Punicis factum. Punici mali nouem genera celebrantur: ex his dulcia, quę apyrina appellari docuimus, stomacho inutilia habentur: quæ vinosa dicuntur, vtiliora paulò intelliguntur. Cortex mali Punici acerbus in magno vsu est. Vulgus coria maximè perficere illo nouit: ob id malicorium appellant medici. Expetitur in grauidarum malacia. Ita enim nominatur mollities illa languentis stomachi, cui grauidæ sunt obnoxiæ. Flos mali Punici balaustium vocatur: quorum farina dysentericos à morte reuocari inuentum est. Sed, vt ad Suetonium regrediamur, ita vicus hic nomẽ videri potest accepisse à malo Punico, sicut alter à pyro dictus est ad pyrum: de quo est illud Martialis hendecasyllabon:

Longum est, si velit ad pyrum venire.

In templum gentis Flauiæ.] Infrà dicetur quemadmodum Domitianus construxit templum in honorem familiæ suæ, quæ Flauia dicebatur: de quo intellexit Papinius, cùm ait in IIII. Syluarum:

Qui genti patriæ futura semper
Sancit limina, Flauiúmque caelum.

Nullum vas argenteum.] Hoc pertinet ad inopiam declarandam: cùm in vsu, & supellectile vel privatorum vasa habeantur argentea. Escarium argentum dicitur, quod ad epulandum est accommodum: sicut potorium, quod potus causa habetur. Quærit Pomponius Iurisconsultus, nunquid in argento potorio contineatur id etiam, quod ad præparationem bibendi comparatum est: veluti columnarium, & vrceoli. Et putat contineri: sicut in escario argento putat contineri aquiminarium, quoniam propter escã paratur. Est enim aquiminarium, quo manus lauantur. Luxuria gliscente coquinaria quoque vasa ex argenteo factitata sunt: ex quo exiit illud Plinianum: Vasa coquinaria ex argento Caluus orator fieri queritur.

MARCI Antonii Sabellici ad Augustinum Barbadicum serenissimum Venetiarum principem paraphraseos in Domitianum Parænesis duodecima.

M.AN. 
ATRE Consule.] Vix Vespasiani duo, qui stabilitum per manus Imperium Domitiano tradiderunt, tam populares, Augustine dux iucundissime, fuerunt, quàm ipse, qui longissime ab optimo suorum instituto recessit, publice, & priuatim inuisus. Potuisset profectò in optimi principis mores domestico exẽplo natura illa formari, nisi praua, & indocilis fuisset, ac certè talis, vt bonos mores alere non posset. Sed tulit ille crudelitatis suæ præmia: & si serò, tulit tamen, diis quidem, & hominibus infestus. Felicior igitur ducaria ista Reipublicæ successio, in qua nunquàm defuerunt, qui non virtutis æmulatione accensi, & clementia, & pietate suos præcessores aut superare contenderint, aut, quod minimum fuit, æquare. Sed quum longa serie multi sint eiusmodi exempla secuti, tu sane egregiam in tam illustri æmulatione laudem ad hunc diem consecutus, adeóque præclara virtutis exercitatione profecisti, vt qui te vno optimi cuiusque laudes meliùs effinxerit vnquam, ad hunc diem extiterit nemo. Nunc quia patre Consule natum Tranquillus ait, de primo Vespasiani Consulatu intelligi oportet, quem Claudio principe duobus nouissimis anni mensibus gessit.

Sexta regione.] Fuit, vt Plinius scribit, Roma in XIIII. diuisa regiones, & vicos mille. Mœnia eius collegere ambitu anno conditæ DCCCXXVIII. passuum millia tredecim atque ducenta.

Ad malum Punicum.] Vicum intellige, siue insulam, à mali Punici arbore, quæ illhic forte fuit, appellatam: sic & ad Annularias scalas: & ad Capita bubula superiùs dixit, Martialis:

At mea dypsanas spectant cœnacula laurus.

Quod

quod inscribitur*Luscio, chirographum eius conseruasse, & nonnunquam protulisse, noctem sibi pollicentis: nec defuerunt, qui affirmarent corruptum Domitianũ & à Nerua successore mox suo. Bello Vitelliano confugit in Capitolium cum patruo Sabino, ac parte præsentium copiarum: sed irrumpentibus aduersariis, & ardente templo, apud ædituum clàm pernoctauit, ac manè Isiaci celatus habitu, intérque sacrificulos vanæ superstitionis, quum se trans Tyberim ad condiscipuli sui matrẽ comite vno contulisset, ita latuit, vt scrutantibus, qui vestigia subsecuti erant, dephrehẽdi non potuerit. Post victoriã demum progressus, & Cæsar consalutatus honorem Præturæ vrbanæ cum consulari potestate suscepit titulo tenus, quam iurisdictionem ad collegam proximum transtulit. Cæterùm omnem vim dominationis tam licenter exercuit, vt iam tum qualis futurus esset, ostenderet. Ne exequar singula,

* Lusio

PHIL. Quod inscribitur Luscio.] Hoc refertur ad infamiam significandam. Magis autem videtur legendum esse Lusio, quàm Luscio: vt scilicet inscriptio libri Neroniani sit Lusio dicta, propter lusus, & scommata, quibus explicabatur argumentũ rei, & materia libri. Nã Lusionem ludum veteres dixere. Cicero: In Tusculanum proficiscẽs, ducénsque Ciceronẽ meũ in ludum discendi non lusionis. Et à Papinio pilaris lusio dicta est, pro ludo pilæ. Quòd si legas Luscio, videri poterit nuncupatus liber à nomine proprio, vt dialogi Platonis à sermocinantibus nominantur.

Nonnunquam protulisse.] Quãdoque publicasse, ostentasse.

Pollicentis.] Domitiani.

Noctem.] Concubitũ nocturnũ.

A Nerua successore.] Non videtur libido tam obscœna cadere in mores Neruæ, qui successit in Imperio Domitiano, quem Apollonius Tyanæus regnaturum affirmauerat, quem virum probum, honestúmque vidisse se dixit, eúmque omni laude dignum iudicauit, quem ridentem nunquàm viderit, neque ludentem.

Bello Vitelliano.] Quo Vitellius, Vitellianiq; contra Flauium Vespasianũ, Flauianósq; depugnauerunt.

Irrumpentibus aduersariis.] Corn. Tacitus: Irrumpunt Vitelliani, & cuncta sanguine, ferro, flammísque miscent.

Templo.] Capitolio: de cuius incendio antè dictũ est. Apud ædituũ.] Cor. Tacitus sic scribit: Domitianus prima irruptione apud ædituum occultatus, solertia liberti lineo amictu turbæ sacricolarum immistus, ignarúsq; apud Cornelium Primũ maternũ clientem, iuxta Velabrum delituit: ac potiente rerum patre, disiecto ædituí contubernio, modicũ sacellum Ioui conseruatori, arámque posuit casus in marmore expressam: mox Imperium adeptus Ioui Custodi templum ingens, seque in sinu dei sacrauit. Aedituus autem significatur ille, qui præest tuendis ædibus: veteres æditimũ appellauerunt. Lucretius pro æditui s æditumentes appellat. Scribit Iulius Firmicus, æditos nasci, aut hierodulos, hoc est templorum ministros, qui in x x v i. parte Geminorum habuerint horoscopum.

Isiaci.] Isiacos vocamus sacrificolas, sacerdotésque deæ Isidis. Plinius refert in x x v i i. quòd absynthii ramum Isiaci præferre solenne habent. Lampridius in Commodi Cæsaris vita sic inquit: Isiacos pineis vsq; ad perniciem pectus tũdere cogebat, cùm Anubin portaret. Refert Valerius libro septimo dictorum, factorúmque memorabilium, M. Volusium proscriptum, assumpto Isiaci habitu, per itinera stipem petentem fefellisse, eáq; fallacia incolumem in Marci Bruti castra peruenisse.

Habitu.] Vestimento lineo. Hic enim habitus est Isiacorum, & sacerdotum: quod alibi latissime explicauimus: ex quo linigeri nuncupati. Apuleius scribens pompam Isiacorũ sacerdotum ait, eos fuisse linteæ vestis candore purè luminosos. Idem alibi memorat, linum, vt pote mũdissimum vsurpari à mũdissimis Aegyptiorũ sacerdotibus, nõ modò indutui, & amictui, sed opertui quoq; in rebus sacris. Vanæ superstitionis.] Deæ Isidis: quam superstitionem perfricat Satyrico sale Iuuenalis.

Cõdiscipuli sui.] Cornelius Tacitus hunc appellat Cornelium, ai:q; fuisse maternũ clientem.

Scrutantibus.] Inquirentibus Vitellianis.

Cæsar consalutatus.] Cornelius Tacitus: Domitianum postquàm nihil hostile metuebatur, ad duces partium progressum, & Cæsarem consalutatum, miles frequens, vtq; erat in armis, in paternos penates deduxit.

Vrbanæ.] Duos prætores fuisse: alterum, cui iurisdictio vrbana: alterum, cui peregrina demandabatur: suo loco retulimus.

Titulo tenus.] Vt prætor diceretur: quum tamen iurisdictionem prætoriam transtulisset ad alterum prætorem.

M. A N. Chirographum.] Domitiani adolescentis.

Noctem pollicentis.] Obscœnum, & nefarium noctis obsequium. Corruptũ.] Pretio constupratũ.

Aduersariis.] Vitellianis. Aedituum.] Aedis custodem. Isiaci.] Lampridius, Isiacorum, inquit, capita grauiter obtundebant ora simulacri. & rursus: Sacra coluit Isidis, vt & caput raderet, & Anubin portaret. Vtebantur ad hæc lineis vestibus. Ouidius:

Nec fuge linigeræ Memphitica templa iuuencæ.

Martialis: Linigeri fugiunt calui, sistratáque turba:

Lucanus: Euoluam busto iam numen gentibus Isim,

Et tectum lino spargam per vulgus Osirim. Plinius de lino: Vestes inde sacerdotibus Aegypti gratissimæ. Ergo lineo habitu, capitéque deraso e Capitolio clandestine Domitianum missum intellige.

Vanæ.] Assimulatæ: proprium autem superstitionis expressit epithetum. Vergilius:

Vana superstitio.

Condiscipuli.] Secum sub eodem præceptore Instituti. Cæsar.] Imperatoris filius successor, seu Imperii particeps.

Iurisdictionem.] Prætorii muneris.

Tam licenter.] Tanta licentia.

Qualis.] Pessimus scilicet.

Cont

contrectatis multorum vxoribus, Domitiam Longinam Aelio Lamiæ nuptam, etiam in matrimonium abduxit, atque vno die super viginti vrbana officia, atque peregrina distribuit, mirari se Vespasiano dictitante, quòd successorem non & sibi mitteret.

Gesta per eum ante principatum. II.



Xpeditionem quoque in Galliam, Germaniásq;, neq; necessariam, & dissuadentibus paternis amicis inchoauit, tantùm vt fratri se & operibus, & dignatione adæquaret. Ob hæc correptus, quò magis ætatis, & conditionis admoneretur, habitabat cũ patre vnà, sellámque eius, ac fratris, quoties prodirent, lectica sequebatur, ac triumphum vtriusque Iudaicum, equo albo comitatus est. In sex Consulatibus, non nisi vnum ordinarium gessit, eúmque cedente, & suffragante fratre. Simulauit & ipse inire modestiam: in primísque poeticæ studium, tam insuetum anteà sibi, quàm posteà spretum, & abiectum: recitauítque etiam publicé. Nec tamen eò seciùs, quũ Vologesus Parthorum rex auxilia aduersus

PHIL. Contrectatis vxoribus.] Tacitus in hanc sententiam ait: Stupris, & adulteriis filium principis agebat Domitianus.

Aelio Lamiæ.] Familiam Lamiarũ vetustam fuisse & nobilem notum est vel ex illo carmine Horatiano:

Aeli vetusto nobilis ab Lamo.

De Lamiis mox plura.

Super viginti.] Id est, vltra viginti.

Vrbana.] Quæ in vrbe exercebantur.

Quod successorẽ sibi non mitteret.] Hoc dicto pater taxauit filiũ tanquã immodicum, & parum in principatu temperatum, qui officia ex arbitrio suo distribuebat, & successores mittebat rectoribus prouinciarum.

Expeditionem in Germanias.] De hac Domitiani adhuc pueri expeditione Germanica sentire videtur Silius, cùm ait in tertio Punicorum:

At puer auricomo præformidate Batauo.

Germanias ideo pluraliter protulit, quia & superior, & inferior Germania est. Fratri.] Tito.

Aetatis.] Quæ adhuc erat penè puerilis, neq; tantæ expeditioni par.

Conditionis.] Cùm adhuc priuatus foret, cùm frater Titus vnà cũ patre Imperii habenas moderaretur.

Sellam sequebatur.] Curulem sellam significat, qua in curru Vespasiani pater & filius vectabantur.

Equo albo comitatus.] Iosephus libro VII. belli Iudaici sic inquit: Post quæ Vespasianus prior ibat, & Titus deinde sequebatur, Domitianus adequitabat, ipse quoque ornatus pulcherrimè, dignúmque spectari exhibens equum. Scribit M. Tullius in oratione pro Murena, solitos filios triumphantium, maximè prætextatos, sedere in equis ipsius triumphatoris: vt non absurdè equus funalis ille, de quo in Tyberio satis multa, posset referri ad hunc sensum, tanquam Marcellus, & Tyberius, périnde ac prætextati filii sederint in equis, alter in dextro, alter in sinistro triumphantis Augusti.

Ordinarium.] Ad differentiam eorum Consulatuum, qui suffecti dicuntur: de quibus suprà.

Inire modestiam.] Quidam codices habent mirè, vt sit aduerbium, quod mirificè significat.

Poeticæ studium.] Hinc scriptores illius temporis per assentationem laudauerunt Domitianum, tanquã poetica præcellentem: sicut Quintilianus in decimo de Domitiano loquens scribit hæc: Hos nominamus, quia Germanicum Augustum ab institutis studiis deflexit cura terrarum, parúmque his visum est esse eum maximum poetarum. Et mox paulò: Nos tamen sacra literarum colentes feras Cæsar: si non hoc tacitum præterimus, & Vergiliano certè versu testamur:

Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

Idem in quarto de Domitiano loquẽs ait: Ne fefellisse in his videar principem, vt in omnibus, itẽ in eloquentia quoque eminentissimum. Silius quoque in III. Punicorum sic Domitianum ex studio poeticæ celebrat:

-Huic sua musæ

Sacra ferent, meliórq; lyra, cui substitit Hebrus,

Et venit Rhodope: Phœbo miranda loquetur.

Quinetiã Plinius in procemio Natu. histor. scribens ad Titũ inquit: Quantus in poetica es: quemadmodũ fratrem imitareris, excogitasti. Quinetiã Martialis in epigrammate ad Domitianum ait:

Posse deum rebus, pariter musisque vacare

Scimus: & hæc etiam serta placere tibi:

Fer vates Auguste tuos, nos gloria dulcis,

Nos tu cura prior, deliciæque sumus.

Posteà.] Cùm ad principatum peruenisset.

Nec eò seciùs.] Nec ideo minùs.

M. AN. Vrbana.] Ad res vrbanas attinentia.

Dictitante.] Sæpius dicente.

Ob hæc.] Partim facta, partim temere mota.

Aetatis.] Quæ ad ea mouenda impar erat.

Conditionis.] Quæ priuata adhuc erat: vt ætatem ad belli consilia, conditionem ad officia temere distributa referas. Lectica.] Vectus.

Cedente.] Fratre non petente. quasi dicat, ne illum quidem ordinarium gessisset, si Titus se candidatus obtulisset. Ordinarius enim Consulatus erat, qui suffragio populi dabatur: qui verò aut in demortui locum delatus esset, aut ab Imperatorum aliquo, qui curarum tædio sponte alicui necessariorum dignitate cessisset, extraordinarius est dictus.

Et ipse.] Domitianus.

Poeticæ studium simulauit.] Atque ex eo materiam nacti quidam illum in poetica impensè celebraut. Martialis:

Fiat & ex hedera ciuica nostra tibi.

Silius Italicus: -Huic sua musæ

Sacra ferent.-

Vologesus.] Hic ille est, qui sub initiũ Imperii, Vespasiano pollicitus est quadraginta sagittariorũ millia.

Alanos, ducémque alterum ex Vespasiani liberis depoposcisset, omni ope contendit, vt ipse potissimùm mitteretur. Et quia discussa res est, alios Orientis reges, vt idem postularent, donis, & pollicitationibus solicitare tentauit. Patre defuncto, diu cunctatus an duplum donatiuum militi donaret: nunquàm iactare dubitauit, relictum se principem Imperii, sed fraudem testamento adhibitam. Neque cessauit ex eo insidias struere fratri clàm, palámque, quoad correptū graui valetudine priùs, quàm planè efflaret animam, pro mortuo deseri iussit: defunctúmque nullo, præterquàm consecrationis honore dignatus, sæpe etiam carpsit obliquis orationibus, & edictis.

Gesta per eum in initio principatus. III.

INter initia principatus quotidie secretum sibi horarium sumere solebat: nec quicquam ampliùs, quàm muscas captare, ac stylo præacuto configere: vt cuidam interroganti, essétne quis intus cum Cæsare, non absurdè responsum sit à Vibio Crispo, Ne musca quidem. Déinde vxorem suam Domitiam, ex qua in secundo suo Consulatu filium tulerat, alteróque anno consalutauerat vt Augustam, eandem Paridis histrionis amore deperditam repudiauit: intráque breue tempus impatiens dissidii, quasi efflagitante populo, reduxit. Circa administrationem Imperii aliquandiu se varium præstitit,

PHIL. ALanos.] Alani, populi sunt Scythiæ Europææ, iuxta quos sunt Toxolani: author Plinius in IIII. Refert Ammianus Marcellinus Alanos appellari, quos Prisci Masagetas dixerunt: ab eodem Alani Europæi cognominantur. Martialis:

Nec te Sarmatico transit Alanus equo.

Alani, vt docet Eusebius in VI. Præparationis Euangelicæ, carnibus alūtur, panem non esitant.

Ipse potissimū.] Et non Titus frater.

Discussa res est.] Inter Vologesem scilicet, & Alanos composita controuersia est: ita vt nō amplius opus esset Romano duce.

Idē postularent.] Ducem alterum ex Vespasiani liberis.

Au duplū donatiuum.] Vt ita duplicata liberalitate fauorabilior fieret, quàm frater apud milites ad Imperiū adipiscendum. Donatiuum autem sic militibus datur, vt populo congiariū.

Relictū se principem Imperii.] Tanquam Vespasianus in testamēto principem Imperii Romani scripserit Domitianum, & non Titum.

Fraudem adhibitam.] A Tito scilicet fratre.

Consecrationis honore.] Vt inter diuos cōsecraretur.

Carpsit.] Vellicauit, momordit, allatrauit. Inde carptores dicti vituperatores.

Obliquis.] Figuratis, & quæ ad contumeliam trahi poterant.

Secretum horarium.] Ab hora horarium dictum horæ spatium. Plinius in Panegyrico insectatur Domitianum tenebras semper, secretúmque captantem, nec vnquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi vt solitudinem faceret.

A Vibio Crispo.] Oratore facetissimo: de quo loquitur Iuuenalis:

-Venit & Crispi iucunda senectus,
Cuius erant mores, qualis facundia.-

De eodem Quintilianus in x. sic refert: Et Vibius Crispus compositus, & iucundus, & delectationi natus: priuatis tamen causis, quàm publicis, melior.

Ne musca quidem.] Festiuiter incessuit vanas Domitiani voluptates, qui muscas in cubiculo nullas relinquebat. Sextus Aurelius: Stylis ridiculè, remotis omnibus, muscarum agmina persequebatur: hinc percunctanti cuidam, quisne in Palatio esset, responsum est, Ne musca quidem. Nugatorius, ridiculúsque prorsus Imperator, qui tempus impendebat captandis muscis, quod consultationibus de Imperio laudabiliter administrando impendere debebat: qui in hoc haud sane dissimilis videri potest puero illi, qui coturnicum oculos eruere solitus erat, ex quo eum damnauerunt Areopagitæ, iudicantes id signum esse perniciosissimæ mentis multos malo futuræ, si adoleuisset.

Consalutauerat vt Augustam.] Cognomento Augustarum vxores principum Romanorum decorabantur, sicut antè dictum est.

Paridis histrionis.] Hic est ille histrio famosus poetarum testimoniis celebratus, de quo apud Martialem extat epitaphium: de quo Iuuenalis:

Vtque magis stupeas, Paridem, ludósque reliquit.

Item: Quod non dant proceres, dabit histrio.-

Dissidii.] Diuortii. Tibullus: Dissidium bene ferre loquebar.

Varium.] Modò bonum principem, modò malum, non seruata constantia, neque æquabilitate: quæ in primis à bono principe seruanda est.

M. AN. ALanos.] Scythiæ populos circa Imaum montem adortum.

Discussa.] Reiecta.

Idem postularent.] Alterum ex Vespasiani filiis sibi cum copiis auxilio mitti.

Relictum se principem.] Non Titum.

Correptum.] Fratrem.

Carpsit.] Defuncti memoriam.

Obliquis.] Ambiguis.

Secretum horarium.] Id est, horæ spatium.

Ne musca quidem.] Vrbanè vanum principis aucupium taxauit.

Paridis histrionis.] De quo Iuuenalis:

Vtque magis stupeas, Paridem, ludósque reliquit.

Atque Idem alibi:

Esurit intactam Paridi nisi vendat Agauen.

Dissidii.] Discordiæ: imò diuortii.

Varium.] Modò frugi, modò perniciosum.

Mist

mistura quoque inæquabili vitiorum, atque virtutum, donec virtutes quoque in vitia deflexit: quantum coniectare licet super ingenii naturam, inopia rapax, metu sæuus.

Spectacula per eum edita, & liberalitas eius. IIII.

SPectacula magnifica assiduè, & sumptuosa edidit: nō in amphitheatro modò, verùm & in Circo: vbi præter solennes bigarū, quadrigarúmq; cursus, præliū duplex etiā equestre, ac pedestre cōmisit: atq; in amphitheatro nauale quoq;. Nā venationes, gladiatorésq; & noctibus ad lychnuchos, nec virorū modò pugnas, sed & fœminarū. Præterea quæstoriis muneribus, quæ olim omissa reuocauerat, ita semper interfuit, vt populo potestatē faceret bina paria è suo ludo postulādi, quæ nouissima aulico apparatu induceret. Ac per omne gladiatorū spectaculum ante pedes

P IIII. MIstura inæquabili.] Nulla prorsus congruētia est probitati ad improbitatem, clementiæ ad crudelitatem, liberalitati ad auaritiam. Quemadmodum enim cohærere & coniungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum tranquillitate tempestas, sic misceri bene non possunt cum bonitate nequitia, cum virtutibus vitia.

Inopia rapax.] Ex inopia rapacitas gignitur: & ideo Plato in IIII. de Republica, inopiā esse è ciuitate eiiciēdam arbitratur, quoniam maleficia gignit. Et à Silio dictum est:

-Sceleri prodigis egestas.

Inopiam autem gignunt cupiditates inexplebiles: quantò enim quisque cupidior est, tantò egentior.

Metu sæuus.] Nihil æque vexat tyrannicas mentes, quàm pauor: nam, vt dixit Ennius, Necesse est multos timeat, quem multi timent. Ex hoc metu sæui, & cruenti, & sanguinarii subinde existunt. Vnde ait Claudianus:

Cuncta ferit, dum cuncta timet.-

Sumptuosa.] Maximarum impensarum.

Præter bigarum solennes cursus.] In Circo peculiariter curules ludi edebantur: verùm Domitianus non solùm cursus equorum exhibuit in Circo, qui solennes & proprii sunt, verùm etiam prælium equitum, peditúmque in Circo fieri voluit.

Nauale quoque.] Prælium scilicet commisit.

Venationes, gladiatorésque.] Repete verbum illud, commisit.

Ad lychnuchos.] Ad lumina nocturnos ludos edidisse significat. De lychnuchis, hoc est lucernis, dictum suo loco satis ac super.

Sed & fœminarum.] Exhibitas à Domitiano fuisse fœminarum pugnas, testis est & Papinius, cùm ait in primo Syluarum:

Stat sexus rudis, insciúsque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles:
Credas ad Tanaim, ferúmque Phasin
Thermodontiacas calere turmas.

Martialis quoque mentionem facit fœminei prælii à Domitiano editi, cùm ait in primo:

Belliger inuictis quòd Mars tibi sæuit in armis,
Non satis est Cæsar, sæuit & ipsa Venus.

Iuuenalis Satyrica mordacitate lacerat fœminas bestiarias scribens:

-Cùm Næuia Thoscum
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.

Autumat Plato fœminas exercendas esse virilibus exercitationibus, atque bellicis: quippe cùm vtrisque vna natura sit, eandémque dicebat esse virtutem. Præterea equitare, arma tractare, præliari, aliena fœminis esse non putat. quam Platonicam sententiam vt parū modestam, parúmque moratam exploserunt Ecclesiastici conditores.

Quæstoriis muneribus.] Ludis, & spectaculis, quæ per quæstores exhiberi solebant: nam, vt inquit Tacitus, institutum fuit à Claudio principe, vt spectaculum gladiatorū per omnes annos celebraretur pecunia eorum, qui quæsturam adipiscerentur.

Reuocauerat.] Cùm quæstores omisissent præbere spectaculum gladiatorum in singulos annos, Domitianus reuocauit pristinum editionis morem.

Bina paria.] Scilicet gladiatorum.

E suo ludo.] Ex gladiatorio Imperatoris ludo, vbi familiæ gladiatoriæ erudiebantur. Iisdem Plinius in vndecimo mentionem facit de ludo gladiatorio Imperatoris Caligulæ, cùm ait: Thraci enim studioso in Caii Cæsaris ludo notum est dextram fuisse proceriorem.

Nouissima.] Post exhibitos gladiatores quæstorios, nouissimo loco inducebat Domitianus bina paria gladiatorum suorum, quæ populus postulasset exhiberi: & hi gladiatores apparatu aulico, hoc est Imperatorio, inducebantur magnificentiæ causa. Aulico enim apparatu accipitur pro Imperatorio: & ob id cultiore, elegantioréve, quàm esset reliquorum gladiatorum.

M. AN. VBi.] In quo Circo.

Sed & fœminarum.] Pugnas scilicet: sed inter eas potiùs, quàm in se fœminas commissas accipe. Martialis:

Belliger inuictis quòd Mars tibi sæuit in armis,
Non satis est Cæsar, sæuit & ipsa Venus.

Et mox paulò:

Hæc iam fœminea vidimus acta manu.

Iuuenalis:

-Næuia Thuscum
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.

Quæstoriis muneribus.] Quòd quæstores munus populo, & alia spectacula darent, in Cæsare Dictatore diximus.

Reuocauerat.] In vsum reduxerat. Ergo consuetudinem edendorum à quæstoribus munerum intermissam intellige.

Ita interfuit.] Ea comitate.

Paria.] Gladiatorum.

E suo ludo.] Gladiatorio ludo hoc loco, quo suo nomine gladiatores asseruabantur.

Nouissima.] Post alia quæstorio apparatu exhibita.

Aulico apparatu.] Non vulgari, quo alii à lanistis accersiti, sed aliquantò exquisitiore: vt ex aula principis producti videri possent. Martialis:

Dum peteret pars hæc Myrinū, pars illa triumphū,
Promisit pariter Cæsar vtraque manu.

eius stabat puerulus coccinatus, portentoso, paruóq; capite, cum quo plurimùm fabulabatur, nonnunquam serió. Auditus est certè, dum ex eo quæreret, ecquid sciret, & quid sibi visum esset ordinatione proxima Aegypto præficere Metiū Rufum. Edidit nauales pugnas penè iustarum classium, effosso, & *circunstructo iuxta Tyberim lacu, atque inter maximos imbres prospectauit. Fecit & ludos seculares, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proximè, sed quo olim Augustus ediderat. In his Circensium die, quò facilius centum missus peragerentur, singulos à septenis spatiis ad quina corripuit. Instituit &

* circuoducto

PHIL. PVerulus.] Videtur hic puerulus talis fuisse apud Domitianum, qualis est apud te, inclyte Annibal Bentiuole, Franciscus Nanus, ille omnium tuorum ministrorum longè strenuissimus: cuius omne studium, officiúmque est, vt vel ad nutus tuos præsto sit, tua desideria præueniat, vt denique omnia facienda faciat fide, ac diligentia pari: cuius ingeninm, & solertiam súbinde mecū animo reputās vix adducor, vt credam sententiam illā Aristotelicam esse satis probam, satísq; probatam, qua maximus ille philosophorum omnis rerum Naturæ scius, & consiliarios prodidit, nanos, siue pumiliones mente deficere, propterea quòd pondus partis superioris, quæ in pumilionibus magna est, tardiorem reddit mentem, sensúmque communem. Verumenimuero hic tuus nanus & ingenio solers est, & mente strenuus, & sermocinatione callidus, & agilitate flexuosi corporis spectabilis: capite non paruo, vt puerulus Domitiani, sed grandi, & magno: quod bonæ constitutionis, vt inquit Galenus, signum est: & cùm nani, authore Iulio Firmico, regum deliciis deputati nascantur habentes horoscopum in quarto gradu, siue parte Scorpii, meritò talis dici potest genitura pumilionis tui, qui cunctis est amabilis, tibíque in primis acceptissimus.

Coccinatus.] Veste coccina indutus. De cocco diximus suo loco satis diligenter. Mantilia cocco clauata vsurpabat in conniuio Alexander Romanus Imperator.

Auditus est.] A circunstantibus.

Dum ex eo quærit.] Dum Domitianus ex puerulo illo sciscitatur, & inquirit.

Ecquid visum esset.] Ex hoc ostenditur, Domitianum solitum cum puero sermocinari de rebus seriis, cùm illum ioterrogauerit, quid sibi videretur, quòd præposuisset Aegypto Metiū Rufum: talia enim cùm seria sint, & grauia, commnnicari nō solent nisi cum circunspectis consiliariis.

Penè iustarum.] Quasi magnarum. Iusta enim classis dicitur magna, & legitima: sicut iustus exercitus, & iustum prælium. Has autem nauales pugnas à Domitiano editas poetico præconio extulit Martialis scribens:

Fucinus, & pigri taceantur stagna Neronis:
Hanc norint vnam secula Naumachiam.

In thermis imbres prospectauit.] Corrige, inter maximos imbres: vt sit sensus, Domitianum adeò oblectatum esse spectaculis, vt nec quidem ab imbre maximo prohiberetur, quò minùs prospectaret. Hoc idem significauit Martialis illo epigrammate:

Aspice quàm densum tacitarum vellns aquarum
Defloat in vultus Cæsaris, inque sinus:
Indulget tamen ille Ioui, nec vertice moto
Concretas pigro frigore ridet aquas.

Computata ratione temporum.] De secularibus ludis in Claudio scripsimus satis curiosé. Cùm autem inter binos seculares ludos centesimi anni spatium debeat interesse, Domitianus fecit ludos seculares compntatis temporibus ab eo anno, qno olim Augustus Cæsar ediderat: Nam inter seculares Augusti, & seculares Domitiani fuit legitima intercapedo centum annorū: cùm Claudius non expectato legitimo tēpore seculares fecisset. De quibus Sextus Aurelius sic meminit: Domitiani tempore seculares ludi celebrati sunt. Philippus Imperator Romanus secularibus ludis, qnos fecit, millesimum annum Romanæ vrbis celebrauit.

In his.] Ludis secularibus.

Cētum missus.] In Claudio docuimus, missus dici, & ferculorum, & ludorum. In ludis centum missus equestres exhibebantur: quamuis Varro, & Seruius tradiderint missus vigintiquinque olim tantummodo in Circensibus ludis exhibitos fuisse: Quorum vltimus appellabatur ærarius, eò quòd de collatione populi exhibebatur. Domitianus, vt centum missus in ludis Circensibus solennes faciliùs absoluerentur, instituit, vt singuli missus, qui per septena spatia priùs peragi solebant, quinis spatiis peragerentur. In enarratione illius versiculi apud Propertium,

Septima quam metam triuerit arte rota.

annotauimus, moris fuisse apud Romanos, vt septimo spatio agitatores circum metas in Circo decurrerent: peractis septem spatiis palma victori dabatur. vnde ait Seneca libro quarto Epistolarum moralium: Agitatorum lætitia cum septimo spatio palmæ appropinquant. Et ad hunc numerum alludens Lactantius, sic scribit libro septimo Institutionum Diuinarum: Quoniam decursis propositi operis septem spatiis, ad metam prouecti sumus. Sidonius quoque in hendecasyllabis mentionem facit septem in cursu spatiorum, cùm ait:

Stringis quadriiugos, & arte summa
In gyrum bene septimum reseruas.

Domitianus hæc septena spatia contraxit ad quina, vt ita citiùs centeni missus peragi possent. De missibus ferculorum & eduliornm meminit Lampridius sic scribens de Heliogabalo: Exhibuit paratis cœnas de vitreis, & nonnunquam tot picta mantilia in mēsam mittebat his eduliis picta quæ apponerentur, quot missus esset habiturus. Item ait, Heliogabalum solitum struere omnes missus sola carne phasianorum. Item celebrauit tale conniuium, vt apud amicos singulos singuli missus appararentur.

M. AN. AEgypto præficere.] Hoc est quod Seio dixit, quum ex eo qnæreret, Ecquid ei de ipsa prouinciæ ordinatione videretur.

Nauales pugnas.] De his Martialis:

Augusti laudes seruant committere classes,
Et freta nauali sollicitare tuba.

Et in calce epigrammatis:

quinquennale certamen Capitolino Ioui triplex, musicum, equestre, gymnicum, & aliquantò plurium, quàm nunc est, coronatorum. Certabatur etiam & prosa oratione Græcè Latinéque, ac præter citharœdos chorocitharistæ quoque, & psallocitharistæ. In stadio verò cursu etiam virginis certamini præsedit crepidatus, purpureáque amictus toga, Germanicam capite gestans coronam auream cum effigie Iouis, ac Iunonis, Mineruæque, assidentibus diali sacerdote, & collegio Flauialium pari habitu, nisi quòd illorum coronis inerat & ipsius imago. Celebrabat & in Albano quotannis Quinquatria Mineruæ, cui collegiũ instituerat: ex

Fucinus, & pigri taceantur stagna Neronis:
Hanc norint vnam secula naumachiam.

Ludos seculares.] Martialis:
Te colat Albano redeuntia secula lustro,
Et quæ Romuleus sacra Tarentus habet.

Papinius:
Nec tantum induerit satis noua secula crimen:
Aut instaurati peccauerit ara Tarenti.

Cētum missus.] Et missus, & missiones dici, & quid per alterutram vocem significetur, superius haud vno loco ostendimus.

Singulos.] Missus.

A septenis spatiis.] Quæ metis interiacebant.

Ad quina.] Spatia, vt breuiores essent cursus, quo apparet missus non solùm ferarum, sed quadrigarum etiam fuisse: quod suprà est significatum.

PHIL. INstituit quinquennale certamen.] Censorinus Domitianum institutorem fuisse memorat Capitolinorum agonum, per quos annus magnus, id est lustrum diligentiùs seruabatur.

Triplex.] Ob tria genera certatorũ. Musici enim, & equites, & gymnici, hoc est athletæ certabant.

Coronatorũ.] Eorum, qui victores coronabantur.

Chorocitharistæ.] Chorocitharistas vocamus citharœdos, qui in choro citharizant: sicut psallocitharistæ dicũtur, qui psallunt, hoc est, canunt ad citharam: vnde psaltes, & psaltria pro cantore, & cantrice. Consimiliter cymbalistæ, & tympanistæ nominãtur, qui pulsant cymbala, & tympana. Apuleius in libro de deo Socratis: Barbara autem strepitu cymbalistarum, & tympanistarum, & choraularum. Tympanistria verò dicitur fœmina tympanum quatiens, sicut psaltria cãtrix. Sidonius in primo Epistolarum: Tympanistria psaltria canit.

In stadio.] In gymnico athletarum certamine, & cursu.

Virginis certamini.] Cursu non solùm viros, sed etiam fœminas contendisse significat, cùm Domitianus tanquam præfectus ludorũ præsederit certamini virginis in stadio decurrentis ad instar Atalantæ, quæ cursu pernicissima cum viris certasse proditur.

Crepidatus.] Calceatus crepidis, quæ sunt Græcanicæ soleæ.

Amictus.] Vestitus, indutúsque.

Germanica.] Domitianum præsedisse ludis indutũ habitu Germanico significat. Quidam codices habent toga Græcanica: vt intelligamus Græco magis habitu, quàm Romano præsedisse spectaculis.

Cũ effigie Iouis, & Iunonis.] In corona aurea, quam gestabat Domitianus, visebantur effigies, & simulacra deorum Capitolinorum, qui sunt Iupiter, Iuno, & Minerua. Erant enim hæc spectacula Ioui Capitolino dicata.

Assidentibus.] Iuxta Domitianum sedentibus.

Diali sacerdote.] Flamine diali, qui sacerdos est Iouis. Flauialium.] Sacerdotum, qui in templo Flauiæ gentis ministrabant.

Pari habitu.] Flauiales sacerdotes, & flamen dialis consimili habitu, cultúque ornati aderant, quo & ipse princeps: hoc solum discrimen intererat, quòd in coronis Flauialium & dialis inerat etiã imago ipsius Domitiani: qua carebat corona principis.

In Albano quinquatria Mineruæ.] Domitianus Palladis filius dici volebat: vnde quidam olim accusatus fuit, quòd dum sacrificat, publicis precibus non addiderat Domitianũ Palladis filium esse: vnde Palladi solitus erat Domitianus iugiter sacrificare: cuius rei mentio fit à Philostrato: & Apollonius Tyanæus coram Domitiano dixit: Talia nunquàm profectò ex Pallade audiuisti, quam de tuis rebus solicitam esse, atque de iisdem prouidere fateris. Quintilianus quoq; numen Mineruæ familiare Domitiani vocat, quòd Minerua peculiariter coleretur à Domitiano. Martialis quoq; epigrammatista testatur, qui scribens ad Domitianum ait:

Pallada prætereo, res agit illa tuas.

Idem eundem indicat Albano secessu delectari solitũ, cùm inquit:

Hoc tibi Palladiæ seu collibus vteris Albæ
Cæsar, & hinc triuiam prospicis inde Tethyn.

Idem appellat Pallada consciam Domitiani, sic scribẽs:

Dic precor, ô nostri, dic conscia virgo Tonantis:
Si negat hoc vultu, quo solet ergo dare?

Meritò itaque Domitianus in Albano monte in singulos annos celebrabat dies festos Mineruæ, qui quinquatria vocantur: de quibus alibi satis multa.

QVinquennale.] Quinto quoq; anno celebrãdis. M. AN.
Triplex.] Quia musicum, gymnicũ, & equestre. Coronatorũ.] Præmia accipientium.

Chorocitharistæ.] Cithara in choro canentes.

Psallocitharistæ.] A psallo, id est cano, & cithara: à psallo psalteria est. Cursu virginis.] Cur non virginum potiús? nisi Atalantæ, & Hippomenis certamen præsentatum in stadio intelligas. Crepidatus.] Soleas Græca voce crepidas nominamus. Quidam id Latinum existimant, & à crepitu, quem ambulando reddunt, nomen factum. Cicero Gallicas appellauit.

Græcanica.] Græco habitu.

Diali sacerdote.] Diali, flamine Iouis scilicet.

Flauialium.] Sacerdotum, quos ille patri, & Flauiæ genti consecrarat. Papinius:

-Est hic agnosco minister
Illius æternæ modò qui sacraria genti
Condidit, atque alio posuit sua sydera cælo.'

Martialis:

Templa deis, mores populis, dedit otia ferro,
Astra suis, cælo sydera, serta Ioui.

Pari habitu.] Quo & dialis sacerdos, an potiùs Græcanico, quali erat Domitianus amictus.

Albano.] Martialis:
Hic colat Albano redeuntia secula lustro.

quo sorte ducti magisterio fungerentur, redderéntque eximias venationes,& scenicos ludos, supérque oratorum,ac poetarum certamina. Congiarium populo nummorum trecentorum ter dedit: atque inter spectacula muneris largissimum epulum. Septimontiali sacrorum quidem die, Senatui,equitique panariis,plebeiis sportellis cum obsonio distributis. Initium vescendi primus fecit: diéque proximo omne genus rerum missilia sparsit:& quia pars maior intra popularia deciderat,quinquagenas tesseras in singulos cuneos Equestris,ac Senatorii ordinis pronuntiauit.

Opera publica per eum facta. V.

PLurima, & amplissima opera incendio absumpta restituit,in queis erat & Capito

PHIL. MAgisterio.] Vt magistri,rectorésque essent Palladiæ festiuitatis.Sic magisterium dicimus, vt ministerium.Liuius magisterium appellat magistri equitum officium,& magistratum.

Venerationes.] Corrige venationes. Voluit enim Domitianus venationes egregias exhiberi in honorem Mineruæ à rectoribus, magistrisq; sorte ductis.

Supérque.] Insupes.

Oratorum certamina.] Repete verbum illud, instituerat, ad alterum, redderent. Quòd autem poetæ, oratorésque certarent in spectaculis Mineruæ institutis in Albano,testis est Papinius,qui se in certamine poetarũ tanquam victorem coronatũ fuisse à Domitiano gloriatur: sic enim ait in quarto Syluarum:

Lux mihi Romanæ qualis sub collibus Albæ,
Cùm modò Germanas acies,modò Daca sonantem
Prælia,Palladio tua me manus induit auro.

Nummorum trecentorũ.] Vt scilicet viritim nummi trecenteni darentur in congiario: hoc est,dono Imperatorio,quod populo dari soles,vt donatiuum militibus.

Muneris.] Ludi gladiatorii.

Septimontiali.] Septimontium, siue Septimontialem diem festum agebant Romani, eò quòd septimus collis vrbi attributus est. Septimontiali autem die vehiculis iunctis vti cauebant: vt partim semetipsos, partim iumentaorio oblectarent. Septimontio antem, vt ait Antistius Labeo, hisce montibus feriæ celebrabantur: in Palatio, cui sacrificium,quod fit, Palatiar dicitur:in Viminali,cui itẽ sacrificiũ fit,nomine Fagutal:in Quirinali,Cælio,Oppio mõtibus. De Septimontio M. Varro sic refert in 11. de lingua Latina: Dies Septimontium nominatus ab his septẽ montibus, in quibus sita vrbs est:feriæ non populi,sed montanorum. Igitur Domitianus die vrbis festo, qui Septimontialis vocatur,epulum largissimum inter spectacula dedit: In quo ordini Senatorio, & Equestri panaria distributa sunt cum obsonio,sicut plebeiis sportellæ:in eo autem epulo ipse princeps primus fecit initium vescendi.

Panariis.] Panaria,vasa sunt,quibus panes repositi inferuntur in mensa:sicut granaria dicta,quibus granũ reconditur. Papinius in primo Syluarum:

Hi panaria,candidásque mappas
Subuectant -

Diminutiuum panarii,est panariolum. Martialis:

Cum panariolis tribus redisti.

Sportellis.] Tertius gradus est diminutionis : dicitur enim sporta,sportula,& sportella. Ita autem ordinanda constructio est, vt panaria intelligas tanquã pretiosiora fuisse distributa cum obsoniis Senatoribus, & equitibus:sportellas verò,veluti viliores,plebeiis.

Initium vescendi.] Papinius Domitiani facilitatem laudat, qui olim discubuit cum populo Romano. Sic enim ait:

-Tecum vescitur omnis
Ordo mensa.

Martialis quoque scribit ob id ipsum:

Vescitur omnis eques tecum,populúsque, patrésq;.

Omne genus.] Omnis generis.

Missilia.] De missilibus, hoc est rebus,quæ per sparsionem à principe mittuntur in populum,dictum est suo loco copiosiùs, & explicatiùs.

Inter popularia.] Sedilia,in quibus populus sedens spectare cõsueuit, popularia appellantur: sic & equestria dicũtur loca,in quibus equites manentes spectant. Popularia verò veteres dixere nugacia, & nugatoria,siue puerilia.

Quinquagenas tesseras.] Sensus est:Cùm maior pars missiliũ decidisset inter plebeios & populares,Domitianus ad consolandum Equestrem ordinem,& Senatorium, voluit vt quinquagenæ tesseræ per singulos cuneos Equestres, ac Senatorios assignarentur:vt ita per tesseras intelligas notas illas, quibus vel frumenti,vel pecuniæ summa continebatur. De tessera in Augusto non pauca sunt explicata. De cuneis theatralibus antè dictum est : vnde theatrum cuneatum ab idoneis authoribus nominatur. Hic tesseræ nummariæ significantur, quibus exhibitis repræsentabatur summa pecuniæ constituta:sicut pro tesseris frumentariis certa summula frumenti.

Plurima opera.] Sextus Aurelius in hanc sententiã ait:Romæ multa ædificia vel cœpta, vel à fondamentis construxit. In queis.] In quibus operibus.

M. AN. ORatorum & poetarum.] In Albano repete. Papinius: -Qualis sub collibus Albæ,
Cùm modò Germanas acies,modò Daca sonantem
Prælia,Palladio tua me manus induit auro.

Et rursus:

-Si per me serta tulisses
Cæsarea donata manu.-

Septimontiali.] Festo die, quo septem locis vrbis, vt Festus ait,sacra fiebant.

Panariis.] Panaria vasa ex viminibus facta ad referendas dapes,& fructus:vnde panariolum.

Sportellis.] Paruis sportis.

Missilia.] Quid missilia essent,diximus.

Popularia loca.] Quæ populus in theatro occupabat.

Tesseras.] Est tessera instrumentum lusui aptum: est & lignum ex vtraque parte complanatum, quo numeri notantur:ad quos numeros fortè frumentum populo diuidebatur. Est item tessera signũ militare:quod & alio loco ostendimus.

In singulos cuneos.] Equestria,& Orchestra in cuneos erant diuisa,vt mediæ viæ relinquerentur: Id vel ex hoc potest intelligi,quòd in cuneos Equestris,& Senatorii ordinis,dixit.

Quod

lium, quod rursus arserat: sed omnia sub titulo tantùm suo, ac sine vlla pristini authoris memoria. Nouam autem excitauit ædem in Capitolio Custodi Ioui, & forum, quod nunc Neruæ vocatur. Item Flauiæ templum gentis, & stadium, & *methodiũ, & naumachiam: è cuius posteà lapide maximus Circus, deustis vtrinque lateribus, extructus est.

*Odium

Expeditiones per eum susceptæ. VI.



Xpeditiones partim sponte suscepit, partim necessariò. Sponte in Cattos, necessariò vnam in Sarmatas, legione cum le-

PHIL. Quod rursus arserat.] Capitolium ter arsisse apud Historicos obseruauimus: semel Scipione & Norbano Consulibus per bella ciuilia Mariana: iterum Vitelliano bello: tertiò vnà cum Vespasiani interitu inflammatum, incensúmque est: & tunc à Domitiano refectum fuit magnificentius, elegantiúsque, quàm anteà fuisset: cuius impensam duodecim millia talentorum excessisse autumat Plutarchus.

Sub titulo tantùm suo.] Vt ipse conditor, & instaurator solus fuisse videretur, nulla habita mentione priorũ conditorum. E contrario laudatur Seuerus Imperator, qui Romæ multa ædificia publica vitio temporum labentia instaurauerit, nusquam propè suo nomine adscripto, seruatis vbique titulis conditorum.

Aedem Ioui.] Sacellum significat. Cor. Tacitus de Domitiano scribens ait: Mox Imperium adeptus, Ioui Custodi templum ingens, séque in sinu dei sacrauit.

Forum, quod nũc Neruæ.] Hoc alio nomine transitorium forum dictum est.

Flauiæ templum gentis.] De hoc templo ait Martialis in VIII. Epigrammaton:

Addita quid Latio Flauia templa foro.

Et stadium.] In Domitianum, tanquam ædificatorem, vt inquit Plutarchus, meritò id dici posset: Non religiosus tu quidem, aut honoris cupidus morbo afficeris: ædificare gaudes. Erat enim ædificator maximus, & conditor nouorum operum, & instaurator vetustorum. Inter opera à Domitiano facta, stadium quoque Eusebius ponit, in quo athletæ exercebantur.

Methodium.] Apud Eusebium lego non Methodium à Domitiano factum esse, sed Odium: quod non displicet. Est enim Odium locus vbi cantatur. Olim Pericles ille Olympius apud Athenienses cognominatus inter cætera opera, quæ Athenis magnificenter extruxit, fecit & Odion, in quo certamina musica spectabantur: quod multis sedibus & columnis exornatum fuisse Historici prodiderunt. Præterea vt existimem legendum esse Odium apud Tranquillum, suadet authoritas Ammiani Marcellini, qui scribit Romæ fuisse stadiũ, & Odiũ spectata ab Imperatore Constantio inter cætera decora Romanæ vrbis. Quòd si methodiũ legas, vt plerique habent codices, significabitur via modica, nomine per diminutionem inclinato à methodo. Græci enim μέθοδον viã vocant: vnde medicinæ genus, quæ quasi via quædam est contẽplatrix eorum, quæ in morbis communia sunt, μέθοδον Græci nominant: de qua dixit Ausonius:

-Triplex quoque forma medendi,
Quæ logos, & methodos, cuíque experientia nomẽ.

Et apud Galenum multa disertatio est de medicis methodicis: quos perperam recentiores appellant methoicos. Sed quoniam mentio incidit medicinæ methodicæ, vt transenuter explicetur carmen Ausonii, scire debes medicinam esse tripartitam in treis sectas, videlicet logicen, empiricen, & methodicen. Logice dicitur Latinè rationalis medicina, quæ causas morborum abditas scrutatur: Empirice ab experientia nomen accepit, tanquam ab experimẽtis medicina deducta sit: cuius professores empiricos nominant. Methodice verò est intermedia, ac veluti in confinio vtriusque collocata. Itaque methodici medici neque rationalibus medicis, neque empiricis volunt annumerari. Logicus medicus, qui alio nomine dicitur dogmaticus, fuit Hippocrates maximus medicorũ: empirici fuerunt Philippus Cous, & Serapion Alexandrinus: methodici verò Archigenes, & Themison: de quibus Iuuenalis:

Aduocat Archigenẽ, & quot Themison ægros autumno
Occiderit vno.-

Galenus logicam, hoc est rationalẽ medicinã, & dogmaticos medicos cum primis probat, reliquos insectatur. Hæc tria medicinæ genera eleganter complexus est Ausonius illo versu, quem modò memorauimus,

-Triplex quoque forma medendi,
Quæ logos, & methodos, cuique experientia nomẽ.

Præterea in treis partes medicina diducta est, quarum vna victu, altera medicamentis, tertia manu medetur. Primam diæteticam, secundam pharmaceuticam, tertiam chirurgicam Græci nominauerunt.

Naumachiam.] Locum nauali pugnæ accommodatum.

Deustis lateribus.] Cùm incendio latera Circi deflagrassent: nec enim lateribus hîc exponendũ est pro lapidibus coctilibus, quibus ædificia construuntur.

In Cattos.] Populi sunt Germaniæ, quos ait Tacitus inchoare ab Hercinio saltu. De his Papinius in primo Syluarum:

Das Cattis, Dacísque fidem.-

Idem Cor. Tacitus memorat bellum inter Hermanduros, & Cattos gestum, quod Cattis ipsis fuit exitiosum. Cattorum meminit Strabo in VII. qui refert, ductum fuisse Liben Cattorum sacerdotem in triumpho illo Germanici clarissimo, memoratissimóque.

In Sarmatas.] Alio nomine à Græcis Sauromatæ dicti, quorum sunt populi Hamaxobii: quasi dicat in plaustris viuentes.

Titulo suo.] Non eorum, qui dedicarant olim, aut instaurarant. M. AN.

Forum Neruæ.] Quod & transitorium fuit appellatum, Romano foro adiacens.

Stadium.] Serapium stadium Eusebius appellat.

Methodium.] Viam ratione instructam: quod idem author Hisuium dixit.

Naumachiam.] Cuius adhuc aliqua creduntur extare vestigia post Syluestri fanum, inter Flaminiam viam, & Pincianum collem, vinetis cooperta.

Cattos.] Germaniæ populos, inter Turogos, & Tubantos. Papinius:

-Dat Cattis, Dacísque fidem.

& rursus:

-Qualem modò fræna tenentem
Rhenus, & attoniti vidit domus ardua Daci.

Cum legato.] Oppio Sabino.

gato simul cæsa. In Dacos duas, primã Oppio Sabino consulari oppresso, secundã Cornelio Fusco præfecto cohortium prætorianarum, cui belli summã cõmiserat. De Cattis, Dacisq; post varia prælia, duplicẽ triumphum egit. De Sarmatis lauream modò Capitolino Ioui retulit. Bellum ciuile motũ à L. Antonio superioris Germaniæ præside cõfecit absens felicitate mira, cũ ipsa dimicatiõis hora resolutus repẽtè Rhenus, trãsituras ad Antoniũ copias barbarorũ inhibuisset. De qua victoria prius præsagiis, quã nũtiis cõperit. Siquidẽ ipso, quo dimicatũ

PHIL. IN Dacos.] Plinios Zetas à Romanis dici Dacos prodidit. Alio nomine Dani nominantur: hinc serui nomine Daui introducuntur in comœdiis.

Comelio Fusco præfecto.] Panlus Orosius refert, Domitianũ gessisse bellum per legatos aduersum Germanos, & Dacos, maxima Reipublicæ pernicie, cùm maxima fuerint Dinrpanei Dacorũ regis cũ Fusco duce prælia, magnæq; Romanorum clades. Eutropius de expeditiõibus Domitiani scribit hæc: Expeditiones quatuor habuit: vnam aduersus Sarmatas, alteram aduersus Cattos: duas aduersum Dacos. De Dacis, Cattisque duplicem triumphum egit: de Sarmatis solam lauream vsurpauit: multas quidẽ calamitates iisdẽ bellis passus est. Nam in Sarmatia legio eius cum duce interfecta est: & à Dacis Appius Sabinus consularis, & Cor. Fuscus præfectus prætorii cum magnis copiis occisi sunt. hactenus Eutropius. De Cor. autem Fusco Tacitus hæc: Sed procurator aderat Cornelius Fuscus, ingens ætate, clarus natalibus, prima iuuenta quietis cupidine Senatorium ordinem exuerat. Idem pro Galba dux coloniæ suæ, eáq; opera procurationem adeptus est: susceptis Vespasiani partibus acerrimam bello facem prætulit, nõ tam præmiis periculorum, quàm ipsis periculis lætus: pro certis, & olim partis noua, ambigua & ancipitia malebat. Hic cùm oppressus fuerit à Dacis, ideo dixit Satyricè Iuuenalis:

Et qui vulturibus seruabat viscera Dacis,
Fuscus marmorea meditatus prælia villa.

Epitaphium Cor. Fusci extat apud Martialem.

Lauream Ioui Capitolino retulit.] Scribit Plinius, lauream in gremio Iouis Optimi Maximi solitam deponi, quoties lætitiam victoria nouam attulit: &, vt author est Pacatus Panegyrista, Curii, Coruncani, Fabricii, ne virtus quietè languesceret, depositis in gremio Capitolini Iouis laureis triumphales viri rusticabantur. Plinius quoque in Panegyrico sic inquit: Allata erat ex Pannonia laurea, id agentibus diis, vt inuicti Imperatoris exortum victoriæ insigne decoraret. Hanc Imperator Nerua in gremio Iouis collocarat. Solebãt, vt hoc quoque in præsentia annotemus, Imperatores Romani re bene gesta literas mittere lauro reuinctas victoriarum & lætitiæ nuntias, quæ ob id laureatæ nuncupantur à clarissimis conditoribus. Liuius in quinto sic ait: Literæ à Posthumio laureatæ leguntur, victoriam populi Romani esse, quorum exercitum deletũ. Ammianus Marcellinus io decimosexto refert, Constantium arroganter elatum missitasse literas laureatas ad prouinciarum præsides, quoties eo agente in Italia dux quidam fortiter egisset, nulla illius facta in literis laureatis mentione, vt ipse solus dimicasse, & solus vicisse videretur. Lampridius tabellas laoreatas vocat sic scribens In Alexãdro: Actæ sunt res feliciter, & in Mauritania Tingitana per Furiom Celsum, & in Illyrico per Variom Macrinum affinem eius, & in Armenia per Iunlum Palmatum: atque ex omnibus locis ei tabellæ laureatæ sunt delatæ. Ob hoc ipsum dixit Plinius scienter, & eleganter, cùm de lauro scriberet io decimoquinto: Romanis præcipuè lætitiæ, victoriarúmque nuntia: additur literis, & militum lanceis, pilisq;. Quidam male literati existimant ideo Plinium dixisse literis addi laurum, quia poetæ, & literati lauro coronantur: cùm Plinius intelligi haud dubiè voluerit de literis laureatis, quæ lauro coronatæ, vt docuimos, mittebantur ad victoriam, lætitiámque onntiandam. De literis laureatis intelligendũ est apud Cæsarem sic scribentem in III. Belli ciuilis commentario: Sed neq; in literis, quas scribere est solitus, neque in fascibus insignia laureæ pro tulit.

A Lucio Antonio præside.] L. Antonius, qui & Saturninus cognominatus est, accensus est vehementer in Domitianum ob iniuriam verborum, qua se scortum vocari dolebat: vnde cùm curaret Germaniam superiorem, Imperium corripuit: sed per Norbanum Appium acie stratus, occisúsque est: author Sextus Aurelius. In hunc, tanquã seditiosum, molitorémque rerum nouarũ, inuectus est Martialis illo epigrammate:

Impia Parrhasia mouisti bella sub vrsa.

Resolutus repentè Rhenus.] Aquarum vbertate inundans.

Inhibuisset.] Retardasset, cohibuisset, remoratus esset.

Barbarorum.] Germanorum.

Statuam eius.] Domitiani.

M. AN. IN Dacos duas.] Scilicet expeditiooes. Martialis tres fuisse videtur innuere:

Sudantem Getica ter nioe lauit equum.

nisi finitum numerum pro infinito accipias.

Cornelio Fusco præfecto cohortium prætorianarum. Iuuenalis:

Et qui vulturibus seruabat viscera Dacis,
Fuscus marmorea meditatus prælia villa.

Martialis quoqne eius interitum eleganti deplorat carmine:

Ille sacri lateris custos, Martisque togati.

A Lucio Antonio.] Huius quoque Martialis meminit.

Dimicationis hora resolutus.] Quum fortè dimicaretur.

Inhibuisset.] Rhenus.

Prius præsagiis, quàm nuntiis comperit.] Præsagii huius Plinius meminit. Plutarchus verò, Cùm Antonius, ait, à Domitiano defecisset, magnúmque io Germania bellum concitasset, ex insperato fama victoriæ apud populum Romanum vulgata est, Antonium ipsum cum omnibus copiis periisse: tantámque habuit fidem hic rumor, vt multi ex primoribus immolarent: sed paulò pòst quum huius nuntii author quæreretur, inoentus est nemo: posteà Domitiano ad bellum cum exercitu proficiscenti, nam ea fama vt vana ciderat, in via certus nuntius, & literæ de victoria aduersus Antoniom habita venerunt. Dies pugnæ idem fuerat, quo Romæ victoriã fama vulgauerat.

Clang

est,die,statuā eius Romæ insignis aquila circūplexa pennis, clangores lætissimos edidit: paulóque post occisum Antoniū adeò vulgatum est, vt caput eius quoque apportatum vidisse se plerique contenderent.

Quædam instituta, & ordinata per eum. VII.



MVlta etiam in communi rerum vsu nouauit. Sportulas publicas sustulit, reuocata cœnarū rectarū cōsuetudine. Duas Circēsibus gregū factiones aurati, purpureiq; pāni ad quatuor pristinas addidit. Interdixit histrionibus scenā, intra domū quidem exercēdi artē iure concesso. Castrari mares vetuit. Spadonū, qui residui

PHIL. CLangores edidit.] In auspicils, quod antè dictum est, principatus, & honos Aquilæ datur, vt magnarū rerum faciat auspicia: vnde proprie regibus, principibúsque aquilas portendere existimauerunt: & ita aquila edens clangores, & sonitum circa statuam Domitiani auspicium fecie illi, præsagiúmque victoriæ, & felicitatis. Clangor dicitur etiam de ansere, de buccina, de tuba.

Occisum Antonium vulgatum est.] Plutarchus in vita Pauli Aemylii huius historiæ meminit his verbis: Nā cùm Antonius à Domitiano defecisset, magnúmque à Germania bellum cōcitasset, Romęq; trepidaretur: ex insperato fama victoriæ apud Romanū populum vulgata est, Antoniū ipsum cum omnibus copiis interiisse, tantámq; habuit fidem hic rumor, vt multi ex primoribus immolarent: sed quum paulò pòst author huius nuntii quæreretur, inuentus est nemo: sed alter alterum allegabat. Tandem verò quia in plebem, veluti in vastum quoddam pelagus sermo referebatur, apparebátque, nullum certum habuisse principium, subitò huiusmodi fama prolapsa ceciderat: sed posteà Domitiano cum exercitu ad bellum proficiscenti, in ipsa via certus nuntius, & literæ de victoria aduersus Antonium habita venerunt. Dies pugnæ idem fuerat, quo Romæ victoriam fama vulgauerat, vltra distantiam viginti millium stadiorū. Hæc ita fuisse, nemo nostræ ætatis ignorat. Hactenus Plutarchus.

Reuocata cœnarum rectarum consuetudine.] Suo loco docuimus rectas cœnas dici, quæ legitimo, & recto apparatu exhibebantur conuictoribus: cùm sportulæ ad sordidos, deparcósque pertinerent: & hæc duo sportula, & recta cœna opponuntur. Laudatus est Domitianus, quòd, sublato vsu sportularum, rectas cœnas reuocasset. Hinc est illud Epigrammatici poetæ:

Promissa est nobis sportula, recta data est.

Sportulantes dicti, qui sportulis operantur.

Græcum factiones.] Mendū hoc inoleuit in omnibus Trāquilli codicibus, vt græcum factiones vulgò legatur, vulgóq; exponatur pro Græcorū. Tu verò lege gregum, vt ad greges equorū referas, & aurigarū, quorum factiones sunt celebratæ. Sensus est: Cùm quatuor essent pristinæ factiones gregum in Circensibus spectaculis, Domitianus addidit duas, alteram aurati, alteram purpurei panni. In illis autem pristinis quatuor factionibus erat factio Venera, factio Prasina, factio alba, & factio rosea, à coloribus nūcupatæ. Cassiodorus colores quatuor totidem factionum in Circensibus fuisse memorat, propter quatuor anni tempora: nam Prasinus, qoi viridis est, virenti veri dicatus erat: Roseus, flammeæ æstati: Venetus, nubilæ hyemi: Albus, pruinoso autumno. De coloribus harumcæ quatuor factionum, & de toto studio aurigarum, scitè, & decenter scribit Sidonius Apollinaris, cuius hēdecasyllabos subscripsi:

-Micant colores
Albus, & Venetus, virens, Rubénsque

Vestra insignia continet, ministri
Ora, & lora manu, iubásque totas
Cogunt flexilibus latere nodis,
Hortantúrque obiter, iuuántque blandis
Vultus plausibus, & voluptuosum
Dictant, quadrupedantibus furorē,
Impellunt, trepidant, trahunt, repugnant,
Ardescunt, saliunt, timent, timentur.

Interdixit histrionibus scenā.] Ne histrioniam artem in scena, & in proparulo exercere possent. Plinius in Panegyrico hoc signat, quum ait, Pantomimos à malo principe fuisse sublatos. Malus enim princeps significatur haud dubiè Domitianus: qui non solùm malus, sed cōparatione successorum pessimus meritò est nuncupandus.

Castrari mares.] Ammianus Marcellinus Domitianum scribit in hoc esse laudandum, quod receptissima inclaruit lege, qua minaciter interdixerat, ne intra terminos iurisdictionis Romanæ castraret quispiam puerum: quod ni contigisset, quis eorum ferret examina, quorum paucitas difficilè toleratur? Philostratus quoque in VI. de vita Apollonii sic refert: Per ea tempora Domitianus Romanorum Imperator legem tulerat, ne quis faceret eunuchos. Eusebius huius quoque rei meminit, quum ait: Domitianus eunuchos fieri prohibuit. Hinc in laudem Domitiani cecinit Martialis:

Non puer auari sectus arte mangonis
Virilitatis damna mœret ereptæ.

Docti detestantur memoriam Semiramidis reginæ, quæ teneros mares omnium prima castrauit.

Moderatus est.] Moderatiora fecit, & minora: cùm aliâs spadones immenso pretio venditarentur.

M. AN. PVblicas sportulas sustulit.] Ab Imperatoribus dari solitas. Aerarium dixerunt pecuniam publicam, & Imperii: fiscum verò pecuniā Imperatoris: quod verbum à fiscis dictum est, id est, sportulis, vt docet Asconius his verbis, Sportæ, sportulæ, sportellæ, munerum sunt receptacula: sacci, sacculi, sacelli, crumenæ ex vellere, & scorteæ, & manticæ, & marsupia: Fisci, fiscinæ, fiscellæ, spartea sunt vtensilia ad maioris summæ pecunias capiendas, &c.

Rectarum cœnarum.] Quarum vsus fuerat iam anteà sublatus: pro recta enim cœna sportula fuerat constituta. Papinius hoc nomine longo carmine agit ipsi principi gratias: & Martialis, vt solet, assentatur.

Aurati, purpureique panni.] De quatuor aliis factionibus, & pannorum diuersitate, abundè suprá.

Castrari mares.] Papinius:

Nondum pulchra ducis clementia cœperat ortu
Intactos seruare mares: nunc frangere sæuum,
Atque hominem mutare nefas.

Martialis:

Non puer auari sectus arte mangonis
Virilitatis damna mœret ereptæ.

Eusebius, Domitianus, inquit, eunuchos fieri prohibuit.

apud mangones erant, pretia moderatus est. Ad summam quondam vbertatem vini, frumenti verò inopiam, existimans nimio vinearũ studio negligi arua, edixit ne quis in Italia nouellaret: vtq; in prouinciis vineta succiderentur, relicta (vbi plurimum) dimidia parte, nec exequi rem perseuerauit. Quædam ex maximis officiis inter libertinos, militesque Romanos communicauit. Geminari legionum castra prohibuit: nec plus, quàm mille nummos à quoquam ad signa deponi: quòd L. Antonius apud duarum legionum hyberna, res nouas moliens, fiduciam cepisse etiam ex depositorum summa videbatur. Addidit & quartum stipendium militi, aureos ternos.

Diligentia, & industria eius in iure dicendo. VIII.



IVs diligenter, & industriè dixit. Plerunque & in foro pro tribunali extra ordinẽ ambitiosas centumuirorũ senten-

PHIL. APud mãgones.] Venalitiarios: qui negotiationem hominum exercent. De mãgonibus suprà satis, ac super. Venalitiarii dicuntur venditores seruorũ. Nouitios peculiariter accipimus venales, quum multa alia sint venaiia. Arua.] Frumentaria.

Ne qnis in Italia nouellaret.] Nouas vites plantaret. Nouellare enim est nouas vites pangere. De nouellis vitibus dixit Maro: Atque mala vites incidere faice nouellas. A Coiomella nonellus palmes dictus. Hinc nouellerum elleganti vocabulo appellat Iuriscõsultus vineam ex nouellis vitibus cõsitam: sic enim ait Paulus titulo De impeosis in rebus dotaiibus: Veiuti si nouellerũ in fundo factũ sit, aut si in domo pistrinum, aut rabernam adiecerit. Qood autem Domitianus vetuerit nouas vites piantari, testis est Philostratus, qui ait, Apollooium, cùm audisset hoc edictum Domitiani prohibitorium de plantandis vitibus, dixisse ad Ionas: Oblitus est admirabilis Imperator, quòd homines castrari vetans terram fecit eunuchã. Qnam ob rem ausi sunt Iones ad Imperatorem iegatos pro vitibus mittere, & vacationem legis ab ipso petere: qui terram populari amputandis vitibus iussit, & vlteriùs non plantare. Eusebius quoque in Chronicis ait: Domitianus prohibuit vites in vrbibus seri.

Vineta.] Vioeas, ac vinera à vite dici ait Varro: vitis verò à vioo, id à vi dictum. Præcipit Vergilius in Gerorgicis, ne vineta vergant ad Soiem occidentem. Cato in rusticatione primatum dat vineæ, si multo vino sit.

Snccideren tur.] Ampotarentur.

Interiibertinos.] Non est mirum, maxima officia fuisse cum libertinis communicata, quorum ordo erat Romæ numerosus, & multi diuitiis, atque potentia fuerint præpoilentes.

Gemlnari legionum castra.] Legimus identidem apud Historicos, moris fuisse Romanorum, vt facerẽt maiora, & minora castra. Lioius: Binis castris cùm multitudo semiermis sine docibus esset, nootium qui maioribus præerant mittunt: Domitianus prohibuit castra duplicia fieri, maiora sciiicet & minora.

A qooquam.] A quolibet milite.

Ad signa deponi.] Scribit Vegetius in st. de re militari, ab antiquis institutum fuisse, vt ex donatiuo, quod milites consequuntur, dimidia pars sequestraretur apud signa, & ibidem ipsis militibus seruaretur, ne per luxum, & inanium rerum coemptiooem, posset absnmi. Hinc fiebat, vt miles, qui sumptus suos sciebat apud signa depositos esse, de deserẽdo nihil cogitaret, magis diligeret signa, pro illis fortiùs io acie dimicaret, more humani ingenii, vt pro illis habeat maximã curã, in quibus videat positam esse substãtiam: & ita decem folles, hoc est decem sacci nũmarii, siue marsupia per cohortes singulas ponebãtur, in quibus hæc summa cõdebatur. Addebatur & saccus vndecimus, in quem tota legio particulã aliquam conferebat, sepulturæ scilicet causa: vt si quis ex cõtubernalibus defecisset, de illo vndecimo sacco ad sepulturã ipsius expromereтur expensa. Domitianus verò noluit ab aliquo milite deponi, sequestrariq; apud signa plus, quàm miile nummos, proptereà quòd L. Antonius, de cuius cõspiratione antè dictum est, videbatur ex hac pecunia castrensi cepisse fiduciam rebellandi. Ad signa autem ideo dixit, quia apud signa hæc militaris pecunia sequestrabatur: eáqoe ratio apud signiferos in cophioo seruabatur: & ideo signiferi non solùm fideles, sed etiam iiterati eiigebantur, qui & seruarent deposita, & scirent singulis reddere rationem.

Legionum hyberna.] Hæc hyberna fuisse in Germania intelligas velim, vbi cum legionibus hybernabat Antonius.

Quartum stipendium.] Cùm prius triplex stipendium militi daretur, à Domitiano additum est quartũ: sicut tempore belli hac quoque tempestate fieri solet, vt stipendia vberiora militibus exhibeantur.

Aureos ternos.] Hæc est summa qoarti stipendii, qnod militibus singulis additum est à Domitiano.

Ius diligenter dixit.] Sextus Aurelius de Domitiano scribens ait: Ius æquissimè dixit.

Extra ordinẽ.] Extraordinaria quadã cognitione.

Ambitiosas.] Per ambitionem latas.

Centumuirorum.] De centumuirali iudicio diximus suo loco satis diligenter.

NOneliaret.] Nouas sereret vites. Palladius: Nũc noueliæ vitis sarmenta. Idem alibi vineam quoq; nouellam vocat: hoc, inquit, mense nouella vinea incipiat pulnerari. Vergilius: M. A N.

-Incidere faice nouellas. vt ad propaginum differeotiam dictum accipias. Huius quoq; edicti Eusebius mẽminit.

Dimidia parte.] Vinearum.

Geminari.] Castra castris iungi.

Ad signa.] Circa signa.

Deponi.] A militibus. Vtrunque ad præuertenda nonarum rerum consiiia edictum pertinet: ne aut copiarum, aut pecuniæ fiducia quisquam ad defectionem animum adiiceret.

Quãtũ]. Cùm trina stipendia anteà dari cõsueuissent.

Rescid

tias rescidit. Recuperatores, ne se semper persuasoriis assertionibus accommodarent, identidem admonuit. Nummarios iudices cum suo quenq; consilio notauit. Author & Tribunis plebis fuit, Aedilem sordidum repetundarum accusandi, iudicésque in eum à Senatu petendi. Magistratibus quoque vrbicis, prouinciarúmque præsidibus coercendis tantum curæ adhibuit, vt neque modestiores vnquam, neque iustiores extiterint: è quibus plerosque post illum reos omniū criminum vidimus. Suscepta morum correctione, licentiam theatralem promiscuè in equite spectandi inhibuit. Scripta famosa, vulgóque edita, quibus primores viri, ac fœminæ notabantur, aboleuit non sine authorum ignominia.

PHIL. RESCIDIT.] Infirmauit, neq; ratas habuit: hoc enim significat rescindere. Valerius scribit de testamētis, quæ aut rescissa sunt, aut cùm meritò rescindi possent rata mãserūt. Apud Iuriscō. titulus est De rescindenda vendis. Recuperatores admon.] Alibi docuimus, recuperatores dici iudices, qui iuri recuperãdo cōstituti sunt, quisq; iniuriis æstimãdis dabãtur. Legitimus recuperatorū numerus erant tres. Sensus est: Domitianus frequēter admonuit recuperatores iudices, ne assertiones eorum, qui ius suū asserere, & rē vēdicare volebãt, sēper sequerentur: quoniã persuasibiles quidē sæpe sūt, & ad persuadendum efficaces, sed tamen fraudulentæ. Hoc facit orator, vt sæpenumero persuasoria, & persuasibili assertione à iudicibus extorqueat quod vult, & veluti caligionē ob oculos obiiciat: in quo Domitianus volebat recuperatores esse circū spectos, ne facile crederent argumentis probabilibus & suasoriis ad asserenda ea, quæ petebãtur. Peculiariter assertiones accipiuntur in asserenda libertate, quãdo de statu hominis cōtrouersia est, liberne sis, an seruus. Hinc illud Quintiliani: Quæritur remoto personarū complexu, vt sitne liber, qui est in assertione. Io Vespasiano facta est mētio iudicii recuperatorii, vbi dixit, asserēte Flauio, pronūtiatã esse ingenuã Domicillam, quæ Libertinæ, Latinæq; conditionis credebatur. Obiter tractãdū illud, pensitãdúmq; diligentius videtur, vt exponas Latinæ cōditionis, pro minori libertate. Nã qui manumittebãtur, modò maiorē libertatem cōsequebãtur, & fiebãt ciues Romani: modò minorē, & fiebãt Latini ex lege Aelia Sentia. Matrē autē Domitiani, hoc est, ipsam Vespasiani vxorem, fuisse libertinæ cōditionis, sentit Sex. Aurelius, quū ait, Domitianū Domicillæ libertæ filiū fuisse. Nūmarios iudices.] Antiqui nūmarios iudices dici voluerūt, nummis, & pecunia corruptos. Cicero in epistolis ad Atticū: Insectãdis, exagitandisq; nūmariis iudicibus. Idē in oratione pro Cluentio: Varia iudicū genera, nummarii pauci. Seneca quoq; in 1. de Beneficiis, nummariū tribunal vocat, intelligi volens iudices, iudiciúmq; nummis corruptū: sic enim ait: Nummariū tribunal, audita vtrinq; licitatione, addici nō mirum. Notauit.] Ignominiosa nota affecit. Cum suo consilio.] Id est, cum consiliariis, & qui in eodem consilio sedentes iudicarunt.

Author Tribunis plebis fuit.] Sensus est: Domitianus authoritate sua Tribunos plebis impulit ad accusandū Aedilē de repetūdis, vtpote sordidos quæstus secutū. Omne enim lucrū magistratibus indecorū est.

Iudices à Senatu.] Solitos à Senatu iudices peti, & dari, docet Plinius in epistolis, cùm ait, Mariū Priscum accusantibus Afris, omissa defensione, iudices petisse. Tūc ipse Plinius, & Cor. Tacitus patroni prouincialiū notum fecere Senatui, Priscū Mariū immanitate excessisse crimina, quibus dari iudices possent: tamē Iulius Consul designatus censuit iudices à Senatu Mario dandos. Vrbicis.] Vrbanis, & qui in vrbe exercent magistratum. Post illum.] Post Domitiani mortem.

Vidimus.] Fuit enim Trãquillus temporibus illis. Morū correctiōe.] Id est, cùm factus esset cēsor. Fuisse autē censorē Domitianū, testis est Epigrammatarius poeta, cùm ait: Censor maxime, principúmque princeps.

Promiscua iniquitate.] Promiscua spectandi iniquitas dicitur, quãdo sine discrimine nobiles & ignobiles, opulēti, & pauperes cōfusim occupatis ordinibus spectãt: cùm decorum sit, vt nobiliores secreti, seiunctíque à popularibus, habeãt in spectaculis sedilia honoratiora. Ego existimo non promiscua iniquitate legendū esse, sed promiscuè in equite: vt sit sensus, Domitianū inhibuisse licentiã illã theatralem, quæ priùs inualuerat, vt promiscuè, & indifferēter spectaretur in equestribus gradibus, in quibus soli equites spectare debebant. Hoc autē à Domitiano factitatū fuisse, testatur Martialis, qui pluribus Epigrãmatis eum extollit, ob sublatam hanc licentiam theatralem, & ob id redditam ordini Equestri in spectaculis dignitatem. Hendecasyllabon Martialis hoc est:

Edictum domini, deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit. Item:
Sedere primo solitus in gradu sempee
Tunc cùm licebat occupare Manneius. Item:
Quadringenta tibi noo sunt Cherestrate, surge.

Exponas igitur, in equite: in ordine Equestri. In primis enim Domitianus curauit, vt in gradibus equestribus discreti soli equites sederent sine cōsessoribus plebeiis, qui priùs indiscriminatim sedilia occupabant,

Scripta famosa.] Suprà annotauimus, quòd legibus duodecim Tabularum pœna capitali sanciendum putauerunt in eos, qui carmen condidissent, quod infamiam faceret. Vnde & apud Iurisconsultos titulus est De famosis libellis. Notabantur.] Infamabantur, taxabantur. Non sine authorum ignominia.] Cum ignominiæ notã, & infamiæ maculam apposuisset his, qui conditores fuerant scriptorum famosorum.

RESCIDIT.] Pro irritis habuit. Recuperatores.] M. AN. Qui res ad fiscū attinentes cū asserendi potestate exquirebãt. Nūmarios.] Qui de pecuniariis sūmis iudicabãt: aut, quod magis placet, nummis corruptos. Notauit enim dixit, quasi ignominia affecit. Aedilē sordidum.] Sordidos quæstus sequutum. Vnquã.] Quàm eo principe. Morum correctione.] Censura. Promiscuè & in equite.] Alii iniquitate habent: sed neutrū sequitur. Ego inquietè legendū contenderim: vt sit sensus, Inhibuit theatralē licentiam spectandi promiscuè indiscretis ordinibus, ætatibus, ac sexu: nec solùm promiscuè inhibuit, sed inquietè, id est tumultuosè etiam spectandi licentiam compressit.

Quast

Quæstorium virũ, quòd gesticulandi, saltandíque studio teneretur, mouit Senatu. Probrosis fœminis lecticæ vsum ademit, iúsq; capiendi legata, hæreditatésq;. Equitem Romanũ ob reductã in matrimonium vxoré, cui dimissæ adulterii crimé intéderat, erasit iudicũ albo. Quosdã ex vtroq; ordine lege Scatinia cődemnauit. Incesta Vestaliũ virginum à patre suo quoq;, & fratre neglecta, variè, ac seuerè coercuit: priora capitali supplicio, posteriora more veteri. Nam quum Ocellatis sororibus, item Varonillæ liberum mortis permisisset arbitrium,

PHIL. Quæstorium.] Olim quæsturam functum. Gesticulandi, saltandiq; studio.] In hoc nimirum laudandus est vt bonus princeps, qui ferre nõ potuit, virum quæstoriũ esse saltatorem, & instar histrionis gesticulatorem. Nam, vt inquit eleganter Cicero in oratione pro Murena, neque fere saltat sobrius, nisi forte insanit, neq; in solitudine, neque in conuiuio moderato, atq; honesto. Vnde saltatorem appellare, maledictum erat, atq; conuicium. Quinetiam Aemylianus Scipio Romanos criminatur, quòd in ludũ saltatoriũ erant virgines, pueriq; ingenui. Cato Mar. Cæcilium vocat spatiatorem à saltandi arte. Sallustius quoque Semproniam repræendit quòd saltare optime sciuerit.

Probrosis fœminis.] Impudicis, & dedecorosis. Probrum enim & stuprum significat, & dedecus, & turpitudinem: aliàs accipitur pro conuicio, & maledicto. Lex fixa fuit in atrio Libertatis, qua sanciebatur vt probri virginis Vestalis capite puniretur: vir, qui eam incestauisset, verberibus necaretur.

Iúsque capiẽdi legata.] Spoliauit fœminas probrosas potestate legatorum capiendorum, hoc est, ne legatariæ in testamento cuiuspiam scribi possent. Hinc videtur illud Satyricè scriptum:

Si capiendi ius nullum vxori.-

Erasit iudicum albo.] Sustulit ex ordine iudicum, quorum nomina in albo perscribebantur: de quo superiùs satis multa. Ideo autem Domitianus iudiciaria nota iudicem affecit, quia ille cum vxore diuortium fecerat, eámque de adulterio accusauerat, & mox in matrimonium reduxerat. Aut enim adultera erat, aut casta: si impudica, cur eam reducebat in matrimonium? si pudica, cur illam dimittebat?

Ex vtroque ordine.] Senatorio, & Equestri.

Lege Scatinia.] Lex Scatinia punit eos, qui muliebria patiuntur, & maxime viros: hinc tota est Satyrici poetæ mordacitas, quum in secunda Satyra inuehitur in Socraticos cinædos, vbi ait: Citari ante omnes debet Scatinia. Quo in loco commentarores falluntur, qui existimant in pædicones, subactorésque Scatiniam legem esse sancitam; quum poeta tota illa Satyra insectetur viros muliebria patientes, qui lege Scatinia à Scatinio lata puniebantur. Cælius in Epistolis ad Ciceronẽ Scatiniæ legis meminit, quum ait: Postulandum me lege Scatinia curant. Et Ausonius scribens in mollem & effœminatum inquit:

Scatiniam metuens, non metuit Titiam. Sensus autem est, Domitianũ condemnasse quosdam Senatores, & Equites ex lege Scatinia, quòd scilicet molles essent, & muliebria paterentur. Scatiniũ autẽ conditorẽ legis Scatiniæ, non Romanum fuisse, sed Aricinum docet M. Tullius, qui sic scribit in III. Philippica: Quod autem municipium non contemnit is, qui Aricinũ tantopere despicit, vetustate antiquissimum? Hinc Voconiæ, hinc Scatiniæ leges. Nugatoria sunt, quæ dicuntur de C. Scatinio, qui vim inferre voluit Marcelli filio, quũ ab illo non sit dicta, neque lata Scatinia lex, sed à Scatinio municipe Aricino. Leges enim à conditoribus nominantur, non autem à sontibus & reis.

Incesta Vestaliũ virginũ.] Scribit Eusebius in chronicis tres virgines Vestæ ob stuprũ damnatas à Domitiano: quem Papinius in I. Syluarum laudat à coercẽdis Vestales ministras diligentia: sic enim ait: Pulchrius an tacita vigilet face Troicus ignis: Atque exploratas iam laudat Vestæ ministras. Philostratus quoq; in VII. de vita Apollonii testis est, Domitianũ purgasse templum Vestæ virginibus tribus Vestalibus interemptis, quæ rem cum viris habuisse culparentur: cùm oporteret eas castas, & intactas Iliensem Pallada, & ignem perpetuum custodire.

Variè.] Vario genere supplicii. Priora.] Scilicet incesta Vestalium. Posteriora.] Incesta.

More veteri.] Scilicet coercuit. Mos autem vetus fuit, vt viuæ humi defoderẽtur in campo, qui ob id Sceleratus vocabatur. Nam sicut honores multi, & amplissimi Vestalibus exhibebantur, propter quos neq; filiorum eis, neq; nuptiarum erat desiderium: sic pœnæ delinquentibus impositæ sunt magnæ, earũmq; inquisitores, & punitores erant ex lege pontifices, eas quidem in minoribus delictis verberibus afficientes, corruptas verò miserabili morti tradentes: viuæ enim in feretro deferuntur per forum more mortuorum, & cum silentio, mœroreq; deducuntur ad portã Collinam, vbi structa est subterranea domus, vbi à pontifice virgo incesta operto capite constituitur in scalis in hypogeum, hoc est subterraneum domiciliũ deferentibus: cùm autem illa descenderat, scalæ tollebantur, & domiciliũ humo iniecta operiebatur: in quo lectus erat, & lucerna ardens, panis quoque cum aqua, lacte, & oleo: ne fame mori videretur. Ocellatis.] Cognomen est virginum Vestalium, quæ ex Ocellata familia ad sacerdotium accesserant.

M. A N. Quæstorium virum.] Qui quæstor fuerat. Probris.] Flagitiis, & infamia opertis. Iúsque capiendi legata.] Iuuen. Si capiendi ius nullũ vxori est. Legatũ, vt Modestinus ait, quædam donatio est testamento relicta. Erasit iudicũ albo.] E numero iudicum expunxit, qui falsò crimen vxori intendisset: sicque ignominia notatum intellige. Lege Scatinia.] A C. Scatinio in pædicones lata: qui cùm Marcelli filio vim, vt Valerius ait, inferre ausus esset, patre accusante damnatus est. Iuuen. -Quòd si leges & iura citantur,

Ante omnes debet Scatinia.-

Incesta Vestaliũ.] Eusebius author est, tres Vestales virgines Domitiano principe incesti damnatas.

Priora.] Incesta.

More veteri.] Vt humi viuæ sepelirentur. Iuuenal.

Sanguine adhuc viuo terram subitura sacerdos.

Nam cùm Ocellatis.] Subiicit causam quare diuerso supplicio idem scelus vindicarit. Ocellatis sororibus.] Vestalibus à familia ita cognominatis: quæ fuerant priùs incesti accersitæ. Varonillæ.] Item Vestali.

Liberum mortis genus.] Vt ipsæ deligerent sibi genus mortis, quo vellent affici.

corruptoréſq; earum relegaſſet, mox Corneliam virginem maximam, abſolutam olim, dehinc longo interuallo repetitam, atque conuictam, defodi imperauit. Stupratoréſque virgis in comitio ad necem cædi, excepto prætorio viro, cui dubia etiam num cauſa, & incertis quæſtionibus, atque tormentis de ſemet profeſſo, exilium indulſit. Ac ne qua religio deûm impunè contaminaretur, monimentum, quod libertus eius è lapidibus templo Capitolini Iouis deſtinatis filio conſtruxerat, diruit per milites, oſſáque, & reliquias, quæ inerant, mari merſit.

Clementia, & largitas in initio principatus. IX.

INter initia vſqueadeo ab omni cæde abhorrebat, vt abſente adhuc patre, recordatus Vergilii verſum,

Impia quàm cæſis gens eſt epulata iuuencis:

edicere deſtinauerit, ne boues immolaretur. Cupiditatis quoq;, atq; auaritiæ vix ſuſpicionẽ vllã, aut priuatus vnquam, aut princeps aliquandiu dedit, imò è diuerſo magnæ ſæpe nõ abſtinentiæ modò, ſed etiam liberalitatis experimẽta. Omnes circa ſe

PHIL. COrruptores.] Stupratores.

Relegaſſet.] Sicut Licinianum Valerium rhetoricæ profeſſorem releganit ob inceſtum: qui poſteà in Sicilia profeſſus eſt, cuius rei meminit Plinius io Epiſtolis. Mox Corneliam.] Cuius ſtuprator eques Romanus nomine Celer iu comitio virgis cæſus eſt: qui iuter cædeodum in hac voce perſtabat: Quid feci? oihil feci. Plinius in quarto Epiſtolarũ memorat, Domitianum concupiſſe viuam defodere Corneliam Maximillã Veſtalem: vt qui illuſtrari ſeculũ ſuũ eiuſmodi exemplis arbitraretur, qui abſentem, inauditámque damnauit inceſti: à quo miſſi ſtatim pootifices, qui defodiendã, necandámque curarent, à quibus io illud ſubterraneum cubiculum demiſſa eſt.

Virginem maximam.] Virgo maxima dicitur præfecta, & princeps reliquarum Veſtaliũ: qualis hodie abbatiſſa uuncupatur. Hioc non abſurdè apud Plinium pro Corueliam Maximillam Veſtalem, legi poſſet Corueliam maximam Veſtalem: vt cooueniat cum ſententia Tranquilli.

Repetita.] Scilicet iudicio, & accuſatiooe.

Defodi.] Vt viua ex more veuſto defoderetur: de quo Iuuenalis:

Sanguine adhuc viuo terram ſubitura ſacerdos.

Liuius io XXII. Duæ Veſtales eo aooo Opimia, atqoe Floronia ſtupri cõpertæ altera ſub terram, vt mos eſt, ad portam Collinam necatafuerat: altera ſibimet ipſa mortem cooſciuerat. L. Cantilius ſcriba pontificũ, qui cum Floronia ſtuprum fecerat, à poutifice maximo eò vſque virgis in comitio cæſus erat, vt ioter verbera expiraret. Itaque Domitiaous & ſtupratas, & ſtupratores puniebat ex iure pootificis maximi, ad quem pertinet talis coercitio, animaduerſióque.

Stupratores.] Io primis Celerem equitem Romanum ſignificat, cui Corneliæ inceſtum obiectum eſt, & ob id in comitio virgis cæſus, vt dudum diximus.

Excepto prætorio viro.] Fortaſſis ſignat Valeriũ Licinianum, qui præmooitus fuit, ſi comitium, & virgas pati nollet ad confeſſionem inceſti cum Cornelia Veſtali confugeret, ſicut & fecit. Loquutus eſt pro abſente Herennius Senecio. Licioiano Domitianus exiliũ molle dedit, permiſitque, ſi qua poſſet ex rebus ſuis raperee, anteq̃uã bona publicareotur. Cootaminaretur.] Pollueretur, & maculoſa fieret. Libertus eius.] Domitiani. Deſtinatis.] Præparatis.

Filio defuncto.] Et filius liberti ſignificatur.

Diruit.] Euerti, & deſtrui iuſſit.

Oſſa, & reliquias.] Filii liberti ipſius: tanquam nefas foret iu lapidibus ſacratis profanum ſepeliri.

Impia, quàm cæſis.] Vergilius iu II. Georgicorũ ſic ſcribit: Ante etiam ſceptrum Dictæi regis, & ante

Impia quàm cæſis gens eſt epulata iuuencis,

Aureus hanc vitam io terris Saturnus agebat. In expoſitione huius verſus ait Seruius, quòd maiores, boues cõmeſſe nefas putabaot. Plinius quoq;, & Columella tradunt, in tanta fuiſſe apud antiquos veneratiooe boues, vt tam capitale eſſet bouẽ necaſſe, quàm ciuem.

Edicere.] Edicto promulgare.

Deſtinauerit.] Conſtituerit, deliberauerit.

Ne boues immolarentur.] Ex dogmate Pythagorico præcipitur apud Ouidiũ, oe boues immoleotur, neve adhibeaotur io cibatũ. Sic enim ſcriptum eſt:

Quid meruere boues, animal ſine fraude, dolóque,

Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores?

Porphyrius quoqoe refert, ex iniquitate hominũ eſſe inductũ morem immolandi hoſtias: quem fœdiſſimũ appellat, & crudelitatis pleuũ: cùm ex ſanguioe occiſorũ animaliũ imbuantur aræ deorũ. Quinetiam Lactantius carpens hanc animalium immolationẽ ſic ſcribit io V. Diuinarũ Inſtitutionũ: Mactãt igitur opimas, ac pingues hoſtias Deo, quaſi eſurieoti: profundũt vina, tanquã ſitienti. Trimegiſtus ſimile ſacrilegiis eſſe autumat, cùm deũ ores, tus, atq; cætera incendere. Nihil enim ei deeſt, qui ipſe eſt omnia. Atq; incenſiooes Dei eſſe, cùm agũtur grates à mortalibus. Experimenta.] Scilicet dedit.

COrruptores.] Qui cum Veſtalibus inceſtum commiſeraut. M. AN.

Virgiuem maximam.] Corneliam ptimam virginũ, & quaſi antiſtitẽ: quæ, vt Euſebius ait, viua defoſſa eſt.

Defodi.] Extra Collinam portam more maiorum io ſubterraneam ſpecum viuam demitti.

Stupratores.] Veſtalium corruptores.

Exilium iodulſit.] Exilio damnauit, quum maius eſſet ſupplicium meritus.

Libertus eius.] Noo dicit cuius: ad Domitianum vix aptè referas.

Lapidibus deſtinatis.] Ad vſum Capitolioæ ædis comparatis.

Diruit.] Dirui fecit, monumeotum ſcilicet.

Oſſa.] Filii. Ab omni cæde.] Qoaſi dicat multorum etiam animalium.

largiſſimè proſequutus, nihil prius, aut acrius monuit, quàm ne quid ſordidè facerent. Relictas ſibi hæreditates ab his, quibus liberi erant, non recepit. Legatum etiam ex teſtamento Ruſcii Cepionis, qui cauerat, vt quotannis ingredientibus curiam Senatoribus certam ſummam viritim præſtaret hæres ſuus, irritum fecit. Reos qui ante quinquennium proximum apud æra'rium perpendiſſent, vniuerſos diſcrimine liberauit: nec repeti, niſi intra annum, eáque conditione permiſit, vt accuſatori, qui cauſam non teneret, exilium pœna eſſet. Scribas quæſtorios negotiantes ex conſuetudine, ſed contra Clodiam legem, venia in præteritum donauit. Subciſiua, quæ diuiſis per veteranos agris carptim ſuperfuerunt, veteribus poſſeſſoribus, vt vſucapta conceſſit.

PHIL. LArgiſſimè.] Liberalitate maxima.

Quàm ne quid ſordide.] Domitianus admonuit ſuos ſanctè ne quid facerent, quod illos ſordidos eſſe, & auaros, turpiſque lucri cupidos declararet. Nimirum principes omnes hac admonitione ſuos aulicos monere deberent, ne quid cauſa auaritiæ, & rapinarum, ſordidique lucri faſtitent: cùm videamus in aulis principum omnia ſecus fieri.

Non recepit.] Tanquam iuſtius ſit, hæreditates patrũ ad filios pertinere, quàm ad principẽ. Ex his liquet quem admodũ Domitianus ab initio principatus egit bonũ principẽ, mox deflexit ad omne genus flagitiorum.

Legatum irritũ fecit.] Ruſcius Cepio in teſtamento legatum hoc legauerat Senatoribus, vt ſingulis annis certa ſumma pecuniarum illis viritim diuideretur ab hærede, quando curiam ingrediebantur. Hoc legatum Domitianus reſcidit, nec ratum eſſe voluit: vt ita hæres ab hoc onere liberaretur: quod eſt laudabile.

Apud ærarium pependiſſent.] Dicuntur rei pendere apud ærarium, qui necdum abſoluti, necdum damnati ſunt, ſed adhuc illorum cauſa eſt pendens, &, vt dici ſolet, ſuſpenſa ſub incerto exitu. Tales liberauit Domitianus à periculo damnationis, ſi modò per quinquennii proximi ſpatium pependiſſent. In ærario autem tabularium erat, hoc eſt repoſitorium ipſarum tabularũ. Aerarius verò homo dicitur, qui ære, pecuniáq; mulctatur. Hinc leges identidem apud luculentos ſcriptores, factos eſſe ærarios, & inter ærarios relatos, qui ære mulctatitio puniebantur.

Nec repeti.] Ab accuſatoribus iterum reuocari ad reatum. Intra annum.] Annuum ſpatium.

Qui cauſam non teneret.] Qui non obtineret reũ damnari, nec quiſ rerum vinceret in iudicio.

Sed contra Clodiam legem.] Clodia lex prohibebat ſcribas quæſtorũ exercere negotiationes: tanquã indecorum foret, ſcribam eſſe negotiatorem: verùm tamen ex conſuetudine, quæ interdum lege potentior eſt, quidam inueniebantur negotiantes, quos venia donauit Domitianus, remiſſa legis Clodiæ punitione.

Subſiciua.] In codicibus luculentorum ſcriptorũ multiiugis modò ſubſiciua, modò ſubciſiua ſcribi deprændes: eadẽ tamẽ huius verbi vis eſt, & ſignificantia. Nam ſubciſiua dicuntur, quæ ſubciſa ſunt, & quaſi ſubtracta: à ſubcidendo dicta, quaſi relicta. Quòd ſi ſubſiciua legeris, à ſubſecando inclinabitur. Plinius in proœmio Nat. hiſtoriæ, & Aulus Gellius in nouiſſimo Noctium Atticarum, ſubciſiua, ſiue ſubſiciua tempora dixerunt, quæ ſubducta, ſubtractáque ſunt, & veluti ſubciſa, ſiue ſubſecta à rebus neceſſariis. Eadem dictione vſus eſt Cicero, cùm ait in primo de legibus: Subciſiua quædam tempora incurrunt, quæ ego perire non patior. Item paulò pòſt: Quin igitur iſta ipſa explicas ſubciſiuis, vt ais, temporibus, & conſcribis de iure ciuili ſubtiliùs, quàm cæteri. Apuleius in vltimo de Aſino aureo: Quid ſubſiciuum quanuis iteratæ iam traditioni remãſiſſet? Vbi ſubſiciuum poſuit pro reliquum. Idem in eadem ſignificatione dixit in octauo: Ac me relictum ſolum, ac ſubſiciuum cũ faſtidio pleriq; prætcribãt. Itidem Tranquillus ſubciſiua appellat porciunculas agrorum, quaſi ſubciſas relictáſve, quæ velut reliquiæ in diuidẽdis agris ſuperfuerant. Talia Domitianus conceſſit veteribus poſſeſſoribus, qui ſcilicet illos agros prius poſſederant, quàm veteranis diuiderẽtur. Idem Apuleius ſcribit in Apologia Pythagoram animaduertiſſe euerriculum, quod genus retis eſt, trahi à piſcatoribus iuxta Metapontum in litore Italiæ ſuæ, quam ſubſiciuam Græciã fecerat. Vbi ſubſiciua Græcia accipi videtur, quaſi pro ſubſecta, ſuccisáque, & veluti ſecundaria Græcia, quæ eſt Italiæ portio, quam Græci magnam Græciam appellauerunt.

Carptim.] Quaſi fruſtulatim, & membratim, hoc eſt, per fruſta, & membra hincinde decerpta ſupererant.

Vſucapta.] Quaſi per vſuſcapionem vẽdicata. Antiquitus iure ciuili conſtitutum fuerat, vt res, ſi mobilis erat, anno vbique vno: ſi immobilis, biennio tãtùm in Italico ſolo vſucaperetur, ne rerum dominia in incerto eſſent. Mox Iuſtinianus conſtitutionem promulgauit: qua cautum eſt, vt res quidem mobiles per triennium, immobiles verò per longi temporis poſſeſſionem, id eſt, inter præſentes decennio, inter abſentes viginti annis vſucapiantur: ſicut ſcribunt latiſſimè Iuriſconſulti: & à Boethio in commentariis Topicorũ annotatũ eſt.

M. A N. SOrdidè.] Turpiter, ac præ lucri cupiditate auare nimiùm. Cauerat.] Teſtamento legauerat.

Viritim.] Senatorum ſingulis.

Apud ærarium pependiſſent.] Aut in vacuo, vt de Claudio dixit, pependiſſent: aut ambiguo cauſæ euẽtu ſuſpenſi toto quinquennio ærarii rei fuiſſent.

Diſcrimine.] Incommodo, omníque periculo liberauit. Nec repeti.] Iterum cogi.

Intra annum.] Intra anni ſpatium.

Qui cauſam nõ teneret.] Qui non victor eſſet, ac ne ad exitum non perduceret.

Contra Clodiã legem.] P. Clodius Tribunus plebis quatuor tulit leges Aulo Gabio, & L. Piſone Conſulibus, in quibus hãc fuiſſe intelligi oportet. Subciſiua.] Id eſt agrorũ partes ſucciſas: hoc eſt, diuidendis agris hincinde ſubductas, vt menſura admetientibus magis quadraret. Dicuntur & ſucciſiua tempora neceſſariis horis ſubtracta. Plinius: Succiſiuis temporibus iſta curamus. Gellius: Ea omnia ſucciſiua, & ſubſecũdaria tempora. Carptim.] Hincinde carpendo aliquid.

Veter

Veteribus possessoribos.] His, qui agros ipsos ad id tẽpus possederãt: priùs dico, qnàm diuisi essent.


Vsucapta.] Possessionis cõtinuatiooe quæsita. Modestinus, Vsucapin est, inquit, acquisitio, vel addictio dominii per continuatinnem possessinnis tempore lege definito.

genus studiorum paulò liberius, & erectius, periculosum seruitus fecisset. Figurate, vt inquit Sidonius, vitam, domúmque Constantini videtur vel pupugisse, vel momordisse, qui Palatinis foribus disthchon hoc appendit:

Saturni aurea secla quis requirat?
Suot hæc gemmea, sed Nernniana.

fiscales calumnias, magna calumniantium pœna repressit: ferebatúrque vox eius: Princeps, qui delatores non castigat, iritat.

Sæuitia, & crudelitas eius contra plurimos. X.



SEd neque in clementiæ, neque in abstinentiæ tenore permansit: & tamen aliquantò celeriùs ad sæuitiam desciuit, quàm ad cupiditatem. Discipulum Paridis pantomimi * puberem adhuc, etiam tum maximè ægrum, quòd arte, formáque non absimilis magistro videbatur, occîdit. Item Hermogenem Tarsensem propter quasdam in historia figuras, librariis etiã, qui eam descripserant, crucifixis. Patremfamilias, quòd Thracem Mirmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum è spectaculis in arenam, canibus obiecit, cum hoc titulo,

impube rem. paupere

PHIL. FIscales calumnias.] Calũniæ fiscales dicũtur, ex qoibus damnatorũ bnna ad fiscum Imperatorium deuoluebantur.

Ferebatur.] Celebrabatur.

Princeps, qui delatores nõ castigat.] Vox hæc in omnibus principum cubiculis, vestibulísq; scribenda est: vox aurea, vox omni laudatinnis præconio digna. Elegaoter olim, & sapiẽter dixit Inlianus Imperatnr ad delatnrem coercendum: Qnis innocẽs esse poterit, si accusasse sufficiet? Delatores ergo nisi castigeotur, vel ob hoc quia impuniti relioqnũtur, ad accusandum magis iritãtur: iden Domitianus delatores pnniendns esse vnlens significare dicebat, delatores iritari, prouocaríque ad delationis officium, nisi à principe castigentur. Nimirum delatores ad venena nascnntur: quorum atra, ceu serpentium, lingua vibrat, tabes animi, contrectatáque adurit. Nulla sanè pestis pestilentior, nulla pernicies perniciosior veneno delatnrum: qui vbi principum aures patulas inuenere, infundunt virus exitiale innncẽtibus: vnde fit vt præceps immeritò vir bonus, probus, insons ex aula principali eliminetur, atque explodatur, dum principes nimiùm creduli totas aures repandunt pestiferis delatoribus, susurronibúsque: qui virosis linguis viperas imitantur. Quns, ioclyte Annibal, nnn minùs fugiendns censeo, quàm pestes, quàm venena, quàm mnrtes.

Ad sæuitiam descinit.] Deflexit ad crudelitatem priùs, quàm ad auaritiam.

Discipulum Paridis.] Exempla hæc sunt sæuitiæ in Dnmitiano, qui ob nullam aliam causam occîdit discipulum Paridis histrionis, nisi quòd arte histrionica, & forma magistrum repræsentabat.

Propter quasdam in historia figuras.] Ob figoratũ scribendi genus, & obliqoa dicta. Martianus, atque Fortunatianus scribũt, ductum esse in oratione figuratum, cùm apertè quid dicere prohibet verecundia, propter obscœna, & significatio alia integmentis vestita monstratur. Est & obliquus dnctus, quum metus impedit aliqnid dicere liberè: & per qousdam cuniculos obiicienda monstramos. Dnmitianus occidit Hermogenem Historicum propter figuratos in historia dnctus, & elncutiones, quæ trahi posse videbãtur in principis cnntumeliam. Plinius scripsit octo volumina dubũ sermnnis sub Nerone nnuissimis annis, cùm omne

Tarsensem.] Ex Tarso oppido Ciliciæ. Perseus Iouis, & Danaes filius, Tarsum condidisse memoratur, vt ait Ammianus Marcellinus: vnde à Lucann Tarsos Persæa cognominatur illo versu:

Deseritur, Taurique nemus, Persæáque Tarsos.

Qui eam descripserant.] Historiam scilicet Hermogenis excripserant. Proprie enim describere, & excribere, est exempla transferre: quod pertinet ad librarins, quum scribere ad conditorem referatur. vulgos peram scriptores dicit, qons librarios dicere deberet, qunm scriptores sint ipsi authnres, conditoreíque librorum.

Patremfamilias.] Sensus est: Domitianus obiecit canibus laniandum qnendam patremfamilias, quia lo spectaculo gladiatorio, quod exhibebat princeps, dixerat Thracem gladiatorem parem quidem esse mirmilloni, aduersus qoem depugnabat, sed munerario imparem: id est, editori ludorum Domitiano minimè parem, tanquam ab eo, vellet, nollet, digladiari cogeretur. Et ita hoc dicto visus est taxare principem exhibitorem spectaculi gladiatorii. Nam munerarius significat editorem, exhibitorémque muneris gladiatorii, cuius nomine Dnmitianus significabatur à patrefamiliâs. Alibi docuimus, mirmilloni gladiatori opponi Thracem gladiatnrem: quod iodicat vel ille Ausonii versus:

Quis mirmilloni contenditur? æquimanus Thrax.

In arenam.] Gladiatnria arena significatur, in qua gladiatnres depugnant: vnde & arenarii dicti.

Cum hoc titulo.] Cum hac ooratinne, indicióque supplicii.

M. A N. FIscales.] Ad fiscum Imperii attinentes.

Calumnias.] Falsas delatinnes aduersus cines pro fisco intentas.

Magistro.] Ipsi Paridi.

Figuras.] Aliquos inter se sermones.

Thracem.] Retiarium.

Mirmilloni.] Qui cum retiarin pugnat.

Munerario.] Gladiatori ad monus comparato. Munus gladiatorium certamen dicitur. Iuuenalis:

Munera nunc edunt, & verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt.-

Impiè

Impiè locutus parmularius. Cōplures Senatores, in his aliquot cōsulares interemit : ex quibus Ciuicā Cerealem in ipso Asiæ proconsulatu, Saluidienum Orfitum, Acilium Glabrionem exilio, quasi molitores nouarū rerum. Cæteros leuissima quenq; de causa: Aelium Lamiam, ob suspiciosos quidem, verùm & veteres, & innoxios iocos, quòd post abductam vxorem laudanti vocem suam, heu taceo dixerat: quódque Tito hortanti se ad alterum matrimonium responderat, μὴ κ̀ σὺ γαμῆσαι θέλεις; Saluium Cocceanum, quòd Othonis Imperatoris patrui sui diem natalē celebrauerat: Metiū Pōposianū, quòd habere Imperatoriā genesim vulgò ferebatur: & quòd depictū orbē terræ in mēbranis,

PHIL. Impiè locutus parmularius.] Verbum hoc à Domitiano cōtumeliose dictum est in patremfamilias obiectum canibus lacerandū : nam parmularius oomen est gladiatoris, à parmula dicti. Est autem parmula, breue scutum, de qua ait Horatius:

Sensi relicta non beoe parmula. Milites velites ritu Romano parmam habebāt tripedalē. Parmulis soliti sūt milites pugnare, quarū vsum fertur sustulisse C. Marius. Iphicrates peltam pro parma militibus dedit : ex quo posteà peltastæ pedites dicti. Apud Quintilianū in 11. hoc scriptum legimus huic sentētiæ accōmodatū: Alius percōtanti Theodoreus, an Apollodoreus esset : Ego, inquit, parmularius sum. Nec sanè potuit vrbanius ex cōfessione inscitiæ suæ elabi. Ciuicā Cerealem.] Cor. Tacitus meminit subinde Cerealis, qui castra Germanorum cepit, exciditque.

Acilium Glabriooem.] De hoc ait Iuuenalis:

Proximus eiusdem properabat Acilius æui. Acilio Glabrioni, qui apud Thermopylas regē superauit Antiochū, statuam aureā posuit filius Acilius Glabrio: quæ prima omniū in Italia fuit aurata statua : authores Liuius, Plinius, & Am. Marcellinus: hic, quē interemit Domitianus, ex ea erat prosapia. Cæteros.] Scilicet interemit. Orfitum.] Domitianus Orfitū, & Rufum paratarū contra se insidiarū insimulans in insulā relegauit. Apud Philostratū Apollonius Orfitū appellat virū iustū, & tēperatū, cui obiiciebatur quòd suasor, impulsórq; Neruæ fuisset ad Imperiū occupandū : adiutum quoque ab ipso Apollonio ad res nouas moliendas calumniabantur: ex hoc ait Trāquillus Orfitū fuisse Domitiani iussu interemptū in exilio, quasi molitorem rerum nooarū. Primò enim fuit insulari exilio mulctatus, mox ibidem interēptus, sicut & Acilius Glabrio ob cōsimilem suspicionem. Aelium Lamiam.] Propter huius Aelii Lamiæ necem dixit poeta Satyricus:

-Hoc nocuit Lamiarum cæde madenti. Aeliorū Lamiarum familiā, quæ fuit Romæ Senatoria, oriundam esse à Lamo Formiarum rege, idonei scriptores prodiderūt. In alia significatione Lamia dicitur voratrix puerorū, à lama, quæ est vorago : & maledictū est in fœminas maleficas. Apud Philostratū multa mentio est de lamia, quæ formosiores adolescētulos deuorabat. Quidā lamias dicunt esse laruas, & lemures, quæ humanas carnes desiderant et affectant. Horatius:

Neu pransæ lamiæ viuum puerum extrahat aluo.

Apuleius in 1. de Asino aureo : At ille olore spurcissimi humoris percussus, quo me lamiæ illæ infecerant, aspernatur. In Threnis Ieremiæ accipitur lamia pro genere animalis, cùm ait: Lamiæ nudauerunt mammā, lacerauerunt catolos suos. In Isaia quoq; scriptū est : Ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiē. Olim Probus Imperator exhibuit in spectaculo centum lamias.

Abductam vxorem.] Suprà dictū est, Domitianum abduxisse in matrimonium Domitiā Longinam Aelio Lamiæ nuptam. Laudanti.] Domitiano.

Heu taceo.] Hoc verbū dixit Aelius Lamia dolenter, & cum suspirio, cùm significare vellet sibi tacēdum esse, & labellum digito cōpescendum, cùm liberè queri nō posset de Domitiano, qui sibi abduxerat vxorem.

Ad alterum matrimoniū.] Vt post abductā à Domitiano primā vxorem Domitiam, ducere vellet alteram.

Μὴ κἀὶ σὺ.] Latinè interpretatur, An & tu vxorē ducere vis? Quo dicto intelligi voluit Aelius Lamia, quòd & Titus quoq; vellet abducere alterā sibi vxorē, sicut Domitianus primā abduxerat. Saluium Cocceanū.] Subintellige, interemit. Fuit autem hic filius fratris Othonis Imperatoris, quem Otho iamiā moriturus admonuit, ne patruum suum Othonem fuisse aut obliuisceretur vnquam, aut nimiùm meminisset.

Metium Pomposianum.] In Vespasiaoi vita dictū est, quemadmodum sermo percrebuerat, Metium Pomposianum habere genituram Imperatoriam, eúmque quandoque regnaturum: vnde à Vespasiano Consul factus est tali cauillo alludente: Quandoque memor erit tanti beneficii : sed Domitianus longè patri dissimillimus Pomposianum interemit propterea, quòd in horoscopo, sydereque natalitio Imperatoria dignitas ei decreta esse vulgò dicebatur. Quicunque habuerint horoscopum in prima parte Arietis, nascentur reges, duces, exercituúmque Imperatores.

Depictū orbem terræ.] Pomposiano excidiū concinnauit ea res, quæ Hostilio Mancino Consulatum peperit: qui situm Carthaginis, expugnationémque depictam proponens in foro, & ipse assistens populo spectanti singula enarrabat: qua comitate proximis comitiis Consulatum adeptus est. Anaximander Milesius de situ orbis descriptam tabulam primus edidisse fertur: Hecatheus verò codicem reliquisse situm orbis continentem, vt tradit Eratosthenes.

M. AN. Impie locutus parmularius.] A parma parmula est, atque inde recta voce parmularius, parmularum opifex: aut quemadmodum à scuto scutarius dicitur, sic à parmula parmularius, parmulæ gestator : vt præteritæ milioæ, atque eiusdem obscuræ, & gregariæ breui titulo arguerit. Acilium Glabrionem.] Iuuenalis:

-Properabat Acilius æuo. Aelium Lamiam.] Iuuenalis: -Lamiarum cæde madenti.

Abductam vxorem.] Scilicet Domitiam, quam illi ademptam Domitianus duxit vxorem.

Laudanti.] Domitiano.

Heu taceo.] Quasi stomachi iudicium in Domitianum dedisset. Se.] Lamia.

Καὶ σὺ γαμῆσαι θέλεις;] Et tu vxorem ducere vis?

Saluium Cocceanum.] Occidit, subaudi.

Imperatoriam genesim.] Syderalem in ortu positurам ad Imperium trahentem.

Concion

concionésque regum, ac ducum ex Tito Liuio circunferret, quódque seruis nomina Magonis, & Annibalis indidisset. Sallustium Lucullum Britanniæ legatum, quòd lanceas nouæ formæ appellari Luculleas passus esset. Iuniū Rusticum, quòd Pæti Thraseæ, & Eluidii Prisci laudes edidisset, appellarétq; eos sanctissimos viros: cuius criminis occasione, philosophos omnes vrbe, Italiaq; summouit. Occidit & Eluidiū filium, quòd quasi

PHIL. Conciones regum, ac ducum.] Notissimum est, Liuium in concionibus supra quàm narrari potest, esse eloqoentissimum, apud quem maximi duces, segésque propè diuinitus cōcionantur. Quid enim diuinius concionibus Scipionis, & Annibalis? quid luculentius his, quas apud eundē & Romani reges, & externi percensent? Igitur cùm Pomposianus cociones illas, id est orationes, quæ apud Liuium & à regibus habentur, & à ducibus assiduè circūferret, suspicionem Domitiano fecit, tanquam regnum affectaret: ex quo fuit iotereruptus.

Nomina Magonis & Annibalis.] Hinc Domitianus Pomposianum metuendum esse opinabatur, quòd seruis imponeret nomina non seruilia, sed Imperatoria, & eorum maxime Imperatorum, qui infestissimi fuerant Romano nomini. Magooem enim & Annibalem fratres maximos Pœnorum duces, maximósque Romanorum hostes fuisse, nemo noo nouit. Aonotatu dignū est, Genuam Liguriæ caput ab hoc Magone Annibalis fratre dirutam fuisse, mox exædificatam à Lucretio: cui ob id prorogatum fuit imperium. Mago ex vulnere mortuus est haod procul Sardinia: Annibal veneno in Bithynia extinctus, ducum, Imperatorúmque externorū haud dubie clarissimus, memoratissimúsq;. E contrario Athenienses decreto olim publico sanxerunt, ne vnquam seruis indere liceret nomioa Harmodii, & Aristogytonis: qui libertatis recuperandæ gratia Hippiam tyrannum interficere adorsi eranr: nefas enim ducebant nomina libertati patriæ deuota seruili contagio pollui.

Sallustium Lucullum.] Repete, interemit.

Lucullea.] à nomine suo: dicebatur eoim Sallustius Locullus. Cæterùm L. Lucullus ille Romanorum nitidissimus marmori Lucullleo nomen indidit, admodum delectatus illo, quod erat atri coloris. Pæti Thraseę, & Eluidii.] De Pęto Thrasea Patauino, & Eluidio Prisco Tarentino, qni Thraseæ gener fuit, suprà copiose meminimus. Iunius Arulenus Rusticus, qui olim Tribunus plebis obtulit se propugnatorem Pæti Thraseæ, gener fuit Eluidii, socerúmq;, & prosocerū Thraseam nō minùs vero, quàm magno pręconio extulit, appellauitq; sanctissimos viros: propter quod interfectus est à Domitiano. Scire autē debes, Thraseam sęuitia Neronis afflictum, vt aote diximus, venas secuisse, Eluidiúmq;, qoia Thraseę gener erat, Italia pulsum exulasse: qui mox reuersus Romā creatus prætor Vespasiani principatu liberè nimis sententiam dixit, vtpote æmulus soceri, imitatórq; Catonum, & Brutorum: ex ea dicendi libertate, vt magnam gloriam, ita magnam contraxit offensam: fuitq; à Domitiano morti damnatus. Vnde ait Corn. Tacitus scribens de vita Iulii Agricolæ soceri sui: Mox nostræ duxere Eluidium in carcerem manus. Idem Aruleni Rustici necem signat his verbis: Nos Maurici, Rusticique nisus, nos innoceoti sanguine Senecio perfudit. Aruleni Rustici periculum fouerat M. Regulus, eiúsque morte adeò exultauit, vt libro edito illum insectatus, appellauerit simiā Stoicorum, adiceritque Vitelliana cicatrice stigmosum. Ideo autem hoc à M. Regulo dictum est, quia Arulenus Rusticus, cùm esset prætor missus à Vitellio, Senatúsque legatus ad Flauianos duces componēdæ pacis causa, fuit vulneratus à militibus turbulentis violato legati nomine, occisóque lictore. Philosophos vrbe submouit.] Eusebius in Chronicis ait, Domitianum philosophos, & mathematicos bis vrbe Roma per edictū expulisse. Gellius quoq; libro XIIII. Noctiū Atticarum sic scribit: Philosophi Domitiano imperante Senatuscō sulto eiecti, atque vrbe, & Italia interdicti sunt: qua tempestate Epictetus quoque philosophus propter id Senatusconsultum Nicopolim Roma decessit. Apud Philostratum mentio fit de philosophis eiectis à Domitiano, qui habitu mutato partim in Hispaniā, partim in Libiæ Scythiæ've deserta confugerunt. Quidam etiam viuendi ratione mutata, scelerum consiliarios sese illi adiunxeruot. Ex quo Demetrius philosophus expulsus, instituta cum Apollonio sermocinatione, dolenter dixit, & grauiter: Cicadis licet impune canere, nobis nec quidem mutire fas est. Eluidium filium.] Sanguinarius princeps oon contentus interfecisse virum sanctissimum Eluidium patrem, occîdit etiam filium ob rem friuolam, & ougatoriam. Plinius neoteros, hoc est, iunior occiso Domitiano librum composuit de Eluidii patris vltiooe, qoi cum sibi fuerat amicitia: accusauitque in Senatu Publicium Certum Senatorem, virúmq; Prætorium, à quo manus illatæ fuerant Eloidio. Idem deflet luculenta epistola mortē Fanniæ vxoris Eluidii ex Thrasea natæ, quæ bis maritum secuta est in exilium, tertiò ipsa propter maritum relegata: factúsq; reus fuit Senecio, quòd de vita Eluidii libros composuisset: sicut Rusticus Arulenus fuerat interfectus ob editas Eluidii Prisci, & Pæti Thraseæ laudes. Cuius rei meminit Cor. Tacitus his verbis, quæ subscripsi: Legimos cùm ab Aruleno Rustico Pætus Thrasea Herennio Senecioni Priscus Eluidius laudati essent, capitale fuisse: neque in ipsos modò authores, sed in libros quoq; eorum sæuitū, delegato triumuiris ministerio vt monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio, ac foro vrerentur.

Magonis & Annibalis.] Carthaginiensiū ducum, Romanique nominis hostium. M. A N.

Nouæ formæ.] rum primùm inoentæ.

Loculleas.] à suo nomine.

Pæti Thraseæ.] à Nerone occisi.

Eluidii Prisci.] qui Vespasiani principatu occisus est.

Sanctissimos viros.] Innocentes, miræ constaoriæ. Cuius illi sectæ fuerint, Satyri carmen demonstrat:

Quale cosonati, inquit, Thrasea Eluidiúsque bibebant

Brutorum, & Cassii natalibus.

Cuius criminis.] ipsi Rustico intentati. Philosophos.] philosophiæ professores, ac studiosos.

Eluidium filium.] ad patris differenriam, qui à Domitiano fuerat occisus.

scenico exodio sub persona Paridis, & Oenones diuortium suum cum vxore tractasset. Flauium Sabinum alterum è patruelibus, quòd eum comitiorum consularium die destinatum, perperam præco non Consulem ad populum, sed Imperatorem pronuntiasset. Verùm aliquantò post ciuilis belli victoriam sæuior, plerosque partis aduersæ, dudum etiam latentes conscios, inuestigato nouo quæstionis genere distorsit, immisso per obscœna igne. Nonnullis & manus amputauit. Satisque constat duos solos è notioribus venia donatos, tribunum laticlauium, & centurionem, qui se, quò faciliùs expertes culpæ ostenderent, impudicos probauerant: & ob id neque apud ducem, nec apud milites vllius momenti esse potuisse.

Item de sæuitia & crudelitate eiusdem. X I.



Rat autem nõ solùm magnæ, sed & callidæ, inopinatæq; sæuitiæ. Authorẽ summarum pridie, quàm crucifigeret, in cu-

P III L. Scenico exodio.] cantico Atellanico. Repete quæ suprà dicta sunt de exodio. Sub persona Paridis & Oenones.] Nota est historia fabulosa, quéadmodum Paris ioter pastores educatus amauit Oeoonen: quam deinde facto diuortio deseruit, peofectus in Græciam Helenæ amore pellectus. In Cebrenia Troadis vrbe Paridis & Oenones sepulturam ostendi refers Strabo in xiii. Oenonen ausem dicunt Alexãdri Paridis vxoré fuisse priùs, quàm Heleoa raperetur. Apud Ouidiũ extat epistola, quam Paridi scribit Oenone. Eluidius Eluidii Prisci filius. Atellanica fabula & exodio complexus eras argumentum de Paride & Oenone, & quemadmodum interr illos factum foret diuortium: existimauit Domitianus sub hoc velamento diuortium suum taxari ab Eluidio: ex quo prouocasus hominem interemit. Suprà ausem dictũ est quemadmodum Domitianus vxoré Domitiam repudiauit, mósque impatiens diuortii reduxit. Diuortium autem dictum est vel à diuersitate mentium, vel quia in diuersas partes eunt, qui distrahuns matrimonium. In diuortio matrimoniiqne renontiatione comprobata sunt hæc verba: Res tuas tibi habeto: tuas res tibi agito. Ex hac diuortii formula dixit Plautina materfamilias: Valeas tibi, habeas res tuas, reddas meas. Et apud Apuleium ait Cupido ad Psychen: Confestim toro meo diuorte, tibique res tuas habeto.

Ex patruelibus.] Meritò dixit Plinius quòd illa immanissima bellua (ita enim Domitianum appellat) propinquorum sanguinem lambebat. Patrueles fratres dicti, qui ex doobus fratribus progeneraotur: sicus sorores pasrueles nuncupantur, ex duobus & ipsę fratribus genitæ: author Iurisconsulsus. Patrueles Domitiani erant duo filii ex Flauio Sabino patris fratre: ex his alterum patri cognominem interemit, ex eo qnòd à Præcone non Cõsul, sed Imperator per errorem pronuntiatus est apud populum. Philostratus eefert interfectum fuisse à Domitiano Sabinum cognatum, cuius vxorem nomine Iuliam abduxerit ipse princeps, quæ erat ipsius oepris: vnde parricidiũ, incestúmque iuxtà commisit.

Perperam.] non rectè, qnòd errore magis, quàm dolo, factum videri potest.

Destinatum.] electum consolem, designatúmqoe.

Cioilis belli.] qnod inter Flauianos & Vitellianos gestum est.

Partis aduersæ.] Vitellianæ factionis: magis enim placet vt ciuile bellũ referatur ad Vitellianos, quàm ad Antonium: qui & ipse, sicut suprà dictum est, mouit ciuile bellum, cùm foret præses superioris Germaniæ.

Quæstioois.] tormentorum.

Immisso per obscœna igne.] Apuleius scribit sibi in asinum reformato titionem ardétem mediis inguinibus à fœmina immissum, à qua pernicie se euasisse ait, cùm liquida fimo strictim egesta faciem, atque oculos eius fœminæ confœdasset. Seneca ioter diros cruciatus ennmerat carcerem, & cruces, & eculeos, & vncum, & adactum per medium hominem, qui pre omnes artus emeegeret, stipitem: & distracta in diuersum actis cruribus membra: & illam sunicam alimentis ignium & illitam, & intextam: nusquam tamen mensionem facit huius supplicii, quo sæuiebat truculentus Domitianus tanquam ipse extiterit inuentor talis cruciatus.

E notioribus.] cognitioribus.

Laticlauium.] Senatorem, à lato clauo nomine inclinato. In vsu antiquorum fuerun s mantilia cocco clauata, quibus io conuiuio vsus est Alexander Romanus. Fuerunt & vestimenta auroclauata, quibus olim interdixit Tacitus Imperator.

Et ob id.] Qui se impudicum asserit, satis probatee videtur, se nullibi esse metuendum: cùm impudici, & effœminati, vtpote infames, nullius momenti existimétur ad res magnas capessendas, molliendásve.

Authorem summarum.] Ratiocinatorem significas: qui summas accepti & expensi in codice perscribebat, quique computo & calculo erat instructus. Tales facit Mercurius in IIII. ab horoscopo loco: vt inquit Firmicus Maternus in III. Matheseos.

M. AN. Scenico exodio.] ridiculæ fabulæ argumento. Paridis & Oenones.] quia ob Paridis pantomimi amorem Domitiam vxorem Domitianus exegerat. Fuis Oenone Paridis vxor, cum qua post raptum Helenæ diuortium fecit: Strabo est author.

Diuortium.] dissidium, separationem.

E patruelibus.] e duobus Sabini patrui filiis.

Destinatum.] designatum.

Aduersæ partis.] Antonianæ factionis. Nouo quæstionis genere.] nouo cruciatu. Immisso.] & hæc torquendi ratio. Laticlauium.] patritium adolescensem. Impodicos.] corruptos, corpore pathicos. Authorem summarũ.] rationũ, seu cõputorum.

Asside

biculũ vocauit, assidere in toro iuxtà coegit, securũ hilaremq; dimisit, partibus etiã de cœna dignatus est. Aretinũ Clementẽ consularẽ virũ è familiaribus, & emissariis suis capitis condemnaturus, in eadem, vel etiam in maiore gratia habuit, quoad nouissimè simul gestanti conspecto delatore eius: Vis, inquit, hunc nequissimum seruum cras audiamus? Et quò contemptiùs abuteretur patientia hominum, nunquàm tristiorem sententiam sine præfatione clementiæ pronuntiauit, vt non aliud iam certius atrocis exitus signum esset, quàm principii lenitas. Quosdam maiestatis reos in curiam induxerat: & cùm prædixisset experturum se illa die, quàm charus Senatui esset, facilè perfecerat, vt etiam more maiorum puniendi condemnarentur: deinde atrocitate pœnæ conterritus, ad leniendam inuidiam intercessit, his verbis: neque enim ab re fuerit ipsa cognoscere: Permittite, patres conscripti, à pietate vestra impetrari, quod scio me difficulter impetraturum, vt damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam & parcetis oculis vestris, & intelliget me omnes Senatui interfuisse.

PHIL. Assidere in toro.] Hoc videtur esse specimen interioris familiaritatis. Sed ex hoc, & id genus aliis cõpluſculis planissime liquet, verum id esse, quod memorat Sidonius Apollinaris, qui in primo epistolarum refert, consuetudinem regum naturæ flammarum bene comparari: quæ sicut paulùm à se remota illuminant, ita satis sibi admota comburunt. Verùm ego id de malorũ principum consuetudine dici tantùm opinor: cùm familiaritas boni principis sit tantò splendidior, quantò fuerit interior: tantò dulcior, quantò proximior.

Iuxtà.] propè.

Partibus de cœna dignatus est.] epulatum partes misit ad authorem summarum ex more, quo principes patribus ciborum principaliom de cœna missis conuictorem hoororabāt. Ex hoc coniectabant, illum esse Domitiano charissimum, cùm videret tam comiter, iámq; hospitaliter hominem accipi à principe, à quo mox crucifixus est. Itaque meritò dicitur sæuitia talis inopinata: quis enim opinaretur, principem sæuiturum esse cruciabiliter in illum, quem tanta comitate prosequebatur? Eleganter talis sæuitia dictum est cachinnans à Mamertino: qui scribit in Panegyrico ad Iulianum: Quis nescit aliorum Imperatorum hilarem diritatem, cachinnantémque sæuitiam, à quibus ingens crudelitas figmento lętitiæ tegebatur? Plinius quoque in Panegyrico ad Traianum luculenter inquit: Quod enim tam infidum mare, quàm blanditiæ principum illorum, quibus tanta lenitas, tanta fraus, vt facilius esset iratos, quàm propitios habere?

Emissariis.] internuntiis, conciliatoribúsque furtorum. hoc enim significat emissarius, sicut antè dictum est.

Simul gestanti.] In eodem gestatorio iter facienti: & Aretinus Clemens significatur. Quidam codices habent gustanti: vt intelligas, Aretinum Clementem gustasse simul, ictasséque cum Domitiano: qood specimen est beneuolentiæ, & gratiæ interioris.

Delatorem eius.] accusatorem scilicet Aretini Clementis.

Inquit.] Domitianus Aretino Clementi.

Hunc nequissimum seruum.] Ita delatorem Clementis appellauit.

Contemptiùs.] cum maiori contemptione, & despicatu.

Quàm principii lenitas.] Quando exordiebatur leniter, & clementer, tuoc timenda erat sententia tristior, & atrocior: quia illud erat indicium sæuitiæ blandientis.

More maiorum.] Dictum est in Nerone, quemadmodũ more maiorũ collo in furcam coniecto, virgis ad necẽ cædebantur.

Maiestatis.] accusatos crimine læsæ maiestatis.

Atrocitate pœnæ.] qua ceruix nudi hominis inseritur furcæ, & corpus virgis ad necem cæditur.

Intercessit.] vetuit.

Ab re.] extra propositum. Hæc duo opponuntur, ex re, & ab re.

Permittite, patres conscripti.] Verba sunt Domitiani, quibus clementiam, lenitatemque per simulationem præferebat.

Difficulter impetraturum.] tanquàm Senatus omnino vellet vt maiestatis rei atrocibus pœnis punirentur.

Parcetis oculis vestris.] ne scilicet videre cogamini supplicia ex more maiorum irrogata damnatis de maiestate: cuius rei inspectio horroris plena est, nec libenter oculis vsurpanda, quorum sensus acerrimus est. Sed quamuis Domitianus diceret, oculis Senatorum esse parcendum, ne viderent cruciatus morientium: tamen ipse, vtpote crudelissimus, libenter spectabat cædes damnatorum, vt ita pasceret oculos sanguine nobilitatis. Hinc Cornelius Tacitus Neronem antepoſuit Domitiano, veluti minùs sanguinarium, qui subtraxit oculos, iussitque scelera, non spectauit: cùm sub Domitiano præcipua miseriarum pars esset videre, & aspici: cùm denotandis tot hominum palloribus sufficeret sæuus ille Domitiani vultus, & rubor, quo se contra pudorem muniebat. Liberum mortis arbitrium.] vt eligat vnusquisq; id genus mortis, quod existimat esse mitius & lenius, sicut & sectio venarum. Senatui interfuisse.] tanquam persuaserim Senatoribus liberũ mortis arbitrium esse indulgendum maiestatis reis.

M.A.N. Partibus de cœna.] ex iis, quę ipsi erant apposita, quibusdã dono missis: & quod ad ordinẽ attinet, Iuuenalis & ipse sumptam de margine cœnæ dixit.

Emissariis.] Quid emissarii essent, perspicuè suprà demõstrauimus. Gestati.] Domitiano. Sic in Cæsare Dictatore: Tribunitia subsellia præteruehenti. quum hunc præteruectũ, quia in curru erat, illum gestatum intelligamus. Delatorẽ.] Clementis scilicet.

Rapinæ, & extorsiones eius. XII.

EXhaustus operum, ac munerum impensis, stipendióque, quod adiecerat, tentauit quidé ad releuandos castrenses sumptus militum numerum diminuere, sed cùm obnoxium se barbaris per hoc animaduerteret, neq; secius eo in explicandis oneribus omnibus hæreret, nihil pensi habuit, quin prædaretur omni modo. Bona viuorum, ac mortuorum vsquequaque, quolibet & accusatore, & crimine corripiebantur. Satis erat obiici qualecunque factum, dictúmque aduersus maiestatem principis. Confiscabantur alienissimæ hæreditates, vel existente vno, qui diceret, audisse se ex defuncto, cùm viueret, hæredé sibi Cæsaré esse. Præter cæteros Iudaicus fiscus acerbissimè actus est: ad quem deferebantur, qui velut professi, Iudaicá intra vrbem viuerent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse me adolescentulum memini, quum à procuratore, frequétissimóque concilio inspiceretur nonagenarius senex an circunsectus esset. Ab iuuenta minimè

Hunc nequissimum seruum.] Clementis. Tristioré.] ab effectu atrociorem. More maiorũ.] vt nudorum ceruix furcæ insereretur, cæderetúrq; corpus ad necé. Difficulter.] quasi nollet id sibi cõcessum iri.

PHIL. EXhaustus.] exinanitus consumpta materia. Munerum.] non tam donorum, quàm spectaculorum. Stipendio quod adiecerat.] Suprà dictũ, quemadmodũ Domitianus addidit quartum stipendiũ militibus aureos ternos. Castrenses sumptus.] impensas militares. Obnoxiũ se barbaris.] Princeps tuetur maiestatem ferro, & copia militum, quorũ numerus diminutus efficit ipsum cõtemptibilem apud barbaros, obnoxiúmq; iniuriis hostilibus. Milites enim, vt inquit Lucanus, faciunt Imperatorem timendum. Hæreret.] hæsitaret, & incertos foret. Nihil pensi habuit.] Elocutio historica est, & Sallustii peculiaris, quæ significat floccipendere, & nihili facere. Corripiebantur.] capiebantur, inuadebantur à Domitiano. Quolibet accusatore.] Indiscriminatim fides habebatur vnicuique vel calumniatori, & criminariooi, siue vera, siue falsa obiicerentur. Accusat Ammianus Marcellinus Constantium Imperatorem, quòd aures tam patulas habuerit accusatoribus, vt si quod dubiũ deferebatur, aut falsum, id pro liquido, cõperióq; acciperet: sufficiebat hoc solum, quod quis vel ab Sarimicho nominatus esset, delatúsve. Exitiale profectò hoc vitium est, & ex aula boni principis eliminandũ: ne boni, & insontes calumniis malorum, & sonitũ circumueniantur. Nanq;, vt olim dixit Iulianus, hoc pacto quis erit innocens, si solũmodo accusasse sufficiet?

Obiici.] ab accusatore pro crimine reo obiectari. Confiscabantur.] ad fiscum principis deriuabantur. Audisse se ex defuncto.] Sensus est: Si inuentus esset vel vnus, qui diceret, ego audiui ex hoc, vel illo, qui mortuus est, quando viuebat, quòd Cæsarem sibi hæredé esse volebat: sine alia ratione, probatione've tales hæreditates ad fiscum deducebãtur. Iudaicus fiscus.] Tributũ significatur, quod ex Iudæis exactũ ad principis fiscum deuoluebatur. Ad qué.] Iudaicum fiscũ. Iudaicam vitam viuerent.] Eadem vectigalia fisco soluebant hi, qui, quãuis Iudæi non essent, tamé ritu Iudaico Romæ viuebãt, iudaizabántq;. Martialis meminit huius acerbæ à Iudæis exactionis, cùm ait:

Sed quæ de Solymis venit perustis
Damnatam modò mentulam tributis.

Seuerus Imperator Iudæos fieri sub graui pœna vetuit: idem etiam de Christianis sanxit, táquam Iudaicam, & Christianam sectã non probaret. Dissimulata origine.] Multi reperiebantur, qui originem dissimularent, seq; Iudæos inficiarentur, vt ita à tributo pédendo essent immunes: tales Domitianus deferri voluit ad Iudaicũ fiscum. Genti.] Iudaicæ. Non pependissent.] non persoluissent. Pendere enim significat soluere: quia æs apud Romanos appendebatur, & stipendiarii stipitem pendebãt. Ab eo scribit Ennius: - Pœni stipẽdia pẽdũt. Hinc dispensatores, & libripẽdes dicti: vnde & impẽdia, & compendia, inclinantur. A procuratore.] scilicet Cæsaris & fisci Imperatorii. Aduocatum fisci primus Adrianus instituit.

An circũsectus.] circuncisus. Iudæi ex circuncisione dignoscũtur: quidam nonagenarius cùm se Iudæũ esse negaret, inspectus fuit à procuratore fisci an foret circũcisus. Inde recutiti dicti. Martialis: - Et recutitorũ fugis inguina Iudæorũ. Persius: - Recutitáq; sabbata palles. Sidonius quoque ait:

Fert recutitorũ primordia Iudæorũ. Ab Horatio Iudæus apella dictus est, ob circuncisionem pelliculæ: quæ, vt inquit Lactãtius, figura est, & typus significãs cordis circũcisioné: quoniã pars illa corporis, quæ circuncidiiur, habet quandã similitudiné cordis, & est pudenda: & nudandũ esse pectus, id est aperto & simplici corde oportere nos viuere: ob hãc causam Deus nudari eam iussit, vt hoc argumẽto nos admoneret, ne inuolutũ pectus haberemus: id est, ne quod pudendũ facinus inter cõscientiæ secreta velaremus. Nã illa carnis circũcisio in Iudæis nisi significaret cordis circũcisioné, careret vtiq; ratione: quia si Deus id vellet sic à principio formasset hominé, vt præputiũ non haberet. Circũcidebãtur auté Iudæi cultris lapideis: vnde scriptũ est in Iosue: Fac tibi cultros lapideos, & circũcide secundò filios Israel. Scribit Herodotus in II. Aegyptios, & Colchos, & Aethiopas præputia circũcidere: atq; Iudæos cõfiteri se ab Aegyptiis didicisse circũcisioné. Sed verũ Aegyptii ab Aethiopibus, an Aethiopes ab Aegyptiis didicerint circuncidere virilia, sibi ait nõ liquere. Strabo in XVI. author est, circũcisiones à Iudæis institutas esse ex superstitione. Cor. Tacitus, Circũcidere, inquit, genitalia instituere Iudæi, vt diuersitate noscãtur: trãsgressi in moré eorũ idé vsurpãt. Olim Iudæi mouerũt bellũ contra Adrianũ, quia vetabãtur mutilare genitalia: adeò pertinax est superstitio. Obiter inserẽda videtur quæstio nõ indigna explicatu,

pllcatu, cur Iunena. mentionē faciēs de Iudæis dixetit: -Quorū cophinus, fœnúmq; supellex. & altern itidem loco: -Cophino, fœnóque relictis. Nota sunt mihi omnia illa, quæ à commentatoribus dicuntur, & quæ à professoribus in gymnasiis literatnrùs referūtur: sed curiositati minimè faciunt satis: Nam quāuis sensus simplex, & obuius videatur, tamen nescio quid arcanum subesse licet suspicari diligentiùs introspicieti. Nnn enim sine causa bis nominasse videri potest cophinū, & fœnū in Iudaica supellectili. Fateórq; me in alia nūc esse, quàm priùs fnerim, opininne: anteà simpliciter exponebā id referendū esse ad paupertinas Iudænrum reculas, tenuissimámq; supellectilem, qui à Dominiano exhausti acerbitate tributorū, nihil aliud in bonis retinebant nisi cnphinū, & fœnū: friuola scilicet & nugatoria. Nunc verò cophini nomē ex peculiari superstitione Iudaica scienter, & nuncupatim vsurpatū esse à poeta non ambign: cùm legerim apud duns scriptores idoneos, Iudæis cophinū assignari prope peculiariter: nanq; Dauid Psalmngraphus, idemq; rex Israelitarum sic cecinit in Psalmo LXXX. *αἱ χεῖρες αὐτοῦ ἐν τῷ κοφίνῳ ἐδούλευσαν*. id est, Manus eius in cophino seruierunt. Sidonius quoq; Apollinaris in v. Epist. nō inscitè dixit: Pharan incedat cū diademate, Israhelitica cum cophino. Cur autē cophino speciatim vterentur, iam diu est quod quæro. Quod autem legimus apud Nicolaū de Lyra interprete Dauidici Psalterii tātisper sequar, donec inuenero melius. Ille enim enarrans locū ex Psalmn iam prædictū exponit, Iudæos id temporis, qun ab Aegyptiis duro famulatu premebātur, coactos esse exportare in cophino fæces, & stercora de ciuitatibus Aegyptiorū: ex quo posteà liberati à Iugo Aegypriacæ seruitutis, videri possunt instituisse vt cophinū gestarēt, ad perpetuū huiusce rei monumentū: sicut etiā fœnū illis in vsu fortassis erat, propter palearū memoriā, quas ad cōficiēdos lateres ab Aegyptiis primò accipere solebāt: mox interdicēte Pharaone, coacti sunt ipsimet colligere paleas, fœnom, & stipulas sine adminiculo alieno, dispersúsque est totus Iudæorum populus in nmnem terram Aegypti ad colligendas paleas. Historia latissimè explicatur in Exodo, & concinniter enarratur à Iosepho in secundo Antiquitatum. Et quoniam hæc res suspiciosa indagine tractatur, quid vetat suspicari ideo cophinum à Iudæis priuatim vsurpari, quia Moses ille conditor legum maximus, seruatórque gentis Iudaicæ memnratissimus, cùm esset infantulus, fuit à matre expositus in ripa Nilotica inclusus in cophino iūceo, siue fiscella scirpea: quem filia Pharaonis sublatū nutriuit, adoptauitq; eum Mosen, quod lingua Hebraica significat, ex aqua seruatū. Sed non putentur hæc velut dogmatā, vt inquit Origenes, à nobis esse prolata, sed tractandi more, reqnirendique discussa. Soleo enim talia non vt asserenr, sed vt opinamr excurere. Iam ex hac nostra, opinor, curiosa obseruatione lector admonebitur, poetarū sensa esse pensitatiùs introspicienda, & mox eruditiùs enucleanda, atq; promenda. Sed etiam pergamnsad reliqua, ne diutiùs, quàm par est, extra calcem decurrat oratin.

BArbaris.] barbarorum moribus. M.A N.

Neq; secius.] haud minus.

Hæreret.] mente, & cogitatinne.

ciuilis, animi confidens, etiam & tum verbis, tum rebus immodicus. Cenidi patris concubinæ ex Istria reuersæ, osculúmque, vt assueuerat, offerēti, manum præbuit. Generum fratris indignè ferens, albatos & ipsum ministros habere, proclamauit: Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.

Elatio eius, & uana gloria. XIII.



PRincipatum verò adeptus, neque in Senatu iactare dubitauit, & patri se, & fratri Imperium dedisse, illos sibi

Crimine quolibet.] tam vero, quàm falso. Alienissimæ.] nihil ad fiscum attinentes. Fiscus.] tributū fisco adscriptū Iudæorum, qui tū Romæ erant. Deferebantur.] tanquam Iudæorum numern habendi, vectigales delatnrum calumnia ferebāt. Dissimulata.] celata. A procuratore.] fisci.

Circunsectus.] circunsectam, & recutitam haberet mentulam.

CIuilis animi.] ciuili moderatione, & politica modestia præditi. Ciuilitatem, quam Græci πολιτικὴν vocant, Plato, Platonicúsque Apuleius intelligi volunt ex numern virtutum, à qua vniuersa spectentur, atque discernantur, quæ fortunatū statum faciat ciuitatis: cuius partes sunt legalis, & iuridicialis, medicina, & exercitatio. PHIL.

Confidens.] Nomen est reprehensinni nbnoxium: & hic accipitur pro improbo, audaci, & temerario: sicut apud Terentium est parasitus Phormin homo confidens. Vnde & cnnfidentia reprehensibilis est: qoo nomine temeritas, & audacia significatur. Pacuuius: Grandē, atque atrocem coerce confidentiam. Cicero pro Cecinna, Nec minùs viget, inquit, nec minùs confidens, quàm est ille Terentianus Phormio. Immodicus.] nō seruās modū, nec tēperamentū: quæ res cū omnes, tū principes maximè decet.

Ex Istria.] Istria à flumine Istro cognominata est: excurrit vt peninsula. Tuditanus domuit Istros, statuámque ob id sibi posuit: author Plinius. Manum præbuit.] Signum inciuilitatis, ac insolentiæ est, prn osculo manum præbere: sed insolentiùs nlim egit Caligula, qui Pompeio porrexit ad osculādum pedem.

Generum fratris.] maritum Iuliæ, Titi filiæ.

Albatos ministros.] albis vestimentis indutos, & ob hoc elegantiores, cultioresve, quàm priuato conueniret. Albati epulo intererant, vt dncet Cicero in oratinne contra Vatinium: & ab Horatin dictū est:

Ille repotia, natales, aliósque dierum
Festos albatus celebret.-

Refert Vopiscus, Senatnres tanta esse lætitia elatns, creato Tacito principe, vt albati sederent, albásq; hostias immolarent. Scribit Platn in XII. de Legibus, colorem album diis esse congruentem.

οὐκ ἀγαθὸν.] id est, Non est bona multitudo Imperatorum. Olim Dion Syracusanus versum illum Homericum retulit ex secunda Iliados rhapsodia, in qun hæc sentētia est, Non posse bene regi Rempublicam multorū imperiis. & alius dixit, non esse bonam Cæsarum multitudinē: & Caligula dicebat: Vnus sit rex, vnus dominus.

CIuilis.] sed superbus, & elatus. Manū.] pro osculo. Generū fratris.] cui Iulia Titi filia nupserat. M.AN.

Albatos ministros.] albis, credo, vestibus cultos, ac nitidos, quasi Titi fratris fauore, & impēsa id fieret.

reddidisse: neque in reducenda post diuortium vxore dicere, vocatam eam in puluinar suum. Acclamari etiam in amphitheatro epulari die libenter audit, domino, & dominæ feliciter. Sed & Capitolino certamine cunctos ingenti consensu precantes, vt Palfurium Suram restitueret, pulsum olim Senatu, ac tunc de oratoribus coronatum, nullo responso dignatus, tacere tantummodo iussit voce præconis. Pari arrogãtia, cùm procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: Dominus, & deus noster sic fieri iubet. Vnde institutum posthac, vt ne scripto quidem, ac sermone cuiusquam appellaretur aliter. Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas, & argenteas poni permisit, ac ponderis certi. Ianos, arcusque cum quadrigis, & insignibus triumphorum per regiones vrbis tantos, ac tot extruxit, vt cuidam Græcè inscriptũ arcui sit: Aream, & Caluitium. Consulatus decem & septem cepit, quot ante eum nemo. Ex quibus septem medios continuauit: omnes autem penè titulo tenus gessit, nec quenquam vltra Calendas Maii: plures ad Idus vsque Ianuarias. Post autem duos triumphos,

ουκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.] Non bonum regnũ pluribus cõmune. Imperiũ dedisse.] quia scilicet in Vitellianos cum patruo Sabino insurrexisset. Vnde illa Martialis assentatio:

Asseruit possessa malis Palatia regnis,
Prima suo gessit pro Ioue bella puer.

Sed Tacitus verius omnia exequitur.

PHIL. Reddidisse.] tanquam debitũ restituisse. Hoc autem ideo dicebat, quia in bello ciuili Vitelliano, patre, & fratre absentibus, ipse Romæ cuncta cũfecerat, & Capitolium vnà cum Sabino patruo velut arcẽ occupauerat: tandem profligatis Vitellianis militibus Cæsar est consalutatus: ex quo videbatur ipse Imperiũ dedisse patri Vespasiano, & fratri Tito. Vxore.] Domitia. In puluinar suũ.] tanquã religiosum, & Imperatoriũ. Est enĩ puluinar dicatum diis, quod & Imperatoribus, tanquam diuis tribuitur. Iuuenalis:

Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorẽ.

Dicere.] Repete, nõ dubitauit. Epulari die.] Diẽ epularẽ vocat, quo epulũ popolo dedit. Domino, & dominæ feliciter.] Hæc est acclamatio, qua populus per assentationẽ in epulo acclamauit Domitiano, tanquã domino, & vxori Domitiani, tanquã dominæ: quæ & Augusta fuit appellata. In hoc valde dissimilis fuit Domitianus Augusto, qui nomẽ domini, tãquã maledictũ, semper exhorruit. Capitolino certamine.] Ante dictũ est, quinquẽnale certamẽ Capitolino Ioui institutum fuisse à Domitiano. Restitueret.] In pristinam Senatoriã dignitatẽ reduceret. Palfuriũ.] Videtur hic esse ille Palfurius, de quo ait Iuuenalis:

Si quid Palfurio, si credimus armillato.

Spartianus meminit Suræ, cuius suffragio Adrianus ad plenior ẽ Traiani amicitiam venit: ab eodẽ cõperit se adoptandũ esse à Traiano. Tũc in certamine Capitolino, in quo certabatur prosa oratione Græcè, Latinéq; inter oratores. Nullo respõso.] Specimẽ maximæ arrogãtiæ nihil respõdere: ex quo superbi dicti, qui respõdere dedignãtur. Cicero: Partim se soperbũ esse, quòd nihil respõdeas. Formalẽ.] ex formula: vnde & formularii dicti. Dominus, & deus noster.] Scribit Sextus Aurelius quòd Domitianus more Caligulæ dominũ sese, deúmq; dici coegit. Eusebius in chronicis, Primus, inquit, Domitianus dominum se, & Deum appellari iussit. Hinc illud à poeta assentatore dictũ est:

Edictum domini, deiq; nostri,
Quo subsellia certiora fiunt.

Aliter.] quàm scilicet nomine domini, & dei. tanquã voces hominũ dare possint cœlũ. Statuas nõ nisi aureas.] In hãc sentẽtiã ait Eutropius: Nullam sibi, nisi aureã, & argenteam statuã in Capitolio passus est poni. Regũ Romanorũ statuas fuisse in Capitolio positas, testis est Plinius in xxxiiii. Ianos, arcúsq;.] Simulacra Iani plurima à Domitiano fuisse extructa significat vnà cum arcubus triumphalibus multiiugis. Moltos autẽ Ianos fuisse Romę dicatos, signat Ouidius, cùm ait: Cùm tot sint Iani, cur stas sacratus in vno? Fuit Ianus à Numa rege dicatus, digitis ita figuratis, vt trecentorũ, quinquagintaquinq; dierũ nota, per significationẽ anni, tẽporis, & æui se deũ indicaret. Per regiones vrbis.] quæ sunt quatuordecĩ. Tantos, ac tot.] Alterum ad magnitudinẽ, alterũ ad numerum est referendum. Inscriptũ arcui sit.] In nullo Tranquilli codice, quãuis curiose vestigauerim, inuenire potui hanc arcus inscriptionẽ. Si licet indagine suspiciosa cõiectare, cõiectamus fuisse in arcu illo inscriptũ, notarumque numerum eorum arcuum, & Ianorum, quos extruxerat Domitianus. Septendecim.] Papinius in quarto Syluarum septimumdecimũ Domitiani Consulatum adorat illo carmine:

Læta bis octonis accedit purpura fastis.

Ausonius in Panegyrico ad Gratianum de Consulatibus Domitiani multiiugis sic scribit: Scis, inquam, septem ac decem Domitiani Consulatus, quos ille inuidia alteros prouehendi, continuando conseruit, ita in eius auiditate derisos, vt hoc eum pagina fastorum suorum, imò fastidiorum, fecerit insulcotem, nec potuerit præstare felicem.

Continuauit.] Contra legem annalem, quæ vetat intra decem annos eundem capi magistratum.

Titulo tenus.] Vt Cõsul tantummodo diceretur citra administrationem Consulatus.

Plures.] scilicet Consulatus. Post duos triumphos.] alterum de Cattis, alterum de Dacis.

M. AN. EPulari die.] quo datum est populo epulum. Papinius:

Vna vescimur omnis ordo mensa,
Parui, fœmina, plebs, eques, Senatus.

Est mox paulò:

Iam quisquis is est, inops, beatus,
Coouiuã ducis esse gloriatur.

Domino, & Dominæ.] Quã appellationẽ Augustus in primis auersabatur. Eusebius, Domitianus, ait, se dominũ, & deum appellari iussit. Martialis, Edictũ domini, deiq; nostri.

Palfur

Germanici cognomine assumpto, Septembrem mensem, & Octobrem ex appellationibus suis, Germanicum, Domitianúmque transnominauit: quòd altero suscepisset Imperium, altero natus esset.

Coniuratio contra eum facta, & suspicio mortis, quam habebat. XIIII.



PEr hæc terribilis cunctis, & inuisus, tandẽ oppressus est amicorũ, libertorumq; intimorum conspiratione, simul & vxoris. Annum, diémque vltimum vitæ iampridem suspectum habebat, horam etiam, necnon & genus mortis. Adolescẽtulo Chaldæi cuncta prædixerant. Pater quoque super cœnam quandam fungis abstinentem palàm irriserat, vt ignarum sortis suæ, quòd non ferrum potiùs timeret. Quare pauidus semper, atque anxius, minimis etiam suspicionibus præter modum commouebatur, vt edicti de excidendis vineis propositi, gratiam facere non alia magis re compulsus credatur, quàm quòd sparsi libelli cum his versibus erant:

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν ὅμως ἔτι καρποφορήσω
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ.

Palfurium.] Iuuenalis: Si quid Palfurio, si credimus armillato. Pulsum Senatu.] Senatorio ordine eiectum. Ac ponderis certi.] Sed centeni libẽtius legerim. Papinius de statua Domitiani dicanda:
Da Capitolinis æternũ sedibus aurũ, Quo niteant sacri centeno põdere vultus. Iatos.] Ad ædificii actionẽ allusit. De Iani templo in Augusto diximus. Consulatus decẽ & septẽ.] Decies septies Cõsul fuit.

PHIL. GErmanici cognomine assũpto.] Germanicũ dictum esse Domitianum à Germanis deuictis non pauci testãtur, inter quos ait Silius In tertio Punicorũ:
At tu transcendens Germanice facta tuorum. & Papinius in quarto Syluarum: Parua loquor, necdum æquo tuos Germanice vultus. Item: Cæsaris insignémque aperit Germanicus annum. Traianum quoque Germanici nomen accepisse, testatur Plinius in Panegyrico.
Germanicũ, Domitianũmq;.] Macrobius in primo Saturnalium sic refert: Mensis September principalem sui nominis retinet appellationem, quem Germanici appellatione, Octobrem verò suo nomine Domitianus inuaserat: sed vbi infaustum vocabulum ex omni ære, vel saxo placuit eradi, menses quoque vsurpatione tyrannicæ appellationis exuti sunt. Ob hoc dixit Martialis, Domitianum annis autumnos accommodare, cùm September, & October menses sint autumnales, quibus ipse nomen Germanici, & Domitiani imposuit. Idem Germanicas Calendas appellat Septembres. Altero.] Septembre. Altero.] Octobre. Vt enim antè dictum est, natus est Domitianus vigesimoquarto die mensis Octobris. Cùm autem hoc nomen, Domitianus, constet decem literis, festiuiter, & adulatorie dixit Martialis:
Sutilis aptetur decies rosa crinibus: vt sit,
Qui posuit sacræ nobile gentis opus. Quo dicto significatur Domitianus: sicuti sequentibus versibus signatur Germanicus: quod nomen & ipsum constat decem literis:
Nunc bis quina mihi da basia: fiat, vt illud
Nomen ab Odrysio, quod deus orbe tulit.
Amicorum conspiratione.] Eutropius, & Orosius scribunt, Domitianum interfectum fuisse in Palatio suorum coniuratione.
Simul & vxoris.] Sextus Aurelius refert, adscitam esse in consilio coniuratorum Domitiam vxorem tyranni Domitiani ob amorem Paridis histrionis.

Adolescentulo.] Domitiano. Chaldæi.] genethliaci, & scientiæ syderalis periti: Vulgus, authore Gellio, quos gẽtilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, mathematicos dicit. Sunt antẽ Chaldæi in Babylonia philosophi, & astrologiæ sciẽtissimi, qui ex diuturna obseruatione syderum scientiam putantur effecisse, vt prædici posset quid cuique venturum, & ex quo quisque fato natus esset. Chaldæorum Astronomicorũ genera multa sunt: nã quidam Orcheni dicuntur: quidam Borsipeni. De Chaldæis Strabo in XVI. M. Tullius in primo de Diuinatione. Aul. Gellius in XIII. multa memoriæ prodiderunt: sed Diodorus in tertio Bibliotheces latissime explicauit dogmata Chaldæorum, quos astrologiæ vltra cæteros fuisse peritos memorat, eósque prædicere futura ita euidenter, vt mirum, & supra hominum ingenia esse credatur. Iuuenalis:
Chaldæis sed maior erit fiducia.
Plinius scribens de ortu & occasu syderũ in decimooctauo, Chaldæã sectã in multis sectatur. Super cœnã.] in cœna, inter cœnandũ. Fungis abstinentẽ.] tanquã cibo mortifero. Fungorũ numerosa sunt genera, inter quos suilli numerãtur, venenis accõmodatissimi, qui olim familias interemere, & tota cõuiuia, & Anneũ Serenũ præfectũ Neronis vigilum, & tribunos, & cẽturiones. Noxii sunt fungi, qui in coquendo duriores fiũt: innocẽtiores, qui nitro addito percoquũtur: tutiores fiẽt cũ carne cocti, aut cum pediculo pyri. Prosunt & pyra confestim sumpta. Debellat eos & aceti natura, quæ ipsis contraria est.
Ignarum sortis suæ.]
Nescia mẽs hominũ fati, sortisq; futuræ, tanquã vis fati, quæ ineffugibilis est, traheret Domitianũ ad mortem biothanatã, hoc est violentã, & ferro inferendam.
Edicti gratiam facere.] Suprà dictum est, Domitianum edixisse, ne quis in Italia nouas vites pangeret, vtq; ue in prouinciis vineta succiderentur: sed ex reliquis rem non perseuerauit: & huius edicti per remissionem gratiam fecit compulsus libellis, qui Romæ sparsi fuerant cum his versibus Græcis:
Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ. quorum hoc est interpretamentũ: sic enim loquitur vitis: Vel si me ad radice comederis, tantũ tamẽ vini producam, quãtum immolando Cæsari possit infundi. Sunt autẽ versiculi ab Eueno conditi, quos ita æmulatus est Ouidius in primo Fastorum:

Rode caper vitem, tamen hinc cùm stabis ad aras,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Sed festiuiter immutata dictio est in libellis Romæ sparsis: nam pro trago, hoc est capro, non inconcinniter Cæsaris nomē substitutum fuit: vt ita Domitianus eaxaretur, qui per hos versiculos neci destinabatur, velut victima: inter cuius cornua vinū fundi solebat in immolatione.

Eadem formidine oblatum à Senatu nouū, & excogitatum honorē, quanquàm omniū talium appetentissimus, recusauit: quo decretū erat, vt quoties gereret Consulatū, equites Romani, quibus sors obtigisset, trabeati, & cum hastis militaribus præcederent eum inter lictores, apparitorésque. Tempore quoque suspecti periculi appropinquāte, solicitior in dies, porticuum, in quibus spatiari consueuerat, parietes Phengite lapide distinxit: è cuius splēdore per imagines quicquid à tergo fieret, prouideret. Et nec nisi secretò, atq; solus plerasque custodias, receptis quidē in manu catenis audiebat: vtq; domesticis persuaderet, ne bono quidem exēplo audendam esse patroni necem, Epaphroditum à libellis capitali pœna condemnauit, quòd post destitutionē Nero in adipiscenda morte manu eius adiutus existimabatur.

Patruelis per eū occisus, & prodigia mortis eius. XV.



Denique Flauium Clementem patruelem suum contemptissimæ inertiæ, cuius filios etiamnum paruulos successores palàm destinauerat, & abolito priore nomine, alterum Vespasianum appellari iusserat, alterum Domitianum, repentè ex tenuissima suspicione

MAN. Germanicū Domitianúmq;.] Quòd Germanicus sit Domitianus cognominatus, præter Tranqoillū Iuuenalis carmē demonstrat: Et inscripto radiat Germanicus auro. Papinius:

An te Palladiæ talē Germanice nobis.

De trāsnominatione mensium Eusebius, Duo, inquit, menses aliter appellati, Septēber Germanicus, & October Domitianus. Martialis: Augustus æstates, & Domitianus autūnos.

Altero.] Septēbri, suscepisset Imperium. Altero.] Octobri, nasci contigisset: nam xi. Calendas Nouembris est natus.

Vxoris.] Domitiæ. Adolescentulo.] Domitiano. Chaldæi.] mathematici astrorum periti.

PHIL. Nouū & excogitatū honorē.] Quis foret hic nouus honor, inibi statim declarat, vt scilicet equites trabeati, id est veste trabea indoti, præcederēt Domitianū Consulatū gerentē: sed ex formidine, qua agitabatur, hūc honorē sibi decretū recusauit, cùm alioqui foret appetētissimus nouorū honorū. Quibus sors obtigisset.] per sortitionē id munus obeundum euenisset. Cū hastis.] more armigerorū, qui cum lancea ibāt: tales erāt armigeri Alexādri. Suspecti periculi.] Periculū de morte Domitiani significatur, quod ipse suspectū habebat, vtpote à Chaldæis antè prædictū. Solicitior in dies.] quotidie magis, magisq; solicitus, & anxius. Phengite lapide.] Scribit Plinius in xxxvi. repertū esse lapidem in Cappadocia Neronis principatu duritia marmoris, candidū, atq; trāslucentem, qui ex argumēto Phēgites appellatus est: φέγγω enim apud Græcos significat illumino: & φέγγος, lumē: vnde phēgites, luminosus dictus. Hoc lapide cōstruxerat Nero ędē Fortunæ, quā aurea domo cōplexus est: quare etiam foribus opertis interdiu claritas diurna erat haud alio, quàm speculari, modo, tanquā inclusa luce, nō trāsmissa. Domitianus distinxerat, variegaueráta; Phēgite lapide parietes porticuū, & ambulationū: vt ex eius splendore translucido videret quid fieret à tergo, ne ex insidiis incautus opprimi posset.

Plerasq; custodias.] In notis Seruii annotauimus, & in superioribus explicatum est, custodias dici carcerarios, & eos, qui custodia carceris cōtinentur: in quo significatu hîc accipitur. Catenis.] custodiarum scilicet, quibus inditæ erāt catenæ: sicut vincularis, nexisque innecti solent. Patroni necē.] ne liberti in patroni cædem cōspirarēt: præsagibat enim se manibus libertorū periturum. Epaphroditum à libellis.] In Nerone dictū est, quemadmodum Epaphroditus libertus Neronis, qui libellis erat præpositus, iuuit patronum Neronē iugulo ferrū adigere, seque confodere: hūc pœna capitis cōdēnauit Domitianus ob hoc solum, quòd patronū Neronē adiuuisse existimabatur in morte sibi consciscenda: vt hoc exēplo cauerent reliqui abstinere à nece patroni. Post destitutionē.] cum Nero ab omnibus fuisset destitutus, desertúsque. Manu eius.] scilicet Epaphroditi liberti, à quo horti Epaphroditani nominati, quorum meminit Frontinus in secundo de aquæ ductibus. Patruelem suum.] Antè dictum est, patrueles fratres dici ex duobus fratribus progenitos: hic filius fuerat Flauii Sabini fratris Vespasiani. Contemptissimæ.] despicatissimæ.

Abolito priore nomine.] cùm nollet à nominibus impositiuis filios patruelis sui ampliùs appellari, sed alterum nomine patris, alterum suo.

MAN. Quibus sors obtigisset.] qui id munus sortiti essent. Trabeati.] trabea veste circuiti. De trabea, & equitibus trabeatis, semel, atque iterū suprà. Phengite.] Plinius: Nerone principe repertus est in Cappadocia lapis duritia marmoris, candidus, atque translucens, etiam qua parte fuluç inciderant venæ, ex argumento Phengites appellatus.

Plerasque custodias.] plures in custodia positos.

Receptis catenis.] eorum scilicet, qui causam ex vinculis, & catenis dicebant, ne quid illi in se moliri possent.

Ne bono quidem exemplo.] Quasi dicat, ne patrono quidem iubente.

A libellis.] Ac si à manu, si à pedibus dixisset.

Manu eius.] Epaphroditi.

Contemptissimæ.] despectissimæ.

Ex tenuissima suspicione.] Quæ ea fuerit, non dicit, sed fortè quia Domicilla sororis eius filia Christianū nomē receperat, & ob id à se relegata, alienati à primo in Domitianū studio patris suspicionē iniecerat.

Tan

tantùm nō ipso eius Consulatu interemit: quo maximè facto maturauit sibi exitum. Continuis octo mensibus tot fulgura facta, nuntiatáq; sunt, vt exclamauerit: Feriat iam quem volet. Tactum de cælo Capitolium, templúmq; Flauiæ gētis. Item domus Palatinæ, & cubiculum ipsius, atque etiam è basi statuæ triumphalis titulus excussus vi procellæ in monimentum proximū decidit. Arbor, quæ priuato adhuc Vespasiano euersa surrexerat, tunc rursus repētè corruit. Prænestina Fortuna toto Imperii spatio annum nouum commendanti, lætam, eandémque semper sortem dare assueta, extremo tristissimam reddidit, nec sine sanguinis mentione. Mineruam, quam superstitiosè colebat, somniauit excedere sacrario, negantémq; vltrà se tueri eum posse, quòd exarmata esset à Ioue. Nulla tamen re përinde commotus est, quàm responso, casúque Ascletarionis mathematici. Hunc

PHIL. Tantùm non.] Sensus est: Domitianus interemit Flauiū patruelē sine vlla cantatione, hoc solum obseruans, ne in Coosulatu eius interimeret. Aliì codices habēt, tantūmodo, vt ita coniūgas ex teouissima suspicione tātūmodo Domitianū interemisse patruelem adhuc Cōsulatū gerentē: vt ita delictū Domitiani fiat atrocius ex dignitate patruelis occisi. Magis placet legas tātum non, & exponas, vel etiā in ipso Cōsulatu fuisse iotercēptum à Domitiano patruelē: tanquam procrastinare nō potuerit, differréque cædē, donec ille abiret Cōsulatu. Super hac particula tantū nō, alibi satis multa.

Feriat iam quē volet.] Fulmina diurna Ioui attributa fuit, nocturna Summano. Cū crebra fulmina fierēt, exclamauit Domitianus, Feriat Iupiter suo telo iam quē volet: quasi diceret, etiā si me percutere voluerit. Sed, vt inquit verissimè Locretius,

Iouis telum persæpe nocentes
Præterit, exanimátque indignos, inque merentes.

Tactum.] fulmine percussum. Fulminatio autem Capitolii, & templi Flauiæ gentis, portendebat exitium Domitiano, à quo vtrūque fuerat exædificatū.

Domus Palatina.] ædes Imperatoriæ.

Et cubiculū ipsius.] scilicet tactum de cælo est.

E basi.] Tituli ferme io basibus statuarum ioscribuntur. Obiter annotandū, bases quoque Latine dici sustētacula vasorū, quibus vulgò vtimur in mensa: sicut etiā vernacula oostra lingua appellitātur Iaboleous Iurisconsultus ait: Cui Corinthia vasa legata essent, & bases huic quoq; eorum vasorū collocādorum causa paratas deberi Trebatium respondisse.

Titulus excussus.] Cùm tituli soleāt scribi in basibus statuarū, fulmine excussus, eiectúsq; titulus est ex ipsa basi statuę Domitiani triūphalis, qui turbine & tēpestatis vehemētia decidēs in proximū sepulcrū fecit omen mortis ipsi principi. Vi procellæ.] Repentini flatus, si late siccam ruperint nubem, procellā gignunt, quæ vocatur à Græcis ἐκνεφίας. Apuleius In Cosmographia ait, procellā fieri, quæ à Græcis πρηστὴρ dicitur, cùm maiore vi torti sunt spiritus explosi de hiatibus terræ. Plioius in XVIII. refert, tēpestatū nomine grādines, & procellas Intelligi: & hæc ab horridis syderibus exire, veluti ab Arcturo, Orione, Hœdis. A procella procellosus inclinatur.

Arbor euersa surrexerat.] Cupressum significat, quæ conspicua altitudine cùm repentè procidisset, postera die eodem vestigio resurrexit procera, & latè virescens: quæ sicut Vespasiano admodū iuueni claritudinem, Imperiúmque portenderat, ita nunc iterum corruens, infortunium, ruioámque Domitiaoo denuntiauit.

Prænestina Fortuna.] Præneste, quæ ciuitas est Latii, Fortuna religiose colebatur: ex qoo Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum nusquam se fortunatiorem, quàm Præneste vidisse Fortunam. De inuentione sortium Prænestinarū scribit Cicero in secundo de Diuinatione. Hinc Silius: - Sacrísque dicatum Fortunæ Præneste iugis. Sēsus est: Cùm Domitianus per totum Imperii sui tēpus accepisset sortes à Fortuna Prænestina felicitatē significātes, extremo anno sortem tristissimā accepit, qua mentio saoguinis futuri cōtinebatur.

Annum oouū.] Ouidius:

Dic agè frigoribus quare nouus incipit annus?

Scribit Seneca, se anno nouo auspicari solitū legere, scribere, dicere aliquid, vt ita totus annus feliciter iret.

Quam superstitiosè colebat.] Quintillanus numen Mineruæ familiare Domitiano fuisse refert. Antè dictum est ex authoritate Philostrati, quemadmodū filius Palladis Domitianus dicebatur. Vnde & Martialis assentans Domitiano sic lusit:

Pallada prætereo, res agit illa tuas.

Sacrario.] in quo ab ipso religiose colebatur. Exarmata.] despoliata armis, quibus eum hactenus tutata fuisset. Arma autem Palladi hæc assignant, clypeum, & acutæ cuspidis hastam,

Dant galeam capiti, defenditur ægide pectus.

Martianus clypeum hinc Palladi datum ait, sapientia quòd regat orbem,

Vel rationis opem, quòd spumea prælia poscant:
Hasta etiam vibrans penetrabile monstrat acumē

Dantur etiam fulmina Mineruæ. Lampridius exarmatas feras vocat, feritate posita per mansuetarios mansuefactas: quæ & cicures à luculentis scriptoribus nominantur.

Përinde.] tantum.

Quàm.] quantum.

M. AN. Tantum non io ipso Consulato.] Quasi dicat, Statim quòd Consulatu abiit.

Feriat.] Iupiter.

Statuæ triumphalis.] ipsius Domitiani.

Arbor.] cupressus, io qua factum diximus prodigium in auito Vespasiani agro.

Annum nouum.] ineuntem annum.

Exarmata.] armis exuta: quibus ad id tempus eum tutata esset.

Perinde.] tantum.

Commotus.] exterritus.

Casu.] exitu.

delatum, nec inficiantem iactaſſe ſe, quæ prouidiſſet ex arte, ſciſcitatus eſt, quis ipſum maneret exitus: & affirmantem fore, vt breui laceraretur à canibus: interfici quidem ſine mora, ſed ad coarguendam temeritatem artis, ſepeliri quoque accuratiſſime imperauit. Quod cùm fieret, euenit vt repentina tempeſtate deiecto funere, ſemiuſtũ cadauer diſcerperent canes: idque ei cœnanti à Mimo Latino, qui præteriens fortè animaduerterat, inter cæteras diei fabulas referretur.

Signa mortis eius. XVI.

PRidie, quàm periret, quum oblatos tuberes ſeruari iuſſiſſet in craſtinum, adiecit, Si modò vti licuerit. Et conuerſus ad proximos, affirmauit fore, vt ſequẽti die Luna ſe in Aquario cruentaret, factũmq; aliquod exiſteret, de quo loquerentur homines per terrarum orbẽ. At circa mediam noctem ita eſt exterritus, vt ex

PHIL. DElatum.] à delatore nominatũ, accuſatũmque. Nec inficiantẽ, nec negantẽ.] Inficiari enim & ire inficias, negare eſt: vnde & ſtatus inficialis ab oratoribus dictus, quo reus vtitur per inficiationem. Fortiſſima enim tuendi ſe ratio eſt, ſi quod obiicitur, vt inquit Quintilianus, negari poteſt. Iactaſſe.] per quãdam quaſi gloriationem vulgo oſtentaſſe, prædicaſſeq;. Eſt enim iactãtia, libido gloriandi. Ex arte.] ſyderali, & aſtrologica diſciplina. Sciſcitatus.] Interrogauit Domitianus. Quis ipſum maneret exitus.] quo genere mortis eſſet ipſe mathematicus interiturus. Affirmantem.] mathematicum. Interfici.] ſcilicet imperauit. Ad coarguendã temeritatem.] ad refellendã præſcita Aſcletarionis, reuincendámq; artẽ mathematicorũ, perinde ac temerariã, & vanidicã. Accuratiſſimè.] ne à canibus refodi, lacerarique vel mortuus poſſet. Deiecto funere.] proiecto cadauere mathematici, quod efferebatur. Aliâs funus pro exequiis accipitur. Semiuſtũ.] Ex more Romano cadauera cremabãtur. Mathematici cadauer ex tẽpeſtate relictũ ſemiuſtulatũ, & ſemicõbuſtũ à canibus diſcerptũ fuit: & ita veridicus fuit Aſtrologus. Ei cœnanti.] Domitiano. A mimo Latino.] Latini mimi, qui tẽporibus Domitiani floruit, meminerũt poetæ, & in primis Martialis, cũ ait ad Domitianũ:

Qua Thymelen ſpectas, deriſorémq; Latinum,
Iſta fronte precor carmina noſtra legas.

Apud eundem extat epithaphium Latini mimi, in quo ſic ipſe loquitur:

Dulce decus ſcenæ, ludorum fama Latinus.
Ille ego ſum plauſus, deliciæq; tuæ.

Idem alibi inquit: Os tibi præciſum eſt, quãto non ipſe Latinus
Vilia panniculi percutit ora ſono.

Inter cæteras fabulas.] fabulares narrationes, quibus vti ſolebat ad principẽ hilarandũ, ex ritu ſcenicorũ, & more ſcurrarũ: tales enim deliciis principũ ſunt deputati.

Animaduerterat.] ſcilicet cadauer mimus Latinus à canibus diſcerpi.

Oblatos tuberes.] Plinius in xv. tuberes eſſe ait mala peregrina, quæ ex Africa Sextus Papinius primus attulit in Italiã. Tuberũ duo genera, alterũ candidum, alterũ à colore ſericum dictũ. Tuberes cydoneo inſeruntur menſe Ianuario potiſſimùm, vt author eſt Palladius: qui alibi ſcribit, tuberet ſeri & inſeri Februario mẽſe. Martialis tuberes Africanos, tãquam generoſiores, celebrat illo diſticho:

Non tibi de Libycis tuberes, & Apyrina ramis,
De Nomentanis ſed damus arboribus.

Luna ſe in Aquario cruẽtaret.] Aquarius vnum eſt ſignũ ex duodecim ſignis Zodiaci, qui ita figuratur, vt aquam infundere videatur: vnde cõplures Ganymedẽ eſſe dixerunt, quẽ Iupiter deorum miniſtrum, pocillatoremq; in cælo feciſſe exiſtimatur: author Hyginus. Saturnus, vt aſtrologi tradũt, & memorat Iulius Firmicus in ſecundo Matheſeos, habet domiciliũ in Aquario, & Capricorno. Aquarius maſculinum eſt domiciliũ, Capricornus fœminum. Igitur cùm Aquarius ſit ſignũ humectũ, & imbricum, dixit Domitianus Lunam ſe in Aquario cruentaturã: quia nõ aqua, ſed cruor effunderetur. Et hoc prædixit, præſagiens mortem ſuã futurã ſanguinariã, quo tẽpore Luna erat in Aquario, quẽ Græci ὑδροχόον vocant. Vnde à Catullo dictum eſt:

Proximos Hydrochoi fulgeret Oarion.

Germanicus quoque in Arato ait:

Infimus Hydrochoos, ſed quà veſtigia figit,
Sunt aliæ ſtellæ.

Crura, & tibiæ ſunt ſub Aquario, vt docet Maternus. Ex quo cecinit Manlius,

Crurum fundentis Aquarii
Arbitrium eſt.

Eſt in cælo alter Aquarius, qui dicitur minor Aquarius.

M.A N. DElatũ.] accuſatũ, ac productũ ad principem. Iactaſſe.] palàm, ac ſæpius dixiſſe. Sciſcitatus.] percũctatus Domitianus. Ipſum.] Aſcletarionẽ. Mimo Latino.] De eo Iuuenalis:

Et à trepido Thymele ſubmiſſa Latino.

Mart.

Qua Thymelẽ ſpectas, deriſorẽq; Latinũ.

Inter fabulas diei.] inter cætera, quæ riſu, aut memoratu digna eo die occurrerãt. Tuberes.] Martialis:

Non tibi de Libycis tuberes, & Apyrina ramis,
De Nomẽtanis ſed damus arboribus. & rurſus,
Lecta ſuburbanis mittuntur Apyrina ramis,
Et vernæ tuberes: quid tibi cũ Libycis?

fœminino genere protulit, quũ Trãquillus oblatos tuberes dixerit. De ratione fructus, Plinius plura. Aquario] Ad Capricorni caudã eſt Aquarius, vt Rufi Auieni carmen ex primo Arati Phænomenon teſtatur,

Ipſe dehinc longos inſignis Aquarius artus,
Aſtat ad hirſuti caudã pulcher Capricorni.

Aratus eũ Troili, & Calliroes filiũ fuiſſe à quibuſdã exiſtimatũ credit, Ganimedẽ dico: Nigidius Hydrochoõ, ſiue Aquariũ Deucalionẽ credidit. Hyginus ab Hegeſianace, nõ à Nigidio, Deucalionẽ ait Aquariũ exiſtimatum, qui diluuio ſuperfuit. Alii Ariſteũ putarũt, Apollinis, & Cyrenes filiũ. Hyginus, cuius proximè memini, Eubolũ ait eũ Cecropẽ putaſſe: idq; ſignũ ſiniſtrã manũ ad Capricorni tergũ porrigere, dextrã ad iubã Pegaſi: pedes in hyemali circulo fixos habere, figuratur ſtellis quatuordecim.

In Aquario.] cæleſti ſigno, quod cædis, quæ ſequuta eſt, omen fuiſſe videri poteſt.

Stratõ

strato prosiliret: dehinc manè aruspicem ex Germania missum, qui consultus de fulgure mutationem rerum prædixerat, audiit, condemnauitq;: ac dum exulceratam in fronte verrucam vehementiùs scalpit, profluente sanguine, Vtinam, inquit, hactenus. Tunc horas requirẽti, pro quinta, quam metuebat, sexta ex industria nuntiata est. His velut transacto iam periculo lætum, festinantémq; ad corporis curam, Parthenius cubiculo præpositus conuertit, nuntians esse, qui magnum nescio quid afferret, nec differendũ. Itaq; summotis omnibus, in cubiculum se recepit, atq; ibi occisus est.

De insidijs, & cæde eiusdem. XVII.



E insidiarum, cædisque genere, hæc ferè diuulgata sunt: Cunctãtibus conspiratis, quando, & quomodo, id est, lauantémne, an cœnantem aggrederentur, Stephanus Domicillæ procurator, & tunc interceptarum pecuniarum reus, consilium, operámque obtulit. Ac sinisteriore brachio, velut ægro, lanis, fasciisque per aliquot dies ad auertendam suspicionem obuoluto, ad ipsam horam dolum interiecit: professúsque conspirationis indicium, & ob hoc

PHIL. STrato prosiliret.] ex lecto, veluti terriculamẽto quodam perculsus, repentè cõsurgeret. Mane.] Hora matutina. Consultus de fulgure.] Tradit Seneca, fulmina significantia esse futurorum: summam enim esse vim fulminum iudicat, quia quicquid alia portendunt, interuentu fulminis tollitur: quicquid ab hoc portenditur, fixum est, nec alterius ostenti significatione minuitur. Cecinna ait, quædã fulgura vocari pestifera, quæ mortẽ, exiliúmque portendunt: quod genus fulminis oñdisignare videtur Trãquillus: mortem enim Domitiano portẽdit. quod cũ ab aruspice ex disciplina Hetrusca prædictũ fuisset, illũ Domitianus auditum condemnauit. Verrucã scalpit.] Verruca tuberculum est, carόque dura & callosa: vulgò vernacula lingua portus vocatur: de qua ait Quintus Serenus: Interdũ existit turpi verruca papilla. Hinc Fabius ille, qui cũctando restituit rẽ, verrucosus dictus est. Plinius herbam verrocariã à Latinis appellari tradit, quæ verrucas tollit. M. Cato verrucam appellat locum editum, asperúmq;. Vtinam, inquit, hactenus.] scilicet profluat sanguis, neque maius fiat in me sanguinis profluuium: verebatur enim ne sanguis ex corpore suo per vulnera ingesta abundanter effusus proflueret. Requirẽti.] Domitiano. Quam metuebat.] prædictã à Chaldæis. Ex industria.] ex composito: cùm coniurati scirent quintam horam à Domitiano obseruari. Transacto iam periculo, quod ipsi imminere Chaldæi prædixerant. Ad corporis curã.] Curatur corpus & lauacro, & exoneratione ventris, & maximè cibo. Vergilius: Et corpora curant. Liuius: Curati cibo corpora quieti dant. Ide: A sexta ad decimã diei horã coactis militibus corpora curare, somnóq; operã dare. Parthenius.] Scribit Sextus Aurelius cõiurasse plerosq; in Domitianũ, impulsoribus Parthenio procurante cubiculũ, & Stephano. De hoc Parthenio ait Martialis, tanquã cubiculario Domitiani: Musæ Partheniumrogate vestrũ, Admittat timidã, breuémq; chartam: Intra limina sanctioris aulæ: Hosti tẽpora tu Iouis sereni. Hic Neruã cõfirmauit in capessendo Imperio trepidãtẽ adeò, vt colore mutato verbis amissis vix consisteret, cùm rumor ortus esset, Domitianum viuere. Conuertit.] Natura comparatum est, quotiescuoque quis nuntiat aliquid magni, vt statim conuertamur cognoscendi causa, & à proposito abducamur. Sic Domitianus à Parthenio cõuersus est à destinata corporis cura. Nec differendum.] quod minime esset procrastinandum.

In cubiculum.] cui præpositus erat Parthenius conscius coniurationis. Lauantem.] scilicet Domitianũ. Domicillæ procurator.] Flauia Domicilla Flauii Clemẽtis ex sorore neptis In insulam Pontiam à Domitiano relegata est, quia se Christianam esse testata est: author Eusebius. Interceptarũ pecuniarum reus.] accusatus quòd pecunias ex officio procuratorio intercepisset. Sextus Aurelius ait, cõiuratos à Stephano compulsos expectante supplicium ob fraudem interceptæ pecuniæ. Operam.] ad Domitianũ scilicet occidendum. Lanis, fasciisq; obuoluto.] Stephanus fraudulenter, & astutè brachiũ sinistrũ obuoluerat lanis, & fasciis, vt oẽs crederẽt ægrũ esse: cùm id ipse commentus foret ad occultandum inter fascias gladium, quo Domitianum confodere meditabatur.

Dolum interiecit.] vt pro quinta sextam nuntiaret. Conspirationis indicium.] tanquam indicare vellet eos, qui conspirauerant in Domitianum. Index proprie is est, qui facinoris, cuius ipse est conscius, latebras indicat, impunitate proposita. vnde & indicium dictum, quod alio nomine vocatur Indicina. Apuleius: Ob indicinæ præmium occupasse, domino tamen suo restiturum.

MIssum.] sub custodia, quia mutationem rerum prædixisset. M.A N.

Audiit.] causam dicentem.

Verrucam.] cutis portiunculam in callum contractam. Qu. Serenus:

Et rupta immensos fundit verruca cruores.

Veteres & pro scopulo quodam, abruptoq; saxo verrucam posuere.

Domicillæ procurator.] Flauiæ Domicillæ Flauii Clementis Consulis, de quo suprà, ex sorore nepis ipsius principis amitinæ: quam Christiano nomine recepto Domitianus, vt Brutius tradidit, in Pontiam insulam relegauit.

Pecuniarum reus.] à quo interceptæ pecuniæ repetebantur.

Indicium.] Quasi compertum haberet, qui in Domitianum ipsum conspirassent: hócque prætextu à Parthenio in cubiculum accersitum intellige.

Admis

admissus, legenti traditum à se libellum, & attonito suffodit inguina. Saucium, ac repugnanté adorti Colodius Cornicularius, & Maximus Parthenii libertus, & Saturius decurio cubiculariorũ, & quidam è gladiatorio ludo, vulneribus septem cõtrucidauerunt. Puer, qui curæ larium cubiculi ex cõsuetudine assistés interfuit cædi, hoc amplius narrabat, se iussum à Domitiano ad primũ statim vulnus pugionem puluino subditum porrigere, ac ministros vocare, neque ad caput quicquã excepto capulo, & prætereà omnia clausa reperisse atque illum interim correpto, deductóque ad terrã Stephano, colluctatum diu, modo ferrũ extorquere, modò quanquàm laniatis digitis, oculos effodere

PHIL. ADmissus.] Intra cubiculum receptus. Ob hoc dixit scite, & verè Plinius in Panegyrico loqués de Domitiano: Ille tamen, quibus sibi parietibus, & muris salutem suam tueri videbatur, dolum secũ, & insidias, & vltorem scelerum Deum inclusit. Dimouit, perfregitq; custodias pœna, angustósque per aditus, & obstructos nõ secus, ac per apertas fores, & inuitantia limina irrupit, longéque tunc illi diuinitas sua, longè arcana illa cubicula, sæuique secessus, in quos timore, & superbia, & odio hominũ agebatur.

Legenti.] Domitiano.

Attonito.] Stupefacto ob ea, quæ libello illo cõtinebantur. Suffodit inguina.] Hoc tempore apparuit in cælo tale prodigium: Corona quædam Iridi similis Solem circũdedit, quæ lumen eius, ac radios obscurabat: putabãt omnes tali signo nouitatem rerum aliquam portendi: portendebat autem Domitianũ à Stephano esse iugulandum, cuius nomen figuram illius visi in cælo portenti significabat: nam corona Græcè στέφανος vocatur. Is cum tyrannum interficere decreuisset, breuem gladiolum in sinistro brachio occultans, manũ tanquã fractam multis fasciis circunligauit: inde Domitiano obuiàm procedens, Opus est mihi, inquit, ô rex, secreto: audies enim ex me res nouas, atque incredibiles. Cúmque tyrannus colloquiũ non abnueret, tunc Stephanus: Non est, inquit, mortuus, vt arbitraris, inimicissimus tibi Flauius Clemens, sed viuit adhuc, egóque id optimè scio: & ipse est, qui nũc aduersus te irruit. Clamantis autem Domitiani, & ob ea, quæ audierat, pertubari, Stephanus ab alligato brachio gladium educens, femur, inguináque suffodit, vulnere quidem ad subitam mortem afferendã non sufficienti, sed nullis medicamentis sanabili, & quod per cruciatus cum lentitudine illum cõficeret. Dũ hæc Romæ agerentur, id horæ Apollonius Tyanæus Ephesi in ludo disputabat: qui cuncta ante oculos veluti posita conspiciens, primò quidem pauore perculsus vocem demisit, mox penitus cõticuit, toruis oculis in terram aspiciens: deinde tres, quatuórve passus progrediens exclamauit: Percute, percute tyrannum, tanquam res ipsa ante ipsius oculos præsentis obuersaretur. Stupentibus ad hæc Ephesiis subsistens Apollonius: Confidite, inquit, ô viri: nãque tyrannus hoc ipso tẽporis momento occisus est, quo me conticentem vidistis. Ego pro his, quæ vidi, deos adoratum proficiscor. Paulò pòst tabellarii festinantes superuenere, qui omnia, prout Apollonius prædixerat, de morte Domitiani facta esse affirmauerunt.

Cornicularius.] Cornicularium nomen esse ordinis in militia, sicut cõmentariensem, & accensum, docet Pedianus Asconius, perinde ac cornicularius à corniculo sic inclinetur, vt à cornu cornicen: nam qui corniculo militabat, is cornicularius dicebatur. Iulius Firmicus in tertio Matheseos: Erunt cornicularii, cõmentarienses, aut clauicularii. Refert Liuius in x. Papyrium Consulem equites omnes ob insignẽ in bellis operam donasse corniculis, armillisque argenteis: tanquam cornicula sint inter donatica ornamẽta militaria. Suetonius in libello de grammaticis ait, Orbilium corniculo meruisse. nimirũ intelligi volens, eũ fuisse cornicularium.

Decurio.] præfectus, & princeps decurio: sicut enim decurio equitũ dicitur, qui præest equitibus, sic decurio cubiculariorũ nũcupatur, qui præest cubiculariis, habétque primatum: quos Græci κατακοιμιστὰς vocãt. Cõsimiliter ab Ammiano Marcellino Palatii decurio dictus est, qui præpositus erat Palatio, qui est ordo dignitatis. Decuriã, vt docet Asconius, ordiné vocamus: vnde Latine dici potest decuria cubiculariorum, sicut decuria iudicũ, & decuria scribarum dictitatur, cuius princeps, & caput decurio nominatur. Decuriones etiam dicuntur in municipiis Senatores: dignitas ipsa nominatur decurionatus, ea forma, qua centurionatus, & optionatus.

Puer.] Seruulus.

Curæ larium cubiculi.] Significat, puerum fuisse custodem lararii, vbi lares coluntur: de quo suo loco satis multa.

Puluino pugionem subditum.] In hoc Domitianus Alexandrum magnum imitabatur, qui puluino pugionem vnà cum poemate Homerico subdere solebat.

Quicquam.] Scilicet reperisse.

Capulo.] Modò pugionis manubrio: aliàs feretro, quo cadauera efferuntur.

Deducto ad terram Stephano.] Erat, inquit Philostratus, corpore robusto Domitianus, qui primo vulnere nequaquam deiectus, apprehendit Stephanum, eique superincũbens eruere oculos nitebatur, faciemque aureo calice pertundens, Pallada vt sibi suppetias ferret, inuocabat: quem clamorem audiuerunt quidem corporis custodes, sed frustrà accurrerunt, cùm iampene exanimatus esset.

ATtonito.] Vano potiùs, quàm vero instabat periculo intentus. M. AN.

Suffodit.] Stephanus.

Saturius decurio.] qui cubiculariorum turmæ præerat. De ratione nominis præter Festum, & Pedianum Laurentius Vallensis in Elegantiarum libris plura.

Curæ larium.] qui laribus domesticis cultus causa assistebat.

Capulo.] Pugionis. Quicquid rem aliquam intra se capit, capulus dicitur.

Clausa.] Ne ad ministros exire posset.

Stephano.] Qui primas sibi cædis partes desumpserat.

conatum. Occisus est XIIII. Calendas Octobris, anno ætatis xlv. Imperii xv. Cadauer eius populari sandapila per vespillones exportatum, Phillis nutrix in suburbano suo Latina via funerauit: sed reliquias tẽplo Flauiæ gentis clàm intulit, cineribúsque Iuliæ filiæ Titi, quam & ipsa educauerat, commiscuit.

Statura, & pulchritudo eius. XVIII.



Tatura fuit procera, vultu modesto, ruborísque pleno, grandibus oculis, verũ acie heberiore: prætereà pulcher, ac decens, maxime in iuuenta, & quidem toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos restrictiores habebat, posteà caluitio quoque deformis; & obesitate ventris, & crurum gracilitate: quæ tamen ei valetudine longa remacruerant. Commendari se verecundia oris adeò sentiebat, vt apud Senatum sic quondam iactauerit: Vsque adhuc certè animum meum probastis, & vultum. Caluitio ita offendebatur, vt in contumeliam suam traheret, si cui alii

PHIL. Conatum.] Scilicet Domitianum. Et repete verbum illud, narrabat puer.... Populari sandapila.] Eutropius, & Orosius idem tradiderunt, pariter scribẽtes, cadauer Domitiani populari sandapila per vespillones exportatum, atque ignominiosæ sepultũ esse: Sextus Aurelius ait, Senatũ decreuisse, vt gladiatoris more funus efferretur. Sandapilam autem, vt inquit Fulgetius Placiades, dici voluerunt feretrũ mortuorũ: id est, loculum, quo nõ corpora nobiliũ, sed quorum plebeiorum, atque dãnatorũ cadauera portabantur: sicut Stesimbrotus testatur de morte Polycratis Samiorũ tyranni scribẽs: Posteà quã de cruce depositus, sandapila etiã deportatus est. A sandapila sandapilarii dicti, sepultores cadauerũ, portitorésque sandapilarũ. Sidonius Apollinaris: Hanc nõ vespillonum, sandapilariorúmque ministeria ominosa tumulauere. Si à Venere defluẽs Luna feratur ad Saturnum, faciet pollinctores, qui sepeliendorum hominum curam suscipiunt: vt inquit Iulius Firmicus in quarto. Pollinctores autẽ dicti sunt, qui funera morientia curant: quasi pollutorum vnctores, id est cadauerum curatores. Vnde pollinctum funus dictum à pollinctoribus vnctum. Pollincere est curare, vngereque cadauera. Plautus: Sicut pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.

Per vespillones.] Vespillones dicti sunt baiuli, portitorésque cadauerum, à vespertino tempore nũcupati, quo cadauera efferebantur, vnde & funera à funalibus dici autumat Donatus, quia noctu efferebantur ob sacrorum celebrationem diurnam. Demetrius quoque, authore Marco Tullio, ante lucem iussit efferri cadauera.

Via Latina.] Inter viam Appiam, & Valeriam Latina media est, quæ ad Cassioum oppidũ Appiæ coniungitur, vt scribit Strabo in quinto. In via Latina sepeliebantur cadauera, illhícque monumenta visebantur: ex quo est illud Satyrographi:

Cliuosæ veheris dum per monumenta Latinæ. Itẽ:
Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

Reliquias.] Cineres cremati cadaueris.

Funerauit.] non tã sepeliuit, quàm cremauit. Funerarios, hoc est funerum curatores, facit in tertio ab horoscopo loco Mercurius cum Saturno cõstitutus: vt refert Iulius Firmicus. Scribit Iurisconsultus, eum, qui funerauit, persequi posse quod impẽdit, ne quis de alieno funeretur. Sextus Aurelius ait, Senatũ decreuisse, vt gladiatoris more funus Domitiani efferretur. Templo Flauiæ.] quod à Domitiano extructum fuisse antè dictum est. Iuliæ filiæ Titi.] quã Domitianus amauerat, incestóque polluerat.

Rubor ísque pleno.] Cornelius Tacitus de Domitiano loquens ait: Cùm denotandis tot hominũ palloribus sufficeret sæuus ille vultus, & rubor, à quo se contra pudorẽ muniebat. Plinius quoque in Panegyrico sic describit faciẽ Domitiani: Superbia in frõte, ita in oculis, fœmineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa.

Grandibus oculis.] Oculi magni, si nitentes, & perlucidi sint, iustũ, prudentémque significant: quales Socratis oculi fuisse proditur, quem Apollo sapientissimum iudicauit.

Heberiore.] languidiore, & infirmiore.

Caluitio deformis.] Hinc dixit Ausonius:

Frater, quẽ caluum dixit sua Roma Neronẽ. Hinc à Iuuenale scriptũ est, Et caluo seruiret Roma Neroni.

Obesitate.] pinguitudine. Aliàs gracilitate: obesus enim modò pro pingui atque vberi dicitur: à Næuio pro exili, atque gracilento vsurpatũ. Ventrosum fuisse Domitianum significat.

Remacruerant.] Emaciata, & macilenta facta fuerant magis solito: valetudo enim ex gracilibus fecerat gracillima, ex macris macerrima.

Verecundia oris.] Ecõtrario dixit Plinius in ore Domitiani fuisse impudẽtiã multo rubore suffusam.

Probastis & vultum.] Propter oris verecundiã, & vultus ruborem, quo commendabatur.

In contumeliam suam.] tanquam in se ipsum dictum foret.

Obiectaretur.] probro daretur, caluitium obiiceretur, exprobraretur.

Conatum.] Domitianum. M. A N.

Sandapila.] Loculo, quo plebeiorũ, ac damnatorum corpora efferebantur.

Vespillones.] qui cadauera sepeliebant, à vespere dicti, qua hora cadauera efferri cõsuenere. Martialis:

Qui fuerat medicus, nunc est vespillo Diaulus:
Quod vespillo facit, fecerat & medicus.

Funerauit.] cremauit.

Acie.] Visu.

Hebetiore.] Minùs acuto.

Restrictiores.] id est, contractiores.

Obesitate.] pinguedine.

Remacruerant.] Macilentiora facta erant.

Verecundia oris.] Modestia quadã, & amabili, ob ruborem, præsentia.

In contumeliam traheret.] In se dictum putaret.

loco

ioco, vel iurgio obiectaretur: quanuis libello, quē de cura capillorum ad amicum edidit, etiam illū simul, séque cōsolās inseruerit: οὐχ ὁρᾷς οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε. Eadem te manent mecum capillorum fata, & forti animo fero comam in adolescentia senescentem. Scias nec gratius quicquam decore, nec breuius.

Peritia eius in sagittando, & laborum impatientia. XIX.

Laboris impatiens, per vrbē pedibus non temere ambulauit. In expeditione, & agmine equo rariùs, lectica assiduè vectus est. Armorum nullo, sagittarum vel præcipuo studio tenebatur. Centenas varii generis feras sæpe in Albano secessu cōficientē spectauere plerique, atque etiam ex industria ita quarundam capita fingentem, vt duobus ictibus quasi cornua * effingeret. Nōnūquā in pueri procul stātis, præbētisque pro scopulo dispassam dextræ manus palmā sagit

PHIL. IOco, vel iurgio.] Interdum iocantes, interdum iurgantes opprobramus vitia corporis.

Οὐχ ὁρᾷς.] Verba sunt Græca à Domitiano inserta libello de cultu capillorū, quæ sic interpretantur: Non vides quemadmodum & ego pulcher sum, & magnus. Te manent.] vt quemadmodum ego caluitio deformor, ita tu quoque caluescas. Comam in adolescentia canescentē.] Coma senescit in adolescētia, quando capilli in adolescente canescūt, siue per caluitiū veluti senio emoriuntur. Canities autem contrahitur ex inopia, & extillatē caloris. Canities tantū hominū est, & equis: sed homini semper à priore parte capitis, tum deinde ab auersa: authores Aristoteles, Albertus Magnus, & Plinius. Nec gratius decore.] Homerus, formositatē, decoremque dixit esse θεῶν ἐρικυδέα δῶρα: hoc est, dona deorū gloriosa: ex quo Ouidius cecinit: Forma, Dei munus. & Apuleius ait, Formosam, & si sit oppidò pauper, tamen abunde dotatā esse. Philosophi inter prima naturæ, in quibus quidā summū bonum posuerunt, in primis collocāt pulchritudinē corporis. Plato in Gorgia cantilenā in conuiuiis cantari solitā hāc prodidit, Optimū esse bene valere, secūdo loco formosum esse, tertio habere diuitias nulla fraude quæsitas. Nec breuius.] Quæ citissime floreant, celerrimè marcescere docent flosculi, quorum vita dialis est, qui matutino tempore pulcherrimi, ante vesperā euanescunt: meritò forma hominis flori comparatur, eodem penè momento virescens, & arescens. Hinc celeberrima illa apud Ecclesiasticos sententia: Omnis caro fœnū, & omnis gloria hominis sicut flos fœni. M. Varro; Quem puerū vidisti formosum, hunc vides deformem in senecta. Apuleius in dæmonio Socratis, significare volēs, nihil esse breuius decore, ait: Formosus est, expecta paulisper, & nō erit. Boethius quoque in III. de consol. hāc formæ fugitiuæ breuitatē his luculentis verbis exequitur: Formæ verò nitor vt rapidus, vt velox, & vernaliū florum velocitate fugacior. Et mox: Sed æstimate quàm vultis nimia corporis bona, dum sciatis, hoc quodcunque miramini, triduanæ febris igniculo posse dissolui. Sunt itaque verba hæc Domitiani digna memoratu, & ex catholica sententia deprompta; quibus adstipulator Seneca in Hippolyto scribens: Anceps forma bonum mortalibus, exigui donum breue temporis, vt velox celeri pede laberis. Idē post paulùm: Vt fulgor teneris qui radiat genis momento rapitur, nulláque non dies formosi spoliū corporis abstulit, res est forma fugax: quis sapiens bono confidat fragili? dum licet, vtere. Calphurnius in Bucol. Iudic. Donū forma breue est, nec sibi cōmodat annis. Pedibus non temere ambulauit.] Ob hoc dixisse videtur Plinius in Panegyrico. Ante te principes fastidio nostri, & quodam æqualitatis metu vsum pedū amiserant: illos humeri, ceruicesque seruorum super ora nostra vehebant. In Albano secessu.] Vbi celebrabat quotannis Quinquatria Mineruæ. Secessu autem Albano in primis oblectabatur: & ob id dictum est à poeta Satyrico: Quos Albanā dux magnus in arcem Traxerat attonitos. & alibi: Albana nudus arena. Plinius quoq; in IIII. Epistolarū de Domitiano loquēs, ait: Reliquos pontifices non in regiam, sed in Albanā villam conuocauit.

Conficientem.] Trucidātem: inde confectores ferarum dicti.

Quarundam.] ferarum.

Figentē.] Domitianum.

Quasi cornua.] Vt sagittæ infixæ capitibus ferarum cornuum effigiem, & posituram repræsentarent.

Pro scopulo.] Pro signo sagittarii. Græci enim σκοπὸν nominant signum, propositumque, ad quod sagittarius iacula dirigit: quod & Hieronymus memorat libro primo contra Pelagium. Refert Vegetius in II. quòd sagittarii, funditoresve ponere solebant pro scopo, hoc est signo, scopas, id est fruticū, vel straminum fasces, ita vt sexcentis pedibus remouerentur à signo: vt sagittis, vel lapidibus ex fustibalo destinatis signum sæpius tangerent. Macrobius in primo in somnium Scipionis propositum vocat, quod Græci σκοπὸν nominant. Consimiliter apud oratores nuncupatur scopus, quò tendit omnis ductus oratorius. Fortunatianus in primo Rhetorices: Modus est ductus parte orationis: scopos autem quod omnis efficit ductus.

Dispassam palmam.] Expassam, ac extentā. Sextus Aurelius in hanc sententiam: Sagittarum tā doctus fuit Domitianus, vt inter patentes digitos extentæ manus viri procul positi iacula transuolarent.

M.A.N. IVrgio.] Conuicio. Iurgare contra aliquem iure agere est. Terentius in Andria: Cū Dauo egomet vidi iurgantem ancillā. Inde iurgationem Festus ait iuris esse actionē. Differūt tamē iurgare, & litigare: iurgiū etē & lis, quòd iurgiū lite leuius quidē sit. Cicero lib. IIII. de Repub. Si iurgant, beneuolorum concertatio est. οὐχ ὁρᾷς κἀγὼ καλός τε μέγας τε.] Nō vides qualis & ego, pulcherque, magnusque?

Te manet.] tu quoque caluus fies.

In Albano secessu.] Quum Albam secederet.

Quasi cornua.] in cornuum speciem duabus à fronte sagittis affixis.

Dispassam palmam.] Patentes digitos.

Innoc

* efficiet.

tas tanta arte direxit, vt omnes per interualla digitorum innocuæ euaderent.

Facundia eius & studium. XX.

Liberalia studia in initio Imperii neglexit, quanquàm bibliothecas incendio absumptas impensissimè reparare curasset, exẽplaribus vndique petitis, missísque Alexandriam, qui describerent, emendaréntque. Nunquàm tamen aut historiæ, carminibúsve cognoscẽdis operam vllam, aut stylo vel necessario dedit. Præter commentarios, & acta Tyberii Cæsaris nihil lectitabat: epistolas, orationésque, & edicta alieno formabat ingenio, sermonis tamen nec inelegantis: Dictorum interdum etiã notabilium, Vellem, inquit, tam formosus esse, quàm Metius sibi videtur. Et cuiusdam caput varietate capilli subrutilum, & incanum, perfusam niuem mulso dixit.

Vsus aleæ, & conuiuia, & alia gesta per eum. XXI.

Conditionem principum miserrimam aiebat: quibus de coniuratione comperta non crederetur, nisi occisis. . Quoties otium esset, alea se oblectabat, etiam

PHIL. Innocuæ.] sine læsione trãsuolantes. Bibliothecas.] Sextus Aurelius: Bibliothecas Incendio absumptas, petitis vndique Alexandria exemplis, reparauit.

Missísque Alexandriam.] Ptolemæus Philadelphus Alexandriæ bibliothecã fecit nobilissimã, in qua & diuinæ scripturæ volumina, adhibitis septuaginta interpretibus reposuit: cui præpositus fuit Demetrius Phalereus: qui interrogatus à rege, quotnã libri in bibliotheca essent, dixisse proditur: plures quàm ducenta millia: sed breui tẽpore non erunt forsan, inquit, pauciores quingentis millibus: authores Augustinus, & Eusebius in VIII. Præparationis Euangelicæ, & Aristeas in opusculo de LXX. interpretibus condito. Prætereà legimus apud Gelliũ, fuisse Alexandriæ numerũ librorum à Ptolemæis regibus vel cõquisitũ, vel confectum ad millia ferme voluminum septingenta: sed ea omnia bello priore Alexandrino, dum diripitur ea ciuitas, à militibus fortè fortuito incensa fuisse. Plinius quoque, & Vitruuius meminerunt diligẽtiæ Ptolemæi circa bibliothecas comparandas: meritò itaque Domitianus reparare volens bibliothecas, quæ Romæ cõflagrauerant, misit Alexandriã librarios ad exẽplaria describẽda. Pergamenæ quoque bibliothecæ, quas Attali reges compararũt, sunt memoratissimæ.

Aut stylo.] Dare operã stylo, significat cõponere aliquid, & condere: stylus enim est dicendi opifex. Domitianum autem nihil scripsisse vel necessariò significat. Præter commentarios & acta.] Dictum est in III. commentario, Tyberium artes liberales studiosissime excoluisse, & oratione Latina secutũ esse Coruinum Messalam. Domitianus nihil aliud lectitabat, nisi commentarios à Tyberio compositos.

Alieno formabat ingenio.] Accidit Domitiano, quod Neroni contigisse memorat Tacitus, vt alienæ eguerit facundiæ: cùm reliqui principes eloquentia, & dicendi vi fuerint præcellentes.

Sermonis nõ inelegantis.] Scilicet fuit. Laus autem nõ minima est, venustum esse, elegantemque in familiari, cõmunique sermone. Præcipit M. Tullius, vt sermo sit lenis, minimeque Pertinax, Insitq; in eo lepos. Plato in Sophiste: Iudiciali, & concionali parti tertiam adiecit προσομιλητικὴν, quã Quintilianus sermocinatricẽ interpretatur: quæ à forensi ratione disiungitur, & est accõmodata priuatis disputationibus.

Dictorũ notabiliũ.] Quæ facetè, & breuiter, & acutè dicuntur, ea peculiari nomine dicta, & dicteria appellari voluerũt. Macrobius: Dictũ volo hostis referre, sed victi. Vellẽ tã formosus.] Dictũ Domitiani est haud dubiè notabile in Metium, qui forma, & pulchritudine nullum sibi cõparandum arbitrabatur, sibique soli placebat. Sibi videtur.] Nõ dixit quã formosus est: sed festiuiter, quã sibi videtur: tãquã sibi omnium formosissimus Metius videretur, cùm ex alieno iudicio minimè talis foret.

Subrutilũ.] partim rutilo partim albicanti colore respersum: erat enim ex parte rutilus capillus, ex parte canescens.

Incanum.] Canitie albicans. Maro: Incanáque mẽta. Perfusam niuẽ mulso. Vrbane, & eleganter caput capillo rutilo, & canescente variegatum appellauit niuẽ perfusam mulso: nam cùm niuis color sit albus, & mulsi rutilus, meritò ad vtrunque colorẽ significandũ ex quadã commistione confectũ ita nominauit. Nec tamẽ simpliciter hoc dictũ putes, sed scito allusisse ad potionẽ mulsi, & niuis, quæ simul in conuiuio dari solebãt, mistura coloris rutili, & albi facta: quod indicat Plinius, cùm sic ait in epistola ad Septitiũ Clarum: Paratæ erãt lactucæ singulæ, cochleæ trinæ, oua bina, alica cũ mulso, & niue. Nam hãc quoque computabis, imò hanc in primis, quæ perit in ferculo. Conditionẽ principũ miserrimã.] In rescripto M. Antonini ad Verũ, mentio fit huius sententiæ, quã vsurpari quoque solitã refert ab Adriano: sic enim inquit: Scis enim ipse quid auus tuus Adrianus dixerit, Misera cõditio Imperatorũ, quibus de affectu tyrãnidis, nisi occisis, non potest credi: eius autem exemplum ponere, quàm Domitiani, qui hoc primus dixisse fertur, malui. Tyrannorum enim etiam bona dicta non habent tantum authoritatis, quantum debent. Hactenus M. Antonius.

Innocuæ.] manu nihil offensa. M. AN

Necessario stylo.] Qui in frequentẽ dicendi, vel scribendi vsum venire solet.

Nec inelegantis.] sed elegantia quadam præditi. Metius sibi videtur.] Hominem sui temporis taxare solitum accipias, qui sibi supra formam placeret. Incanum.] Canis respersum. Perfusam niuẽ mulso.] Erat enim mulsum subrutili coloris. Martialis: Hæc tibi turba en Canusina simillima mulso.

Profest

profestis diebus, matutinísque horis, ac lauabat de die, prandebátque ad satietatem, vt non temere super cœnam præter Matianum malum, & modicam in ampulla potiunculam sumeret. Conuiuabatur frequenter, ac largè, sed penè raptim, certè non vltra Solis occasum, nec vt posteà comessaretur. Nam ad horam somni nihil aliud, quàm secretò solus deambulabat.

Libido & luxuria eiusdem. XXII.



Libidinis nimiæ, assiduitatem concubitus velut exercitationis genus, clinopalen vocabat. Erátque fama quasi concubinas ipse diuelleret, natarétque inter vulgatissimas meretrices. Fratris filiam adhuc virginem oblatam in matrimonium sibi, quum deuinctus

PHIL. Profestis diebus.] Profesti dies, contrarii sunt festis. Vnde dixit Ausonius: Læta nisi austeris variētur festa profestis. Macrobius in primo Saturnalium, Dies, inquit, festi diis dicati sunt, profesti hominibus, ob administrandam rem priuatam, publicámque concessi. Profestis diebus fasti continentur, quibus licet profari prætoria verba solēnia, Do, Dico, Addico. Alea.] Aleones dixere antiqui, quos nunc dicimus aleatores. Catullus: Nisi impudicus, & vorax, & aleo. Lauabat de die.] Balneare significat lotionem, qua Cōmodus Imperator adeò oblectabatur, vt per diē septies, atq; octies in balneis lauaretur. Econtrario prisci, vt inquit Seneca in XIII. Epistolarum moraliū, brachia tātùm, ac crura quotidie abluebant, quæ scilicet sordes opere collegerant: cæterùm toti nūdinis lauabantur. Tempus autem lauandi erat, vt docet Vitruuius, postmeridianum. Prandebat ad satietatē.] Præceptū Aristotelis in Problematis, prandendum esse largè, cœnandū esse parce, maximè his, qui rei Venereæ operā daturi sunt: vt cruda insint, quàm cōcocta, pauciora. Domitianus veluti ex præscripto Aristotelico saturabatur in prandium, cùm tamen ex more veterū leuis cibus, & facilis interdiu sumeretur. Dixit Sidonius in epistolis: Prandebamus breuiter, copiose, Senatorium ad morem. Non temere.] Non ferè, non sine causa. Super cœnam.] In cœna.

Martianum malum.] Malorum plura sunt genera, quę conditoribus suis æternam memoriā propagauerunt: sicut Appiana ab Appio cognominata, & Scepriana ab inuētore libertino, & Mariana à Mario, à quo originem habent: author Plinius in XV. Vnde Marianum malum legendum potiùs, quàm Martianum arbitror, tanquam à Mario cognominatum. In ampulla.] Vasculo vitreo: Aliás ampulla vasculum est olearium, quo in balneis vtebantur: de quo Apuleius in Floridis: Hipias prædicauit ampullā quoque oleariam, quam gestabat, semet sibi fabricatum. Cicero in IIII. de Finibus bonorum: Si ad illam vitam, quæ cū virtute degatur, ampulla, aut strigilis accedat, sumpturum sapientem eam vitam potius, cui hæc adiecta sit. Cùm autem ampullæ sint vascula ventrosa, & turgida, per decoram translationem dixit Horatius: Proiicit ampullas. pro eo, quod est, verba turgentia: & sufflata abiicit, ac deponit. Pyra quædam à collo ampullæ ampullacea appellari refert Plinius in XV. Conuiuabatur.] Conuiuator dicitur, qui conuiuatur, parátque conuiuium: conuiuæ verò, & conuictores, dicuntur inuitati ad conuiuium. Scitum conuiuatorē appellat Liuius elegantem, & nitidum in apparatu cōuiuali, apud quem sic loquitur Titus Flaminius. Est autem res simillima cœnæ Chalcidensis hospitis mei, & boni, & sciti conuiuatoris.

Frequenter.] ad numerum: largè ad opulentiam est referendū. Pene raptim.] Plinius in Panegyrico Domitianum taxare videtur, quòd distentus solitaria cœna spectator, adnotatórque conuiuis suis imminebat: rursúsque se ad clandestinam ganeā, occultúmque luxum referebat. Comessaretur.] post cœnato cibo, epulisq; indulgeret: hoc enim comessari propriè significat, vnde & comessatio dicta: super quo verbo copiosè suo loco disseruimus. Solus deambulabat.] Cato Vticensis & ipse solitus erat post cœnam deambulare, peractáque deambulatione in cubiculum se recipiebat: author Plutarchus. Auicēna quoque præcipit, paruā, lentámque motionem post cœnā esse vsurpandam: quoniā facit in stomacho cibum quiescere, mox esse dormiendum. Libidinis nimiæ.] scilicet fuit. Hæc enim verba, est, erat, fuit, plerunque absunt cū elegantia, absq; detrimēto sententiæ. Clinopalē vocabat.] Sextus Aurelius: Furens libidine, cuius fœdū exercitium Græcorū lingua κλινοπάλην vocabat. Significat autē clinopale palæstrā lecti. κλίνη enim Græce lectus dicitur. Vnde ὑποκοριστικῶς κλινίδιον, id est lectulus inclinatur: & Græce πάλη significat palæstrā, siue luctā. Qua dictione vsus est Papinius, cùm ait in Achille:

Et liquidā nudare palen, & spargere cæstus Ludos erat. Sidonius quoq; sic inquit in hēdecasyllabo: Vnctas Tyndaridis dicasse luctas, Doctos quos patriis palen Terannis. Itē: Cannas, plectra, iocos, palē, rudentē Coram te trepidāter explicare. Domitianus exercitationē concubitus vocabat clinopalē, quasi palæstrā lecti, & exercitamentū, sicut à Vergilio nocturna bella eleganter dicuntur colluctationes Venereæ: & ab Apuleio militia amatoria nuncupatur.

Diuelleret.] vollellis expilaret inguina cōcubinarū. Nataret.] more Tyberii, qui sibi natāti instituit pueros inter femora versari. Fratris filiā.] Iuliam significat Titi filiā, quā Domitianus, vt inquit Plinius in IIII. Epistolarū, nō solū polluit incesto, verū etiam occidit. Nā vidua abortu periit. Hinc exiit illud Satyricū: Cō tot abortiuis fœcundam Iulia vuluam

Solueret, & patruo similes effunderet offas. Apud Philostratū mētio fit Iuliæ, quæ neptis erat Domitiani ex filia, quā Sabino nuptā abduxit Domitianus in vxorē, interfecitque ipsum Sabinū, & cū Ephesii pro his nuptiis Imperatoriis sacrificarēt, interueniēs Apollonius, O nox, inquit, qualis fuit Danai filiarū, cur sola fuisti? Deuinctus.] Illaqueatus, & captus.

M. A N. Profestis diebus.] non festis, sed quibus opifices, & rustici operantur.

Martianū.] Apud Pliniū id pomi nomē nō reperio.

Libidinis nimiæ.] Fuit scilicet. Clinopalen.] Lecti palæstrā, ἀπὸ τῆς κλίνης lecto, καὶ παλαίω luctor.

Diuelleret.] pudendis partibus purgaret.

Fratris

Fratris filiâ.] Iuliam: quæ abusiuè & impropriè neptis dicitur, quum apud idoneos authores neptis dicatur, quæ ex filio, filiáve nata est. Cicero de Claris oratoribus: Et filias eius Mutias ambas, quarum sermo fuit notus, & neptes Licinias.

Domitiæ. nuptiis pertinacissimè recusasset, non multò pòst alii collocatam vltro corrupit: & quidem viuo etiam tum Tito: mox patre, ac viro orbatam ardentissimè, palámque dilexit, vt etiã causa mortis extiterit coactè conceptũ à se abigere.

Mœstitia militum, & lætitia Senatus in morte eius. XXIII.

OCcisum eum populus indifferenter, miles grauissimè tulit, statimque eum diuũ appellare conatus: paratus & vlcisci, nisi duces defuissent: quod quidem paulò pòst fecit, expostulatis ad pœnam pertinacissimè cædis authoribus. Contrà, Senatus adeò lætatus est, vt repleta certatim curia non temperaret, quin mortuũ contumeliosissimo, atque acerbissimo acclamationum genere laceraret: scalas etiã inferri, clypeósque & imagines eius coràm detrahi, & ibidem solo affligi iuberet: nouissimè eradendos vbique

PHIL. MOx patre, ac viro orbatã.] Cùm patrem Titũ, & maritũ amisisset.

Coactæ.] Casus dandi est, vt sit sensus, Domitianum causam mortis extitisse Iuliæ Titi filiæ coactæ abortũ facere: nam, vt inquit Plinius, vidua abortu periit. Hieronymus trium criminum reas eleganter esse tradit fœminas Christianas, quæ abortum medicantur, & frequenter ipsæ cum abortu commoriuntur. Sunt enim, inquit, homicidæ sui, Christi adulteræ, necdũ nati filii parricidæ. Cicero in oratione pro Cluêtio: quod & à Iurisconsulto titulo De pœnis, repetitum est: Milesiam quandam mulierem scribit rei capitalis esse damnatam, quòd accepta pecunia partum sibi ipsa medicamentis abegisset.

Cõceptum abigere.] Vno verbo dicitur abortare. Iulius Firmicus in VI. Abortabit filios geminos. Aulus Gellius dixit aboriri fœtus in hoc significatu, cùm ait in X I. Nituntur vt fœtus quoq; ipsi in corpore suo concepti aboriantur. Græci ἐκτρῶμα vocant abortiuum: vnde vinum ectromãrium dictum, quod abortus facit: cuius mentionem fecit Plinius in XIIII. Nat. historiæ.

Indifferenter.] Græcè ἀδιαφόρως dicitur.

Miles grauissimè.] Quòd milites grauissimè tulerint Domitiani mortem, testis est Sextus Aurelius scribens, milites poposcisse à Nerua ad cædem interfectores Domitiani, qui Petroniũ vno ictu, Partheniũ verò amputatis priùs genitalibus, & in os coniectis, iugulauere. Et quoniam militum incidit mentio, transeunter, summatimque annotandum inter signa militaria Romanorum fuisse dracones: ex quo sensu est illud Claudiani: Mansnescunt varii vento cessante dracones. Hinc draconarii dicti, qui gestabant draconum signa, sicut aquiliferi, aquilas. Signum draconis fuisse purpureum docet Ammianus Marcellinus. Draconariorum meminit Vegetius.

Conatus.] ἑνικῶς, id est singulariter, dixit miles conatus, pro milites conati.

Paulò pòst fecit.] Vlti sunt milites necem principis, quando peremerunt Petronium, & Parthenium authores Domitiani cædis.

Contrà.] E contrario.

Lætatus.] Meritò Senatores lætati morte Domitiani, à quo quotidie ad necem destinabantur. à quo dixit Cornelius Tacitus obsessam curiam, & clausum Senatum, & factas multorum consularium cædes, vt non immeritò nobilitas comesa à Satyrographo dicta sit.

Repleta.] Scilicet frequentissimis Senatoribus.

Contumeliosissimo acclamationum.] Signat à Senatu factas in Domitianum acclamationes, quales in Cõmodum Imperatorem occisum factæ fuerunt, acclamãte Senatu, Hosti patriæ honores detrahantur, parricida trahatur, hostis deorum, carnifex Senatus, parricida, hostis Senatus trahatur: qui Senatum occidit, vnco trahatur: qui Senatum occidit, in spoliario ponatur: qui sanguini suo non pepercit, vnco trahatur: necator ciuium trahatur.. Id genus acclamationes factæ sunt à Senatu conuiciis proscindente, lacerantéq; Domitianum carnificem, parricidámq; Senatus, & bonorum.

Laceraret.] Probris incesseret, & conuiciis proscinderet.

Scalas.] Quibus appositis, imagines, & clypei Domitiano consecrati detraherentur, quæ in editiore parte curiæ suspensa visebantur. Scalarum oppugnatio à Capaneo primùm perhibetur inuẽta, qui tanta vi extinctus est à Thebanis, vt extinctus fulmine diceretur. Qui scalam singulatino numero dicit, peccat, sicut qui mulsa pluratiuo: cùm pluralia singulariter, singularia pluraliter efferantur: author Quintilianus. Tamen ab Ecclesiasticis scriptoribus scala ἑνικῶς vsurpatur.

Imagines detrahi.] Acclamatum est à Senatu in Commodum: Gladiatoris, & parricidæ statuæ detrahantur. Scribit Plinius in Panegyrico, statuas incesti principis (ita enim Domitianum appellat) permistas fuisse simulacris deorum, quæ post eius obitum illisæ solo fuerunt. Verba Plinii hæc sunt: Iuuabat illidere solo superbissimos vultus, instare ferro, sæuire securibus: vt si singulos ictus sanguis, dolórque sequeretur.

Solo affigi.] Ad terram præcipitari, illidi, conculcari.

M. AN. COactæ conceptum à se abigere.] Abortum facere. Iuuenalis:

Quum tot abortiuis fœcundam Iulia vuluam
Solueret: & patruo similes effunderet offas.

Indifferenter tulit.] Ad vnum omnes lætati.

Laceraret.] Proscinderet, ac maledictis insectaretur.

Scalas.] Gemonias: quò, vt sæpe diximus, damnatorum corpora abiiciebantur.

Solo affigi iuberet.] Si omnia Tranquilli exemplaria habent, quæ lectio & si recipi potest, vt affigi, id est humi statui, Senatus iusserit, Eusebii tamen authoritas efficit, vt affligi, non affigi legendum esse contendamus: Eius, inquit, quum de Domitiano interim loqueretur, imagines disiectæ

titulos, abolendámque omnem memoriam decerneret. Ante paucos, quàm occideretur, menses cornix in Capitolio elocuta est: ἔϛαι πάντα καλῶς. Nec defuit qui ostentum sic interpretaretur:

Nuper Tarpeio quæ sedit culmine cornix,
Est bene, non potuit dicere: dixit, erit.

Ipsum etiam Domitianum ferunt somniasse gibbam sibi ponè ceruicem auream enatam, pro certóque habuisse beatiorem post se, lætiorémq; portendi Reipublicæ statum. Sicut sanè breui euenit abstinentia, & moderatione insequentium principum.

FINIS.

sunt, & à populo per ignominiam publicè conculcatæ. Cicero quoque in Pisonem, Statuam istius, inquit, persimilem deturbant, affligunt, comminuunt.

PHIL. Titulos.] Domitiani inscriptiones. Ait Eusebius in Chronicis, Senatum decreuisse, vt omnis, quæ Domitianus statuerat, in irritum deducerentur: itaq; multos, quos iniustè eiecerat, de exilio reuersos esse.

Decerneret.] Per decretum constitueret. Aelius Gallus sic distinguit Senatus decretum à consulto, vt decretum dicat particulam quandam esse Senatusc͡o sulti, tanquam decretum sit specialius, consultũ verò generalius. Annotandum est, fuisse apud veteres quoddam Senatusconsultum, quod Tacitum vocabãt, ex eo quòd talia non erant omnibus publicanda. Fiebat enim Senatusconsultum Tacitum ita, vt non scribæ, non serui publici, non censuales illis actibus interessent: Senatores excipiebant, Senatores scribarum officia complebant, ne quid fortè proderetur: author Iulius Capitolinus in Gordianis.

Cornix elocuta est.] Plinius in x. author est, cornicem esse inauspicatæ garrulitatis.

ἔϛαι πάντα καλῶς.] Non mirum si cornix hæc pauca Græca verba id temporis elocuta est, cùm scribat Plinius, equitem Romanum habuisse cornicem plura contexta verba exprimentem, & alia, atque alia crebrò addiscentem. Verba autem hæc significant, Erunt omnia bene.

Tarpeio culmine.] Fastigio Capitolino.

Est bene, non potuit.] Cùm istud verbum, est, significet præsens tempus, cornix non potuit dicere, in præsentia est bene, cùm ea Domitiani tempora essent horroris plena, & humano polluta sanguine: vnde dixit de futuro, Erit bene, post obitum scilicet Domitiani successuris bonis principibus.

Gibbam aureã.] Gibbũ, & gibbã masculino genere & fœminino in eodẽ significatu vsurpamus. Dicitur & gibber: hinc homines gibberi, gibbi, gibbosi, & gibberosi nominantur. Si Luna deficiens lumine à Marte ad Saturnum feratur, faciet gibbosos. Item habẽtes horoscopum in xx. parte Sagittarii, nascentur gibberosi. In Leuitico præcipitur ne gibbosus offerat panes Deo, nec accedat ad ministeriũ eius. quod, vt Interpretatur Gregorius in Pastorali, & in canonicis Decretis, distin. vndequinquagesima explicatur, tropologicè significat gibbosus eum, quem terrenæ solicitudinis pondus deprimit, ne vnquã ad superna respiciat, sed solis his, quæ in infimis calcantur, curuus intendit. Aristoteles in Problematis author est, gibborum halitum esse fermè fœdiorem, & graueolentia aspernabilem, quia scilicet in talibus locus pulmoni accommodatus conclusus, deflexúsque spiritum transmittere expeditè nequit, sed euenit vt spiritus interclusus vapore putrescat. Sed vt à carcere ad metas transcurramus, somnium hoc Domitiani significabat, à tergo eius, hoc est post ipsius obitũ, futuros principes optimos, qui ætatem auream orbi terrarum reducerent.

Ponè ceruicem.] Post ceruicem.

Portendi.] Significari.

Insequentium principum.] Neruæ, Traiani, atque Adriani: de quibus Sextus Aurelius hæc; Quid Nerua prudentius, aut moderatius? quid Traiano diuinius? quid præstantius Adriano? Eutropius, Domitiano, inquit, exitiali tyranno Nerua successit, qui æquissimum se, & vel lissimum præbuit: Reipublicæ diuina prouisione consuluit Traianum adoptando. Qualis verò, & quãtus in Imperio Traianus extiterit, quis ignorat? cùm certatim scriptores illum omni præconio laudis extollãt: vnde dixit Sextus Aurelius, Imperiũ Traiani aduẽniens denunciatũ fuisse à cornice, quæ è fastigio Capitolii Atticis sermonibus effata est, erit bene. Hic adeò gloria bonitatis excelluit, vt in Senatu principibus nõ aliter acclamaretur: Ne sis felicior Augusto, melior Traiano. Huic successit Adrianus, & ipse princeps memorabilis: cuius vitam Spartianus apud nostros, Dion apud Græcos luculentè perscribunt. Meritò itaque lætior status, & tempora beatiora Romanæ Reipublicæ contigerunt post obitum truculenti, incestique tyranni: cùm sequuti principes moderatione, abstinentia, aliísque virtutibus longè præstiterint. Temperata enim beata fiunt, & aurea ex bonitate principũ: sicut tenebricosa, & dira ex improbitate tyrannorum. Vnde Cornelius Tacitus seculum beatissimum vocat, quo Nerua, Traianúsque felicitatem Imperii fecerunt. Quocirca principes, si ætatem beatissimã, si seculum aureum reddi desiderant, sint moderati, sint clementes, sint benefici, &, vt semel finiã, sint omni præconio bonitatis ornati.

M. AN. Locuta est: ἔϛαι πάντα καλῶς.] Erunt cuncta bene.

Est bene.] Cùm de cornicis conatu intelligere videantur, ad præsentem tamen rerum statum poeta allusit.

Gibbam auream.] Tumorem carnis Iuuenalis gibbum dixit:

-Cuperet rutile Virginia gibbum.

& rursus:

Strumosum, atque vtero pariter, gibbóq; tumẽtem.

Insequentium principum.] Nam, vt de aliis sileam, Nerua, qui illi successit, decreto patrum post mortem inter deos est relatus. Traianus qui proximè imperauit, tam popularis fuit, vt in congratulatione principum acclamari sit solitum: Felicior Augusto, Traiano melior.

Habes Inclyte Annibal Bentiuole Annotamenta in Cæsares duodecim Suetonii Trãquilli, quibus obscurior illius lectio pro virili parte per nos enodata explicatur. Superest vt qui meo fortassis nomine à legendo resilient, hi tuo nomine pellecti ad perlegendum appetenter accurrant.

AD INC

AD INCLYTVM ANNIBALEM BENTIVOLVM EIVSDEM

Philippi Beroaldi Appendix Annotamentorum.



LIBVIT has quoqne annotatiunculas, inclyte Annibal Bentiuole, veluti appendiculam quandam apponere in calce commentariorum, vt animi lectorum vniformi illa lectione fatigati, hoc veluti nouo pabulo recrearentur, & mutatione reficerētur. Solent enim hæc legentibus non minùs iucunda videri, quàm viatoribus iam itinere lassescentibus diuerticula amœna sunt. Sed ne morosior sit prologus, quàm fabula, hinc pauca quædam digna cognitu, nec indigua relatu, miniméque protrita exordiemur.

Quid significet illud Hieronymi ab Ecclesiasticis creberrimè vsurpatum, De Tantali fonte potantē. CAP. I.

PLeriqne omnes Ecclesiasticæ literaturæ studiosi, anxiè, & sitienter vestigare solent, quid significet illud Hieronymi vulgarissimum, quod liminarem paginam Instrumenti veteris introeuntibus statim obuium sit: Vt Iarcham in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem andiret docentem. Nugatoria nimirum sunt, quæ à commentaroribus referuntur. Nos vt pro virili parte innaremus studia studiosorum, ad eundem fontem accessimus, ex quo Hieronymus hausit. Philostrati enim penetralia ingressi explicationem inuenimns huiusce inuolucri latissimam, quæ talis est: Apud Indos sapientes sunt Brachmanæ nnncupati, qnorum princeps Iarchas nominabatur eo tempore, quo Apollonius Tyanæus discendi, visendique studio ad illos se cōtulerat: quem accedentem cæteri, qui erāt duodeuiginti, apprænsa manu salutauerunt. Iarchas autem nominatim salutauit, qui in excelso sedebat throno: quem ex ære fabrefactum aureæ statuæ complusculæ exornabant. Infra Iarcham sedebant omnes in sellis humilioribus. Mox post philosophicam sermocinationem ostendit Iarchas Apollonio statuam Tantali subscriptione notatam, quatuor cubitorum longitudinis: quæ similis propinanti phialam porrigebat, in quā humor distillat incorruptibilis potionis phialā mensura nunquam excedentis. Ex hoc Tantali poculo bibere solebant Indici philosophi antè, quàm somno indulgerent. Et ita Iarchas potandi principium fecit ex phiala bibens: quæ largiter cunctos satiauit, iugem hnmorē fundens, non secus, ac si ex fonte scaturiret. Bibit vnà cum philosophis Apollonius. Est autem amicitiæ firmandæ causa hniuscemodi compotatio apud Indos inuenta, qui ministrum eius faciunt, pocillatoremq; Tantalum, propterea quòd hic amicissimns, mansuetissimúsque erga homines habitus est. Post hanc ex Tantali phiala potionem humi sternnnt corpora in lectis herbaticis. Hæc copiosè refert Philostratus libro III. de vita Apollotii Tyanæi: qui etiam scribit in septimo Quiconque bibunt ex Tantali phiala, participes periculorum cum amicis esse oportere. Ex hac enarratione iam perspicuum sit, cur dixerit Hieronymus Apollonium peruenisse ad Brachmanas, vt audiret Iarchā illum principem philosophorum in throno sedentem, ærεo quidem, sed qui aureis statuis exornaretur: potantémque de Tantali fonte, hoc est de phiala, quam propinabat Tantali simulacrum. Ex quo mihi videtur doctiùs, & historiæ accommodatiùs legi posse de Tantali phiala, quàm fonte: cùm inter phialam, & fontem sit quædam literarum proximitas, & ob hoc lubricus error: quod si tuhil placet immutare, expones fontē pro phiala, ex qua liquor veluti ex fonte scaturiens continenter fundebatur. Quæ à commentatoribus Ecclesiasticis traduntur, protrita sunt, & à fide historica deerrantia: sed ego malo hæc, & id genus alia, haurire ex limpido fonte, quàm ex riuo turbulento.

Quid sit vetus prouerbium, Mutuum muli scabunt: quod in codicibus Ausonii, & Nonii perperam scriptum legitur. CAP. II.

APud Ausonium in epistolio prouerbium vsurpatur literis inuersis, dictiotúbúsque confusis, quod est, Mutuum muli scabāt. Tu verò ita distinctè legas, & emendatè, Mutuum muli scabunt. Cuius prouerbii sensus significat tradere sibi operas mutuas, & par pari rependere. Nanque mulorum mos est, vt se mutuò scabant, & vicissatim defricent. Marcus Varro librum composuit hoc titulo, Mutuum muli scabunt: cuius testimonium citat Nonius, quanuis Noniani codices mendo ineluibili sint maculosi, in quibus hoc prouerbium corruptiùs legitur, quàm in Ausonii voluminibus. Ita enim scriptum habent: Multum muliscabant. pro, Mutuum muli scabunt. Prouerbii huiusce meminit scienter, & enodatè Symmachus, cùm in epistolis sic inquit, Mutunm scabere muios: cui prouerbio ne videar esse confinis, præconium virtutum tuarum presso dente restringo. Itaque cùm muli soleant sese vicissim defricare, & scabere, meritò hoc prouerbium vsurpatur in consimili remnneratione, & talionis æquilibrio: quanuis à Scipione Aemyliano dictum sit, iumēta, qnoniam manibns carerent, alterius frictione indigere. Adriani, qnod non longè ab re est, iocus balnearis innotuit, qui plures olim senes euocari iussit, & aliū ab alio inuicem defricari: cùm illi se marmoribns attererent ad liberalitatem principis prouocandam: qni seruis donauerat, & sumptibus veteranum quendam, qni se in balneis marmoribns destringebat, propterea quòd seruum nō haberet.

Quid intelligi voluerit Hesiodus, cùm scripsit, Dimidium esse plus toto. CAP. III.

HEsiodns in libro, cui titulus est ἔργα καὶ ἡμέραι. id est, opera, & dies: versum hunc posuit,

Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός. Id est,
Ignorant stolidi, quàm toto sit dimidium plus.

Dissoluenda quæstio est: cuius mētionem fecit Gellius libro XVIII. Noctium Atticarum, nec tamen reliquit explanatum, quid Hesiodus se dicere sentiat, qnum dimidium plus toto esse dicit: quod communi planè sensui videtur reluctari. Plato libro III. de Legibus, planissimè explicat hoc ambagiosum, scribens rectissimè dictum esse ab Hesiodo, dimidium plus esse, quàm totum: quando videlicet totum compræhendere noxium est, dimidium verò temperatè se habet. Hinc intelligi voluit moderatum immoderato plus esse, vtpote me-

lius deteriore: docétque principatum moderatè constituendum esse, & ad mediocritatem redigendū. Idem libro quarto de Republica laudans vitam moderatam tanquam optimam, Hesiodum illud sapienter dixisse commemorat, Dimidium esse plus, quàm totum. Consimiliter Aristoteles in quarto Politicorum dimidium esse plus toto docet, ex eo quòd gubernatio temperata durabilior est, & melior, quàm impotens, & immodica: ideóque Phocylides bene optauit multa mediocribus optima: & ipse mediocris esse voluit in ciuitate. Idem Aristoteles profitetur mediocritatem, & medium esse optimum, mediocrísque fortunæ bonorum possessionem ait optimum omnium esse existimādam. Idem in Ethicis, virtutes mediocritates esse tradit. Hinc illa apud Græcos catholica sententia: Μεσότητας, ἀρίστας εἶναι. Ex quo colligitur, medium, & moderatum optimum esse in vita degenda, & plus, quàm totum, appetendum. Non me præterit, aliter ab aliis Hesiodi versum exponi solere: sed hæc Platonica nobis, & Aristotelica interpretamenta magis probantur, cùm eruditiora sint, & veriora.

Enodatus nodus ex epistola M. Ciceronis, ductus ex prouerbio, Serò sapiunt Phryges. CAP. IIII.

MArcus Cicero quadā ad Trebatiū epistola sic cœpit: In Equo Troiano scis esse in extremo: Serò sapiūt. Neotericoteri, hoc est, recētiores interpretes magis implicant, quàm explicent sensum epistolicum. Scire autem debes, vetus hoc fuisse prouerbium, Serò sapiunt Phryges: quod à Troianis natum est, qui decimo denique anno velle cœperant Helenam, quæque cum ea erant rapta, reddere Græcis: à quibus decennali bello pressi, vastati, vexati fuerant: sed hæc sapientia Troianorum serotina erat, & nimis tarda, qui tunc demum resipiscere cœperant, cùm res eorum forent deploratæ, & ægritudo irremediabilis. Hoc antè prouerbium continebatur in extrema tragœdiæ parte, cui titulus erat, Equus Troianus: quam Liuius poeta apud Latinos vetustissimus cum primis condidit. Vnde à grammaticis citantur testimonia Liuii ex Equo Troiano. Huinsce prouerbii mentio fit in codice Festi Pompeii integriore, ex equo excerpta, exscriptáq; sunt illa, quæ vulgi manibus iugiter conteruntur. Iam satis liquet, opinor, cur Cicero dixerit, esse in Equo Troiano, Serò sapiunt: videlicet alludens ad prouerbium illud, Serò sapiunt Phryges: quod in extrema fabulæ clausula legebatur.

Emaculatum verbum ex versu Luciliano, inibíque notata quædam super acipensere decumano. CAP. V.

IDem M. Tullius libro de Finibus bonorum secūdo, vsurpat versus Lucilianos, in quibus ad Gallonium sic loquitur Lælius:

Cœnasti in vita nunquam bene: cùm omnia in ista
Consumis squilla, atq; accubas ære cum decumano.

Si Lucilius reuiuisceret carmen hoc in poemate suo Satyrico planè non agnosceret, summoueretque non solùm vt subditicium, sed vt inuersum, adulteratūmque repelleret: quid enim significat, obsecro te, accubas ære cum decumano? quis lepor? qui sales, quæ satyrica mordacitas? Ego etiam, atque etiam & sensu introspecto, & verbis syllabatim pensitatis, sic censeo corrigendum: vt pro accubas ære decumano, meo periculo legas, Acipēsere cum decumano. Lælius enim est, qui apud Luciliū carpit gulam Galloni ganeonis, & gurgitis, qui patrimonium helluabatur in vna squilla, quod genus piscis est, & in acipēsere prægrādi (qui piscis est in primis nobilis) quem prodigis, & gulonibus nutriunt maria: de quo Plinius noster libro nono Naturalis Historiæ hæc refert: Apud antiquos nobilissimus habitus acipensee vnus omnium squāmis ad os versis, contra aquam nando meat. Fuisse autem acipenserem in honore mensarum præcipuo temporibus Lælii, & Africani, testis est Macrobius in tertio Saturnalium: & Marcus Tullius memorat, qui ait, oblatum esse Africano Scipioni acipenserem, qui admodum rarò capiebatur: ad quem epulandum cùm plures conuictores inuitaturus videretur, Pontius in aurem, O Scipio, inquit, vide quid agas: acipenser iste paucorum hominum est. Samonicus quoque Serenus tradit, hunc piscem à coronatis ministris cum tibicine introferri solitum in sacrū conuiuium. Quinetiam Martialis signare volens in magno pretio fuisse acipenserem, atque inuentu rarum, sic scripsit in Xeniis:

Ad Palatinas acipensera mittite mensas:
Ambrosias ornent munera rara dapes.

Decumanus autem acipenser à Lucilio dictus est, quē intelligi volebat prægrandem, & enormem. Antiqui enim decumana oua dici voluerunt magna, apud quos scuta quoque decumana vocabatur, quòd essent amplissima: & decumani fluctus, quia essent magni: ex quo apud poetas decimus fluctus pro maximo, & vndabundo celebratissimus est. Hinc decumana quoque porta in castris dici videtur, quòd esset ampla, & patens: sicut & decumanus limes in limitatione agrorum à magnitudine, & longitudine dictus putatur: cuius Plinius, & Columella meminerūt. Candidus, quæso, lector diligenter pensitet verbum Lucilianum, syllabas trutinetur, literas elementarias conferat, sensum introspiciat, profectò correctionem hanc nostram non improbabit: quam, si dicere fas est, nec Lucilius ipse sit improbaturus. Vnde autem in hanc sententiam non pedibus, sed calamo proclinius irem, impulit Horatianus Offellus, qui Gallonium hunc, cuius ingluuiem diximus à Lælio Luciliano taxari, morsu satyrico lancinauit, & sale perfricuit ob hunc ipsum acipēserem decumanū. Sic enim scribitur in Sermonibus.

Galloni præconis erat acipensere mensa infamis.

Perpensa diligenter, emendatáque dictio apud M. Tullium, in cuius libris legitur De Nartheo, pro Narthecio.

CAP. VI.

IDem Marcus Tullius in eodem de Finibus bonorū & malorum volumine sic scribit: Iam doloris medicamenta illa epicurea tanquam de Nartheo promant. Tu emendatiùs leges, & veriùs, de Narthecio. Græci enim νάρθηκα vocant ferulam assurgentem in altitudine, humilem verò, & depressam ὑποκοριστικῶς ναρθήκιον dicunt: cuius rei mentio fit à Plinio. Cùm autem semen ferulæ morbis quibusdam auxiliari dicant medici, hinc narthecion pro repositorio medicamentorum vsurpatur, etiam si fuerit ex alia materia fabrefactum: vel quia id ligni genus accommodatum est ad seruanda medicamenta. Apud Martialem in Apophoretis lemma est, Narthecion: cui subscribitur hoc distichon:

Artis ebur medicæ Narthecia cernis: habebis
Munera, quæ cuperet Pactius esse sua.

Cōmentatores Epigrāmatarii poetæ exponūt narthecium pro ferula, de qua iam dictum est: aiúntque ebur dici à poeta vel à candore eburneo, vel quoniam in locum scipionis eburnei successit narthecium. Non inficior,

cior,ferulam,siue narthecion,baculorum vsum senectuti potissimùm præbere,quod & Plinius docet:sed hoc totum nihil prorsus ad poetæ sensum enucleandum, qui,vt dicam quod sentio,omissa insectatione aliorum, quod à me vitium longissimè abest,nil aliud significare voluit Epigrammatista nomine narthecii, quàm repositorium,siue loculamentum medicamentorum:vt exponas ebur pro pyxide eburnea, quod & narthecium dicitur,in quo medicamenta seruantur. Ex hoc significatu explicatior fit,& lucidior sensus tũ Ciceronis, quàm Martialis, qui narthecium planè accipiunt pro arcula medicamentaria:sicut myrothecium significatur theca,atque repositorium vnguentorum delicatiorum. Græci enim μύρον vocant vnguentum,& θήκην thecam, & loculum,ac repositorium. Hinc dictum est illud à M. Tullio quadam ad Atticum epistola per translationem decentissimam: Meus autem liber totum Isocratis myrothecium,atque omneis eius discipulorum arculas, ac nonnihil etiam Aristotelica pigmenta consumpsit. Sed vt ad nartheca,id est,ferulam, reuertamur, cùm sit Baccho dicata, ministri Dionysiaci in mysteriis Bacchicis ferulas gestabant,dicebanturque Græco vocabulo ναρθηκοφόροι,quasi feruligeri. Hinc illud apud Platonem in Phædone: Narthecophori multi sunt, Bacchi verò pauci.

Correctus Senecæ locus,enarratúsq; de psychrolutre. CAP. VII.

CVm mihi decretum sit, non minùs publicæ vtilitati studiosorum consulere velle,quàm gloriæ priuatæ respectum habere, nõ me à proposito deterrebit humilitas rerum,imò tantò magis minuta quæque scrutabimur,quantò talia incuriosiùs transmitti solent. Legimus apud Senecam vsurpari vocabulum Græcũ, quod si rectè legatur,elegãtissimum est:sed bis apud eundem perperam legitur. Sic enim in VII. Epistolarum scriptũ est: Frigidæ cultor mitto me in mare:quo modo per fischolutam decet gausapatus. Idem in XIS. Ille tantus psicholutes, qui Calendis Ianuariis euripum salutabã. Mendum est hîc,& illhic: sed in primo loco insignitum magis. Nos vtrobique sic emaculauimus, vt illhic psychrolutram,hîc psychrolutres legas. Græco enim vocabulo ψυχρολούτης dicitur is, qui frigida aqua corpus lauat,& balneo frigido lætatur. Charmis Massiliensis frigida etiam hybernis algoribus lauari persuasit: mersit ægros in lacus. Hinc illud Plinianum ex libro vndetrigesimo: Videbamus senes consulares vsque in ostentationem rigentes: qua de re extat etiam Annei Senecæ adstipulatio. Asserit his verbis Plinius Senecam probare frigida lauacra,quæ haud dubiè non solùm doctrina probat,sed etiam exemplo,cùm ait,se fuisse psycholutrem, hoc est lauacri frigidi cultorem, qui Calendis Ianuariis,quemadmodum legere,scribere,dicere aliquid, sic auspicabatur in Virginem desilire. Est autem Virgo fons Romæ clarissimus aquæ frigentis, quam Marcus Agrippa Romam perduxit: quæ Virgo appellata est ex eo, quòd quærentibus aquam militibus puella virguncula quasdam venas monstrauit: vt docet Frontinus libro primo de aquæ ductibus. Plinius verò libro XXXI. nomen Virgini inditum esse ex eo autumat, quòd riuum Herculaneum, qui iuxtà est, refugere videtur: quantum autem Martia haustu præstat, tantum Virgo tactu præcellebat. ψύχος Græcè dicitur frigus: ψυχρὸς,frigidus: λουτρὸν verò balneũ,& lauacrum: vnde composita ex vtraque dictione fit psychrolutres: significatúrque lauacri frigidi cultor, & amator, qualem se fuisse intelligi voluit Seneca, si synceriter legatur, & probè intelligatur.

Mendum occupasse codices Senecæ, in quibus pro parænetica philosophia corruptè scribitur parentia: pro euthymia,ectimia. CAP. VIII.

APud eundem pars philosophiæ, quam nos præceptiuam dicimus,corrupto vocabulo Græco parentia nominatur, quum parænetica dicenda sit, à Græco verbo παραινέω,quod significat præcipio, & admoneo: inde παραινετικὸς præceptiuus,& admonitorius: & παραίνεσις præceptio,siue admonitio. Hinc Acron Horatianus interpres etsi non classicus, non tamen proletarius,identidem ait: Hæc ode paræneticè scripta est. pro eo,quod est,præceptiuè,siue monitoriè: sicut ab eodem dicitur hæc erotice dicta est,pro amatoriè. Non minùs illud apud eundem emaculandum est ex libro Epistolarum XI. Asperomacheiam auocauit:pro,ad speromachiam: quæ dictio significat pilarem lusionem, siue ludicram pugnam sphæristarum: qua dictione Papinius quoque vsus est in epistola ad Marcellum sic scribens: Sed & speromachias spectamus,& pilaris lusio admittitur. Sidonius ait in certamine sphæræ se primum fuisse signiferum. Et quoniam Senecæ adhuc res agitur, restituenda forma est deformatæ dictioni, quæ nunc nuper in mentem venit: nanque Democriti ectimia legitur, pro euthymia. Democritus enim euthymiam probauit, tanquam beatæ vitæ effectricem, quæ interpretatur animi tranquillitas: cuius & Cicero meminit libro quinto de Finibus bonorum & malorum: de qua Diogenes Laertius ita prodidit in vita Democriti, Finem esse rectum,quietúmque animi statum: quem euthymiam dicit: quæ non, vt quidam malè intelligentes, idem sit quod voluptas, verùm secundum quem animus magna tranquillitate,constantiáq; beatus est, dum nullo metu,nulla superstitione, aut alia quauis perturbatione agitatur.

Explicatum carmen Persianum de aceruo Chrysippi longè secus, quàm à commentatoribus, & grammaticis explicari solitum sit. CAP. IX.

PErsius Satyrographus poema suum hoc versu claudit: Depinge vbi sistam,inuentus Chrysippe, tui finitor aceruі. quo planè aliud significari videtur, quàm aut commentatores nouerint,aut in scholis vulgò prodatur: non enim ad aceruum voluminum, quæ innumera condidit Chrysippus,id referendum esse autumo, sed ad argumentationes, quas Græco vocabulo σωρείτας vocant: Cicero aceruales interpretatur. Sed, vt ipse ait in secundo de Diuinatione, sicut multa verba Græcorũ, sic sorites satis Latino sermone tritus est. Igitur Chrysippus solitus erat per soriten argumentari,& gradatim interrogare: ex quo argumentatio fiebat numerosior,& aceruus quasi quidam gradatim cumulabatur propositionum,& probationum,vt ita conclusio efficeretur ad probãdum quod moliebatur vltra præscriptum argumentationis: quæ ex præceptione dialecticorum tripartita est,ex institutione oratorum quinquepartita fieri potest: vltra quem numerum progredi non licet: sed sorites, id est, aceruus, siue acerualis Chrysippeus in infinitum penè progrediebatur, diffusus per multiplicationem numerorum innumerabilem. Cuius exemplum extat apud eundem Ciceronem, qui in Hortensio quoque soritas ludicros esse, & periculosos tradit. Et pòstpaulùm, Placet, inquit, Chrysippo cùm gradatim interrogetur, verbi causa,

tria pauca ſint, an multa, aliquãtò priùs, quàm ad multa perueniat, mox poſt multa per ſoritas progrediẽdo tractata ſubiũgit. Hæc Chryſippea ſunt, nec ab eo quidem diſſoluta. Refert Laertius, Chryſippũ libros quatuor cõdidiſſe de ſoritis, nimirũ ob hunc aceruũ Chryſippeum, qui lõgiùs progrediebatur, ita vt vix concludendi modũ inueniret, dixit ſcitè, & eleganter Perſius ex perſona auari, cuius cupiditates immodicę nullo modo finiũtur, per apoſtrophã ad Chryſippũ: O Chryſippe, ſaltem tu depinge modum, vltra quem non progrediatur aceruus diuitiarum interminabilis, qui inuentus es finitor, terminatórque tui acerui: hoc eſt, illius argumenti ſoritæ, qui quanuis longo ordine produceretur, tamen aliquando concluſionis modo claudebatur, terminabatúrque. Et hic eſt verus poetæ Satyrici ſenſus, hoc verum interpretamentũ: hic eſt ille aceruus Chryſippeus, in quo cæcutientes commentatores hallucinãtur: de quo eſt adſtipulatio illa Sidonii ex hendecaſyllabo: Chryſippi potuiſſet ex aceruo. & Martiani: Chryſippus cumulet proprium conſumat aceruum, qui alibi dixit, Soritas cumuli acceſſibus aggerens. Poteſt videri Horatius in hanc quoque acerui Chryſippei ſuſpicionem lapſus eſſe, cùm dixit:

Mille talenta rotundentur, totidem altera, porrò
Tertia ſuccedant, & quæ pars quadret aceruum.

Illud quoq; ex ſecundo Epiſtolarũ hinc opinor fluxit:

Dum cadat eluſus ratione ruentis acerui.

Quod ſit roboris ſupplicium in lectionibus veterum ſcriptorum. CAP. X.

APuleius Platonicus philoſophus in copioſiſſima illa, & diſertiſſima oratione, qua crimen magiæ à ſe alienum eſſe defendit, ſic indignabundus exclamat: O mirum commentum, O ſubtilitas digna carcere, & robore. Meritò videri poteſt ignorabile, nec indignum explicatu illud roboris ſuppliciũ. Scito igitur, robur in carcere dici locum, quo præcipitabantur malefici, & ſontes, & ex eo dictum, quòd robuſteis lignis ſepiebatur. De hoc robore in hoc ſignificatu accipitur locus hic Apuleianus, ſicut & ille apud Valerium ex libro VI. dictorum, factorúmque memorabilium: Quinetiam familiares eorum, ne quis Romani populi inimicis amicus eſſe vellet, de robore præcipitati ſunt. Plautus quoque ad hoc robur alluſiſſe videri poteſt, quum ait in Curgulione:

Ego vos ambo in robuſto carcere, vt pereatis.

Quam ob cauſam Herculanea pars à Plauto dicta ſit pro Decuma, inibique quid ſit pollucere, & polluctum.

CAP. XI.

PLautus Latinæ linguæ delicium in comœdia, cui titulus eſt Truculentus, ex perſona Getæ ſerui ſic inquit: Detraxi partem Herculaneam. Quo dicto ſignificat Decumanam ſe detraxiſſe. Nanque veteres Herculi decimas dicauerunt. Quærit Plutarchus in quæſtionibus, cur plerique copioſi, & locupletes patrimonii ſui decimam Herculi offerebant: an, inquit, quòd Hercules in monte Palatino boum, quas Geryoni abſtulit, decimam immolauit? an quòd Romanos ab Hetruſcis decimari ſolitos liberauit? an illud potiùs, quaſi odioſas ciuibus & moleſtas nimias diuitias comminuẽtes, eo pacto maximè coli Herculem exiſtimabant? eoque idcirco luxuriam coercere & comprimere delectaret, quòd ipſe paucis contentus frugaliter, continentérque vixiſſet. Refert Diodorus in quinto Bibliothecæ, Herculem dictitaſſe eos, qui ſibi iam diuo facto decimam bonorum dicarent, beatè, feliciterque victuros: ex quo multi decimas Herculi vouerunt: poſteáque fortunatiores facti bona ſua ad quatuor talentorũ millia Herculi ſacrarũt. Tradunt Hiſtorici, Syllam ex vniuerſis fortunis Herculi decimam ſacrificantem laura populo Romano feciſſe conuiuia. Conſimiliter Craſſus ille Romanorum ditiſſimus decimam facultatum ſuarum partem Herculi conſecrauit, epulúmque populo dedit, viritimque mnas tres diuiſit. Hoc idem à Lucio Lucullo factitatum eſt. De hac decuma Herculi dicata ſenſiſſe videtur M. Tullius, cùm ait in ſecundo de Officiis: Vt Oreſti nuper prandia in ſemitis decumæ nomine magno honori fuerunt. Quinetiam Terentius Varro in ea Satyra, quæ inſcribitur Κεράυνῳ, teſtatur maiores ſolitos decimã Herculi vouere, nec decem dies intermittere, quin pollucerent. Pollucere autem, eſt libamenta Herculi in aram porricere: Idque ſacrificium, quod Herculi decuma data ſit, polluctum dictum. Igitur cùm decumæ fortunarum Herculi peculiariter dicatæ ſint, eleganter, & ſcite dixit Plautinus ſeruus, ſe detraxiſſe partem Herculaneam ex bonis domini amatoris: intelligi volens, ſe decumam ſibi ſubduxiſſe. In hanc ſententiam non minùs ſcienter, quàm feſtiuiter, dixit columen Plautinæ familiæ Chryſalus in Bacchidibus: Si frugi eſt, Herculem fecit ex patre, decumam partem ei dedit.

Correctus Ouidii verſus, inibíq; nonnulla ſuper Smintheo Apollinis cognomento digna memoratu.

CAP. XII.

IN codicibus Ouidii volumine Metamorphoſeon duodecimo, verſus hic perperam legi, & perperam enarrari ſolet:

Talibus intonſum compellat Cynthia dictis.

Tu verò dictionem illam Cynthia veluti adulterinam ſubdititiámque obeliſco confodito, & in eius locum Sminthea cum aſteriſco ſubſtitue, accipéq; pro Apolline. Inter cætera enim Apollinis cognomenta, quæ multiiuga ſunt, hoc quoque celebre eſt, quo Smintheus cognominatur. Autumat Macrobius in primo Saturnalium, Apollinem Sminthea dici, ὅτι ζέων θεῖ, quia feruẽs currit. Sed Homeri interpretes, & Strabo Homericæ maieſtatis illuſtrator, prodiderunt, Apollinem Smintheum à muribus tanquam Apollini ſacris cognominari, qui lingua Cretenſium σμίνθιοι appellantur. Mythici referunt, Teucris è Troia profectis datum oraculum, ibi eos ſedem poſituros, vbi terrigenæ eos adorirentur: id circa Amaxicum dicunt contigiſſe, maximámque agreſtium murium multitudinem noctu exortam quicquid armorum, & vtenſilium ex corio inuenissent, corroſiſſe, Teucróſque ibi manſiſſe. Heraclides Ponticus author eſt, mures ibi circa templũ Apollinis abundare, & ſacros exiſtimari: ſimulacrúmq; Apollinis ita inſtructum eſſe, vt murem pedibus premat. Multis in locis fuit antiquitus celebratũ Sminthei nomen. Nam iuxta Amaxicum duo loca ſunt, quæ Sminthea vocantur. Item in Lariſſæo agro, & in Pariano locus erat Smintheus appellatus. Item apud Rhodum, & Lindum nunc, vt inquit Strabo in XIII. templum Sminthium vocant. Apud Plinium dictio mendoſa eſt in quinto Naturalis hiſtoriæ. Nanque pro Sminthium templum, legitur Zinirium templum durat. In vrbe Cryſſa fuit Apollini Sminthei templum cum ſtatua, cuius pedi mus ſubiacebat, quem Scopas Parius fecit. Homerus in prima Iliados rhapſodia mentionem facit Sminthei Apollinis in oratione Chryſæ ſacerdotis.

Con

Consideratum, pensitatúmque solerter prouerbium Græcum in Noctibus Gellianis: ἐπὶ τῇ φακῇ μύθον.

CAP. XIII.

APud Aulum Gelliũ in Noctibus illis lucidissimis prouerbium Græcum mendose legitur. sic enim libro XXI. scriptum est: Ne planè fiat Græcum illud de Varronis sententia prouerbium, ἐπὶ τῇ φακῇ μύθον. id est, in lente fabulam. Sed si quis curiosius introspexerit vim, sententiámque prouerbii, haud dubiè cognoscet talem sensum, talemque lectionem esse penitus insipidam, & inuenustam: quid enim est, in lente fabula? quis sensus prouerbialis? quis Atticus lepor? quid denique ad propositum Gellianum? Ego existimo legendum esse non μύθον, quo planè fabula significatur: sed μύρον, quod vnguentum dicitur. Et ita elegantia Græci prouerbii elucescet, si legeris, ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον: hoc est, In lente vnguentum. Quo planè prouerbio significatur, haudquaquam vnguentum cum lente congruere, nec consociationem fieri vnguenti, quod delicatius est, & lentis, quod genus est vulgatissimi leguminis. Hoc prouerbium vsurpat M. Tullius quadam ad Atticum epistola decenter, & salsè. sic enim ait: Legati sunt Q. Metellus Creticus, & L. Flaccus, &, τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, Lentulus Clodiæ filius. Voluit enim symbolicῶs, & subobscurè M. Tullius taxare Lentulum Clodiæ filium, qui ita malè copulandus esse videbatur in obeunda legatione cum Metello Cretico, & L. Flacco, viris clarissimis, sicut lens cum vnguento malè consociatur: cùm inter vnguenti delicias, & lentis vilitatem ea sit disparilitas, ac dissociatio, quæ inter amarorem, dulcedinémque internoscitur.

Quid significet apud eundem Gellium, prouerbium alterum Latinum: Nihil cum fidibus gracculo: Nihil cum amaracino sui.

CAP. XIIII.

IDem in calce operis meminit veteris prouerbii, cuius sententia haud longè abest à superiore. Sic enim ait: Vetus adagium est, Nihil cum fidibus gracculo: Nihil cum amaracino sui. Sensus adagii, siue prouerbii est satis apertus, & expositus: quo significatur, neq; Musicam gracculis, auibus obstreperis, & clamosis, neque vnguenta porcis, immundis, & lutosis conuenire. Sed nõ de nihilo amaracinum cum primis dixit timeri à sue. Obseruauimus apud Lucretium, quòd sues odore vnguenta, & peculiariter fugitant odorem amaracini. Versus Lucretii ex libro VI. subscripsimus, vt res fiat manifestior:

Denique amaracinum fugitat sus, & timet omne
Vnguentum: nam setigeris subus acre venenum est.

In codicibus Lucretii, qui mendis prægnantes circunferuntur, pro amaracinum legitur amaricum: pro sus, fur: sensu confusaneo, verbísque corruptis. Est autem amaracinum vnguentum ab amaraco herba odorata nominatum. Diocles medicus, & Sicula gens amaracum appellauere, quod Aegyptus, & Syria sampsuchũ, nostri vernacula lingua maioranam vocant. Hinc vnguentum confectum nũcupamus, modò amaracinum, modò sampsuchinum. Plinius in XIII. scribit, sampsuchinum optimum in Cypro fuisse, & Mitylenis, vbi erat plurima sampsuchus. Idem ait, amaracinum fuisse in insula Co laudatissimum. Enunciatur autem amaracinum penultima correpta, contra vulgi præposteram consuetudinem producendi.

Qui sit sensus Nasonis in eo versu: -Depræhensum polypus hostem Cõtinet, ex omni demissis parte flagellis. inibíque de significatu acetabulorum.

CAP. XV.

OVidius in quarto Metamorphoseon sic scribit:

-Depræhensum polypus hostem
Continet, ex omni demissis parte flagellis.

Hoc versu significatur, conchylia à polypo pisce complexu crinium detineri, frangique solita. Est enim polypus (quod vel mediocriter eruditis perspicuum est) piscis sanguine carens, qui inter mollia numeratur: cui pediculi sunt octoni, à quorum multitudine nomen inuenit: quos Plinius modò crines, modò cirros appellat, quoniam instar sunt capillamentorum. Ouidius flagella vocat, quibus complectuntur conchylia, quorum carne vescuntur. Et ita expones hostem pro conchyliis, conchísve, quas peculiariter polypi venantur, & flagellis, hoc est crinibus, siue cirris (ita enim illorum pediculi nominantur) complectuntur, vt auelli non queant: sunt enim auidissimi concharum: quæ ad tactum comprimuntur præcidentes brachia polyporum. Cauent ergo polypi, insidiantúrque conchis apertis, impositóq; lapillo in discuneatas grassantur, extrahúntq; carnes. Idem Plinius author est, polypum in aqua luctari complexu ad hominẽ conficiendum, eúmque sorbere acetabulis, ac numeroso suctu detrahere. Vbi acetabula significantur caliculi, quibus peculiariter prædita sunt illa piscium genera, quæ mollia nuncupantur. Item Aristoteles libro quarto de animalibus tradit, mollibus omnibus esse binos acetabulorum ordines: in polypo verò, qui & ipse ex numero mollium est, simplicem acetabulorum ordinem cerni. Trebius Niger acetabula caliculos interpretari videtur, cùm ait, barbas fuisse polypo clauarum modo torosas, longas pedum triginta, acetabulis, siue caliculis vrnalibus peluium modo. Seneca quoque acetabula eleganter appellat vascula illa, & caliculos, quibus repente plenis, repentè vacuis præstigiatores fallere fauorabiliter solent oculos contemplantium. Verba Senecæ hæc sunt ex libro sexto Epistolarum: Sic ista sine noxa decipiunt, quo modo præstigiatorum acetabula, & caliculi, in quibus me fallacia ipsa delectat. In mensoris verò, & ponderibus cùm acetabuli mensura dicitur, significat hemiox quartam partem, id est drachmas quindecim. Plinius volumine duodetrigesimo tradit, ossa ex acetabulis pernarum præbere vsum dentifricii. Vbi acetabula appellasse videtur, quas pyxides medici recentiores, & anatomici scriptores appellitant: quibus infixæ sunt coxendices, circáque ea vertuntur ossa coxarũ: sunt enim illæ concauitates caliculis persimiles.

Emaculatus Plutarchi codex, in quo pro Fabius Buteo, inscitè legitur bulco: ibíque de Buteonibus.

CAP. XVI.

APud Plutarchũ Cheronensem Latinitate donatũ error est in vita Fabii Maximi, minutulus quidem, sed non tamẽ aspernandus. sic enim habent codices impressi: Alterũ Dictatorẽ creauerũt Fabiũ Bulconeum. Tu corrige, Fabiũ Buteonẽ. Fuit enim Romæ familia Fabia Buteonũ cognominata ex eo, quòd in ducis naui prospero auspicio quõdã sedisset accipiter, quẽ Romani buteonem appellant, Græci τριόρχην à numero testium, quasi treis testiculos habẽtem: cui principatum in

auguriis Phemonoe dedit, quæ Apollinis filia dicta est, vt inquit Plinius: &, vt auth or est Eusebius Chronographus, prima hexametris versibus futura cecinisse narratur. Ex quo non insciencter Lucanus Phemonoen appellauit Pythiam, siue Phœbada, quæ responsum ex oraculo Apollinis Delphici dedit Appin Romano. Liuius historiam Fabii Buteonis eloquenter explicat libro XXSSI. ab origine vrbis: qui Dictator creatus vt Senatum legeret, peracta lectiooe eodem die extemplo Dictatura se abdicauit: lictoribúsq; abire iussis turbæ se immiscuit. Hæc eadem à Plutarcho memorátur: sed pro Fabio Buteone mendum irrepsit procliuiter in Fabium Bulconem.

Subesse sensum occultiorem, quàm enarratores agnouerint, in illo Epigrammatistæ versiculo, Pastas glande nates habet Secundus.

CAP. XVII.

VErsiculus est apud Martialem, in quo subest obscœna quidem significatio, non tamen dissimulanter prætereunda: sic enim inqoit in hendecasyllabo:

Pastas glande nates habet Secundus.

Vbi non pioguitudo pueri significatur, sicut perperam exponit interpres: sed parici, effœminatísque impudicitia. Acumé enim sensus, & aculeus totus est in dictione glande, qua significatur pars obscœna genitalium virilium: de qua Cor. Celsus libro VS. de medicina: Vbi vero glans contecta est oricularin quoque clystere inter eam, cutémqne aqua calida inserenda est. Item: Tubercula etiam, quæ φύματα Græci vncant, circa glandem oriuntur. Aristoteles & Galenus, alter maximus philosophorum, alter nobilissimus medieorum, βάλανον appellat Græco vocabulo notissimo, qund significat glandem: est auté prima pars virilis penis: sic enim (honos auribus præfandus est) mentula vocatur Aristoteles in primo de animalibus ita prodidit: Maris penis foras postremo thorace perpédens parte sui prima carne, propemodúmq; constans, & inæquabili facie turbinata, nomen à glande pars hæc mutuata est. Igitur mordax sine fine Martialis volens intelligi puerũ nomine Secũdum fuisse paticum, & emasculatoribos ad obscœnam libidinem frequenter morigerum, festiuiter, simul & salsè dixit, eum habere nates glande pastas: tanquam subactione illa præpostera concubini veluti cibo nates pascerentur. Et in hoe toto epigrammate, epigrammatisque sensu explicando cæcutit interpres; cùm senteńtia poetæ lasciuientis sit referenda ad delicias poerorom multiformes, nequitiásque dissimiles, & fastus amabiles, & morositatem illicibilem: quæ omnia malle sese ait poeta in sodalitate puerili, quàm dotes dapsiles in vxoria contuberoalitate.

Versus Lucretii explicatus de lampade cursoria, & de Sicyoniis calceamentis.

CAP. XVIII.

LVcretius libro secundo de rerum natura sic ait:

Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

cùm significare vellet mortalium esse perpetuam successionem, vicissimqne primos à secundis, secundos à tertiis, & ita deinceps impelli, & vrgeri. Est auté translatin sumpta à cursoribus, qui ex Promethei consuetudine, vt docet Hyginus, instituerunt currere lampadé iactantes, quam primus cursu defatigatus secundo integro tradebat. Cuius rei mentio quoque fit libro quarto Rhetoricorum ad Herennium: vbi traditur, non illum in palæstra, qui tædas ardentes accipit, celeriorem esse in cursu cótinuo, quàm sit ille, qui tradit, propterea quòd defatigatus cursu, integro facem tradit. In hũc seorsum translatione quadam oppidò quàm decenter dictum est à Persio:

Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?

Marcus quoque Varro scitissimè dixit in tertio de re rustica: Non cursu lampada tibi trado. significans prouerbialiter, non tibi cedo. vel per contrarium, non sum te superior. Herodotus libro octano historiarum refert, cursores Persarum pernicissimos, primum secundo, secundum tertio, & ita déinceps alium alii mandata tradere solitos: quemadmodum, inquit, apud Græcos fax traditur, quam Vulcano per vices ferre cursores perseuerant. Et quoniam Lucretii mentio facta est, enodemus illud quoq; velut in transcursu vocabulum, quod ab eo positum est libro quarto de rerum natura:

Vnguenta & pulchra in pedibus Sicyonia rident.

Vbi Sicyonia significantur calceamenta muliebria, atque amatoria, delicatioráque, & effœminatis tantùm congruentia: de quibus ait Lucilius:

Et pedibus læua Sicyonia demit honesta.

De quibus Mar. Tullius in primo de Oratore sic refert: Vt si mihi calceos Sicyonios attulisses, non vterer, quamuis essent habiles, & apti ad pedem, quia non essent viriles. Sed de Lucretii locis obscurioribus alibi plura, cùm eius poemata adeò mendosa circunferantur, vt nõ lita multis luminibus ingenii videri possint, sicut Q. Ciceroni videbantur, sed oblita tenebris errorum præscatentibus.

Lapsum esse indiligenter interpretem Plutarchi Apophthegmaton super λήμη πειραιῶς, id est, lippitudine Piræi.

CAP. XIX.

PLutarchus Cheronensis in Apophthegmatis de Pericle Atheniensi sic ait: Ἐκέλευον δὲ τοὺς ἀθηναίους τὴν αἴγιναν ὥσπερ λήμην ἀφαιρεῖν τοῦ πειραιῶς. Interpres Plutarchi homo Græcæ, Latinæque linguæ oppidò quàm peritus, & callens, ita interpretatur: Iusserat autem Athenienses Aeginam, quasi Piræi portum existimarent, ac tuerentur. Demiror virum alioqui Græcatiorem dedisse id interpretamentum, quod penitus contrarium est à sensu, verbísque Græci scriptoris: quæ nos ita Latina fecimus: Iusserat autem Athenienses Aeginam quasi Piræi lippitudinem auferre. Hoc est verum Græcorum verborum interpretamentum, & sensus ex historia ductus. Nam Pericles suadere volebat Atheniensibus, vt Aeginam insulam delerent, & è medio tollerent, périnde ac lippitudinem, labémque Piræi Atheniensiũ portus, à quo duodecim millibus passuum abest. Hoc apertè demonstrat idem Plutarchus in vita Periclis, cùm ait: Aeginam veluti Piræi lippitudinem delendã censuit. Impressi codices mendosi sunt, in quibus pro lippitudinem, legitur lippedinem. Potuit forrassis interpres labi ex incuria, vicinitatéq; Græcarum dictionum: nanque apud Græcos λιμὴν est, & λήμη, pronuntiatu quidem non longè distantes inter se dictiones, scriptione verò, & significatu multùm dissidentes. λήμη enim fœminino genere significat lippitudinem ocularium, scribitúrque per η: λιμὴν verò masculino genere dicitur portus, & per iota scribitur. Sed in codicibus Plutarchi Græcis scriptum est λήμην, quæ est lippitudo per η. non λιμένα, hoc est portum, per iota. Præterea quis nescit ἀφαιρεῖν apud Græcos accipi pro auferre, non pro tutari? Plura dicere, quibus hoc nostrum tuear, supersedeo: ipsa enim sunt per sese

ſatis,opinor,euidentia,& quod ab interprete dicitur,& quod à oobis: quæ penſitanda, diiudicandáque candidis lectoribus permitto.

Erratum alterum eiuſdem interpretis ſuper immolatione filiorum,quos Saturno ſacrificant Carthaginienſes.

CAP. XX.

IDem Plutarchi interpres ſic in Latinum vertit Apophthegma illnd,Zelo tyrãnus, quo tempore Carthaginienſes ad Himeram debellauit,pacem cum his acturus coegit,fœderibus inſcriberent, fore vt etiam filii à præſtandis Saturno ſacrificiis quieſcerent. Hæc nouiſſima Apophthegmatis particula non videtur ſatis fideliter,ſynceritérque expreſſiſſe,atque explicaſſe verba Græca Plutarchi: quæ ideo ſubſcripſimus, vt docti diſpiciant vtrum laude digna ſit, an reprænſione noſtra hæc curioſitas,ad quam nos vnica impellit vtilitas iuuandi, fouendíque pro virili parte ſtudia ſcholaſticorũ. Verba Plutarchi hæc ſunt: *ἠνάγκασεν ἐγγράψαι ταῖς ὁμολογίαις· ὅτι καὶ τὰ τέκνα παύσονται τῷ Κρόνῳ καταθύοντες*: id eſt, vt nos interpretamur, Coegit inſcribere in fœderibus, quòd ceſſarent immolare filios Saturno. Hoc verba ipſa ſignificant,hoc expoſcit fides hiſtoriæ Carthaginienſium,qui ſoliti erãt immolare hoſtias humanas Saturno, excellentioréſque ex filiis victimare: qui cùm olim eſſent obſeſſi ab Agathocle rege Siculorum,Saturnum iratum ſibi eſſe rati ſunt, quòd loco liberorum infantibus clàm emptis,atque educatis ſacrificaſſent: itaque vt diligentiùs id placulum ſoluerent, deúmque complacarent, docentos nobilium filios publice immolauerunt: ſicuti Lactantius in primo, Euſebius in quarto Præparationis Euangelicæ,& Diodorus in xx. Bibliothecæ prodiderunt. Hinc Silius Italicus in quarto Punicorum ſic cecinit:

Mos fuit in populis,quos condidit aduena Dido,
Poſcere cæde deos veniam,ac flagrantibus aris
Infandum dictu paruos imponere natos.

Qui inibi ſubdidit,filium Annibalis nomine Aſparem fuiſſe forte adiudicatum huic infando ſacrificio. Igitur, vt ad rem redeam, ſenſúmque Plutarchi explicem, Zelo tyrannus pacem cum deuictis Carthaginienſibus fecit his conditionibus,ne in poſterum immolarent filios Saturno,vt ità à ſacrificio ſanguinario, plenóque inhumanæ crudelitatis abducerentur. Et hæc eſt Plutarchi ſententia,veráque interpretatio: quod & verba ipſa demonſtrant,ſi circunſpectiùs,penſitatiúſque perpendantur: cùm interpretis interpretamentum ſit deuium ab hiſtoriæ fide,& à ſenſus elegantia.

Inſcitè eundem deerraſſe ſuper interpretamento Thericliorum, inibíque conſideratus, perpenſúſque non indiligenter locus ex Cæſaris commentariis.

CAPVT nouiſſimum.

APud eundem Plutarchi interpretẽ in Apophthegmatis Romanorum,vbi de Scipione Aemyliano diſſeritur,ſic ſcriptum legimus: Cum Memmii cuiuſdã tribuni militum iumenta comprændiſſet,quæ lapideas pelues,& vitrea pocula deportarent. Quod interpres dixit lapideas pelues,& vitrea pocula: Græcus ſcriptor ait, *ψυκτῆρας διαλίθους καὶ θηρίκλεια*. Quæ verba Græca nequaquam ad amuſſim congruunt cum Latino interpretamento: neq; hoc ſenſiſſe videtur Plutarchus, qui voluit ſignificare,Memmium fuiſſe caſtigatum,increpitúmque acriter à Scipione,quòd in vſu caſtrenſi haberet vaſa pretioſa,& delicata,minimeque diſciplinæ militari conuenientia. Lapideæ autem pelues, & vaſa vitrea,non ſunt digna caſtigatione cenſoria: cùm nõ ſint aliena à parſimonia,frugalitatéque priſcorum: cúmq;, vt dicere ſolebat Gallienus Imperator, nihil ſit vitro communius. Quocirca ita meo periculo interpretaberis: *ψυκτῆρας διαλίθους καὶ θηρίκλεια*. id eſt, Vaſa gemmata,& thericlia. *διάλιθος* enim Græcè gemmatus dicitur: *θηρίκλεια* verò ſunt vaſa potoria delicatiora, à Thericle artifice celeberrimo nominata: de quo eſt illud Plinianum ex libro XVI. Celebratur & Thericles nomine,calices ex terebintho ſolitus facere torno. De thericliis poculis,vtpote pretioſis,ſic refert Phalaris in epiſtola ad Polyclerum: Miſi ad te puri auri phialas quatuor, crateres argenteos non noſtri temporis artificii duos,poculorum thericliorum paria decem. De thericliis mentio ab eodem Plutarcho habita eſt in vita Alexandri. Ex hoc thericliorum ſignificatu exiſtimo corrigendum eſſe locum apud Cæſarem,in cuius tertio ciuilis belli Pompeiani commentario ſic legitur: In caſtris Põpeii videre licuit trichilas ſtratas. Opinor irrepſiſſe mendum,emendandúmque pro trichilas ſtratas, thericlia ſtrata: vt ſit ſenſus,thericlia pocula,quæ erãt pretioſa,celebratáque,viſa fuiſſe ſtrata,atque iacentia paſſim in caſtris Pompeianis: etſi ſcio trichilas exponi ſolere pro abacis,menſiſque potoriis, veluti habentibus tria labra, & triplices margines: in quibus vaſa more aulico gradatim diſponi, collocaríque conſueuerunt. Sed iam receptui canendum eſt,ne modum excedat appendix,quæ non contenta latialiter diſertaſſe, etiam nonnihil atticiſſanit. Iam pauſa facienda eſt,& animus otio refouendus,vt mox vegetior, alacriórque reſurgat ad excudenda id genus annotamenta longè vberiora, quæ ſucciſiuis temporibus condimus,mox in tempore depromepturi. Meditor enim pro virili parte agere negotium poſterorum,ſuccurrere hæſitantibus litteratoribus, prodeſſe ſcholaſticis, non minùs prouincialibus, quàm Italicis,qui auditorium meũ frequentiſſimi quotidie ſtipant,méque peramanter obſeruant. Sed cùm auriumſenſus ſit faſtidioſiſſimus, iam vale inclyte Annibal Bentiuole,& quicquid eſt iſtud,quantulumcunquẽ eſt,boni conſule, & ama præceptorem, qui non ſolùm te piè diligit vt alumnum, ſed & diligenter colit vt patronum.

FINIS.



LVGDVNI, EXCV
debat Ioannes Frellonius,
Anno à Christo nato,
M. D. XLVIII.